

XII
E
10





COMMENTARII RESOLVTORII
DE EXAMINE ECCLESIASTICO, ET DISQVISITIONIBVS

Moralis ac Practicæ Theologię, Christianę Philosophiæ, & Casuum Conscientiæ, qui in dies occurrere solent,

TAM QVÒ AD THEORICAM, QVAM QVÒ AD QVOTIDIANVM VSVM, & praxim receptarum sententiarum per quæstiones, & casus, ac propria principia luculenter conscripti,

AB HOMOBONO DE BONIS

EX CASTROLEONE CREMONENSI

Clerico Regulari S. Pauli, ac in Metropolitana Ecclesia Bonon. Pœnitentiario.

Non solum Examinatoribus, & Examinandis, Episcopis, Vicarijs, Canonicis, Parochis, Confessarijs, Concionatoribus, & alijs Ecclesiasticis, & Regularibus maximè necessarij;

Sed & secularibus Iudicibus, Causidicis in vtroq; foro versantibus, ac omnibus veræ fidei, & religionis cultoribus valde vtiles, ac peraccommodi, ob moralia documenta in his apposita, exempla, & rerum pie gestarum probatam narrationem.

AD ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. CARD. ET PRINCIPEM, ALEXANDRVM ESTENSEM REGII EPISCOPVM.

PARS PRIMA.







BONONIÆ, Apud Nicolaum Tebaldinum. M. DC. XXIII. Superiorum Permissu.

Sumptibus Hieronymi Mascheroni, & Soc.



Illustrissimo, ac Reuerendissimo D.

ALEXANDRO
S. R. E. CARDINALI
ESTENSI.



Hieronymus Mascheronus Bibliopola, & Nicolaus Tebaldinus Typographus:
S. DD. & Obseq. VV.



VVM hoc est, Princeps Illustrissime, opus, tuisque auspicijs, & lucem visurum, & famæ melioris omina habiturum, si tu pro innata tibi bonitatis magnificentia patiare: tibi votum vni, & quasi vnico, per vniuersam Europam, nō dicam Italiam, literarum altori, ingeniorum probatori, veroque solidæ virtutis exploratori, cui nescias, an plus faueat Atestinorum Principum gloria, numquam, inter gratos meritorum populos intermoritura, an propriæ vitæ inconcussus tenor, qui excelsissimo generis splendori multum eulogij, verique ornamenti addit. Nos certe temeritatis absoluet, vel lenitas tua, vel *operis prærogatiua*; nam cum illa neminem virtutem professum á suo congressu arceat, & illud præiudicatissimæ opinionis perfectio est, Nos verò *non tantum laudis nobis arrogamus, quod illud opus edidimus, quam quod Illustrissimæ V. D. nuncupauimus*, & quidni tam tenues clientes tām sublimi patrocinio exultarent? Et verò, si ipsius autoris modestia pateretur à nobis dici, quod est veritati consentaneum, non est proletariæ classis officiosus ambitor, sed vitæ instituto, professionis autoritate, morum integritate nobilissimus, scriptorum etiam claritudine, & operum iamdiu antea editorum grauitate commendabilis, tanta animi constantia, vt vestrum fauorem meritis suis sperare, nedum censoris alicuius seuerioris iudicium possit, Varro religiosus, Socrates Christianus. Iam verò ipse liber, materiaque fastigium tuum tam prope attingunt, vt nec sanior tibi liber, nec ille alij tutelari offerri debeat. Princeps Ecclesiasticus non limis, speramus, oculis Ecclesiasticæ vitæ perfectionem intuebitur; nam cum pars ea sit in humanis actibus quam

primum ardua, & penè inaccessa, singulorum mentibus legem dare mansuram, quæ vtentem iuuet, nec sit sensui grauis, nec communi vitæ cursui molesta, illud tam excellenter *Homobonus* hic præstitit, vt res antea multis scribentium inuolucris tecta, iam sine velo, aut fuco, iam facilis, iam procliuis sese ostentet, vt verius dixerimus, quæsituro se ingerat. Sume ergo, Princeps maxime, autoris egregij opus insigne, & cum offerentium humilitas tardabit, mentem, & bonitatem propriam consule. Vale, & clarissimo operi nouum decus, accipiendi hilaritate, impertire. Bononiæ XII. Kal. Aprileis. MDCXXIII.





A V T H O R
AD LECTOREM.



VM ex Sapientum placitis, finis in humanis actionibus prima bonitatis cauſa dicatur; nam (vt aiunt) finis, & bonum conuertuntur; & hominis officium ſit, propter finem agere. Scopus, ac conſilium meum, Chriſtiane Lector, huc collimat, ac tendit, vt in his qualeſcunque ſint commentarijs, non ſolum mihi intus, iuxta vetus adagium, canerem, ſed alijs etiam aliquo modo prodeſſem, ac ſingulis me debitorem conſtituerem. Cum communis ſit vox, non nobis ſolum, ſed alijs quoque natos eſſe; & quæ à nobis geruntur, non ad noſtram tantum vtilitatem, ſed ad publicum commodum referri debere; cui illa D. Pauli ſententia concinit:[a] Nemo noſtrum ſibi viuit. Siquidem Dei in primis obſequio, tum propriæ, proximorum deinde ſaluti ſtudendum eſt; ſicut idem Doctor gentium ſe nobis in exemplum ſtatuit, dum dixit: Omnia omnibus factus ſum, vt omnes ſaluos facerem.[b] *a Ad Roman. c. 14.* *b 1. Ad Corinth. 10.*

Et quæ me ratio, ne inter homines homini minimè natus, inter Eccleſiaſticæ vineæ plantas aridus ipſe truncus viderer; hucuſque ad honeſtum ſcribendi otium, ſi quod mihi ex occupationum tumultu ſuppeteret, vocauit; eadem quoque ad hoc opus tumultuaria pariter opera conſcribendum, & edendum impulit. In quo quidem, ni fallor, habes, quidquid Examinatores ab Examinandis circa ordines, confeſſiones, animarum curas, conciones, & Epiſcopatum perquirere oportet: & quodcunq. ipſum examen ſubituri ſcire, ac reſpondere debent, tãquam in obuio Promptuario à nobis cumulatè traditum.

Et quò vno (vt vulgo effertur) itinere plura conficerentur negotia, ex morali Philoſophia, ac practica Theologia ea congeſſimus, quæ ad caſuum, vt dicunt, conſcientiæ diſciplinam, & animorum inſtitutionem pertinent; in quibus quæ in Chriſtiani officij rationibus in dies contingunt facili methodo, quò ad vſum, & praxim enucleare ſtuduimus, quid æquum, vel iniquum ſit, quid ſequendum, quid fugiendum in actionib. & negotijs; commercijs tàm publicis, quàm priuatis, tàm domeſticis, quàm forenſibus, tàm Eccleſiaſticis, ac Regularibus, quàm ſæcularibus, ac profanis, in criminalibus, & ciuilibus, in vniuerſis homiuum ſtatibus, quò ad vtrumque forum, Laconico more, ex proprijs principijs pro tenuibus noſtris viribus explicare contendimus. Propterea has noſtras præſcriptiones in quindecim tractatus diuidere placuit, ſiquidem hic numerus, vt quidam reconditæ eruditionis vir oſtendit, propter ſeptem, & octo, quibus conſtat, diuinæ, atque humanæ ſapientiæ, à veteribus accommodatus cenſetur.[c] *c Tet. Rõgitis. de m... nu. ſignif. n. 15.*

Et licet commune ſit enunciatum: Nihil nouum eſſe ſub Sole, & nil dictum, quin prius fuerit dictum, & multi morales ſcriptores de huiuſmodi argumentis diſſeruerint, ex Philoſophi tamen proloquio: Alij ad alia apti nati ſumus, & in magna rerum copia, aliud alijs natura iter oſtendit. Ac vt ſcitè ille protulit, In hoc rerum genere, nec eſt maioribus inuidendum, nec de minoribus deſperandum.

Quid verò in hoc noſtro labore conati, ac aſſecuti fuerimus, quidque emolumenti ad prædicta allaturi ſimus, tuum candide lector, erit iudicium; nec enim mentitus eſt qui dixit: Librum typis publici iuris factum, irrefragabile, & nominis, & ingenij, vitæ, & tandem morum teſtimonium manu ſua ſubſcriptum, & proprio ſubſignatum ſigillo præſeferre.

Quatuor inter ſe indiſſolubili fœdere coniũgere pro exili noſtra induſtria niſi ſumus, nempe copiam, breuitatem, facilitatem, ac ſecuritatem, practico, ac reſolutorio ſtylo, ſine diſputationum cõtentione in enodandis quæſtionibus vtendo; ſiquidem teſte Seneca:[d] Legem breuem eſſe oportet, quæ iubeat, & non diſputet. Placuit etiam has commentationes vulgatiori ſcribendi genere, ac pinguiori, vt dici ſolet Minerua, contexere, & philoſophico more, ſine ſalebris, per modum doctrinæ veritatibus mentes illuſtrantis, & rationibus, ac authoritatibus ſuadentis, eas tradere; quandoquidem totum vtilium tracta- *d Epist. 44.*

tiones

tiones verborum phaleris non indigent, & simplex est veritatis sermo; quid enim prodest, inquit ille, clauis aurea, si ostium non aperiat, quid lignea nocet, si recludat?

Omnium fere tàm antiquorum, quàm recentiorum Scriptorum placita exquisiuimus, & instar mundi animalis cuncta rerum momenta ruminantes, illud Apostolicum monitum obseruare curauimus, Omnia probate, quod bonum est tenete.[e] Vt tamen breuitati consultum esset, nouissimos auctores, qui de huiusmodi argumentis, ac materijs scripserint, sæpe allegare, expedire visum est, & vnico allegationum contextu, interdum multis quæstionum capitibus decidendis satisfacere.[f]

Casus aliquos selectiores, & in vsu frequentiores, ex multis quæstionibus, & capitibus constantes, in qualibet materia à Confessarijs potissimum, Parochis, Clericis, Beneficiatijs, Concionatoribus, & Episcopis, non ignoranda, ex ordine præuijs inspectionibus effinximus, ac formauimus, cum ex eorum resolutionibus aptius, & plenius animi informentur, ac instituantur (ex hoc enim morales quæstiones casus conscientiæ dicuntur, quia, vt Iurisperiti loquuntur, ex facto ius oritur) atque ex ipsorum casuum decisione ingenia magis explorētur, & insuper ex traditis principijs regulæ ad alios similes casus explicandos hauriantur; ob hoc namque sermones clariores, verioresque reddi solent, cum vniuersalibus prius cognitis, ad singularia in his præsertim, quæ ad mores spectant, descendimus; vt propterea verè insignis Theologus D. Thomas Aquinas dicere soleret: Omnis scientia operatiua tanto perfectior est, quanto magis particularia considerat, in quibus est actio, ac legum, & canonum virtus in applicatione ad casus in praxi contingentes consistit.

Et sanè inter multa, quæ iurisprudentiæ, positiuæ Theologiæ, ac Christiani officij studiosis non modicam vtilitatem afferre consueuerunt, ea sunt, quæ generalia principia, gnomas, ac regulas docent, cum vsu compertum sit, particularium casuum resolutionem sine ipsarum præsidio attingi non posse. Ideo multis itidem propositis quæstionibus plura membra attexuimus, vt vberior cognitio, & scientia compararetur, & Examinatores pro ipsorum prudentia, & arbitratu illos casus diuidere, ac contrahere, & interrogationes, prout occasio, res, & personæ postulauerint, instituere possent. Nam si in omnibus his, quæ ad Dei, & Ecclesiæ præcepta, sacramenta, censuras, ac contractus spectant, ad singulos, & minutiores casus, qui cōsiderari possunt, descendissemus, cum, vt aiunt, in infinito Chao, & ingenti Oceani ambitu versentur, in maximam molem, & immensissimam structuram ij nostri commentatij, cum non leui typographi, ac emptorum dispendio proculdubio excreuissent.

Et licet in his nil fere de nostro inope penu deprompserimus, vt iure fortasse in nos conijci possit, quodquidam Italus in egregium aliàs scriptorem protulit, Cerebrum in dorso gestat, idest aliena in magno scripta refert, & doctrinam magis laboriosam, quàm ingeniosam obtrudit, ad illud Venusini Poetæ alludens:

Studium sine diuite vena.

Non ideo tamen hoc qualecumque opus vilius existimes velim, quod in quibusdam, vt cum illo loquar,

Auia Pieridum peragrem loca nullius ante
Trita solo.

Et quod ex alijs, vt apis argumentosa libans, illud confecerim; eas enim nos imitari debere à magni nominis auctore docemur,[g] quia scilicet passim diuagantur, & selectos flores carpunt, deinde quidquid attulerunt, disponunt, per fauos diuidunt, & succum in diuersos gratos sapores commutant; vt sic earum exemplo, ob variā lectionem nostrarum sit rerū mixtura bonarum; & illud Lucretij vsurpare possimus;

Floriferis vt apes in saltibus omnia libant,
Omnia nos itidem depascimur aurea dicta.

Si qui legit, in diuersis locis multa iterata comperit, boni, rogo, consulat, ac meminerit, iuxta Platonis dictum:[h] Bis, & ter, quod pulchrum, & vtile est; eo vel maximè quod noui semper aliquid addatur, vel alio fine, seu ob diuersos respectus facta sit repetitio. Quamuis enim variæ tùm quæstiones, tùm probationes, sententiæ, rationes, atque authoritates ex eisdem fere axiomatibus, & propositionibus deductæ sese obtulerint, quæ idem prope sonare videntur; nos tamen eas proprijs locis distinguere, atque suas singulis sedes ad diuersa comprobanda, prout aptius visum est, ita accommodare curauimus, vt nemo easdem frustra repetitas existimare debeat; nam sicut medici pharmacum ad vnum morbum repertum, ad alios similes, ac finitimos admouent; ita authorum dicta varijs vsibus aptare conuenit, & opportuna deriuatione in nostra commoda conuertere.

Et cum ego, qui diū hoc saxum voluēs, parum tamen ingenio & rerū usu excultus, in moralium quæstionum rationibus discutiendis operam locaui, has lucubrationes ancipitem aleam, in tam vario hominum lusu experiri passus fuerim; Deum omnipotentē rogo, vt ad ampliorem eius gloriam, vberioremq; animarum salutem, nostrum hoc studium illud Sapientis testari possit, videte quod non solum mihi laboraui, sed omnibus exquirentibus veritatē.[i] Ac te humane Lector obsecro, vt si aliquando in his commenta-

[e] 1. Ad Thess. 5.

[f] Simon. de Pretis de interp. vlt. volū. tat. à pro em. n. 22 & seq.

[g] Franc. Pet. epist. 7.

[h] l. 6. de legibus.

[i] Eccle. 24.

mentarijs, & confictis casibus, prout opportunitas obtulit, & res exegit, Catonem Censorium agere, & humanos mores reprehendere coactus sum, æqui bonique pariter consulas, illius D. Hieronymi dicti memor, [l] Neminem læsi, nullius nomen mea scriptura designatū est; generalis de vitijs disputatio fuit. *l Epist. ad Nepot.*

Hunc seruare modum nostri didicere libelli,
Parcere personis, dicere de vitijs.

Ad hæc, vbi nostra lapsa est inscitia (homo enim sum, & nihil humanum à me alienum puto) corrige, & emenda, ac humanæ imbecillitati te ipsum quoque hominem præbe. Atque hos qualescunque conatus nostros excusa; nam etsi votis non respondeant, & rei susceptæ magnitudini ob nostram tenuitatem, non satisfaciant, in hoc tamen non improbandi sumus, quod res arduas, & viribus nostris impares tentauimus, in quibus,

Et voluisse sat est.

Et cum in his, quæ tàm ad Christianos mores, quàm ad Catholicam fidem spectant, aliquid minus perite, aut cautè per errorem elapsum est, sacrosanctæ Ecclesiæ censuræ subijci, ac emendari cupimus. [m] Legentes in Domino deprecando, vt dubia in benigniorem partem interpretentur; cum multa in humanis actionibus occurrant prima fronte damnāda, quæ si penitus deposito in alterutrā partē affectu introspiciantur, non raro probanda sint, aut sane clemētiore longe censura notanda, si non crudè dicta, factaque, sed auctoris mentem intueamur. Quod si res excusationem non admittat, ad humanam naturam ad vitia, vt dictum est, pronam, decurrendum, & nostrę ad varios lapsus facilitati indulgendum est. *m c. hec est fides 24. q. 1.*

Porro Typographorum errores, qui oculos tuos, & aures offendent, sic pro tua prudētia vitabis, aut tolles, vt neque obscuritatem tibi afferant, neque mihi, alijs cum primis, & extraneis occupationibus districto, vitio vertantur. Præsertim si ad mentem reuoces, quàm hodiernis temporibus infelices sint typographiæ, in quas idiotæ, & à musis auersi homines recipi solent. Vale in Domino.



Cum

CVm Commentarios resolutorios de Examine Ecclesiastico, & disquisitionibus moralis, ac practicæ Theologiæ, Christianæ Philosophiæ, & Casuũ Conscientiæ P. D Homoboni de Bonis Congregationis nostræ, duos eiusdem Congregationis docti viri, quibus id commisimus, recognouerint, ac in lucem edi posse probauerint; facultatem concedimus, vt Typis mandentur, si ijs ad quos pertinet, visum fuerit. Dat. Mediolani in Collegio nostro SS. Apostolorum Pauli, & Barnabæ Die 20. Februarij 1623.

D. Hier. Boer. Præposit. Generalis.

EGo infrascriptus attestor, me vidisse, & examinasse Commentarios de Examine Ecclesiastico, Christiana Philosophia, & disquisitionibus Casuum conscientiæ, &c. conscriptos à M. R. P. D. Homobono de Bonis, Cremonensi, ex Congreg. Clericorum Reg. S. Pauli, & Pœnitẽtiario in Metropol. Eccl. Bonon. & oĩa in eis contenta inuenisse sacris sanctionibus, & bonis moribus consentanea, eaque mirum in modum pietatem, & eruditionem simul connectentia, ad vitam ex Christianæ legis, ac Religionis disciplina instituendam maximè conferre. Quippe cum diuinæ, ac moralis sapientiæ præceptionibus sint refecti, stylo compendioso, resoluto, & quod difficile esse solet, claro, dilucido, & eleganti exarati; de quibus nil aliud dicemus, quia nobis tacentibus res ipsa loquitur, & ex sententia Platonis, quàm alta sit aqua, ipsa ostendit.

Bernardinus Bensignatus sacræ Theologiæ Doctor Collegiatus pro Illustrissimo D. Cardinale Archiepiscopo Bonon.

VIdi ego infrascriptus, ac diligentius examinaui, quæ in hoc volumine Adm. R. D. Homobono cõscripsit, & quia illa animaduerti, maximè necessaria; tũ ijs, qui in hac Dei Ecclesia cõsulto vacant studijs, vt dicunt, Casuum conscientiæ, & Christiani hominis officia addiscunt; tum ijs, quibus cæteros examinandi ad ordines, ac beneficia Ecclesiastica cura demandata est, & ijs etiam qui examinandi sunt; tum denique alijs omnibus, qui vitam hanc humanam volunt ducere securiorem; in ijs quæ præsertim spectant ad forum tam internum, quàm externum: solida, ac omnigena sapientia referta breui, sed dilucido, ac concinno stylo conscripta; ita vt tria illa bonitatis genera complectantur, in quæ teste Philosopho, omnis boni amplitudo secatur, honestum, scilicet delectabile, & vtile; vt propterea dixerim ea omnia cõmodè Typis mandari posse, imò libentius suaserim. Quare,

Imprimatur. Fr. Hieronymus Onuphrius Theologus Bonon. Collegiatus, atque ibidem Lector publicus, ac Sanctissimæ Inquisitionis Consultor pro Reuerendissimo P. Magist. Paulo de Garrexo Inquisit. Bonon.

INDEX TRACTATVVM, Capitum, & Quæstionum.

TRACTATVS PRIMI CAPITVM, ET QVÆSTIONVM.

CAP.

CAP. IX. De tertia conditione, qua Clerici, & Regulares examinandi suffulti esse debent, quæ est scientia.

CAPVT X.

TRACTATVS SECVNDI

Capitum, & Quæstionum.

CAP. I. De formali causa examinis.

CAPVT II.

CAPVT III.

CAPVT IV.

TRACTATVS TERTII

Capitum,& Quæstionum, Index.

Quæst.51.

Quaest.22.

CAPVT IX.

CAPVT X.

CAPVT XI.

CAPVT XII.

CAPVT XIII.

Quæst.

TRACTATVS QVINTI
Capitum, & Quæstionum, Index.

Quæst.

TRACTATVS SEXTVS

Capitum, & Quæstionum. Index.

CAP. I. De Articulis super peccata capitalia; & primo de Superbia, & cuius sobole. Suppofita, & Prænotiones.

CAPVT II.

CAPVT III.

CAPVT IV.

CAPVT V.

CAPVT VI.

CAPVT VII.

CAPVT VIII.

CAP. IX. Articuli super Auaritia, & eius sobole.

CAPVT X.

CAPVT XI.

Quæst.

Quæst.

Quæst.

ris

Finis Index Capitum, & Quæstionum.



DE EXAMINE ECCLESIASTICO. MORALIS AC PRACTICAE THEOLOGIAE. CHRISTIANÆ PHILOSOPHIÆ, CASVVMQ. CONSCIENTIÆ DISQVISITIONIBVS RESOLVTORII COMMENTARII.

De finali causa examinis, quæ est cultus Dei, ac animarum salus, &c. Cap. Primum.



VM in his commentarijs, hoc est libellis, in quibus non latè res, sed quàm breuissimè possunt, explicãtur, simpliciterq; describuntur, de Ecclesiastico examine pro tenui nostra facultate acturi simus, prius ab eius definitione exordiendum uidetur; Siquidem nemo rem melius nosse cõspicitur, quàm qui quid ea sit, breuiter, & apertè explanare queat. Vnde rectè Cicero. *in 1. off. lib.* admonet, tractationes, ac disputationes, à definitione semp proficisci dēre, vt q d sit id, de quo agitur aptè ab alijs intelligat, &c.

QVÆSTIO I.

EXAMEN QVID SIT.

QVærit ergo qd sit examen? R. q vt à notione noīs incipiamus, examē descēdit à verbo examino, q est scrutor, inuestigo, & exqro, Quare examen, vel examinatio idem est, quod alicuius veritatis inquisitio. Iuxta quem sensum extat illud regij vatis pronunciatum. *Ps. 15.* Igne me examinasti, & nō est inuenta in me iniquitas. Et illa Venusini Poetæ sententia. *l. 2. serm. sat. 2.*

Male uerum examinat omnis corruptus Iudex.

Quò verò ad definitionem (vt aiũt) quid rei, dicendum est, Ecclesiasticũ examen nihil aliud esse, quã aptam quandam inuestigationem, ab Ecclesiasticis personis, certis interrogationib. factam, ad iudicandum de scientia, & aptitudine alterius de quo consulitur, an pro diuino cultu debeat ad aliquod Ecclesiasticum ministerium destinari. Dictum est inuestigationem, tanquam genus, sub quo res definita est, sub eam. quælibet alicuius rei disquisitio comprehenditur, quæ circa negotium aliquod siue sacrum, siue profanum fieri potest. Additũ est in definitione, ab Ecclesiasticis personis factam, & c. quò distinguatur ab examine, quod à secularibus personis circa laicalia ministeria, vel officia exercetur. In examinatoribus namq; de quib. nos loquimur, quatenus ipsum examen circa præficiendos parochialib. Ecclesijs, confessionib. ordinib. cõcionib. &c. versaĩ, cũ electi Iudices sint, Clericalis ordo, vel saltem prima tonsura per quam quis in Clericorum numerum adscribitur, necessario requiritur, cum laicis de Ecclesiasticis reb. iudicare non liceat, *&c. c. cũ non ab hoīe. c. decernimus. ext. de Iud.* In descriptione demum positum est, ad iudicandũ de scientia, &c. vt ab ea inquisitione, & examinatione discernatur, quæ à Præfectis Religiosis in nouitiorum receptione, visitatorib. vel Iudicib. tàm secularib. quàm Ecclesiasticis, in ciuilib. vel criminalib. fieri solet. Addo, in hac definitione omnes illas quatuor causas includi; quas ad rem quamlibet cõstituendam considerari animaduertimus, nempe efficientem sub illis verbis ab Ecclesiasticis personis materialem ibi alterius, formalē, certis interrogationibus, finalem, pro diuino cultu. &c.

QVÆSTIO II.

EXAMINIS FINIS QVI SIT.

CVm causa finalis illa dicaĩ, q principaliter, & primario ab agēte pe: pēdirur, q ex Philosophi snia, est prima in intētione, licet in executione postremum locũ sibi vēdicet; Quis est finis, vel finalis huius Ecclesiastici examinis causa? R. duplex est

principalis alter,& alter secūdarius,primus ac principalis est Dei cultus,& honor,nā huc tota Epi,& examinatorū mens,totū ipsorum studium,atq. oīs actio spectare debet;hinc Christus Dñs Primum, inquit,quærite Regnum Dei ; Et Decalogi primæ tabulæ præcepta,sicut & dominicæ orationis initiū ad Dei honorem potissimum referuntur. Sic & sacrosanctæ Tridentinæ Synodi Patres in decreto de inchoando Concilio hunc finē sibi ob oculos proposuerunt,ac subinde quæcūq in diæcesib. ad Dei cultū spectant,ab ordinarijs locorum diligenter curari,atq.vbi oportet,prouideri præceperunt. *sess.* 1. *& sess.* 21. *de refor.c.*8. Alter finis proximus ac principalis examinis est aīarum salus,earūq.felicitas; Puritas intētionis,ad q̄ Ecclesiastici viri mētis aciē dirigere debent,in eo consistit, ait D.Bern. *epi.*42. vt in oīb.actis suis,vel dictis,nihil suum,sed tantū, aut Dei gloriam;& honorem,aut proximorum salutem,aut vtrumq simul quærant, quod etiam D. Tho docuit cum *in* 2.2.*q* 185.*ar.*5. ait per epatus susceptionē epos obligari ad exequendum pastorale officium, pp subditorum salutem. Quod & ipsi examinatores pro virib.procurare debēt, quos Eps ad hunc finē,ut coadiutores in partē solicitudinis assumit; nulli.n. dubium est epale onus graue admodum esse,& Angelicis ēt humeris formidandum,& vniuersim eos qui Imperij clauum moderantur,cæterisq. dominantur,maximā curatū molem sustinere. Multa,inquit Salustius, cura summo imperio inest,multi ingētes labores,ideò rectè sentiunt,qui summæ huic potestati alios in curarum partem adiungendos existimarunt,tum quod facilius Reipubl.munera sociaris laborib.exequentur, tùm q meliores æstimabūtur, quod soli oīa nō p̄su mant,&c. *Marc. Ant. Gen. in Man. Past. c.* 1. *Io. Choc. l.* 2. *thes. Polit. c.* 23. Hoc ergo signū examinatores oculis ferire oportet, vt in suo examinādi munere obeūdo ad Dei honorē, aīarū salutē, Christianæq. Reipub.cōmodū, & vtilitatē respiciāt, hoc.n. plurimū interest,ne sint tamq̄ imprudentes sagittarij,q qm̄ scopū oculis haud perlustrant,operā ludūt; quippe eo maximè sapiens atq; insipiens differunt,q sapiens prudenter agit,oīaq.consilia,ac facta sua ad certū,& honestū finē refert; stult⁹ verò incōsultò,ac temerè agit,nec pspicit, quē exitū sit res habitura.

QVAESTIO III.

SECVNDARII FINES EXAMINIS qui sint.

AN sit alius finis, vel scop⁹, ad quē tanq̄ ad metam curriculū hoc dirigatur, vt viæ rōnesq. ineātur,quib.eò peruenire possit?R. Duplicem quoque finē secūdariū sui muneris esse,quē ante oculos examinatores sibi ponāt. Alter est iudiciū facere, an examinatus ad aliquod ecclesiasticū ministeriū suscipiēdū idoneus sit,vel si plures examinati sint, qui magis ad hoc idonei sint,explorati.n. iuris est, Epos,& examinatores indignū ad ordines,& bñficia,tam simplicia,quā curata admittentes, lethalē noxam contrahere,& damna tàm Ecclesiæ, quàm alteri digno illata restituēdi obligationem subire. Quinimo quò ad beneficia curata, certa est cōis DD. assertio, Epm,& examinatores nō solū dignū, sed ēt digniorē,& aptiorē(q.dq.d sit de restitutione) sub mortali culpæ reatu eligere debere; quis ex sac. Card. Congreg. mente magis idonei electionē nō ad examinatores,sed ad Epm spectare aliq testent, atq.ēt fateanē,à pcō morr.eos excusari posse rōne paruitatis materiæ, vt si inter cōcurrentes exiguus sit excessus,& minus doctū modo idoneum, cuius mores noti sunt,vel de eadem est vrbe, doctiori cuius vita ignorat, vel exterus est, pferēdū esse.&c. *Salon.* 2.2.*q.*63.*art.*4.*cont.*3. *Val. tom.* 3. *disput.* 5. *q.*7.*puncto* 2. *Garzias de beneficijs p.*7.*c.*16.*nu.* 1. *& seq. Rebel. de oblig. iust. lib.* 3.*q.*4. *Less. lib.* 2. *de iust. et iure c.*34.*dub.* 14. *Genuens. in Man. Past. c.*36. *Ioan. Frāc. Leo in thes. for. Eccl p.*2.*c.*18.*nu* 33. *idē Garz. l.c. p.*9.*c.*2.*n.*108. *Pasecius in Praxi Episc. p.*2.*c.*5. *n.*18.*& seq. vt etiam dixi inf. q.*2.*c.*8.

Et certè quia conferre ordines,& beneficia grauis ponderis res est, quæ si rite,& congrue fiat, maxima vtilitas Ecclesiæ consequi solet, si vero male, & indebitè agatur, ingens detrimentum,& non leuis diuini cultus iactura in ipsam inuehitur, ideò non mediocris diligētia in hmōi ab Epis,& examinatorib.ponenda est; ne diuinam vltionem in hoc, vel in alio seculo experiātur ; propter q extat illud Apostolicum preceptum, Manus citò nemini imposueris. 1. *ad Timoth. c.* 5. *c. quid est d.*78. *clem.* 1. *de atat. & qual. Alph. de Cast l.*3. *de iusta heret. punit. c.* 5. *D. Ant. in* 3.*p. tit.* 10.*c.* 2.§.1. *Moschus Euiratus in Prato Spirituali c.*149. *Marc. Ant. Gen. in Manual. Past. c.* 55. *Tolet. in sum. l.* 5.*c.*4. Magistra rerū experiētia satis docet, Satius esse ministros paucos, & bonos habere, quàm multos malos. *c. cūstit. ext. de eta. & qual. Arch. in c. si qui.* 1.*q.* 1. Quod enuntiatum si vmquam aliàs, hac nostra tempestate maximè obseruādum vr, in qua videmus misere Sacerdotes cōtemni ex misera illorum multitudine, quæ velipendium gignere solet, sicut ex aduerso cuiusliberrei raritas pretium, æstimationemq. parit. &c. *c. legimus. d.*93. *D. Hier. ad Euag. ep.*85. *D. Bern. ad cler. c.* 2. *Alph. Tor. de inst. Sacerd. c.* 1. *nu.* 47.

QVAESTIO IV

ALTERA EXAMINIS FINALIS CAVSA, sed secundaria, quæ sit.

QVinam est ille alius finis quem S.M.Ecclesia per examē prætendit?R. Alter tandē examinis

nis minus principalis finis est, vt clerici ad ordines, vel ad beneficia examinādi, ad discēdū, & studijs incumbendum excitarentur, siquidem cum vident prudentum, & peritorū virorum se censurā, & examen subituros, nec turpem notā, & repulsam patiantur, & spe sua frustrentur, literis vacare coguntur, & competentem sibi scientiam comparare nituntur, verè enim Horarius *lib. 3. carm. od. 2.*

Virtus repulsæ nescia sordidæ
Intaminatis fulget honoribus, &c.

& Ouid. *l. 4. de Ponto eleg. 2.*

Excitat auditor studium, laudataq; virtus
Crescit, & immensum gloria calcar habet. Itē
Deniq; non paruas animo dat gloria vires,
Et fœcunda facit pectora laudis amor.

Qua quidē rōne aliq. DD. morī asserūt, in bñficijs conferendis digniores minus dignis pferēdos esse, vt bñficij obtinēdi spe plurimi ad vitæ probitatē, & literarū studia incendant. sunt. n. beneficia ex ecclesiæ, & fundatorū destinatione non solū ministeriorū stipendia, sed ētvirtutū præmia: atqui hic stimulus pcul dubio tolleret, si dignioribus prætermissis fauore, ac carnali affectu beneficia, & sacerdotia dispensarent. Cum certū sit, honorē esse virtutis præmiū, & laborē esse gloriæ parentē. Honoris spes, & pœnæ metus duo sunt virtutū elementa, illa quippe ad honesta studia alacriores reddit, hic deprauatos impetus hebescere cogit. Marcus Cato dicere solebat, quod sicut tinctores eum potissimū colorē inducunt, quo hoīes maxime delectari vident: ita iuuētus ad ea pcipuè studia incūbit, quib populus honores defert. Scipio Africanus Socraticū Xenophonrē in manib. semp habebat, cuius in primis illud laudabat, q diceret, eosdē labores nō esse æquè graues Imperatori, ac militi, q ipse honos Imperatoris ipsius laborē leuiorē faceret. Gloriā, honorē, imperiū bonus, & ignauus æquè sibi exoptāt, bonus vera via virtutis nitit, sed ignauus, qa bonæ artes desunt, dolis, atq. fallacijs cōtendit. Imò Deo inseruire, eūq. amare minus principali intētione aliud præter ipsū obtinendi, vt sanitatē, diuitias, & honores, & alia hmōi in debitum finem relata, illicitum nō est. Titelmannus sup *Ps.* 118 *c. consuluit d.* 74. *Salust. in Catil. Io. de Plot. l.* 1. *C. de conf. li.* 12. *Parif. l.* 5. *de resign. bñf. q.* 3. *Lef. l. de iuf. c.* 34. *dub.* 14. *Caff. in catal. glor. mundi p.* 1. *confid.* 3. *Menoch. l.* 6. *de præsump præsump.* 100. *Beta p.* 2. *resp. casu* 3.

DE CAVSA EFFICIENTI EXAMINIS, & examinatorum conditionibus. Cap. II.

QVAESTIO V.

CAVSA EFFICIENS EXAMINIS, QVÆSIT.

Quæritur, quænam sit causa efficiens examinis? Respon. duplicem esse, alteram principalem quò ad institutionem, & est Ecclesia, alteram secundariam, quæ pariter duplex est, ordinaria .s. & delegata, ordinaria est ipse Eps, seu eius Vicarius, vel Archidiaconus. Delegata sunt alij Sacerdotes, qui ab ipsomet deputari solēt, sicut dicimus iure ordinario, & ex officio concionandi munus ad Epos pertinere, potestatem pariter ordinariam audiendi confessiones, & à peccatis absoluendi, proprie illis competere. iuxta tradita per DD. *in c. inter cætera. ext. de off. ord. & in c. omnis. ext. de pœnit. & remiss. Marc. Ant. Gennen. in Man. Past. c.* 32. *& c.* 62. Quia verò ipsi Epi alijs publicis ecclesiæ negotijs detinentur, nec tantū rpis illis suppetit, vt examinib. exercendis, confessionib. excipiendis, & prædicationib. habendis vacare possint, ideò alijs idoneis personis hæc munera demādare consueuerūt. Attamen operæpretium foret, si quatenus fieri potest, & ipsi examinib. præessent, cum eorum maximè interfit, ne indigni ordinibus initientur, vel ad Ecclesiastica beneficia promoueātur, seu ad audiendas confessiones admittantur; vt proinde iure cautum sit, eos de examinatorum culpa, & delicto teneri, si in examinib. habendis male fuerint versati. Hinc Isocrates ad Nicoclem Regem ait, Ad obeunda ministeria malo viro non vtaris, quæ. n. ille deliquerit, eius in te transferetur culpa. Propterea Eps hoc officium sicut & alia illis non cōferat, qui improbe ambiunt, vel illicitis rationib. affectant, corrupto. n. fine, quid mirum, si postea res Ecclesiasticæ in deterius labi videātur? Succurrat illud Claudiani in laudem Honorij,

Cumq; suo demens expellitur ambitus auro.
Non dominantur opes, non corrumpentia sensus
Dona valent, emitur sola virtute potestas.

Archid. & Turrecr. in c. quando. d. 24. *gl. in c. ad hæc. ext. de off. Arch. Gend. c. c.* 41. *Pascecius in praxi Epi. p.* 1. *c.* 1. *nu.* 49. *Synodus Prouinc. Salisburg.* 22. *cōst.*

QVAESTIO VI.

EXAMINATORES QVALES esse debeant.

Cum in assumendis examinatorib. delectus ab Epis sit adhibendus, ita vt non nisi apti, ac idonei seligantur, ac huic muneri præficiantur, quales isti, & quib. conditionib. prædici esse debent? R. Quatuor potissimum, quas Ierro socer Moysis *Exod. c.* 18. breuiter insinuat, cum ait, Prouide viros sapientes, & timētes Deum, in quib. sit veritas, & qui oderint auaritiam. &c. Primo in eis sapiētia, & scientia requiritur, cum. n. Iudices electi sint, illarum peritia muniri debent, quæ ad eiusmodi munus rite obeundū necessaria est. Hinc Phocillides.

Numquam iudicare imperitos homines permittes.

Quippe qui officium aliquod subit, debita scientia fulciri debet, quò ea exercere, & explicare queat, quæ huiusmodi muneri incumbũt, aliàs temeritatis nota inuritur, si illa onera assumit, quibus satisfacere nõ potest, cũ & ipsius naturę lex prohibeat, ne quis arti, quã ignorat, se immisceat. *c. non est sine culpa. de reg. iur. in 6 D. Tho. 1. 2. q. 76. art. 2. D. Ant. 2. p. tit. 3. c. 6. §. 4. Nau. in Man. c. 4. nu. 7. & in c. inter verba concl. 1. nu. 17. 11. q. 3. Pet. Sot. in inst. Sacerd. lect. 2.* Ea propter Conc. Trid. *sess. 23. de refor. c. 7.* dum de examine ante ordinationẽ faciendo verba facit, statuit, ut Eps Sacerdotibus, & alijs prudentib. viris peritis diuinæ legis, ac in Ecclesiasticis sanctionib. exercitatis sibi ascitis, ordinandorum genus, personam, ætatem, institutionem, mores, doctrinã, ac fidem diligenter examinent. Vbi satis constat, prudentes illos Tridentinos Patres in examinatorib. earum rerum peritiam exigere, ad quas tractandas sunt accessuri; quæ quidem peritia illam duplicem sciẽtiam complectitur, quæ specularitua, & practica dr. Idem Cõc. *sess. 24. de refor. c. 18.* cum de examinatione agit, quæ circa personã ad parochialẽ curam promouendã est adhibenda, sanxit, examinatores debere esse Magistros, seu Doctores, aut licẽtiatos in Theologia, vel iure canonico, vel alios clericos, siue regulares ẽt ex ordine mẽdicantiũ, aut ẽt seculares, qui ad id magis idonei vi debuntur. Vbi supponitur, examinatores quos Cõcilium Doctores, vel licentiatos requirit perfecta, & consummata scientia præditos esse debere; Item eos Sacerdotes regulares non excludi, qui reuera doctrina pollent, ẽt si doctoratus laurea non sint insigniti, nec, vt dicunt, in publicis gymnasijs licentiati, modo aliàs periti, & idonei pro tali munere iudicentur: per ea quæ tradit *Sanchez. lib. 8. de matrim. disp. 34. Henriq. de Sacr. ord. l. 10. c. 33. Zerula in 2 p. Praxi episc. in ver. Pœnitentiarius. Steph. Dalu. de potest. Abbatis, & Abbatissa. c. 35.*

QVAESTIO VII.

AN EXAMINATOR DEBEAT POTIVS ESSE Theologus, quam Iurista.

PRo examinatoris munere obeundo dẽt ne eligi potius purus Theologus, an Canonici iuris peritus? R. Si in vtraq. facultate versatus inueniri posset, satius, & consultius foret; quod si huius cõditionis non reperiatur, alteruter eligatur, nã ex Terentij sententia, Qñ fieri non potest vt vis, fiat vti potest, & vt est in veteri enuntiato, Domus cõstruenda est ex lapidib. qui nobis occurrunt. Vt tñ qđ sentio proferam, absolutè, & simpliciter loquẽdo Canonista, vt magis idoneus, præponderare vr̃, si quidem vbi de materia hæresis, vel fidei dogmatib. non agitur, cum moralẽ, ac practicam Theologiam calleat, melius Ecclesiasticas sanctiones, & causas ad conscientiæ forũ pertinentes cognoscet, iudiciorum formam, cõtractuum, beneficiorũ, censurarum, canonicorum impedimentorũ, sacramentorum, & aliarum rerum ad prædicta spectantium vim potius percipiet, &c. Certè inter alios, qui in albũ corũ, qui decisionib. casuum inepti sunt, ascribuntur, isti merè speculãtes Theologi annumerantur, qui semper circa altissima Christianæ fidei mysteria, prout sanctiss. Trinitatis, creationis, incarnationis, & hmõi, mente agitant, & nihil de his sciũt, quæ moralẽ, & practicã Theologiam concernunt. Hinc multi DD. *vt Hostien. Io. And. & Abb. in c. 1. ext. de consang. & affinit. & Pet. Anch. in disp. incip. antiquis, & moder. temp. Enerar. in top. leg. in loco ab auctoritate. & Fely. in cons. 18. Aluarus Pelagius de planctu Ecclesiæ lib. 2. c. 20. Fuschus de visit. Eccl. l. 2. c. 5. Vgol. de off. & pot. episc. p. 1. c. 1. §. 1.* aiũt per puram, & solam speculatiuã Theologiam Dei Ecclesiã regi minime posse, ac subindè addũt, multos in sacra Theologia Magistros dubitationib. respondentes, quæ super decimis, testamentis, contractib. matrimonijs, censuris, irregularitatib. & hmõi occurrunt, non rarò hallucinatos fuisse. Quã tñ disceptationẽ ne propriam causã agere videar, aliorum censuræ, & iudicio diffiniendam relinquo.

QVAESTIO VIII.

PRVDENTIA EXAMINATORIBVS an necessaria sit.

EST ne examinatoribus prudentia necessaria? R. vtiq. tã præstãti virtute maximè indigent, si quidem plus in Iudice valere prudentiam scribit Quint *lib. 6. Instit. orat. c. vlt.* Cuius quidẽ tres potissimum sunt functiones teste D. Th. *2. 2. q. 47. ar. 6. 7. & seq.* Bene consulere, rectè iudicare, & executionem præcipere. Hi porrò actus, vt idem author docet, certo modo nempè cum solicitudine, & diligentia fieri debẽt, cum ipsa prudentia in humanis actionib. omnes circunstantias consideret, & oĩa necessaria ad finem intentum quantũ personæ conditio fert, & negotij momentũ requirit, conuenienti mõ, loco, tpe, &c. adhibeat, quod sine magna cura, ac diligẽtia fieri nequit. Hinc Tho. Zerula *in praxi pœnit c. 17.* Quanta, inquit, debeat esse cõfessariorum scientia, cum certa regula dari non possit, ideo arbitrio, & prudentiæ ordinarij, & examinatorũ relinquitur. &c. Nec dubiũ, quin hæc virtus in trib. præcipuè examinatorib. opus sit, nempè ante examen, in examine, & post examẽ. Ante quidem, qm̃ qui ordine initiari, vel ad confessiones audiendas, seu ẽt ad pastoralem curam, vel ad conciones haben-

habendas. &c. admitti cupiũt, æquum eſt, vt prius ingenij, ſcientiæ, vitæq. habeaẽ ratio, magnaq. in id diligentia adhibenda vẽ, ne quis ad res ſacras mini ſtrandas, atq. adeò diuina myſteria tractanda indignus obrepat. Proinde antequam in arenã examinis deſcendant, poſtquam admoniti, ac vocati fuerint, ſe colligere, comparare, & maturius de tota re deliberare, ac aptas interrogationes pro cuiuſq. examinandi qualitate, & conditione in mente ſibi formare, ac proponere debent. Quæſtionum verò argumenta non ex profanis auctorib. haurienda, ſed maximè ex ſacris, & probatis libris petenda erunt, prout ex Romano Catechiſmo, Concil. Triden. ſacrorum Canonum ſanctionib. & alijs Pontificijs cõſtitutionib. ſynodalib. decretis, ex ſummularijs, noſtriſq. his Cõmentarijs; in quib. ni fallimur, Eccleſiaſticæ diſciplinæ, & moralis Theologiæ ratio omnis abũdè contineri vẽ. Ad hanc chriſtianam prudentiam ſpectat, vt vbi in locum eorum cætui ſtatutum conuenerint, non antè examinandi initiũ faciant, quam qui alijs præſidet, ex ſcripto precationem peregerit, in qua oretur Deus, vt nihil dicatur, agaturuè, quod eius beneplacito non conſentiat. Etantequã interrogandi initiũ fiat, quaquiſq. corporis ſpecie ſit, quouè habitu ĩdutus ſpectẽ. &c.

In ipſo examine ipſa prudentia exigit, vt nullo mõ ſeueros, vehementeſq. ſed benignos, & gratos ſe præbeant, ne examen ſubiturus ſæuitia, vel acrimonia deterritus animo cõcidat, &c. Itẽ vt cum in confeſſionum examine initio ſe parum, vel nihil ſcire oſtendit, in rerum difficilium percunctatione tẽpus non conteratur, &c. Vt tam interrogantib. quã reſpondentib. audientiã præſtent, nec colloquia inter ſe miſceãt. &c. Nec vniformis examinandi modus illis præſcribendus erit, ſed in examine pro animarum cura, pro varia Eccleſiarum conditione prudenti eorũ arbitrio relinquẽdus eſt, cũ ad inſigniores Eccleſias per grauiora certamina clericos aſcendere æquum eſſe videatur; & maior ſcientia in Sacerdote, qui in Vrbe eſt requiratur, quã in eo, qui in villis; qualis. n. populus talis, & Sacerdos eſſe dẽt, ſicut & qualis grex, talis & paſtor. Imò ſunt aliqñ quædam loca in ſylueſtrib. regionib. & montanis, vbi nemo vit literatus, vel ob aeris inclementiam, vel ob beneficij inopiam eſſe vult; quare tunc Epũ minus eruditos mittere cogetur. Proinde examinatores in ſcrutinio, & examine faciliores erunt, ne populum quempiã paſtore carere contingat. Et qđ de confeſſarijs, & parochis dicitur, eadem ratione, & de Epiſcopis eſt aſſerendum, nam etſi ſcientia non præcellant, & tamen competentis ſint literaturæ, pro locorum ſylueſtrium ratione Apoſtolica diſpenſatione iure admitti poterunt. Vt etiã illud omittã eos illiteratorũ numero, nõ aſcribẽdos eſſe, qui longo vſu didicerunt, quæ ad eorum officium ſpectant; Hinc Demades optime in Republ. verſatus, cum aliqñ interrogaretur, quem in ſapientia quærenda præceptorem habuiſſet? tribunal reſpondit Athenienſium: exiſtimabat. n. in foro, & in reb. agendis experientiam quauis philoſophica inſtitutione potiorem. Maiol. *de irregul. l. 1. c. 31. n. 9. Vgol. item eod. tit. c. 3. §. 2.* Nam non modo quãtum quiſq. ſciat ſpectandum eſſe cõſtat, ſed uel maximẽ cuiuſq. vſus, ſolertiæq. rõnem eſſe ducendam, ſæpè . n. in literis minus verſatus erudito aptior ob induſtriã reperiẽ. Quinímò ex eadẽ prudẽtię pſcriptione, vt ſup. dixi, dignus, cuius mores sũt magis noti, ac probati, dignior præferri poteſt, & idoneus de eadem Ciuitate, vel gremio Eccleſiæ, vel de genere fundatoris magis idoneo anteferendus eſt. *Gonzales de benef. gloſ. 4. nu. 112. Tolet. l. 5. c. 78. Ferrand. in theolog. mor. p. 1. c. 13. §. 2. Leſs. de iuſt. l. 2. c. 34. dub. 13. Gen. in praxi Archiep. Neap c. 66. n. 7. Paſcicus in praxi epiſc. p. 2. c. 5 num. 19. Veia in reſp. caſuum conſcientiæ p. 3. c. 13.* Huc quoq. ſpectat qđ cum religioſis, & regularib. viris quò ad ordines ſuſcipiendos, non tàm rigoroſum examen inſtituendum eſt, tùm quia in illis ſemper ſpes manet dẽ cõparanda ſibi ſcientia ad ſuum miniſteriũ peragendum neceſſaria, eo quia in cœnobijs viuunt, in quibus ſtudia literarũ vigẽt, aut plures literati viri ibi adſunt, à qb. edoceri poſſunt; iuxta illud Menãdri,

Sapiens eris, ſapientibus ſæpe aſſidens.

Tùm etiam quia in illis defectum ſcientiæ ſupplere poteſt perfectio charitatis. &c. Ex quibus multi DD. coll gunt, integrum eſſe Epis, ſacris initiare religioſos bene legentes, & myſteriũ Sacramenti, q̃ percepturi ſunt, intelligentes, etſi latinã linguã nõ calleant. *Henriq. lib. 10. de ſacr. ord. c. 16. in fi. Sayr. l. 6. de cẽſ. c. 13. n. 6. Maiol. de irreg. c. 32. n. 5. Roder. in qq reg. tom. 1. q. 24. a. 7. vbi lõga manu hoc probat.*

Poſt peractum examen ad animarum curam actus prudentiæ erit, vt renuntientur, quotquot ab his idonei iudicati fuerint. &c. & tàm in hoc, quã in alijs ſcrutinijs, quę ſecretis votis perficiuntur, data ſuffragia, ſi ſic interim, nõ ſtatim pandant, ſed religioſo ſilentio comprimant, cum taciturnitas in his præſertim, quæ alijs damnum, ſcandalum, iniuriãue irrogare poſſunt, ſub præceptum ad grauem culpam obligans cadat. *Gabr. Card. Paleot. de ſacri Conſ. conſult. in concl. mẽbro 5. Sotus de ratione teg. vel deteg. ſecreti membro 1. q. 1. & alij.*

QVAESTIO IX.

AN EXAMINATORES SENES MAGIS, quam iuuenes eligendi ſint.

Examinatores debẽt ne magis eligi ſenes, quã iuuenes, vt tàm neceſſaria prudentiæ virtute præſul

præfulgeant? R. Cum ad rectè consultandum, & iudicandum prudentia, & rerum vsus, vt diximus, desideretur, hæc autem non nisi longo tempore comparari possint, consequens est, seniorib. has partes demandandas esse, nam vt scriptum reliquit Isocrates, Experientia, & multarum rerum vsus senes reddit, atq; efficit, vt quid expedlat, acutius, quã alij prospiciant. Senex. n. primum prudentior, sapientior, ac iustior adolescente præsumitur, maiorq. in eo veritas, & auctior illius cognitio. Quò fit, vt in rebus dubijs diffiniendis plus senib. quam iuuenib. sit deferendum, & seniores, prouectioresq. iuniorib. in honorib. officijs, & dignitatib. non modo secularib. sed ēt ecclesiasticis anteferantur. Sic. n. & Plato *l. 3. de legib. & 5. de repub.* Constat, ait, seniores imperare oportere, iuniores autem subesse. Et Plinius *lib. 8. c. 5.* tradit in elephãtorum grege maximũ natu agmẽ ducere; Idẽ de formicis *in 6. de aïalib. c. 42. Aelian.* testatur. Ac veluti ignis ardot aquæ frigore tẽperandus est; sic in repub. cõseruanda iuuenũ libitis, ac temerarijs cupiditatib. senum prudẽtia moderetur oportet. Hinc illa laudabilis Gregor. Nazianz. vox, Laudo legẽ nauticã, qua nemo ad nauis gubernacula admittit, nisi prius ad remos sederit. Idem in republ. fieri debet, nam

A senibus Prisci sanctum dixere Senatum.

Nec immeritò quidã sapiens politicus hac de causa respublicas misere tuere asserit, quod iuuenes rudes, ignari & inexperti in Senatores, & Decuriones eliguntur, de qua re ille poeta conqueritur.

Roma vetus veteres dum te rexere Quirites,
Nec bonus immunis, nec malus vllus erat.
Defunctis Patribus surrexit praua iuuentus
Quorum consilio præcipitata ruis.

Vt. n. dicebat Xenophon, sicut nouelli Citharedi multas citharas pdũt, ita cupidi iuuenes rẽpublicam, vt plurimum euertunt. Proinde Episcopis, & his, qui regũt, accuratã in eligẽdis examinatorib. & alijs ministris discrimẽ habẽdum est, cum equisones facilè equos ad quæ singuli apti sint, quãti valeant, internoscãt, turpe est Rectorib. ministros suos discriminare nõ posse. Hodie vix quidquam frequẽtius videmus, quam indignos euehi dignos premi, ac occultari, sed quare? ob eã certè causã, quod neq. hos, neq. illos rectè norũt. De Marco Lepido dicere solebat Augustus, eũ Imperio dignũ, sed nõ illud affectare. Idẽ Xenophõ aiebat, se inuidere sapiẽti depresso, & cõmisereri stulto ad honores, & dignitates elato. *Tiraq. in præfat. de iure primogen. à n. 90. vsq; in fi. Menoch. cent. 6. de arbit. iud. casu 540. & de præsump. lib 6. præsum. 47. Roder. in qq. reg. tom. 3 q. 34. ar. 2. Holchot super sap. c. 4. lect. 49.* Negari tñ nõ põt, quin aliqñ à iuris regulis ex causa sit recedẽdum, cum fieri possit, vt qui iunior est annis, morib. tñ & disciplina sit conspicuus. Nã senectus venerabilis est nõ annorum numero cõputata, Et sępe. *Cani iudices sũt ætatis, haud sapiẽtia.* vt iure cum Plauto dicere liceat, *Nõ ætate, verum ingenio adipiscitur sapientia.*

Quippe sicut in propensione ad peccãdum malitia in aliquib. adolescentulis ætatem supplet. Sic ad consulendum, deliberãdum, ac iudicandum sapiẽtia in aliquib. iuuentutis annos antecedit, Hinc ille,

Parcite natales tumidi numerare Deorum
Cæsaribus virtus contigit ante diem.

Lor. super sap. c. 4. vers. 8. Io. Chech. l. 3 Polit. c. 5.

DE SECVNDA CONDITIONE EXAMInatorum, quę est timor Dei. Cap. III.

QVAESTIO X.

TIMOR DOMINI IN EXAMINATORIBVS requisitus, quis & quotuplex sit.

QVid est iste timor Domini, quem pro secunda cõditione supra dictum est in examinatorib. requiri? R. est timor ille, siue seruilis, siue filialis quo examinator perculsus iniustè agere refugit, cum cõsideret Deum, vt Iudicem, Dominum, & patrem vbiq. præsentem, & omnia intuentem. Et sanè qui incipiũt cum Deo familiariter versari, primum omnium hunc Dei timorẽm velut ex matris vbere lac sitiẽtes hauriunt. Hinc prima reconciliationis fundamenta iaciuntur, timor. n. iste expellit peccatũ, & in eo declinatur à malo, cum initium sapiẽtiæ sit timor Domini. *Eccl. c. 1. & Prou. c. 16.* Pergitur vlterius, qui namq. timet Deũ faciet bona, & per virtutis opera ad ipsum Deũ accedere incipiet, tẽtationibusq. & reb. aduersis se opponet, siquidẽ qui timet Dominũ, nihil trepidabit, & nõ pauebit, qm̃ ipse est spes eius. *Eccl. c. 15. & 34.* Sed vt huius cõditionis status rectius, & melius intelligatur, supponẽdum est, quinque esse timoris species, prout quidã est naturalis, quo quis naturæ instinctu aduersa, vt mortẽ, verbera, carcerem, supplicia, terribilia metuit, quo etiã Saluator noster passionis tpe nõ caruisse traditur. Sic & D. Paulum legimus hmõi timore, & formidine correptũ, cum ei caput à carnefice obtruncandum esset, ne gladij ictum quo feriẽdus erat, oculis corporeis cerneret, faciem velo obduxisse. *Marc. c. 14. gl. in c. nolite timere. 11. q. 3. Baro. tom. 1. anno Christi 69. fol. 628.* Et cum iste timor sit omnibus, etiam brutis à natura inditus, si est ordinatus, vt Theologi aiũt, indifferens est, nec illo meremur, nec demeremur. Circa quem moderandum fortitudinis virtutem sapientes posuerunt, &c.

Secundus timor huic affinis est mũdanus, quo qs ob mũdanas res, ac tẽporales, quib. tãquam fini inni-

innititur, à Deo disiungitur, vt cũ quis ne, vt dicunt, fortunæ bona, vel famam, vel honorem, vel alicuius potentis, seu magnatis gratiam, vel fauorẽ amittat, contra legem Dei, & propriam salutẽ agit. Vnde ab Arist. *in 2. Reth. & Vulp. in l. 1. ff. quod met. cauſ.* definitur naturalis, & mũdanus timor, vt sit ægritudo, vel trepidatio, ab oblata specie mali impendentis, q interitum, vel dolorem, seu aliquod aliud malũ afferre possit. Inter animæ passiones vilissimus est hic timor, ideoq. in vilib. hominib. vt mæchanicis, pueris, fœminis, & brutis animalib. vt ansere, & gallina, non in Aquila, & accipitre vigere solet, iuxta illud:

Degeneres animos timor arguit, &c.

Hoc timore affectus erat Petrus, cum Christum negauit, ideo illum, sicut & superiorem, vt malum reijcimus.

Tertio loco seruilis timor reperitur, quo quis ita legẽ punientem timet, aut seruat, vt solius pœnæ fugiendæ causa, legem adimpleat, & culpam caueat, & dicitur seruilis, eo quod proprius seruorum sit, q timore pęnæ, Domino obtemperant, hicq. illud vulgatum locum habet,

Oderunt peccare mali formidine pœna.

D. Th. 2. 2. q. 22. ar. 2. vbi Caiet. D. Ant. 4. p. tit. 14. c. 5. gloſſ. in l. 1. ff. de iuſt. & iure & in c. qui ex timore. ext. de reg. iur. Porro quamuis hic apud Deum non Mereatur, vtilis tamen est, quia ad charitatem viam struit, & filialem inducere solet, ita vt apposite D. Basilius *hom. in pſal.* 32. seruilem timorem isagogicum, hoc est introductoriũ appellet, & recte sapientes hunc timorẽ uirtutis elementũ dixerint. In medicinæ poculis amarum magis, quã dulce mederi solet; sic in animæ ægritudinibus sæpe timor est prima ad salutem via. *c. ſicut de pæn. d. 2. Conc. Trid. ſeſ.* 14. *c. 4. Iauellus in philoſophia Chriſt. tract. de ſeptem donis Spiritus ſancti. c. 2. Henriq l. 1. de pæn c. 21. nu. 4. Azor. p. 1. l. 1. c. 12. Sayrus in clau. reg. l. 1. c. 7. & aly.*

Huic annectitur timor initialis, cum quis nõ solũ timore pœnæ, sed etiam virtutis amore, & propter Deum dilectum à malo abstinet, & bonũ agit, ac ad præmij amissionem respicit; & hic, ad mercenarium pertinet, & dicit initialis, quia initium est ad Deum, & charitatem, veramq. iustitiam paulatim introducit. *gl. in c. eum qui. tit de prab. lib. 6.*

Postremum, sed tamen digniorem gradum vendicat timor filialis, quo homo Deum quem diligit, offendere timet; à quo per culpam separari veretur; & dr̃ filialis, quia in bonis filijs esse solet, qui ob reuerentiã, qua parentes prosequuntur, paternis mandatis obediunt: huius. n. timoris ea est natura, vt qs ex dilectione legem seruet, & ex amore iustitiæ, reuerentiæq. paternæ intuitu, peccatum auerfetur.

Aliter quippe coniugem timet vxor amans, aliter dominum ancilla peccans. Aliter adultera mulier virum suum pertimescit, aliter casta, adultera ne veniat, casta ne deserat. Qui quidem timor procul dubio optimus, ac perfectus est, quem & charitas in patria non excludit. *Pſal.* 18: *D. Th. 2. 2. q. 19. ar. 9.* Hic est timor quo examinatores eligendi fulciri debẽt, multa. n. bona secum affert. Primo ab homine peccatum tàm lethale, quàm veniale auertit. Timor. n. Domini, vt dixi, expellit peccatum, &c. Siquidem.

Cauſa puſilla nocet, ſapiensq́; nocentia vitat.

Et à minimis, & vilibus inimicis, quoq. timendum, exemplo Scarabei de Aquila vindictam sumentis probat Alciat. emblem. 168. A qua re non longe distat illa Salomonis sententia. *Eccleſiaſ. 7.* Qui timet Deum, nihil negligit. *Nig. de cur. min. p. 4. c. 5.*

Secundo ad domesticos hostes superandos plurimum valet; vt. n. D. Macarius dicere solebat, sicut naturalis timor materialiter carnes consumit, ita cęlestis, & supernaturalis, concupiscentias, & prauas cupiditates, ne quis ab illis vincatur. Et timenti Deũ licet cum securitate ẽt inter varia huius sæculi pericula versari, namq. nõ deest illa herba, quæ est cõtra omnem libidinem tutum antidotum. Proinde rogabat vates regius, Configẽ timore tuo carnes meas *Pſ. 118. Ropertus ſuper ſap. lect.* 193.

Tertio efficit in homine de futuris prouidẽtiam, & circumspectionem, timidus namq. res semper prudenter gerit, non declinans, nec ad dextram, nec ad sinistram. Extat Thucididis pronũtiatum, à Luciano laudatum *lib. de morib. philoſophorum*. Imperitia audaces, res autem excogitata, & considerata timidos efficit. Et Ephemenides Beata, aiebat, est ciuitas, quæ in pace bellũ timet, & q insidias formidat, in nullas incidet, vt propterea etiam Sapiens Prou. *c.* 18. exrulerit, Beatus est homo, qui semper est pauidus. &c. Sãcti quippe in hac vita trepidant, & oĩa opera sua tamquam dubia facta verẽtur. &c. *Sur. in vita S. Lutgardis 16. Iunij. Daur. in flor. exempl. tom. 1. c. 2. tit. 4. Fab. Iuſt. ſuper Tobiam. c. 4. verſ.* 23.

QVAESTIO XI.

AN OB NATVRALEM, VEL MVNDANVM timorem Examinatoribus fas ſit à proprio officio diſcedere.

Quæritur an ob naturalem, vel mundanũ timorẽ, causa. s. declinãdi mortẽ, vel aliquod aliud temporale damnum liceat examinatorib. ab eorum officio discedere, vt in ordine, vel munere audiendi confessiones indignum approbent, seu ẽt in beneficijs curatis minus digno contra propriam conscĩam suffragentur? R. quod non, constat. n. non debere eos quamuis ẽt vitæ discrimen immineret, & cuiuslibet rei iacturam subituri essent, officium suum intermittere, cum hoc munus suscipientes hoc se fidei, ac iuramẽti vinculo obstrinxerint, vt pueritate, iustitia, publi-

publicaq. utilitate tueda, nec sanguinis effusionē vereantur, nam ex D. Aug. & D. Tho. sententia, Quisquis metu cuiuslibet potestatis veritatem occulrat, iram Dei super se prouocat, quia magis timet hominem, quàm Deum. Et quamuis homo corporis proprij detrimentum, & rerum tpalium damna naturaliter effugiat; non tamen pp ista à iustitia recedere debet, aliàs timor inordinatus dr̄, qui damnandus est. *c. quisquis. 11. q. 3. D. T h. 2. 2. q. 19. ar. 3.*

Et sanè illud certum est apud oēs sapientes virtutem circa arduum, & difficile versari, ac proinde si quid præclare hoi in hac vita gerēdū est, opus illi esse generali fortitudinis instrumēto, quo impedimenta superentur, & extrema ēr pericula cum oportet, non formidentur; vnde D. Bernard. ad Eugenium. ep. 256. ait, Non est vir fortis, cui non crescit aīus in ipsa rerum difficultate. Atq. eò frequentiorib. votis hic fortitudinis spiritus à Deo implorandus est, quò magis illum in Dei ecclesia necessarium esse cognoscimus. Multos siquidem constat in varijs cætib. societarib. Senatib. religiosis ordinib. inueniri, quib. non deficit prudentia, nō deest bonitas, non doctrina, non diuini honoris zelus, sed non raro vacillat in illis animi robur, generosa mēs, ac christiana illa in ipso actu fortitudo, quæ quando tp̄s postulat, strenue se exercere debebat, ac publice, & priuatim tùm verbis, tùm factis ostēdere, nihil sibi antiquius esse, quam cōe bonum, ac Sancta Dei instituta intrepidè tueri, ac propugnare. Hæc est illa fortitudo, quàm veteres patrem esse vniuersæ uirtutis affirmarunt, cuius præclara exempla à Gētilib. proposita habemus, qui ne à iustitię tramite deflecterent, maximis se periculis exposuerunt. Verū tàm frequentia, & tam insignia eorum exempla in sacris historijs nobis occurrunt, qui ne mentirentur, ne fallerent, ne uirtutē desererent, ne Deum offenderēt, certissimo exitio se paratos ostenderūt. Eudoxia Imperatrice Arcadij coniuge per suos nuntios minas, ac terrores S. Io. Chrisostomo Archiep̄o Constantinopol. intētante, eo qđ eius iniquis cupiditatib. se opposuit, responsum est à suis quos miserat legatis, frustra illum hominem terres, nihil ille, nisi peccatum timet, S. Edmundi Archiepiscopi Cantuariensis vox erat, Malo in filire in ardentissimum rogum, quàm peccatum vllum sciens admittere in Deum meum. *Cardin. Paleot. de sac. Confess. conf. p. 2. q. 9. Stap. in Dom. Passionis textu 1. Marc. Ant. Gen. in Man. Past. c. 1.* Proprerea vt admonet Io. Iacobus Archiep. Salisburg. *in Synod. Prou const. 22.* Cum electio, promotio, atq; examē ordinandorum, tanquam res maximi momenti non segniter, sed summa fide, ac integritate, & solicitudine peragenda sit, memores esse debēt examinatores, quod si secus, quàm debent egerint alieni, se peccati, vt Apostolus loquitur, participes faciunt. Et quod sicut boni operis sibi comparat fructū qui rectum sectatur in eligendo Sacerdote iudicium, ita graui seipsum afficit damno, qui ad suæ dignitatis collegium subleuat indignum. Proinde nullam potestatem pertimescant, non præmij cupiditate corrūpantur, nihil odio moliantur, neq. amor, fauorue eorum obnubilet iudicium, sed eam mercedem expectent, quam ipsis dabit iustus Iudex in illa die, qua mali pœnis, boni vero præmijs afficientur. &c.

QVÆSTIO XII.

APPROBATIO MINVS IDONEI AD CVRAtum beneficium metu facta an valeat. &c.

AN approbatio minus idonei ab curatū beneficium ab examinatorib. metu facta valeat, labeq. simoniæ inficiatur? R. quod licet à graui lethali culpa non excusentur, eo quod oīa mala homo potius pate debeat, quā peccato cōsentire. *c. sacris. ext. quod met. cau. c. ita ne. 32. q. 5. D. T h. 2. 2. q. 125. a. 4. Sanch. lib. 1. de præcep. c.* 18. Valida tñ est, nec simoniaca; & rō potissima est, quia licet tàm vis, quā metus iniuriosam approbationem, vel collationē reddat, quæ gratiosa, & libera esse deberet; ipse tñ metus pretij rationem non habet; proinde & si iniustitiæ, & infidelitatis peccatū ab ipsis admittatur, præsertim cum per metum non ita dignus approbatur, nihilominus simoniæ noxam non contrahunt, nisi metus ex aliquo adiuncto pretij, vel pecuniæ rationem sortiatur, &c. Vt puta cum indigno, vel minus apto suffragantur, qm̄ probabiliter timent, ne se reprobent, aliquod graue damnum sibi fuisque, qui eidem potenti viro subiecti sunt, inferatur. *Sot. l. 9. de iust. & iur. q. 4. art. 3. Vict. in relect. de sim. nu. 25. Les. de iust. l. 2. c. 35. dub. 21. Bciap. 2. resp. cas. 2. Reg. l. 23. n.* 145. An aūt in hoc casu detr̄ appellatio, vide *Praxim Eccl. Neap. c. 66. Pasecium. p. 2. c. 5. nu. 17. & Vgol. de off. epis. c. p. 2. c.* 50. §. 13.

QVÆSTIO XIII.

AN OB MAGNATVM PRECES indigni approbandi sint.

QVid dicendum de examinatorib. qui ob magnatum preces, indignos, vel minus dignos ad ordines, confessiones audiendas, vel ad parochiales Ecclesias contra consciām admittunt? R. fatendum est eos in eadem naui nauigare, nā vbi eadem ratio militat, idem ius est constituendū, cum exploratum habeamus, armatas dici Principū preces, eo quod iustam inducant metuendi causam, maxime si in subditos sæuire soleār. In quam sententiā extar tritissimus ille versus;

Est orare Ducum species violenta iubendi.

Quò

Quò vergit illud, quod de Zenone illo stoicorũ Principe tradit Laertius, ad quẽ cum Antigonus Rex Macedoniæ literas misisset, quib. eum obnixe orabat, vt ad se proficisceretur, respõdens Zeno dixit, se id facturũ, quod iuberet Antigonus, nisi ętas obsisteret, cum tñ non iussisset Antigonus, sed orasset, sed Zeno preces pro iussu accepit. Idem cõprobat illud Ausonij ad Theodosium Augustum:

Scribere me Augustus iubet, & mea carmina poscit.

Plene rogans blando vis latet imperio.

Num ex Comici enuntiato.

Rogando cogit, qui rogat potentior.

Arch. in c. rogo. 11. q. 3. Tiraq. de temp. pæn. cau. 35.

Qua ratione authores non desunt, qui sentiunt importunas preces Principis, vel superioris, cui metum passus, absq. magno incommodo contradicere non potest, contractus iniros rescindere, & restituendi obligarionem inducere. *vide Sanch. de matrim. lib. 4. disp. 7. & 10. Les. lib. 2. c. 17. dub. 6.* Idem asserendum est de metu reuerentiali, qui mixtum inuolunrarium efficit, qñ. s. ea reuerentia metum incutit, & causa fuit, vt quis consentiret, timens superiorem, cui reuerentia debetur, non offendere, & contradicere non audens, siquidem quicunq. reuerentialis metus est causa principalis actus, sine qua haud fieret, illum coram Deo inualidũ reddit. &c. *Nau c. 17. nu. 30. Pet. Nau. l. 3. de restit. c. 1. dub. 7. nu. 332. Mol. tom. 1. de iust. tract. 2. disput. 135. Idẽ Sanch. l. c. disp 9. nu. 12. Bonac. de contract. dispu. 3. q. 1. puncto 2. nu. 10.*

Nunq̃ tñ examinatores, nec p importunas preces, nec per metum reuerentialem, qui Epis, vel eorum consanguineis debetur, ab officio suo discedẽt, sed mature oib. prius consideratis in suffragio suo ferendo vnquam amplectentur, quod conscientiæ suæ refragetur, sed eam vt ducem optimam sibi perpetuò proponent, quam sequantur. In hoc iudicio debent esse integri, ac recti, neq. vlla Epi, eiusque domesticorũ, seu procerum quorumcunq. commẽdatione, aut officijs moueri, cum admoneat Sapiẽs *Eccl. c. 7.* Noli quærere fieri Iudex, nisi valeas uirtute irrumpere iniquitates, ne forte extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in agilitate tua. Quippe timor iste reuerentialis dũ modo moderatus, honestus, decens, ac rationi cõgruus sit, cũ reuerentia, & obsequium superioribus, & his qui præsunt, præstatur; laudabilis est, & maxime fructuosus, efficitq. vt examinatores partes sustineant, quæ sibi impositæ sunt, sicut viros graues, ac prudentes decet; at vero cũ tanta est huius timoris vis, vt ipsos à proferenda sñia deterreat, tunc profecto omnem officij rationẽ euertit, maximumq. importat ipsis sacris reb. & negotijs, & aliquãdo vniuersę Christianæ reipub. detrimentum. Quare quoties illi id præstare recusant, quod eorum facultati cõmensuratum est, non hoc reuerentiæ obsequio, sed pusillanimitatis vitio, quod graui culpa non caret, adscribẽdum est. Aut certe non leue sumendum est argumentũ, eos immoderata rerũ retrenarum siti adactos metuere magis, ne caducis bonis excidãt, quam ne ꝙ sui muneris est deserant. Quandoquidem vt memoriæ proditum est; Duo sunt torto res humanæ vitę, amor, & timor, ille studio obtinẽdi, hic metu amittendi. Vnde quò ampliora quis apperit, eò timidior, ne spe excidat, redditur; si vero nihil sperat, nihil metuit, sublato hoc amoris immodici nexu, omnis illico trepidatio conquiescit, & securitas summa æquabilem illius, & mentem, & linguam perpetuo reddit, & comitatur. *Lælius Peregr. de affect. animi noscen. de timore c. 2. Palaot. de sacri consist. Consult. in conclus. membro 4.*

QVÆSTIO XIV.

AN PECCET, QVI OB SERVILEM amorem, honoris, vel quæstus causa examinat. &c.

AN q ob seruilẽ amorẽ, seu initialẽ timorẽ, honoris, vel quæstus tẽporalis gratia etiã in hac vita consequendi, hoc munus examinandi exercet peccet, & æterna mercede euacuetur? R. quod etsi honoris ac quæstus spes sit virtutis præmium,

Quis enim virtutem complectitur unam,

Præmia si tollas?

Non tñ tam vili fine licet tam nobile, & præstans munus exercere. Artis est, caute, vtiliterq. mercari, cuius prima obseruatio in intentione consistit, quæ si examinatori spirituali negotiatori deest, nihil efficiet. In spirituali negotiatione forma, ac nobilitas mercis, sicut & pretij dignitas ex ea pendet, si. n. praua intentione operemur, merces nostræ bonæ esse desinunt, fœdæ, ac turpes euadunt, si uero prænobilem intentionem adhibemus, præstantes, aureę, summique pretij fiũt; Vnde & Deus non tum rem ipsam considerat, quam intentionẽ, cum semitam nostram, & funiculum nostrum inuestigat. *Ps. 138.* Et vt ait ille sapiens.

Et genus, & formam regina intentio donat.

Tolle caput cerui, caput ouis, viscera cerui. i. cor.

Offerto ista Deo, deinde beatus eris.

Sicut terra pinguis ex modico semine vberem fructum affert, sic paruũ opus ex magna charitate profectum copiosam mercedem à Deo reportat, quod Dauid *Ps. 62* expressit dicens, Sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea.

Non in facto laus est ait Senec. *ep. 95.* sed in eo quemadmodũ fiat, Amico ęgro assidet quis, probamus, at si hæreditatis causa hoc facit, vultur est, cadauer expectat. Eadẽ & turpia, & honesta sunt, refert, quare, aut quomodo fiant. &c. Et recte monet

net D.Greg. *l. 1. mor. c. 20. in c. 1. Iob ad illa verba ne forte peccauerint fily mei*, qua ratione specialiter mercari debeamus, cum.n.intentio bona necessaria sit tùm ad bonitatem actuum, tùm maximè ad eorum excellentiam, & valorem augendum, vigilandum suadet, ne aut in primis initijs, aut in progressione, aut deniq. in fine degeneremus.

Bona nostra, ait, trib. modis antiquus hostis insequitur, vt.s. hoc quod rectum corā hoīb. agitur, in interni Iudicis conspectu vitietur, aliqn.n. in bono opere intentionem polluit, ut in actione purum non exeat.

Cum vero intentionē uitiare non præualet, in uia positos laqueos tegit, ut in eo quod bene agit, cor exaltans se ex latere ad uitium deriuetur. Cum uero, nec in exordio intētionis ferit, neq. in itinere actionis ītercipit, duriores ī fine laqueos tēdit. &c. *Combrec. de stud perfect. l. 2. c. 26.*

Examinatori ergo perfectionis studioso curandum omnino est, ut nihil vmquam in primis praua intentione faciat: praua autem aut sinistra intentione aliquid agit, qui uel aliud quærit, quàm Deum, uel quod ad Deum non deducat, ut qui finē aliquem, aut uitiosum, aut uanū, aut seipsum quærit; & in se ipso quiescit, in quo non est, quod quietē expectet. Quia fecisti nos Dñe ad te, ait D.Aug. *lib. 1. confess. c. 1.* & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. Porro se ipsum quæret examinator, cum ex officio suo honorem, vel temporale lucrum venabitur; quod omnino Ecclesiastico viro indignum est; quid.n. quò ad primum, magis absonum, & à recta ratione magis alienum, quàm in tā præclaro spirituali exercitio inanem gloriam, & vanum honorem, dulcem spiritualium operum expoliatorem, iucūdum animarum nostrarum hostē, blandissimū bonorum nostrorū deprędatorē, velle expiscari? Hoc maximæ dementiæ est, vt docet D. Gregor. *lib. 8 moral c. 25.* laboriosa agere, & auræ humanæ laudis inhiare, forti operi, præceptis coelestibus inseruire, sed terrenæ retributionis prēmium quærere, hoc est rem magni momenti, vili pretio venalem constituere. Qñquidem satis constat, vel grauiter Deum offendere, qui illū præcisè amat, uel ei seruit, quia bona spiritualia, seu temporalia ab ipso accipit, vel fore sperat, vt accipiat. *Syluest. in v. charitas q 7. Nauar. c. 11. num. 20. Ferrandus in Theolog. mor. p. 1. c. 2. nu. 7.* Vnde explicandi sunt Tridentini Patres dum *sess. 6. canon. 26. & 31.* definierunt, hæreticum esse eum, qui asserit, peccatum esse, virtutis actus ob retributionē exercere, fatendum est.n. licere nobis intuitu æternæ mercedis bene operari, secundario videlicet, & minus principaliter, minoris faciendo præmium, & remunerationem, quàm Deum remuneratorem. Cum iustus in omni sua bona operatione præcipua intentione Deum spectet, quem propter se diligit, cui propter semetipsum placere cupit, & conatur: merces verò & æternæ felicitatis retributio ex Dei bonitate cōsequitur, & omnibus contingit, qui Deum sibi bona fide, & bonis operibus demeruerint.

Atque etiam sic intelligendus est ille sacræ scripturæ locus, Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum propter retributionē, vt ibi per Franc. Titel. *Psal. 118. & DD. supracit.*

Concludo ergo, quò ad hanc partem, examinatores considerare oportere, prēclarum esse ministerium, non alijs præesse, sed prodesse, & nisi in magnos scopulos impingere velint, ita loci huius honorem, externam speciem, hominum obsequia, humiliationes, & postulata ita debere accipere, hisq. vti, vt de reb. oīb. huius mundi dictū est ab Apost. *1. ad Corinth. 7.* tamquam non vtatur. i. re uolatica, & fugaci, insuper etiam plena molestiarum, & seruitutis, imò re periculosa, multisq. lapsib. exposita, nisi hoc munus, ut instrumentum diuini obsequij, & publicę vtilitatis cum sancta humilitate adhibeant, indeq. certum habeant, se ualde in Dei obsequio profecturos cum hic nullum laborum suorum præmium ab hoīb. tulerint, auream illam Senecæ sententiam *epist. 82.* memoria repetentes. Virtutū omnium pretium in ipsis est; non .n. exercentur ad præmium: Recte facti fecisse merces est.

Siquidem labor sine præmio felix,
Honor sine honore beatus,
Felix sine pretio virtus.

Quò ad secundam partem, qua ob lucrum, & quæstum examinatore ad suum munus obeundum trahuntur, quis potest esse tam cęcus, quem illa. D. Bern. verba. *in hom. 1. Ecce nos relinquimus oīa.* illuminare nō queant? Quid hoc tantæ temeritatis, & insaniæ? Sponsa nec cubiculū ingredi, nisi Rege introducente prēsumit, tu vero irreuerēter irruis, nec vocatus, nec introductus: trahe me post te, ait illa, nunc vero trahit sua quemq. voluptas, & odorem turpis lucri sectantes quæstum æstimant pietatē; quorum certa est dānatio. &c. Quippe cōi noīe uitium auaritię est grauissimum, sic sacra admonente Scriptura, Auaro nihil est scelestius, & nihil iniquius, quam amare pecuniam. *Eccl. c. 10.* præsertim in viro ecclesiastico, qui in sortem Dñi est uocatus, vt proinde Tridentini Patres salubriter sanxerint. *sess. 24. de refor. c. 18.* ut nihil prorsus occasione huius examinis, nec ante, nec post accipere possint, quacunque etiam immemorabili cōsuetudine non obstante, ut sacra Congregatio censuit, alioqui simoniæ uitium tā ipsi, quā alij dantes incurrant. &c. Quinimmò eadem sacra congregatio quò maiori religione, ac integritate officiū hoc exerceatur, censuit, non posse ordinarium statuere aliquod stipendium, etiam minimū examinatorib. deputatis in synodo

synodo pro concursu parochialium, & si synodus diæcesana secus statuerit, decretum esse irritum, & nullúq. *de qua re dicam inf. in cap. 5. de 4. cond. examinatorum, vide interim Pet. Ledes. in 2 p. summa tract. 7. c. 1. concl. 7. & Gar. de benef. p. 9. c. 10. n. 374. Et quæ dixi in Comment. de hum. vitæ stat. p. 1. c. 13.*

DE TERTIA CONDITIONE IN EXAminatoribus requisita, quæ est veritas. Cap. IV.

QVÆSTIO XV.

QVID INTELLIGATVR PER VERITATEM in examinatoribus requisitam.

QVid intelligitur per veritatem, quæ Examinatorib. inesse debet? R. Per veritatem hoc loco innuitur, vt in proprio munere obeundo propriam conscíam nõ fallant, sed quod legib. præscriptum est, faciant, gratia absit, causam merita decernant, affectus illi ab eorum mentib. exulent, qui humanum iudicium peruertere solent, qui sunt amor, timor, odium, & munus, his versibis comprehensi.

Quatuor ista, timor, odium, dilectio census,

Sæpe solent hominum rectos peruertere sensus. Vnde & philosophus propter hoc ait, pauca Iudicis arbitrio relinquẽda esse, sed oĩa quò ad fieri potest legib. definienda, eo quod his passionib. facile à verò abducatur, nec animus veritatem satis videre, ac intelligere satis potest, vbi ista officiunt, & recto iudicio tenebras offundunt.

Neq. alia de causa legislatores voluerunt, sñiam à Iudice sedenti ferendam esse, nisi vt aduerterent, eum omnib. his affectionib. vacuum, cum oĩ animi tranquillitate iudicium ferre debere. Nam sicut vbi gustus morbo infectus est, dulce amarum iudicat, & è contra, ita cũ intellectus spirituali morbo laborat, vehementer in spiritualium rerũ, & veritatum iudicio hallucinatur. Imò ipsa quoq. intellectus acies in eo maxime acumen suum exercet, vt rationes excogitet, quib. id quod affectus, vel passio cupit, pbare possit. Hinc illa vulgo iactata sñia, Quod vult, non quod est credit, qui cupit errare. *Arist. in 1. reth. D. Greg. relatus in c. quatuor. 11. q. 3. gloss. in c. æterni. de re iud. lib. 6. D. Ant. 3. p. tit. 11. c. 1. §. 2. Muretus orat. 12.* Verũ ut q velitas in examinatorib. requiratur, patefiat, & rectus quæstionis status intelligatur, supponendum est, duplicem esse veritatem vnam rei, conscientiæ alteram. Veritas rei illa dicitur, quæ cum ipsa re conuenit; adeò vt quod asseritur, ita re ipsa sit, cum veritas sit adæquatio rei ad intellectum. Veritas conscientiæ illa nũcupatur, q sive ipsi rei cõforma sit, siue nõ, eiusmodi tñ esse existimat; quare nõ put est, sed prout opinamur, asseritur. Hæc cõscientiæ ueritas triplex esse potest. Prima cum quis aliquid notum habet tanquam Dei minister in sacramentali confessione. Secunda, cum vt persona priuata aliquid nouit. Tertia cum quis vt persona publica aliquam veritatẽ cognitã habet, videlicet per legitima testimonia, seu sufficientia indicia, seu, ut aiunt, per acta allegata, & probata in iudicio.

Secũdo rursus pmittendũ, duplicẽ dari ueritatẽ, put quædã in dictis, & altera in factis cõsistit, sicut & mendacium circa uerba, & facta uersatur. Mendacium n. dr̃ uerborum iniquitas, cum. s. inter mentis conceptum, & dictum æqualitas nõ reperitur, qđ quidem rectæ rationi repugnat, cum loquela ad alium vsum utatur, quàm à Deo statuta fuerit, siquidem voces debent esse notæ eatum, quę sunt in anima passionũ. *c. ille ergo. 22. q. 2. l. labeo. ff. de sup. pel. legata. D. Thom. 2. 2. q. 110. ar. 1.* Secunda factorum peruersitas dicitur mendacium, à ueritatis uirtute alienum, sicuti est simulatio, qua id quod non est esse significamus; mendacium namque est Christianum se dicere, & opera Christi nõ facere, Episcopum, Sacerdotem, Monachum, uel Clericum se profiteri, & contraria huic ordini operari. *c. cauete. 22. q. 5. DD. in l. de quib. ff. de legib. Holchot super sap. lect. 86. c. 6. vers. 25.* Insuper & tertio loco notandum, ueritatem in tres alias species distingui solere, uidelicet uitæ, iustitiæ, & doctrinæ. Prima ad omnes homines spectat, nã quilibet tenetur ex præscripto diuinæ, ac christianæ legis uiuere; si quidem christiana respub. perfectionem suam super duas bases fundatam habet. s. ueritatẽ, cui respub. & omnium eius partium perfectio innititur; super eã namq. legum humanarũ rectitudo cõstruitur; verborum nostrorũ candor, promissionũ fides, cõmerciorũ synceritas mutua hoĩum inter se societas. &c. ex ea pẽdet. Et uirtute fulcit, quæ nos ad operandũ per rationis lumen, uel per ueritates à Deo reuelatas impellit. Veritas iustitiæ Prælatos, & Magistratib. in uindictam malorum institutis competit. Veritas uerò doctrinæ ad Doctores, concionatores, & confessarios, & examinatores. In dicandi, & docendi munere fungentes pertinet, ob id. n. in ueteri lege *Exod. c. 28.* præcepit olim Deus, ut Aaronis rationali duo hæc uerba, tanq̃ symbolũ quoddã inscriberent, doctrina, & ueritas, per hoc significare uolens Ecclesiæ ministros sapiẽtes, & doctos esse debere. *c. qui ecclesiasticis d. 36. c. qui scandalizauerit, vbi gl. & DD. ext. de reg. iur.*

QVAESTIO XVI.

AN EXAMINATORES, QVI CONTRA veritatem indignum approbant, contra charitatem, & iustitiam peccent.

AN examinatores qui contra hanc conditionẽ ueritatis indignum uoto, uoce, uel scripto, se appro-

approbasse palam faciunt, peccent contra legē charitatis tantum, an vero & cōtra iustitiā delinquere dicantur? R. Non charitatis tm̄, sed & iustitiæ leges in hoc casu violari dubium non est, cum contra fidem agant, quam publica iurisiurandi religione firmarunt; siquidem fides, quæ vt ait Cicer. *lib. 1. off.* est dictorum, conuentorumq. constantia, & veritas, & quæ circa legale debitum versatur, nulla ratione à iustitia separatur, imò est ipsa iustitia, atq. adeò per omnes huius virtutis materias diffunditur. Si videmus hoc veritatis tuēdæ decus tanti apud Gentiles factum esse, vt cum aliquando liceret culpam, vel dissimulare, vel errorem defendere maluerint tū eas pœnas etiam proprij corporis supplicio subire, quàm vt fraus iustitiæ, ac veritati fieret, vt de Zeleuco, & Charonda tradit Cicer. *in 2. de legib.* quid à christianæ religionis cultorib. Ecclesiasticisq. viris obseruādum erit, qui ad hoc legale debitum initio suscepti officij, publicam fidem iusiurando adiunxerunt, quo quidem se munus suum fideliter executuros spoponderunt. &c.

Quandoquidem notū est, ex sanctione Cōcilij Trid. *sess. 24. de refor. c.* 18. in diœcesana synodo sex adminus examinatores nominatim, & in particulari ab ipsa probatos eligendos esse, qui potissimum promouendos ad curata beneficia examinent. Quos iurare oportet tactis euangelijs, se mandatum munus sanctè, & integrè quacunq. humana affectione postposita expleturos; atq. in synodo Prouinciali, sui officij rationem, si opus fuerit, reddere coguntur. &c. Ex hac assertione illa quoq. positio consequitur, vt supra alias obseruauimus, contra iustitiā, & veritatem ipsos examinatores delinquere, restituendiq. Ecclesiæ, dignoq. illa damna obligationē subire, si in concursu indignum Rectorem eligant. Imò & ex aliquorum sñia, si digno prætermisso, digniori suffragentur, nisi sac. Congregationis declaratio obstaret, quæ dignioris iudicium, sicut etiam quò ad uitam, & mores non ad examinatores, sed ad Episcopos refert. *D. Thom. 2. 2. q. 63. artic. 2. vbi Salon. Bannes, Arag. Pet. Nau. lib. 3. de restit. c. 2. nu. 132. & alij, quos refert Garz. de benef. p. 7. c. 16. num. 30. Leo in Thes. fon. eccl. p. 2. c. 18. nu. 33. Nald. in v. Examinator.*

QVAESTIO XVII.

AN CONTRA VERITATIS VIRTVTEM peccent Examinatores, qui suffragium illi denegant, cui fauere promiserunt. &c.

AN peccent contra hanc virtutē ueritatis examinatores, si cum ab aliquo magnate, vel aliquo amico viro postulantur, vt alicui in examine faueant, suffragiū suum uerbis liberaliter spondent, si postea in ipso examinandi actu, datis uotis illum reprobēt, eo quod indignum, vel nō idoneū iudicauerint? R. quod non, si illa generali conditione in mente retenta promiserint, qñ. s. dignus inuentus fuerit, ea namq. moralis, vel ut alij dicunt, curialis promissio non habet uim, nisi ex uolūtate, & intentione promittentis, quam expressè, uel implicitè dūm spondet, in mente tenet.

Sic C. Cotta dicebat, se operā suam in eo, quod non contra officium peteretur solere oīb. polliceri, sed illis tantum impertiri, apud quos iure poni arbitraretur. Vespasianus cum plura polliceretur, quàm præstaret, dicebat non licere quemquā à vultu Principis tristē discedere. Pythagoras interrogatus qua ratione hoīes Dijs similes fieri possent? respondit, si ueritatem amplecterentur, & cunctis quatenus liceret, benefacerent. Pericles amico roganti, ut pro se falsum diceret testimonium, se quidem & ipse amicum esse dixit usq. ad aras. Sentit autem prudēs uir, eatenus amicis benefaciendum, quatenus iustitia, æquitas, ueritas, & propria conscientia permittit. Veritas Iudici dupliciter inesse debet, ait Thesaurus *in Præfat. ad decis. Pedem. nu.* 28. Primo ut sit ueritatis amicus, & illam exquirat, qñquidē ueritatis sectatores Deo similes efficiuntur. Secundo ut in iudicio, & uoto suo ueritate ipsa utatur, & uotum nullo affectu motus proferat. &c. Quippe aliàs apud Ægyptios pomum persicum cum adhærescēte folio huius ueritatis, ac sinceritatis symbolum erat, eo quod ea species linguam cordi coniunctam ostendat, ac proinde sermo cordis ipsius penetralia adaperiat, nec aliud sentiat, aliud proloquatur, & candorem in omnib. quà verbis, quà factis præseferat, ut alij sentiant, clareq. uideant, nihil in uerbis fictum, nihil ad cuiuscunq. gratiā compositum, atq. adeò omnem simulationem, omnemq. politicam agēdi rationem ab eo exulare. &c. *Pier. Val. in hieroglyph. lib. 54.*

QVAESTIO XVIII.

AN EXAMINATOR POSSIT ILLVM approbare, quem parum sufficientem repperit?

POterit ne examinator illum secūdum ueritatē approbare, quem non sic sufficientem quò ad sciētiam repperit? R. quod & si literis carens nullatenus ad ordines sit admittendus; parum tñ sciens promoueri poterit, si spes affulgeat, quod in futurum proficere possit. Quoniam minor eruditio ad sacerdotium sufficere uidetur. Primo si sit pauper, nec habeat unde studia prosequatur. Secundo si nō sit tam expedito ingenio donatus, & alijs sacris ordinibus iam sit initiatus.

Tertio si sit ualde iuuenis, & bonæ indolis, &

pro-

probabiliter,ut dixi,speretur, quod ob improbum laborem,qui oĩa uincit,in futurū doctior fiet. &c. *Innoc.in c.firmiter.ext.de sum.Trin.& fid.cath. Dominicus in c.si pauper.tit.de praben. in 6 Gra.lib.3. decis.aur.c.2.num. 24.Gonzales gl.4.nu. 8. Bellett. in disqu.cleric.par. 1. §.4.num.4. Azor.par.2.lib.6. quaest. 5.*

QVAESTIO XIX.

EXAMINATORES NVM EXAMINANDVM ea docere possint, de quibus interrogandus est.

AN salua religione,ac veritate, liceat examinatorib.edocere,vel instruere eos,qui examē subituri sunt? R.in beneficijs cunctis id valde periculosum esse,etiā si in genere de reb. ad conscīam spectantib.erudiantur.&c. Vnde in Archiepiscopali Bonon.*p.4.tit.de examine p cōcursum.* cauetur,ne ipsi examinatores sub pœnis arbitrio Ordinarij infligendis,& periurij periculo,quemquam ex descriptis à die, quo edictū propositum fuit, edocere de examinib.habēdis,instruere,vel exercere audeāt. Ab iniustitia tñ,& culpa vendicandus vř examinatorille,qui sine dolo,bonafide, & ex charitate doceat contractuum,sacramentorū,censurarum, & hmōi materiam,vel modum, qui in examinando obseruari solet, modo in perticulari, vel in specie non præmoneat,instruatue, de quib.cum interrogaturus sit. Nec culpandi sunt quidā Epi, qui generalia quædā principia proponere, & promulgare solent,de quib.interrogationes fiāt,& sup quę examen formari consueuit.&c.*Vgol.de simon. tab. 1.c. 48.§.3.* Attamen examinatores,q in diœcesanis synodis constituuntur,vt eorum qui parochialib. Ecclesijs præficiendi sunt examen ineant, & ex vsu vbiq.fere recepto,ad alia examina adhiberi solēt, iusiurandi,quo se obstrinxerūt, memores, caueāt, ne quemquam,qui sui periculum facturus sit, vlli collegarum commendent,&amicitiæ causæ alteri gratificentur,sed omni humana affectione postposita,munus susceptum sanctè,religiosè,ac prudenter administrent, fixum illud in animo semper habentes, Deo in primis seruiendum,propriam conscientiam nunquam fallendam,& munus vnicuiq. assignatum fideliter exequendum. Propterea vt tuto incedāt pede.has nostras pceptiones sæpe legāt, quid.n.sperari ab eo boni possit,qui ignarus impositi sibi est muneris? & quid expectare ab his possumus?nihil plus,quā ab imperito nauclero secundum cursum, ab ignaro auriga felicem progressum.&c.

QVAESTIO XX.

AN ILLVM REPROBARE DEBEANT, quem priuata scientia idoneum sciunt, quem tamen in publico examine non aptum deprehendunt.

VTrum examinatores teneantur illum reprobare,quem priuata scientia, ut quia domi eius peritiæ periculum fecerunt, quē in tñ publico cætu coram alijs collegis,minus idoneum,& ignarum in responsionib.deprehenderunt? R.huic quæstioni facilè obuiā iri pōt ex illo generali axiomate,qđ Iudex iudicare debet sm allegata, & probata,ac subinde veritatē illam sequi,quæ sibi tanquā Iudici,& personæ publicæ communitatis vices gerenti nota est,quæ illa vř esse,quæ ex confecto processu,& actis legitimis constat; licet contrariū ipse tanquam priuatus esse cognoscat, ac certo sciat, cōis est opinio vera,& in praxi seruanda.*l.illicitas. §.veritas.ff.de off.Præsid.c.Pastoralis, vbi Abb. Felyn.& alij.ext.de off.deleg.Nau.c.25.n.9.& 10.Tolet.l.5.c.56.Sanchez.l.1.de præcep.c.9. nu. 48.Caiet. Bannes,Salon.& Arrag.in 2.2.q.64.ar.3.Sayr. in claui reg.lib.12.c.8.nu.13.Ghisler.de Iud.regul. c.3.nu.9.& alij multi.* Iudicare ergo, uel probādo, uel reprobando ex scientia, quæ ex publico scrutinio constat,examinator tenetur. Si tñ conscientię perplexitate agitetur,& illam per se, uel per alium deponere nequeat, à uoto dando ei abstinendum esset,cum certum sit,nemini cōtra propriæ conscīæ dictamen agere licere.*c.per tuas.el 2.ext. de simon. c.fin.ex.de præscrip.c.literas.de rest.spol. fusè. idem Sāch.l.1.de præceptis.c.11. Vt inf.tract.5.c.9.q.62.*

QVÆSTIO XXI.

VTRVM REPROBARE DEBEANT QVEM notitia in sacramentali confessione habita indignum sciunt. &c.

AN tuta consciētia, ac veritatis lege fas sit examinatorib.illum reprobare,quem ex sacramentalis confessionis notitia indignū esse cognouerint, vt qa sciāt eū esse corruptis morib.imbutū,& perditæ vitæ vitū,vt merito timendū sit,ne Christi gregi detrimentum sit allaturus.&c. R.non licere uti extra confessionem scientia per confessionem comparata,sed se gerere debere examinatorem, q aliquando illius,quem examinat,confessionem excepit,ac si nihil in illo sacro tribunali sciret,sibique persuadere par est, vt sicut humanarū retū regimē ab hoc sacramento longissime distat, ita oportere nullatenus ab eo pendere. Vnde Clemens VIII. in Decreto de casuum reseruatione pro regularibus

edito anno 1594. die 26. Maij, prudenter admodũ statuit, ut tàm Superiores pro tempore existentes, quàm confessarij, qui postea ad superiorem gradũ fuerint promoti, diligentissimè caueanr, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad externam gubernationem vtatur. &c. *Mart. Del. disqu. mag. l. 4. c. 1. sect. 2. Sanch. de matrim. lib. 3. disp. 16. nu. 3. Vgol. de off. episc. p. 2. c. 48.* §. 9 Quæ sententia probabilior est, & tutior, & religioni, ac reuerentiæ huic sacramento debitæ magis consentanea, ac proinde amplectenda. *vide inf. tract. 5. c. 21. q. 138.*

QVAESTIO XXII.

AN CRIMINA AD ANIMARVM CVRAM promouendi alijs Collegis detegere debeant.

NVm examinator ex hac veritatis vi teneatur Epõ, vel Vicario, vel alijs Examinatorib. Collegis crimina, aut impedimẽta sibi extra cõfessionem nota detegere, quę ad animarũ curam promouendis obstare uidẽtur? R. si fraterna correctio pro futura non credatur, teneri ea crimina Epõ denuntiare, ex quib. publicũ detrimentũ inde manare possit, veluti si ꝓmouẽdus sit rixosus, adulter, cõcubinarius, aleator, fœnerator, furiosus, vel energumenus, & alijs hmõi criminib. sit implicitus, atq. inueteratus. Quod si Episcopo facta denunciatio, ut patri non proficiat, alijs eriã, ut dixi, Examinatorib. quò à suffragijs arceatur, fieri poterit, imò & debebit. Qua in re illud primo, & vniuersè spectandũ est, ut nulla praua affectione, ac simultate ductus, sed cõis tantum vtilitatis studio, sanctoq. zelo permotus, id officij pręstet: studiose cauendo, ne deliberationi priuata commoda misceantur, cũ ex Taciti, & Liuij snĩa, Pessimũ veri affectus venenum sua cuiq. sit vtilitas. Secundo vt quando casus accideret, omnia maturè, ac sapienrer considerentur, ac circũspiciantur, ut ea prudentia, ac dexteritate procedat, quò publico bono, & proximi famę, quò ad fieri poteſt, consulatur. *D. Ant. 2. p. tit. 9. c. 6. §. 4. D. Thom. quomodolib. 11. ar. 13. Nauar. c. 18. nu. 30. & 56. & c. 24. nu. 14. Card. Palaot. p. 4. de sacri consist. consul. q. 2.*

QVAESTIO XXIII.

QVONAM DICENDI GENERE IN PROferenda sententia vti debeant.

CVm examinatores in publico cętu interrogare, & examinare cõtingit, vel snĩam suam de aliqua re rogãtur, quo genere sermonis vti debẽt? R. qm̃ veritas in paucis consistit, vt simplex est eius sermo, simplici, ac laconico vti debent, nec longa, & prolixa oratione tp̃s conterent. Tria in locutione seruanda, *ait D. Bonauent. de processu relig. c. 1.* Primo vt tardus sis ad loquendus. Sercundo circũspectus. Tertio breuis, & ita peritus in verbis, sicut auarus in nummis suis. Quippe in nummo sculpturæ elegantia non spectatur, sed põdus, ac materia. Ita non refert, quam sit elegans oratio, sed q̃ grauis, breuis, ac vtilis. Vtẽdum sermone, vt pecunia, cui publica forma est, alioqui si peregrinũ, & obscurum offeras, respuctur, nihil. n. odiosius affectatione. Ob eandem, vel similem causam obiurgatũ legimus Triphilium Lodrensem Epm à S. Spiridione Apostolici spiritus viro, cũ namq. is pro grabato, de quo in Euangelio fit mentio, Scimpodem hoc est lectum humilem dixisset, indignatus Spiridion, tu ne, inquit, melior es Christo, qui dixit grabatum, quod eius verbis vti pudeat? &c.

Proinde eis cauẽdum, ne adeò exactè, ac exquisitè, quæ dicenda sunt, contexant, vt quod Plutarchus in Politicis dixit, ad perpendiculum sermo cõpositus, lucernamq. olere videatur; cum vt ait & ille Iureconsultus, Veritas nõ uerborũ prolixitatẽ, & nitorẽ, sed ꝑspicuitatẽ, & simplicitatẽ desideret, & rerum optimarũ inuentio ẽtsi verborum lenocinijs destituta sit, satis cum natura sua ornetur; atq. in oĩb. tàm docendis, quàm dicendis sermones secundum subiectam materiam sint instituendi. *Neuiz. in sylu. nupt. l. 1. nu. 13. Rolan. à Valle vol. 2. cõs. 39.*

DE QVARTA CONDITIONE IN EXAminatoribus requisita, quæ est auaritię fuga. Cap. V.

QVAESTIO XXIV.

CVR EXAMINATORES AVARITIAM odisse debeant.

CVr pro quarta conditione, & qualitate quà examinatores prȩditi esse debent, exigitur, vt auaritiam õderint, & manus abstinentes habeant? R. Hac de causa in eis sicut & in alijs quibuscunq. officialib. & iustitiæ ministris maximè desideratur, vt auaritiam odio prosequantur, eo quod ipsa sit omnium vitiorũ radix, & fomentum, vniuersæ improbitatis metropolis, & maximus iustitię scopulus. Certè reste sapiente *Eccl. c. 10.* Auaro nihil est scelestius, & nihil iniquius, quàm amare pecuniam, hic. n. & animam suam venalem habet. Quod. n. quæso iudicium in eo, qui pecunijs semꝑ studet? quod consilium in deliberationib. cuius mens accumulandis thesauris accẽditur? Imo quæ fides in eo esse poterit, qui bonũ publicum spernit, priuatum solicitè quærit, & ambit?

Id

Id nempe dicis omnium quod est caput,
Malorum, auaritiam mihi cum nominas, ait ille.
Quod & Iuuenalis poeta animaduertit,
Sed qua reuerentia legum?
Quis metus, aut pudor est vmquam properantis auari?
Meritò ab Apostolo Doctore gentium. *1. ad Tim. c.6.* Philargyria radix omnium malorum vocatur; nam vt ex virtute radicis pullulāt stirpes, rami, frōdes, flores, atq. fructus; ita à vitio cupiditatis enascitur pecuniç amor, seruitus, cultus Dei cōtēptus, proximi odium, iudicij corruptio. Quid quæris? pnuntiauit Salustius in Catil. Fidem, probitatem cæterasq. bonas artes subuertit auarus, pro his superbiam, crudelitatem, Deos negligere, omnia venalia habere docet. Vt non minus verè, quam prudenter Illustrissimus quidam Cardinalis interroganti aulico, cuius maximè esset fidele consilium? Aurum responderit contemnentis. Et Demosthenes asseruerit, Non esse apud eos, quorum oīa studia, & cogitationes ad auaritiā referūtur, quidquā vel firmi vel sancti. Quapropter & Chilon sapientissime dixisse putatur, cum monuit hoīum bonitatem ita auro probari, vt aurū lydio lapide. Ostendit. n. per multos qui alijs vitijs restiterunt, opum, & diuitiarū ministerio multoties à virtutis tramite deduci, & sicut lapis index affrictu prodit, quale sit aurū, ita ipsā pecuniā arguere, quale sit hominis ingenium, iuxta illud, Magistratus virum ostendit. Verè Summus Pontifex Greg. X. *in c. auaritiæ. tit. de elect. lib. 6* auaros ęris auidos cęcos appellat, eo quod agenda non uideant, & à sibi uetitis non abstineāt; qualis inter alios fuit Vespasianus Imp. qui cū rapacissimū quemq. ad honores, & dignitates promoueret, & mox ditatos condemnaret, vulgo dictus est officiarios suos habere pro spongijs, quod velut spongias, ac siccos madefaceret, & humentes exprimeret, ipse in maxima miseria, ac cæcitate viuens, & in infelicissima, & deterrima calamitate moriēs. Vn̄ est illud cōtra sordidos auaros,
Diuitias locupletis habes, inopis tibi mens est,
O miser hæredi diues, inopsq́; tibi.

QVAESTIO XXV.

AN AVARITIAE VITIVM IN EXAMInatoribus, & alijs Ecclesiasticis inueniri possit.

HOc auaritię vitiū inuenirine poterit in Examinatorib. & in alijs ecclesiasticis ministris? R. Torsit equidem semper, & torquet adhuc mortalium animos pecuniæ studium; & cum seculares viti illud affectantes officio suo deesse existimētur, tùm verò maximè Ecclesiastici, in quib. non immeritò cæcæ auaritiæ crimen sordidius habetur. *DD. in c. auaritiæ, de eccles. in 6. Cassian. lib. 7. de spiritu philarg. c. 1. Marc. Ant. Columna de eccles. redd. p. 2. c. 12. Lud. de Ponte. de Christ pfect. tom. 4. tra 1. c. 9.*

Et ut uerum fateamur, quod rerum magistra experientia palam facit, hæc im moderata congerendæ pecuniæ sitis præter affectā ætatē plerumque ētex nimio erga propinq uos, & consanguincos affectu, quos opibus ditare, & redditib. cumulare cupiunt, proficisci solet, prout a Tridentinis Patribus. *sess. 25. c. 1. de refor.* cauetur, dum admonent, ecclesiasticas personas, vt omnem hunc carnis affectum erga fratres, nepotes, aliosq. coniunctos, vnde multorum malorum in Ecclesia seminarium extat, penitus deponant. Quæ uero grauiora dāna esse possunt, quàm eos quasi suarum dignitatum hæredes facere, aut illis, uel indignis similes alias procurare, & pene primogeniturā in eis erigere, & ut eos augeant, eleemosynas pauperib. debitas denegare, indigna in suis munijs admittere, &c. perinde ac si proprij essent filij, ex quo ortū habuit illud decantatum carmen:
Cum factor rerum priuaret semine clerum,
Ad Satanæ votum successit turba nepotum.
Cuius sensus est, cum Deus prohibuisset clericos vxores habere, & filios procreare, Satan ut sui uoti compos euaderet, filiorum uice nepotes cōstituit, qui non minus eos in uia domini impediunt, & ab officio retrahunt, quàm si proprij forent filij.

Hinc cum Saluator noster matri suę dixisset, qd mihi, & tibi est mulier? *Marc. c. 3. & Luc. c. 8.* SS. Patres adnotarunt, grauissimam hanc esse instructionem eorum, qui ecclesiasticam uitam amplexi sūt, ut in spiritualib. negotijs, & in his, quæ illorum gradus sunt, propinquorū affectione, ac carnis cognatione non ducantur, &c. In Salomonis Prouerbijs. *c. 15.* dr̄, Conturbat domum suam, qui sectatur auaritiā. Profectò Sacerdos qui auaritia pollutus est, omnia in Dei Ecclesia perturbat, diuinum cultum negligit, & uniuersæ Ecclesiæ statum plerumq. affinium, uel cognatorum causa peruertit. *Lud. de Ponte l. c. §. 2. Ludul. de vita Christi. p. 1. c. 68.*

QVÆSTIO XXVI.

AN MVNERA SPONTE OBLAATA ab examinandis accipere queant.

CVm ergo auaritia sit tot, ac tantorum malorum parens, ut proinde ab Examinatorū animis abesse debeat, quęritur, an munera sponte oblata ab his, qui examen subituri sunt, tuta cōscientia, ac salua religione accipere eis liceat? R. Si auaritię, & simoniæ labe immunes esse uolunt, à munerum acceptione abstinere debēt, qnquidem nihil æque animum apium est seducere, ac peruertere, ut dona, qd̄ ostendit S. Scriptura, tùm alibi sæpè, tùm

exemplo filiorum Samuelis, de quibus scriptũ est. 1. *Reg.* 8. Declinauerunt post auaritiam, acceperũt munera, peruerterunt iudicium. Vbi optimè S. Gregor. notat, quod auaritiæ ardor causa est accipiendorum munerum, & acceptio munerum causa est peruertendi iudicij. Hinc & regius uates. *Psal* 25. In quorũ manib. inquit, iniquitates sũt, & subditur causa, Dextera eorum repleta est muneribus. Vt bilanx in eam uergit partem, ubi plus accipit, Sic quidam nunc huic, nunc illi fauent, qui plurimũ det, non cuius optima sit causa: proinde apud veteres extabat adagium, Faba nummus, quo corrupta suffragia significabantur, olim enim vt nunc etiam alicubi seruari solet, vota fabis ferri solebant. Quod innuisse Pythagoram non nulli existimant, cum fabas edere vetabat. &c. Ephialtes Magistratum gerens pauperrimus fuit; attamen cum amici decem talenta illi dono darent, ea sumere noluit, Hæc, inquiens, me fortè cogerent aliquid præter ius concedere, Sin minus vobis gratificarer, ingratus existimarer.

Memorabilia exempla refert. D. Bernardus *de consid. l.* 4. *c.* 8. de quibusdam Epis, qui munera repudiarunt, & remiserũt, quò in munere suo obeundo liberiores essent, siquidem nihil adeo integritati vitę, atq. sinceræ ministeriorum exercitationi officit, quàm munerum sumptio; vetus namq. est prouerbium vulgo iactatum, Beneficium accipere, libertatem vendere est. Grande hoc malum est eòq. nocentius, quò sub amaris, ac beneuolentiæ testatione mollius illabitur, ante nimirum venenũ præcordia occupauit, quàm bibisse nos sciamus, neque .n. ad animorum obstrictionem potẽtius quidquã in humanis reperitur, vt vinculis iam tanquam validissimis compedib. constrictum teneas, quem muneib. quasi retib. deuinxisti. Et verò certius etiam beneficijs hostem, quàm armis fregeris. Ingens omninò vis munerum, quæ, vel seuerissimos Iudices nulliusq. minis, purpura, ac ne propinquo quidem sanguine à recto flectẽdos ab innata seueritate, & æquitate dimouit; vt munus in Iudice accepisse, pe viciffe sit, adeò ut verè ille dixerit, Oblatio muneris tinea est regiminis, *c. pauper, q recte.* 11. *q.* 3. *Nau. conf.* 1. *tit. de rap. Peraldus in summa vitiorum tom.* 2. *c.* 5. *de auaritia. Gen. in Man. Past. c.* 16. *Plat. de Card. c.* 11. *Choc. in aphor. polit. l.* 3. *c.* 19. *Scriban. in med. relig. l.* 3. *c.* 26.

In suo ergo munere exercendo, dicendaque de vnoquoq. snia, tam in examine ordinum, confessionum, beneficiorum, &c. integritatem, iustitiãq. tum maximè abstinentiam, præstare examinatores debent, sic vt neq. ante examen, neq. post, èius rei causa accipere quidquam possint; quod adeò religiose retinendum, obseruandumque illis est, vt si secus fecerint, tam ipsi, q̃ qui largiti aliq̃d fuerint, turpis corruptelæ, atq. adeò nefatię simoniæ crimen ex auctoritate Cõc. Trid. *sess.* 24. *de refor. c.* 18. ea lege cõtrahãt, ut neq. ab eo absolui crimine, nisi beneficijs, si qua habent amissis, neq. beneficia ipsa amplius recuperare, aut in posterum adipisci possint, & præterea facti rationem, vt in præcedenti capite aiaduertimus, in synodo reddẽt, à qua pro eius merito punietur. *Grat. tom.* 3. *discept. forens. c.* 561. *nu.* 21. *Vgol. de simon. tab.* 1. *c.* 48. §. 3.

QVAESTIO XXVII.

AN ETIAMSI STIPENDIA VLLA SINT assignata, dona capere eis liceat.

Videtur dicendum, examinatores quib. nullũ stipendium, vel nulla merces ab Episcopo est constituta, munera tuta conscientia accipere posse, cum omnis labor optet præmium, & dignus sit operarius mercede sua. *c. cum secundum Apostolum. ext. de præbendis.* Vnde in Concilio prouinciali Compostellano *act.* 2. *decr.* 3. statuitur. Examinatoribus munus suum ex eiusdem Concilij sententia fideliter exequentib. æquam laboris mercedem Prælati suæ rectæ conscientiæ arbitrio inbeãt persolui, quæ omnia expensis beneficij vacantis fieri debent. Et in *Conc. prou. Tolet. act.* 2. *decr.* 24. idẽ sancitũ reperitur. Atq. in Hispania in praxi obseruari aliq DD. referunt, ac testantur. Addo elegantem in re simili Iustiniani Imp. sermonẽ. *in Nouel. de mãd. Prin. c.* 5 his verbis vtentis. Festinabis consiliarium, circa te assumere virum optimũ, & putũ vndiq. & contentũ his, quæ à fisco illi dãtur, & si quid p̃ter spem accesserit, & nõ inueneris eum custodientẽ tibi fidẽ iustam, illũ quidem expelles, alio vero vteris consiliario legem, & iustitiã, cum puris seruãte manib. R. His tñ nõ obstantib. firma tenenda est hæc assertio, Examinatorib. nec stipẽdium ab Episcopo, nec munera ab examinandis ratione ipsius examinis accipere fas esse: nam quò ad primam partem, sic apertè declarauit Congregatio Cõcilij his verbis: Non potest ordinarius statuere aliquod stipendiũ etiam minimum examinatorib. deputatis in synodo pro concursu parochialium, & si synodus diæcesana secus statuerit, decretum esset irritum, ac nullum. Quò ad 2. partem pariter dicendum est, antiquo iuri hoc maximè cõsentaneum esse, tùm quia cum vt aiunt, ex prouisionib. & collationib. beneficiorum aliquid accipi non possit: ita nec ex examinib. quæ ad ipsas prouisiones aditum parant. &c. tùm quia Iudicib. ecclesiasticis sportulæ prohibentur, & dicti examinatores à iure, & ab homine quadam ratione Iudices in spiritualib. vel spiritualib. annexis, constituũtur. *Suarez. de relig. tract.* 3. *l.* 4. *c.* 22. *nu.* 17. *Vgol. de simon. tab.* 1. *c.* 42. §. 3. *& c.* 47. *& c.* 48. §. 3. *Garz. de benef. p.* 9. *c.* 2. *num.* 376.

QVAE-

QVÆSTIO XXVIII.

AN GRATIS DONATVM POST PERACTUM examen accipere liceat.

INtegrum ne erit Examinatorib. aliquid gratiosè, ac liberaliter donatū grati animi ergo post peractum examen accipere? R. non solum post examen, sed etiam ante aliquid esculentum, vel poculentum libere, & sponte oblatum non ratione examinis, sed beneuolentiæ, causa capere licet, siquidē eius oblatio nullam culpæ maculam ingerit, quæ non exambientis petitione processit sicut è contra non gratis munus accipitur, quod petēti donatur. *c. sicut Episcopum. 1. q. 2. gl. in c. at si quæstiones ext. de simon.* Quippe iuxta illud vetus proloquium, A nemine accipere valde inhumanum, & oīa omninò dona respuere nimis durūm videtur, sed passim sine delectu vilissimum, & omnia accipere auarissimum. *l. solent ff. de off. Procons. Archid. in c. de eulogijs. d. 18.* Multa, vt a notis, ex animi propensione dantur. Alia ita leuia donantur, vt nulla possit esse corruptelæ suspicio, siquidem paruo munere animū mutatum iri in magna persona non est credendum sed cum apparet eò dona tendere, vt animum deliniant, eoque inclinent, quò non decet, tūm vero constanter repudianda sunt, etsi auri montes offerātur. Ad præsumendū vero an munus sit gratis, & sincere collatum, Tria sunt maximè cōsiderāda, qualitas dantis, & recipientis, quanitas muneris, & tempus donationis. *c. etsi quæstiones. vbi DD. extra de simon. & in c. statutum §. insuper. tit. de rescript. lib. 6. Bisfeld. de simon. c. 18. Sayr. lib. 12. clauis regi c. 25. Rebellus de oblig. iust. li. 8. q. vlt. Nau. de datis, & pmissis. not. 10. Tiraq. de nobilit. c. 29. n. 38. Corra Garz. p. 9. c. 2. n. 39. Boer. dec. 153.* Potiori bone iā peracto examine, & datis iam iustè suffragijs id licere fatendum est, qnquidem gratitudo, & antidoralis obligatio, vt benefacienti benefaciamus, à iure naturali descendit, adeò vt à nulla humana lege tolli, vel abrogari queat. Hinc donatio quæ causa remunerationis fit, non est propriè donatio, sed debiti naturalis solutio, cum uera donatio illa propria censeatur, ad quam quis donans ex liberalitate nullo iure cogente mouetur. *l. sed si lege §. cōsuluerit ff. de petit. hered. l. donari. ff. de regul. iur. c. in officijs. ext. de testam. D. Th. 2. 2. q. 106. art. 5. Nau. cons. 10. de renunt. Tiraq. de vtroq. ret. l. 1. §. 1. gl. 7. n. 44. Menoc. l. 3. cōs. 228. Ala. de consid. christ. p. 2. q. 2. Paul. Berens in expos. Bulla Clem. VIII. q. vlt. in addit. ad 4. qq. reg. Roder. Parisius de consid. benef. q. 49. Alciat. vol. 1. cons. 2. Carocius de locato & cōd. tit. de merc. remun. Bonac. de cont. q. 1. p. 1. Sorbus in Com. Priuil. Med. an v. dare. §. item alius casus. Magon. de rec. pat. rat. c. 24.*

QVÆSTIO XXIX.

AN CANONICVS A CHORO CAVSA examinis absens quotidianas distributiones lucretur.

AN Canonicus q causa examinis, vel tanquā examinator à synodo diæcesana electus iux ta Concilij Tridentini dispositionem, vel alia ratione ad examen deputatus fuit, dum ea de causa à choro abest, quotidianas distributiones lucretur? R. Augustinus Barbosus in annot. Conc. Trid. *sess. 24. de refor. c. 12.* refert ex Lælio Zeccho sacrā Cardinalium Congregationem decidisse, eas sibi lucrifacere. Contrarium tñ resoluit N. P. Moneta. *de distrib. quotid. p. 2. q. 11. nu. 61.* illa quippe ratione motus, quod cum examinator ea de causa à choro abest, non suæ ecclesiæ cui ascriptus est, sed duntaxat Ecclesiæ suæ Ciuitatis, aut diæcesis, seu Epi sui deseruire dicitur, ac propterea quotidianas ipsas distributiones percipere non debebit, nisi huiusmodi examinatoribus examinis causa absentibus ex priuilegio, vel vsu, vel denique ex statuto propriæ Ecclesiæ concedantur. Et quidem Monetæ sententia secundum ius commune recipi posset, sed si Cardinalium decisio canonico examinatori fauens extaret, quam tamen non vidi, Zecchij opinioni adhærendum putarem: siquidem declarationes sacræ, & Illustriss. Congreg. Cardinaliū super Concilium Trid. sunt, vt loquuntur Doctores decisiuæ, vim legis habētes, & ut leges recipiēdę, ut potè latæ ex Pontificia commissione. Et eadem ratio habenda est de his, quæ ab ipsa S. Congreg. feri būtur, ac si à Papa emanassent. *&c. Roder. in qq. reg. tom. 1. q. 11 ar. 1. & 2. Garz. in præfat. tract. de beneficijs. Lak ar. in tract. de blasphemia. q. 13.*

DE CAVSA MATERIALI, ET SVBIECTO examinis. Cap. VI.

QVÆSTIO XXX.

QVÆNAM SIT MATERIALIS causa examinis.

QVæ est materialis causa examinis? R. est illa, ex qua ipsum examen conficitur, quæ quidē duplex assignari potest, remota, s. & proxima, remota est ipsa persona, vel subiectum q examinari dēt. Proxima vero est scientia, & illius, ut ità dicā, idoneitas, quæ præter peritiā, & rerum cognitionem (de qua inf. postea suo loco dicemus) alias qualitates, & cōditiones secū necessario trahit, prout iustūthorum, legitimam ætatem, morum probitatem, & hmōi habilitates, *c. quando. dist. 24. conc. Trid. sess. 23. de refor. c. 4. & seq. Salon. 2. 2. q. 63. a. 2. Less. de inst.*

*inst.& ind.libl.c. 34. dub.*17. Porrò qui ex: men subituri sunt, cum in sextuplici differentia constituantur; nam vel ad ordines, vel ad confessiones, vel ad animarum curam, vel ad beneficia, seu ad conciones, siue ẽt ad Epatũ sunt examinandi, ut apta materia censeantur, his in primis conditionib. fulciri debent, quas regius vates, *Ps.* 118, insinuauit dicens, Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me. Quarum trium rerum defectu clericalem, & regularem dignitatem, contemni, & Dei domum destrui. D. Hieron. deplorans dicere solebat, Quippe Sacerdotis officium cum circa duplicem versetur cardinem, cœlestem planè vitam exigit. Primo in anima purgari debet, deinde alios purgare, sibi sapere, & alios sapiẽtiores efficere, lumẽ esse, & alios illustrare. Sacerdotes lumẽ mũdi, & sal terræ dñr, eo quod eorum munus est, fideles doctrina, & morib. illuminare, & spiritus sapore condire, ita ut hæc positio iuste deducatur, Quacunq. mundi ætate grauissima in Christianam rempub. damna ex Sacerdotũ peruersitate, vel inscitia dimanauerint. Cõtra bonorum virtute, & meritis omnis felicitas cõsecuta sit. Vnde & D. *Chrisost. hom. 2. in Act. Apost.* Non temerè dico, sed vt affectus sum, ac sentio, Non arbitror inter Sacerdotes esse multos, qui salui fiant, sed multo plures, qui pereant, in causa est, quoniam res excelsum requirit aĩum, & innumeris oculis opus est vndiq. &c. *Molina de dignit. Sacerd. tract. 1. c. 17. §. 2.*

QVAESTIO XXXI.

QVID PER BONITATEM INTELLIGATVR

QVid intelligitur per bonitatem? R. Hoc nomen bonitas multa sua notione comprehendere hoc loco potest, Siquidem si generatim, & vniuersè loquamur, in clericis quorum nomine oẽs illi censentur, qui in sortem dñi sunt uocati, & diuino cultui mãcipati. *c. cleros d. 21. c. clericus. 12. q. 1.* vitæ, & morũ integritas commendetur, magnopere oportet, quæ vtiq ex diuina gratia procedit, iuxta illud Apost. *ad Ephes. 5.* Fructus lucis in omni bonitate, iustitia, & veritate. i. effectus gratiæ est oĩs bonitas, quæ quidem perfecta non est, si ab ea omnis malitia non vincatur. Hinc Horatius,

Virtus est vitium fugere, & sapientia prima,
Stultitia caruisse. Item.
Quis bonus est?
Qui consulta Patrum, qui leges, iuraq. seruat.

Quippe Dei minister virtutis, & innocentiæ, lumẽ alijs præferre debet, quod facere non poterit, si vitæ, & morum probitate non fulgeat; vnde ea corporis vitia, quæ in ueteri lege ex Dñi præscriptione aliquem ab altaris ministerio excludebãt, in Euangelica, & noua ipsa lege ad animi vitia transferẽda esse sacri Doctores testantur. *D. Greg. 1. cura pastor. c. 11. Catechis. Rom. de Sacr. ord. §. Primum itaq.* Imò ratio ipsa dictat, Dei, & Ecclesiæ ministros, clericos tàm seculares, quàm regulares maximè debere uirtutib. præditos esse, cum monitis, exemplis, & pijs precib. alios debeãt ad pietatẽ promouere. Et sanè huius conditionis in ordinationib. promotionib. & electionib. potissimum ratio est habenda, nã ex huius neglectu, ut sæpè SS. Patres cõqueruntur, fere Ecclesiæ pernicies, vt dixi, emanauit. Circa humanas actiones minus creduntur sermones, q̃ opera, nisi sint ipsis operib. cõcordes. Nihil est doctore frigidius, qui uerbis tantum philosophatur, neq. n. hoc doctorum est, sed histrionis, & hypocritæ; multum nocet, qui quod docet, non agit. *DD. in c. inter cætera. ext. de off. ord.* Dñs quoq. *Matth. c. 24.* requirit, ut sint prudentes, & fideles; quæ quidem fidelitas in Ecclesiastico munere potissimum in charitate fundatur; vt proinde tales esse debeant, vt Deo sint grati, & hominib. accepti. *Innoc. 1. de sacro alt. minist. li. 1. c. 9. Turrecr. in c. ius publicum. d. 1. Tolet. in sum. l. 1. c. 35. & colligitur ex c. cum in cũctis, & ibi DD. ext. de elect. & Conc. Trid. sess. 24. de refor. c. 1. & c. 12.*

Propterea antequã quis ordinib. initietur, & sacræ militiæ nomẽ det, illa præcipua dispositio desideratur, vt Primo à Deo vocetur, & à legitimis Dei ministris ad hoc graue munus asciscatur. Secundo vt recto fine, & intentione ducatur, nempè Deo inseruiendi in sanctitate, & iustitia. Tertio vt lethali culpa careat; nam si quis mortiferi alicuius peccati conscius se initiari curet, vel etiam patiatur, nouo se & maximo scelere obstringit. Quarto vt nulla censura sit irretitus, aut irregularitatis labe infectus, &c. Et si. n. si quis his impedimẽtis constrictus ordine insigniatur, actus valeat, mortalem tamen noxam contrahit. *Catechis l. 1. Henriq. de sacr. ordin. l. 10. c. 16. Conin. disp. 20. dub. 10. Archid. in c. dominus. 1. q. 1. Innocen. in c. 1. ext. de schism. Steph. de Gaet. in c. ad limina. §. 3. n. 22. 30. q. 1. Sylu. Tin. de ord. cler. q. 4. art. 10.*

Iure meritò D. Bernardus *de conuers. ad cleric. c.* 29. eorum culpam deplorat, qui indignè clericalẽ statum assumunt, cum inquit, Curritur passim ad sacros ordines, & reuerenda ipsis quoq. spiritibus Angelicis ministeria homines apprehẽdunt sine reuerentia, sine consideratione. Neque, n. signum regni occupare Cælestis, aut illius timent imperij gestare coronam, in quibus auaritia regnat, ambitio imperat, dominatur superbia, sedet iniquitas, & luxuria principatur, &c.

QVAE-

QVAESTIO XXXII.

CLERICALIS STATVS LAPSVS CAVSAE quænam sint?

QVibus ex caufis miferia hæc, & calamitas oritur?R. ex duplici potiffimum. Primo ex imprudenti Ecclefiaftici ftatus electione, & vocatione. Secūdo ex præpoftero fine, relicta proprij fcopi infpectione, in quibus duob. principijs periculofe erratur, quæ poftea ex fuperuenientē malitia magna incrementa fufcipiunt. Primo.n.non prius prudenti examine inquiritur, an tales ad Ecclefiæ ftatū vocationem habeāt, hoc eft an ad hoc nati videatur, an fint ad hoc vitæ genus apti. Et cum Dei voluntas fit, ne Ecclefiæ Prælati temerè, ac præcipitanter ordinem alicui conferant, nō præmiſſa.f.fufficienti eius aptitudinis examinatione, vt ppea Apoftolus Timotheo dixerit, Manus cito ne impofueris, neq. cōicaueris peccatis alienis. 1. *ad Tim.* 5. *c. quando. d.* 24. *Conc. Trid. feſſ.* 23. *c.* 8. fi facros ordines indignis contulerint, certū eft, Deum hmōi hoīes non vocare, fi quidē duo præcipui sūt modi, quib. Deus voluntatē, & æternam fuam electionem ad aliquos ftatus manifeftat. Primo p expreſſam reuelationē, & prodigiofum aliquod mediū, vt patet in D. Gregorio, D. Ambrofio, & in multis alijs exemplis, quibus fanctorum vitæ funt refertę. Sed qm reuelationes, aut prodigiofa indicia nunc expectanda non funt, ad ordinariam viam valde certā; ac fecuram tranfeundum eft, ad præceptū.f.ipfius Dei per fuos Vicarios, ac Superiores, quos in fua ecclefia, ac republica cōftituit, & qu b. lumē infundit, vt tales ad hmōi munus affumant, ac in republica ciuili, aut ecclefiaftica, aut religiofa aliquod gubernationis officium fufcipiant. In quo cafu crimē effet diuinæ vocationi refiftere, cum humilitas, & obedientia fibi aduerfari nequeant. Et ficut ait D. Gregorius. 1. *par. Paſt. c.* 16. Iufti etiam fi talenta, donaqua Deo habeant ad alios gubernandos, debent demiſſè talia officia declinare, fed fi ea fubire iubeantur, non debent effe pertinaces, ut Superioris volūtati obluctentur, fed obedire, & etiam fe illi contra propriū fenfum fubdere, præfertim fi confeffarios, ac fpirituales patres fcientia, ac cōfcientia præditos prius confuluerint. Secundus fcopulus in quem Ecclefiaftici impingere folēt, eft nō debitus fibi præftitutus finis. Clericum.n. fieri propter humanæ vitæ commoda, honores, diuitias, delitias, fplendidam vitā, ad confanguineos ditandos, augendamq. domum eft alter error non minus periculofus, & perniciofus, vt animaduerterunt Tridētini Patres *in Catech. de ord.* Proinde cum nullus onus illud fubire debeat, quod ferre nequeat, vnufquifq. fe ipfū metiri debet, & propriæ naturæ vim fpectare, vt illud vitæ genus afcifcat, ad qd natura maximè fit idoneus, Siquidem.

Hic fatus ad pacem; hic caftrifibus vtilis armis.
Natura fequitur femina quifq. fua.

Amplectendum itidem eft Chrifti Domini noftri confilium. *Luc.* 14. *vt. f.* bene computetur fumptus, qui neceffarij funt ad perfectionis turrim ædificandam, quę ipfi clericali ftatui annexa eft, in quo exactè feruandum eft caftitatis votum, & vitę puritas, quam excelfum adeò minifterium exigit, & certè conftituendum, nullum temporalem bonoris, aut facultatum intuitū fufficere debere ad cum affumendum, quando reuera virtutis talēta, ac reliquæ conditiones quas Ecclefia præfcribit, illi defint, ptę ftat.n. ex feculari ftatu ad Cœlum afcendere, quam ex Sacerdotali in Infernum defcendere &c. *Lud. de Ponte de perfect. chrift. tom.* 4 *tract.* 1. *c.* 6. *vt etiā admonuit in comment. de humana vit. ſtat. p.* 1. *c.* 20.

DE DISCIPLINA, ET MODESTIA exteriori clericorum, quæ eft fecunda caufa materialis fubiecti examinandi. Cap. VII.

QVAESTIO XXXIII.

QVID PER DISCIPLINAM CLERICIS neceſſariam intelligatur.

QVid intelligendum eft per difciplinam, quā fecundo loco clerico neceffariam effe fuperius dictum eft?R. morum compofitionem, & exteriorem modeftiam: q̄nquidem tefte D. Bonauent. *in Pharetr.* 14. *c.* 9. Difciplina totum hominem religiofum componit; O quàm compofitum, inquit, reddit omnem corporis ftatum, nec non mentis habitum difciplina, ceruicem fubmittit, deponit fupercilia, cōponit vultum, ligat oculos, cohibet cachinnos, moderatur linguā, frenat gulam, fedat iram, format inceffum; talib. decet pudicitiæ ut fīt diftingui margaritis. Et Concilium Hildefinenfe *in forma viu. cano.* 13. Solicitudo, ait, prima ad hoc tendere debet, vt exteriorem hominem debitè cōponat Sacerdos, tàm in loquendo, quàm comedendo, bibendo, ambulando. &c. quatenus quicunque mores ipfius confiderat, ædificetur, & dicat, ille eft difciplinatus uir, & utilis in officio ecclefiaftico, qa omnes fanctam vitam in eo uidēt. Hæc autem morum compofitio inter fimplices, & mundanæ uitæ homines maximè eft neceffaria, quia facillimè fcā dalizantur, quando uel parum clerici ad libertatē extrinfecā declinant. E contra uero fi uident eos maturè incedere, & timoratè conuerfati in omni caftitate, & fobrietate, tunc maximè ædificantur, & uenerantur eos. &c. hæc ibi. Nec abludunt aurea illa Concil. Trid. verba *feſſ.* 14. *in proemio. & c.* 1. *feſſ.* 22.

Ibid. 22. Nihil est, quod alios magis, ad pietatem, & Dei cultum assidue instruat, quàm eorum vita, & exēplum, qui se diuino ministerio dedicarunt, cum enim à reb. seculi in altiorem sublati locum cōspiciantur, in eos tanquam in speculum reliqui oculos cōijciunt, ex hisq. sumunt, quod imitentur. Quapropter sic decet omninò clericos in sortem domini vocatos uitam, moresq. suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, alijsq. omnib. reb. nihil nisi graue, moderatum, ac religione plenū præseferant, &c. Et D. Greg. relatus in c. clericus. d. 41. clericus, inquit, professionem suam, & habitu, & incessu probet. &c. In incessu autem Sacerdos debet esse ornatus, vt grauitate itineris mentis maturitatem ostendat. Albert. Trot. de perfect. cler. l. 2. c. 58. Vnde adeò apud hoīes hæc modestiæ virtus eminet, vt teste D. Thoma 2. 2. q. 160. artic. 1. & 2. & Less. lib. 4. c. 4. dub. 12. cōe oīb. virtutib. nomen ei quasi proprium attribuerint, non quod ipsa oēs præcellat, sed quòd earum sit indicium, modumq. ualde iucundum in oīb. reb. ponat, & debitum decorum seruet. &c.

QVAESTIO XXXIV.

QVAENAM SIT DISCIPLINAE in Ecclesiasticis vtilitas.

QVænam sunt eius in Ecclesiastica persona vtilitates? R. Innumeri subinde sunt eius fructus, & commoda, sed hi quatuor præcipuè. Primò quod sit fidissima castitatis comes, & custos, nā instar cuiusdā ferrei thoracis ex oī parte proteget, ne hostiū ictus, & globi eā deijciant. Et pudicus oculus pudici est cordis est ianitor, & index sicut & facies, aliæq. corporis affectiones interiorē sanitatem arguunt. &c. D. Th. 2. 2. q. 168. a. 1. Cassiand. 12. Inst. c. 29. c. cleric⁹. d. 41. c. nec solo. 32. q. 5. 2. Secundo magnam affert authoritatem, & existimationem ei conciliat, qui illa præditus est, ut propter eam diligatur, & honore afficiatur, quod egregiarum virtutum ipsius indicium sit; siquidē amictus corporis, risus dentium, & ingressus hoīs enuntiant de illo. Eccl. c. 19. Verè Cęsar non minor miles, quam orator dicere solebat, non minus ob modestiam, q̄ ob animi magnitudinem militem laudandum. Menander Comicus Græcus aiebat, modestiam esse aliarum virtutum promptuarium. Sicutè contra immodestia est deformitas quædā, & morbus, aut exterior hominis dissolutio, quæ ex ægritudine, ac deordinatione passionum interiori oritur, infensum Deo, & hoīb. hominem reddēs; vt Iuliano Apostatæ contigit, de quo scribitur, q. cum Athenis studeret, adeò esset leuis, & in oībus corporis motib. immodestus, vt uidens eum D. Gregor. Nazianzenus dixerit, O quàm horrendū monstrum sibi ipsi nutrit respublica Romana? Sic D. Ambrosius noluit sacro ordine quendā adolescentē insignire, eo quod in incessu leuiter se habebat. Meministis filij, ait, lib. 1. off. c. 18. quendam amicū cum sedulis se videretur commendare officijs, hoc solo tamen à me in clerum non receptum, quod gestus eius plurimum dedeceret. &c. D. Carolus dicere solebat, se acerbius ferre, si clericus aliquis uitio vrgeretur, clerici disciplinam turbaret, quam si Principes multos infensos haberet. &c.

Refert etiam Baron. anno 286. nu. 16. quod cum B. Tiburtinus quendam Torquatum nomine, se christianum profitentem cerneret, & capillos gestantem super frontis apicem, tōsoris arte compositos, apud Fabianum Præfectum, ante quem sistebatur, hæc de eo habuit, Credis ne Illustris. vir hunc esse christianum, qui in sui lenocinio molliendo capitis simbrias admittit, q. scapulis molliter gestit, qui tonsorem diligit, qui fluxū gressum improbo nixu distendit, qui neglectis viris, fœminas curiosius intuetur? nunquid tales pestes Christus dignatus est habere seruos suos, &c. Iust. in Tob. c. 2. ver. 3.

3 Hinc tertius oritur fructus, quod modestia plurimum Dei Ecclesiam ædificet, & per totam ciuitatem, & familiam suauem odorem afflet. Estq. quasi mutus concionator, qui sine verbo sanctitatem eam habentis manifestat, ac christianam fidem, religionemq. promouet. Propterea sacrorum ordinū ac religionum fundatores maxima cura studuerūt ditissimum hmōi frontispicium in viuis domib. i. Congregationib. quas erigebant collocare, vt seculares eos aspicientes ad pietatem, ac deuotum in Deum affectum allicerentur. Vnde est illa D. Augustini pręceptio, In incessu, statu, & in oīb. motib. vestris nihil fiat, quod cuiusquā offendat aspectū sed quod vestram deceat sanctitatem. D. Aug. in reg. c. 17. Et D. Benedicti, In oratorio, in monasterio, in horto, in via, in agro, vel ubicunque sedens, ambulans, vel stans inclinato semper capite, & defixis in terram aspectib. sit monachus. In reg. c. de humilit. gr. 13. Nec ab his dissidet D. Franc. in reg. c. 3. Consulo, moneo, & exhortor fratres meos in Dño Iesu Christo, vt qū uadunt per mundum, non litigent, neq. contendant verbis, aut alios iudicent, sed sint mites, pacifici, & modesti, mansueti, & humiles. Nā & D. Ambr. Censote lib. 1. off. c. 50. Laus Domini est, vbi munda possessio, & innocens familiæ disciplina. Deinde nihil est, quod alios magis ad pietatem, & Dei cultum instruat, quam eorum vita, & exēplum, q. se diuino ministerio dedicarūt, cū. n. vt sup. dixi, a seculi reb. in altiore sublati locū conspiciantur, in eos tanquā in speculum reliqui oculos conijciunt, ex hisq. sumunt, quod imitentur, Io. Laughecrus. de vita, & honest. eccl. l. 1. c. 1.

Huic

4 Huic quarta annectitur veræ modestiæ præstantia,& utilitas,qua Christianus,Clericus,religiosus ac sacræ Virgines in veritate ambulant, iuxta id,quod professio,& proprij status leges exigunt. Nam ad veritatem spectat,corporis motus dirigere, talẽ se exteriuse exhibẽdo,qualis re uera intus est,& exteriora sua cum eo, quod interius studium requirit conformando. *D.Th. 2. 2. q. 168. ar. 1. ad 3.* Quõquidem sicut Principes,& Magnates grauitatem,& modestiam ad suam dignitatem spectãtem seruãt, ita Dei filios,& magnæ perfectionis cultores decet illam grauitatem custodire,quam eorum dignitas postulat,cum immoderata facilitas,atq. familiaritas,authoritatẽ eleuet,& ad contemptum fenestrã aperiat. Vt proinde D. Bernardus dicere soleret, Professionis propriæ memoria quasi pædagogus, & excitator esse debet,qui eius moderationis illos admoneat,quã in omnib. suis reb. obseruare debent.&c. Ideq. regulares,& religiosos cõmonebat, vt in regularum oĩum obseruatione incumberent, qua vel sola mores componuntur, disciplina nãq; est quæ corporis,& mentis habitum dirigit,ceruicem submittit,supercilium deponit, vultum componit,oculos ligat,cachinnos cohibet, linguã moderatur,gulam frenat, iram sedat, incessum format. *epist. 113. vt dixi sup. q. 33.*

QVAESTIO XXXV.

CIRCA QVAE CLERICALIS DISCIPLINA,& modestia potissimum versetur.

Circa quæ potissimum hæc disciplina,& modestia versatur? R. Eius sphæra *teste D. Th. 2. 2. q. 160. art. 2.* valde protenditur,quatuor. n. admodum insignes partes cõplectitur tanq; flumina terrestris huius paradisi Deo,& hoĩb. ad eo placentis.

1 Prima modestiæ species est humilitas,quæ motus oẽs elatos, inanes,& arrogantes superbiæ moderatur,& inflatos spiritus reprimit, quos effrænis nostra natura producit,cum oẽs fere homines, vt est in prouerbio,tanquam galli bene cristati sint.

2 Secunda est studiositas,quæ nimia sciendi desideria,ad quæ curiositas inclinat,tẽperat, ne plus sapere velit, quã oporteat sapere, sed sapere ad sobrietatẽ. *Apos. ad Ro. c. 12. D. Th. 2. 2. q. 166. a. 2.*

3 Tertia modestiæ species est, quæ omnes externos corporis motus,& uerba,iuxta personæ,negotiorum,locorum,ac temporũ qualitatem,& conditionem gubernat,ac regit, Quæ et ad ludos,& solatia,se extendit,quæ necessaria sunt ad vitam conseruandã, & in ferijs grauibusq. virtutũ exercitijs perseuerandum ea moderatione adhibita, quam christianæ prudentiæ lex præscribit. *Idem D. Tho. l. c. q. 168. art. 1. & 2.*

4 Quartum modestiæ genus circa uestitum,& corporis ornatum versatur, pompam,nimiumque cultum præscindendo,qui uanitatem,aut sensualitatem,ut dicunt,& singularitatem aliquam sapit, iuxta illud Alexandri Seueri pronuntiatum, Imperatoria Maestas uirtute,nõ corporis cultu constat. *vt per ipsummet Ang. Doctorem q. 169. art. 1.*

QVAESTIO XXXVI.

QVOMODO CIRCA PRIMAM MODESTIAE speciem se gerere debeat clericus.&c.

Qvomodo circa primam speciem modestiæ se gerere debet clericus? R. Morbus superbiæ, ait Cassianus *lib. 12. instit. c. 1.* licet vltimus sit in conflictu vitiorum,origine tñ & tempore primus est,sæua,& immanis bestia,perfectos, uel clericos,& monachos maximè tentans, & propemodũ iam positos in consummatione uirtutum morsu diriori depascẽs. Negari equidẽ non põt, clericos ob sacra ministeria quæ tractant,in magna dignitate constitutos esse,& tali quidem,quæ oĩ alio seculari honore maior est:clerici namq. diuino officio,& obsequio mancipati, contemplationi, ac orationi dediti,à temporalium rerũ strepitu semoti,uocantur reges:quod & corona,quam in capite gerunt, significat. Vnde & Iustin. Imp. clericos sæpe Reuerendissimos appellat. *in auth. vt deter. sit num. cler. collat. 3. & alibi, & D. Greg. l. 2. ep. 51. c. duo sunt. 12. q. 1. Catechis. Rom. de ord. Tiraq. de nobilit. c. 9.* attamen ob hæc non se efferendi,sed potius se dimittendi occasionem sumere debent, iuxta illud, Quò maior es,eò te geras submissius. *Eccl. cap. 30.* O quàm rarò ista duo conueniunt,omnib. præesse per iustitiam,& tñ oĩb. subesse per humilitatem. Meminerintq. honorem non sibi, sed religioni deferri,atq. ob id reuerentiã deberi,ac impendi,eo quod sacris psint. *Alciat. emb. 7.* Hinc *Isid. Pelus. 1. ep. 157.* Si Christi,inquit,altari ministras, da operam, ne cum ipsius legib. munus tuum administres,mansuetum uidelicet, atq. corde humilem, & submissum te præbens. Neq. n. forensem quandam præfecturã, atq imperium fastu,ac pompa,& insolentia tumidum tractas,sed pacatum, ac tranquillum ministerium.&c. Quadruplicem superbiam deuitare debet Sacerdos,videlicet cordis, vt in oculis suis magnus nõ sit. Scdõ oris,vel linguæ,ut iactantiam fugiat. Tertio operis,ne exterius super alios ire, uel magnus apparere studeat. Quarto habitus, ne vt gloriosus uideatur, pretiosis se uestibus exornet.&c. Quippe quidquid in hoc seculo altum cernitur,non est uera altitudo,sed fouea, quæ omnes quos in sua ambitione recipit, ad inferna deponit. Habet spiritualis prælatio exteriorem gloriam dignita-

gnitatis,habet & interiorem magnitudinem oneris; honor ipse dignitatis per se magnum est onus mentis,quia contemni debet,& placet. Contemni quidem debet,ne mentem per superbiam eleuet, & suscipi debet,vt stimulus ad meliorem,& sanctiorem vitam,vt & cœlestia quæ Doctor loquitur subiecti venerentur. *D.Greg.lib.4.Reg.c.vlt.* Affectant ex corrupta natura mortales nobilitate excellere,honore affici, quamplurimis imperare, diuitijs florere,perpetua voluptate perfundi,& ea,quę honesta quidem est felicitate quantumuis transeunte beari. Cur ita? hæc nēpe in Deo sunt, cui quò similiores,eò perfectiores sumus, cerebri exilis, & debilis est hoc argumentum: nam & fatui Principes haberi volunt,&galli gallinacei,omnib.dominare,& sicut omnis homo naturaliter scire desiderat,ita alijs præesse. Verum non huiusmodi diuinæ perfectiones ad imitādum propositæ sunt. Quæ igitur? Inspice,& fac secundū exemplar, quod sibi in monte monstratum est: Discite à me, quia mitis sum,& humilis corde. Nec.n.alijs præesse,sed prodesse pulchrum est. *Exod.c.25.Matth.11.D.Bern. epist.42.Comb.de perfect.l.1.c.3.*

Indicia vero humilitatis quæ sunt etiam media ad eam cōparandā aptissima,hęc clericus animaduertere poterit. Primum humiliter de se sentire, & se in mente ad ima dimittere. Secundo nolle laudari,& laudes suas ęgre ferre, nec de se magnifice loqui,nolle hominū sermonib. ob dona diuinitus accepta celebrari,imò omnia bona vni Deo ascribere, eaque in eius honorem, gloriam referre. Aduertat clericus, tonitrua,& omnes aereas tempestates alta semper ferire solere,vt mōtes, turres, colles.&c. humilia vero & per terram prostrata ab earum impetu immunia esse.

Feriuntque summos fulmina montes, ait ille, ela ti animi clerici montes sunt,in illos vero Deus indignationum suarum fulmina iaculari solet.&c.

Tertio in se ipso mala aspicere,in ꝓximo bona; ꝓpea Climacus sanctorū vitas in cubiculi pariete descriptas ad imitandū tenebat. *B.Ephr.tom.1.c.96.Gerson.lib.1.de imit.Christi.c.8.Rosig.de discep. christ.perfect.l.4.c.38.vide inf.tract.6.c.8.q.49.*

QVAESTIO XXXVII.

QVOMODO CIRCA SECVNDAM MODESTIAE speciem,quæ est curiositas se clericus habere debeat.

Quomodo circa secundam speciem modestię, quæ est curiositas se hr̄e debet ecclesiasticus vir? R. A radice superbiæ exoritur multiplex curiositas,quæ clericis, & ecclesiasticis etiam perfectis aliqñ molestiam afferre solet nō exiguam. Hoc.n. vitio se laborare ostendit. Primo cum ea requirit quæ ad se non pertinent, vt si in oratione experiri velit diuina solatia,visiones,reuelationes,cum diuina mysteria,quæ propriam facultatem,& captū excedunt,temerè scrutatur, contra illud *Eccl.c.3.* Altiora te ne quæsieris,& fortiora te ne scrutatus fueris; In superuacuis reb.noli scrutari multipliciter, & in plurib.eius operib.ne fueris curiosus. Hinc Euripides, *Mortalem non decet nimis alte sapere*, & Alciat. *embl.102.*

Roduntur varijs prudentum pectora curis,
Qui Cœli affectant scire Deumq.vices.

D.Aug.*ep.54.* postquam humilitatis virtutē extulit,his verbis utitur, Humilitati saluberrimę,quam D.N.Iesus vt doceret, humiliatus est, aduersatur quædam,ut ita dicam, imperitissima scientia, dū nos scire gaudemus,quid Anaximenes,q̄d Anaxagoras,q̄d Pythagoras, q̄d Democritus senserit,ut docti,eruditiq.uideamur,cū hoc à vera eruditione absit. Vñ & meritò Abbatē Nilū cuidā quem diuino spiritu adulterum nouerat, aliquando à se percunctanti,an saluus esset admirabilis ille Salomō? respondisse ferunt, Et ego scire etiam de te uellem, an saluus sis nunc? Quæ.n.vtilitas mihi, uel tibi ex salute,uel damnatione Salomonis? non.n. illi, sed nobis præceptum fuit illud, Qui viderit mulierem ad concupiscēdū iā mœchatus est in corde suo.&c. tali præstrictione docēs, non curiosè de aliena,sed de propria inuestigandum esse salute. *Baron. tom. 10. anno 976.num.4.*

Inquirenti curiosius Afro, quid ante mūdi creationem faceret Deus? D.Aug.respondit, Curiosis parabat infernum, profanam audaciam graui dicto præstringens. Rectè tales clerici curiosi perscrutatores culicib.comparantur, quæ dum in lucernæ lumen irruunt,se ipsas comburunt. &c. *Io.à S.Gem. de similit.l.4.c.21.*

2 Secundo,cum illa scire affectat, quæ sua nō est interest,vt cum clericus, vel religiosus hominum acta perquirit,quæ ipsi non conducunt, eo sic admonēte, Tua quod nihil refert,percūctari desinas; cum culpa non careat,alienis reb.absq. causa se immiscere. Sic quidam alterius temeritatem compescuit. Cum.n. merces quasdam per baiulum sacco coopertas secum in alienas domos asportari curaret,sciscitanti obuio cuidam,quid mercium iste baiulus secum deferret? respondit, ideò obuelari, ne quis sciret,quid ad te? Si clericus erit curiosus, erit & loquax,cum curiositas,& loquacitas inter se germanæ sint,ac veluti quadam cognatione coniunctæ,sic attestante Horatio.

Percunctatorem fugito,nam garrulus idem est,
Nec retinent patulæ commissa fideliter aures.

Nam & Plutarchus *in libro,cui titulus est de vitanda curiositate.* Est, inquit, curiositas paralysis, ac tabes,

tabes, renudatioq. rerum non efferendarum. Itaq. id fieri, ait, vt multa inania cognoscendi studium garrulitatis uitium comitetur. Iure meritò B. Bernar. *in tract. de gradib. humilit.* primum superbiæ gradum curiositatē in alienis factis ponit.

Primus, inquit, superbiæ gradus est curiositas. Hanc autem talib. indicijs deprehendes, si uideris monachum de quo prius bene confidebas, vbicunque stat, ambular, sedet, oculis incipientem vagari, caput erectum, aures portare suspensas, è motibus exterioris hoīs hoīem interiorem immuratū agnoscas, quem dum à sui circumspectione torpescit in curia sui, curiosum in alios facit. Qñquidem qui in propriæ conscientiæ inquisitione negligens est, solet in alienis negotijs curiosus inuestigator esse,

Cur aliena magis, quā crimina nostra videmus?
An quia nostra procul, sint aliena prope?

Complures inueniuntur nedum laici, sed etiā Clerici, & Monachi, qui pruritu quodam aliorū facta inquirendi, & res nouas curiose indagandi, quotidie quid literæ ex vrbe afferant, quid ex Bizantio, quid ex Germania, vel Belgio soliciré quærere student; hocq. primum singulis dieb. vr̄ eis esse negotium scrutari, si quid noui in Ciuitate nostra acciderit, quanti fundum ille emerit, laute ne in conuiuio illi sint epulati, quid in foro heri actum fuerit, quæ & qualis sit huius, vel illius uita, & hmōi. Hæc curiositas in secularib. damnatur, multo magis in his, qui diuino obsequio sunt addicti, & qui Deo, sibi ipsis, atq. domui suæ uacare debeant. Partes hæ sunt Magistratuum, & eorum, qui publica authoritate funguntur, tanquam ex sublimiori specula circumspicere Ciuium mores, rerum euēta, Principum consilia, quòad fieri pōt, perspecta hēe, vt uigilantia sua incommodis occurrere, & subitos casus prudentia anteuertere, ac populi incolumitati consulere possint. Non superest otium ad istas ineptias, ait Seneca, Ingens negorium nobis in mani. bus est, mors sequitur, fugit vita. Et aduersus hæc instruimur à Propheta, cū ait. *Ps.* 30. Odisti obseruātes vanitates superuacue.

3 Tertio manifestatur clericorum curiositas, cū per minus utile studium ab utiliori, ac necessario retrahunt. Vt si, qđ sæpe accidit, Sacerdotes omissa scientia sacræ scripturæ, Theologiæ, canonum, & casuum conscientiæ, profanis historijs, poetis, naturali philosophiæ, & hmōi studijs incumberent. &c. Videmus Sacerdotes Dei, air, *D. Hier. relatus in c.* 2. *d.* 37 omissis Euāgelijs, & prophetis comœdias legere, amatoria bucolicorum versuum uerba canere, Virgilium tenere, & id quod in pueris necessitatis est, crimen in se facere voluptatis. Quinimmò de ipso D. Hieronymo legimus, cum Ciceronis libros legeret, ab Angelo fuisse correptum, eo quod vir christianus Paganorum figmentis non eruditionis, sed delectationis causa intenderet. *c. legimus eadem dist.*

Quapropter etiam religiosis, & clericis in sacerdotio, ac dignitate constitutis sub pœna excōicationis prohibetur, ne legib. philosophiæ, ac medicinæ incumbant, ut magis, ac consultius theologiæ, ac canonum studio vacare possint. *c. vlt. ext. ne cler. vel monach.*

D. quoq. Ambros. in libris de officijs *lib.* 1. *c.* 20. quib. perfectam clerici formam tradit, hoc etiam inter cætera grauiter monet, ne tp̄s inaniter terāt, & p̄sertim crebris visitationib. & collocutionib. infructuosis; cur. n. inquit, illa tēpora, quib. ab Ecclesia vacas, lectioni non impendas? Cur non Christū reuisas, Christum alloquaris? Christum audias? Illum alloquimur, cum oramus, illum audimus, cū diuina legimus oracula. Quid nobis cum fabulis? ministerium altarib. Christi, non obsequium hominibus deferendum accepimus, hæc ille.

Ergo præter libros sua sponte comparandos, habere debent si non copiam, at certè necessarium delectum, ac p̄sertim sacram bibliam, atq. aliquem vtriusq. testamenti interpretem. Item homiliarum librum, Catechismum, Concil. Trid. Constitutiones synodales propriæ diæcesis. Aliquem librū de vitis sanctorum, Rituale Romanum; Aliquas vtiles summas de casib. conscientiæ tractantes, vt Armillam, Nauarrum, Toletum. &c. In quorum omnium lectione quatenus fieri poterit, assiduè, & vtiliter versentur clerici.

Insuper cōciones, & sacras lectiones audire debent, & maximè theologalem, casuum item conscientiæ; nec ordinandi in vrbe admittendi essent, nisi testimonium manu alcuius cēsoris ad hoc deputandi attulissent, ex quo constaret, eos prædictis lectionib. frequenter interfuisse.

Idemq. de regularib. dicendum est, vt. s. in suis Conuentib. sacræ Scripturæ, & casuum consciētiæ lectioni interesse debeant. &c. *Conc. Triden. sess.* 5. *de reform. c.* 1.

Cap. VIII.

QVAESTIO XXXVIII.

QVOMODO CLERICVS IN TERTIA MODESTIÆ SPECIE CIRCA CORPORIS MOTUM VERSANTE SE HABERE DEBEAT.

QVa via, vel ratione Clericus in tertia modestiæ, vel disciplinæ specie circa corporis motus versante se regere debet? R. Primo circa locutionem, & linguam magna cautio est ab eo adhibenda, siquidem mors, & vita in manibus linguæ, & cum procliuia sint eius vitia, difficile est, vt quisque p eā nō erret, vel peccet. Nec frustra in udo posita

sita est, nisi quia facilè, vt in lubrico labi solet. *Iacob. Prou. c. 3. D. Aug. serm. 28. de verbis Apost.* Anacharsis Philosophus cum apud Solonem cœnasset, hoc gestu deprehensus est dormiens, vt dexteram admotam haberet ori, sinistram pudendis, nã existimabat, & rectè, linguam arctiori fræno egere. Nec facilè quis proferet, tot hoies rerum venereaȓũ intẽperantia sublatos, quot vrbes sermo incaurè platus euerrit; vt nõ immeritò, & Aesopus dixerit, linguam esse optimam, & pessimam animalis partem. &c. Tria sunt organa referẽte *Roper. Holchot super sap. c. 1. lect. 7.* quæ ratione regere, & temperare difficillimũ est, videlicet cor, renes, & lingua, nam quò ad primum facilè est, peruersa opera vitare, sed nimis difficilè est, ab illicita cogitatione se corrigere, quia sicut D. *Bern. in medit.* asserit, Nihil corde meo fugacius, qđ quoties me deserit, & per prauas cogitationes defluit, toties Deum offendit, cor meum, ecr vagũ, instabile, dum suo ducitur arbitrio, diuino caret consilio. &c. Cor. n. simile est molendino, quod semper molit, & granũ illud terit, quod illi suppeditatur. Item argento viuo, quod in cõtinuo versatur motu; sistitur tamẽ ac reprimitur cor per sulphureũ fumum. i. per gehennalis pœnæ considerationem. &c.

Quò ad secundum satis constat, ex medicorum, & philosophorum sñia renum morbũ difficilis admodum esse curationis, vt significetur carnis voluptat.s vitium ægre admodum sanari, ac superari, *Io. Cassian lib. 6. de renun. c. 1. D. Aug. l. 2. de honest, mul. c. 2. Iustinellus de triumpho castitatis. c. 1.*

Contra tamen hunc morbum illud præsentaneum exhibetur antidotum,

Abstrahe ligna foco, si vis extinguere flammam,
Si carnis motus, otia, vina, dapes.

Potissimum mulierum cohabitatio vitanda, ideò habetur titulus in iure de cohabitatione clericorũ, ac mulierum, tanquam maximè periculosa, adeò vt aliqui dixerint, clericum, vel regularem habitare cum fœmina suspecta mortale esse peccatũ. *Syl. in v. clericus. §. 4. Pet. Sot. de temp. cler. lect. 4.* Quippe labendi occasiones sunt,

Otia, segnities, somnus, caro, fœmina, vinum,
Prosperitas, ludus, carmina, forma puer.

Quas explicauimus int. *trac. 6. c. 13. q. 74. cũ seqq.*

Tertium corporis organum, quod difficillimè regi potest, est lingua, quæ vt loquitur D. Iacobus *c. 3.* inquietũ malum est, plena mortifero veneno. In cuius rei signum natura ipsi linguæ duplicẽ murum opposuit dentes. s. & labia, quia antequã quis loquatur, duplex examinatio præcedere debet; altera est, an verbum proferendum sit licitum; altera an vtile, & expediens, siquidem multa licent, quæ non expediunt. *c. magna. ext. de voto.* Quapropter bene Hesiodus poetarum prudentissimus linguam nõ vulgandã, sed recondendam esse dixit, perindè vt thesaurum, eiusq. esse in promendo gratiam plurimã, si & modesta sit, parca, & moderata,

Optimus est homini lingua thesaurus, & ingens
Gratia, quæ parcis mensurat singula verbis.

Hinc Abbas Paphus, vt hř *libro 9. histor. tripart.* cum illiteratus esset, ad quendam accessit, vt addisceret, cum autem ad illum versiculum Dauidis deuenisset. Dixi custodiam vias meas, dixit satis didicisse, nec vlterius progredi oportere, si istã lectionem bene memoriæ mãdare posset, & re ipsa exeq.

Vtinam ergo clerici omnes, ac regulares, sermones suos in iudicio disponerent, vt à peccatis laicos auerterent, & ad Deum reducerẽt, ait D. Chrisost. *hom. ad popul. Antioch* Vñ colligo, ecclesiasticorũ sermonem quatuor causas in se comprehẽdere debere, primo efficientem, ut loquentis personę ratio habeatur, religiosi namque & Clerici Deo dicati profitentur se esse magistros mundanorum in vita spirituali, ergo debent eos præceptis, & exẽplo spiritualem doctrinam docere, ac lingua, & cœlesti loquela eos instruere, ne illis philosophis inferiores videantur, qui suos discipulos, & auditores, & sapere, & fari, nec non bene viuere docebant; nam quod in ore secularis esset nugæ, in ore Sacerdotis est blasphemia. *D. Bernar. lib. 2. de consid. D. Bern. Senens. in serm. de multiloquio.*

2 Secundo causam maretialẽ, vt. s. otiosa verba, quæ ratione iustæ necessitatis, aut intentione piæ vtilitatis carent deuitantes, rationabilia, & vtilia salutariaq. verba loquantur. Seruum Dei de Deo, loqui decet, vt fiat, quòd scriptum est, si quis loquitur, quasi sermones Dei. *Bon. p. 1. Spec. p. 4. c. 5. D. Doroth. serm. 20.* Acã muliebri sexu in hoc ministerio vinci turpe ducant, nam Pius II. Papa in Bulla Canonizationis B. Catharinæ Senen. Illa, inquit, peccatores arguebar, blandissimis verbis ad pœnitentiam reuocabat; præcepta salutis omnib. lęta dabat; quid spectandum, quid fugiẽdum esset, alacri vultu ostendebat, d. ffidentes summo studio componebat, &c.

3 Tertio causa formali clericorum sermones eo honestari debent, vt breuiter, considerare, ordinate, & cum grauitate proferantur, semper memoria retinendo ex sapientum dicto, vasa fictilia sono, & percussione, hoĩem vero sermone explorari: nam verba sapientũ statera põderantur, & eorum sermo est tardus, circumspectus, & breuis, ait Sapiens *Eccl. c. 24. & D. Bonauent. in processu relig. c. 1.*

4 Quarto causa finali carere non debent, vt. s. ad Dei gloriam, & honorem, proximi commodum, & vtilitatem clerici, & religiosi sermonem instituant. Sic Christus, cuius actio est nostra instructio, dum inter homines versabatur, semper ad animarum conuersionem, & salutem intentus erat, ut subinde

etiam

etiam dũ non concionaretur, omnem occasionem caperet de reb. spiritualib. agendi ex quacunq. præsenti materia, &c. *Rosign. de discip. christ perfect. libro 2. c. 13.*

Insuper clericis curæ esse debet, ne faciles sint in credendo secularib. qui sæpe religiosis personis infensi esse solent. *clericis de immun. eccl. lib. 6.* si quidem qui cito credit, leuis est corde. &c. Secundo in promittendo, cu n ille, qui facilè promittit, sibi libertatem adimat, & pœnitentiam sibi accersat. Tertio in decernendo, qui. n. temerè determinat, erroris se periculo subijcit. Quarto in conuersando, nimia namq. familiaritas contemptum parit. Et cũ necessitas, aut vtilitas cum ipsis laicis conuersari postulat, studendum, vt vtili, restricto, & simplici sermone vtantur, pro ratione sui gradus data, ut dixi occasione, enitentes pijs colloquijs proximum ad meliora promouere, iuxta illud Apostoli monitũ, Sermo vester in gratia sit semper sale conditus *ad Coloss. c. 4.* Vbi D. Ambros. illa verba exponens, monet, vt opportuno loco, & tempore magistra modestia religionis verba promantur. Prudenter studere debet clericus, ne sit agrestis, sed placidæ, & laudabilis conuersationis, licet enim incompositi mores ex suo genere grauia peccata non sint, hominem tamen valde exosum reddunt. &c.

QVAESTIO XXXIX.

AN CLERICI, VEL REGVLARES LVDIS, & iocis aliquando vti possint?

ERit ne contra clericalem modestiam, & disciplinam, si leuãdi animi causa, clerici & regulares aliquando iocis, & ludis vtantur? R. supponẽdo iocum in dictis, ludum verò in factis proprie consistere, dico, quod iucũdis interdum, honestis tamẽ, & cum virtute coniunctis sermonib. licet animum recreare, quod ratione, authoritate, & exẽplis probatur; nam quò ad primum quis est, qui non sciat, nostram omnẽ vitam in remissionem, ac studiũ esse diuisam? quippe sicut iugi cessatione humana mẽs marcescit, ac deficit, ita etiam assidua rerum tractatione, nisi qñq. otio restauretur, facilè conteritur, atq. flacescit. Miscenda sunt ista, & alternanda, otium, & negotium,

Vires instillat, alitque
Tempestiua quies, maior post otia virtus.

Vndè recreationem illam, quæ in verbis iocosis consistit, ab omni turpitudine alienis, vnanimiter licitam esse docent oẽs Philosophi, qui de moribus scripserunt, qui facetè dicta iocos, & sales inter virtutes connumerant, si quis mediocriter, & decoreeis vti sciat. Hæc autem mediocritas à Græcis Eutrapelia dicitur, à latinis urbanitas; quò fit, vt si qs cum modo, & ratione iocetur, si sit in gratia constitutus, gratiæ augmentum mereatur; quod si solam delectationem iocando pro fine haberet, culpam uenialem contraheret. *ita Plato lib. 4. de republ. Arist. lib. 4. Ethic. Cicero, & D. Ambros. in libris de officijs. D. Thom. 2. 2. q. 168. ar. 2. Less. lib. 4. de iust. & iure. q. 4 dub. 13. Vigner. in Instit. theol. cap. 7. §. 5. vers. 12. & alij omnes.* Quam manifestam doctrinã hæc, vt multa prætermittamus, exempla comprobant. Viderat forte D. Martinus ouem iam recẽs tonsam, en Euangelicum, inquit, mandatum ista compleuit, duas habuit tunicas, & vnã largita est non habenti; & ad discipulos conuersus, ita & vos facere oportet. &c. Thom. Morus Ictũs ac strenuus Christi Martyr, sermone lepidus, & facetus, cu dã percunctanti, quid de compulsis illis, & ad omniũ aspectus expositis sentiret? scite respondit, Quàm multi in hoc seculo eo labore Infernum mercãtur, cuius vel dimidio Cœlum lucrati fuissent. Ludouicus XI. religiosissimus Galliæ Rex audiens indoctum quendam instructissimam habere bibliothecam, dixit; eum similem esse gibboso, qui molem in dorso portans, eam nunquam aspiceret. Vnde sequitur, clericos, & religiosos, qui grauib. studijs, & reb. spiritualib. multum intendunt, hoc solatij genere subinde vti posse. Quod etiam Cassianus *collat. 24. c. 20. & 21.* satis docet, idque confirmat exemplo, & responso D. Io. Euangelistæ, qui similitudine arcus assidue intenti, & nunquam laxati, hanc rem declarabat. Porro tria sunt hic ab his maximè cauenda,

1 Primo, vt absit omnis iniuria, obscœnitas, & illiberalitas; illiberale. n. iocandi genus ecclesiastico, & ingenuo homine est indignum, quale solet esse aurigarum, nautarum, baiulorum, & similiũ ex hominum fæce, qui contumelijs, sordib. & nugis delectantur, ut ait Cicero, & Scholiastes *lib. 1. off.*

2 Secundo ne nimium in iocosa, & ludicra sint profusi, nam ex sapientum sententia, Parum delectationis ad vitam quasi pro condimento sufficit, sicut parum salis pro condiendo etiam magno cibo satis est. Et quemadmodum ineptum, & absurdum esset conuiuiũ, in quo cibi parum, condimentorũ magna varietas, & cõpia apponeretur; sic omnino pessimè profecto illa vita instituitur, quæ fructuosi laboris modicũ, aut nihil absumeret, iocis autem, & inani otio tota vacaret. *Stap. in vita Thomæ Mori. c. 13.* Et licet clerici, vt populi, & secularium in Deum prouocent affectum, lenitatis blandimẽtis, affabilitatis, & iucunditatis lepore prædıti esse debeant, nam verbum dulce multiplicat amicos, & lingua eucharis. i. gratiosa in homine bono abundat. *Prouer. c. 15.* est. n. affabilitas dulcis musarum quasi Philomela, cuius voce omnes sine offensione capiuntur, eorum tñ sermo diuino condi-

tus sale proferri debet, vt de D. Antonio tradit *Baron. Anno Christi. 328. Et Tymp. in Theat. hist. tit. de affabilitate.*

3 Tertio ne in rebus sacris adhibeantur v. g. in concionibus, vel sermonib. ad populum habendis. Vnde Concil. Trid. *sess. 4. in fine*, mandat, & præcipit, ne de cætero quisquam vllis sacræ scripturæ locis vtatur ad scurrilia, fabulosa, vana, &c. Atque idem dicendum est, de musica quæ fit ad animum recreandum cum debitis circũstantijs adhibeatur, virtutis actus sit, & animi curas, & tristitiam pellat iuxta illud: *Dulcisonum reficit tristia corda melos*, vt dixi in Comment. de hu. vitę stat. *p. 2. c. 14.*

QVÆSTIO XL.

AN ALEARVM LVDVS SIT CLERICIS prohibitus.

AN quò ad facta, clericis ludus alearum, ac taxillorum sit prohibitus? R. illis interdici, & ludere, & ludis interesse. Theuth. n. i. Dæmõ, vt est apud Platonem, aleæ ludũ inuenit, ac ea est gñalis conditio, vt vbi semel ipsius ludi prurigo, & scabies animum alicuius occupauit, ęgrè excuti queat, & c. Lusores etiam milites, & corruptissimi homines, & quibus nulla honesti, decoriq. cura passim reprehẽdũtur, hinc Ægyptij ciuib. suis vsq. adeò alearum vsum inhibebãt, ut aleator omnib. accusare volentibus obnoxius esset, nec talioni accusator subiaceret. Et meritò, maximas. n. bene cõstitutis familijs clades hæc vna pestis sæpe intulit, sæpeq. præclara adolescentiũ ingenia huius mali cõtagio trãsuersa egit, euertitq. ita vt ex eo ludo viginti, & duo mala vtplurimũ prouenire Doctores asserant. Quis ergo in clericis, & regularib. Deo dicatis, & mundo mortuis feret, quod ne dissolutis quidem ac perditis conceditur? Themistocles Atheniensium Dux cũ ad taxillorum ludum ab alijs inuitaretur, negauit se illius ludi peritum, interrogãtibusq. quid tandẽ sciret, respondit ex parua republ. noui magnam facere; quo responso significare volebat, viri cordati, & sapientis esse, vilib. & leuib. se reb. non addicere, sed magnis, & grauib. inhiare, *DD. in c. Episcopus. dist. 35. in c. inter dilectos. ext. de excess. Prælat. c. clerici officia. de vita, & honest. cler. §. interdicimus. in Auth. de episc. & cler. Conc. Trid. sess. 22. c. 1. & sess. 24. c. 12. de reform. D. Ant. 2. p. tit. 1. c. 23. §. 6. Malderus 2. 2. tract. 1. c. 13. dub. 1. Lessius l. 2. c. 26. & l. 4. c. 4. dub. 13. Salas in 22. tract. de ludo. dub. 24.*

Vnde cum canonicæ leges hos alearum, & taxillorum ludos viris ecclesiasticis vetantes in suo robore vigeant, dicendum est, clericos eas violantes morrifere peccare, nisi tamẽ raro animi reficiendi gratia, in parua quãtitate, & priuatis parietib. absq. scandalo luderent, &c. Et si religiosi viri non ita facile ob perfectioris vitæ obligationẽ à culpa excusarentur, Porrò & si ex cõi snia scacchorum ludus, qui ingenio magis, quàm fortunæ innititur, clericis, & religiosis inculpate concedatur, cum tñ hoc ludi genus non multum delectationis, sed plurimũ laboris, & intentionis animi secum afferat, proinde Ecclesiastici ab eo abstinere deberent, cum magis mens in eo defatigetur, quàm si in rerum difficillimarum studio versaretur, & perniciosus ob tẽporis iacturam conspiciatur. *Gabr. in 4. d. 15. q. 13. dub. 2. Nauar. c. 20. nu. 3. Carbo. de restit. q. 38. Sayr. in clau. reg. l. 11. c. 12. nu. 5. Baron. tom. 11. an. 1601.*

QVÆSTIO XLI.

QVID DE LVDO LARVARVM, ET COmœdijs, choreis, venationibus, &c.

QVid de ludo laruarum, comœdijs, choreis, & venationib. & hmõi? R. primo ob personę dignitatem, nec clericis, nec regularib. licere personatos incedere: nec desunt, qui sentiant, cunctos clericos, qui sacris initiati sunt, omnesque religionis approbatæ professos sacrũ habitum, quẽ tueri eos oportet, in illum fœdum qui ludionum, ac mimorum est, conuertentes, culpam æterno supplicio dignam contrahere, & professos religiosos excõicationis censura percelli, vt tenet *Salon. 2. 2. q. 5. de domin. art. 6. concl. 2. Ang. in v. ludus. nu. 2. Comitulus in respon. cas. consc. lib. 6. c.* 8. Alijs tamẽ mitiori sensu videtur, clericos haud mortaliter delinquere, si scandalum, & prauus finis absit. *Less. l. c. dub. 13. Viual. in cand. aur. in 3. p. c. 18. nu. 37.* Quò ad secundam quæstionis partem fatendũ est, clericis, & religiosis nefas esse comœdijs interesse. *c. non oportet. el 2. de cons. dist. 5. c. clerici. el 2. de vita, & honest. cler.* Nonnulli tñ clericos excusant à mortali culpa, si cessante scandalo, & secluso periculo in aliquam morosam delectationem labendi, ob quandam solum vanam curiositatem, eas audirent, etiã si aliqua turpitudinis labe ipsæ comœdiæ aspergerentur, *Sanchez. lib. 9. de matrim. disp. 46. nu. 41. & Paulus Squil. de oblig. cler. p. 2. nu. 45.* Idem dicendum est de choreis, vt. s. ecclesiasticis oib. interdicantur, tum quia à religiosa grauitate id alienum est, tùm quod mulierum aspectu animi labefactantur, nam ex sapientis snia, Aspectus mulieris, & fulgor auri hominem corrumpunt; nisi fortè & loci, & temporis qualitas, & operis modicitas, à mortifera noxa eos immunes reddat, &c. *Graff. lib. 2. decis. aur. c. 121. nu. 14.* Eadem ratione clerici beneficio donati, vel sacris initiati, & religiosi, qui taurorum agitationib. vel spectaculis intersunt, mortalis culpæ rei fiunt, nisi aliqua circũstãtia eos excuset. &c.

Nau.

Nau. c. 15 *nu.* 18. *Corrad. in resp. cas. consc. q.* 195.

Quarto loco illa sit assertio, venationem esse clericis, & religiosis à iure uetitam, si canes, & accipitres adhibeant, seculare.n. est hoc munus, à quo abstinere clerici debent, tùm quia à diuinis auocant, quibus assiduè operam eos præstare oportet, tùm quia scandalum obclamores, & strepitus præbent; at si sine contemptu, scandalo, ac temeritate fiat, eos mortalis culpæ nota non inficit, imò fortè nec venialis, si rara, & moderata fit ad reficiendas animi uires, uel corporis ualetudinem tuendã. &c. *Mol. de iust. & iur. disp.* 34 *Val. disp.* 5. *q.* 8. *puncto* 1. *Less. l.* 2. *c.* 5. *dub.* 9. *n.* 1. *Vgol de off. Epi. p.* 1. *c.* 13. §. 21. *Campan. in diuers. iur. can. rubr.* 4. *nu.* 31.

QVAESTIO XLII.

AN SE IN BALNEIS LAVARE. &c.

Licet ne clericis, & religiosis animi recreandi causa, & studio lauandi corporis balnea, vel flumina ingredi? &c. R. dico natationes, & lotiones corporum in mari, fluminib. stagnis, uel similibus aquis, tanquam parum honestas, & religiosæ modestiæ, uel disciplinæ repugnantes, ac periculosas, ecclesiasticis uiris interdici, fieri namq. nõ potest lotio sine nudatione, qua corpus, uel proprijs, uel alienis oculis exponitur. Omnes quippe nationes quodam naturæ instinctu nuditatem corporis ostendere indecorum existimãt. Hinc D. Doroth. *serm.* 20. Caue, inquit, ne aliquo præsente membra tua detegas, & uehementer licet æstues, & caleas; noli tñ aliquod mẽbrorũ tuorũ detegere, vel denudare. Accessus tñ ad externa lauacra, sanitatis causa, aliqñ cautelis religiose adhibitis, cõcedi potest, negare. n. oĩno non audet D. Aug. *in reg. c.* 19. cum ait, lauacrum etiam corpori cum infirmitatis necessitas cogit, minimè denegetur.

QVAESTIO LXIII.

AN LAICORVM CONVIVIIS INTERESSE.

Est ne illis integrum leuandi animi causa laicorum conuiuijs interesse? Respon. fas aliquando honestis amicorum, & deuotorum hominum cõuiuia excipere, *cap. conuiuia. d.* 44. *Couar. in c. fin. nu.* 4. *ext. de test.* Conuiuij vero illa est generalis regula, ut inuitatus ex humilitate sedere quærat in nouissimo loco. Secundo ut sileat, uel alios ad profectum audiat, aut vnde alij proficiant, salutiferum proferat sermonem. Si quidem & Dñs noster inter comedendum uerba uitæ sæpe auditoribus miscebat. Tertio ut ad bibendum non inuitet. *c. nullus presbyterorum d.* 40. *Io. n. Gabut. in vita Pij V. l.* 1. *c.* 12. Conuiuium oẽ trib. itidem constare oportere ex Menalippi Varronis colligituri, lectis uiris, lecto loco, lecto tempore: Quale profecto fuit Christi D. N. quando in Matthæo ad eum conuertendum discubuit, simul nobis insinuans, nos corporaliter reficiendo posse proximo accumbenti spirituales cibos suppeditare, & ea esse demum lectissima conuiuia, in quib. non tam cura est corpus pascere, q̃ proximi morbos, q̃ tũc maximè se produt, sanare. &c.

QVAESTIO XLIV.

QVAENAM SINT CLERICI, ET RELIGIOSI partes circa quartam modestiæ speciem.

Cvm quarta modestiæ species, ut superius dictum est, in corporis cultu, & ornatu consistat. Quæritur quænam circa eam sint clerici, & religiosi partes? R. Cum tria sint ut alias significauimus, quæ hominis interiora produnt, amictus corporis, risus dentiũ, & incessus hominis, sanè è trib. his exteriorib. argumẽtis, maximè è cultu corporis de clericis, & monachis dijudicare põssumus; si. n. is modestus sit, quamprimùm de illius uirtute arguitur, si uerò dissolutus, & immodestus mũdanus, & irreligiosus, ac improbæ uitæ esse dignoscitur. Nam ex D. Bern. *in Apolog.* Vanum cor uanitatis indicium ingerit corpori. Exterior. n. superfluitas interioris uanitatis argumentum est. Mollia indumenta animi mollitiem indicant. Non tantum curaretur corporis cultus, nisi prius neglecta fuisset mens inculta uirtutib. Quare & Plutarchus in uita Phoclonis refert Alcibiadem quendam Laconi. stam magnam sibi authoritatem non probatis moribus sed barbæ prolixitate, graui habitu, incessu; & supercilio comparasse; qui cum aliquando publicè mentitus esset, correctorem Phocionem habuit, q̃ barbam eius apprehendit, eamq. quasi demulcens dixit, quam decuerat hanc barbam, & indumenta boni uiri indicia priusquam mẽtireris, deposuisse? Porrò corporis habitus à clericis deferendus talis esse debet, ex quo ecclesiastici ordinis hominem eum esse dignoscatur, cuiusmodi est,

1 Vt primo uestes sint nigræ, & talares, in signũ mortificationis, quam assiduè clerici in suo corpore gestare debent, & in testimonium maturitatis, grauitatis, ac prudentiæ, qua fulgere eos oportet. Talares autem uestes iudicabimus clericis decentes, nec nimis longas, nec nimis breues, quib. modesti, ac religiosi Sacerdotes ex regionis usu, & Epi ordinatione uti solẽt. *Abb. & alij DD. in c. clerici officia. ext. de vi. & honest. cler. Syl in v. cleric.* 2. §. 3. *Vival. in explanat. Bul. Six. V. n.* 10. *Graff. lib.* 3. *decis. aur. c* 3. *n.* 3. *Vgol. de off. episc. p.* 1. *c.* 13. §. 2. *Corrad. in resp. cas. consc. q.* 36. *Steph. Quar. in sum. bull. in v. habitus cleric. & vide inf. tract.* 3. *c.* 1. *q.* 5. *& seqq.*

2 Secundo requiritur, ut uestes sint huiusmodi, ut neq. sordes, neq. delitiæ in his notentur, cum in utroq. culpa subesse possit; nã sicut ornatũ corporis infucatũ laudamus, ita dissolutos, & fractos uestib. non recipimus, cum nec affectatę sordes, nec exquisitæ delitiæ laudes patiantr. *D. Thom. secunda secundæ, quæst. 169. ar. secundo c. 2. c. parsimoniam. c. clericus. d. 41.* Vnde Isocrates in Parænesi ad Demonicum monet, in uestitu honestam munditiã amandam, exquisitam uerò elegantiam, & luxum, ut superuacuum aspernandum esse. Et simile quippiam præcipit Horatius auream mediocritatem designans. *l. 2. serm. Satyr. item 2.*

Mundus erit, qui non offendet sordibus, atq́. In neutram partem cultus miser.

3 Tertio ecclesiasticus habitus exigit, ut clerici tonsuram clericalem deferant, quæ rerum temporalium abdicationem, & spineam coronam Christi capiti impositam designat. Vndè meritò nõnulli DD. contra clericos inuehuntur, qui coronam regalis dignitatis insigne, prout tenentur, gestare dedignantur, ut propterea illam in alio sæculo amittant, quam à se in isto tàm turpiter abiecerunt. Cõuenit uerò, ut Sacerdotum tonsura quantitatis sit hostiæ magnæ, cæterorum nõ minor hostia parua, & saltem decimoquinto quoque die renouetur, ut tonsura illa, quæ spiritualis militię monimentũ est, oĩb semper sit perspicua. Ad quem quidem habitum, & tonsuram ex Pontificijs constitutionib. tenetur clericus, qui gaudet beneficio, aut pensione excedente 60. aureos de camera, alioqui ipso facto officijs, & beneficijs, & pensionib. est priuatus. &c. *Reginal. l. 3. praxis for. pæn. tract. 3. à n. 10. usq. ad 16. Garzias de benef. p. 7. c. 1. nu. 18. D. Thom. & alij Scholast. in 4. sent. dist. 24. gl. in clem. 2. tit. de vita, & honest. cler. Catechis. Rom. de ordine. Alber. Trotius lib. 2. de perfecto clerico. c. 39. Vinal. in 2. p. cãd. aur. in fine.*

4 Adde ut comam, barbãq. comptã, nutritamq. & ab utraq. parte intortam, & militari, ut aiũt, more productam, non gerant; sacris. n. canonib. expressè clericis, & monachis prohibetur, ut ad sæculi põpam, luxum, fastumq. uitandum, & in signum mortificationis, barbã, comamq. nõ nutriant; alimentũ aũt barbæ, uel comæ eiusdem abrasioni ẽt tonsioni opponitur, ut barbã alere dicatur, qui eam non tondet. Proinde Sacerdotes, & monachi barbam non nutrire debẽt, q͂n uel penitus abradere, uel undiq. ad uiuum æqualiter tondere, & superioris labri pilos frequenter resecare, ne quid cõsecrati uini, atq. adeò diuini iam sanguinis haurientis labro adhæreat, &c. *D. D. in c. duo. 12. q. 1. c. cler. ext. de vi. & honest. cler. c. fin. ext. de cler. coniug. clem. graui. tit. de celebr. Miss. & Bulla Sixti V. incip. Cum sacrosanctam.* Propterea apud oẽs constitutum est, vtrumq. hominum genus, lethale crimen incurrere, si habitum, & tonsuram proprio statui congruentem non gerat, quia & si habitus, vt est in veteri pronunciato, non faciat monachum, oportet tñ viros in sortẽ Dñi vocatos vestes proprio ordini conuenientes semper deferre, vt per habitus decentiam extrinseci, miorum honestatem intrinsecam ostendãt. Nec cõis inter seculares hoĩes mos ob suorum funera lugubrem vestem sumendi in clericis probatur; hos n. Deo addictos nõ lugere suorum mortem decet, luctusq. insigne præferre, sed animam humanis miserijs defunctam, sanctis, ac pijs precib. Deo commendare, ac suam erga cognatos pietatem hoc officij genere potius, quàm vestis mutatione testati, & non fractum dolore animum, sed constantem, & res humanas æquanimiter ferentem, in vnumque Deum intentum, profiteri. &c. *d. c. clerici. ext. de vita, & honest. cl. gl. c. Deus qui. eod. tit. gl. in c. 3. 16. q. 1. Conc. Trid. sess. 14. de reform. c. 6. Graff. p. 2. decis. aur. l. c. 18 Comitul. in respõ. mor. lib. 6. c. 8. Menoch. l. 2. de arb. iud. cent. 4. casu 392. & cent. 6. casu 561.* Quò fit, vt examinatores antequam examinandi interrogandiq; initium fiat, quò quisq. habitu sit spectare dẽant, admitti. n. nõ debebit, q tonsurã, & clericalem ornatum, vestemq. non feret, aut eã sordidam nimis, laceramq. habeat; rarò namq. fit, vt animo culto sit, quem indignarum corporis sordium non pudeat, & vt dixi, ingenuos quidem omnes, sed maximè clericos, & religiosos, honestæ, minimeq. exquisitæ munditiæ decent. *Synod. Amer. de ordine. c. 240. Conc. 5. Prou. Med.*

DE TERTIA CONDITIONE, qua clerici, vel regulares examinandi suffulti esse debent, quæ est scientia. Cap. IX.

QVAESTIO XLV.

QVAENAM SIT TERTIA CONDITIO, qua examinandi vt subiecta materia præditi esse debent.

QVænam est illa tertia conditio qua examinandi, vt subiecta materia præditi esse debent? R. Est scientia, & rerum peritia. In ueteri nãque lege pręcepit olim Deus, ut Aaronis rationale duo hæc verba velut quoddã symbolũ inscriberentur, Doctrina, & veritas. *Exo. c. 28.* per hoc (vt alias dixi) innuẽs clericos, & religiosos diuino cultui addictos, doctos, eruditos, ac sapientes esse dẽre. &c. Si Dauid talis tantusq. Rex *Ps. 118.* Scientiam enixè à Deo postulabat, qua alios in temporali regimine dirigeret; multo magis sacerdoti necessaria est, eaq. illi potius à Deo petenda, cuius ope Christianum

stianum populum edocere, ac instituere, in viamq. salutis dirigere possit. Ecclesia namq. Dei ad sui exaltationem, bonum regimen, & christianæ fidei incrementum, viris literatis indiget. *Felyn. in cap. si quando. ext. de rescript. Roland. cons. 47. Gonzal. gl. 4. n. 4. Lud. de Ponte de pfect. christ. tom. 4. tra. 6. c. 4.*

Verè Sapiens *Prou. c. 19.* pronuntiauit, Vbi non est scientia, animæ non est bonum. Et sanè ita res se habet, nam vbi clerici, & religiosi ignari sunt, animis nihil boni euenire potest, nec Dei Ecclesia, quiete, & pace florere. Dixit olim Cicero *lib. 1. de finib.* sublata cognitione, & scientia, & vitæ degendæ, & rerum agendarum omnem rationem tolli. Quod orator ille de repub. & Ciuitatum administratione dicebat, de statu religionis, & fidei potiori iure asserẽdum videtur, certũ esse. sublata à Dei ministris scientia, & doctrina, omnem rationem, & salutis obtinendæ, & rerum in hoc mundo rectè agendarum auferri. Et quidem quæ calamitas reipub. christianæ, vbi ignari, & stupidi Sacerdotes, præficiuntur? Q. olim Dñs per Prophetã. *Isa. c. 5.* deplorans dicebat, Propterea captiuus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam, & nobiles eius interierunt fame, & multitudo eius siti exaruit. Et nemo negare potest, ob eruditorum sacerdotum defectum animas in captiuitatẽ misere abduci, fideles Christi uerbi Dei pabulo destitutos fame confici, & necari, & hac ianua oẽs omnino calamitates in orbem inuehi. Et *Oseæ c. 4. & 6.* idem do minus comminatur dicens, Quia tu sciẽtiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi, scientiam Dei volo plusquam sacrificium. Quib. uerbis Petrus Sotus *de institut. sacer. lect. 1.* ait, Scientiã nõ minus coniunctam esse sacerdotij gradui, quàm sit ipsa sacrificij oblatio, ut tolerabilius sit sacerdoti non sacrificare, quàm non intentum esse diuinæ legis studijs. Vnde in Conc. Tolet. *4. c. 24. & in cap. ignorantia. d. 38.* legitur, Ignorantia mater cunctorum errorũ maximè in sacerdotib. Dei uitãda est, qui dicendi officium in populis susceperunt. Sacerdotes. n. legere sanctas scripturas frequenter admonet Paulus Apostolus dicens ad Timotheum, Attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ, & semper permane in his. Sciãt igitur Sacerdotes scripturas sanctas, & canones, ut omne opus eorum in prædicatione, & doctrina consistat, atq. ædificent cunctos, tàm fidei scientia, quàm operum disciplina, hæc ibi. Et Gelasius Papa *relatus in c. 1. d. 36.* Illiteratos, inquit, aut aliqua corporis parte vitiatos, vel imminutos nullus præsumat ad clericatus ordinem promouere, quia literis carens sacris non potest esse aptus officijs, &c. Vnde firma & manifesta est illa DD assertio. S. Pontificem non posse aliquem legem soluere, ut penitus literis carens ordinib. initietur, aut ecclesiastic's ministerijs, quæ necessario ad illa obeunda literas, & scientiam requirunt, destinetur, eo quod à iure naturali, & diuino descendit, ut sacerdos debita scientia fulciatur. &c.

Propterea clerici omnes in Ciuitate commorantes ad conciones, & lectiones sacræ scripturæ assiduè accedere deberent, præcipuè uero ad lectionẽ casuum conscientiæ, quæ ab Episcopis in Cathedralib. instituitur. Porrò clericorum bibliotheca, & si paucis libris contenta esse debeat, illis tamen cauendum, ne sint libri sine lectore, qui à carie, & puluere consumantur, &c. *Sayr. lib. 6. de irreg. cap. 3. §. 1. Turrecrem. in c. si in laicis. d. 36. Io. Longhe cruceius. de vita & honest. ecclesiast. lib. 1. c. 5.*

QVAESTIO LXVI

AN AEQVALIS IN OMNIBVS ECCLEsiasticis scientia requiratur, & quænam in promouendo ad primam tonsuram, ad minores, & etiam ad maiores ordines requiratur.

Requiritur ne in oĩb. ecclesiasticis viris æqualis scientia? R. quod nõ æque ab omnib. summa reconditarum rerum scientia exigitur, sed quæ ad suscipiendi, uel iam suscepti officij, & ministerij functionem vnicuiq. satis esse possit. Qua in re multa Iudicis arbitrio tribui solent, quippe quod ob ordinum, & beneficiorum, seu munerum varietatem quib. clerici præponuntur, certa regula dari nõ possè uideatur. &c. Et si illud certum sit, eum dici idoneam scientiam habere, quæ sufficiens est, perpẽso illius officio, loco, & ordine, eo quod singuli ea nota habere debeãt, quæ ad eorum statum, & munus pertinent. Alioqui eos complectetur illa Apostoli, maledictio. *1. Corinth. 14.* Si quis ignorat, ignorabitur, hoc est qui ea negligit scire, ad quæ tenetur, à Deo reijcitur negante se illum agnoscere, nec eũ approbante, vt in Cœlum ingredi queat. *Innocen. in c. cum in cunctis. ext. de elect. Card. Zab. Imola, & Bonifacius in clem. 1. ext. de ætate, & qualit. D. Tho. 1. 2. q. 76. art. 1. & 2. Fgol. de irregul. c. 3. §. 2. Lopez in comment. ad Diaz. c. 21. Menoch. l. 2. cent. 5. de arbit. iudic. casu 425.* Nunc vero quidquid olim à iure cautum esset, quæ scientia in singulis ordinibus, & beneficijs necessaria sit, potissimum ex Concilij Tridentini decretis explicatum, ac diffinitum est: Siquidem prima tonsura initiari nõn debent, qui sacramentum confirmationis non susceperint, & fide i rudimẽta edocti non fuerint. Quiq. legere, & scribere sua materna lingua nesciant. Quapropter, vt suo loco infra dicemus, præter hoc, vt examinãdis proponatur, vt aliquem librum legant, & aliqd scribant, super doctrina christiana, quæ parua dicitur, examinandi erunt. Sed cum singuli beneficia

rij debeant diuini officij pensum exoluere, inde fit, vt clericus prima tõsura præditus cum ad aliquod beneficium promouetur, quodcũq; sit illud, latinè legere scire cum oporteat, quò horarias preces recitare possit. Minores ordines his, qui saltem linguã latinam intelligant, per temporum interstitia conferendi sunt, vt accuratius quorum sit huius disciplinæ pondus edoceri possint; qui etiam exactius, & explicatius de doctrina christiana interrogandi sunt. Nec Epactam ignorare deberent, cum. n. ad eos spectet Martyrologium in choro recitare, hoc ab eo fieri non potest, qui ecclesiasticum computũ nescit. *Conc. 5. prouin. Mediol. de sac. ord.* Cum verò Grammaticæ regulas intelligere eos oporteat, ita. vt ... ndus erit aliquis liber facilioris sermonis, put Euangeliũ, vel epistola, vt lecta construant, & latinas voces vulgari lingua explicent. &c. Qui Subdiaconus, vel Diaconus est eligendus, scire dẽt ea, quæ ad sui ordinis munus obeundum pertinent, & qui probè versatus sit in minorib. & sacris literis sit instructus. Qui est Presbyter creandus, cum scire oportet, quæ cũb. ad salutem nosse necessarium est, & ea pariter, quæ ad conficiendum sacrosanctæ Eucharistiæ sacramentum pertinent; nec non missæ ritus, & cæremonias, & defectus in illa occurrentes. Porrò certum est, non requiri tantam eruditionem in eo, qui fit simplex sacerdos ad celebrandũ tantum, & ad conficiendum verum Christi corpus, quanta in suscipiente curam animarum exigitur, qui supra corpus Christi mysticum potestate fungitur. &c. vt supra annotaui in causa efficienti, & inferius dicam. Hæc omnia eliciũtur à Conc. Trid. *sess. 23. c. 4. c. 1 1. c. 13. & c. 14. & ex D. Thom. in 4. sent d. 34. q. 1. d. 1. Catechis. Rom. de ordi. Menoch. lib. 2. de arbit. iud. casu 426. Vgol. de irregul. c. 3. §. §. 2. Lop. in schol. ad Diaz. c. 21. Sayro. lib. 6. de irregul. c. 14. nu. 6. Henriq. l. 10. de sacramento ord. cap. 16. in fi. Garzia de benef. p. 7. c. 7. Riccio in sua Prax. decis. 311. Molfes. tract. 2. cap. 13. Roder. in qq. regul tom. 1. q. 24. a 7. Pet. Sot. de Insti. sacerd. lect. 2.*

Hic etiam illud annotandũ est, quod sciã, & peritia in examinandis præsertim in ordinib. nõ præsumitur, nisi probetur, qñquidem doctrina est qd extrinsecum, & hoĩ accidentale, quod ei inesse nõ creditur, cum labore comparetur; proindè non per testes, & famam, sed re ipsa scrutinio, & examinatione probari debet, ita ut neq. regulares excusentur, quominus ipsi examini quò ad doctrinam subijci possint, quamuis quò ad ætatem mores, & vitam Superiorum suorum testimonium illis sufficeret. *c. si fortè cum gl. in v. scientia. de elect. l. 6. Menoch de præsump. l. 6. præsumpt. q. 1. nu. 18. Paris. de resig. l. 10 q. 3. n. 64. Gonzales super regul. 8. cancell. gl. 4. nu. 105. Paces. p. 1. c. 2. n. 40. & n. 49. Gutierez. in can. qq. l. 1. c. 26.* Vbi hęc verba subijcit, Caueant Epi, ne indoctos ordinent, atq. eos, qui malè legũt, ne ignorantia contemptum pariat. Caueant ab ordinando pueros in aspectu, etiamsi 25. annum explerint, ne id in opprobrium ordinis clericalis subrepat. Et præterea ne his sacri muneris dispensationem committant, qui ob intellectus imbecillitatem, diuina mysteria paruipendũt. Regulares quoq. nec in minori ætate, nec sine diligenti Epi examine ordinentur. Et *Marc. Anton. Gen. in Man. Past. c. 55. ac Paris. l. c. l. 2. q. 6* maximè, inquiunt, studere dẽbent Epi, ne indignis ordines cõferãt, ne tanti mali occasionem præbeant. &c.

QVAESTIO XLVII.

QVAE SCIENTIA IN CONFESSARIO requiratur.

QVæ scientia in Confessario exigitur? R. duplici sciã fulciri dẽbet, iudiciaria. s. & medicinali. De prima habetur in sacris canonibus. *c. 1. §. caueat. de pænit. d. 6 & in c. iudicantem. 30 q. 5.* Caueat spiritualis Iudex, vt sicut non com misit crimen nequitię, ita non careat munere scientiæ, oportet. n. vt sciat cognoscere, quidquid debet iudicare. &c. Iudicantem oportet cuncta rimari, & ordinem rerum plena inquisitione discutere. Vnde in gñe loquendo, triplex scientia est confessario necessaria, quò rectè iudicandi munere fungatur. Primo potestatis, vt probe norit quousq. sua potestas se extendat, ne in messem alienam falcẽ immittat, & sacramentalem absolutionem impediat &c. Secũdo iuris, vt discernat inter lepram, & lepram, & cognoscat ordinarios peccandi modos contra leges Dei, & Ecclesiæ, & speciales status, & ipsius pœnitentis efficium. Tertio scientia facti, ei opus est, vt ipsum pœnitentem reum interroget; si quidem in sacramenti pœnitentiæ iudicio aperire debet librum scientiæ, & cognitionis suæ, memoriam renouando legum, & iurium, quæ ad suum tribunal pertinent. Et simul recludẽdus est liber conscientiæ penitentis, qui iudicandus est: & quamuis hunc librum reserare ad ipsum pœnitentem spectet, à quo confessarius notitiã, & informationẽ materiæ de qua ferẽdum est iudicium, haurire debet; ipsius tñ confessarij partes sunt, reum penitentem suis scrutinijs, & interrogationib. adiuuare, ex cuius responsis plenam factorum cognitionem sibi comparet, & implicatam conscientiam extricet. Hinc *Conc. Colon. c. 33.* Magnoperè, ait, necessariũ iudicamus, vt sacerdos, qui à confessionib. est, sit integer, eruditus, silentij tenax. Alioqui si ad quæstum intentus sit, si ad malum sollicitet, si curiosior explorator sit, si pertinacib. blandiatur, & intricatas conscien-

scientias extricare nesciat, dispensandis magis, quam p[r]ascendis suis, videbitur idoneus. Vnde & Pœnitētiarius vt Iudex in cathedralib. Ecclesijs eligendus nō est, nisi sit doctor, aut licētiarus in theologia, vel iure canonico. &c. *Conc. Trid. sess. 14. c. 7. & sess. 24. c. 8. vt dixi in Cōment. de stat. p. 1. c. 10.*

Præter superiorem peritiam, quæ confessario, vt Iudici necessaria est, scientia ēt medicinalis exigitur, qua ægrotanti animæ mederi possit, & ea in posterum adhibere remedia, quæ contra vim morbi aptiora esse videbuntur, ac more periti medici vinum, & oleum vulnerib. sauciati superinfundere sciat. *c. omnis. ext. de pæn. & remiss.* Addo tertio loco necesse esse, vt scientia polleat, quia & Doctoris, & magistri in suo tribunali personam sustinet, non quod Doctoratus, vel Magisterij laurea insignitus esse debeat, multum. n. differunt doctoratus. & doctus, cum multi inueniantur Doctores, q̄ nec quidem discipuli nomen meruerunt; at contra multi docti non laureati, qui iure optimo magisterij gradum merentur. Ad eum proinde spectat, errantes pœnitentes instruere, & ignorantes vtiles veritates conscientiæ docere, si se profuturum speret, nec sibi, vel alijs graue incommodum cōsequatur; & non solum eos instituere circa ea, quæ interiorem hoīem tangunt, sed etiam erga illa, quæ ad bonam corporis, ac rei familiaris gubernationem pertinent, vt non tantum spiritualia spiritualiter, sed ēt temporalia iustè, piè, ac sanctè tractētur. Vndè concludendo dico scientiam, & prudentiam duos esse oculos ad videnda, & cognoscenda quæcunque ad proprium officium spectant; sciētia dat cognitionem eorum, quæ ad rectè obeunda officia Iudicis, medici, ac magistri, & ipsum sacramentum pœnitentiæ ritè administrandum necessaria sunt, ita vt nil eorum desit, quæ tres eius partes contritio, confessio, & satisfactio exigunt. Prudentia generales doctrinas, ac regulas ad cuiusq. pœnitentis particulares conditiones, iuxta rationis dictamen, oībus perspectis circumstantijs applicat. &c. *Henriq. de pænit. l. 3. c. 27. & 28. Ludou. de Ponte de perfect. christ. tom. 4. tract. 5. c. 5. Vital. in baculo Sacerd. c. 23. vide infra. tract. 5. c. 7. q. 40. & c. 11. q. 67.*

QVAESTIO XLVIII.

AN CONFESSARIVS DEBITA CARENS scientia hoc munus assumendo peccet.

QVi se huiusmodi sceītia nō instructum vidēs confessarij munus subit, peccat ne? R. vtiq. se mortalis culpæ vulnere conficit, qui hoc graue ministerium se insufficientem agnoscēs, suscipit. Quandoquidem nemo Iudicis, medici, vel Doctoris munus assumere debet, nisi necessaria ad iudicandum, curandū, & docendum peritia sit fulfultus, alioqui grauiter peccabit propter periculum, cui se exponit, non satisfaciendi veritati, & integritati sacramenti, etiam cum graui admodum proximi detrimento; & quia quilibet scire tenetur, q̄ officij sui est, q̄ si id nescit, & illud exercet, actum præsumptionis committere dicitur. *D. Tho. 2. 2. q. 130. ar. 1. & 2. D. Anton. 2. p. tit. 3. c. 6. §. 3. Suarez. tom. 4. disp. 28. sect. 2. Nau. in c. inter verba. n. 18. 11. q. 3.*

Ad tollendos vero scrupulos, qui ex prædicta doctrina facilè prodire possunt, aduertendum est, in dubio Confessarium debere acquiescere, atque accedere iudicio ipsorum Superiorum, & Examinatorum, quorum est ipsum, vel approbare, vel reprobare, siquidē hæc approbatio idoneitatis ab Epō, vel Examinatorib. facienda, non est actus gratiæ, sed iustitiæ, nec eis liberum est, aliquem approbare, vel reprobare, sed tenentur ferre iudicium, prout in Dño expedire censuerint. &c. Et ipse pœnitēs talem sibi in confessarium sibi eligere potest, si per specta conditione suæ personæ, illum qui approbatus ēst, sufficientem existimat. Culpa potius in ipsum Superiorem, & Examinatores transfunditur, si vel ex malitia, vel ex negligentia munus hoc audiendi confessiones in indignum, & idiotam conferunt. Proinde Epi, & Examinatores totis virib. contendere debent, vt per exactum examen periti confessarij ad hoc graue munus subeundum assumantur, etenim ab ignaris sacramenti pœnitentiæ administratorib. quæuis mala procedunt, ut meritò sapientissimus ille Pontifex Pius V. sæpe repetere soleret, Dentur idonei confessarij, doctrina, & animarum zelo pollentes, & ecce omnium Christi fidelium plena reformatio. *Syluest. in v. confessor. 3. nu. 3. Sotus in relect. de teg. vel detez. secret. memb. 3. q. 2. Graffius l. 1. decis. aur. c. 15. Lud. de Ponte. l. c. Thom. Mercat. de Mercat. c. 6. vt dixi in Comment. de stat. p. 1. c. 16.*

QVÆSTIO XLIX.

AN CONFESSARII AD TEMPVS approbari possint.

AN Confessarij, qui nō ita sufficientes quò ad scientiam reperti sunt, possint ab Examinatorib. non simpliciter, sed ad tempus approbari? R. vt confessarij magis cogantur conscientiæ casibus studere, & his quę ad munus suum ritè explendum sunt necessaria, operam nauare queāt, limitato tēpore, & loco, ab Examinatorib. admitti fas, imò consultius erit, vt sacra Cardinalium Congregatio in primis his uerbis declarauit, Regulares qui

qui ad confessiones idonei generaliter ab ordinarijs, eorumue Examinatorib. reperti, ac probati fuerunt, generaliter quoq. & indistinctè absq. aliqua limitatione temporis, certorumq. locorum, aut generis personarum admittantur in diœcesi propria. De cæteris vero, qui non adeò idonei reperientur, si petierint se admitti, arbitrio Ordinariorum relinquitur, ipsos cum limitata facultate, prout eisdem Ordinarijs magis expedire videbitur, probare, & admittere. Qui autem in domib. laicorum confessiones ex causa audierint, statim Parochum admonere teneantur, & fidem auditæ confessionis pro medico aduenienti relinquere, hæc ibi. *Pasecius in praxi Episc. par. 2. c. 1. Marc. Ant. Gen. in praxi Cur. Archiep. Neap. c. 59 & in Man. Past. c. 62. Quaranta in sum. Bull. in v. confessor. v. priuilegia regul. Vgol. de off. Episc. p. 1. c. 20. Miranda in Man. Prel. reg. tom. 1. q. 45 a. 10. Rod to. 1. qq. reg. q. 45. ar. 8. Suar. tom. 4. d. 28. sect. 7. vide inf. tract. 5. c. 3. q. 16.*

Propterea Ordinarij, & Examinatores videre debent, vtrum examinatus sit idoneus, vt audiat confessiones eorum, pro quib. exponitur, sine q. in eo loco, vbi confessiones audit, accedere solet, cum pro diuersis locis, varioq. hominum genere, diuersa quoq. scientia requiratur. Et quamuis in occurrentib. casib. non exigatur, ut possit ex tempore oĩa dubia resoluere, sed sufficiat scire dubitare, ac pœnitentem in aliud tempus remittere, quò in re difficili per se studendo, vel alios consulendo veritatem exquirat. *c. cũ. ext. de pœniten. & remiss.* hoc ipsum tamen raro fieri debet; Idcoq. ordinarius confessarius debet esse sicut ille Samaritanus, qui ei, qui in latrones inciderat, obuiam factus, vt peritus chirurgus, & suo officio attentus, de omnibus ad curam necessarijs sibi prospexit; neque enim opus fuit, curationem differre, & in quærendis fascijs hærere, quib. vulnera ligaret, nec vinũ, & oleũ inquirere, q in ea infunderet; nam omnia secum gerebar, & vbi opus fuit, exposuit, & vsus est. Ita prudẽs confessarius expectare non debet, vt studeat, & remedia eo tempore quærat, quo confessiones audit, sed semper quatenus fieri potest, memoria retinere debet scientiam, & cognitionem morborum omnium, ac vulnerum, & remediorum, quæ ad ea curanda aptiora iudicantur, vt statim ea applicare valeat. Proinde vt casuũ consciæ studium nõ abijciant, nisi sint valde periti, laudabile est cõfessarios ad ipsũ approbare. Quandoquidem, si videmus, *inquit, D. Thom opusc.* 65. medicos corporum suæ artis libros morituris corporib. remedia præscribentes assidua manu uersare, magna stultitia confessarij est medicin. alib. libris non incũbere; in quib. docetur, animas in æternum victuras curare. Hæc. n. scietia studium requirit, studij verò exercitium sine librorum vsu haberi non potest. *c. exijt. de verb. sign. l. 6.* Et quò magis Sacerdos à qualitatib. perfecti confessarij se distare videt, eo vigiliori animo, & humiliori mente pœnitentium confessiones audire debet, ita vt si perfecta scientia destituatur, illum bona conscientia tueatur, nam si Spiritus sanctus secum habitabit, vnctio eum omnia docebit &c. Siquidem vbi est humilitas, ibi est sapiẽtia. Et melior est homo, qui minuitur sapientia, & deficiens sensu in timore Dei, quàm qui abundat sensu, & transgreditur legem Altissimi. Et imperfectionem scientiæ supplere potest perfectio charitatis. *Ecclesi c. 19. & Prou. c. 11. c. nisi cum pridem. ext. de renunt. vide de scientia confess. infr. tract. 5. c. 7.*

QVAESTIO L.

QVAE SCIENTIA PAROCHO necessaria sit.

QVæ scientia Parocho, & animarum Curatori necessaria est? R. Qui in Parochum, & Pastorem ordinatur, eam scientiam callere debet, quæ ad rectè munus suam obeundum ei opus est. Vnde ea scire tenet, quę ad integritatem, & sacramentorum vsum spectant, maximè baptismi, eucharistię, pœnitentiæ, extremæ vnctionis, & matrimonij; qa in horum administratione frequens est, & digna administratio sine recta cognitione consistere nequit. Quinimmò cũ concionib. habendis idoneus esse debeat, scire quoq. tenetur catholicę fidei, & religionis chrianæ exactã doctrinã, q̃ ad populum erudiendum necessario exigitur. *Cõc. Trid. sess. 24. de refor. c. 14. & Toleto l. 5. c. 5.* Hinc Concil. Coloniense. *de ordinis sacramento.* Triplex est, inquit, Sacerdotis Parochi munus. Primo concionari. Secundo corpus, & sanguinem Dñi N. Iesu Christi consecrare, cæteraq. sacramenta, quæ ad eum spectant, debitè administrare. Tertio deniq. Deum pro salute, ac prosperitate christianorum, totiusq. ecclesiæ bono deprecari. Boni Parochi officium, ait, D. Gregorius Nazianzenus *in Apologet.* circa duplicẽ versatur cardinem, ideoq. vitam quasi cælestem, & insignem peritiam exquirit. Primo in anima sua purgari debet, deinde alios purgare, sibi sapere, & alios sapientiores efficere, lumen esse, & cæteros illustrare, ad Deum accedere, & alios eodem inuitare, vt alibi meminimus.

Non ministrare solum ritè sacramenta Parochi officij est, sed populum de illorum vi, atq. dignitate erudire, ad illius maxime curam pertinet; quod eo præsertim tempe præstare eum conuenit, cum in ipsorũ administratione versatur, vt populus illa maiori cũ religione suscipiat, & Deo eorum datori gratias agat, cuius summa clementia tot, tantaq. adiumẽta nobis ad beatã vitã consequendã tributa sunt. &c.

Id igitur vt Parochi præstare rectè possint, ne ipsi ignorare dicantur, quod docere alios debent, & ut sacramentorũ doctrinam, vim, notionẽ, penitus cognitam habeãt, sciant cũ ex alijs lectissimorum auctorum libris, tùm maximè ex Romano Catechismo, Concilio Tridentino, & ex Catechismo maiori Petri Canisij, atq; ex homilijs sanctorũ Patrum haurire poterunt. *Synod. Amer. c. 24.* Vnde & Conc. Trid. *sess. 21. de refor. c. 6.* admonuit, vt quia illiterati parochialium ecclesiarum Rectores sacris minus apti sunt officijs; & alij propter eorum vitæ turpitudinem, potius destruunt, quàm ædificant, coadiutores, & vicarij pro tempore eis dẽtur, &c.

QVAESTIO LI.

AN COLLATIO ECCLESIAE CVRATAE illiterato facta sit nulla.

QVæritur vtrum collatio ecclesiæ curatæ ei facta, qui requisita scia non est munitus, sit irrita? R. si omninò est illiteratus, inualida est, quia prorsus literis carens nullo mõ, q officij sui est, præstare põt. Si autẽ aliqua scientia suffultus sit, ita vt aliqua ex parte suo muneri satisfacere queat, irrita quidem non est, infringi tñ poterit; nisi breui sufficientem scientiam comparaturus putetur. *Concil. Trid. sess. 22. de refor. c. 4. Nan. in c. si quando excep. 16. ext. de rescript. Innocent. & alij in c. cum in cunctis. ext. de elect. Less. l. 2. de iust. c. 34. dub. 24. Garzias de beneficijs. p. 7. nu. 15. & 21. Azor. p. 2. l. 6. c. 6. Riccius decis. 390.*

QVAESTIO LII.

QVAE SCIENTIA IN EPISCOPO requiratur.

QVænam scia in Epis requiritur? R. Episcopi, qui in iure maiores, & perfecti sacerdotes dicuntur, & quib. primario oĩum animarum suæ diœcesis cura commissa est, & qui omni petenti rationẽ reddere tenentur, altiori profectò peritia indigere noscuntur; vnde iura canonica, & moralem theologiam callere debent nõ. n. facilè ij de vitijs, matrimonijs, censuris, & alijs hmõi negotijs controuersias sine illius ope dirimere ualerẽt. *Abb. & alij in c. 1. ext. de consang. Menoch. l. 2. de arb. iudic. casu 425. Vgol. de off. Episc. p. 1. c. 1. §. 1.* Imò olim exigebatur, ut utrumq; testamentum scirent, vt per sacram Scripturam, & suos docere, & alienos confutare possent. *c. omnes. d. 38.* Qua ratione Caietanus *ad D. Thom. 2. 2. q. 185. art. 4. Salon Bannes, & Aragon. 2. 2. q. 63. ar. 2.* contendunt, Epm Theologũ potius, quam Iurisperitum esse oportere. Hodie vero ex determinatione Conc. Trid. *sess. 22. de refor. c. 2.* præcipitur, vt in Epm eligendus sit in aliqua vniuersitate studiorum Magister, vel Doctor, aut licentiatus in sacra Theologia, vel in Iure canonico, vel quod publico alicuius Academiæ testimonio idoneus ad alios docendos probatus sit; quod si regularis sit, à Superiorib. suæ religionis similem attestationem habeat. Nec ista sufficiũt, quia cum Doctoratus priuilegium nõ faciat doctum, sed doctrina ipsa re uera requiratur. Clemens VIII. maturo consilio statuit, ut non solum laureati, sed docti, & eruditi viri ad Episcopalem dignitatem assumerentur; subindè decreuit, ut ad Epatus apicem in Italia promouẽdi in vrbe coram Papa, & sacra Cõgregatione Card. aliorumq; grauium, & peritorũ Prelatorum, & virorum; In Gallia vero, & Ispania, præsentib. S. R. E. Cardin. Legatis ibi existentib. & Legatis deficientib. ante oculos S. Sedis Apost. Nuntiorum, Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporũ, & Episcoporum, de speciali Pontificis mãdato, assistentib. alijs Prelatis, ac peritis viris, prout hmõi negotij qualitas requirit, se examini subijciãt, qui probati, & non alias ad Cathedralium Ecclesiarum regimina admittantur. Quippe absurdũ videtur, quod parochia lib. Ecclesijs præficiendi, rigoroso examini se subdere teneantur, at in Episcoporum ordinem coaptandi, qui in eorum diœcesi sunt oĩum parochorum Præfecti, haud examinati admittantur. Maiori scientia pollere decet S. Pontificem, cum curæ totius christianæ reipub. sit præpositus. Sicuti etiam Cardinales qui in regimine ipsi Papæ à consilijs assistũt, eminentis eruditionis esse conuenit; ideo patres qui Consilio Basiliensi interant. *sess. 23.* iudicabant Cardinales non esse eligendos, nisi Doctores, seu licentiatos cum rigore examinis in iure diuino, & humano. *Hieronym. Mans. de Card. c. 1. Menoch. de arbit. iud. casu 425. Azor p. 2. l. 6. c. 6. q. 10. Conc. Trid sess. 24. de refor. c. 5. Parisius de resig. benef. l. 8. q. 5. nu. 60. Henriq. l. 10. de ord. c. 33. nu. 3. Io. Franc. Leo in thes. fori eccl. p. 1. c. 3. n. 10. Bellettus p. 1 Disq. cler. §. 4. nu. 70. Acta Ecclesiæ Mediol. p. 1. Conc. 1. Prouinc. vt dixi in Comment. de stat. p. 1. c. 4. 5. & 6.*

QVÆSTIO LIII.

AN IGNARVS AD EPISCOPATVM promotus sit tutus in conscientia, & collatio valeat.

QVæritur an qui literarum expers Episcopalẽ dignitatem adeptus est, sit tutus in conscientia, & ipsa impetratio valeat? R. vt supra de Curatis, & confessarijs dixi, licet in foro Ecclesiæ iudiciali ea collatio rata sit, modo electus Eps omninò illiteratus non sit, in foro tñ interno graui culpa nõ caret, si ineptum se cognoscens Præsulatum suscepit,

pit:secus si de sua sufficientia, vel habilitate dubitasset, & virtute obedientiæ illã dubitationẽ prius ex animo depulisset,& licitum sibi esse credidisset; eo quod aptus, & dignus à Superiorib. & Examinatorib. habitus esset. Iure n. naturali, & diuino is qui impetrauit, eam sibi scieñtiam cõparare debet, qua possit suum munus rite obire, aut saltem aliquem Vicarium,& Adiutorem sibi asciscere, cuius opera, scientia, & consilio in Ecclesia administranda vtatur, alioqui mortali culpa se obstringeret.

Sanè sicut medendi officium non alteri, quam medicæ artis perito, nec nauigium nisi rei nauticæ experto, atq. in periculis probato committitur. Sic & multo magis Pastoralis animarum cura, quę ars artium meritò dicitur, illis tantum deferenda est, qui in ecclesiastica disciplina sacris literis, spiritualisq. uitæ exercitio, diu uersati fuerũt. Sed q hmõi onus sponte, vel inuite subijt, si se talibus præsidijs destitutum uidet, illud consulto Summo Pontifice deponat, uel de eiusdem cõsilio Coadiutorem assumat. *c. nisi cum pridem ext. de renunt. Azor. p. 2. Instit. moral. lib. 3. c. 28. Anch. cons. 188. Old. cõs. 44.*

QVAESTIO LIIII.

QVAE SCIENTIA IN SIMPLEX BENEficium possidentibus requiratur.

QVæ scientia requiritur in eo, qui aliquo ecclesiastico beneficio simplici donari vult? R. vt sciat legere, & scribere, cum saltem prima tõsura ad quodlibet beneficium comparandum exigatur. Item vt sciat recitare horas canonicas, ad quas ratione officij astringitur. Addunt alij cantus etiã peritia opus esse, quod in cõi praxi non recipit, nisi in clerico canonico ecclesię collegiatæ, ad hoc, vt ad quotidianas distributiones admittaĩ. *Garz. de benef. p. 7. c. 7. n. 5. Moneta de distrib. c. 19. n. 35. Gõz. a. reg. 8. gl. 4. n. 73. Paris. de resig. l. 4. q. 11. M. Ant. Gen. c. 119.* Porro circa hoc quatuor aĩaduertũt *DD.* Primo in beneficio simplici non necessario requiri, vt prouisus sit à Synodalib. Examinatorib. approbãdus, cũ eius habilitas per testes etiam probari valeat; si tamen ad vnum simplex beneficium examinatus, & approbatus fuerit, non ampliusad aliud simile adipiscẽdum nouo examine indigere: sicut etiam notoriè dignus ab'q; examine ad ordines, & simplicia beneficia admitti poterit. *Felyn. in c. fin. ext. de præsumpt idem Gonzales l. c. nu. 86.*

Secundo sacris ordinib. initiatum ad beneficia simplicia habilẽ præsumi, & non posse denuo, neq. etiam à successore examinari, nisi noua causa post promotionem supcruenjat, vt quia per longum tempus studium dereliquit, vel aliud simile euenerit; nam quę de nouo emergunt, nouo indigent auxilio. *iux. tradita per Io. And. Abb. Ant. de Butr. & alios in c. accepimus. ext. de ata. & qualit. Suarez. to 4. d. 28. sect. 7. & 8. Bellet. disq. cler. §. 4. p. 1. n. 43.*

Tertio triplicem scientiam constitui. Primo eminentem, per quam quis difficillimas quęstiones ex tpe sine librorum reuolutione explicare nouit. Secundo mediocrem, quando quis cum deliberatione, & maturo consilio rei veritatem scit inuenire.

Tertio sufficientem, quæ ad ea, quæ sibi imminent, expedienda, ac oneri beneficij incumbũt, sufficit. *Innoc. & alij in c. cum in cunctis. ext. de elect.*

Quarto collationem simplicem beneficiorum factam eis, qui nil penitus latinam linguam callẽt, modo sciant legere, ex vsu, & cõi praxi ualidam esse: licet. n. defectus competentis scientię collationẽ iniustam reddat, non tñ nullã, nisi beneficio instituendus prorsus illiteratus existat. *Nau. Miscel. 33. n. 7. & de oratione. Miscel. 40. nu. 8. Garz. l. c. n. 15.*

QVAESTIO LV.

QVAE SCIENTIA IN DIGNITATES in Cathedrali habentibus exigatur.

QVa scientia muniri debent illi, qui in Cathedralib. Ecclesijs dignitate decorati sunt, vt Archidiaconi, Archipresbyteri, & alij? R. quod cum in foro externo iudicãdi potestatem habeant, & post Episcopum in clericos suæ ecclesię iurisdictione potiantur, iuris canonici, & moralis theologiæ peritiam callere debent. Siquidem Archidiaconus latine Princeps Diaconorum dr; his n. imperat, necnon Archipresbyteris, & Presbyteris, alijsq. clericis, quorum ecclesiarum curam, & ipse agit, eaq. quę corrigenda sunt, corrigit, nisi maioris sint momenti, ut ad Epm referri debeant. Itẽ promouendos ad sacros ordines, & beneficia, de iure examinat, quos & instituit, vt hinc merito oculus Epi appelletur. Archipresbyter quoq. i. Princeps, vel primus Presbyterorum, & Decanus dr, curam animarum in externo foro gerens, & ex vsu eiusdem Archidiaconi aliquib. in locis authoritate fungitur, idcò scire iura, & canones cũ oportet, ad quorum præscriptũ sñam ferre, & iudicare debet. *vt toto tit. ext. de off. Archi. & de off. Archipresbyter.* Propterea Conc. Trid. *sess. 23. c. 18. de refor.* decernit, vt officia, uel dignitates illæ, q scholasterię dicuntur, non nisi Doctorib. vel Magistris, aut licentiatis in sacra pagina, aut in iure canonico, & aliàs personis idoneis, & qui per ipsos id munus explere possint, conferantur, & aliter facta prouisio nulla sit, &c. Et *sess. 24. c. 12.* idem Concil. statuit, ut Archidiaconi sint in oĩbus ecclesijs, vbi fieri poterit, Magistri in Theologia, seu Doctores, aut licentiati in iure canonico. *Menoch. l. c. n. 42. Gonzales n. 68. Azor. q. 2. Garz. n. 36. vide infra. 14 c. 3.* Potiori ratione

tione hoc de Vicario Generalis Epi hoc statuendū est;cum,n.in spiritualib.& tpalib.ordinaria iurisdictione fungatur,& dignitatem habere dicatur, in iure Pontificio,& practica Theologia versatus admodum esse debet. *Vgol.de off.Episc.c.4.§.8.Sbrozzius de Vicario Epi lib.1.q.36.& dixi in Comment. de stat.par.1.c.7.*

QVAESTIO LVI.

QVID DE BENEFICIIS IVRISDICTIONE carentibus.

QVid dicendum de alijs dignitatib.& beneficijs,quę secum iurisdictionem non trahunt, vt Primiceriatus,Præpositatus,Canonicatus? &c. R.sufficit illa peritia,& scientia, quæ pro loci qualitate,& dignitate usuq.diæcesis in illis commendatur. At hodie Conc.Trid.d.c.12.hortatur,nō autem præcepit,vt in Prouincijs,vbi commodè id fieri potest,dignitates oēs,& saltem dimidia pars canonicorum in Cathedralib.ecclesijs,& collegiatis insignib.conferantur tantum magistris,vel Doctorib,aut etiam licentiatis in Theologia,vel Iure canonico, Et certè, vt ait Menoch.*l.c.* illa cohortatio si fieri posset,vti præceptum quodammodo obseruanda esset,qñquidem cum canonici Epo suo consilium,si qñ opus est, præbere teneantur, eruditos, & literatos esse oportet, Cum ex sapientum placitis ad recta,recteq.consulendum,tria necessaria sint,s.rerū peritia,beneuolentia,&loquendi libertas;vt proinde mirandum non sit, si antequam ad hunc honorem assumātur, ab Vrbis Examinatoribus de eorum doctrina experimentum fiat.&c. *Farinac.decis.*32.Et sanè si examen ab oīb. Epis non solum vbi agitur de cura animarum, sed et in conferendis canonicatib,dignitatib. & beneficijs simplicib.in suis collationib,seruaretur, maximū Dei Ecclesia incrementum perciperet, & non ita imperiti magistris,noui antiquis, rudes emeritis præferrentur. *c.statuimus.dist.16.Bellettus in disq.cler.p.1.§.4.num.45.Card.Paleot.in Archiepisc.serm. 2. ad Canonicos,& de sacri consist. consult. memb.4.*

QVAESTIO LVII.

PRAEDICATORES QVA SCIENTIA praediti esse debeant.

PRædicatores tandem,siue seculares clerici, siue regulares,vt ritè munus suum obeant, qua scientia præditi esse debent? R.non mediocri sanè, nec vulgari peritia instructus esse debet, qui ad tā graue,& serium concionandi munus assumitur. Sicut stomachus,inquit, Chrisostomus. *homil.88.in Matth.* accipiens cibum,coquit eum in semetipso, & per totum corpus dispergit; sic & prædicatores scientiam sermonis per scripturas ex Deo hauriūt, secumq.eandem prius digerentes, sancta quadā meditatione vniuerso deinde populo eam distribuunt. Vnde & Christus D.N. prius Apostolos docuit,& postea eos ad prædicandum misit. *c. qui ecclesiasticis.d.36.Reg.l.18.n 125.Molfes.tract.8.c.12.nu.52.* Non solum conuenit,vt concionator sit versatus in sacra Scriptura,& Patrum doctrina, & in Theologia,tam quæ ad speculatiuam, quàm quæ ad practicam partem spectat; sed etiam callere debet naturalem, & moralem philosophiam ꝓfanas historias,canonica iura, summorum Pontificum constitutiones,pręsertim Concilij Tridentini Decreta,Philosophorum,& Poetarum dicta, cum & philosophi Christiana luce carentes multa humanæ vitæ vtilissima præcepta tradiderint. *D.August.l.2.de doct.christ.cap.40.D.Basilius in hom. de leg.libris Gēt. Beda relatus in c.turbat.d.37.* Potissimum ars rhetorica in eo commendatur, qua apposite, ornateque dicere possit, & humanos affectus in Deum mouere,qui est Ecclesiast. oratoris finis. Nec non suauis eloquentia eum decet(nam intereximias virtutum laudes,quas sacræ literæ Saluatori nostro attribuunt,eius quoq.loquendi uis enumeratur)non illa quidem fucata,& varijs pigmentis adulterata;sed diuina quadam ratione ad animos trahendos,& illuminandos accōmodata.&c. *Lud.Gran.tom.4.conc.2.Dom.3 post Pent.* Proderit quoq.non ignorare musicam,ut sciat vocem inflectere,prout res quam tractat,postulat,nam pro subiecta materia modo vtendum graui voce, modo acuta,modo aspera,nunc leni, &c. Insuper experientia regiminis animarum ei opus erit,vt vsu dicerit,quibus modis peccator ad pœnitentiam inducatur,quib.rationibus iustus ad maiorem perfectionem inflammetur,quomodo quis ad Dei amorem pertrahatur,quibus armis homo facilius ad resistendum tentationib.instruatur,& quib.tandem reb.& auxilijs ad animas Cœlo lucrandas aptius iuuari possit.&c. *Pet.Sot.de Instit.Sacer.lect.5.& 6. de remed.peccatorū. vide in nostris Cōment.de stat. p.1.c.11.*

QVAESTIO LVIII.

AN PRAEDICATORES DEBEANT ab ordinariis examinari.

POssunt ne Prædicatores tàm seculares, quàm regulares ab Ordinarijs locorum examinari, ac probari,an idonea,& solida doctrina sint instructi? R.non solum an sufficiens doctrina sibi suppetat, sed etiam an sana sit, christianisq. dogmatib. consentanea,experimentum ab Examinatorib. fieri

ri debet. Nam cum ab hæreticis concionatoribus, maximum periculum christianæ repub. immineat, diligenter prouidendum est, nec quispiam prædicare audeat, qui examinatus, & approbatus nō sit. *c. excōicamus* §. *quia vero. ext. de heret. Conc. Later. sub Leone X I. sess.* 11. *Simancas in Catech. Instit. tit.* 49. Et quod attinet ad regulares. Statuendum est, quidquid de iure sit, ex praxi, & generali cōsuetudine, anteq̄ concionentur, nisi insignes sint, & noti, super doctrina ab Episcopis examinandos esse, si in ecclesijs, quæ sui ordinis non sunt, prædicare voluerint. *Marc. Ant. Gen. in praxi Neap. c.* 58. *Miranda. in Man. Pralat. tom.* 1. *q.* 50. *ar.* 2. *Zerulain in praxi Episc. in v. prædicatio. Cāpanil. rub.* 12. *c.* 13. *nu.* 9.

Cap. X.

QVAESTIO LIX.

AN IN ECCLESIASTICIS MINISTRIS prudentia requiratur.

Requiritne in ecclesiasticis ministris prudentia. i. recta rerum agēdarum ratio, vel potius sufficit, vt habeāt earum rerum, quæ ad suū officiū spectant, sufficientem cognitionem, vt debitè illud exercere valeātR. Eps, concionator, regulares, alijq; clerici non solum sciā, de qua supra diximus, sed & prudentia elucere debent, cum oīum virtutum mater sit. Prudentiæ virtus adeo necessaria clericis, tantique momenti est, vt teste D. Basilio *de constit. Monast. c.* 15. in oī, quæ suscipitur actione, ipsa præcedere debeat, nam illa remota, nihil cuius uis generis est, quod licet bonum videatur, non in vitium recidat. *c. præsentium.* 1. *q.* 1. *D. Anton.* 3. *p. tit.* 13. *c.* 3. §. 4.

Non solum mundum, putum, & peritum Sacerdotem esse oportet (*ait D. Chrisost. de Sacerd. lib.* 6. sed etiam prudentem, atq. adeò multarum rerum cognitione instructū, ut secularia negotia noscat; nam cum illum necesse sit, in media turba versari, & hoīum congressu uti, eum varium esse cōuenit, qui se negotijs vtiliter accommodare possit, & seruire tempori, lenis, simul & austerus. Hinc legimus Episcopum quendam electum ob suam simplicitatem fuisse à D. Gregorio reiectum, & ab Archidiaconatus officio remotum quendam clericum simplicem, imprudentem, & fatuum. Cum ex Apost. *ad Tit. c* 27. Episcopus potissimum ex prudentia commendari debeat; Est. n. prudētia eius propria, qui cæteris præest, authore Arist. *l.* 3. *Polit. cap.* 3. *& D. Greg. clero. Neap. l.* 8. *c.* 40 *relato īc.* 1. *&* 2. *d.* 39.

Itidem de necessitate huius prudentiæ virtutis in Parocho, & Confessario in sacris Canonib. clarescit, dū admonētur, vt sint discreti, & cauti, quò more periti & prudentis medici vulnerib. sauciati vinum, & oleum superinfundant, diligenter inquirentes, & peccatoris circunstantias, & peccati, qui bus prudenter intelligant, quale debeant ei præbere consilium, & cuiusmodi remedium adhibere, diuersis experimentis vtendo ad saluandum ægrotū. *c. omnis. ext. de pæn. & remiss.* Insuper *in sum. d.* 36. Scriptum est, ordinandum debere esse prudentem, propter quod Sacerdotes vocantur seniores. s. i. prudentes, quia in senib. ob multā rerum experientiā, vt infra dicemus, prudentia effulgere soleat, & qui dicere uolet, iuniores senib. esse prudētiores, id per qndecim testes eū ꝓbare oportebit. *Tiraq. in præfat. de iure primog. n.* 153. *Riccius in deci s. Cur. Archiep. Neap. decis.* 234. Quinimmò adeò in clericis, & Ecclesiasticis ministris prudētia exigitur, vt nec Summus Pontifex, legib. solutus valeat, vt imprudens sacris ordinib. initietur, siquidem contra ius naturæ dispensaret, cum prudentia carens, cæteris omnib. virtutib. destituatur, & ipsa prudentia reliquarum uirtutum caput, & dux censeatur.

Nullum numen abest si sit prudentia,

Ait *Iuuenalis.* Cuius intuitu sciscitanti q̄nq. quęnā esset vitę magistra? rñdit Card. Aldobrandinus, Prudētia: soli, inquiens, prudentiæ alumni ad rectè uiuēdū idonei sunt, facit nāq. illa neq̄d in cōsultò, & temere agas. *Plat. in Alcibiade D. Th* 2. 2. *q.* 47. *a.* 6. *Farnes. de apoph Princ. Nau in c. si quā lo ex. de rescrip. Menoch. lib.* 2. *de arb Iud. cent.* 5. *casu* 426. Tandem prudētia & discretio in concionatore elucere dēt, ut pcipuè separet pretiosā doctrinā à uili, docēdo, & prædicādo fructuosam tm. & utilem, capacitati, & necessitati auditorum accommodarā. *c. sit rector. d* 43. *c. oportet.* 8. *q.* 1. *Lud. de* [illegible] *ōte. de per fect. tom.* 4. *tract.* 6. *c.* 8. *Molfes. tract.* 8. *c.* 12 *n.* 52.

Porrò vt ecclesiasti prudentes sint, eorū actiones tria respicere debent, circumspiciendum. n. est Primo an res liceat, Secundo nū deceat, Tertio an expediat, quæ tria prudentiā spirant, ac sapiūt; & si circa illā tres actus versentur, nempe præteritorū memoria, præsentiū intelligētia, & futurorum prouidentia. Quos oēs vates ille eo uersiculo cōplexus est. *Deut. c.* 32. Gēs absq. cōsilio, & prudētia, vtinā saperent, intelligerent, ac nouissima prouiderent. Saperent. s. præterita, intelligerent præsentia, ac ꝓuiderent futura. Hinc serpēs olim apud Aegyptios prudentię symbolum erat, nam & Saluatoris Nostri pronuntiatum est, *Matth. capit.* 10. nos esse debere prudentes sicut serpentes; nam cum prudentia non præsentia tantum examinet, verum & & lapsa, & futura meditetur, & tamquam è specula prospectet, sapientem exscribere videtur, quod oportet diligenter pensitare,

Quæ sunt, quæ fuerint, quæ mox vētura trahantur.

Quod etiam bicepitium Iani apud Romanos celeberri-

berrimū fuit, sunt qui prudentiā, solertiáq. p illud præferri autumēt, prudentis.n.hominis est, præterita nosse, futura vero multo ante præuidere. Hucq. spectat illa apud Persium exclamatio.

O Iane à tergo quem nulla ciconia pensit.

Vt apud Pier. Valer. in Hieroglyph. l. 16. & l. 32. Hinc *Maiol. in dieb. canic. tit. de consult. colloq. 2.* Cum multæ, ait, quotidie insidiæ calliditate preuertēdę, & auertendæ sint, licebit salua fide, & conscientia quasdam astutias ad salutem assumere, & vt adagio fertur, vulpinari cum alia vulpe, ne ignarus fallaciarum alienis armis opprimaris, & circumueniaris incautus. Si tibi cum vulpe negotium est, dolum expecta, sed tū vt monet Seneca, Ita semper affectus animo sis, vt

Patiare potius ipse quàm facias scelus.

Quippe columbina simplicitas cum serpētina prudētia à Dei ministris cōiungenda est, ne in his, quę proprij muneris sunt, de ipsis dicāt, q de Ephraim olim Oseas *c. 7.* dixit, Sicut colūba seducta, nō hēns cor; hęc.n.auis stolida iudicio, & prudētia catēs, vix ad retia, & filiorū rapinam aduertit. &c. Hac prudētiæ virtute pditā esse dēre aīam sanctā in Cant. *c. 7.* Spiritus S. docet, talibus illam cōpellans verbis, Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum; vbi Honorius interpretans ait, Nasus animæ est prudentia, quæ discernit inter virtutes, & vitia, & qua tanquā ex altissima turri Damascenorum .i. Dæmonum incursiones conspiciuntur, quia illa semper est contra Diabolum prouida, vt eius fœtorem effugiat, & Christi odorē sequatur: siquidem in primis prudens videt, ne mala admittat, tum ne bona incaute omittat, demum diligenter cauet, ne bene acta in elationis culpam vertantur, &c. *Iust. in Tob. c. 2. vers. 4. docum. 1.*

QVAESTIO LX.

QVAENAM AETAS IN SINGVLIS ordinibus requiratur.

CVm in clericis, & ecclesiasticis personis Deo dicandis, vel dicatis scientia, & experientia, vt dictū est, requiratur, nec scientia, neq. prudētia sine longa rerū experientia cōparetur, & hęc tēpori, præsertim senectuti tribuatur, quæro, quænam ætas & quod tempus desideretur, quò ad ordines, & ordinum administrationes, & beneficia promoueantur? R. Verum quidem est prudētiam, quęex multis experimentis conflatur, senectuti ascribi, nā *Sapien. cap. 9.* scriptum est, In antiquis est scientia & in multo tempore prudentia. Et vt est apud Gellium *l. 13. c. 8.*

Vsus me genuit, mater peperit memoria,
Sophiam vocant me Graij, vos sapientiam.

Verun tamen & prudentia & expetiētia aliquādo tanta in ætate iunioribus reperit, vt & ordines sacri, & Ecclesiarum regimina eis iure merito Pōtificia præuia dispensatione possint demandari: cum fieri possit, vt qui iunior est annis, morib. ingenio, indole, & spe bonæ frugis sit conspicuus. Qua quidem ratione fit, vt clericis pro ætatis qualitate ordines, officia, & beneficia conferantur, minores ætate minoribus, maiores ætate grandioribus.

Aetas septennij completi ad primam tonsurā suscipiendam idonea est; sicut.n. puer septennis tēporalia sponsalia contrahere potest, ita etiam spiritualia inire, nam præterquam quod rationis vsus in sacramēto ordinis, quò ad essentiam, vt dicunt, sacramenti necessarius non est, dici potest, illa ætate puerum ad annos humanæ cognitionis peruenisse, ut inter bonum, & malum discernere valeat, atque tantū scientiæ, & prudentiæ habere, quantū ad illum nudum actum officij, & ministerij exper tem sufficit. *D D. in c. fin. de temp. ord. lib. 6.*

Quinimmò his pueris septem annorū olim simplicia beneficia conferebantur, hodie tū, nisi à Papa hac lege soluantur, eis donari nequeunt, sic prohibente Conc. Trid. *sess. 23. c. 6. de refor. Menoch. l. 2. de arbit. Iud cent. 5. casu 427. nu. 54. Masc. concl. 322. Tusc. 338. Reg. l. 30. tract. 3. nu. 166. Azor. p. 2. l. 6. c. 5. q 8. & 9. Garzias p. 7. de benef. c. 4. num. 8.* Et si vero mortaliter non peccet, qui ante hanc ætatem primam tonsuram suscipit, cum ante septem annos, vsu rationis à cōiter accidentib. carere dicatur, qui tū eādē scienter confert, & ea insignit, cum ecclesiæ ordinationē violet, à culpa lethali non excusatur, & à collatione tonsurę per annū est suspensus. *Sayr. l. 6. de cens. c. 11. num. 10.* Quò ad minores verò ordines suscipiendos ætas apta illa censetur, quæ infantiam sequitur. Verum quod non eodem tempore omnes suscipi debēt (quatuor.n. sunt) sed interuallo temporis inter singulos interiecto conferri, quò interim in susceptis quis se exerceat, nisi aliter ordinario videatur, ob eam rem ipse Eps post infantiam, iuxta scientiam, & morum qualitatem tempus hoc moderabitur. *Conc. Trid. sess. 23. de refor. c. 11. gl. in c. in singulis d. 77. Lopez. in addit. ad Diaz. c. 26. Henriq. de ordine. c. 19. Pasectus in praxi epali. p. 1. c. 1. Vgol. de off. Epi. p. 2. c. 26. §. 7.*

Quòd ad maiores ordines pertinet, qdquid alias de iure antiquo sancitum esset, nouissime Trident. Conc. decretum singulis proprium tempus præscripsit *eadem sess. c. 12.* Subdiaconatui viginti duos annos, Diaconatui viginti tres, Sacerdotio viginti quinque, in quib. sat est, vt ætas illa sit inchoata, nā in fauorabilib. vbi ius aliud non exprimit, dies cæpta habetur pro completa. *Nau. c. 25. n. 116. Vgol. de Irreg. c. 45. nu. 4. Maiol. l. 1. de Irreg. c. 30. nu. 8. Henriq. l. c. c. 19. §. 2. Sayr. l. c. n. 4. 10. Hieron. Camp. in Diuers. iuris. rub. 7. c. 6.*

QVAESTIO LXI.

QVIS SVPER AETATE DISPENSARE valeat.

QVæritur, quis dispensare valeat, ut quis ante legitimam ætatem ordinem suscipiat? R. Soli Papæ fas est in ætatis impedimento aliquem lege soluere, sicut etiam si certa ætas in fundatione beneficij requiratur, nefas est Epõ, ét accedente patronorum consensu, illud ei conferre, qui debita ætate caret. *Naldus in v. ætas.* Cum ordinato vero ante ætatem, cum ætas impleta fuerit, uel tunc dispensatione super irregularitate opus non est, si ad illud vsq. tempus ordine usus non fuerit (vt aliqui DD. senserunt) vel certè cum potius per constitutionem Pij Secundi, incip. *Cum ex sacrorum.* quò ad sacros ordines sit suspensus, si scienter hoc fecerit, si fortè delictum est occultum, Epõ dispensare licebit; Imò & Prelatis regularib. cum suis subditis. *per c. liceat. sess. 24. de refor. Sanchez. lib. 8. de matr. disp. 2. nu. 13. Henriq. de Irreg. c. 18. nu. 2. & c. 20. nu. 1. & l. 6 de pœnit. c. 16. n. 1. Bona. p. 4 resp. casuum cõscientia. casu. 37. Suarez. to. 4. disp. 30. sect. 2. Sayrus lib. 6. de cens. c. 12. & l. 7. c. 13.*

QVÆSTIO LXII.

QVAENAM AETAS IN SINGVLIS beneficiarijs requiratur.

QVę ætas in singulis beneficiarijs tam curatis, quàm simplicib. iure cõi requiritur? R. Dico primo & si in Pontificẽ eligendo certa ætas nõ exigatur, in Epĩs tñ trigesimo ætatis anno expleto opus esse: in qua ætate, vt inquiunt Patres, & Ezechiel vaticinari, & Ioannes Baptista, ac Christus Saluator noster prædicare cæperunt. *c. cum in cunctis. ext. de elect. Conc. Tri. sess. 22. c. 2. de reformat. & ses. 24. c. 1. de refor. & Greg. XIV. in cõst. incip. Onus Apostolicæ seruitutis, De qua apud Pases ĩ pem. praxis epise & Garz. p. 7. c. 4. nu. 76.* Eandem ætatem in Cardinalib. iura, & Pontificia decreta postulant, licet Pontifex q eos creat, passim eos ẽt hac lege soluat. Vbi tñ incidenter annotandum est, primum Prælatorum vitium esse ætatem gradui, vel dignitati non idoneam, vt si sit valde iuuenis, vel inexpertus, qui in Prælatum eligitur, vt docet D. Basilius. *c. 3. in Isaiã.* Vnde est illa. D. Bernardi feria lamentario, Scholares pueri, & impuberes adolescentuli ob sanguinis dignitatem promouentur ad dignitates ecclesiasticas, & de ferula transferuntur ad principandum presbyteris, lætiores interim quod virgas euaserint, quàm quod meruerint principatum. Væ terrę, cuius Rex est puer, & cuius Principes mane comedunt. &c. *Epist. 42.* Virtutem nihilominus & eruditionem aliquando defectum ætatis supplere conspicimus, vt propterea, vt loquitur *Valer. Max.* Indignum sit, eum honori nondũ tempestiuum videri, qui iam virtuti maturus est. Et quis non videat aliquando illud verissimum Senecæ dictum, Multis etiam post canos, puerilitatẽ inesse, quorum

Claudicat ingenium, delirat linguaq; mensq;. Io. Choc l 5. polit. c. 2. Maiol. l. 1. c. 30. nu. 13. Garz. n. 78. Palaos de sacri concist. cons p 4. q. 1. Io. Hier. Camp. in diuers. Iur. can. rub. 7. c. 6.

Curatus, vel Parochus ætate 25. annorum indiget, cum in animarum cura, sacerdotio opus sit, ꝙ ille intra annum à die adeptæ possessionis suscipere tenetur, & quilibet obtinere poterit, etiamsi habeat tantum primam tonsuram, dummodo sit in ea ætate cõstitutus, vt infra annum sacerdos creari possit, &c. *c. lic. canon de ele. in 6. Conc. Trid. sess. 7. c. 3. de refor. & sess. 24. de refor c. 12. Nau. c. 25. nu. 118. Garz. l. c. nu. 44.* Idem est iudicium de beneficijs, quæ annexam gubernationem secum habent, vel ex officio sunt à consilijs Epõ, vel capitulis præsunt, vt Decani, Archidiaconi, Præpositi, Archipresbyteri, & hmõi. *d. c cum in cunctis, § inferiora. ext. de elect. & Conc. Trid l. c.* Eadem iuris ratio seruanda est circa religionum Prælatos, cum hmõi Præfecturæ sint Ecclesiasticæ dignitates, curam animarũ secũ afferẽtes, & ordinaria iurisdictione fungẽtes. Abbatissa vero vel Priorissa, quę post professionem ad minus octo annos laudabiliter vixerit, ætatem 40. annorum agere debet; & si in his, statutis cuiuslibet religionis à Sede Apostolica approbatæ standum sit. *Conc. Trid sess. 25. de refor. c. 7. Salon. 2. 2. q. 63. a. 2. cont. 1. Azor. p. 1. Instit. mor. c. 29. q. 6. & l. 13. c. 10. q. 1. Graff. cõs. 1. tit. de excess. prælat.*

Ad canonicatus, dignitates, & alios personatus curam animarum non habentes non est aliquis assumẽdus, ante 22. annũ, si alicui sacro ordini cõiungũtur, alias collatio nulla est, *ex eod. Conc. & declar. sess. 24. de refor. c. 12.* Pœnitentiariũm tamẽ in Cathedrali institutum annum 40. agere oportet, vt & Inquisitorẽ hæreticæ prauitatis: ætatis. n. maturitas ad tã grauia munera obeũda necessaria est, hu iusmodi autem ætas prudentissima est, & solide doctrinæ, & experientię tribuitur. *Conc. Trid. sess. 24. de refor. c. 8. clem. nolentes. tit. de heret. Simancas in Cathol. Instit. tit. 34. n. 11.* Ad alia simplicia beneficia qualiacunq. sint, vt minimum, vt sup. dixi, 14. annorum inchoatorum ætas requiritur, nisi in fundatione ipsius beneficij aliud statuatur. *sess. 23. c. 6.* Et nullus simplici beneficio gaudere potest, quin saltem sit clericus prima tonsura initiatus, aliàs prę ter culpã, ad fructuũ restitutionem tenebitur. *c. in ecclesia. ext. de instit. Garz. d. c. 4. n. 6. Guttierez. l. 1. can.*

can.99.c.26. hīc illa eadē ætas, quæ ad beneficium exigitur, in pensione locum habet. *Idem Garz.p.1. c.5.nu.129.* Tandem ad canonicatus ecclesiæ collegiatæ etiam insignis sufficit prima tonsura, & quod quis sicut ad alia simplicia beneficia 14. annum ætatis attingat. Interim tñ vt DD. dicunt, vocem in capitulo non habebit. *c.4. ses.22. de refor. Henriq. de ord.c.19.§.2. Zecch. de repub. eccl.c.24. de canon. n.3. Azor. p.2. lib.6.c.5.q.6. Garz.d.p.7.c.4.nu.39.*


QVAESTIO LXIII.

AETAS QVOMODO QVO' AD ORDINES & beneficia in externo foro probetur. &c.

CVm ætas quid facti dicatur, in vniuersum in foro externo ab eo probari debet, qui eam excipiēdo, seu agendo pro fundamento suæ intentionis allegat: probatur vero p testimoniū, vel librum baptismi, vel per idoneos testes, vel ēt per librum paternum, *vt per Nicolaum Gen. de scrip. priu.l.5.q. 1. & Menoch.l.2. de præsump. præsump.51. & Tusch. in v. ætas. conclus.340.* Sicut è contra, si in forensibus actionib. & publicis ecclesiasticis tribunalibus aliquid aduersus eum objiciatur, qui sacris ordinibus insignitur, vel aliquo beneficio donatur, cum per temporis antiquitatem, vel per ordinantis, seu conferētis integritatem, seu ordinati, & beneficio affecti fidē oīa rectè facta præsumantur, onus probandi contrarium in opponentem trāsit. *Mascar. de probat. vol.2. cōcl.1166. Lopez. in addit. ad Diaz. c.26.* Addo ex cōi snīa, prouisionem beneficij factā non habenti ætatem in eo requisitam, nullam, & irritam esse ēr in foro conscientiæ, quantumuis parum, vel modicum temporis desit. In his tamen, & similib. iure nouo inductis, multi excusari poterūt, vel quia ius illud vsu receptum non est, vel quia bona fide per triennium fuerunt in possessione, absq. simonia, & intrusione, quæ possessio veluti vsucapionem, & dominium parit. *Azor. p.2.l.6.c.5.q.12. Flam. de resign. benef.l.4.q.10.n.20. Roder. in sum. p.1.c.30.nu.1. Garz. d.c.4.nu.82. & p.8.c.1.nu.15. Less.2. de iust.c.34.dub.20. & c.35.dub 25.n.140. Graff.l.2. decis. aur.c.98.nu.3. Sa. in v. beneficium. n.14. Reg.l.30. tract.3.n.258. vt dixi inf. tract.10. c.3.q.6. vers.9.*

Et hæc sufficiant quò ad scientiam, & prudentiam, qua clerici, & regulares præditi esse debent, iuxta ordinem regij vatis, bonitatem, disciplinam & scientiam in eis exigentis. Et etiam quò ad causam finalem, efficientem, & materialem examinis. Sequitur, vt de formali, ea qua fieri poterit aphoristica breuitate, more nostro dicamus. Vt postmodū his absolutis, ad eos articulos descendamus, super quib. singuli examinari, & interrogari possūt. &c.

Finis Tractatus Primi.



D 2 TRA-

TRACT. II. DE FORMALI CAVSA EXAMINIS. Cap. I.

QVAESTIO I.

QVID SIT FORMALIS CAVSA examinis.



VID est formalis causa examinis? R. est apta inquisitio ab habentib. authoritatē facta, quò de alicuius habilitate, & scientia ad aliquod ecclesiasticum ministeriū assumen di, rectum iudicium fieri possit. Siquidē in humanis actionib. vt cum virtute coniuncta dicantur, duo copulatiuè requiruntur, Alterum vt id quod geritur, rectum sit, Alterū vt rectè, & debita forma geratur, & exerceatur. Sic.n. Deus in Deuteronom. *c.* 16. præceperat; Quod iustum est, iuste prosequeris, vt viuas. Vnde est etiam morale axioma, Non in facto laus est, sed in eo quemadmodū fiat. Quocirca pro clariori responsione supponendo, prout ēt superius innui, duplex esse examen, Alterum est quod, vt dicunt, de idoneitate fieri solet, vt de vita, morib. ætate, patrimonio, & alijs huiusmodi, Alterum quod circa scientiam, & rerum peritiam versatur; de priori nunc agendo, obseruo examen, & scrutinium, in promouendis ad ordines necessario requiri, quò virtus, morum honestas, peritia, & alia innotescere possint. *c.* 1. *vbi Abbas, & alij. ext. de scrut. in ord. facien. c. quando. vbi Turrecr. d.* 24. *Conc. Trid. sess.* 23. *c.* 3. *& sess.* 14 *c.* 3. *Mascard de prob. vol.* 2. *concl.* 1377. *&* 1487. Quæ quidem assertio adeo vera est, vt si contra hanc formam, & sine scrutinio ordinatio fieret, Eps, & Examinatores lethalem culpam admitterēt, & ordinati deponendi forent. *Turrecr. l. c & in c. si. ead. d.* 10. *And. & in c. pastoralis. ext de turepatr. & in c. ad hac. de off. Archid. Francus in rub. de scrut. Steph. de Gaet. in c. ad limina* §. 3. *nu.* 130. 30. *q.* 1.

QVAESTIO II.

AN ETIAM REGVLARIBVS EXAMEN necessarium sit.

Est ne hoc examen necessarium non tantū clericis secularib. sed etiā regularib. in claustris degentibus? R. vtiq nam & regulares ab Epis, vel deputatis examinari, & approbari, vel reprobari iusserunt Tridentini Patres; nec sufficeret suorum Superiorum testimonium, priuilegijs quibuscunq; quò ad hoc penitus exclusis. Quamuis si ad Episcopatum euehcrētur, Prælatorum suorum attestatio perinde valeret, ac si alicuius Academiæ publica adduceretur fides. *Conc. Trid. sess.* 23. *de refor. c.* 12. *& sess.* 22. *de reformat cap.* 2. Quinimmò regulares ad maiores ordines promouendos Eps in cuius diæcesi commorantur, ad confessiones, conciones, & ordines examinat, & cum illis, causa à Prælato suo proposita, super interstitijs dispensat, & cum eiusdem Superioris consensu dimissorias, vt aiunt, literas concedit. Ex Decreto tñ Clementis VIII. *Incip. de mandato.* nunc dicendum videtur, has literas impertire ad Superiorem regularem spectare, modo tñ emissæ professionis fidem faciant, & de iusta ipsorum ætate, de natalib. de morum, atq. vitæ integritate testimonium habeant, & quò ad scientiam, vel à proprio Epō, vel ab eo, ad quem regulares mittuntur, examinentur, & causa, quare prius Eps ordinare non potest, exprimatur. *Hēriq. de ordine c.* 23. *n.* 4. *Vgol. de off. Episc. p.* 1. *c.* 20. *& p.* 2. *c.* 20. §. 1. *Rod. in summa p.* 2. *c.* 14. *Mirāda. in Man. Prælat. tom.* 1 *q.* 38. *ar.* 17. *Additio ad Nan. conf.* 36. *tit. de temp. ordin. Additio ad Quar. in sum. Bull. in v. ordo. Pascecius in praxi episc. p.* 1. *c.* 1. *n.* 13. *Marc. Ant. Gen. in prax. Neap. c.* 83. *Nald. in v. Ordo, & alij.*

QVAESTIO III.

VTRVM QVI FVRTIVE FVIT ORDINAtus peccauerit, & ordinem receperit.

Vtrum qui furtiue. i. sine licentia sui Superioris, & sine examine ignorante ordinatore, & latenter cum multitudine ordinandorum, se ingerit, peccet, & ordinem recipiat? R. Communis est resolutio, recipientem ordinem furtiue, absq. dubio mortalem culpam contrahere, vere tñ sūum ordinis, & characterem suscipere, sed non executionē, & ipsius ordinis vsum. Quinimmò est ipso iure suspensus, & irregularis, ita vt sic furtim recipiens ad maiores promoueri nequeat sine Sedis Apostolicæ dispensatione, vel Epi, casu quo nulla excōicatio præcesserit. Semper tñ locum habebit dispositio Trid. Cōc. *c.* 6. *sess.* 24. *de refor.* q̄n delictū erit occultū, vt. s. Eps in foro consciæ dispensare valeat. &c. Porrò non sufficit ignorantia ministri, vel defectus inten-

intentionis in genere; quia si in generali conceptu Eps non habet intentionem excõicatos initiãdi, si tñ aliquẽ censura affectũ in particulari facto ignorans ordinat, ordinatio tenet, quamuis suspensus, & irregularis fiat. *cap. 1. ext. de eo, qui furtiue ordinem suscepit. Suarez. p. 3. q. 64. a. 20. disp. 13. sect. 3. Sayr. l. 7. de cens. c. 10. nu. 38. Vgol. de Irreg. c. 39.* Quæ oĩa ẽt in regularib. locum habent, qui vt dictum est, examini subijci debent, non obstantib. dimissorijs literis suorum Prælatorum, quæ ab ordinatore agnoscendæ, & exquirẽdę sunt, alioqui furtiue se immiscentes ordinationi, irregularitatis labe afficiuntur. &c. Et tàm seculares, quàm regulares ab eo, qui literas concedit, si ordinãdi sint prę sentes, examinãdi sunt, vel ab eo, qui ordinat, si absint; nihil tñ obstat, quominus dimissi iterum examini, & scrutinio subijci possint ab ordinatore, si ipse examinare voluerit. *Conc. Trid. sess. 7. de reform. c. 11. Pasecius l. c. nu. 11. Vinal. in Cand. aur. p. 3. c. 8. num. 11. Sorb. in Compend. priuileg. Mend. in ver. ordo sacer.*

QVAESTIO IIII.

AN BENE NOTO NECESSARIAE *sint dimissoria.*

QVid si promouendus ad sacros ordines ab alieno Epõ, esset bene cognitus, & eius bonæ conditiones, & qualitates innotescerent, requirerentur ne & in hoc casu dimissoriæ literæ? R. quod sic, cum non sit facienda differẽtia inter cognitos, & alios, eo quod iura, & Pij II. constitutio. *Incip. cum ex sacrorum.* Literas dimissorias pro actus forma exigant, quę semper omnino seruanda est. Cum expeditum sit, si forma in his ad unguem non seruetur, quæ, vt aiunt, suam essentiam ab ipsa recipiunt, actum vitiari, nec per æquipollens impleri posse, &c. *Tusch. in v. forma concl. 415.*

Non tñ saltem in foro conscientię suspensus, uel irregularis erit, qui sine literis proprij Epi, sed tñ cum eius consensu, & licentia ordinem suscipit. Qđ si quis per multos annos absens fuerit, ita vt Episcopus proprius ipsum de vita, & morib. commendare non possit, sufficit quod ordinarius literas dimissorias det, testantes nullum eius nosse impedimentum, &c. informatio autem de probitate, vita, & moribus habenda est in loco, in quo fuit versatus. *Genuens. in praxi cap. 183. num. 4. Molfes. tr. 2. cap. 2. num. 20. Quar. l. c. Zerula in praxi episc. ver. dimissoria.*

QVAESTIO V.

QVIS DICATVR SVBDITVS EPISCOPI.

CVm Eps non nisi subditos, & diœcesanos suos ordine insignire non possit, vt in iure clarum est. *c. nullus. de temp. ord. in 6. Conc. Trid. sess. 14. c. 2. & sess. 23. c. 8. de refor.* quæritur, quis dicatur subditus Epi, ut si eos ordinare nequit, ad alios Episcopos dimittere ualeat? &c. R. quò ad hũc effectũ susceptionis ordinũ trib. modis quẽ subditũ Epi effici.

1 Primo ratione originis, vbi nimirum quis natus est, uel ut multi uolunt, eius parens, uel etiã vbi quis baptizatus est, inde. n. originẽ trahere dĩ. *glos. & DD in c. cum nullus. de temp. ord. lib. 6. Vgol. de off. episc. p. 2. c. 26. §. 1. Pasec. p. 1. Prax. episc. tit. de conf. ord. nu. 9. Gonzal. super 8. reg. Canc. gl. 9. §. 1.*

2 Secundo rõne domicilij, cum. s. alicubi animo permanendi habitat. In foro tñ exteriori ratõ hic animus præsumitur, nisi ibi per decennium mansẽrit, regulares tamẽ ibi domicilium hře dicuntur, ubi degunt, quousq. alio mittũtur. Vnde ẽt quò ad tyrones, uel nouitios Eps loci, ubi in probatione sunt, dĩ eorum ordinarius, & sic eos ordinat, dispensat, eis dat dimissorias. &c. ut ex cõi sñia tradit *Sanchez. de præcept. l. 4. c. 39. nu. 20. & Naldus in ver. ordo nu. 10. Campanil. rub. 9. c. 3. Additio ad Quar. in v. ordo. Menoch. l. 2. de arbit. Iud. cent. 1. casu 86. Vgol. l. c. §. 2. Sà in v. domicilium, & in v. ciuis.*

3 Tertio habito respectu ad ordines suscipiẽdos, quis subiectus est Epõ diœcesis, in qua ipse beneficium, non tamen pensionem possidet, ita ut ei conferre ordines possit, aliàs reuerendas, ut dicunt, prębere. Et si uero non referat, an beneficium illud curatum sit, uel simplex, quandoquidem ius. *d. c. cum nullus.* simpliciter, & absolutè loquitur, praxis tñ alicubi obseruat, ut etiam ob simplex beneficium, absq. dimissorijs Epi originis, uel domicilij, nõ ordinet. *M. Ant. Genu. in prax. Nea. c. 48. Pasec. l. c. n. 9.*

Addi põt quarto loco alius casus, quò quis iure cõi Epõ quò ad ordines subijcitur, & est, cum quis per triennium cum eo commoratus est, modo beneficium ei statim conferat. *Conc. Trid. sess. 23. de refor. c. 9. Maiol de irreg. l. 4. c. 2. num. 5. Additio ad summam Bull. Quar. in v. ordo. Lopez. in scholijs ad Diaz. c. 26. Vgol. l. c. §. 4. Pasec. n. 15. Riccius in praxi tit. de ord. decis. 307. Molfes. tract. 2. c. 2. nu. 8.*

QVÆSTIO VI.

AN ALIVS, QVAM EPISCOPVS possit dimissorias concedere.

POtest ne alius, quam proprius Eps originis, domicilij, & beneficij has literas dimissorias lar-

 giri?

giri?R. Solus Eps diœcesanus, eo modò quo diximus,nisi fuerit excõicatus,uel suspensus, & ut talis declaratus,tunc.n.tales literæ nõ ualerent, sed sub diti à uiciniore Episcopo ordinationem petere possent, ipsis tamen onus probandi incumberet proprium Episcopum censura irretitũ fuisse.Gratis uero ab eo hæ literæ concedi debent,aliàs si pecunia, vel pretio id officij præstaret, simoniæ labe inficeretur, & excõicationis iaculo conficeretur. Hinc Trid.Synod.*sess.*21.*de refor.c.*1.nec sponte oblatũ, vt recipiatur,prohibet,qm ab ecclesiastico ordine oĩs auaritiæ suspicio abesse debet. *Rebuff. de dimiss. n.*19.*Pasec.l.c.*12.*Gen.l c.c.*83.*n.*4.*Vgol.de sim.tab.* 1.*c.*41.§.1.Nõ Legatus à latere eas concedere valet, nã contra concilium agere non pôt. Non Archieps subditis sui suffraganei. Nõ capitulum sede vacante,nisi vltra annum episcopalis sedes vacauerit,aut quis causa adepti,vel obtinendi bñficij ad ordines suscipiendos arctatus fuerit.&c. *Conc. Trid. sess.*7. *c.x.Maiol.l.*4.*de Irreg.c.*5.*nu.*5.*& c.x.n.*2. *Sayr.l.* 7.*c.x.nu.*35.*& alij.*

Non illas donare potest Vicarius, nisi in duob. casib. videlicet Episcopo agente in remotis,in quo etiam casu in interstitijs dispensat; vel de speciali ipsius Episcopi mandato. *Sbroz.de off. Vicarij l.*2.*c.*41. *Henriq.l.x.de ord.c.*22.*nu.*3. *Graff. consil.* 1.*tit. de temp.ord.Molfes.tract.*2.*c.*2.*nu.*22.

QVAESTIO VII.

AN DIMISSORIAE MORTE CONcedentis expirent.

IStæ reuerendæ literæ expirant ne per mortem concedentis?R.Semel concessæ dimissoriæ semper durant,nec morte ciuili,vel naturali dantis expirant,nisi per successorem reuocentur. Est.n.gñale axioma, gratiam,vel priuilegiũ non extingui morte concedentis.*Card.in clem.si.q.*5. *de elect.*Nau.ie c placuit.n.34.*de pæ.d.*6.*Sanch.l.*3.*de mat.disp.*30. *& l.*8.*disp.*28.*& Azor.p.*1.*l.*5.*c.*23.*q.*4.*& tom.*2.*l.* 3.*c.*49.*q.*5. *Miranda in Man.Prælat.tom.*2.*q.*31. *a.x.Mascar. de probat.vol.*2.*concl.*845. *Mar. Ant. l.primo,var.resol.resol.*74. *vide inf. tr.*5.*c.*3.*q.*16.

Porrò omnes literæ testimoniales,aut dimissoriales, de vita, & morib. agentes,& facultatem suscipiendi ordines ab alieno Episcopo continentes, si vetustiores fuerint, duorum,triumue mensium spatio ab ipso die ordinationis supputandorum,vt fraudib.obuiam eatur,ordinario inconsulto nõ essent admittendę,deq.huiusmodi attestationib. in posterum coram ipso Epo, vel eius Vicario,à deputatis discussio facienda esset. *Zerula in v.dimissoriæ.* Quæ literę duo potissimum continere debẽt. Primo licentiam, qua possint ab alieno Episcopo ordines suscipere. Secundo eum cui conceduntur idoneum esse natalib.ætate,morib. ac scientia, & his qualitatib. præditum quas ordo suscipiẽdus postulat,cũ noĩe Episcopi,&causa, cur ipse has concedat, cũ loco,& tempore datæ;& si quò ad causam impedimẽti nõ seruari in praxi asserat Gen.*d.c.*83. *nu.*47.

QVAESTIO VIII.

FORMA LITERARVM DIMISSORIAlium,quænam sit,& quomodo probentur.&c.

ESt ne aliqua forma literarum dimissoriarum? R.est & eam ponat Rebuffus in praxi benef. *tit.formula dimissor. literar.& Azor.par.*2. *Instit. moral l.*3.*c.*49.*q.*6.*& Archiep.Bonon.p.*3.*ti.de ord.* Quæ sic habet,

Ioannes,&c. Petro.&c. vt à quocunq. D. Antistite rite & canonice promoto gratiam,& commu nionem S.Sedis Apostolicæ obtinente, quem propter hoc adire malueris,primam tonsuram accipere,& ad Acolytatus,cæterosq; minores(vel ẽt maiorem sacrum ordinem,Subdiaconatus,uel Diaconatus,seu Presbyteratus) statutis à iure temporib. valeas promoueri,eidem D.Antisti conferendi,tibiq.ab eodem recipiendi, extra diœcesim nostrã, tenore præsentium, nos legitime impediti, concedimus,seruatis Concil. Tridenr. decretis.&c. Datum. &c. Vnde literas dimissorias accepisse,quis probare debet,vel per ipsas literas exhibitas,vel si amissæ fuerint,per testes, vel aliquo alio legitimo modo.Sicut etiam cõi DD. calculo expe ditum est,clericatum hiscemodis probari; nempe per Bullas ordinationis,vel per testimoniales Episcopi literas asserentis,illum esse clericum, per testes,quamuis vnicus rãtùm adesset, per publicam famam, & per legitima argumenta,& indicia. vt *per Mascar.de probat.concl* 304.*& seq. Riccium in Praxi for. Eccles.de sacr.ord.decis.*306.*Garz.par.*7. *c.primo,nu.*138.*& seq.Molfes.tract.*2.*c.x.num.*50. *Tusch.in v.clerici.concl.*388. *tract.*3.*c primo,q.*10. *Rebuff.l.c.nu.*35. *Azor. d.q.*6.*Vinal.p.*3.*concl.aur. c.*8.*nu.*23.*& Zerulaml.c.*§.6.*& v. Bulla. vt etiam dicam inf.tract.*3.*c.*1.*q.*10.

QVAESTIO IX.

IN QVAS POENAS INCIDAT EPISCOPVS sine dimissorijs alienos clericos ordinans, & ordinatus.

IN quas pœnas Incidit Episcopus, quæ alterius subditis sine licentia,& dimissorijs literis ordines confert,& quib.subinde afficitur pœnis, q ordi nes

nes sic suscipit? R. Primo Episcopus subditis alterius primam tonsuram conferens per annũ à collatione eius suspensus est, & item si clericos alterius alijs ordinib. initiet. &c. *c. nullus. c. eos. de temp. ord. lib. 6. Conc. Trid. sess. 24. de reform. c. 8. Lopez. in d. c. 26. §. trib. Vgol. de off. Episc. p. 2. c. 26. §. 22.* Has tñ pœnas effugiet Episcopus, vbi probabiliter alterius diœcesis clericum esse ignorauit, vtpotè quia parentes eius de sua diœcesi esse dixerunt, vel cõiter pro tali habebatur: nam per allegata iura requiritur, ut ex præsumptione id fecerit, præsumptio autem semper dolum supponit. &c. *Nauar. cons. 40. tit. de temp. ord.* Secundo idem dicitur de Episcopo titulari, vt .s. p annum ab exercitio põtificali sit suspensus, si clericali charactere insignire subditos alterius Prælati sine expresso eius consensu, aut literis dimissorijs præsumpserit. *Idem Conc. Trid. sess. 14. de refor. c. 2.* Tertio capitulum sede vacante ad ordines reuerendas impartiẽs in casib. non concessis, ecclesiastico interdicto subiectum est. *Conc. sess. 7. c. 10. Henriq. l. 13. de excom. & interd. c. 43. §. 5.*

Ad 2. quæstionem rñdeo Primo, cũ qui sine consensu sui ordinarij, & literis dimissorijs ab alieno ordines suscepit, has pœnas subire. Nam qui prima tonsura initiatus est, ad arbitrium sui ordinarij puniri potest. Qui verò minores accepit, eorum executionem non habet, antequam eius Episcopus pmittat, vel ratum habeat. *Vgol. l. c. §. 23. c. 10. glo. in d. c. eos. de temp. ord. l. 6. & alij communiter. contra Azor. p. 1. l. 3. c. 48. q. 4.*

Secundo qui ordines sacros ab Episcopo nõ suo, sine legitimis literis dimissorijs suscepit, suspensione per constitutionem Pij II. Clemen. VIII. renouatam innodatur, & si ante absolutionem ordinũ functiones exerceat, irregularitatis labe afficiẽ, nisi bona fide, vel ignorantia excuserur. *Nau. c. 27. nu. 54. Tolet. l. primo, c. 48. Suar. tom. 5. disp. 31. nu. 23. Auila. 3. p. disp. 5. dub. 6. Sayr. l. 4. de cens. c. 14. nu. 14. Bonac. disp. 3. q. 6. puncto 5. nu. 6. Sã in v. suspensio p so iure. n. 2. Comit. in resp. moral. l. 6. q. 37.* Addo ab ea suspensione, ex quo Romano Pontifici reseruata non est, suo Episcopo absoluere integrum esse, sed esto etiam summæ, & Apostolicæ sedi sit reseruata, non solum à suspensione absoluere, sed etiam super irregularitate, si hæc occulta sint, ex Decreto Concil. Trid. c. 6. dispensare posse. Tertio hãc constitutionem in ordinibus minoribus locum non habere, cum id ex eiusdem præfatione, & uerbis clare colligatur, quod communiter Doctores omnes in citatis locis annotarunt. *Et nos supra animaduertimus tract. primo, c. 10. q. 61.*

QVAESTIO X.

ORDINES SACRI QVIBVS TEMPORIBVS conferendi sunt.

CVm Pius II. pœnam suspẽsionis illis infligat, qui ante legitima ætatem, vel sine literis dimissorijs, vel extra tempora à iure statuta ad sacros ordines se faciunt promoueri, quæritur, quib. nam tpib. ordines ab Episcopis conferendi sint? R. His tpibus, quæ à iure statuta sunt; nam & tempus, & locus in examine, & ordinatione attendi, & seruari debent. *c. primo, de eo. ext. de temp ord. Cõc. Triden. sess. 23. de refor. c. 8.* Siquidem ex sapiẽtis enuntiato, *Eccl. c. 8.* Omni negotio tempus est, & opportunitas. Et Pirhaci est illa celebrata sententia, Noscis tempus. Cuius dicti illa est interpretatio, vt in reb. agendis opportunitatem obseruemus, & suis tpib. cuncta aggrediamur, carminib. illis sic admonẽtib.

Temporibus medicina valet, data tẽpora prosunt,
Temporibus seruire decet, qui tempora rerum
Ponderibus pensauit, eum si bella vocabunt,
Miles erit. &c. Vnde Zepherinus *relatus in c. ordinationes. d. 75.* Ordinationes, inquit, presbyterorum leuitarumq; tpe cõgruo multis coram adstantib. solemniter agite, & probabiles, ac doctos viros ad hoc opus prouehite, ut de eorum societate, & adiumento plurimum gaudeatis. &c.

In ptimis aũt prima tõsura quæ nõ est ordo, sed dispositio ad ordines, quolibet die etiã feriata dari põt, nec. n. ulla dies certa ei præscripta est. *Abb. & alij in c. pen. de temp. ord.* Secundo quatuor minores dieb. Dñicis, & alijs festis, & quarta feria quatuor temporum conferuntur. Tertio ordines sacri sex tantum anni tẽporib. s. Sabbato post Cineres, post Pentecostẽ, post Exaltationem sanctæ Crucis, post sanctam Luciam, sabbato ante Dñicam Passionis, & tandem Sabbato sancto. Cõis est Doctorũ conclusio. *Innoc. Host. Abbat. & aliorum in c. literas. ex. eod. tit. Turrecr. Arch & alij in c. qd à patrib. d. 75. Riccius in praxi var. resol. resolut. 273.* Eparus uero die Dñica confertur, eo quod in ea Spũs sanctus in Apostolos descendit, & tantis diuinarum dispensationum mysterijs est consecrata, vt quidquid à Dño est insignius constitutum, in huius diei dignitate sit gestum. In hac mundus sumpsit exordium; in hac per resurrectionem Christi, & mors interirũ, & vita accepit initium. &c. *c. quod die. d. 75.*

QVAESTIO XI.

CVR STATIS, ET CONSTITVTIS TEMporibus ordinationes celebrentur.

CVr his potissimum tpib. celebrantur ordinationes, & sacri ordines dantur? R. tribus præcipuis

cipuis de causis. Primo vt significetur, eos qui ordinib. initiãtur, à secularib. negotijs auocari debere, & diuinis vacandum; sabbatum.n.cessationem significat; siquidē qui clericatum assumit, de labore secularium negotiorum ad spiritualium rerum requiem transit. Secundo quod qui sacros ordines suscceperunt, quasi quodam spirituali matrimonio cũ Christo coniuncti, spirituali generationi animas Cœlo lucrando operam dare debēt; nam vt fœlix illorum sors, & munus vlterius progrediatur, filios doctrina, & vitæ exemplo, sacramentorumq. administratione, quasi parentes gignunt, qui ipsis etiam in hmōi ministerijs succedunt, qui.n. nunc sunt discipuli, euadunt postea scientiarũ periti, & in Christi scholis, spiritualibusq. reb. magistri. &c. Tertio q hmōi tpib. ieiunijs, & orationibus fideles studeant, quamobrem à Deo petere precibus eos oportet, vt hi ad ordines promoueantur, qui ad tanti ministerij potestatem rectè, & cum ecclesiæ vtilitate gerendam aptiores esse videantur, vt Tridentini patres præceperunt in Catechismo Romano. Quare & Episcopi, vel eorum Vicarij antequam comitia inituntur, per Parochos populum admonere debent, vt ieiunijs, & pijs precib. in tam serio negotio ipsis opem ferat. Quippe nostra consilia diuinis submittenda sunt, Deusq. qui recta & magnifica dat consilia, in agendis exorãdus est à mortalib. quorũ cogitationes timidæ. & incertæ prouidētię sũt. *Sap. c. 9. & Seneca ep. 31.* Meritò Cambyses filium suum sic admonebat, Hoc vnum præcipuè tibi commendò, idque tanquam pretiosum thesaurum à patre donatum in tua memoria perpetuò recõdi cupio, Dei esto amicus, in eundem pius, nihilq. aggrediaris, nisi diuino numine implorato, imbecilla.n.est, & hebes mortalium natura, nihil autem Dei sapientiam latet, omnia ex sententia his cedunt, quibus illa præsto est. Constantinus quoq. Imperator quò palam faceret, in reb. tàm publicis, quàm priuatis aggrediendis, sapienriam, & supernum auxilium necessarium esse, imaginem suam sublatis in Cęlũ manib. ad instar opem à Deo implorantis, nummis aureis imprimi mãdauit. *Io. Choc. in thes. polit. l. 2. c. 22. Matth. Tymp. in spec. Magist. p. 2. sign. 34.*

QVAESTIO XII.

QVIS DISPENSARE POSSIT, VT QVIS extra tempora sacris initietur.

QVis dispensare potest, vt quis extra præstituta tempora sacris initietur? R. Summus Pontifex, qui tñ ex iusta causa id facere debet; & si.n. sit vniuersalis ecclesiæ caput, ac Christi Dñi vicarius, ita vt idem tribunal, vt Doctores aiunt, cũ eo faciat; ac proinde in his, quæ agit, nemo possit ei dicere, cur ita facis? vt ait, *Rom. cõs. 345. Azor. p. 2. l. 4. c. 4. Cetta in mem in ver. Papa. Euer. in trop. leg. in loco ab anthorit. Tusch. in v. Papa. concl. 43. 49. et & seq.* cum tñ ex vi directiua, & rationis dictamine legib. subijciatur, in cõstitutionib. ecclesiasticis, & canonib. à se conditis sine causa dispensare neqt, ita vt tàm ipse, quàm is, qui ab illis solutus est, in foro conscientiæ tutus non sit. Notabilia sunt ad hãc rem illa D. Bernar. verba. *in lib. de dispens. & pracep.* Prælati dantes pro voluntate licentiam viuendi cõtra legem sine causa rationabili. vel saltem dubia, sunt acceptores personarum, & dissipatores, non dispensatores: & eorum licentia dissipatio, & non dispensatio debet appellari, dant.n. ansam criminib. in scandalum pusillorum, in propriam, & ipsorum perditionē. *Et lib. 3. de consid.* Non sum tam rudis, inquit, vt ignorem vos dispensatores, sed in ędificationē, non in destructionē. Deniq. quęritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur. Vbi necessitas vrget excusabilis dispensatio est. Vbi vtilitas prouocat, dispensatio laudabilis est, vtilitas dico communis, non propria, nam cum nihil eorum est, nō plane fidelis dispensatio est, sed crudelis dissipatio. &c. Sed vt ait Socynus *cõs. 164.* In Papa oĩa illa cõcurrere præsumuntur, quæ in humanis actionib. considerantur, Bona voluntas, modi congruitas, & cõcessionis potestas. *Viual. 3. p. Cand. aur. c. 13. nu. 23. Viguer. in Insti. Theolog. c. 5. §. 5. vers. 14. Vasq. tom. 3. d. 246. nu. 45. Reg. l. 30. n. 26. & seq. Molfes. tract. 2. c. 1. num. 53.*

Porrò causa quæ sufficiēs videri pōt, vt quis hac lege soluatur, & extra tempora ad sacros ordines euehatur, illa esse videtur, quæ ex Ecclesiæ vtilitate, vel necessitate consurgit; tunc vero vtilitas esse existimatur, vbi alicui ecclesiæ commodius inseruitur, atq. id publicum exigit commodum. Vbi verò ob inopiam clericorum, debitum seruitium ecclesiæ præstari nequit, vel cum quis ob beneficium siue curatum, siue simplex, ad suscipiendos infra annum ordines sacros arctatur, tũc necessitas adesse censetur. Vnde sicut statuta tribuendis ordinib. tempora obire Episcopus prætermittere non debet, ita extra illa non nisi iusta, & necessaria de causa, & his quibus priuilegium Sedes Apostolica indulserit, illis ordines tribuere eum oportet. *Abbas in c. queris. ext. de etat. & qualit. ex gl. in summa in v. queritur. dist. 73. Vgol. de off. epis. p. 2. c. 26. §. 27. Mar. Ant. Gen. in praxi Neap. cap. 83. Rod. tom. 3. qq. reg. q. 27. art. 5. Suar. tom. 5. d. 31. sect. 1.*

QVAESTIO XIII.

QVAM POENAM SVBEAT QVI TEMporibus non legitimis, absq. Pontificia dispensatione sacros ordines suscipit, vel illos confert.

QVa pęna tenetur, qui temporib. nō legitimis absq. Summi Pontificis facultate sacros ordines

dines suscipit, & qui illos cōferr? R. Mortaliter peccat, & per Bullā Pij. 2. suspensus est, & si inordine sic suscepto administrar, irregularitatem cōtrahit. *Vgol. l. c. §. 25. Bonac. de cens. dis. 3. q. 6. pun. 5. nu. 6.* Fratres tamē minores, & omnes, qui illorum priuilegijs gaudent, ex confirmatione Clementis VIII. posse extra tempora à iure statuta festis diebus sacros ordines suscipere docet idem. *Roder. in d qq. regul. tom. 3. q. 43. ar. 5. Ang. Barbas. in remiss. ad Concil. Trid de reform. sess. 23. c* 8.

Quò veto ad ipsum ordinem cōferentem, nulla pena per dictam constitutionē præscripta est, antiquo tamen iure suspendi potest, ac ordinandi potestate priuari, donec à Papa restituatur *c. sane. c. cū quidam. ext. de temp. ord.* Et sane rationi consentaneū est, vt Reuerēdissimi Epi sacros Canones, Summorum Pontificum constitutiones, & Conc. Trid. decreta, districte obseruari curent, memores ipsosmet Canonū custodes, & executores dici, atq; ideo si eos nō seruant, vel custodiri student, periuros fieri, ac alijs penis subijci. Explorati vero iuris est, Epi scopū non posse super Canones dispensare, cū inferiori legem superioris soluere fas non fit, nisi in casibus sibi specialiter à iure permissis. *Abbas in c. ego N. ex. de iureiur. Idem post Innoc. in c. cū ad monasterium. ext. de stat. monach. Mar. Anton. Gen. in Man. past. cap. 92.*

QVAESTIO XIIII.

AN VNO DIE PLVRES ORDINES conferri possint, & an quis per saltum ordinari queat.

QVæritur an in temporibus à iure statutis, liceat Epō vno, & eodem die, plures ordines conferre? Et an initiare possit ad aliquē ordinem superiorem sine inferiori? Ad 1. quæstionem R. vno die quatuor ordines minores cū Subdiaconatu, uel duos sacros ordines dari non posse, nam interstitijs temporum interiectis conferri debent, vt sanciuit. Trid. Synodus. *sess. 23. de refor. c. 11. & habetur in c. 2. ext. de eo qui furt. ord. suscep. & in c. literas. c. dilectus. ex. de temp. ord Vgol. de Irregul. c. 39. §. Bonac. disp. 3. q. 6 pun. 5. n. 8. Cāpan. rub. 6. c. 3. n. 10. cū cōi.* Aliq tū asserūt, minores ordines dispensante Epo, posse eodem die cum Subdiaconatu dari, vbi consuetudo vigetnon .n. per conciliū receptū vsum tolli aiūt. &c. *Sayr. de irreg. l. 7. c. 10. nu. 26.* Verum cōi praxi in oīb. fere Italiæ vrbib. obseruatum scimus, vt quatuor tantum minores ex causa eodem die conferantur. contra *Vinald. de sacr. ord nu. 36.* Vide tū *Reg l. 30. tr. 2. nu. 189. Barbos. in remiss. ad Conc. sess. 23. de refor. c. 13.* resoluentes, irregularem esse eum, qui contra patriæ vsum, vno eodem die quatuor ordines minores, & Subdiaconatum, vel duos maiores ordines furtiue .i. inscio, uel nō aduertēte Episcopo susceperit. &c.

Quò ad 2. quæstionem asserendum est, ordines sacros gradatim esse ministrādos .i. qui primus primo, & sic deinceps. Nihil .n. inordinatum in militanti ecclesia esse debet, & casum appetit, qui ad summa loci fastigia postpositis gradib. per abrupta ascensum quærit. *c. miramur. d. 61. D. Bonauent. l. 1. Pher. cap. 24.* nā q anteriori, seu posteriori ordine omisso posteriorem recipit, hic per saltum promotus dr. *c. 1. tit. de cler.* per saltum promoto. Si quis tñ omisso inferiori ordine ad superiorem promoueretur, licet grauiter deli quer. t, & esset suspensus, & ex multorum sententia irregularitatis nota afficeretur, ordinem tamen, & characterem susciperet, vt est cōis Theologorum, & Canonistarum sententia. *Nauar. c. 27. nu. 242. Lopez. in scholijs ad Diaz. c 24. Vgol. de irreg. c. 38. Sayr. l. 7. c. 10. n. 39. & 40. Suar. tom. 5. disp. 31. sect. 1. nu. 48 Henriq de irreg. c. 6. nu. 3.* Et si etiam fateantur, si præsertim hæc suspensio, & canonicum impedimētum occulta sint, ex Conc. Trid. posse ab Episcopo absolui, & dispensari, vt prætermissum ordinem suscipiat, & in susceptis administret, &c. *sess. 23. de reform. c. 14. & sess. 24. cap. 6.*

QVAESTIO XV.

NVM EPISCOPVS DISPENSARE VALEAT, vt non seruatis temporum interstitijs, quis ordinetur.

POteritne Episcopus dispensare, vt quis non seruatis temporum interstitijs, ordinib. initietur? R. Primo supponendo interstitia nihil aliud esse, quàm interuallum eius tēporis, quod inter collationem vnius ordinis, & alterius intercedere debet; quod nō absre statutum fuit, siquidem primo interim edoceri poterit, qui ordinem suscipit, quantum sit ipsius ordinis pondus, & dignitas. Secundo in functionibus susceptis ritè, ac decenter se exercebit, ac subinde facillimè eas obibit. Tertio cum ætate, vitæ meritum, & doctrina maior accrescet. Conc. Trid. *sess. 23. de reform. c. 11. & seq.* Hinc qm̄ huius sacramenti honoris gradus summus est, ac ordinib. initiari præclarum, quid, atq. diuinum, priusquam quis ad eos accipiendos accedat, pijs meditationib. per aliquod tempus se exercere debebit, vt in aliquib. rectè institutis diœcesib. ac religiosis ordinib. ex recepto veteri vsu fieri cōsueuit. Hoc iacto fundamento dico, Epo non licere suo arbitratu in his interstitijs dispensare, sed causam aliquam rationabilem, arbitrio & rationi consentaneam subesse debere, uidelicet utilitatem, & necessitatem

sitatem Ecclesiæ, vt aliquem hac lege soluere id ei in Domino expedire causa cognita videatu. Tunc vero, vt supra dixi, vtilitas adesse censetur, cum ecclesiæ commodius, & populo vtilius infertur; vbi vero ecclesiæ ob clericorum inopiam deseruiri nõ pote st, vel quia qui ordines suscipere deber, curatum beneficium haber, vel habiturus est, tunc necessitas subesse existimatur; ac proinde causa dispẽsandi cum constituto in minorib. ad Subdiaconatũ su panni circulo sufficit, si necessitas, uel utilitas ecclesiæ disiunctiuè dignoscatur. A Subdiaconatu ad Diaconatũ qlibet leuis causa sufficit, cũ iudicio E pi id relinquatur. A Diaconatu ad presbyreratũ vtilitas, & necessitas ecclesiæ coniunctiuè intercedere debet. Et tempus hoc in ordinib. sacris est annus non naturalis, sed ecclesiasticus; In minoribus vero cum hoc iure præscriptum non sit, tempus illud interijci debet, quod est intra sparium, quo ordinem minorem suscepir, & aliud, quo ordinatio fiet. v. g. si in Sabbato sancto ordine minori insignitus est, alterum minorem in Sabbato post Pentecostẽ suscipere poterit. Nec est improbabilis opinio eorum, qui sentiunt, Episcopũ qui habet facultatẽ dispensandi in istis temporum interstitijs, si tacitè cum promoueat, qui annua tempora non expectauit, dispensasse censeri, si sciens hoc fecit. *Maiol. de irreg. l. 3. c. 24. nu. 13. Lopez in schol. ad Diaz. c. 25. Sayr. l. 7. c. 14. num. 11. gl. in summa. d. 74. Abb. in c. quarimus. ext. de ata & qual. Conc. Trid. sess. 23. de refor. c. 11. & 14. Sorbus in Comp priuil. Mend. in u. ordines sacri. Mar. Ant. Gen. in prax. Archiep. c. 83. Vgol. de off. Epi p. 2. c. 26. §. 27. Molfes. tr. 2. c. t. n. 22*

Vbi et a iaduertendum erit, tale arbitriũ, & iudicium ad proprium Ordinarium spectare, non ad illum, ad quem ordinandus missus est, cum ad eum non ptineat, vtilitatem, vel necessitatem ecclesiæ perpendere. Quinimmò quando in dimissorijs literis suus Episcopus fidem, & testimonium fecerit, se de omnib. necessarijs iuxta Conc. Trid. decreta eũ examinasse, & idoneum inuenisse, par esset, ut Episcopus ordinans hmõi clericum iterum examini non subijceret (& si de iuris rigore posset) ne videatur, vt dicunt, irreuerentiam quandam, & infidelitatem erga suum collegã ostendere. &c. *Quar. in v. ordo. Bonac. de ord. d. 8. q prima, p. 4. nu. 33.*

In ordinatione pariter regularium, ut superius annotaui, dispensatio super interstitijs ad propriũ ordinarium pertinet, in cuius diæcesi habitãt; in dimissorijs tamen literis mentio debet fieri suorum Superiorum ab Episcopo postulantium, vt perpensa vtilitate, vel utilitate ecclesię, seu religionis sup illis dispensare dignetur. &c *Sorbus l. c. prax. Eccles. Neap. c. 83. Vgol. §. 27. Menoch. de arbit. iud. cen. 6. casu 564. Miranda in Man. prælat. tom. primo, q. 38. ar. 7. Molfes. l. c. nu. 56. Barbos. in remiss. ad Cõc. sess. 23. de refor. c. 11.*

QVAESTIO XVI.

AN LITERAS COLLATI ORDINIS ordinato Episcopus præbere debeat.

Teneturne Episcopus, q ordinauit, literas collati ordinis ipsi insignito præbere? R. Vtiq; nã proprius Episcopus petere illas poterit, vt sibi constet ordinem esse legitime susceptum, In hac vel simili formula, Ludouicus Ludouisius SS. Romę Ecclesiæ Card. & Archiepiscopus Bonon. omnibus, & singulis præsentes literas inspecturis, fidẽ facimus, & attestamur quod dic. . quæ fuit feria. . Mensis. . Anni. . . In ecclesia nostra Metropol. Bonon. inter Missarum solemnia, & ad præscriptum sacrorum canonum, & Conc. Trid. idoneum repertũ visis testimonialib. literis de præcedenti ordine susceptio, uita, morib. & scientia alijsq. requisitis ad ordinem N. ritè promouimus. In quoru m fidem. &c. Dat. Bonon. &c. Quippe si q s dixerit se inferiorib. vel superiorib. seu sacris ordinib. initiatum, ei non creditur, nisi per scripturam, vel per testimoniales Episcopi literas id probet; qualitas. n. clericatus nõ est à natura, cũ nemo clericus ordinatus nascatur, sed in facto consistit, quod per allegantem probari debet, adeo ut ad sacerdotiũ euectus ad reliquos ordines promotus non præsumatur, nisi per literas cuiuslibet ordinis id constet. *Mascar. de probat. conclus. 1140.* cõmunis tamen sententia contra eum militat. s. probatis maiorib. ordinib. minores etiam collatos præsumi, quamuis defectus adesse possit, ut quia per saltum promotus fuerit; sed hoc in dubio non censetur, sed potius cum Ordinarius discretus sit, & prudẽs, illa capitur præsumptio, ut & illos inferiores cõtulerit, & ordinatus susceperit. *Riccius in praxi sacramenti ord. decis. 317. & Molfes. tr. 2. c. 10. nu. 50. vide sup. c. 1. q. 8.*

QVÆSTIO XVII.

VBINAM SACRAE ORDINATIONES fieri debent, &c.

Ordines sunt ne conferẽdi vbiq. an potius in Ecclesia Episcopali, vel Cathedrali? R. Certam esse iuris diffinitionem, & cõmunem DD. assertionem, ordinationes in Ecclesia celebradas esse. Ordinationes, ait Conc. Trid. *sess. 23. c. 8. de ref.* statutis à iure temporibus, ac in Cathedrali Ecclesia, vocatis, pręsentibusq; ad id Ecclesię Canonicis publicè celebrentur. Si aũt in alio diæcesis loco præsente Clero loci, dignior quantum fieri poterit, Ecclesia semper adeatur. Actio quippe longe grauissima, magniq; Sacramenti tractatio etiam loci dignita-

gnitate decotāda, celebrandaq; est: siquidē adhoc dedicātur, & consecrātur Ecclesiæ, vt sint spiritualium medicamentorum officina aromataria, & super naturalium charismatum apotecha, vt proinde etiā curare debeat Episcopus, vt Ecclesiæ quā magnifice fieri potest extruantur, & exornentur, tùm vt omnes intelligāt, quàm excelsa sit Dei Maestas cui inseruitur, & in cuius honorem, & cultum templa ipsa eriguntur; tùm, vt ex hoc charitate erga Deum accēsi, impetrare possimus, vt diuina in nos gratia, & beneficētia diffundatur. *Zecchius de statu Episcopi c. 7. num. 14. Scort. de sac. miss. l. 2. c. 13.*

Insuper ex eodē Concilio ordinationis celebratio publice fieri debet, ne quis furtiue ordinetur, & omnis fraudis suspicio deuitetur; quandoquidem, quæ clam aguntur, dolose fieri præsumuntur *c. consuluit, vbi Felyn. ext. de off. deleg.* Hinc Demonax Philosophus nūquā adduci potuit, vt ad sacra, mysteriaq; Eleusina accederet, quo nomine accusatus veluti patriæ religionis contemptor, id in cōcione excusauit, testatus ea sacrificia iure sibi esse suspectissima, quod clanculum, & in occulto fierent, qm si ea bona essent, ea omnino in aperto agi oporteret, quò alios ad eam religionem amplectendā inducerent. *Tiraq. de temp. pœnis causa 11.*

Cap. II.

QVAESTIO XVIII.

VT QVIS ORDINETVR, AN ALIQVIS titulus sit necessarius.

Adhoc, vt quis ordinibus initietur, requiritur ne aliquis titulus, vt beneficij, pensionis, vel patrimonij? R. Primo eum, qui ordine sacto initiari vult, beneficio Ecclesiastico frui oportere Sic .n. statuit Cōc. Trid *sess. 21. de ref. c. 2. ex c. 1. & c. si. dist. 70. c. Episcopus. ext. de prębendis c. si Episcopus, eodem tit. in 6.* Cuius quidem Ecclesiasticæ sanctionis potissimum ea ratio est, ne Clerici diuini cultus ministri cum maximo totius ordinis Sacerdotalis dedecore mēdicare cogantur, aut sordidū aliquod munus exercere, vel negotiationibus, & mercaturis turpiter se dedere; quę oīa ab his, qui diuino ministerio ascripti sunt, aliena existimantur; cū valde dedeceat, vocem illam audire, Mendicat infelix in plateis clericus, & seruili operi mancipatus, publicam à quolibet poscit eleemosynā *c. Diaconi. d. 93.* Vnde non mirum si sacri Canones huius totius clericalis ordinis decori prospicere cupientes, sanxere, ne quis titulo sufficienti ad victum carēs ad ordines promoueretur, & quisquis contra ire auderet, vt talis ordinatio quò ad executionē, vacuam manus haberet impositionē. *c. neminem d. 70.* Turpis equidem in Clero visa est mendicitas, & si semper dilecta fuit paupertas voluntaria, & diuitiarū contemptus; sed summa existimata est miseria, innata, & inuoluntaria inopia fuisse mendicum, *authore Baldo in l. fin. C. qui bonis cedere possunt.* Fatendum est nobilitatem esse contemptui, & ludibrio, vbi est paupertas eam opprimens, ac conflictans. Vere Iuuenalis *Satyr. 3.*

Nil habet infelix paupertas durius in se,
Quàm quod ridiculos homines facit.

Lopez in scolys ad Diaz. c. 18. Vnde, & apud Alciat. emb. 121. est illius adolescentis de paupertate cōquestio, qua vrgente prouehi nequit, licet ingenij bonitas omnia summa sibi pollicearur, &c.

Experientia testis est Episcopos, ac Sacerdotes vilescere, ac vilipēdi, qui titulo tantū sunt Episcopi, & presbyteri Sacerdotali tantum charactere insigniti, si aliūde beneficijs, & bonis careant, ex quib. iuxta status dignitatem, vitam degere possint, &c. Quippe, vt cecinit Horatius.

Et genus, & virtus, nisi cum re vilior alga est.

Propterea Dionysius Halicarnaseus Sacerdotes olim à Romulo lectos scribit, genere excellentes simul, & virtute prēstantes, nō corpore vitiatos, nec tamen inopes, nec paupertate sordescentes eligi solitos, *Germon. de sacr immunit. l. 1. c. 10. Sotus de Iust. & Iu. l. 4. q. 5. art. 1. vide quæ dixi in Comment. de hum. vitæ statibus p. 2. c. 18.*

Abhis ergo qui ad subdiaconatū fuerint euchendi, à deputatis inquirendū erit, an secum ferant instrumentum tituli, ad quem promoueri voluerint, vel sit Ecclesiasticum beneficiū, vel quid aliud ad honeste viuendum sufficiens. Ad titulum tamē patrimonij is tantum ordinandus est, quē Episcopus expedire censuerit *Conc. Trid. l. c.*

QVAESTIO XIX.

QVANTVM DEBEAT ESSE BENEFIcium, vel patrimonium, vt sufficiens dicatur.

Quæritur quantum debeat esse hoc beneficiū vel patrimonium, vt ad vitam commode transigendam sufficiens dicatur? R. Quoniam præscripta quantitas non est, habita ratione ad qualitatem personarum, & locorum, Ordinarius ipse arbitrabitur; nā in multis Italię diœcesibus annui redditus 40. aureorū requiritur, alibi plus, vel minus. Id ergo iudicabit Episcopus, qui ordines collaturus est, vel eius authoritate Index deputatus, apud quem iurati testes deponent publice notarij fide subscriptum de quantitate rei testimonium, siue sit beneficium tantum, siue patrimonium, siue etiam beneficium; qđ iuncto patrimonio, congruā præstet uictum. Formula uero literarum testimonialiū

de titulo patrimonij hæc esse poterit. Cum ego N. Notarius publicus Ciuit. Bonon. in actis meis habeam plura iura Dñi N. ex quib. constat illum habere patrimonium, & pacificè possidere redditum 40. annuorũ scutorũ, quod consistit in . . (seu plus non autem minus) rogaueritq; me Notarium prædictum, vt de hoc illi testimoniales literas conficerem, cum vt asserit, ad ordines ecclesiasticos cupiat promoueri, cautionemq. idoneam præstiterit, prædictum annuum redditum nunquã alienandi, propterea per præsentes literas attestor, hæc omnia ita se habere, & eas meo solito signo, meaq. manu propria roboraui, Die Men. . Ann. . *Card. Pal. in Archiepisc. Bonon. p. 3. de sacramento ord. Lopez. d. c. 18. Azor. p. 2. l. 3. c. 4. q. 8. Paris. de resig. bñf. l. 2. q. 6. Quar. in v. ordo Graf. conf. 4. tit. de tẽp. ord. Mar. Ant. Gen in prax. c. 83. nu. 2. Vgol. de irreg. c. 61. & de of. Episc. p. 2. c. 26. §. 8. Garz. de benef. p. 2. c. 5. n. 111. Zerula in v. dimissoria. Camp. rub. 8. c. 1.*

QVÆSTIO XX.

AN AD MINORES ORDINES SVSCIPIENDOS aliquis titulus requiratur.

VTrum ad minores ordines titulus beneficij pensionis, vel patrimonij requiratur? R. Negatiuam partem de consuetudine obseruari, Cõis est opinio, & meritò, etenim minorib. ordinib. initiati ad laicorum vitam transire possunt, & idcircò eos non dedecet, vel mendicare, vel sordidum quæstum exercere, ex quo habitum clericalem gerere non coguntur; at qui ordine sacro insignitus est, ad laicalem statum deflectere nequit, ex quo solemne castitatis votum emisit, & clericorũ habitu vti debet; ob quam sanè rationem si Eps aliquem egenũ, & titulo carentem ad minores ordines promoueret, victui necessaria illi subministrare minime teneretur. &c. *Vgol. de irreg. c. 61. nu. 2. Lopez. & Parisius l. c. Garzias d. 5. nu. 4. Nau. conf. 14. de tempor. ord. Franc. Mar. decis. 1080. Camp. d. rub. 8. c. 1.*

QVAESTIO XXI.

AN IN REGVLARIBVS EXIGATVR titulus.

AN titulus ad ordines exigatur tantum in Clericis secularib. an vero etiam in regularib. & religiosis? R. Quidquid olim esset, in eis titulo beneficij, pẽsionis, vel patrimonij opus non esse, cum ad normam paupertatis ordinentur; quod non abs re factum est, tùm. quod ex quò regulares sunt, & in aliquam religionem adscripti, non est verendũ, vt ei quidquam desit, & idcircò sordidum quæstũ exercere non cogentur. Huc. n. spectat illud Socratis argumentum, cum dicebat, Omnia esse bonorũ virorum non secus, quàm Deorũ; Deorũ. n. sũt oĩa, boni viri Deorũ sũt amici, & amicorũ inter se cõia sunt oĩa, bonorũ igitur virorum sunt oĩa; tùm quod esto eos mẽdicare contingat, id cum ordinis dedecore non erit, imò potius cum decore, & honore, qñ quidem quæuis religio tria illa salutaria, & insignia vota continet. s. paupertatis, obedientiæ, & castitatis. *c. cum ad monasterium. ext. de stat. monach. D. Tho. 2. 2. q. 187. a. 4. 5. & 6. Val. ibid. 10. q. 5. p. 4. Alph. de Cast. aduersus hereses. l. 11. in v. mendacitas. Plat. de bono stat. relig. l. 3. c. 27.* Hoc tñ verum est hodie post professionem, ante ipsam namq. nec ipsi ordinari possunt, cum à Pio V. in constit. Incip. *Romanus Põtifex.* sub pena suspẽsionis prohibeatur. *Vgol. l. c. Garz. nu. 9. Pasec. in prax. episc. p. 1. c. 1. nu. 43. Naldus in v. ordo. n. 28. Molfes. tr. 2. c. 15. n. 11.*

QVAESTIO XXII.

QVALE DEBEAT ESSE BENEFICIVM, vt quis ordinetur.

QVale debet esse hoc beneficiũ, quo ordinandus fultum esse oportet? R. Siue sit curatum, siue simplex modo sit perpetuũ, & eius pacificã habeat possessionem, modo ad victum sit satis, nihil refert. Quare beneficiũ simplex, cuius fructus magistro grammatices assignantur, quousq. grammaticam doceat, nõn admittetur, secus de præbenda theologali. Non ẽt sufficit Vicaria, vel Capellania ad tempus. Nec poterit ordinari ad titulum seruitij in aliqua Ecclesia, cui ascribitur. Nec qui beneficium habet, sed litigiosum. &c. Nec item potest quis promoueri ad titulum de futuro, & in spe etiã certa, puta ad beneficium, quod quis expectat, seu ad quod est præsẽtatus, nominatus, vel postulatus. Nõ, vt dixi, religiosus ante professionẽ, tum firmũ titulum non habeat. &c. Quod intelligitur etiamsi professus quidem sit, sed tñ ipsa professio irrita, & inualida sit. Nec qui gradu in Theologia, vel iure canonico insignitus est, & si. n. multi nõ pœnitendi Doctores censuerint id licere, tali. n. in spe non de futurum, vnde viuat, oppositum tñ ex vsu, & declaratione S. Congreg. Card. habetur. *Garz. de par. 2. c. 5. nu. 98. & 127. Sà in v. ordo. nu. 27. Aug. Barbos. in remiss. ad Conc. Trid. sess. 21. c. 2. Pasec. l. c. nu. 45. Molfes. tr. 2. c. 15. Camp. rub. 8. c. 1. 2. & seq. c. 5.*

QVAESTIO XXIII.

AN BENEFICIVM AD CVIVS TITVLVM, quis est ordinatus alienari possit.

POterit ne hmõi beneficium, ad cuius titulũ est quis ordinatus, alienari? R. Nõ posse, extat. n. mani-

manifesta Cōc. Trid. sanctio. *sess. 21. de ref. c. 2.* his verbis concepta: Id vero bñficium resignari nō possit, nisi facta mentione, quod ad illius beneficij titulum sit promotus, neq. ea resignatio admittatur, nisi constito, quod aliūde viuere commodè possit, & aliter facta resignatio nulla sit. Id quod locum habet, vel religionem ingrediatur, tùm quod ex eiusdem Concilij dispositione. *sess. 25. c. 16. de reg.* nulla renuntiatio à nouitio facta valet, neq. ēt beneficij, vt fac. Congreg. declarauit; tùm quod ordo conferri ante professionem non debet. *Paris. de resign. benef. l. 3. c. 13. Vgol.* § 8. *n.* 4. *Garz. d. p. 2. c. 5. n.* 192. Addunt etiam illū, qui resignauit beneficiū, vbi non habebat, vnde se sustentaret, eo beneficio priuatum esse, & ei conferri amplius non debere, & ad Rom. Pontificem eius collationem spectare. Ipsum vero Ordinarium, qui temere cā resignationē admisit, de suo ei prouidere teneri. Imò si renūtiatio beneficij sit facta cum pensione ad congruam sustētationem, absq. mentione, quod ad illius titulum fuit promotus, nec in foro conscientiæ valere aiunt, quod id tanquam forma essentialis requiratur, ut contra multos tenet *Garz. l. c. nu.* 215.

QVAESTIO XXIV.

VTRVM PATRIMONIVM AD CVIVS titulum, quis est ordinatus, sine Episcopi assensu alienari possit.

EST ne idem dicendum de patrimonio, ad cuius titulum Epsnecessitate, vel vtilitate ecclesiæ exigente, ordines sacros contulit, ut. s. sine Episcopi ipsius consensu alienari nequeat? R. Idem ius esse constituendum, & si. n. patrimonium, nec beneficium, nec ius spirituale sit; ecclesia tñ id vetuit, ne si absq. Ordinarij nutu distrahere-ur, clericus ad ordines promotus mendicitate præmereretur, & ei vitæ necessaria suppeditare cogeretur. &c. At vero cum clericus beneficiū ecclesiasticum nactus est; tuta conscientia potest patrimonium alienare; si tñ iure patrimonij clericus est creatus, patrimonij mentionem facere debet, si à Papa beneficium impetrandum curet. *Azor. p. 2. l. 3. c. 4. q. 3. &* 4. Porrò patrimonium debet uerè, & super re certa ab eo obtineri, quocunq. iusto titulo illud sit consecutus, vel vniuersali, vel singulari, uel inter uiuos, uel inter mortuos, modo legitimus sit, & dominium transferat; non. n. sufficit, si habeat tantum ius ad patrimonium, non autem ius in eo, cum clarum sit, non idē esse habere ius ad rem, quod habere ius in re, qñquidem parentes legitimam portionē filijs debent, & tñ vt filius ad sacros ordines ascendere queat, necesse est, ut pater ipse certum ei patrimoniū donet, aut eius causa obligationi subijciat, ad quod præstandum per ecclesiasticum Iudicem compelli potest; nec illa donatio ex cōiori sententia in eiusdē filij legitimam computanda est. Debet esse de re immobili, cuiusmodi ēt est beneficium, & pensio, quæ ipsi beneficio innititur; nec bona mobilia sufficiunt, nisi prius in stabilia conuertantur. Vnde super censum patrimonium constitui non posset, nisi sit reseruatiuus, perpetuus, vt nonnulli voluerunt. Item frugiferam rem esse oportet, cuiusmodi sunt prædia rustica, vt fundi, vinea, olieuta, nec non vrbana, vt ædes ob pensionē; Insuper liberam, non alteri obligatam, vt pro dote, pro censu, vel alio ære alieno, cum fieri possit, vt à creditorib. ei adimatur, vel fructus nō pcipiat. &c. Vnde antequā huiōi res pro patrimonio admittantur, mulrum interesset, si publicè edicta proponerentur, vt qui ius in ipsa re habet, ad allegandum intra tantum temporis compareat, & si quod onus subesse sciat, patefaciat.

Cuius quidem patrimonij his circunstantijs vestiti tanta debet esse quantitas, vt fructib. inde perceptis (sicut de beneficio dixi) arbitrio Epi, honeste sustentari queat. *Azor. l. 2. c. 4. q* 8. *Parisius lib. 2. de resig. q. 6. num.* 14. *Vgol. de off. episc. p. 2. c. 26.* §. 12. *Garz. de benef. p 2. c. 5. n.* 11 4. *Camp. in Diuers. iur. can. Rub. 8. c. 1. & seq. vsq. ad c. 6. Grat. in Forēs. Discept. p. 1. c.* 159.

QVAESTIO XXV.

QVAS POENAS CONTRAHAT ORDINANS sine titulo, & ipse ordinatus.

QVas pœnas subit tàm Eps, qui sine iusto titulo aliquem ordine insignit, quàm ipse ordinatus? R. Eps, qui ordinem sacrum ei contulit, qui ecclesiastico beneficio, patrimonio, pensione, quò se honeste alat, non potitur, hac pœna afficitur, vt eum sustentet, donec consequatur, quod ad eius victum satis sit; quod quidem verum esse censendum est, vbi sua culpa contigit; secus si ipsius ordinati fraude ductus id fecerit, tunc. n. ad eum alendum non tenebitur. *c. cum secundum, vbi Dec. & alij. ext. de præbendis. c. si Eps. eod. tit. in* 6. Item ab hac obligatione eximitur, si Archidiacono, vel Examinatorib. commisisset, vt de titulo inuestigarent, si. n. in hoc negligenter se gesserunt, & ex eorum falsa relatione de titulo ordinem contulit, actio de alimēris contra ipsos dabitur, vbi alimenta præstare possūt, in subsidium vero, hoc onus in Epm, & eo mortuo in successorem conijcietur. *Additio ad Quar. in v. ordo. Vgol. l. c.* §. 15. *Sanch. l. 6. de mat. disp.* 32. *Campan. in d. Diuers. iur. canon. rub. 8. c.* 5. *nu.* 21. Quò ad eum autem, qui beneficium ecclesiasticum non habens, vel patrimonium, vel pensionem, ordinem sacrum suscipit, etsi grauiter peccet, ex probabiliori

E tamen

tamen ſnīa,cum id iure cautum non ſit,in nullā pœnam incidit. Multis tamē in diœceſib.vt Bononiæ, Neapoli,& alibi,ſine titulo, vel ficto ordinati per conſtitutiones ſynodales ſuſpenduntur. *Tolet.l.* 1. *c.*49.*Henriq.l.*13.*c.*37.*§.*2.*Sayr.l.*4.*de cenſ.c.*14. *n.*16.*Mar.Ant.Gen.in prax.Neap.c.*83.*n.*20. *& in Man.Paſt.c.*55.*Garz.d.c.*5.*nu.*21.*Gonz.gl.*5.*§.*10. *nu.*22.*Paſec.p.*1.*Prax.epiſc.c.*1.*n.*42.*Vgol.l.c.§.*17.

QVÆSTIO XXVI.

QVAE FORMA, ET QVAE PRAXIS in ordinatione,& examine obſeruanda.

QVæ forma,& quæ breuis praxis obſeruanda, tàm in ordinatione facienda, quàm in examine,& ſcrutinio circa ordinandos exercendo? R. Primo vbi Eps generales ordinationes eſt celebraturus, Vicarij foranei,& Parochi tàm Ciuitatis,quàm diœceſis huius rei ante certiores fieri debent,ut ipſi Curati eos qui ſacris ordinibus ſunt initiandi,ad Ordinarium per menſem ante mittãt, iuxta decretum Conc.Triden.*c.*5.*ſeſſ.*23. qui illis mandabit,vt illorum nomina, ac deſideria in Eccleſia publicent,& eorum ſtatus veram relationem remittant. Quæ denuntiationes in ſingulis ſacris ordinib.faciendæ,haud ſunt omittendæ, ēt ſi ordinandus eſſet Epo notus, vt ſuperius de dimiſſorijs dixi. *Zerula in praxi Epali in v. ordo.p.*2.

Ab hac tñ obligatione regulares eximuntur, cũ ſatis ſit, vt in ſuis dimiſſorijs literis à ſuperioribus ſuis datis, de oĩb. requiſitis teſtimonium feratur, idq; meritò,nullus namq. melius eorum vitam, & mores ſcire poteſt,q̃ ipſorum Prælati,quorum prudentia,vt alias animaduerti,in tribus maximè elucere debet. Primo in eligendis viris ad ea munera, ad quæ præſtanda quiſq. idoneus fuerit. Secundo ne maiora onera imponant, quàm ipſorum uires ferre poſſint. Tertio in iuuandis in ſpiritu ſubiectis fratrib. perpendendo, quid ad conſequẽdum propoſitum vocationis ſuæ finem ſibi,& vnicuiq. maximè cõueniat, vt ſpeciatim annotaui in commẽt. de hum.vitæ ſtat.*p.*1.*c.*22.

Eximuntur quoq. ſubditi alterius Prælati,nõ.n. Eps qui ordines eis collaturus eſt, denuntiationẽ hanc facere debet,ſed ad proprios eorum Ordinarios hoc ſpectat,de quib.omnib. per literas dimiſſorias probatio fieri poterit. *Vgol.de off. epiſ. par.*2. *c.*26.*§.*18.

Appetente igitur ordinationum tempore, edictum proponendum eſt, quò & dies tradendis ordinib.ſtatuatur;& oẽs maximè,qui initiari cupiũt, de his, quæ in rem erunt,admoneantur. Cuius quidem edicti exemplum videri poteſt apud *Acta Eccleſia Mediol. Conc. Prouin.*4.*p.*1.*& Archiep. Bonon p.*3.*de ſacramnto ordinis,& ſynod. Amer.c.*200.

Examinatores vero feria 4. ante ipſam ordinationem,vel tunc quando Ordinario videbitur, ad locum deſtinatum conuenire debent, vt ordinandorum per ſcrutinium ſpecimen,& experimentum ſumant. &c. Vt hi vel approbentur, vel reprobentur,q ad aliquẽ ordinẽ,vel eccleſiaſticũ miniſteriũ accedere voluerint. Illa porro ratio obſeruãda erit, vt cũ ordinum cauſa examen fit, à notiorib. & facilioriib.initiũ ſumatur,vt primo aperto capite,& illis qui examinatur,librum aliquem legere,vt catechiſmum, vel Concilium iubeatur, donec experiendo,an rectè,& explicatè legere ſciat, intelligatur; deinde Grammaticorum more coniungere verba, eaque vulgaria reddere, aut ſenſum exponere; à quibus ad alia grauiora doctrinæ experimenta pro rei,de qua agitur,ratione,& gradu ordinis ſuſcipiendi Examinatores tranſibunt. &c. De quibus autem in primis inquirendum ſit,antequam de ſcientia periculum fiat, in ſequenti capite dicemus.

CAP. III.

QVÆSTIO XXVII.

DE QVA RE PRIMVM EXAMINATORES interrogare debent.

DE qua re primũ interrogandũ? R. Deputati ad examinãdũ eos,qui ad ordines ſiue minores,ſiue maiores,pmoueri petũt, propoſita ſibi ante oculos Dei gloria, eccleſiæ vtilitate, fidei incremẽto,& eorum ſpirituali ſalute, quos examinant, dẽptiſq.oĩb. humanorum affectuũ obſtaculis,ea proſequi curabunt; quæ in hoc capite illis à nobis in memoriam reuocantur. Antequam ad articulorũ examen deſcendant, Primo interrogare poterunt, quo nomine is,qui ad examẽ acceſſit, vocetur? Clarũ eſt.n.ex bono nomine proprio bonam præſumptionem naſci,ex turpi autem malam, & ex horrido nomine homines ſæpiſſimè quid ſiniſtri ſuſpicari,exiſtimantes,à prauo euentu illud fuiſſe impoſitum. Hinc Cardinalis Florentinus in *c.cum ſecundum.ext.de praben.Io. Andr.& Imol.in c.grauis.ext. de depoſito.* reprehendunt vehemẽter parentes, qui in eorum liberis turpia progenitorũ noĩa renouãt, atq.illi imputandum eſſe aiunt,qui contrahit cum habente deforme nomen,cum, vt dixi, ex malo nomine mala reſultet præſumptio, & vt ille cecinit.

Nomina ſunt ipſo pene timenda ſono.

Idcircò præſtantiſſimi illi viri, quib. à ſacroſancta Tridentina ſynodo cura conficiẽdi catechiſmi demandata eſt,*tit. de ſacramento baptiſ.* hortantur fideles, vt nomen, quod baptizandis imponi debet, ab aliquo ſumatur, qui propter excellẽtem animi pieta-

pietatem,& religionem in sanctorum numerum sit relatus. Proinde si clericus ordinandus turpe, vel inhonestum nomen haberet, rationi congrueret ab Epo mutari. *Menoch.lib. 2.de arbit. Iud. casu.*318: *Euerardus in top leg.in loco ab etymologia Alber. in Dict.in v.nomen.Fusch. in sing.*14.*v.nomẽ. Cassan. in cat.glor.mun.p.* 11.*cõsid.*23.*Germ.de Indul.Car. in §.Hieronymo.vide infr.tr.* 13.*c.*2.*q.*8.

Secundo interrogandus est, cuias sit, an Bononiensis, ciuis, an diæcesanus. Sic nanq. concilium Nannatense relatum in *c.quando.dist.* 24.*& Conc. Trid sess.*23.*c.*7.iubet ordinandorum patriam, & locum vbi educati sunt, exquiri debere, vt proinde sciatur, quib.ipsi sint imbuti morib. siquidem ratione patriæ quis bonus, vel malus præsumitur. Et ex Firmici Materni snia, ex patria mores veluti ingenitos accipimus, cum ex varijs Cœli aspectib. diuersæ in nobis morum generentur contemperationes. Vnde profectum antiquum adagium, Mores hominum, & plantarum semina, ad regionis habitum respondent. Vnde *Alb.Gand.in tract.de malef.* scribit famam, vel infamiam ex patria potissimum oriri, cum quis à natura, & loco originis bonus, vel malus præsumatur. Quò alludit Ezech.*c.*16.dicẽs, Radix tua, & generatio tua de terra Chanaan, pater tuus Amorrhæus, & mater tua Chetæa. Nec solum patriæ, sed & generis.i.legitimi thori inquisitionem faciendam esse iura præcipiunt, cum illegitimus ab ordinib. suscipiendis arceatur. Primo ob ordinis dignitatem, & præstantiam. Secundo ob detestationem paterni criminis. Tertio ob pręsumptionem incontinentiæ filij, siquidem.

Sæpe solet filius similis esse patri.
Et leuiter sequitur filia matris iter.

*gl.& DD.in c.fin.de filijs presbyter.lib.*6. *Paleot. de not.& spur.c.*55.*Lopez.in schol.ad Diaz.c.*9.*Sayr. l.*6.*de irreg.c.*10.*Tiraq.l.*7 *connub. nu.*15.*Bart.in tr.de Guelph.& Gibell.Cassan. in catal.glor.mun.p.* 12.*consider.*17.*Pet.Moral.in Cõment.in Matt.l.*2. *tract.*8.*n.*21.*vt dixi inf.tr.*12.*c.*2.*q.*5. Fit etiam de patria interrogatio, quia vt supra annotauimus, alterius diæcesis clerici admitti non debent, nisi eorũ vitæ probitas, & eruditio sui Ordinarij testimonio legitimè comprobentur. *c.nullus. de temp. ord. lib.*6.*Conc.Trid sess.*23.*de refor.c.*8.

Tertio si regularis sit, v.g. Bononiæ, aut in diæcesi commorãs, inquirendũ est, an suorum Superiorum facultatem habeat, in qua testimonium sit de vita, & morib. & fides de ætate probata ab Ordinario loci, vbi baptizatus fuit. Et pariter si in aliquo ordine sit constitutus, an testimonialib. suscepti ordinis literis sit suffultus.

Quarto si non exterus, sed Bononiensis sit, an literas habeat Parochi, in quib. testetur de denũtiatione facta, de natalib. de vita, & morib. quod debitis tpib. sit confessus, & sacra Cõione refectus. iuxta Cõc.Trid.*sess.*23.*de refor.c.*11.*&* 13. Quod Christianæ doctrinæ scholas frequentauerit, & sacrã scripturæ ecclesiæ inseruierit, & præscriptas functiones exercuerit .&c.

Quinto si ad minores ordines promouẽdus est, an habeat literas à magistro scholæ, in qua educatur, aut instituitur, similiter de vita, & morib. testimonium afferẽtes. An aliquo vitio, labeq. siue animi, siue corporis affectus sit, propter quod ex iure sacrorum canonum initiari prohibeatur. Notũ est .n. multa esse impedimenta, quæ ab ordinib. suscipiendis arcent, ut sũt nõ baptizati, vsu rõnis, ucl debita ætate carentes, illegitimi, non confirmati, rudes, & ignari, criminosi, ab examine reiecti, egestate pressi, corporis deformitate notati, excõicati, suspẽsi, interdicti, irregulares omnes. &c. Quæ omnia, vt alias admonui, ad duplicis generis impedimenta reuocantur, quædam.n. impediunt, & ordinationem dirimunt, prout fœmina, non baptizatus.&c. alia verò sunt impedientia tantum, sed nõ dirimentia, & præcipua sunt, Peccatum mortale, censura, irregularitas, quæ multas species secum involuit. de quibus suo loco dicemus.

Sexto si beneficium aliquod habeat, quale sit, cuius redditus, an de hoc legitimam fidẽ habeat. Si beneficio non fruatur, & ad titulum patrimonij promoueri petat, quod nam sit, an testimoniales literas secum ferat, quib. probetur non minoris summæ esse, quam synodalib. constitutionib. caueatur.

Septimo si ordine aliquo initiatus fuerit, an consignatas literas gerat susceptorum ordinum, & an habitum clericalem detulerit, functiones debitas obierit, &c. Et an ab vltimo ordine quẽ suscepit, ad eũ, quẽ nunc petit, debitũ intercesserit interstitiũ.

Octauo si regularis in Ciuitate, aut diæcesi commoretur, requiratur (vt sup. aduertimus) an suorum Superiorum licẽtiam habeat. An pariter si ad aliũ ordinem promotus sit, testimonialib. literis collati ordinis fultus sit. Si vero exterus sit, tàm sæcularis, quàm regularis, an dimissorias literas sui Ordinarij gerat, modo, ac ratione à Clemente VIII. pręscripta, in quib. appareat, ab eo fuisse approbatum, & pręcepta à Concilio Trid. seruata esse. &c.

Nono Par esset, vt Eps simul cum alijs deputatis ordinandorum examini diligenter incumberet, & nullam quamuis grauem occupationẽ huic anteponeret, cum de re tanti ponderis agatur, in qua & clericalis ordinis dignitas, & ipsius Epi animæ periculum præcipuè versatur; si tamen teste eius conscientia legitimè impeditus fuerit, id muneris Examinatorib. relinquat, atque eorum consciẽtias oneret. &c. vide infra *q.*32. Præcedenti ordinationem habendam die, sermo habendus est ab ipso Ordinario, vel ab alio, cui hoc demandatum sit, corã

promouendis, de vi, ac præstantia huius sacramenti, & in fine sermonis clara voce legenda erit constitutio Pij II. edita contra ordinatos ante legitimã ętatem, sine dimissorijs, & extra legitima tempora. Item Bulla Pij V. contra eos, qui canonicarum horarũ pensum non soluunt, & contra pensionarios, qui officium B.M. Virginis non recitant.

Et hæc satis sint, quò ad formam examinis ordinandorum. Porrò nota earum rerum, quæ quò ad sciam sunt in singulis ordinib exquirenda, colligi poterit ex his, quæ dixi sup. *tr. 1. c. 9. q. 46.* & ex articulis, quos infr. circa singulos ordines excutiemus.

QVAESTIO XXVIII.

QVA FORMA VTENDVM IN CONFESSariorum examine.

QVa forma vti debent Examinatores in Confessariorum examine? R. Ad audiendas fideli um cõfessiones aliud non requiritur, quàm quod Sacerdos idoneus ad tale munus obeundum, ab Episcopo iudicetur, siue hoc per examen, seu quocũque alio modo fiat. Nec. n. Conc. Trid. *sess. 23. de reform. c.* 15. cogit, vt approbatio per examinationem, & scrutinium fiat, vt de Parocho ibi præcipitur. *& in sess.* 24. *c.* 18. sed id Epõrum arbitrio relinquitur, vt proinde quocunq. modo aliquis aptus, & idoneus censeatur, hmõi officium iure exercere queat. *Ric. in prax. var resol. resol.* 21. *Beia in respõ. cas. consc. p.* 1. *casu* 16. Attñ vsu receptũ est, & multorum Ordinariorum synodalib. constitutionib. cauetur, vt coram ipsis, vel eorum Vicarijs (& si de iure Concilij necessarium non sit) non paucioribus, quàm trib. Examinatorib. ex eorũ numero, qui in synodo sunt designati, ipsi confessarij examinẽtur. Et quidem optima ratione, hoc. n. eorum ministerium tantas in se excellentias, & dignitates continet, vt solus ipse Dñs ęstimare, ac patefacere possit, qui illud in noua lege euangelica instituit, & sacramento ordinis, graduiq. sacerdotali astrinxit, vt hic rectè locum habeat, quod D. Gregor. Syagrio, & alijs Epĩs dixit. *l. 7. ep. c.* 110. *in c. non est putanda.* 1. *q.* 1. Quisquis sacerdotium nõ ad elationis pompã, sed ad vtilitatẽ adipisci desiderat, prius vires suas cum eo, quod est subiturus, onere metiatur, vt si impar est abstineat; & ad id cum metu etiam, cui se sufficere existimat, accedat. Cui quidem examini nullæ regulæ hic præscribuntur, qùia iuxta variam locorum conditionem, in quibus confessiones excipiendæ sunt, non potest vniformis oĩb. examinandi norma constitui, sed hoc potius Examinatorum prudentię, & circumspectioni relinquendũ est. &c. Et quidẽ cõfessarius de his interrogari poterit, De sacramẽto pñiæ necessitate, de eius auctore, de causa cur institutũ, de eius partib. materia, & forma, & effectib. qua intentione ad illud administrandum accedendum sit, de peccatis, & regulis dignoscendi mortale à veniali peccato. De eiusdem ministro, & cõditionib. quibus præditum esse oportet. De contractibus, & restitutione, de vsura, & simonia, voto, & iuramento, & alijs, quæ in decalogo continentur. De sacramento matrimonij, censuris, & irregularitate. &c. Nec sufficiet, si examinatores super vna tantum materia veluti, de sacramento pœnitentiæ, vel restitutionis interrogent, & ex illa de confessarij scietia iudicium ferre. &c. De qua te infra, cum de articulis ad confessiones examinandorum agemus, dicendi locus erit.

Illud tantum hic aduertendum videtur, quod sicut manifesta est rei grauitas, tunc cum confessarius iudicium exercet, & iudicis munere fungitur, inter lepram, & lepram dijudicãs, dum fert sententiam, reum pœnitentem modo ligans, modo absoluens, ita etiam magna sapientia, & diligentia examinatores in suo munere confessarios examinandi procedant, ne si indignum approbando errent, error in ipsorum caput redundet; sibiq. dicta putent illa diuinę paginæ verba, Videte quid faciatis, non .n. hominis exercetis iudicium, sed Dei, & quodcunq. iudicaueritis, in vos redundabit, sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite. 2. *Paralip. c.* 19. Hinc nõnullorũ Summorum Pontificum, præsertim Pij Quinti, & Clementis Octaui, merito totis viribus, totisque neruis tetendit studium, & industria, vt oẽs sacramenti pœnitentiæ ministri ad hoc tam graue munus subeũdum, protsus idonei, & exactissimo probati examine deligerentur, cum ex hoc, vt aiebant, totius christianæ religionis salus dependeat. Vnde cum tribus ianuis, seu vijs, ecclesiastici viri ad hoc officiũ obeundum accedant, Primo per portam iustitiæ, per quã proprij Pastores, & Curati intrant, quib animatum cura incumbit. Secundo per ianuam charitatis, per quam illi ingrediuntur, qui Dei honoris, & aĩarũ zelo permoti spõte hoc onus suscipiunt. Tertio per obedientiæ ostiũ, in quod illi pedẽ inferunt, quib. Prelati hoc munus imponũt (vt in religiosis ordinibus mos est) qui cum ab ordinarijs admittendi sũt, videndum est, an à suis Superiorib. sicut & seculares exteri à suis Epĩs, licentiam habeant; & an illas sibi dotes comparauerint, quę ad hoc tàm serium ministeriũ exercendum necessariæ sunt. *Lud. de Pon. de christ. perfect. tract. 5. c. 2. Zerula in praxi Episc. in v. confessores. D. Carolus par. 1. Act. eccles. Mediol. Conc. Prouin 4. de sacr. pœnit.*

Porrò examen in aliquo priuato cubiculo ab alijs semoto, & ab omni strepitu, & hominum turba vacuo fieri dẽt, vt Examinatores ad id de quo examinandi interrogantur, magis attendere valeant, siqui-

siquidem ex Senecæ sententia, Nullum exercitium bonum redditur, vbi est discursus, vt vagatio mentis. Nec sufficit corpore adesse, nisi et animus præsens sit, cũ mens sit illa, quæ videt, & audit, &c. *Alc. in l. coram ff. de verb. signif.* Hinc, *& Antoni. Thesaurus in præfat. ad Decis. Pedam nu. 36.* admonet; vt locus, vbi Senatus ad causas audiendas, & decidendas conuenire solet, statuis, picturis, ac cæteris rebus careat, quę à re de qua agitur, Iudicũ mentes diuertere possunt, & proprij officij obliuionem inducere, ne illud Virgilianum eueniat.

Atq; animum pictura pascit inani, &c.

Qua quidem in re in quocunq; examine nõ leuiter peccare Examinatores cõtingit, dum nõ satis animũ intendentes, quid interrogati respondeant, vota dando, & fabas in pixidem mittendo, nõ approbandos approbant, & approbandos reprobant, ac reijciunt. Proinde omnes dum examen peragitur, tàm interrogantibus, quàm respondentibus silentium, atq; audientiam pręstare debent, nec colloquia inter se miscere, nec quęstiones, ne quidẽ de rebus propositis serere, sed eius responsionib. excipiendis vacare, de cuius ingenio, atq; doctrina experimentum capitur.

Et ne ordine sublato, alter alterũ interrogando, & quęstiones proponẽdo, interpellet, ac ne ipsi Examinatores mutuo sibi impedimento essent, & animus eius, cui ad ea, quæ proponũtur, respondendũ est, multiplici pulsatione distraheretur, illa ineũda esset ratio, vt ab eo examen inchoaretur, cui Epus præsens, vel Vicarius mãdasset, atq; hunc deinceps sequeretur, qui ei proximus dextro lateri assideret; vel vt Bononiæ fit, syngrapha ex vasculo extracta, sorte significaretur, qui examinare, & interrogare deberet. Insuper quò ipsum examen maiori attentione, & religione exerceretur, vbi in locum eorum cætui statutum conuenerint, non ante initium examinãdi eos facere oportet, quàm qui alijs pręsidet, ex scripto precationem peregerit, qua oretur, vt nihil dicatur, agaturue, quod cum eius voluntate nõ consentiat, nam vt ait *Cassiad. ep. 34.* Deus qui corda nostra regit, etiã quid debeamus sentire concedit. Hinc *Demosthenes ep. 1.* Omne inquit serium dictum, vel factum, censeo à Deo primum ordiendum esse conuenire, Et vt ait D. Gregorius *in c. cũ Paulus 1. q. 1.* vbi Christus non est fundamentum, nullum boni operis est super ædificium.

Si forte is qui examinabitur, rerum facilliũ scientiam prope nullam, visumq; se tenere ostenderit, interum difficilium percunctatione tempus conteren dum non est, sed iussus intentiorẽ studijs operã dare, dimittẽdus erit, & alius, si adest, introducẽdus. E contra non est, cur cum eo multis agatur, quẽ apprimè doctum, & in rebus sacris satis versatum esse constiterit, non tamen omnino examen omittendum erit, etiã si qui accesserit, valde doctus, & idoneus habeatur. In experimentis faciendis se nullo modo seueros exibere debent, sed gratos, & benignos, ne examen subiturus, vel seueritate deterritus, animo concidat, vel memoria languescat; quin potius eorum partes erunt, cunctantes, & timide respondentes humanitate subleuare, & comi, blandaq; cohortatione labantes excitare, &c. De qua re apposite egimus *in comment. de hum. vitæ stat. p. 1. c. 13.* Quib. addo, in examinando nõ id modo quãtũ quisq; sciat, spectandũ esse, sed cuiusque ingenij, vsus, solertiæq; rationẽ esse ducẽdam; sæpe. n. in literis minus versatus, docto, & erudito industria, & experientia aptior in munerib. obeundis reperietur, *Molfes. tract. 6. c. 6. n. 58. & dixi sup. tr. 1. c. 2. q. 8.*

QVAESTIO XXVIIII.

QVAE FORMVLA OBSERVANDA IN parochialibus Ecclesijs conferendis.

QVæ formula seruanda in conferendis Ecclesijs parochialibus, & in examinib. circa eas habendis? R. Ex omnibus functionibus ecclesiasticis, cum illæ, quæ in Sacramentorum administratione, ac morbis animi curandis versantur, cæteris vtilitate, mysterio, ac potestatis vi præstare censeatur, merito sacro sancta Concilia priusquã hmõdi munera aliquibus committantur, de illorum meritis, diligẽtius, ac maturius deliberandum duxerũt, nam si in secularibus certaminibus, nõ his, qui aut nobilitate, aut diuitijs, aut splendido ornatu antecellũt, palma, brauiumq; decerni solet, sed his, qui pugna, aut cursu cæteros superarũt; sic in hac sacra spiritualiq. militia, non eos belli Duces, aut castrorum Præfectos Tridentini Patres statuerũt, qui spõte currentes pugnent, quasi in incerto, ac veluti aerem verberantes: sed qui collato cum alijs morum, & doctrinæ prœlio, se illis prudentia, scientia, ac bonitate præstantiores ostenderint, Conc. Trid. *sess. 24. c. 18.* Episcopus ergo, vel eius Vicarius postquã vacuam Rectore parochialem Ecclesiã esse cognouerit, intra triduum edictũ proponere bebet, idq; aut cathedralis, aut vacantis Ecclesiæ ianuę affigi, nec per decẽ dies, aut etiam plures, nõ tamen vltra quã decẽ, si ei visum fuerit, amoueri patietur: Quò quidẽ edicto omnes, qui ei Ecclesiæ præfici, & sui periculum facere, aleamq; examinis subire voluerint, aut alios noĩare, qui subeãt, inuitentur, *Zerula in prax. epis. in v. Parochia. Ric. dec. 423.* Eo transacto tempore examen peragetur, & viduatæ Ecclesiæ pastor eligetur is, quẽ Episcopus ex idoneis, & dignis magis idoneũ, & digniorẽ esse iudicauerit. Forma vero talis edicti faciẽdi habetur in Archiepiscopali

piscopali Bonon. *p. 4. conc. proui. 1. de examine. per concursum, & Synod. Amer. c. 603. Garzsap. 9. c. 2. num. 391.* Quando ergo Ecclesia parochialis vacat, cõcursus iuxta formã Conc. Trid. *l. c.* fieri debet, aliàs collatio irrita est, & nulla; siquidem in beneficiorum prouisione obseruanda est ratio à iure statuta, consuetudine, vel fundatione præscripta, secus nõ valebit, cum non seruata forma, actus corruat; quod etiam in foro cõscientię procedere multi asserunt, in quo non seruata eadem forma à iure requisita, beneficium retineri nequeat. Qui quidẽ concursus etiam in beneficijs Sedi Apostolicę reseruatis prætermitti non solet; quoniã Episcopus edictum proponit, concurrentes examinãtur, digni approbantur, & approbatio ad summum Pontificem transmittitur, à quo prouisio fit magis idoneo à tribus synodalibus Examinatorib. reperto, *vt in d. c. 18. & constitutione P. V. incip. in conferendis.* Imò examen hoc per concursum est faciẽdum etiam in beneficio Curato Iurispatronatus Ecclesiastici, ẽtsi partim ecclesiasticum, & partim laicale sit, vel ẽt si pro duabus partib. ad laicos, & pro vna ad ecclesiam specter, cum in his duob. calib. ius patronatus ecclesiasticum, & non laicale iudicetur; & tũc quoque præter nominatos ab ipso ecclesiastico patrono, integrum erit Epõ, alios clericos admittere, nisi in institutione aliter cautum sit. &c. *Marc. Ant. Gen. in prax. Cur. Archiepis. Neap. c. 66. Ric. in prax. for. ecclesi. dec. 414. Io. Franc. Leo in thes. for. eccl. c. 2. c. 18. Garz. de benef. p. 9. c. 2. n. 1. Less. de iust. & iur. l. 2. c. 34. dub. 16. Mar. Ant. l. 1. var. resol. resol. 63.*

QVAESTIO XXX.

AN CONCVRSVS FACTVS SINE TRIBVS Examinatoribus synodalibus valeat.

QVid si iste cõcursus fieret sine Examinatoribus à synodo approbatis, vel coram tribus, sed adhibito etiam alio, vel alijs non synodalibus? R. Nullum esse examẽ, & ob defectum substantialis formæ vitiari, siquidem examen istud saltẽ coram tribus ex sex in synodo nominatim, & in particulari deputatis fieri debet. Vnde cum concilium sanciat, examen, vel cõcursum coram Examinatorib. synodalib. fieri, qui saltem tres esse debent, obeundo examen. v. g. cum quinq. Examinatoribus, quorum tres synodales non sunt, forma concilij non seruatur, ac proinde actus non subsistit. &c. Vnde etiam infertur, quod si pauciores, quam sex puta 4. vel 5. Examinatores in synodo deputãtur, cum non sit legitima deputatio, concursus nullus erit. Si tñ tres synodales Examinatores adsint, & alij duo non synodales ad maiorem, & abundantiorem cautelam adhibeantur, actus propterea vitiari non videtur, præsertim cum id actus naturæ, vel formæ non repugnet, sed potius ad illius augmentum tendat, nec concilium id vt superfluum prohibeat, neq; vlla taxatiua dictione vtatur. *Rot. Rom. decis. 672. in 4. in nouiss. Nal. in v. Examinatores.* Addo ẽt, si tẽpore quo prouisio per concursum fieri debet, Examinatores synodales non adsint, Epõ non obstante forma concilij integrũ esse, absq. synodi celebratione, nouos Examinatores deputare; qñquidẽ vbi forma à lege inducta præcise obseruari nequit, per æquipollens, eo modo quo fieri põt adimpletur. &c. *Rom. cõs. 433. Rolan. vol. 2. cõs. 43. n. 38. & vol. 3. cõs. 30. n. 13. Ric. dec. 418. Garz. l. c. nu. 66. 324. & 335. Paris. l. 8. de resig. q. 9.*

QVAESTIO XXXI.

SEMEL AD ORDINES, ET AD CONFESsiones audiendas examinatus, & approbatus, an si examen per concursum fieret, iterum examinandus esset.

QVid si quis ad ordines, & ad audiendas confessiones, vt valde peritus, & idoneus esset approbatus, & pastoralis cura esset illi demandanda, opus ne foret, vt si examen per concursum fieret, iterum hanc aleam, & certamen subiret? R. V. tiq. siquidem plura requiruntur ad regendum beneficium, curam animarũ habens, quàm ad sacros ordines suscipiendos, vel ad fidelium confessiones excipiendas. *Nauar. de oratione. nu. 109. & Miscel. 43. nu. 3. & cons. 2. t. de prab. Azor. p. 2. l. 6. c. 6. q. 9.* Immò ab examine immunis non esset, etiam si Vicarij Epi, vel Pœnitentiarij aliàs munere functus fuisset, vel clarè constaret maximè idoneum esse, vt quia celeberrimus sit Doctor, vel libros composuerit, vel Auditor Rotę fuerit. &c. Et etiam si aliàs in simili curato bñficio examinatus fuisset, in loco tñ ampliori, & nobiliori nũc cõstituendus esset, nã vt alibi diximus, pro magnitudine, amplitudine, aut celebritate loci, maior, vel minor scientia in beneficiario exigitur, secus collatio facta nõ valet, cũ omnis actus humanus trib. reb. conficiatur, voluntate, potentia, & modo, siue forma adhibitis. *c. cũ super. ext. de off. deleg. atque sic cõiter DD. asserunt. Fusc. l. 2. de visit. c. 5. Gonzal. reg. 8. glo. 4. nu. 86. Paris. Less. & Azor. l. c. Garz. nu. 104. Vgol. de off. epi sc. p. 2. c. 50. §. 10. Cened. in collect. ad ius can. collect. 15. ad tex. in c. nullus. dist. 24.*

Quinetiam addo, qđ simpliciter, & indistinctè loquendo, sic demum approbatus, & idoneus ad Parochiam iudicatus, est denuò examinandus, si ad aliam etiam æqualem, vel minorem admitti procuret, non obstante regula, quod semel approbatus non sit amplius examinandus, siquidẽ id in bene-

beneficijs simplicib. locum sibi sibi vēdicat cū quò ad curata fieri possit, vt olim idoneus repertus mō do inhabilis sit. &c. *Camp. in diuer. in can rub. 80. nu. 21.*

QVAESTIO XXXII.

NVM EPISCOPVS, VEL VICARIVS examini per concursum faciendo interesse debeat.

EST ne necessariū, quod Eps, vel Vicarius huic examini intersit? R. Proculdubio coram Epo, vel eius Vicario examen, vel concursus fieri debet; Quamquam. n. multæ sint, ac variæ Epalis, & Vicariæ curæ, atq. officij occupationes, attamen quia in præcipuo negotio habendus est delectus eorum, qui ad diuinum cultum, & oues Christi regendas asciscuntur, cum de Parochi creandi doctrina, ingenio, & morib. periculum fiet, pro actus (vt dicunt essentia) præsentes adesse eos oportet, quidquid sit de alijs examinib. quæ circa ordines suscipiendos, confessiones audiendas. &c. exerceri solent; præsertim cum inquisitio de vita, & morib. pręficiendi de quib. in electionibus potissima ratio habenda est, nō ad Examinatores, sed ad ipsos Ordinarios pertineat, cuius maximè necessariæ conditionis, vt vigiles Pastores pleniorem notitiam habere poterunt. *Rot. Rom. in nouiss. decis.* 652. Atq; idem dicendum est de inferiorib. Prælatis exemptis, Episcopali iurisdictione fungentib. quib. & ipsis concursum faciendi facultas competit &c. *vt per Garz. p. 9. c. 2. nu. 326. & Riccium decis.* 424.

Ipsi tn̄ votum decisiuum non habent, sed tantū accedere possunt, cum vota, vel paria, vel varia sūt. Paria erunt. si v. g. duo Examinatores Titium approbauerint; duo vero alij Seium. Singularia, vel varia, quando quisq. Examinator vnum approbauit, & idcircò singuli singulos. &c.

Quæ Episcopi, vel Vicarij accessio videtur debere fieri in ipso examine, seu coram ipsis Examinatorib. simul congregatis, & non separatim; quāuis electio ex approbatis ab Episcopo faciēda diuisim peracto examine fieri possit, quoniam, vt aliàs dictum est, & ipsa magis idonei, & dignioris electio non ad Examinatores, sed ad Episcopum, vel eius Vicarium spectat.

Et circa modum dandi vota, licet conciliū non expresserit, an palam, an secretè dari, & proferri debeant, magis tn̄ expedit, ut Examinatores inter se vota sua conferant, deinde notario inbeant, vt in actis suis simpliciter scribat, Titium approbatum idoneum, Seium verò reprobatum, ut Romæ fit: Bononiæ uero ipsa Examinatorum uota per albas fabas, & nigras secreto in pixidem inijciūtur, indeq. apertis sententijs, examinatus, vel approbatus, uel reprobatus pronuntiatur, & hoc modo cessant altercationes, quæ aliàs quandoq. ex affectione oriri solent. Quam ob causam licet olim Romana respub. per multos annos suffragijs apertis in comitijs vsa fuerit, attamen postea leges tabellariæ latæ fuerunt, quib. suffragia occultabantur, ut liberius unusquisq. animi sui sensum depromeret, unde hæ tabellæ uindices libertatis appellatæ sūt, teste *Cicer. l. 3. de legib. Garz. nu. 107. Io. Franc. Leo l. c. num.* 35.

QVAESTIO XXXIII.

AN DIGNIOR AB EPISCOPO sit eligendus.

PEccat ne Episcopus, si digniori omisso post examē aliquo prauo affectu motus minus dignū eligat? R. Tāquam personarum acceptator mortalem culpam contrahit, & ad restitutionem tenetur, si minus digno conferat. Nam quò ad primam partem alias attulimus cōem DD. sententiam asserentium, in foro conscientiæ digniorem vtiq. præferendum esse, & eos qui aliter fecerint, grauiter delinquere, & clare hoc etiam hodie à Tridentino Concilio cautum esse nouimus *sess. 24. de ref. c. 1. & c. 18.* Quò ad 2. partem patet, quod, vt diximus, cum sit acceptator personarum, cōtra distributiuæ iustitiæ leges grauiter peccat, quod quidem peccatum restituendi obligationem inducit, & ipse reiectus ex mala Episcopi electione iuxta Pij V. constitutionem *incip. in conferendis*, appellare poterit. *D. Chrisost. hom. 7. in Mat.* tradit, Christum singularem illum fauorem secum ducendi in montē Thabor præ omnibus alijs Petrum, Ioānem, & Iacobū, eis impertiuisse, propterea quod cęteros discipulos virtute, & meritis præcellerent, vt diuino hoc documento reipub. tàm secularis, quàm Ecclesiasticæ, & regularis capita edoceantur, dignitates, officia, ac beneficia, dignioribus esse cōferenda, indebitæ enim electionis detrimentum non vnum, sed multiplex est; damnum electo, damnū officio, ad quod eligitur, damnum electori ad illud eligēri subinde infertur, &c. *Carthag. l. 8. hom. 3. Episcopus Brach. in suo stimulo Past. p. 2. c. 1.* vbi addit, Tu ergo, qui Episcopi munus administras, exemplo hoc diligenter explora per totam diœcesim tuam, clericos probatioris vitæ, vt illis in primis beneficia conferas. Illud tn̄ quiuis Antistes obseruabit, tuta cōscientia posse, atq; debere præsentatum idoneū, dignumq; instituere, tametsi, magis idoneus extet, q à patrono ad illud beneficiū pręsentari potuisset, sicut etiā cōfirmare iā electū ab his, qui eligēdi iure funguntur, &c. *Roder. in sum. p. 1. c. 108. n. 6. Mar. Ant Gen. in praxi Neap. c. 66. n. 8. & in Man. Past. c. 36. Cāp. rub.*

rub.6.c.3.n.33.Nald.in v. eligere. Garz.p.7.de benef.c.16.n.39.& 219.Raud.decis.34.

Porro, vt alias *tract.1.c.2.q.8.* animaduertimus, dignior quò ad rem nostrã nõ simpliciter dicitur esse, qui doctior est, vel sanctior, sed is qui muneri, cui præficiendus est Ordinarij, & Examinatorũ arbitrio aptior, & vtilior iudicatur. *Vgol.l.c.§.12.Riccius.decis.425.Beiaia in respons.cas.cõsc.p.3.cas.13. Pasec.p.2.prax.Episcopalis c.5.num.18. Molfesius tract. 6. ca.6.nu.61.*

QVÆSTIO XXXIV.

QVA FORMA CIRCA EXAMINANDOS ad Parochiales vtendum.

QVæ forma obseruanda circa examinãdos ad parochiales Ecclesias R. Nõ vniformis examinãdi ratio illis proprie præscribi potest, sed pro uariarum, vt dixi, Ecclesiarum conditione prudenti eorum arbitrio relinquẽda est, cũ ad insigniores Ecclesias per grauiora certamina clericos ascendere æquum esse videatur; dico tñ examinãdi formã duplicem considerari, & obseruari posse, alteram habita ratione ad examinandi modũ, alteram quò ad ea, quæ à concurrentibus interroganda sunt, Quò ad modum examinandi duobus modis examen instirui potest. Primo, vt speciatim singulis Euangeliorum liber proponatur, in quo alicuius Euangelij syntaxim verborum construant, & verborum subiectam sententiam eliciant, & aliquã breuem orationem texãt, quam ex eo haberent, si populus alloquendus esset. Postmodum nonnullæ quæstiones ad Sacramentorum administrationẽ, vel ad casus cõscientiæ spectantes dissoluẽdæ obijciantur, quæ à singulis exquirantur, quis .n. potior esset, si diuersa peterẽtur, dignosci non posset: quẽ morem semper Bononię obseruauimus, vbi per tot annos, & lustra Examinatoris munere functi sumus. Alter modus est, vt omnes simul cõuocati de varijs materijs examinentur, vt de vnoquoq; corã omnibus periculum fiat, quæ examinandi ratio, vt breuior Romæ ob maximum numerum virorũ ad examen cõfluentium seruari solet. Quò vero ad formam habito respectu ad ea, de quibus interrogandi sunt, habenda est ratio Ecclesiæ ad quã concursus fit, nam quæ petuntur, partim singulis Ecclesijs communia sunt, partim propria; nã cũ Parochi tria potissimũ sint munia: Primo pro grege sibi credito Missæ sacrificium offerre: Secundo Sacramenta ministrare: Tertio ea populum docere, quæ ad salutem necessaria sunt, de his quæ ad Sacramẽtorum administrationẽ, Decalogi, & Ecclesiæ præcepta pertinent, potissimũ interrogationes instituendæ sũt. Quędã vero quorũdã locorũ propria sunt v.g. alicubi sunt heretici, in aliquibus locis vsurarij, in alijs nautæ, caupones, stabularij, & pastores; vnde præter communia, vel de his proprijs diligens inquisitio facienda est. Quę quidẽ omnia obseruanda sunt in creandis parochis, etiã si prouisio per cõcursum non fiat. &c. *Vgol.p.2.de off.episc.c.50.§.10.*

QVÆSTIO XXXV.

QVAENAM PERQVIRENDA AB HIS, qui beneficijs simplicibus donantur.

QVomodo Examinatores se gerere debent cũ his, quib. beneficia simplicia, & non curata dantur? R. Supponẽdo primo ecclesiasticam rempub. quam Christus Dñs in uniuersali sua ecclesia instituit esse omnium supremam, quę in terra sunt, Cuius excellentiam D. Dionysius Areop. indito ei nomine Hierarchiæ insinuauit, quod sacrum principatum significat, eo quod sit congregatio multorum hoĩum, Christi principis ueri Dei, & hominis obsequio mancipatorum, qui eius regimini in uariis statib. officijs, ac ministerijs subijciuntur.

Et ad duos præcipuè fines ordinata est. Primo ut illum colant, & glorificent: cum .n. terreni Reges ob eorum dignitatem magna seruorum multitudine illis in aula famulantiũ fulciantur, & ipse Deus in cælesti curia maxima Angelorum illi obsequiũ præstantium summo ordine per hierarchias distributa cohorte stipetur, æquum ẽt est, vt idem in sua aula, quã ad habitandum in terra sibi ædificauit, magnum habeat ministrorum numerum, qui ei inseruiant, atq. reuerenter cum eo agant. &c. Hoc nomẽ ipsũ clericorũ, habitus, & insignia, quæ gerũt, acritus, quibus initiantur, abundè declarant, in id eos præcipuè incumbere debere, vt Dei gloriam, sanctamq; eius religionem assiduè promoueant, ad quod munus non solum ex charitatis, ac fidei debito tenentur, sed ex iustitia lege adstricti sunt: siquidem illis ideò ecclesiastica beneficia assignata sũt, vt essent stipendij loco, vt assiduè in Dei seruitio laborandum, ac militandum esse intelligerent, vate regio sic attestante, *Psal.*104. Dedit illis regiones gentium, & labores populorum possederunt, vt custodiãt iustificationes eius, & legem eius requirãt. Hinc sacri Canones redditus ecclesiarum appellãt vota fidelium pretia peccatorum, & patrimonia pauperũ. *c.quia.16.q.1.Card.Pal.tot.ferm.1.ad cler.*

Alter finis est in bonum, & vtilitatem ipsius corporis mystici, quod est Ecclesia, & omnium fideliũ congregatio, & quib. ipse aliquos fideles seruos, ac ministros seligere voluit, qui reliquorum spiritualib. commodis studerent, ac operam impenderent, sacramenta eis administrantes, & reliquos res sacras, aliaq. officia, ac ministeria eis exhibentes, quę

ad

ad ipsorum salutem, ac perfectionem assequendā necessaria erant. Hāc ob causam Deus in Cœlo empyreo tres Angelorum hierarchias instituit, vnam supremam, alteram mediam, cum trib ordinib. in singulis iuxta tres præcipuos vitæ spiritualis actus, videlicet illuminare, purgare, & perficere. *D. Dionys. de cœlest. hierar. c.* 5. Ad harum hierarchiarū similitudinem habet & ecclesia tres ordines, sicut Conc. Trid. *sess.* 23. *can.* 6. his verbis definiuit. Si quis dixerit in ecclesia catholica non esse hierarchiam diuina ordinatione institutam, quæ constat ex Epis, presbyteris, & ministris, anathema sit. In qua tres personarum ordines reperiuntur, quæ tribus prædictis actib. respondent; Epi. n. supremum obtinent locū, quib. cōpetit esse vndequaq. perfectos, vt eā perfectionē reliquis sibi subditis cōicēt. Secundo sunt presbyteri, quibus secundus perfectionis gradus conuenit, vt sint spirituali lumine pleni, & alios per sacramenta illuminent: idcircò .n. dicuntur sacerdotes quasi sacra dantes. Tertiū locum illi possident, qui à sacto Concilio ministri appellantur, quib. speciatim hoc nomē attribuitur, eo quod constituti sunt, vt inseruiāt, & alios. s. sacerdotes in præcipuo eorum ministerio adiuuent, qui bus proinde tertius actus incumbit, hoc est esse puros, aliosq. officiorum suorum actibus purificare. Atq. hinc clerici intelligere poterunt, quàm præclarum, honorificūq. munus sortiti fuerint, qui Saluatoris nostri cooperatores, atque administri delecti sint. Nam cum Deus omnipotens mundum vniuersum solus nutu suo regere possit, qui pōt quidquid vult, & cui uoluisse fecisse est; Angelorum tñ ministerium adhibuit, & inferiora etiam hæc omnia ijs instrumentis, quæ secundæ causæ vocantur, perfici voluit. Sic ad disciplinam, moresq. hoīum inducendos, ad religionem amplificandam, clericalis ordinis milites socios, adiutoresq. vocauit; vt proinde agnoscere debeant vocationem propriam, ac subinde quænam sint peculiares partes perpendere, ad militādū. n. in Dei ecclesia, & in sanctitate, & iustitia seruiendum tenentur, &c. *Lud. de Pōte. l. c. tr.* 1. *c.* 1. *Tusc. in v. clerici. concl.* 377. *& v. beneficium. concl.* 52. His præiactis dico, ab ijs quib. beneficia curę animarum experita danda erant, cum sui muneris imprudentes ignariq. esse non debeant, hæc quæri posse.

An canonicas horas recitare sciant, quod nam peccatum in eorum omissione cōmittatur, & vtrū ex ea consurgat restituendi obligatio? An clericus beneficium habens, aut pensionem, teneatur ad habitum, & tonsuram deferendam. &c.

An male impendens beneficij fructus restituere teneatur. &c. An. p. m. recipiens primam tonsuram, aut ordines minores absq. animo vlterius progrediendi? Et num accipiens beneficium, donec pingius obtineat, aut donec permutet peccet. &c. An qui habet patrimonium, & beneficium, possit conseruare patrimonium, & beneficij fructibus uti, & an eosdem fructus in quoslibet vsus expendere ei liceat. Quib. priuilegijs clerici gaudeāt.

An eius doctrinæ sint, quàm beneficij, dignitatisque ratio deposcit.

An teneant functionum peritiam, quas beneficium exigit, & maximè quæ ad rectè canendū pertinent. An Capellanus institutus in aliquo tēplo, vel altari celebrare, satisfaciat, si alibi rem diuinā faciat. &c.

Si est Canonicus, interrogari poterit, quid significet hoc nomen Canonicus, & quo tempore proditum fuit. An ad consequendas quotidianas distributiones necesse sit in choro recitare, & cum alijs canere. An suspensus à beneficio illas lucretur. Qđ si distributiones percipiat dierum, quib. non interfuit ex amicitia, & gratia Punctatoris, an tuta conscientia illas retinere queat. Quid item si ad ecclesiā ob illas consequendas accedat, an simoniam committat. Quo genere peccati peccet, qui dicta, vel facta in capitulo reuelat, & alia huiusmodi pro Examinatorum prudentia.

De quib. quæstionib. infra explicatè, & breuiter agemus *tr.* 14. *c.* 1. & 4 Hic tm̄modo addā, præsentatū a patrono ad aliquod beneficiū simplex, non esse ab examine immunē, neq. de hac re stat dubitādi locus, stāte expressa dispositione Conc. Trid. *sess.* 7. *c.* 13. vbi cauetur, præsentatos à patronis non esse admittendos, nisi prius à locorum Ordinarijs examinati, & idonei reperti fuerint; licet alias eo ipso, q quis sit admissus, & sacris ordinib. initiatus, ad simplicia bñficia habilis, & idoneus pśumatur, ita ut nouo examine non sit opus, nisi aliqua causa propter quam examen fieri debuisset, de nouo superuenisset. &c. ita *Riccius in praxi Iurisp. atr. decis.* 212. *Garz. p.* 9. *c.* 2. *nu.* 245. *Bellet. in disq. cler. p.* 1. §. 4. *nu.* 43 *& dixi sup. tract.* 1. *c.* 9. *q.* 54. Prouisus tñ à Papa Romæ in forma gratiosa de simplici beneficio sacrum ordinem annexum habente, nō debet rursus ab Epo examinari, si adiunctum ordinē suscipere intendit, cum à Deputatis in Vrbe ritè examinatus præsumatur. &c. *Camp. in diuers. iur. can. rub.* 8. *cap.* 5. *num.* 26.

QVAESTIO XXXVI.

QVAENAM INTERROGANDA AB HIS, qui ad conciones habendas admittendi sunt.

QVæ regula vel forma seruanda in admittenris sacerdotib. siue secularib. siue regularib. ad verbum Dei annuntiandum? R. Cum prædicationis munus in Ecclesia Dei sit præcipuum, ac per necess-

necessariũ, magniq; fructus, ac vtilitatis, modo recte exerceatur, idcirco qui tm̃ onus subituri sunt, tria potissimum recolere debent, nempe, Primo personam, quam sustinent: Secundo opus, qđ tractãt. Tertio finem, quo labores suos dirigunt; nam si de persona agamus, illi profecto intelligent, Dei se omnipotentis esse nuntios, & Prophetarum, Apostolorũ, aliorũq; Sanctorũ, atq; adeo ipsius Christi Dñi nostri in hoc ministerio vices gerere, qui prędicauit, & docuit. Si vero opus ipsum examinemus, eo nihil grauius, nihil excellentius reperiemus, eo quod prædicatio nobilissimũ habeat obiectũ, nẽpè verbum Dei, & ad eam spectet, æternas res assidue pertractare, Diuinæ prouidentiæ cõsilia hominib. aperire, catholicæ, ac christianæ fidei veritatem manifestare, & summũ bonũ, q̃ sequãtur, pandere.

Quid porro eo fine dignius, aut nobilius, qui totus ad Dei gloriam, atq; honorem, & animarum salutem dirigitur, cuius in Cœlo meta est, ad qđ demum pulsa ab hominum mentibus errorum caligine, eiectis peccatorum tenebris, inducta luce Christi fideles perducãtur? Propterea nemo sanctæ prædicationis officium prius aggredi debet, quã se Ordinario steterit, & approbatus fuerit: Quomodo.n. prędicabũt, nisi mittantur *Apost. ad Rom. c. 10.* Et q̃dẽ, nec regularis in suæ familiæ ecclesia, nisi ei permissum à superiore suo fuerit, ac nisi venia, ac bene dictione ab Epõ petita, & fidei professione apud ipsum edita. In alijs autem ecclesijs nullo modo, nisi eius rei potestas ab eodem Episcopo facta sit, præuio examine, si videbitur, & attestationibus de vita, & moribus, sibi exhibitis. Habenr q̃ppe religiosi hoĩes perfugium illud in primis tutũ, scilicet maiorum, vel superiorum suorum consilium, iussionemuè, quib. cum explorata est tàm doctrina, quàm vita, nihil est, cur in huiusmodi functione cum imperatur, non prompte obtemperent, &c. *Val. tom. 3. d. 10. q. 5. p. 1. Reg. l. 18. n. 117. Molf. tr. 8. c. 12. n. 52.* At ipsos Regulares in ecclesijs, q̃ sui ordinis nõ sũt, prædicare volentes, si non de iure, saltẽ de cõsuetudine ab Ordinarijs locorũ, vt dixi, examinari posse, tradit *Henriq. l. 10. c. 23. in gl. lit. L. & Roder. in qq. reg. tom. 3. q. 32. a. 6. Miranda in Man. Pral. tom. 1. q. 50. art. 2. & aly quos retuli. tr. 1. c. 9. q. 56. & seq. & tract. 9. c. 9. q. 58.*

Porrò à concionatorib. hæc potissimum perquirentur. Primo de fine ad quem hos graues prædicandi labores suscipiunt. De peccato originali, de iustificatione, de sacramentis, & generaliter de Missæ sacrificio, de Purgatorio, de Indulgẽtijs, de inuocatione sanctorum, de sactis reliquijs, & sanctorum imaginib. de potestate Papæ, de sensib. sacræ Scripturæ, & de recte concionandi modo.

An non Sacerdos prędicare valeat; Num de licẽtia Parochi tm̃ possit, quis in illius parochia concionari. Quæ nam attendere debeat, vt suum munus debitè exequatur. Vtrum aliquando liceat tal sa miracula prædicare, vel in concione scurrilia dicta, vel iocos admiscere. An p. m. q. lethali culpa in festus prædicat. &c. Quomodo se geret circa prædicationem Conceptionis B. M. V. & alia hmõi.

Quandoquidem finis ob quem concionatorũ examen institutum est, optima & accommodata est regula ad definiendum, quale eorũ debeat esse scrutinium, quo ingenium, mores, & doctrina excutiatur. Dicere vero possumus, ob triplicem finẽ esse introductũ, Primus namq. est, ne errores in doctrina disseminentur, qui si accidãt (quod absit) cõcio ab ordinario illis interdici poterit. Secundo vt ea doceantur, quæ ignorari nefas est, quæ. s. ab oĩbus sciti ad salutem necessariũ est. Tertius finis est, vt concionãdi modus spirituali fructui, & populi ædificationi coniunctus sit: Ideo Tridentini patres statuerunt, vt non solum examen concionatorũ circa scientiam fieret, sed etiam quò ad vitam, & mores, vt experimentum fiat, an cum pietate munus suũ sint obituri. *Conc. Trid. sess. 5. c. 2. de refor. vide infra de articulis circa cõcionatores, & Epos. tr. 15. & quod dixi in Comment. de hum. vita stat. p. 1. c. 13.*

CAP. IV.

QVAESTIO XXXVII.

QVOMODO PROMOVENDI AD EPISCOPAtum examinandi, & interrogandi sunt.

QVa nam forma circa promouendos ad Epĩscopatus apicem utendum? R. Iam sæpius insinuauimus Epõs futuros ex Põtificijs decretis necessario examinandos esse, cum rationi consentaneum non uideatur, vt de parochialib. prouidẽdi rigoroso examini se subijcere teneantur, ad Cathedrales autem assumendi, qui in eorum diœcesi Patochi Parochorum sunt, cum vniuersalem illius curam gerere teneantur, absq; examine, & scrutinio admitterentur. Siquidem vt sapienter ait Gregor. 14. in constitutione de hac re edita. *incip. onus Apostolicæ seruitutis.* Si In quibusuis Ecclesię gradibus, & ministris curãdum est, tales eligi, qui religione, sanctitate, & scientia fideles ædificent, multo certè magis elaborandũ est, ne in eius electione erretur, qui supra oẽs gradus constituĩ, cui tanquã seruo fideli, & prudẽti totius familiæ cura tradĩ, q̃ pconis munus subit, qui ad omnẽ virtutem, & mandatorum Dei obseruantiam, aliorum forma esse debet, cũ certũ sit gregis salutem ex boni Pastoris prẽstãti vita, & doctrina magnopere pendere. Nã ut in corporibus, sic in Imperio grauissimus est morbus, q à capite diffunditur. Et vt Principis mores sunt; ita

res

res fere administrantur, vtpore à quo pendeanr: si ignauus sit, in deterius ruût, sin bonus, & strenuus, eriguntur, & florent. *Plin. l. 4. ep. Nicetas in vita Io. Comneni Imp.* Vnde & si cuius dignitas in morib. & scientia nota est, ac manifesta, examinandus nô sit, in Episcopum tñ promouendus ab examine, & debita inquisitione immunis non est. Quod procedit etiam si alicui paruæ ciuitati pręficiendus esset; immò ratione maioris necessitatis, quam exiguæ vrbis Antistes patit, fortasse doctior esse deberet, quippe cum in ea, vt plurimum docti viri desint, neq. externos peritos ob tenues Ępatus introitus côducere, vel ascilcere possit, vt etiam de Patochis syluestres môres incolentib. suo mô dr̃ *Cap. rub. 6. c. 5.* Nec dubium, quin hic status sit in ecclesiastica hierarchia supremus, & illos præcipuos actus com plectatur, quib. illa, vt D. Dionys. *de Ang. Hier. c. 5.* tradit, ad côformitarem, & similitudinem cû Deo, quantum fieri potest, contendit, cuius propriû est, cum sit summa puritas, summa lux, & summa perfectio, res creatas, Angelos & homines purificare, illuminare, ac perficere. Et in his oĩb. Ępi, eum imitari debêt, studêtes in primis, in se ipsis hr̃e magnâ munditiem alienam ab oĩ gñe vitiorû, passionû, ignorantię, errorum, ac imperfectionum; magnum vero lumen, ac splendorem sciarum, ac virtutû, ita vt crescant, ac in eis proficiant, donec ad culmê, & oĩum perfectionê, perueniant; & tunc iuxta officij sui rõnem, suos subditos illuminare, docere, purgare, ac perficere eos oportet, 9 est in hac hierarchia supremum. Nihil. n. ait, diuinius est, quâ esse Dei coadiutorem. Et quamuis id muneris sua rõne ad sacerdotes, & ecclesiasticos ministros perrineat, ad Ępos tñ, qui fidelium non solum secularium, sed & ecclesiasticorum, & regularium Duces, ac pastores sunt, plenius, ac excellentius hoc spectare scimus. Propterea Greg. Nazianz. *in Apologia de fuga.* ait, Quemadmodum, caput, & cor, reliquas corporis partes excedunt, ita Episcopum, & Præsulem reliquos fideles, & populos excellere oportere; ac ipsum tanquam cor esse debere, ex quo reliquorum vita procedat; & tanquam caput, quod in suis officijs eos gubernet, ac dirigat. Ac proinde ipsius etiâ esse partes, sacra facere, orare, docere, prædicare, confessiones excipere, causas iudicare, baptizatos confirmare, alios sacris ordinib. insignire, vt idem, officiû præstent, quod ipse iure obire debet, vt subinde intelligat, debere se oẽs perfectionis gradus complecti, qui in alijs sunt distributi. *Lud. de Pon. tom. 4. de christ. perfect. tr. 7. c. 1. §. 1. Paul. Castrẽs. cons. 404. Gemin. in serm. suis synod. Tuschus in v. Ępr. concl. 234.* Qua ratione Trid. Patres *sess. 24. c. 1. de refor. & Gregor. in 14. in supramemorata constitutione.* illud tantopere côm̃endant, vt hi, qui ad promotionem præficiendorum quodcunq. ius, quo cunq. modo, à Sede Apost habent, aut alioqui operam suâ præstant, in primis meminerint, nihil se ad Dei gloriâ, & populorû salutê utilius posse facere, quâ si bonos pastores, & ecclesiæ gubernandæ idoneos promoueri studeât, eosq. alienis peccatis côicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores, & eccl'iæ magis vtiles ipsi iudicauerint, pfecerint. &c. Quandoquidê præter prudentiâ, probitatê, doctrinâ, & alia, q̃ multis munerib. obeûdis sunt côia, peculiaria quædâ in eo, qui ad Episcopatû prouehendus est, à nascêti ecclesiæ primordijs semp fuerunt requisita, cû & ultra ea, quę ab Apostolo, sacrisque Concilijs, ac SS. PP. frequenter sunt tradita, illud accedat, quod Imperatores Leo, & Anthemius admonuerunt *in l. si quemq. vã. C. de Episc. & cler. & D. Greg. l. 7. epist.* 110. vt ab omni ambitu sepositus quæratur cogendus, & ordinetur inuitus. &c.

QVÆSTIO XXXVIII.

QVAENAM A PROMOVENDIS AD EPIscopatum exquirenda, & interroganda sunt.

QVænam sunt, quę ab his, qui in Episcopalem ordinê legûtur sunt interrogãdæ? R. Quanq; in his, qui ad tm̃ apicê prouehûtur, pp muneris dignitatem, sanctitatemq. quâ accipiunr, neq. uitæ, neq. doctrinę ornamenta, exigi vlla debere ab Examinatorib. videatur, quæ ad sui officij vsum necessaria sunt; cû tamen ex Pontificijs, vt diximus, Decretis examen subire teneâtur, ab illis, qui se ad id muneris sponte non se obtulerinr, hæc perquirere poterût. An Ępatus sit, ordo, & q̃nâ sit eius prãs, & & iurisdictio. De precipuo Episcopi munere, & obligatione. De Ępalis officij institutione, & quis nâ primus hoc munus administrare incæperit.

An quantum onus sit aĩarum cura, intelligant, & quib ipsi freti adiumêtis, aut qua spe adducti, ad illud subeundû aĩum appulerint, an tuta consciêtia illud appeti possit, & quib. virtutib. præditum esse eum oporteat, qui tàm graui negotio præponitur.

Quænam sint, quæ hmõi gradus susceptionem impediût. Quęnâ sunr, q̃ ad Ępi potestatê pertinêt. Quæ sacramenra, & qũo ab eo administranda.

An ex euangelio aliquo argumentû aliquod eli cere sciat, quô apud populû sermonê hẽar. Et quis verus concionãdi modus. An sciar, quæ Trid. Côc. de præcipuis christianæ fidei partib. ad prauas hæreticorû opiniones refellendas decreuit. Itẽ quæ de Ępotum residêtia, diuinis officijs, de honestate clericorum, alijsq. ad cleri, populiq. disciplinâ pertinêtib. statuit. &c. quæ infra cû de articulis agemus, excutiêda sût. De quorû ẽt munijs, & obligationib. vidêda sunt, q̃ tradidimus *in Cõm de hu. vi. sta. p. 1. c. 6. & q̃ diximus sup. tr. 1. c. 9. q. 52. & inf tr. 15. c. 4.*

Finis Tractatus Secundi.

TRACTATVS III.

DE ARTICVLIS CIRCA EXAMINANDOS ad primam tonſuram, & ad minores ordines.

Articuli, ſuper quibus (aliquos, qui magis ad rem facient, excerpendo) examinari poterunt, qui ad primam tonſuram, & ad minores ordines promoueri cupiunt. Cap. I.

QVAESTIO I.

QVEM FINEM SIBI PRAEFIGERE debet, qui prima tonſura vult initiari.



VEM finē ſibi ob oculos proponere dēnt, qui prima tonſura uolūt iuitiari, & clericalē habitum aſſumere? R. Non equidem quæſtus, aut lucri ſpe, non reddituum, dignitatum eccleſiaſticarum, aut quietis, & otij cauſa, ſed tantum vt Deo in perfectiori vitæ ſtatu inſeruiāt, & in vinea Domini laborantes, animarum ſaluti totis virib. inuigilent, & ipſi Deo animas lucrētur; licet ſecundaria (vt aiunt DD.) intentione eccleſiaſtica beneficia, quib. honeſtè in vita ſuſtentētur, prætendere valeant. &c. Qui alio affectu accedunt, quàm ſubmittendi humeros non externæ dignitari, ſed publico muneri vice Chriſti in Eccleſia gerēdo, fures ſunt, & latrones, & maximi criminis rei, quod ingens vltio tandem ſubſequitur. *Conc. Colon. de ſacramento ord. inſt. Catechiſ. Rom. eod. tit. c. conſuluit. d. 74. c. cum ſecūdum. ext. de preben. Pariſ. de conſid c. 1. Zech. de ord. c. 3.* Vnde & Conc. Trid. *ſeſſ. 23. c. 4.* Prima tōſura, inquit, nō initiētur, qui ſacramentum confirmationis non acceperint, & fidei rudimenta edocti non fuerint; quiq; legere, & ſcribere neſciant; & de quib. probabilis coniectura non ſit, eos non ſecularis iudicij fugiēdi fraude, ſed vt Deo fidelem cultum præſtent, hoc vitæ genus elegiſſe. Dæmon quippe totam arborem ſibi fructus ferre conſpicit, quam veneni dente in radice vulnerauit. Solet autem prima tonſura his cōferri, qui teneræ ſunt ætatis, eo quod magni ſit momenti, ac ponderis, vt à teneris annis ad pietatem afficiantur, & ad res ſacras inſtituantur, & de his informentur, quæ in eis exercere debent. Sunt tū ipſorum puerorū ingenia prius inſpicienda, ne reluctāte natura, clericalē ſtatū arripiant; relucēt .n. in eis ſæq; quædā futuræ vitæ ſigna; proinde oculati parentes ex his, vt probabilib. argumentis, quid de liberis polliceri debeant, colligunt, ac adhibito ēt alicuius eccleſiaſtici viri prudenti iudicio, diſcernunt, an ad hoc vitæ genus ſint vocati. Proinde vt ordinandi idoneos coram Examinatorib. ſe facilè exhibere poſſint, ipſis parentib. curæ erit, vt ſi filios ad hoc tanti ponderis munus mancipare conſtituerint, illos ab ipſis ſtatim incunabilis eccleſiaſticæ diſciplinæ ſubmittant, hos .n. maiores noſtri demū aptos ſacris adminiſtrationib. cenſuere, quorum oīs ætas à puerilib. exordijs vſq; ad prouectiores annos per eccleſiaſticæ diſciplinæ ſtipendia cucurriſſet. Neq; poterit de eius profeſſione dubitari, cui pro laborib. multis, pro morib. caſtis, pro actib. ſtrenuis, celſioris loci præmium debetur. Hinc pueri, qui ad eccleſiaſticam vitam ducendam vocantur, p̄ertim pauperes, in ſeminaria recipiendi ſunt, vt ibi piè, ac religioſè educētur, & eccleſiaſticis diſciplinis inſtituantur. *c. 1. & 2. ext. de magiſtris. Cōc. Trid. ſeſſ. 23. de refor. c. 18. Fuſch. de viſit. eccl. l. 1. c. 16* Conſultius vèro fuerit, ſi nemini clericalē habitum ſumere liceat, ſine Epiſcopi, vel eius Vicarij facultate, & niſi prius per aliquod tempus in alicuius religioſi patris ſpiritualis fidem, & diſciplinam tradatur, cuius præceptionib. inſtitutus, in pietatis, ac religionis ſtudio proficere poſſit, ac ſubinde accuratius quantum ſit huius diſciplinæ pondus, citius edoceri. *Conc. 3. Prouin. Mediol. tit. de his, quæ ad ord. ſpect.*

QVAESTIO II.

NVM SVSCIPIENS PRIMAM TONSVRAM cum animo non ſuſcipiendi ordines, vel peruerſo aliquo fine p.m.

AN ſuſcipiens primam tōſuram, aut minores ordines, cum animo numquam ſuſcipiendi maiores, aut ſolum vt ſeculare forum declinet, ſeu etiam vt eccleſiaſticū beneficium conſequatur, & lautius viuat, mortaliter peccet? R. Quò ad primā partem quęſtionis, dico, quod licet Bannes. *2. 2. q. 12. ar. 1.* & recentiores aliqui ſentiant, lethalem culpam contrahere, quia Cōcilij Tridentini mēti. *d. ſeſſ. 23. c. 4.* aduerſatur: Alij tū rectius à peccato mortali excuſant, eo quod in iure verba præceptiua non extent, ſed tm̄ oſtendant, quid ipſa decentia, & ſtatus reuerentia poſtulet: ſi rū primam tonſuram ſuſciperet, ſine ullo animo eccleſię inſeruiendi, ob inordinatam intentionem menti eccleſiæ cōtrariam, venialem culpam admitteret. *Sanch. l. 7. de matrimon. diſp. 31. nu. 16. Coninch. de ſacramento ord.*

c.d. disp. 20. dub. 10. nu. 105. sed quod ad 2. partem spectat, illi constituitur assertio ex cōiori sententia lethali flagitiâ illos se obstringere, qui primario intuitu ad suscipiendū primā tonsuram, uel ad minores ordines accedunt, quò ecclesiastico beneficio perfruantur, & liberius genio, & voluptatibus indulgeant, cum rem tam excelsam, in tam vilem, & abiectum finem referunt. *gl. Archid. & Turrecr. in c. quid proderit. d. 61. Zech. de sacramēto ord. c. 3. in fi. Nau. in Man. c. 23. nu.* 100. *vers. quinto. & in c. cum minister nu.* 30. 23. *q.* 5. *& alij.*

QVAESTIO III.

AN PRIMA TONSVRA, VEL MINORIBVS ordinibus initiatus, seu beneficiatus possit habere propositum deferendi statum. &c.

PRima tonsura, uel minoribus initiatus, uel beneficio donatus potest ne habere proppositum statum illum deferendi si iusta offeratur occasio? R. Non potest absq. veniali culpa cum negari non possit aliqualem debiti ordinis peruersionem hic subesse. Probabilior. n. videtur sententia, & in praxi magis receptum, non peccare mortaliter recipientem, aut retinentem beneficium simplex, aut pensionem clericali titulo collatam animo illud ad tēpus retinendi, & eius fructib. fruendi, posteaq. eo deserto ad secularem, seu coniugalem vitam transeundi, dummodo ea mēte accipiat, & retineat, ut sufficienter inseruire uelit, & onerib. annexis satisfacere, donec illud mutato statu relinquat *Conin. ch. disp.* 20. *nu.* 104 *Sanch. l.* 7. *de matrim. disp.* 45. *nu.* 19. Imò indulgentius loquendo nonnulli, *vt Nau. in Man. c.* 25. *nu.* 18. *& de oratione c.* 21. *n.* 52. *Less. l.* 2. *de iust. & iur. c.* 34. *dub.* 26 *& Regin. in praxi for. pænit. lib.* 30. *tr.* 30. *n.* 183. *Nald. v. beneficiū. nu.* 3. sentire videntur, etiam à veniali culpa immunem esse, eo quod non sit necesse clerico sibi ecclesiasticum statum præfigere, ut propositum deferendi habere non liceat, si lætior conditio in sæculo se obtulerit, uel aliqua iusta causa inciderit, hoc. n. nimis durum esset, & sæpe tatione non consenraneū cum maiora bona aliqñ impedirentur. &c. Si tamen matrimonium contrahat, ipso iure absq. ulla sententia, beneficia, & pensiones uacare magis cōmune est, & expeditum scribentium placitum, ut per *d. Sanch l. c. disput.* 42. *num.* 4. *& Campanil. in diuers. iur. can. rub.* 11. *c.* 12. *nu.* 4. *vide infra tract.* 14. *c.* 1. *q.* 1.

QVAESTIO IV.

AN PRIMA TONSVRA SIT ORDO.

PRima tonsura est ne gradus sacramenti ordinis? R. Non quidem secūdum Theologos, sed præuia quædam ad gradus dispositio in ordinādo requisita, quæ à Doctorib. iure merito appellatur quædā ad ordines introductio, ut hoīes ad baptismum exorcismis, ad matrimonium sponsalibus se præparant, & in religione per nouitiatum ad professionem disponuntur: ita cum tonso capillo Deo dedicantur, tanquam aditus ad ordines sacramentum illis aperitur, & ex laicali statu ad clericalem transeunt. Et licet in illa character nō imprimatur, ut prooterea ad illam conferendam sacri canones certum tempus non constituerint, ac proinde integrum sit Episcopis qualibet die, hora, & loco in ꝓpria diæcesi illa dare. &c. confertur tñ potestas quędam, cum perpetuo clericatu, & iure quatenus canonis fauore, necnon immunitatis, & fori priuilegio gaudet, & iurisdictionis, ac beneficii ecclesiastici capax fit, quod omnino in laicos cadere nō potest *c. si quis suadente.* 17. *q.* 4. *c. non minus. de immunit. eccles. c. diligenti. de foro compet. c. cum adeo. de rescrip c. cum contingat. de atat. & qualit. Conc. Triden. sess.* 23. *de refor. c.* 6. *Gonzal. super reg.* 8. *cācell. glos.* 5. *§.* 5. *nu.* 7. *Zecch. de repub eccl. c.* 29. *vers.* 2. *Gemin. in praxi Neap. c.* 7. *Bellet. in disq. cler. p.* 1. *§.* 3. *Garz. de benef p* 2. *c.* 3. *& p.* 7. *c.* 1. *Barbosa in remis. ad conc. de* 6.. *Camp. l. c. rub.* 6. *c.* 1.

QVAESTIO V.

NVMQVID PECCET MORTALITER, qui primam tonsuram ante confirmationem recipit.

PEccet ne mortaliter, qui primam tōsuram ante confirmationem suscipit? R. Quod non, qa nec Conc. Trid. *sess.* 23. *c.* 4. sub alia cēsura, aut forma id prohibet, quæ obligationem ad mortale peccatum indicet, solumq. indecentia quædam videtur, neq. confirmationis omissio, vt postea dicitur sedulo contemptu lethalem culpam inuoluit. Imò Doctores cōiter asserunt, Epm à mortali crimine excusari, si non confirmatum ordine initiet, aut ēt antequam ipse sit confirmatus ordinem, aut confirmationem conferat. Hoc tñ confirmationis sacramentum ante ordinationem pari diligentia ab Epo administrandum est, & ab ordinandis suscipiendum, eo. n. non solum immensum illud fidei, ac salutis beneficiū, quod in baptismo acceperunt, sancitur, & roboratur, sed nouo etiam beneficio, & gratia, quod proprium cuiusq. sacramenti est, augentur, & cumulantur, & ita cōi seruatur praxi, vt scilicet antequā quis prima tōsura initietur, hoc spirituali præsidio muniatur. &c. *Sot. in 4. dist.* 24. *q.* 1. *art.* 2. *Nauar. c.* 22. *nu.* 9. *Vidal. de confirmat. nu.* 41. *Suarez. tom.* 3. *disp.* 38. *sect.* 1. *in fi. Conin. de confir. q.* 72. *art.* 8. *dub.* 1. *nu.* 90. *Camp. rubr.* 2. *nu.* 27. *Reginal.*

ginal.l.28.c.4.nu.24.Barthol.ab Ang.de confir.dialog 3.§ 79.Vict.de sacramento ord.nu.232. Henriq. c.5.nu.6.Bonac.de sacr.d.3.q.3.punct.4.nu.8.

QVAESTIO VI.

CVR PRIMA TONSVRA INSIGNITI clerici vocentur, & in modum coronæ tondeantur. &c.

QVare prima tonsura initiati clerici vocantur, & cur qui clerici fieri volunt, in modum coronæ tondentur?R. Hoc nomen clericus ab eo deductum est, quod clericus Dominum, sortem, vel hęreditatem suam tonsuratus habere incipit, veluti in Hebræorum populo, qui diuino cultui mancipati erant, ex Dñi præcepto nullam agrorum partem in terra promissionis accipiebant, sed illis dicebat Dñs, Ego pars, & hęreditas tua. *Num.* 18. Tondentur vero ad coronæ speciem, & similitudinem, ita vt quò quisq. in altiori deinceps ordinis gradu collocatur, sic eius orbis forma latior circumscribatur, vt ex Apostolica traditione cōstat, de hmôi.m tondendi more S. Dionys. Areopag. *de eccles. Hier. c.*16.*Raban.l.*2.*de instit.cler.c.*3.*& Beda l.*5.*de gestis Anglorum*, alijque vetustissimi, & grauissimi Patres meminerunt.

Cuius quidem rotundæ rasuræ à diuersis diuersæ significationes redduntur Primo namq. quidā ferunt, Apostolorum Principem eam consuetudinem induxisse, ad memoriam coronæ, quæ ex spinis contexta Saluatoris nostri capiti fuit imposita, vt quod impij ad Christi ignominiam, & cruciatū excogitarunt, eo Apostoli ad Decus, & gloriā vterentur, simulq; significarent, ab ecclesiæ ministris curandum esse, vt oībus in reb. Christi Dñi speciē, & figuram gerant.

Secundo alij dicunt, hac nota regiam dignitatē significari, quæ his maximè, qui in Dñi sortem vocati sunt, conuenire vr. Nam quod Petrus Apostolus fideli populo tribuit. 1.*ep.c.*2. Vos genus electū, regale sacerdotium. &c. peculiari quadam, & magis propria ratione ad ecclesiasticos ministros pertinere facile intelligitur. Tertio alij existimant, circulari figura, quæ omnium perfectissima est, innui perfectioris vitæ professionem, à clericis susceptā, vel externarum rerum contemptionem, quod capilli, vt superuacaneum quiddam in corpore tondeātur. *Catechis. de sacramento ord. Durantes in rational diuin.off l.*2.*c.*1.*Lopez. in addit. ad Diaz.c.*77.*Trotius de perfect.cler.l.*2.*c.*29. *Torres de Instit.Sacerd.p.*2.*c.*3.§.1.*nu.*23.*& seq.*

QVAESTIO VII.

QVARE CLERICI SVPERPELLICEO, & biretro in speciem crucis, talarique veste vtuntur. &c.

CVr clerici superpelliceo, & biretro in modum crucis, ac tunica talari vtuntur?R. Superpelliceum puritatem, & innocentiam denotat, cui diuino cultui deputati studere debent, iuxta illud, Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat. Albedo namq. vt omnib. notum est, puritatem significare solet. Alciato sic attestante, *Emb.* 117.

Index mæstitia est pullus color, vtimur omnes
Hoc habitu tumulis cum damus inferias.
At sinceri animi, & mentis stola candida pura,
Hinc sindon sacris linea grata viris.

Biretrum in modum crucis confectum indicat clericum crucem Christi in mente, & carnis mortificationem in corpore suo deferre debere. Quatuor eius anguli quatuor & crucis partes exprimunt, & illas quatuor lignorum species, quib. Christi D.N. crucem constitisse ferunt. *Gul.Dur. 6. p. rationalis diuinorum off rub.de die Parasceues.Samar.* 3.*par. sacerd.thes.tit.de dieb maior.hebd.Alb.Mag. lib.*4.*compend.theol.ver.c.*21.*Iacob.de Vorag.serm.*3.*in Dom.*3.*post oct. Epiph.Malon.de sacra sindone.c.*4.

Vestis vero quę usq.ad talos protenditur, maiorem vitæ perfectionem, & morum grauitatem designat, clerici namq. omnes dicuntur in dignitate quodammodo cōstituti, vnde sicut laicos loco pręcedunt, sic & religione, ac pietate cos antecellere oportet. Hinc D. Hieronym.*epist.ad Tit.c.*2. Non solum, inquit, Epi, Presbyteri, & Diaconi debent magnopere prouidere, vt cunctum populum, cui præsident, conuersatione, feruore, & scientia præcedant, verum & inferior gradus. s. exorcistę, lectores, æditui, & omnes omnino, qui domui Dei seruiunt; quia vehemēter ecclesiam Christi destruit, meliores laicos esse, quàm clericos. *c. statuimus. & seq. vbi gl.d.*4.*& c.duo sunt.di.*96.*c. clericus.* 12.*q. Molfes.tract.*2.*c.*3.*n.*22. Quę quidem res vestium quoq. nigredine notatur, siquidem niger color firmitatis, ac grauitatis signum est, ita vt clerici iustitiæ fundamenta præferentes, perpetuò animū immobilem, & in quo procellarum impetu inconcussum optime demonstrent. &c. *Io. Bapt. Magon. de rec.patrocin.rat.c.*3. Et hoc etiam, vt dixi, externū illud signum indicat, quod in capite initiandi fieri solet, dum quædam capillarum pars in circulo, & corona capitis raditur, vt. s. intelligant, se non solū mortificare debere sensus superfluitates, sed etiam propriam volūtatem, intellectum, & rerum humanarum affectus, ne inter Dei, & ipsorum spiritum

aliquid

aliquid ſe inſerat, quod amoris cōiunctionem, contemplationem, & cum Deo familiaritatem impediat. Non tamen oēs capillos abſcindunt, quia in hac vita carnis trabea circundati omnes omninò curas, & cogitationes abdicare nequeunt; ſed ſem per aliquæ manent, vt aliquid humani patiantur. Et dum Deus olim. *Num.* 6. iubebat, leuitas omnes pilos carnis radere, non præcipiebat, euellendos eſſe, ſed abſcindendos, ac nouacula radendos. In hoc. n. mundo remanent in ſenſu tentationum radices, nec fieri poteſt, vt prorſus euellantur, ſed ſicut ſingulis menſib. aut decimo quinto quoq. die corona ferro aperitur, ac renouatur, eo quod capilli quotidie ſuccreſcant, ita valde frequēter inſtaurāda eſt paſſionum, exceſſuumq. mortificatio. &c. teſte namq; D. Bern. *ſerm.* 58. *in cant.* Amor proprius quotidie aliquid profert, quod ſit nouacula mortificationis amputandum. Quippe remanent in nobis etiam poſt baptiſmum ſenſus, & concupiſcentiæ ſtimuli, vt agonis, & meriti occaſionē præbeant, vt per Conc. Trid. *ſeſſ.* 5. *decreto de pec. orig.*

QVAESTIO VIII.

AN PRIMA TONSVRA INSIGNITVS non deferens habitum peccet, & clericalibus priuilegijs gaudeat. &c.

PEccat ne prima tonſura inſignitus, ſi illam ſimul cum habitu non defert, & an gaudet illis tribus priuilegijs, quæ clericis à iure conceduntur, ſ. canonis, fori, & immunitatis? R. Quò ad primā dubitationem dico, clericos primæ tonſuræ, habentes beneficium etiam ſimplex, aut etiā ius in illo, vel ad illud, ſeu penſiones percipientes, ſub pœna peccati mortalis, & priuationis beneficij, vel penſionis, teneri tonſuram, & habitum. ſ. veſtes talares deferre. *ex conſtit. Sixti V. incip. cum ſacroſanctam. Vival. in ſ.* 3. *par. Cand. aur. Graff. l.* 3. *deciſ. aur. c.* 3. *Garz. de benefic. p.* 7. *c.* 1. *nu.* 18.

Quò ad 2. dico, clericum primæ tonſuræ, ſeu in minorib. conſtitutum, beneficio, vel penſione perfruentem, fori beneficio non gaudere, ſi in habitu, & tōſura nō incedat, & alicui eccleſię nō inſeruiat.

Quò tamē ad immunitatem, & exemptionem, & canonem *c. ſi quis ſuadente Diabolo.* illis priuilegijs, & fauoribus potitur, ēt ſi beneficium non habeat, & tonſuram cum habitu non gerat, quamuis ab excōicationis pœna excuſetur, qui in eum ignorans eſſe clericum, ob profani habitus geſtationem, violentas manus iniecit. At aſſerenti, & iurantiſe nō clericum illum exiſtimaſſe, quem in laicali veſte incedētem percuſſerat, fides pſtanda eſt. *Garz. p.* 2. *c.* 2. *& c.* 3. *Gonzal. ſuper reg.* 8. *cācel. gl.* 5. §. 5. *n.* 7. *Bellet. in diſq. cler. de fau. can. p.* 1. §. 1. *n.* 29. *Barboſa in remiſ. ad Conc. Trid. ſeſſ.* 23. *c.* 6. *Marc. Ant. Gen. in praxi Neap. c.* 7. *Euerard. in top. leg. in loco à veroſimili. Nald. in v. credere. nu.* 7.

QVAESTIO IX.

NVNQVID RECEPTIO PRIMÆ TONSVRA eam aſſumenti profit, quò ſe à ſeculari Iudice eximat.

AN receptio primæ tonſuræ, beneficij, vel ſeruitij in Eccleſia poſt delictum commiſſum, proficiat eam aſſumenti, ad effectū eximēdi ſe à Iudice ſeculari? R. nō ei ſuffragari, ſi cōſtet primā tonſuram, vel ordines minores in fraudē ſuſcepiſſe, vt à ſeculari iuriſdictione ſe eximeret, ac proinde à Iudice laico in eum animaduerti poſſe. Quando vero reus per Iudicem ſecularem eſt captus, ſi cōtrouerſia, ac lis oriatur, an primæ tonſuræ, vel minorū ordinum ſit clericus, habitumq; geſtet, & illis qualitatibus fulciatur, quæ ad fori priuilegium obtinendum neceſſarię ſunt, & à Concilio Tridentino *ſeſſ.* 23. *c.* 6. deſiderantur, huiuſmodi quęſtionē per Iudicem Eccleſiaſticum dirimendam eſſe, cum ſit quid ſpirituale, communis eſt Doctorū reſolutio. *Menochius lib.* 6. *de præſumpt. n.* 34. *& ſeq. Maſcardus de probat. concl.* 689. *n.* 7. *Germonius de ſacrorū immuni. lib.* 3. *cap.* 15. *n.* 55. *&* 77. *& ſeq. Clarus l.* 5. *ſent. In* §. *fin. q.* 36. *Sigiſm. Scaccia l.* 1. *de Iud. cauſ. c.* 11. *n.* 88. *Farin. in praxi crim. l.* 1. *q.* 8. *nu.* 33. *&* 104. *& colligunt ex ca. ſi Iudex laicus. de ſent. excom. l.* 6.

QVÆSTIO X.

CLERICATVS QVOMODO PROBETVR, &c.

CVm clericatus ſit qualitas extrinſeca, quæ nō præſumitur, quomodo probari pōt aliquem eſſe clericum, vel prima tonſura præditum? &c. R. probari poſſe non ſolum teſtimonialib. literis Epi, ſeu titulo collationis, ſed ēt teſtibus; imò ēt per vnum teſtem tantum, cum agitur de re, quæ nemini præiudicium affert, ſecus ſi res in iudicio cum alterius damno tractaretur, vt quando lis ſuper aliquo beneficio in foro externo verſaretur, quia tunc per duos ſaltem teſtes probatio fieri debeter: item publica voce, fama, & cōi exiſtimatione, & huiuſmodi alijs probatur. Quocirca ſi quis ſe clericum dixerit, licet ſit in habitu, & tonſura, ſecularem iudicem declinare non poterit, niſi de titulo i. clericatu his præſidijs doceat. *Dominicus de S. Geminiano in d. c. ſi Iudex* §. *fin. Boer. deciſ.* 171. *n.* 12. *Alciat. in tract. de præſumpt. præſumpt.* 4. *nu.* 2. *Maſcar. de Probat. vol.* 1. *concl.* 312. *& ſeq. Riccius in deciſ. cur. Neap. deciſ.* 114. *Tuſchus in v. clerici conclu ſ.* 388. *Melfi. tract.* 2. *c.* 10. *n.* 50.

QVÆSTIO XI.

Circa quae Christiana doctrina versetur.

CVm ille qui vult clericali insigniri tonsura, ac Dñi partem, seu sortem habere, præter illud, qđ cōpetenter legere, ac scribere sciat, & confirmatiōnē susceperit, opus sit, ut catholicā fidē teneat, hoc est, vt fidei rudiméta edoctus sit, eaq; si nō explicite, saltē implicite, quò ad verba calleat, (licet explicatius, & vberius nos, vt alijs ēt hoc prosit, illa proponemus) quæro circa quæ potissimum christiana doctrina versetur? R. Circa sapientiam, & iustitiā, vt nimirū christianus ea obseruet, quæ ab his duabus virtutibus præcipiuntur: sapientia circa virtutes theologicas, fidem, spem, & charitatem versatur, quibus in hac vita Deus colitur; vnde ad sapiētiam hæc capita referri possunt, Primo, quæ credēda sunt, & ad symbolum pertinent. Secundo, quæ ad spem, & orationem Dominicā, & Salutationē Angelicam. Tertio, quę ad charitatem, & mandata decalogi, & ecclesiæ. Quarto, quæ ad Sacramenta spectant. Iustitia duab. partibus absoluitur declinatione à malo, & boni operatione. *Psal. 36.* Ad primam partem, quę in malis fugiendis sita est, hæc capita referuntur. Primo septem peccata capitalia. Secundo peccata aliena, culpa aliqua nostra ad nos pertinētia. Tertio peccata in Spiritum sanctum. Quarto peccata in cœlum clamātia. Ad alteram iustitię partem, quę in bonis consectandis est posita, referri possūt. P° triplicia bonorū operū genera, oratio, ieiuniū, eleemosyna. Secūdo opera misericordiæ, tàm spiritualia, quàm corporalia. Tertio virtutes Cardinales. Quarto dona, & fructus spiritus sanctī. Quinto beatitudines. Sexto consilia Euāgelica. Septimo quatuor hoīs nouissima.

QVAESTIO XII.

Quid sit Christiana fides, & quis dicendus christianus.

QVid est christiana fides, & quis dicēdus christianus, & quod est eius signum? R. Fides secundum Apostolum *ad Rom. c.* 11. Est substantia rerum sperandarum, argumētum non apparentiū. Substantia, inquā, rerum sperādarum, idest quasi quædam certa possessio earum rerum, quas speramus, eo quod mentis nostræ oculis eas sic ostentat, ac sistat, vt his iam quodammodo frui videamur. Et argumentum nō apparentiū, idest perspicua ostensio, & certa demonstratio rerum, quę sensui non obijciuntur. vt de his ita persuasi simus, ac si corporalib. oculis peruiderētur, cum illa sit Dei donū, & lumē, quo illustratus homo firmiter assentitur, hisq; adhæret, quæ vt credantur, sunt diuinitus reuelata, & ab ecclesia nobis ꝓposita: cuiusmodi sunt, Deum esse Trinum, & Vnum, e nihilo creatum Mūdum, Deum factum esse hominem, & pro humano genere mortem perpessum esse, Mariam, & Virginem, & Dei matrem existere, mortuos eē ad vitam excitādos fore; totum Christum in Sacramento Eucharistiæ contineri, & id genus alia religionis nostræ mysteria, quæ diuinitus reuelata nō humani sensus captu comprehendi, sed fide tantū percipi possunt; non. n. fides naturæ ordinē spectat, nō sensuū fidit experiētiæ, non potentia, aut ratione humana, sed virtute, & authoritate diuina nititur, illud plane certum habens, summā, æternamq; veritatem, quæ Deus est, nec falli posse vmquam, nec fallere. Hæc porro lumen est animæ, ostium vitæ, ianua, & fundamētum salutis æternæ, sine qua Deū inuenire, & inuocare, Deo seruire, & placere, nullus in hac vita potest, credere namq. oportet accedentem ad Deum, & qui non crediderit, condemnabitur *Apost d. c.* 11. *Marc. c.* 16. *c.* 1. *vbi Innoc. & Abbas ext. de summa Trinit. & fide cath. Catechmus hom. de symbolo c.* 1. *D. T hom.* 2. 2 *q.* 1 *artic.* 1. *vbi Arrag. Bānes, & Valentia. Malder. ibi q.* 1. *ar.* 1. *Azor. p.* 1. *l.* 8. *c.* 1. *Reginal in praxi fori pænit l.* 17. *c.* 1. *Io. Lōghecruc. de honestate cler. l.* 1 *c.* 2. Nec uirtus dici pōt, q̄ catholica fide nō decorat, iuxta illud

Virtutes alias frustra conaris habere,
Si virtus fidei deficit ipsa tibi.

c. vbi. 24. *q.* 1. Et cū cæterarum virtutum parens sit ideo in spūali bello primū cōgressū init. &c. Vnde christianus est dicendus, qui Iesu Christi veri Dei, & hominis salutarem disciplinam in eius ecclesia profitetur, vt proinde omnes cultus, & sectas, quæ extra Christi doctrinam, & ecclesiam huius gentium reperiuntur, vt est Iudaica, Maumethena, Lutherana, Caluinica, & alia hętetica, damnet, & detestetur penitus, qui vere christianus est, & in ipsa Christi doctrina acquiescat. Qui quidē signo crucis, quod fit inuocando sanctissimam Trinitatem, dicendo, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, ab omnib. infidelib. distinguitur. Et per hoc sanctissimam Trinitatem, incarnationem D. N eiusq. Passionem, & mortem significamus, & per ipsum testificamur, nos Christi sectatores esse, & per eius Crucem nos saluatos, & redemptos: & quo in quatuor casib. potissimum nos munire solemus. Primo cum aliquid inchoamus. Secundo cum turpis cogitatio se ingerit. Tertio cum aliquod periculū subito emergit, & timor inuadit. Quarto cum aliqđ diabolicum phātasma nostris sensib. se obijcit. *Archidiaconus in c. ecclesiasticarum d.* 11. *Gretser in tract. de cruce l.* 3. *cap.* 2. *Iacob. Vorag. serm.* 3. *in Dom.* 3. *post oct. Epiph. Malon. de S. Sindone. cap.* 4.

Porrò summa doctrinæ christianæ est, agnoscere, & colere Deum, & quem misit Iesum Christū, qui

qui de Cœlo in terras descēdit, vt nos de potestate Diaboli eriperet, & viā in æternā beatitudinē muniret, quē audire, & sequi debemus, quā vt ait *Lucr.*

Veridicis hominum purgauit pectora dictis,
Et finem statuit torpedinis, atq; timoris,
Expofuitq; bonum fummum, quò tendimus oēs.

Vnde christiani à Christo nomen accipiunt, nec Iesuarij à Iesu dicuntur, quia rem hoc noīe significatam nobis cōicauit, Christus n. unctus dr, de cuius plenitudine oēs fumimus. *c. 1. de sac. vnct. Lact. Firm. l. 7. diuin. Inst. c. 23.*

QVAESTIO XIII.

QVAENAM SVNT, QVAE QVILIBET christianus scire, & credere tenetur.

QVænam sunt illa, quæ quilibet Christianus credere, & scire tenetur? R. Primo iure ecclesiastico, quilibet astringitur memoria tenere Symbolum Apostolorum, & orationē Dominicam, siue latina, siue alia lingua hoc sciat; vnde huius rei culpabilis ignoratio veniali saltē culpa non vacat; nam quamuis hæc quò ad verba tenere, nō sit ad salutem necessarium, dummodò res verbis ipsis expressæ in substantia percipiantur, at tamen valde indignum est, & à cōi piorum sensu alienum, talia verba memoria non tenere, tanquā ea, quib. aptissima ratione fide credēda, & oratione petenda proponuntur. *c. vos ante omnia, & ibi Turrecr. de consf. d. 4. Nauar. c. 11. n. 18. Regin. l. 17. n. 17. Beia. p. 3. resp. casu 27. Sāch. de præcep. l. 2. c. 3.*

Secundo iure diuino, tenetur credere vera esse omnia, quę catholica ecclesia credit, vt sanctissimæ Trinitatis, & Dominicę Incarnationis mysterium, & in Apostolorum Symbolo comprehensa, & ea, præcipuè explicitè scire, quę solemni ritu celebrat, vt Natiuitatē Christi, Mortem, Resurrectionem, Ascensionem, &c. Explicitè verò scire, vel credere est distinctè, & in particulari assentiri alicui rei sibi dictæ, vel quam cogitatione concipit; sicut & implicitè credere dicitur, cum ea credit, quæ credenda ecclesia proponit fidē pstando Apostolicis traditionib. & cōciliorū decretis. & c. *Azor. l. inf. citan.*

Tertio scire astringitur, quæ necessaria sunt ad christianam vitā ducēdam, vt decalogi, & ecclesiæ pręcepta, nō quidē, ut dixi, eo ordine, ac verbis, qb. in catechismo proponi solent, sed quò ad illius substantiam, hoc est quò ad in illo iussa, aut vetita, ita vt interrogatus respondere valeat, &c.

Quarto Sacramēta baptismi, pœnitentiæ, & Eucharistiæ, de quibus recipiendis pro omnibus præcepta data sunt. Cætera vero sacramēta q suscipere vult, scire etiam eum oportet, vt spiritualia remedia à Christo instituta esse, neq. cū peccati mortalis labe, & ... sue ad ea accedēdum esse *DD. supra citati*, Addo ex ex cōi sententia, Epos, Parochos, Cōfessarios, Prædicatores, Theologos, & Doctores debere sic explicate prædicta callere, vt possint circa ea alios erudire, & corrigere, cū id ad ipsorum munus ptineat, vt Dei attributa. v. g. circa quæ Sacræ Theologiæ subiectū versatur, cur Christus, & quomodo, humanam carnem assumpserit; An oēs sanctissimæ Trinitatis personæ ad operandum mysterium nostræ redemptionis concurrerint. Vnde homini Dei cognitio comparetur, Quid sint Angeli, quęnam eorum cognitio, officium, & virtus, & alia huiusmodi, quæ sunt diuini iuris apices. *Theologi omnes in 4. sent. distinct. 25. Bannes, & alij 2. 2. q. 2. art. 8. Reginal. lib. 17. n. 19. Henriq. de sacr. pœn. lib. 3. c. 28. Azor. p. 1. lib. 8. c. 6. q. 10. Sanch. l. c.*

QVÆSTIO XIV.

QVOTVPLEX EST FIDES.

QVotuplex est fides? R. Vt Scholasticorū verbis vtar, fides in primis dupliciter accipitur. Primo formaliter pro habitu, quo firmiter reuelatis à Deo assentimur, & dixi firmiter, quia christiana fides hæsitationem nō admittit, aliàs ex proposito, & scienter dubitans, infidelis habetur, & si illā herefim externo actu ostenderit, in excommunicationem summo Pontifici reseruatam incidit. Hinc Athanasius, Hæc est, inquit, fides catholica, quā nisi quisq; fideliter, firmiterq; crediderit, saluus esse non poterit. *c. 1. ext. de hæret. Nau. in Man. c. 11. n. 18. & in c. cogitationis. de pœnit. dist. 1. Azor. p. 1. lib. 8. c. 9. q. 5. Farinac. de heresi q. 178. Duard super Bullam cœnæ Domini l. 2. can. 1. q. 23.*

Secūdo accipitur materialiter, vel obiectiue, scilicet pro eo, quod credēdum proponitur, & sic accipit idē D. Athanasius, qui post multa relata subinde adijcit, Hæc est fides catholica, &c. *c. hæc est fides. 24. q. 1.* Siquidem breuis fidei cōplexio, ac summa credendorum est illa, quam duodecim Apostoli in Symbolo fidei tradiderunt, quamq; in duodecim breues snīas, quas articulos appellamus, iuxta numerū ipsorū Apostolorū apte distinxerūt; symbolum namq; est articulorum fidei collectio, & dicitur à syn, quod est cō, & bolus, morsus, vel frustū, quia quilibet Apostolus bolum, vel particulam sigillatim posuit. Cui quidem Apostolico symbolo addita sunt alia duo, Athanasij scilicet, & Nicenū, ad planiorem fidei explicationem, & ad heresescō futandas edita. *Azor. l. c. c. 5. Borellus in summa decis. tit. 1.* Enimuero ad hoc fidei obiectū, quod credendum proponitur, referentur, Primo, quidquid in sacra Scriptura continetur. Secundo Ecclesiasticæ traditiones. Tertio Pōtificiæ sanctiones aliquid

esse de fide decernētes. Quarto gñale conciliū legitimè congregarum. Quinto omniū Patrum,& Doctorum ecclesiæ cōsensus, aliquid quò ad articulos fidei determinantiū &c. Conc. Trid. *sess.4. Bellar. tom. primo, contr. fidei cathol.3. Molfes tract. primo, cap. primo, numero 49.* Rursus fides in informem, & charitate formatam diuidi solet, quod scilicet informis est, quæ bonis operibus destituta est, quę etiam mortua dicitur: Altera est viua, quæ annexam habet charitatem,& quasi vestitu bonorū operum cohonestata. Hinc illud Theologorum descrimen, quod catholica fides credit Deum, credit Deo, & credit in Deum. Credere Deum est credere eum in rerum natura esse, Credere Deo est ab ipso reuelatis afsentiri, Credere in Deum, est credendo ipsum amare. Paucos vero mortalium hāc formatā fidem habere, vita ipsa indicium est, quæ longe alia foret, si à viuæ fidei norma dirigeretur, deinde studium rerum humanarū, diuitiarū amor, dignitatum assequendarum insatiabilis cura, diuinorū neglectus,&c. Hinc *D. Aug. serm. 237. de tēp.* Credere inquit, in Christū fides vocatur, difficile est, vt male viuat, qui bene credit. Credite ex toto corde, credite non claudicantes, non hęsitātes, non contra ipsam fidem humanis suspicionib. argumētantes, Fides appellata est ab eo, quod fit, quod dicitur,&c. *Albertus Magnus in Comp. theol. l.5.c.21. Valent. tom.3. disp.1.q.2.p.1. idem Molfes. tr.11.c.1.n.6.& seq. Cambree. l.2. de perfect. c.33.& seq.*

Cap. II.

QVÆSTIO XV.

AN HOMO PER SOLAM FIDEM saluari possit.

POtest ne homo per solam fidem æternam salutem consequi? R. Non, cum ad Cœli gloriam comparandam tres virtutes theologicæ, fides, spes, & charitas necessariæ sint: licet enim Apostolus *ad Rom.c.3.& ad Hebraos c.11.* dicat, Arbitramur hominem iustificari per fidem, & iustus meus ex fide viuit; Illud tamen de fide intelligitur, quę & spem, & charitatem coniunctam habet, quando quidem teste D. Iacobo *c.2.* Fides sine operibus mortua est, Atq; hinc consequitur, bona opera iure merito ad iustificationē requiri; idq; sacra pagina, & iura canonica,& Patres nobis significant, qui conclamāt, ad vitam æternam consequendā non sufficere abstinere à malo, nisi fiat quod bonum est *Psal.33. Prouerb.c.21. Petri.1.c.3. D. Hier. l.1. contra Iou. c.7. c. de forma 22.q.5. Clem. vlt. tit. de pœnis.* Vñ,& alibi regius vates, *Psal.4.* vt nobis in Cœlum aditus pateat, sacrificandum sacrificium iustitiæ iubet, quod est, vt sobriè, iustè,& piè in hoc seculo viuamus, *Apost. ad Tit.12.* Quod & Micheas Propheta *c.6.* his verbis expressit, cum ab eo quæsitum esset, qua potissimum ratione homines animā suam in tuto possent statu constituere, & æternam gloriam promereri, Indicabo tibi homo, quid sit bonū,& quid Dominus requirat à te, vtiq. facere iudicium,& diligere misericordiam,& solicitum ambulare cum Deo tuo. Quibus verbis tria officiorum genera includūtur, quæ perfectum hominem in omni viuēdi statu reddunt, cum vnum ad Deum, alterum ad proximum, tertium ad se ipsum referatur. Ille enim cui datum est, tria hæc in præsenti vita adimplere, satis dicitur, quod debet, præstitisse, postquā Deo, proximo,& sibi ipsi, quæ suarum erāt partium, persoluit. *Iauell. de oper. Christi c.2. Tiraq. de temper. pœnis caus.44.nu.57. Paleot. de bono senect. p.3.§. nunc de fructibus.*

QVÆSTIO XVI.

NVM INTERNAE FIDEI MANIFEstatio sit ad salutem necessaria.

EStne huius fidei internæ manifestatio externa ad colendum Deū aliquando necessaria? R. Quantum ad exteriorem fidei actum, cum sit de necessitate salutis, quilibet serio de fide interrogatus, eam palam cōfiteri tenebitur, scriptū est enim, Qui me erubuerit coram hominibus, &c. Et cordè creditur ad iustitiam ore autem confessio fit ad salutem. *Matth.c.10.& ad Rom.c.10.* Ideo benignissimus Saluator noster Christus Sacramentum confirmationis instituit, quo homini per ipsius merita ingens animi robur, ad eas tempestates, quæ contra fidē excitari possunt sustinendas,& propulsandas cōfertur. Hinc solemnioribus diebus, vt Dominicis, Apostolorum, Doctorum,& huiusmodi post Euangelium, fidei symbolum recitatur, tùm quod ex auditu verbi Dei fides ipsa consequatur, tùm vt Sancta ecclesia nos doceat, sicut corde creditur ad iustitiam, sic fieri confessionem ad salutem. *Scortia de sacr. miss. l.3.c.25.* Quare si quis in persecutione suam fidem negaret, vel alienā profiteretur, quamuis id metu mortis, amissionis honoris,& bonorum tēporalium id faceret, etiam si in corde rectā catholicā fidē teneret, grauissime,& lethaliter delinqueret, non tamen hæreticus censendus foret, quippe, qui interiori actu optime de fide sentiret, qđ hęresi repugnat. *D. Thomas 22.q.3. art.2. vbi Bānes,& Val. q.3. puncto 2. Azor. par.1.l.8.c.27.& c.9.q.10. Nau. in comment. inter verba pralud.3.11.q.3. San chez. l.2. de pracept. c.4. Tolet. l.3.c.17.& lib.4.c.4. Franc. Pegna in 2. par. ad Direct. Inquisit. q.41. comment.66. Syl.& Sa. v. fides.* De quare forte explica

tius

tius dicemus, cum de articulis confeſſariorũ in primo præcepto decalogi loquemur.

QVAESTIO XVII.

QVAENAM CHRISTIANAM FIDEM labefactant.

QVænam ſunt illa, quæ verã fidem in chriſtiano homine impediunt, & labefactant? R. Tria ſunt præcipua vitia. Primo voluptas, & luxuria, Cum ex Sapientis ſentẽtia. *Eccl. c.* 30. Vinum, & mulieres apoſtatare faciãt ſapiẽtes; ideo impius Mahumethus, ut multos ad nequiſſimã, & perditiſſimam ſectam ſuam traheret, fœdæ voluptati fræna laxauit. Hinc *Lact. Firm. l. 2. de orig. err.* Ex luxuria vt vitia omnia, ſic impietas aduerſus Deum naſcitur. Et Pet. Aldob. Card. interrogatus quandoque quænam religioni peſtis acerbior infligi poſſet? reſpondit, voluptate nulla atrocior, facit enim, vt religionis, & fidei lumen obtenebretur. Secundo auaritia, quæ vt loquit Apoſt. ad Ephæſ. *c.* 5. eſt idolorũ ſeruitus. Tertio ſuperbia, & ambitio, vt patet in Arrio, Nouato, & Luthero. *Labata p. 2. app. ad cõc. in v. ambiti Buſ. pa. 1. roſ. ſer.* 13. *Daur. in catechiſmo hiſt. tom. 3. c. 6. tit. 6. Beyer. in v. voluptas.*

QVAESTIO XVIII.

QVID ECCLESIA, ET QVOTVPLEX SIT.

CVm catechiſmus Rom. & Conciliũ Colon. de ſymbolo fidei dicãt, qđ ille nõ habebit Deũ patrẽ, qui eccleſiã noluerit habere matrẽ, quero qđ ſit eccleſia, & quotuplex? R. Eſt omnium Chriſti fidem, atq; doctrinam confitentiũ congregatio, quæ ſub vno poſt Chriſtũ capite, & Paſtore in terris gubernatur. Hęc enim eſt vna ob fidei, capitis, ac Paſtoris, ideſt ſummi Põtificis vnitatem; & dicitur catholica, ideſt vniuerſalis toti. ſ. generi humano præſcripta; & Apoſtolica, qu a Apoſtoli illam fundarunt, extra q̃ nemini ſalus patet, &c. Cuius duę ſunt partes, vna eſt militans, altera triũphans, eccleſia triũphans eſt cætus ille clariſſimus, & feliciſſimus beatorum ſpirituũ, & eorũ, qui de mũdo, de carne, & iniquiſſimo Dæmone triumpharunt, & ab huius vitę moleſtijs liberi, ac tuti ęterna beatitudine fruũtur. Militans eccleſia eſt cõgregatio, quã diximus fidelium, qui adhuc in terris viuentes, cum immaniſſimis hoſtibus mundo, carne, & Satana perpetuum bellum gerunt. Quæ identidem duas in ſe cõplectitur partes, vna eſt proborum hominum, qui non ſolum fidei profeſſione, & Sacramentorum communione, ſed etiam ſpiritu gratiæ, & charitatis vinculo inter ſe coniuncti ſunt; altera eſt improborum, qui eorundem Sacramentorum cum bonis participes, eãdem quoq; fidem profitentur, ſed vita, & moribus diſſimiles. Vnde ab hac catholica Eccleſia alieni reputantur primũ Iudęi, & Infideles, atq; omnes à fide recedentes, & Hæretici, hi ſcilicet qui cum baptizati ſunt, contra Catholicam fidem Dæmonibus acti cum pertinacia tuentur errorem. Preterea ſchiſmatici, quia ab Eccleſiæ vnitate, & pace ipſi ſe ſeiungunt. Poſtremo qui à Sanctorum communione, & Sacramentorum participatione, eccleſiæ ſuffragijs, diuiniſq; officijs per eccleſiaſticam poteſtatem excluduntur, qui excommunicati dicuntur: qui omnes niſi reſipiſcant, perpetuæ morti ſunt traditi. Admirabilis autẽ Dei bonitas, & longanimitas in malis tolerandis elucet, quò boni fiant Hinc D. Aug. celebre enunciatum eſt, Omnis malus aut ideò viuit, vt corrigatur, aut ideo, vt per eum bonus exerceatur. *D Thomas 2. 2. q. 10 per 12. ar. Cat. l. c. D. Auguſt. ſuper. Pſal.* 54. *Azor. p. 1. l. 8. c. 6.*

QVAESTIO XIX.

QVAENAM CHRISTIANAM FIDEM conſeruent.

QVænam ad cõſeruandam fidem adiumenta ſunt? R. Tria præcipuè. Primo humilitas, & ſimplicitas, qua quis Deo, & eccleſiæ tãquã idiotã, puerũq; inſtituẽdũ ſe ſubijcit, oĩ prorſus curioſitate abiecta. Humilis quoq; orõ ad Deum fuſa, qua incremẽtũ fidei ab eo poſtulatur, cñ illis, qui in Euangelio idẽ precãtur, Adauge nobis fidẽ. *Luc. c.* 17. nã vt dixi, ſuperbia hæreſim gignit. Secũdo vſus ſacramẽti pœnitentiæ, & ſacroſanctæ Euchariſtiæ, cum Chriſt' ſit cauſa efficiẽs, meritoria, ac regula fidei. Tertio cõſiderare eccleſiã eſſe veritatis firmamentum, & in moribus errare nõ poſſe, & vſq; ad finẽ mũdi immotam perſeuerare, vt patet ex cõi cõſenſu fideliũ, ex priuilegijs, miraculis, vaticinijs, & ſolida Patrum doctrina. Vnde eſt illud *Richar. de Trinit. lib.* 1. *c.* 2. pronũtiatum, Dñe ſi eſt error, à te decepti ſumus, nã tãtis ſignis confirmata ſunt, quæ nõ niſi per te fieri poſſũt. &c. Et vt ait idem *D. Aug. l. 22. de Ciuit. Dei. c.* 5. Hoc eſt nobis maximum, & ſufficiẽs miraculum, quod eam ipſam fidem totus terrarũ orbis ſine vllis miraculis ad ſimplicem prædicationẽ paucorum hominum, ignobilium, pauperum, infirmorũ, imperitorũ, receperit, fidem. ſ. continẽtem myſteria humano iudicio im poſſibilia, & incredibilia, quæ Iudæis ſunt ſcãdalum, & gentib. ſtultitia, & quæ carni, & ſanguini repugnãt. Et qđ hanc fidem ad ſimplicem eorum annuntiationem nõ ſolum idiotæ, & pauperes receperint, ſed docti, & ſapientes, diuites, Reges, & Imperatores,

quod

quod est euidens argumentum, Deum à seipso hominum mẽtes illustrãdo, illam persuasisse. *Philiar. de off. sacer p.2.l.2.c.10, Combroc. de stud. perfect. l.2.c.33. Bozius de signis eccles. tom.1.& 2. Belarm. tom.1. cont.l.2.c.12.& seq.*

QVAESTIO XX.

QVID SIT SPES, VT EST VIRTVS Theologica.

QVid est spes, vt est virtus theologica? R. Est virtus à Deo in uoluntate infusa, qua ex Christi meritis, ac etiam nostris eius gratia prouenientib. futuram beatitudinem expectamus. *D.Thom.2.2.q.17.ar.1.& 2. vbi Val.q.1.puncto 1. D.Ant.4.p.ti.7.c.1.§.2. Tolet.l.4.c.7.* Parũ est alioquin Deo, eiusq; verbis fidem habere, ac diuina, quæ in ecclesia prędicantur dogmata, profiteri, nisi Christianus Dei bonitate percepta, spẽ inde concipiat, ac fiduciam, consequẽdæ gratiæ, & salutis æternæ: quæ spes cũ tantopere in summis æ?nis fulcit, vt etiamsi mundi præsidijs omnibus destituatur, intrepide tamẽ dicat cum Iob.c.13. Etiãsi me occiderit, in eum sperabo. Hinc ait D. *Bernardus super psal.* 90. Dicit fides, parata sunt magna, & inexcogitabilia bona à Deo fidelibus suis; dicit spes, mihi illa seruantur, nam tertia quidem charitas, curro ego, ait, ad illa. Vnde sũt illa adagia, spes seruat afflictos, spes alit exules, spes bona dat vires. &c. *vt per Manut. in Adag.*

QVAESTIO XXI.

QVIBVS MEDIIS SPERATVM summum bonum consequamur. &c.

QVomodo vel quibus medijs æternam felicitatem, quam speramus, consequimur. Et vtrum si Deus alicui suam damnationem patefecerit, possit, ac debeat bene agere, vitam æternam sperare, & Dei opem ad eam adipiscendam implorare? R. Quò ad primum, opere Christiano illam nos promereri, est enim opus christianum opus bonum, Cœlestis beatitudinis meritorium à libero arbitrio per auxilium diuinum elicitum, vel imperatum, quo non solum ostendimus Christi fidem nobis inesse, sed etiam apud Deum, vt aiunt Theologi, iustificamur. *Iauellus de opere Christi. tract.1.c.6.* Ad.2. R. idilicet, diuina náq; præuisio non impedit, quin possimus nos curam in id conferre, ne ea eueniant, quæ ex libero nostro consensu præuidentur, ac prænuntiãtur. &c. *Azor. p.1.l.2.c. vls.q.3.& lib 9.c.2.q.8. Thomas de Chempis tit.1. de imit. Christ. c.15. Daur. tom.1.c.2. tit.1.*

QVAESTIO XXII.

QVOD NAM SIT PECCATVM spei contrarium.

QVod nam est peccatum, quod spei aduersatur? R. Duplex est, desperatio in defectu, & præsumptio in excessu. Desperatio est actus voluntatis, qua homo de futura beatitudine promissa diffidit, & retrahitur, ne in Deum peccatori pœnitenti indulgentem moueatur.

Quæ aliquando ex errore intellectus, & amissione fidei oritur, vt quia non putat esse beatitudinẽ, aut Deum parcere non solere, aliquando vero ex odio Dei, vel prauo animi affectu, ut quia licet credat Deũ esse summã veritatem, & bonitatem, existimat tñ sibi ingentia scelera nõ cõdonaturũ. &c. Quæ quidem grauissimũ est peccatũ, si ex pleno rationis consensu prouenit, cum diuinæ misericordię fontem obstruat. *D.Thom.2.2.q.20. in 4. art. Tolet.l.4.c.7. Val.tom.3.disp.2.q.3.pun.1. Reginald. l.17. fori pœnit.c.7. Perald. in summa virt. & vitiorum tom.1.c.4.* Aduersus desperationis spiritũ pugnandũ est 1° diuinę misericordię cõsideratione, & spes nutrienda, ac excitanda diuinæ bonitatis, ac beneficentiæ meditatione. *Lud. Blos. in mon. spi. c.1. Rossign. de discip. christ. perfect. l.3.c.5.* Deinde 2° spei cõscientiæ puritas coniungenda est, & pijs operib. comprobanda, sacrificando sacrificium iustitiæ, vt admonet Psalmista. *Psalm.4.* 3° abiicienda est statim, ac in animum incurrit suspicio, & inanis metus, q nõ simus prædestinati, aut electi, est .n. hmói cogitatio, vt plurimum perniciosa, & à Diabolo inijci solita, res náq. hæc occultissima est, & soli Deo cognita; adeò ut nobis interim nulla alia incũbat cura, quàm rectè uiuẽdi. &c. Proinde tunc spei præcepto, & lege compellimur ad actum sperandi præstandum, cum ad sacramentum pœnitẽtiæ accedimus, uel cum in uita, uel in morte spes nostra tentatur. *Nauar.c.26.nu.33. Holchot. super sap.c.12.lect.153. Sanch.l.2. de precep c.33.& seq. Reg.l.17.n.77. Molf.tr.11.c.4.n.14.* Vnde cum quidam anxius inter spẽ, & metũ, frequenter fluctuaret, & quadã vice mœrore cõfectus in ecclesia añ altare se in oratione prostrasset, hæc inter se reuoluit dicens, O si scirem, quod adhuc perseueraturus essem, statimq. diuinum responsum intus audiuit. Quid si hoc scires, quid facere uelles? Fac nunc, qđ tunc facere velles, & bene securus eris, moxq. gaudio perfusus diuinæ se submisit uoluntati. &c. *Thomas de Chemp. d.l.1. de imit. Christi. c.15. Ludulph. de vi. Chr. p.2.c.50. Daur. p.1. exẽp.c.2.t.1.§.3.*

Præsumptio vero est actus volũtatis, qua homo beatitudinem cõsequi sperat, uel ex solis meis viribus

ribus naturalib. tanquam fibi iure debitam, vel ex fola Dei benignitate, absq. vllo iustitiæ præsidio. Et sic sanè peccant hodie complures, qui sola fide in Christum blandientes, in medijs peccatorum fordib. vt iumenta computrescunt, iactitantes Cœlorum regnum non bestijs, sed hominib. paratum, ignorantes æternum ignem nō brutis, sed dæmonib. & prauis hoībus constructum. Cum ergo tam desperatio, quàm præsumptio ingens sit malum, media via incedendum est. Quod agit Dominus cum vtroq. morbo periclitantib. illis qui spei nimiæ nituntur, hoc dicit, Ne tardes conuerti ad Dominum, neq. differas de die in diem, subito.n. veniet ira illius. Illis, qui desperatione conflictantur insonat, In quocunq. die iniquus conuersus fuerit, omnes iniquitates eius obliuiscar. *Eccl. c. 5. Ezech. c. 18. D. Aug. tra. 33. in Euang. Io. Daur. l. c. exēpl. 6.* Plato ut est apud Ælianum *l. 13. var. hist.* spem ita diffinire solebat, ut nihil aliud esset, quàm vigilantium somnium, quod ij, qui in rerū futurarum spe viuant, pleraq; inania sibi pollicèantur. Atq; huc spectat illud Iuristarum, q licet spes q̄nq; considerabilis sit, & pro ueritate habeatur, illud tamen est per extensiuam interpretationem, non per ueritatem, ideo in statuti dispositione locum nō hēt. &c. *Alex. l. 4. cons. 36. Tusch. in v. spes. cōcl.* 365. Vnde olim spei simulachrum mulier erat ueste uiridi induta, quod uiridis color eorum sit proprius, qui spe aliqua lactantur, qua uana, & falsa spe Iudæi perpetuo torquentur, & nutant, siquidem spes quę differtur, affligit animam, & sicut ait Mantuanus,

Expectare diu labor est, & pondus inane.

Verum hoc de ea demum spe intelligendū est, quę non nisi fluxis, ac fragilib. reb. nititur, in quib. quisquis spem figit, ijs profecto similis est, qui sibi somnia fingunt. At uero de pij christiani spe longe aliter sentiēdum est, quippe quam huiusmodi esse *Apost. ad Rom.* 5. testetur, ut numquam cōfundat. *Billius in Anth. Sacra. c. 54. Iust. super Tob. cap. 2. vers. 15. doc. 2.*

QVAESTIO XXIII.

AN NON TANTVM COELESTIA, SED etiam temporalia bona à Deo expetenda, & speranda sint.

EA quæ sub spem cadunt, sunt ne tantum bona cœlestia, an etiam alia in hac vita ab hominibus expetenda, & speranda sunt? R. Pręcipue quidem bona illa Regni cœlestis, quę homines beant, nec sinunt vlla ex parte miseros esse. Tum illa demum, quæcunq; mortalibus in hac vita conducibilia rectè à Deo desiderantur, atq; petūtur, in bonis sperādis, & expectādis haberi debent. Quādoquidem omnia bona à Cœlis, atq; ab ipso Deo bonorum omniū datore proueniunt, cum Deus dicatur à dando quia omnibus affluenter dat, & à nemine accipit. Ea vero præcipue in Dominica oratione relucent, vt pote quam Christus Dn̄s ore suo prodidit, & admirabili sapientia omnibus præscripsit, qui spem suam, ac vota, orarione cupiūt Deo explicare. Est namq. oratio pius mentis affectus in Deū, quo fideliter petūtur quęcunq; sunt nobis, aut alijs salutaria, cum ex vulgato SS. Patrū enuntiato, Oratio sit Deo sacrificium, hominib. subsidium, & Dæmonibus flagellum. Imò meditatio, & oratio sunt quasi duo pedes, quibus in Cęlum ascendendū est, meditatio enim q̄d desit, docet, oratio ne desit, obtinet: ita vt orādi præceptum ad mortalem etiā culpam obliget. Primo cū quis sentit grauem, & periculosam tentationem, cui alia ratione se non posse resistere putat. Secundo cum est aliqđ opus arduū, & periculosum aggressurus, vel cōmunis instat calamitas. Tertio quandocunq; debet se ad gratiā recipiendā præparare, & disponere, vt peccata vitet, & expellat, ac ex præcedenti cogn tione aduertit se tunc ad orādum teneri. &c. *Lessius de iust. & iu. l. 2. c. 37. dub. 3. Reginal. l. 4. c. 9. n* 75. Licet enim Deus multa nobis ex sua liberalitate cōcedat, etiam si ea non petamus, vult tn̄ vt plurimum media oratione nobis præstare, quidquid ad nostram salutē spectare cognoscit; siquidem sicut Deus triticum ex semine, & cultura multiplicare disposuit: domosq. artificis industria, ac labore cōstrui: ita multorum salutem variaq. dona per orationem largiri decreuit. *D. Thom. & ibi Caiet. 2. 2. q. 83. art. 3. D. Chrisost. l. 2. de orando Deum.* Porrò in dicta oratione Dominica, summatim septē petitiones proponuntur, ad quas omnium orationum species, & formæ referendæ sunt, siue pro expetendis bonis, siue pro auertendis malis, & delēdis culpis diuinam opem imploremus, vt meritò Tertullianus *in libro de oratione* eam Breuiarium Euangelij vocet, & quotidiana oratio à Patrib. in *Concil. Tolet. c. 9.* nuncupetur, eo quod quotidie fit à fidelib. deuotè, & piè recitanda. Erga q̄ adeo afficiebatur D. Hugo Gratianopolitanus Episcopus, vt in vitæ periodo ex hac vita migraturus trecenties illam pronūtiauerit. In priorib. vero petitionib. ęterna poscuntur, in reliquis quatuor ēt t̄palia, quæ tn̄ propter æterna consequenda nobis necessaria sunt. *Catechism. Rom. & Lud. Carbo. in eius expositione. Arrag. 2. 2. q. 83. ar. 9. Val. tom. 3. disp. 6. q. 2. pūcto 5. Azor. p. 1. lib. 9. c. 37. Duar. tom. 1. c. 2. tit. 15. Scort. de Missæ sacrif. li. 4. c. 32. Nauar. de orat. & hor. can. cap. 19. num. 101. Molfes. tract. 1. c. 2. nu. 89.*

QVAE-

QVAESTIO XXIV.

Quaenam post Dominicam precationem praestantior sit oratio.

POst orationem Dominicam, quæ oratio præstantior, & nobilior? R. Salutatio Angelica, quæ sanctiss. Virgini, Deiq. matri defertur, cũ dicimus, Aue Maria gratia plena, &c. Cuius primę partis Angelus auctor fuit, cum sic gloriosam Virginẽ salutauit. Alterius S. Elisabetha, cum dixit, Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Tertiæ partis S. mr̃ ecclesia, illius. s. S. Maria mater Dei ora pro nobis, &c. Quæ subinde reuocat nobis in mentem gratam, & salutarem memoriam ipsius sanctissimæ Virginis, & Incarnationem Dñi, Deinde monet, vt eius gratiam, & patrocinium apud Deum cõciliemus. Cum.n. in hac vita tàm periculosè dimicemus, nauigemus, & ægrotem*, eius auxilium, & patrocinium summopere necessarium est. Quam propterea D. Catharina Senensis, & D. Margarita Vngara Dominicana, sæpius in die magna cum animi pietate, ac deuotione recitare solebant. Quàm ẽt in mortis articulo continenter frequentabat S. Ludouicus Eps Tolosanus; & cuius virtute magna miracula patrata fuisse legimus. *D. Ant. 3 p. tit. 3 t. c. 4. §. 2. Helchot. super Sap. lect. 35. Nau de oratione c. 19. num. 134. Baldessanus in stimulo ad virtutes. p. 2. c. 10. Franc. Arias in Rosario p. 1. tra. 3. Daur. par. 1. titu. 34. & tit. 36. Mart. Delrius tom. 3. disq. mag. l. 6. c. 2. sect. 3. q. 3.*

QVAESTIO XXV.

An sit alia precatio ad B. V. colendam, & venerandam.

PRæter Salutationẽ Angelicã reperitur ne alia precatio ad B. V. colẽdam, & venerandã apta? R. Vtiq; Salue Regina, in quatuor partes diuisa. Primo continet salutationẽ Gloriosæ Virginis, plenam amoris in eã, & eius gratę celebrationis. Secũdo miseriarũ nostrarũ enarrationẽ, cõmiseratione refertam, Tertio implorationem auxilij in hac misera vita, quã ut dicebat Seneca, Nemo acciperet, si scientibus daretur, non intelligens, quibus nasci expediat, cum hinc in tam varias, & tam graues ærumnas ingrediamur. Sed præcipuè opem contra miseriam peccati complectitur, quod quidem tam ingens malum est, vt ipsa morte multo sit grauius; cum hæc corpus, illud animam occidat, & si modo nondum appareat; sicut fulmen argẽtum, & ensem consumit, licet crumenam, & vaginam intactam relinquat. &c. Quarto precationẽ includit pro obtinenda eius intercessione in mortis articulo, & ad æternam vitam, & salutem cõsequendam, siquidẽ vt scitè aiebat Pius II. Pontifex Max. Vita nostra reuera nihil aliud est, quàm scœna, & comœdia, cuius vltimus actus de morte agitur. &c. Socrates eã aliæ ludo comparabat, in qua quidquid euenit, veluti quandam tesseram deponere oportet, non eã denuo iacere licet, neq, tesseram aliter ponere. Vnde formatum est adagium, Omnem iacere aleam; & illa salubris gnoma, Hæc vita momentum est, vnde pendet æternitas.

QVAESTIO XXVI.

Quid agere debet Christianus, vt rectè viuat, & vitam æternam consequatur.

QVid potissimum agere debet christianus, vt rectè ex Christi norma vitam instituat, atq. sibi ęternam vitam comparet? R. Legem Dei obseruabit, quæ est decem eius præcepta, quæ olim à Deo Moysi in monte Syna data fuerunt, & deinde à Christo Iesu, in Euangelio confirmata, & in charitate fundata, iuxta illud, Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. *Matth. c. 19.* Summopere quidem refert, illum qui fidem, ac spem est consecutus, charitate quoq. præditum, ac fultum esse, nam de his trib. cõiunctim docet Apostolus *(1. ad Corint. 13.)* Nunc manent, inquit, fides, spes, charitas, tria hæc, maior autem horum est charitas. Nam Deus quẽ fides cognoscendum nobis in ænigmate proponit, & spes desiderandum, vt summum nostrum bonũ, charitas affert, & dat amandum, ut summum bonũ per se, & in se ipso; quare mandatum de ea dicitur primum, & maximum, *(Matth. c. 22.)* Addo his, fide nos esse christianos, bonos autem, hoc est Dei amicos gratia, & charitate, cum.n. quæritur, utrum quis sit bonus homo, non quæritur, qd credat, aut speret, sed quid amet. *D. Aug. in Enchir. ad Laur. c. 117.* Quippe charitas, vt ait *Tolet. l. 4. c. 8.* ad duo maximè necessaria est: Primo ad ultimum nostrũ finem consequendũ, nullus.n. ad Cœleste regnum sine ea intrare potest, cum sit uestis nuptialis. Vnde *Io. 3.* dicitur, Qui non diligit, manet, in morte. Secundo est necessaria, vt opera nostra vitæ ęternę meritoria sint, cum sine ea nullum sit opus bonũ, quod æterna mercede dignũ sit, iuxta illud, *Apost. 1. ad Corinth. 13.* Si tradidero corpus meum. &c.

Attamen opera in peccato mortali facta prosunt ad multa, præsertim ut homo cito à Deo conuertatũ, & à peccato liberetur, & ut ab ipso temporalia bona consequatur. Nec.n. vnq̃ hoĩes adeo mali sunt, quin aliquid boni faciant, aut dicãt, nãq.

Sæpe etiam stultus fuit opportuna locutus.

Et Martialis ad Seuerum,

Quod Nerone peius

Quid

Quid Thermis melius Neromanis?
proinde Deus, vel hic illud remunerare ſolet. *gloſ. in c. quod quidam. ext. de pœnit. & remiſ. Nauar. in c. quarat. §. quod autem. de pœnit. diſt. 3.*

QVAESTIO XXVII.

QVID SIT CHARITAS, ET QVAENAM ſint ex charitate diligenda.

QVid ergo eſt charitas, & quęnam ſunt ex charitate diligenda? R. Eſt virtus à Deo infuſa, quu Deus propter ſe diligitur, proximus autẽ propter Deum. *D. Aug. l. 1. de doct. chriſt. c. 27. D. Proſper relatus in c. charitas. de pœnit. d. 2 Iauell. tract. 6. ti. de chriſ. char. Tolet. l. 4. c. 8. Ant. de But. cõſ. 25.*

Quatuor vero ſunt ex charitate diligẽda, Deus, proximus, corpus noſtrum, & nos ipſi. Et in dilectione ſub pcepto hic ordo ſeruãdus eſt, vt P° Deus diligatur ſuper oĩa. 2. anima noſtra. 3. anima pximi. 4. corpus noſtrum. 5. corpus proximi. *D. Th. 2. 2. q. 26. ar. 1. & ſeq.* Modus diligendi Deũ eſt, vt ait D. Bernar. diligere ſine modo, appretiatiue. n. (ut more Scholaſticorum loquar) ſupct omnia diligendus eſt. Modus vero amandi proximum eſt ſicut ſeipſum diligere, ubi ſimilitudo ſignificatur, & nullius exceptio, non autem æqualitas, ut ex ordine charitatis colligitur. Noĩe proximi intelligitur oĩs homo, & creatura rationis, & æternæ ſalutis capax. Nec inimicus quò ad naturam excluditur, ſiquidem ex euangelica veritate, ex præcepto in cõi diligendus eſt, & ei generalia charitatis ſigna, quæ multitudini exhibentur, impendẽda ſunt, vreſt reſalutare ſalutantem, vendere merces expoſitas, ſicut alijs eleemoſynas dare. &c. *D. Th. l. c. ar. 9. Syl. in v charitas. Nau. c. 14. n 9. Tol. l. 4. c. 11. Val. tom. 3. diſp. 3. q. 3. puncto 2. Carb. de pacificat. c. 16.*

Porro præcepto charitatis amorem in Deũ elicere obligamur eo tẽpore, & modo, quo ſupra præceptionem fidei, & ſpei datam eſſe diximus: quare eo tempore ad id aſtringimur, cum veniam peccatorum extra Sacramentum pœnitentiæ obtinere debemus, & Dei gratia eſt à nobis cõciliãda, &c. *Azor. p. 1. libr. 9. c. 4. q. 1. Reginal. tom. 2. lib. 17. c. 9. & 10. & alij.*

QVAESTIO XXVIII.

QVÆNAM SINT DEI PRÆCEPTA AD charitatem præcipue ſpectantia.

QVæ ſunt præcepta Dei ad charitatem præcipue ſpectãtia? R. Decem Dei verba, primũ per Moyſen Iudæis tradita, & deinde, vt dixi, per Chriſtum, & Apoſtolos Chriſtianis omnibus commendata, quæ & decalogi nomen obtinuerunt, eſt .n. Decalogus legum omnium ſumma, & epitome, cum omnia, quæ Deus præcepit, ex illis decem mãdatis, quæ duab. tabulis conſcripta ſunt, pendeãt; quorũ illud eſt diſcrimẽ, quod tria prima ad Deũ, reliqua vero ſeptem ad proximum referuntur. Præterea quædam ſunt affirmatiua, quæ vt ſcholæ loquuntur; obligant nos ſemper, ſed nõ ad ſemper. i. non omni tempore, ſed determinato, vt homo ſem per parentes colere tenetur, ſed non omni tempore .i. dum opportunitas ſe offert, & cauſa poſtulat.

Quæda m vero ſunt negatiua, quæ vetita fieri prohibent, ac proinde ſemper, & pro omni tpe aſtringunt, vt non mæchaberis. *Exodi c. 20. c. meretrices. 32. q. 4.* ſiquidẽ lex eſt ſentẽtia, qua recta præcipiũtur, & mala vitãtur: ſicut. n. oris noſtri maculas ſpeculum nobis repreſentat, ita ipſa lex noſtræ conuerſationis teſlexus calles manifeſtat; vel ſicut cãdela cauernoſos præcipitiorum, anfractus euitare facit, haud ſecus decalogi præceptiones ſunt nobis candelabrum, quo recti tramitis ad vitam ducẽtis certiores effecti, inoffenſo pede in ſemita Dei manda totum currimus. *Catech. Rom. de decem præceptis. Sayrus in claui reg. l. 4. c. 2. & alij.*

De qua materia præceptorũ decalogi infra ſuo loco *tract. 7.* cum de cõfeſſario articuli ponẽtur, dicendi erit locus.

QVAESTIO XXIX.

ECCLESIAE PERCEPTA QVAE SINT.

PRæter Dei præcepta ſunt ne alia, quæ homines ſeruare tenentur? R. Sunt præcepta Eccleſiæ, cui, & eius Rectorib. obtẽperare nos vult Chriſtus vt ſibi ipſi, dicens, Qui vos audit, me audit. *Lucæ c. 10. & DD. in c. omnis. ext. de cenſib.* Sunt vero præcipuè quinq. videlicet, Rem ſacram in die feſto audire, Indicta certis dieb. ieiunia ſeruare: Sua peccata ſaltẽ quotannis proprio ſacerdoti confiteri, Sacroſanctam Euchariſtiam in Paſchate ſumere, Et decimas ſoluere. Quæ quidem præcepta, & alia eccleſiæ inſtituta, tot ſeculis recepta, magnoq. piorũ vſu, & conſenſu confirmata, inſignes commoditates, & fructus afferunt, vt quia ſunt fidei, humilitatis, & chriſtianæ obedientiæ ſalutaria exercitia, honeſtam diſciplinã, & popularem concordiam promouent: religionis certa ſunt ſymbola, quę efficiũt, vt Apoſtolicus ille canon. *1. ad Corinth. c. 14.* Omnia honeſte, & ſecundum ordinem fiant in uobis, ad vnguem obſeruetur. *c. miſſas. de conſec. d. 1. c. 1. & cap. 2. de obſer. ieiunij. cap. omnis. ext. de pœnit. & remiſſ. de quib. Nauar. in Man. c. 21. n. 1. vſq. ad 59. Tolet. in ſumma l. 6. à c. 1. vſq. ad 2. Azor. p. 1. l. 7. à c. 1. vſq. ad c. 41.* De quib. ẽt inferius ſuo loco dicẽt.

QVAE-

QVAESTIO XXX.

Quomodo Christiani divinam gratiam consequantur.

SI oēs sumus christiani,& Dei filij per Iesu Christi gratiam, quō hoc sumus consecuti? R. Per baptismum,& alia sex ecclesiæ sacramenta, videlicet Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiā, matrimonium, Ordinem,& Extremam Vnctionē, quæ sunt externum quoddam signum gratiæ interioris, quam Deus per ipsa sacramenta in animam infundit, à Christo ad nostram salutem instituta, vt contra peccata,& animæ morbos remedia, & medicamenta forent. Nā quamuis Deus optimus Max. absq. sacramentorum præsidio, posset gratiā, & gloriam hoībus conferre, voluit tñ ea Christus instituere,& sponsæ suæ S. Ecclesiæ relinquere, vt faciliora remedia, ad gratiam comparādam, vtpotè quasi plenissimos,& vberrimos fontes, è quibus ipsa gratia hauriatur, vt homines à Diaboli seruitute liberati,& ad honorem filiorum Dei translati ad æternam beatitudinē aliqñ perueniant. De quo summo beneficio multos ab hinc annos nobis gratulans *Isaias c.12.* dixit, Haurietis aquas in gaudio de fontib. Saluatoris. Illius uero septenarij numeri rationem, uel conuenientiam repetunt DD. ex proportione inter corporalem vitam,& spiritualem, quæ est sacramentorum finis, vt p *D. Tho. 3. p. q.65. ar. 1. Catech. Rom. tit de sacramentis in genere. Conc Trid. sess. 7. de sacramentis in genere. can. 1. Belarm. in cont. fidei de sacramentis in genere lib. 1. c.23. Sot. in 4. d. 1. ar. 1. Canis. in doc. chr. de sacrā. c. 6*

Proinde huc planè spectat doctrina de Sacramētis, vt christiani norint, quib. veluti instrumētis diuinitus institutis habeant opus ad fidem, spem, & præcipue charitatem accipiendam, exercendā, augendam, conseruandam, ac etiam reparandam: nā neq. sapientia, neq. christiana iustitia constitui, ac retineri absq. Sacramentis potest: & sine quib. vniuersam religionē extingui necesse sit,&c. *c.1. §. vna vera ext. de summa Trinit. & fidei cath. c. ad abolendam ext. de hæret.* De quibus inferius in articulis de ordine initiandis, Parochis,& Episcopis, aliqua ad eorum doctrinam commentabimur.

Cap. III.

QVæ hucusq. breuiter diximus, multa in sensu claudētes, ad christianā sapientiā pertinētia, in quibus paucis absoluimus. Primo quę credenda sunt,& ad symbolum spectant: Secūdo quæ ad spē, & orationē Dominicā, salutarionē Angelicā,&c. Tertio quæ ad charitatem,& pręcepta decalogi,& ecclesiæ: Quarto quæ circa sacramenta versantur. Superest, vt aliqd de iustitia dicamus, quæ his verbis continetur, Declina à malo,& fac bonū. Quiescite agere peruerse,& discite benefacere *Psal. 33. & Isaiæ c.1. D. Bernard. super Psal. 90.* Prior. n. pars in cognoscēdis, fugiendisq. peccatis posita est, quoniam illa maxima sunt mala mortalibus. Posterior vero in bonis expetendis, atq. consectandis consistit. Et quō ad priorem partem, quia ex sapientum sententia initium salutis est notitia peccati,& ideo ad sanitatem non peruenimus, quod nos ægrotare nescimus; proinde peccati materiam attingemus.

QVAESTIO XXXI.

Quid sit peccatum, & quotuplex.

QVæro quid sit peccatum,& quotuplex? Res. Alijs omissis diffinitionibus, placet illa D. Thomæ *12. q. 71. art. 6.* quod peccatum sit dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei. In qua diffinitione tria includūtur peccatorum genera. s. Factorū, vt nō furaberis,&c. Dictorum, vt qui dixerit fratri suo Racha, reus erit concilio,& Cogitationis, prout est peccandi voluntas, vt *Matth. c. 5.* Qui viderit mulierem,&c. nam apud Deum voluntas pro facto reputatur. Hinc ille,

Has patitur pœnas peccandi sola voluntas.

Glos. in c. magna. de pœnit. distinct. 1. Vnde,& Baldus *cons. 167.* ait, voluntas,& animus sunt de essentia peccati, quia vbi deficit animus,& voluntas, ibi deficit peccatum, ideo sublata voluntate de medio oēs actus sunt indifferentes. Nec solum commissionis, sed etiam omissionis peccatum cōprehenditur, cum ex illo theologico axiomate, Affirmatio,& negatio ad idem genus referantur. Cum dictū est cōtra legem Dei, nō solum legem diuinam positiuā, & naturalem, sed etiam positiuam humanā intelligē, agit n. cōtra diuinam legem præcipientem humanas, leges obseruādas esse. Vnde & Tolet. *l. 3. c. 4* cum descripsit peccatum, vt sit recessus à regula diuina, voluntarius, subinde adijcit, in illo verbo diuina, humana quoq. præcepta intelligi debere.

Peccatum est duplex, originale,& actuale, originale est, quod à primo humani generis parēte Adā transfusum est, nobisq. in ipsa conceptione contractum, De quo cōqueritur, Dauid *Psal. 50.* Ecce. n. in iniquitatibus cōceptus sum. Quod quidem licet per sacramentum baptismi auferatur, peccati tñ fomes ad agonē relinquitur. Et licet sit iuris regula, quod pœna suos debet tenere auctores, nec filius debet portare iniquitatem patris *l. sancimus C. de pœnis*,& *Ezech. cap. 18.* hoc tamen in peccato originali locum non habet, quod ex radice primi parentis

tentis infecta in nos traducitur iuxta illud,

Qui viret in folijs venit a radicibus humor,

Sic patrum in natos veniunt cum semine mores.

Catech. Rom. *de baptiſmo.* Conc. Trid. *de peccato orig. ſeſſ.* 5. *Ianellus de ſeptē vitijs capit. c.* 2. *Vigner. in Inſtitut. theolog c.* 18. §. 5. *Azor. p.* 1. *l.* 4. *c.* 25. *Io. à S. Gemin lib.* 8. *de ſimilit. c.* 57. *Et dixi infra tract.* 13. *cap.* 2. *quæſt.* 7.

Peccatũ actuale duplex eſt mortale, & veniale: mortale eſt dictum, factum, vel concupitum, quod lex diuina in re notabili fieri prohibet, mortis pœnam comminando, vnde mortale dicitur, qđ mortẽ animæ afferat, gratia priuet, merita extinguat, à gloria excludat, & Inferni pęnis obnoxios reddat. *D. Thom.* 1. 2. *q.* 80. *ar.* 1. *Sayr lib.* 2. *cl. reg. cap.* 14. *Tol. de* 7. *peccatis mort. c.* 1. *Reginal l.* 15. *c.* 3. Veniale vero eſt peccatum actuale, cui cum præter legem Dei ſit, & parũ ab eius recto tramite declinet, facile venia tribuitur: quod tamen charitatis feruorem tepefacit, & paulatim ad mortale aditum parat; & SS. Patres affirmant, quod & ſi veniales culpæ animam lethali vulnere non afficiant, maculoſam tñ, ac veluti ſcabie infectam efficiunt; & apertè in euãgelio pedum ſordibus comparantur, quas nemo neſcit, quàm putidæ, & moleſtæ ſint. Quæ autem ſint hæc leuia peccata, & quomodo vitãda tradit *conc. Toletanum c.* 39. *c. unum orarium diſt.* 25. *Roſſignol. l.* 2. *de diſcip. Chriſt. perfect. c.* 6. *Cambrec. de perfect. l.* 1. *cap.* 34. *& alij DD. ſup. citati.*

Peccata, quoq. actualia diuidi ſolent, quod alia carnalia dicuntur, quorũ delectatio in carne, & ſenſu completur, vt gula, luxuria, &c. Alia ſpiritualia, quorum voluptas ſpiritu, & mente perficitur, vt ſuperbia, auaritia, &c. *D. Greg. lib.* 31. *mor. c.* 30. Rurſus alia ex malitia, alia ex ignorantia, & alia ex fragilitate perpetrantur, cum in intellectu ignorãtia, in appetitu ſenſitiuo infirmitas, & malitia in volũtate dignoſcatur, vt. n. neruoſe declarat D. Th. 1. 2. *q.* 88. *a.* 3. Per iuſtitiam originalem perfecte ratio continebat inferiores animę vires, & ipſa ratio perficiebatur à Deo, ei prorſus ſubiecta; hæc autem originalis iuſtitia ſubtracta eſt per peccatum primi parentis, & ideo omnes vires animæ remanent quodammodo deſtitutæ proprio ordine, quo naturaliter ordinãtur ad virtutem, & ipſa deſtitutio vulneratio naturæ dicitur, &c. *Camb. l. c. c.* 17.

Rurſus vtrumq. peccatum duplex eſt, commiſſionis, & omiſſionis, qui ad malum deflectit, vel qui pręceptum negatiuum violat, commiſſione peccat, qui vero bonum facere omittit, vel pręceptum affirmatiuum tranſgreditur, omiſſione peccare dicitur: Et commiſſionis delictũ multo grauius eſt, quàm omiſſionis. *D. Ant. p.* 1. *tit.* 17. *c.* 2. §. 3. *Vaſquez.* 1. 2. *diſp.* 92. *&* 93. *Reg. l. c. cap.* 2. *Tiraq. de temp. pœnis cauſa* 44. *num.* 58.

QVAESTIO XXXII.

QVAE SIT RATIO DELENDI PECCATA.

QVæ ratio nobis ſupereſt delendi peccata? R. Originale, & qđcunq. aliud peccatũ baptiſmo tollitur. Per baptiſmum. n. Chriſtum induentes noua prorſus in illo efficiuntur creatura, plenã, & integram peccatorum omnium remiſſionem cõſequentes, Conc. Trid. *ſeſſ.* 14. *ca.* 2. *de differ. Sacramenti pœnit. & baptiſmi. D. Thomæ* 3. *pa. q.* 69. *art.* 1. *& in* 4. *ſent. diſt.* 4. *q.* 2. *ar.* 1. *quæſt.* 1.

Mortale peccatum per pœnitentiæ Sacramentũ deletur, cum ſecunda poſt naufragium tabula dicatur. Vt. n. confracta naui vnicum vitæ ſeruandæ refugium eſt tabulam arripere, & trãſnatare; ita poſt amiſſam per peccatum baptiſmi innocentiam, pœnitentia neceſſaria eſt, quam niſi quiſq. apprehenderit, de ſalute deſperandum eſt. *c. ſecunda tabula de pœnit. diſt.* 1. *Cõc. Trid. ſeſſ.* 6. *c.* 14. *Climachus in ſcala Cæli gradu* 4. *Daur. tom.* 3. *de exemplis tit.* 39. *c.* 1. Venialia vero peccata & ſi vitanda ſint, adeo, vt ex nulla cauſa illa admittere liceat. *ca.* 4. *tit. de vſuris Alex. conſ.* 49. quouis tñ Sacramento, orõne, aqua luſtrali, eleemoſyna, quouis charitatis actu, abſterguntur, Iuxta illud,

Confiteor, tundo, conſpergor, conteror, oro,

Signor, edo, dono, per hæc venialia pono.

Id eſt per confeſſionem generalem, per tunſionem pectoris, per aquam benedictam, per cõtritionem, per orationem dominicalem, per benedictionem Epiſcopalem, per ſumptionem Euchariſtiæ, & per eleemoſynam. Nec vnquã venia remittitur, quin prius mortale tollatur, quò ſit, vt in Inferno, in quẽ quis cũ mortali detruſus eſt, pęna ęterna plectatur, *c. ſuper tribus de pœnit. diſt.* 1. *Turre Cremat. in c. aquam ſale de conſ. diſt.* 3. *Azor. p.* 1. *l.* 4. *c.* 10. *& ſeq. Sayr. in clauı reg. l.* 1. *c.* 6. *Henriq. de Sacramento pœnit. l.* 1. *c.* 15. *Suarez. tom.* 4. *diſp.* 11. *ſect.* 2. *&* 3. *Graffius l.* 1. *deciſ. aur. c.* 6. *& alij communiter.*

QVAESTIO XXXIII.

AN OMNIA PECCATA ſint æqualia.

OMnia peccata mortalia ſunt ne æqualia? R. ſecundum catholicam fidem contra Stoicorum, & Ciceronis doctrinam in Paradoxis, & Iouiniani hæreſim, peccata non ſunt paria, ſed alia alijs grauiora ſunt tripliciter. Primo ratione maioris cõtemptus Dei. Secũdo maioris delectationis. Tertio ob maius damnum. Adde ẽt ratione obiecti, contra quod admittuntur, vel ex parte virtutum, quib. op-

ponuntur,& sic de alijs circunstantijs. *D. Bonauent. in 4. sent. dist. 42. Alph. de Castro contra heres in v. peccatum Sayrus l.c.c.7. n.3. Tiraq. de temp. pœnis causa 31. num. 20. ex D. Tho. 1.2. q.73. art. 2. Molfes. tract. 8. cap. 7. numer. 42. Nigron. de cur. minim. par. 2. ar. 3. ax. 2.*

QVAESTIO XXXIV.

QVIBVS GRADIBVS AD PECCATI foueam ducimur.

QVinam sunt gradus, quib. ad peccati foueā ducimur?& quænam catenæ, quibus à Dæmone irretimur, &c. R. Tres, suggestio, delectatio, & cōsensus: suggestione quidem hostis, dum nobis praua ingeritur cogitatio; Delectatione, dum animo iam nimium adlubescit, qđ mala suggessit tentatio. Tertio consensu, dum in ipsum peccatum voluntas allecta deliberate consensit: ex quo sane cōsensu peccatum iam consummatur, vt hominē spiritualiter occidat, & coram Deo gehennæ reum efficiat, etiam si non semper opere perpetretur, *c. sed pēsandum. distinct. 6.* Quò etiā pertinet illud D. Hier. *in Amos. 1.* Primum peccatū est cogitasse, quæ mala sunt. Secundo cogitationibus acquieuisse peruersis. Tertio quod mēte decreueris, opere compleuisse. Quarto post peccatum non agere pœnitentiam, & suo sibi complacere delicto. Catenæ vero quæ à Dæmonibus inijciuntur, quò homines in peccata labantur, septem sunt. Prima est infidelitas, quæ fidelium mentibus tenebras offundere solet, vt ad Epicureorum vitam traducātur, & aliā vitā præter istā non esse credant, vt expressis verbis tradit Lact. Firm. *in cathol. Instit. de orig. erroris in princip.* Secūda huic affinis est iucunditas, dum vt homines in peccatorum retia pertrahat, & pertractos detineat, vitæ huius illecebras proponit, &c. Tertia catena est, qua difficilem virtutis viam suggerit, & impossibilem esse vitæ vitijs assuetæ mutationem. Quarta est malorum exemplorum vis, eorum præcipue, qui alijs præsunt: Recte.n. Dauid *Psal. 111.* ait, Generatio rectorum benedicetur, hoc est filij, vel subditi rectorum.i. qui recte ambulant, ac timent Deū recti & ipsi erunt, &c. Siquidem verba nutriētium lac erunt, si bona, venenum, si mala. Quinta est præsumptio de Dei misericordia, dum persuadet Deū multum esse ad ignoscendum, ac proinde post patrata delicta locum esse pœnitentiæ. Sexta est longanimitas, dum peccatoris auribus insonat, Deum esse patientem, longanimem, & præstabilem super malitia; ideo cum in sanitate, & iuuentute licet, voluptatibus indulgendum. Septima catena desperationi assignatur, cum sit quædā blasphemiæ radix, quia timorem Deo iniuriam per peccata inferendi excludit. *D. Bernard. Senen. ser. 2. post dom. 2. Quad. serm. 16 & dixi in Comment. de casib. reser. p. 1. c. 8.* Hæc sunt ergo catenæ, funes, ac compedes, quibus adstrictum hominem Satanas nunc in omne malorum genus, ac tandem in tartareum abyssum infelicissime præcipitat; quas proinde ne fallamur, ac periclitemur, studiose discernere, ac obseruare debemus; simulq. quæ leuia videntur æstimare, in quib. magna uis latitat, & quæ in maxima mala nos aliquando conijciunt: hoc videre licet in primis, quan tumuis paruis cogitationibus, quæ solent esse operum genitrices, in leuibus tentationibus, quæ non repressæ grauia delicta gignunt, in violatione legū non magni momenti, quæ ciuilis, politicæ, regularisq. disciplinæ viam relaxationi aperit. Perpetua est.n. hæc Satanæ consuetudo, vt primum peccata, quò ad fieri potest, extenuet, eoq. hominem adducat, vt ea tanquā leuia nihil curet, quò eum ad grauiora scelera trahat: vt quilibet sanæ mētis verum esse experiatur, quod admonet Sapiens *eccles. c. 19.* Qui minima contemnit, paulatim decidet.

QVAESTIO XXXV.

CVR DEVS HOMINEM LABILEM, ac culpis obnoxium condidit.

CVr Deus qui hominem creauit, vt summum bonū intelligeret, intelligendo amaret, amādo possideret, possidendo frueretur; ipsum hominē tàm in peccata pronum, & labilem, & culpis obnoxium cōdidit? R. Si homo ita creatus fuisset, vt peccare non posset, nemo iustus ex eo quod nō cecidisset existimaretur, siquidem ex philosophico enuntiato, In his, quæ à natura sunt, nec laudamur, nec vituperamur. *c. si enim. de pœnit. dist. 2. D. Thom. in sūma contra Gent. l. 3. c. 73. Iauellus tract. 5. de Iust. christ. ad 4. dubium. Castrensis in summa contra hereses. in v. fatum.* Addo ideo hominem peccabilem cum libero arbitrio à Deo conditum, vt post lapsū per gratiā iustitia illū exornaret; permittit.n. Deus aliquos in peccata labi, vt post modum per pœnitētiam resurgentes ad perfectiorem statum traducantur; cum proprium Dei sit, ex malis bonum elicere, metere vbi non seminauit, & mel de petra fugere. *c. fidelior. dist. 50. Arrag. 2. 2. q. 62. ar. 4. Ioannis à S. Gemin. l. 4. de simili. c. 23. Felin. conf. 3. Bustus in Rosar. p. 1. serm. 37.* Imò & si subinde à prauis moribus ad vitæ purioris institutum Deus aliquem trahat, eum tamen non illico ab omni passionum molestia liberat, manent namq. in iustificatis affectuū reliquiæ, habitudines, ac propensiones ad malum, sed debilitatę, ac quodammodo emortuæ. Quippe opus est aliquo exercitio, vt ad Deū lacessiti, ac vellicati recurramus, & orātes donorum omnium largitorem

gitorem agnoſcamus, ne ob ingratitudinem nostre labi permittat; & vt ſupra innui, remanēt ſtimuli, vt meriti occaſionem nobis prębeant. *Cath. Rom. de baptiſmo. Cōc. Trid. ſeſſ. 5. decreto de peccato orig.* Sic Christiana philoſophia ſentit, oēs Angelos à Deo initio quidem bonos creatos, ſed libera volūtate in bonum, malumq. mutabiles; & eorum quoſdam in accepta bonitate permanſiſſe, alios verò vitio ſuo, de Cœlorum ſedibus cecidiſſe. Bonorum Angelorum partem in conuerſandis cœleſtibus orbib. aſſidue occupari, partem in terris in hominum tutelā, & regnorū cuſtodiam deputatos. Malos porro Spiritus, vel in Infernum detruſos eſſe, à quib. damnatorum animæ torquētur, vel in hoc aere morari ad homines exercendos; qui tamen alligati ſunt, & tāquam canes eatenis innexi, nemineē mordere poſſunt, niſi qui ſe illis mortifera ſecuritate coniunxerit, vt ait *D. Aug. ſerm. 197. de temp. Marul. in Euangeliſt. l. 3. c. 9. Bill. in ſac. Anthol. c. 84.*

QVÆSTIO XXXVI.

NVMQVID QVIS HIC SINE PECCATO veniali, & mortali viuere poſſit.

POteſt ne homo in hoc mundo ſine peccato veniali, & mortali vitā degere? R. Vt ſolidè huic q̄ſtioni ſatisfaciamus, ſupponendū eſt, ex Theologorū doctrina, Sicut homo triplici modo agit, videlicet naturaliter, moraliter, & meritorie; ſic & Deū triplex nobis auxilium elargiri, naturale. ſ. morale, & gratuitum, vel meritorium. Primū eſt illud, quo Deus vnamquamq. rem ſecundū modum illius naturæ conuenientē mouet, ſic namq. lapis deorſum, & ignis ſurſum fertur. Et de hoc illud Apoſtolicū intelligitur, Deus non lōge eſt ab vnoquoq. noſtrū, in ipſo. n. viuimus, mouemur, & ſumus. *Act. c. 17.* Secundū. ſ. morale eſt illud, quo hominē, vt eſt rationalis naturæ, ad agendū bonum morale dirigit, vt ratio dictat; quod quidem adiumentū omni homini fideli, & infideli cōmune eſt, primaq. ad gratiam gratum facientem recipiendā diſpoſitio, quæ tertium auxilium d̄r. Cuius ſanè tāta eſt neceſſitas, vt ſine eo, nec mereri, nec diuina præcepta ſeruare, nec à malo ad longum tēpus, cauere poſſimus, hinc fit, peccata nobis ſolum, non autem Deo imputari, quia licet ipſe Deus illa per efficacem gratiam impedire poſſit, non tñ ad id tenetur, quandoquidem cum ſufficienti gratia, & auxilio, peccata ipſa euitare poſſumus, &c. Et ſi aliquādo ſacra Scriptura cauſam peccati Deo attribuere videatur, nō alia intelligēda eſt, quàm quia derelinquit, aut hominē peccare ꝑmittit. De qua re aperta extat S. eccleſię diffinitio in Cōc. Trid. *ſeſſ. 6. can. 6.* Siquis dixerit, nō eſſe in poteſtati hoīs vias ſuas malas facere, ſed mala opera ita, vt bona Deū operari nō ꝑmiſſiue ſolū, ſed & ꝓprie, & ꝑ ſe, adeo vt ſit eius propriū opus nō minus proditio Iudæ, quàm vocatio Pauli; anathema ſit. *Iauel. in philoſophia mor. de oper. Chriſt. c. 1. Gaud. Florid. in cathol. explicat. p. 3. explicat. 4.* Vnde dico, quò ad venialia peccata, ea omnia in hac vita ſine ſpeciali Dei priuilegio vitari nō poſſe, qđ B. M. V. poſt Chriſtum conceſſum eſt. Idem Conc. *ſeſſ. 6. can. 23. Iuſtin. de ſæuitia peccati doc. 16.* Quare ita proprium videtur eſſe hominibus peccatum, vt vulgo dici ſoleat, Humanū eſt peccare, vti ſe quidā excuſans dixit,

Perſuaſit nox, amor, vinū, adoleſcētia, humanū eſt
Et alius, *Nemo ſine crimine viuinit.*
Item, *Vitijs nemo ſine naſcitur, optimus ille eſt,*
Qui minimis vrgetur, &c.

Quippe inſunt' homini iuſtificato etiam culpę venialcs abſq. iuſtitię detrimento; Quia ſi dixerimus, inquit, D. Ioannes *1. Io. c. 1.* quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt, & ita inſunt, vt quæ magna eſt humani generis infelicitas, & originalis peccati pœna, non poſſimus quamdiū viuimus, his non aſpergi. Quare enitēdum eſt, vt hæc ipſa admodum pauca ſint, & ad perexiguum tempus, ac ēt non vltra temporis punctum durent. *Roſſig. l. 1. c. 6.*

Quò ad ſecundū dico, hominem à peccatis mortalibus cum diuinæ gratiæ adiumento, quæ ſemꝑ eſt parata abſtinere poſſe Conc. Trid. *l. c. c. 18.* Et licet nō nulli ſenſerint, Deum aliquando viatori ſufficiens auxilium ſubtrahere propter aliqua admiſſa ſcelera, in quę incidit, ita vt cōuerti nequeat, &c. fatendum tñ eſt, cum cōi DD. ſententia, Deum benedictū, qui dicitur pater miſericordiarū, & Deus totius conſolationis, auxiliū ad iuſtificationē ſufficiens omnibus conferre. *Viga. lib 13. in Trid. c. 12. & 13. Zerula in praxi pænit. c. 2. q. 17. Ferrandes in theolog. mor. p. 4. c. 1. §. 1. Suarez. tom. 4. diſp. 8. ſect. 2. n. 22. Io. Carth. l. 14. hom. 10. Molf. tr. 8. c. 8. n. 284.*

QVAESTIO XXXVII.

QVAE PECCATA PRAECIPVE cauenda ſint.

QVæ ſunt peccata præcipuè cauenda, & animaduertenda? R. Ea nimirum, quæ capitalia nuncupantur, quod ſint veluti fontes, vel capita reliquorum, & è quibus velut ex corrupta radice peſtiferi planè fructus naſcūtur, & longa quaſi ſtirpe omnis generis vitia, turpitudines. ſcandala, dāna, corruptelæ, ac humani generis peſtes profluūt; ita vt ſicut in veteris teſtamenti tempore ſeptē erāt gentes, & regna, quæ filijs Iſrael ingreſſum in promiſſionis terram prohibere conabantur, ita ſeptem

sunt precipua peccatorum genera, quę filios Dei ab ingressu Regni cœlestis arcere contendunt, quorũ robur armata manu assidue cõterendum est, & vsq. ad internicionem tàm praua est exterminanda generatio, cum vnumquodq. eorum stirpem suam, & pestilẽtem genealogiam habeat, vt ex Catechismo liquet, Habet superbia filias suas, & suis non caret auaritia, & ita de reliquis: vt & virtutes primariæ his septem oppositæ, suas sortiuntur prosapias, &c. Quæ quidem peccata, vt euitentur, multa specialia sunt ẽt à Iure ciuili concessa, siquidem nulla dispositio, lex, statutũ, priuilegium, vel ẽt consuetudo valet, per quę horum peccatorum aliquod inducatur; Hinc licet in dubio delictum non pręsumatur, neq. pœna infligatur: secus tamen est, vt peccato, & periculo animę obuiam eatur, & illud auferatur, *c. Iuuenis, & ibi DD. ext. de sponf. Fed. de Senis conf.* 275. *Anchar. conf* 243. *Tuschus in v. peccatum cõcl.* 193. Et communiter in septem diuidi solent, in illaq. dictione saligia includuntur, in nomine cuiusq; peccati prima litera sũpta, vt S per quã dẽnotat superbia. A per quã auaritia significatur, & sic de singulis. *D. Thomas* 2. 2. *q.* 162. *ar.* 8. *Tolet. de 7 peccatis mort. c.* 2. *Azor. pa.* 1. *l.* 4 *c.* 12. *Io Dauid in Virid. christ. c.* 26. Porro exactior horum peccatorum capitalium excussio, & remedia, quæ aduersus ea tanquam noxias radices, ex quib. cętera pullulant, adhiberi debent, infra de articulis Confessariorũ subijciẽtur.

QVAESTIO XXXVIII.

QVAENAM DICANTVR PECCATA *aliena à fidelibus cauenda.*

QVænã peccata dicuntur aliena, quæ christianus salutis suæ cupidus declinare debet? R. Illa sunt, quæ & si ab alijs committũtur, nobis tñ imputantur, & eorum culpa in nos quoq. trãsfertur: de quibus intelligitur illud *Psal.* 18. Ab occultis meis mũda me Dñe, & ab alienis parce seruo tuo. Et illud Concilij Trid. *sess.* 14. *c.* 8. Debent Sacerdotes Domini quantum Spiritus, & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium faculta te, salutares, & cõuenientes satisfactiones iniungere, ne si forte peccatis conniueant, & indulgentius, cum pœnitentib. agant, leuissima quædam opera, pro grauissimis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur, &c. Quibus quidem peccatis nouem illis modis communicamus, qui in illis duobus senarijs continentur,

Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus,

Participans, mutus, non obstans, non manifestãs.

Atq. huc spectat Æsopi apologus de tibicine in bello capto, qui se insontem prædicabat, quod nullum occidisset, sed neq. in quemquam gladium distrinxisset, qui mox audiuit, sed ideo magis tibi moriendum est, qui cum pugnãdi sis expers, alios cẽtes ad pugnam concitas, cum ex Iure consultorum regula, Qui agunt, & qui consentiunt, pari pœna afficiendi sint. *Nau. c.* 11. *n.* 12. *& c.* 17. *nn.* 17. *&* 130. *Tolet. in summa lib.* 5. *c.* 21. *Bannes Salon. Arrag. & Val.* 2. 2. *q.* 62. *ar.* 7. *Reginal. p.* 1. *lib.* 10. *c.* 2. *Ioannes Dauid. in verid. christ. c.* 28. *Schol. ad Alc. emb.* 174.

QVAESTIO XXXIX.

QVID EST PECCATVM IN SPIRITVM *sanctum, & qua eius species.*

QVid est peccatum in Spiritum sanctũ, & quę sunt eius species? R. Est oblatam Dei munificentiam, & gratiam quæ Spiritui sancto, ceu fonti bonorum tribui peculiariter solet, ex malitia contemptim abijcere, quæ sua malitia sic diuinam excludunt bonitatem, & gratiam, vt neque in hoc sæculo nisi ægre admodum, & difficulter, neq. in futuro remittantur, cum gratiæ condonare volẽtis obsistatur: nam & quidam morbi ita incurabiles sunt non absolute, sed propter curationis difficultatem, & raritatem, præsertim si medicorum cõsilijs, & conatibus resistatur. Quæ quidem malitia nõ in eo consistit, vt quis ex habitu, & prudens rem q̃ malam esse nouit, eligat, sed in eo, vt peculiari quodã consensu ea aspernetur, quibus homines à peccato retardari solent v. g. impellitur quis ad peccatum, diuina iustitia, & seueritas illud puniens, subinde ei occurrit, & illã abijcit, vt liberius peccet, studiose impunitatem sibi promittens, iste proprie in Spiritum sanctum delinquere dicitur, *D. Thomas* 2. 2. *q.* 14. *ar.* 1. *&* 4. *D. Anton.* 2. *p. tit.* 8. *c.* 8. *Tolet. l.* 4. *c.* 7. *Arrag.* 2. 2. *q.* 83. *ar.* 7. *Valentia tom.* 3. *disp.* 1. *q.* 14. *puncto* 1. *Barrad. in concor. Euang. tom.* 2. *l.* 8. *c.* 17. *Conin. d.* 2. *de pœnit. n.* 4. *Molfes. tr.* 7. *c.* 6. *Bossignol. de discip. l.* 2. *c.* 6.

1 Eius uero sex sunt species Prima pſumptio, qua aliqui mala securitate salutem suam perdũt, dũ ad eam obtinendã solam fidem sufficere iactitãt, qua heresi Lutherani inficiũtur. Conc. Trid. *sess.* 6. *can.* 9 ad veniam. n. & gloriam consequendam pœnitentia peccati, & boni operis meritũ necessario requiritur: Cum ex veteri adagio, sine pennis volare haud possimus. In quem scopulum ẽt impegisse videtur & Origines, cum Dæmones, & omnes condemnatos semel esse saluandos dixit, Per illud, Homines, & iumenta saluabis Dñe. Et nihil odisti eorũ, quæ fecesti *Gloss. in c. fin.* 24. *q.* 2. Potest etiã huic peccato subesse error contra fidem, si solis naturę virib. quis saluari posse speret, quæ fuit hæresis Pelagianorũ, *Reg. l.* 17. *n.* 85. *Molfes. to.* 8. *l.* 8. *n.* 308. *De quo peccato dixi sup. de vitijs spei oppositis, &c. tr.* 2. *c.* 3. *q.* 22.

Secun-

2 Secūda eſt deſperatio, quādo quis ex falſa æſtimatione ꝓpter peccata, quæ admiſit, vel bona, quę omiſit, de diuina miſericordia ſpem abijcit. In qđ ſcelus inter alios lapſus eſt Iudas Chriſti proditor, cum ſalutis deſperatione cōmotus, vitam laqueo ſibi infelix abrupit. *Matth. capit. 27. capit. ſceleratior. de pœn. diſt. 3. Tol. l. c. Syl. in v. confeſſio. 1. §. 12. Vival. de cōfeſſione n. 26.* Quippe varijs modis Diabolus oppugnare ſolet, & ante quidem iniquitatis coſummationem vehementer eam in hominū oculis imminuit; cōtra vero cōſummato flagitio, illud exagerat, vt peccatorem in deſperationem inducat. Vnde ſerius, & laudabilis eſt ille quorundā iocus, qui aiunt, Dæmonē in officina vitraria aſſiduū eſſe in ocularibus ſpecillis fabricādis, quę res aliter, quàm ſint, mortalium oculis exhibeāt, minores nēpe ante peccatū, poſt illud maiores, &c. *Nig. de cur. min. p. 2. arg. 8.*

3 Tertia eſt impugnatio agnitæ veritatis, cum quis vt liberius peccet, & poſt ſuas concupiſcentias eat, chriſtianas, & catholicas veritates impugnat; Vt cum Infernum, Purgatorium, Paradiſum, Iudicium finale, & animæ immortalitatem negat, quorum cogitatio Spiritus ſancti bonitate cōcepta efficax eſt remediū, vt à peccato retrahat. *D. Thom. l. c. Holchot. ſuper ſap. c. 2. lect. 14. & 19. Aeneas Syluius qui poſtea. Pius 2. in hiſtor. Bohemiæ c. 59.*

4 Quarto contra Spiritum ſanctū peccat, qui de augmento virtutum, donorumq. Dei, quib. frater eſt conſpicuus, triſtatur, ac inuidentiæ facibus agitatur. Quod crimen non tam hominis videtur eſſe proprium, quàm Satanæ, qui Dei gratiam in homine tùm augeri, tùm conſeruari impatientiſſime fert. *D. Anton. 2. p tit. 8. c. 8. §. 1.*

5 Quinta ſpēs obſtinatio eſt, q̄ obſirmatū plane aīum adfert aduerſus recta monentē, vt nullis qđe rationibus à damnabili inſtituto ſe deflecti quis patiatur: & etiam In quadam pertinaci voluntate ad herendi peccato conſiſtit, quatenus aliquam rationē boni delectabilis, vel vtilis cōtinet, & ſi illud ſpecie bonum breue admodum, & multo felle admixtum experiatur: fauus. n. diſtillās labia meretricis, nouiſſima aūt eius amara, quaſi abſynthiū. *Pro. c. 5.* Sanè vt ſcitè dicebat Cato Maior, Malorum eſca voluptas eſt, qua hoīes capiuntur, vt hamo piſces. Vnde & Ariſtoteles admonebat, vt voluptates nō venientes, ſed abeuntes cōtemplaremur; ſiquidem, cum veniunt, animos noſtros fucata ſpecie demulcent, at cum abeunt, acerbum pœnitentię aculeum infixum relinquunt. Hinc & D. Auguſtinus in confeſſionibus *lib. 4. c. 10.* Quocunq. ſe cōuertat anima in doloribus figitur, præterquam in Deo. Remediū contra hoc vitium in mortalib. frequentius erit, ſacris Scripturis credere, & concionatoribus, confeſſarijsq. recta monentib. obtemperare. Viro. n. qui corripientem dura ceruice contēnit, repentinus ei ſuperueniet interitus. *Prouerb. c. 29. & Eccleſ. c. 3. Buſæus in arca medica in v. obſtinatio.*

6 Sexto loco impœnitentiæ peccatum præcedēti affine committitur, cum homo peccatorum ſuorū, quæ ſalutari pœnitentia expianda forent, finē, modumq. nullum facit, ac inſuper ſe nolle vmquā pœnitere proponit. Talium certe peccatorum vita, ac mors iuxta peſſima eſt, cum illi ſi non verbis, at re ipſa dicere videantur, Percuſſimus fœdus cum morte, & cum Inferno fecimus pactum *Iſaias cap. 28.* Quibus oblatam Dei munificentiam inuicta pertinacia abijcientib. illud euenict, qđ admonet ſapiēs *eccleſ. c. 10.* Cor durum habebit male in nouiſſimo. Eſt etiam hoc peccatum aliorum grauiſſimū, quia hominem omnibus remedijs ſalutis priuat; ſic etiā publicis eccleſiæ precibus, & eccleſiaſtica ſepultura ſpoliat, quia extra eccleſiæ ipſius gremium conſtituit, qđ īn publice conſtare debet, ut quod tanquā impœnitēs obierit. &c. *D. Ant. l. c. Iodocus in Theſ. theologico in v. ſepultura Molfeſ. tr. 8. c. 8. n. 314. Ioſeph. à Coſta in fer. 2. poſt dom. 2. Quadr.* Quò etiā ſpectat illa D. Bernardi ad religioſos admonitio. *Serm. 1. in Conuerſ. D. Pauli.* Nemo dicat in corde ſuo leuia ſunt iſta peccata, non curo corrigere, non eſt magnum ſi in his maneam venialib. minimiſq. peccatis: hæc eſt. n. dilectiſſimi impœnitentia, hæc blaſphemia in Spiritum ſanctum, blaſphemia irremiſſibilis; Vbi quod S. Doctor aſſerit irremiſſibilē eſſe huius culpā, qui obſtinato animo venialia peccata corrigere non curat, & velle in eis morari, uere ad Theologorum normam loquitur, qūi non remittitur peccatum veniale, quamdiu propoſitū in eo perſiſtendi perdurat; at illud non boni religioſi dictum appellare blaſphemiam, in Spiritum ſanctū, hyperbolē, & exagerationē ſapit, ut explicat. *Roſſignol. l. 2. de diſcip. c. 6. & Nigr. de cur. minim. par. 2. arg. 3. ax. 2.*

Cap. IV.

QVAESTIO L.

QVAENAM SINT PECCATA in Cœlum clamantia.

QVænam ſunt illa peccata tàm enormia, quæ in Cœlum clamantia dici ſolent? R. Sunt illa, quę præ cęteris inſignem, & manifeſtā malitiam ſecum afferunt, diuinamq. vltionem aduerſus eos, qui huiuſmodi peccata perpetrant, ſubinde accerſunt. Et ſunt quatuor, Primum eſt homicidium voluntarium; & grauiſſimum eſſe delictum hinc conſtat, quod vitā tàm excellens hominis bonum auferat, & eo grauius efficitur, ſi quis hominē

in peccato mortali existentem occidat, spatium pę nitendi pręcidens,& sic corpus,& animam perdat, nisi id ad propriam defensionem, vel iusta Iudicis sententia fiat,&c. Quod quidem grauiter vindicari illis verbis ostendit Deus, quib. Caym primum in crepat homicidā, Quid fecisti? vox sāguinis fratris tui clamat ad me de terra. *Genes. c. 4. Daur. tom. 3. flor. exempl c. 6. tit.* 40. Qua etiam ratione DD. fieri asserunt, vt interfecti hominis vulnera coram iniusto occisore cruorem emittāt, &c. *Menoch. l. 2. de arbit. Iud. casu.* 270. *Less. l. 2. de Iust. & iu. c.* 29. *dub.* 17. *Mart. Delrius l.* 1. *disq. mag. c.* 3. *q.* 4. *Ant. Thesaur. in Decis. Pedam. Decis.* 173. *Vide infra tr.* 7. *cap.* 21. *q.* 96.

2 Secundum peccatū est sodomiticū, quod adeo execrandum est, vt propterea nefandū dicatur, eo quod, Primo cum castis aurib. iniuria inferatur; de eo nefas est loqui. Secundo, quia mutos fine cōfessione in stagnum sulphuris ardentis præcipites dare cōsueuit. Tertio, quia corā Deo huiusmodi perditi homines obmutescent, nullam valentes excusationem afferre, cum contra naturæ iura tàm turpiter peccauerint. Vnde & Tertull. *in tr. de pudicitia.* scribit, libidinum furias vltra leges naturæ, nō esse delicta, sed monstra. Quod scelus qui perpetrare audent, filij diffidentiæ dicūtur, eo quod de eorum salute penè diffidendum,& desperandam sit, *c. clerici vbi Gloss. & DD. extra de excess. Prælat.* Vbi etiā notant, ex hoc delicto tres Ciuitates ex culpa, duas autem innoxias ob vicinitatem igne consumptas esse, & illi adagio locum dedisse, Qui habet malum vicinum, habet malum matutinū. *Lopez. in Schol. ad Diaz. c.* 88 *Vital in tr. de tēpest. c.* 19. *Alber. in Dic. in v. sodomia Anchar. cons* 268. *Tusch. in v. sodom. crimen. concl.* 316. *Camp. in Diuers. Iu. can. sub.* 11. *c.* 22. *& dixi infr. tr.* 7. *c.* 28. *q.* 114.

3 Tertiū peccatum est impia pauperum oppressio, quod in Exodo *c.* 22. per Dominum expressum legimus, cū ait, Viduæ, & pupillo nō nocebitis, &c. sub quibus omnes inopes, & miseri comprehēduntur, alieno indigentes auxilio, miserandi, nō opprimendi. Quod vitium diuitibus, & potentioribus familiare esse solet; solis namq. piscibus moris est, vt maior, & validior minorem deuoret. Propterea nobilium, præpotentiumq. virorū pauperib. ipsis mala est vicinitas,& societas, vt qui non desinant illos exugere, donec in nihilum redegerint: vt proinde Cardamo similes esse dicātur, cuius ea natura est, vt herbarum in propinquo nascentium humorem ad se vi quadam intima pelliciēdo arescere cogat. *Tiraq. l.* 5. *connub. n.* 34. *Scholiastes ad Alciatū emb.* 166. Eodem etiam vitio, & morbo laborant Iudices,& Magistratus, qui Orphanis, viduis, ac pauperibus iustitiam non reddunt, & acceptionem personarū habēt, vt habetur *Isai. c.* 1. *Deuter. c.* 1. *eccl. c.* 4.

4 Quartum peccatum in Cœlum clamans est iustæ mercedis operariorum fraudulēta detentio; De qua *Iacob c.* 5. Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est à vobis clamat. &c. Et sanè sacræ Scripturę solemne est, peccatorum enormitatem per verbum clamoris legenti proponere. *vt in d. c.* 5. *D. Thom.* animaduertit, ex quo loco colligit, hæc quatuor peccatorum genera. &c. Cum maxima iniquitas sit,& iniustitia, afflicto afflictionem addere, & eum qui per totum diē laboribus se fregit, noua molestia aggrauare. &c. Hinc serijs verbis inclamat Sapiens *Eccl.* 34. Qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximū suum, qui effundit sanguinem,& qui fraudem facit mercenario, fratres sunt.

Quanto ergo consultius est, opera pietatis in proximum exercere, quæ non iram, sed misericordiam in die iudicij à Domino implorent. Heu quā moderdecer ista inhumanitas christianos, quæ & apud Gentiles semper detestabilis fuit. Superauit auorū memoria cæteros mortales sæuitia Tāberlanus Scytharum Rex, qui aliquando rogatus, quid adeò sæuitiæ indulgeret, toruo aspectu respondisse fertur; An tu me hominem putas, & non iram Dei potius ad hoīum perniciem in terris agentem? Hoc quidē oppressi in sui solatium interpretari possunt, sed interim oppressores, & eorum posteritas vltricē Dei iram nō euadent; nā & inter causas ruinæ rerū publicarum, vel ciuitatum, pauperum oppressio cōnumeratur. *Daur. tom.* 3. *cap.* 6. *tit.* 42. *exemp.* 2. *Ioach. Grazius in virid. reipub. c.* 3. Quare mirandum est adeo hominem sua malitia excæcari, adeoq. in obscuris sicut mortuos sæculi collocari, vt non videat, quàm hostiliter secum ipse agat, dum lethale peccatum committit, quàmq. indigne suam ipsius animam Dei sponsam accipiat, dum eidē peccato consentiendo, plus mali sibi ipsi infert, quàm vniuersa rerum creatarum cohors inferre possit: animam .n. interficit, cum ipsius mors dicatur, mētis oculos excæcat, conscientiæ remorsū inducit, infamiā inurit, bona corporalia, vt valetudinem, & temporalia, vt diuitias, prolē, & imperia perdit, ac suo pondere ad aliud trahit, ità vt anima nō nisi speciali Dei auxilio resurgere valeat, &c. *Concil. Trid. de Iustificat. can.* 1. *Inst. in tract. de Sanitia peccati.*

QVÆSTIO XLI.

QVAE SINT BONORVM OPERVM genera, in quibus christiana iustitia exercetur.

ABsoluta breuiter priori christianę iustitiæ parte, quæ mala prohibet, & peccata declinare iubet, sequitur, vt de altera, quæ in bonis faciendis est posita, aliquid dicere pergamus, quò certā nostram

ſtram vocationem, & electionem faciamus: vnde quæro, quot ſunt genera bonorum operum, in quibus christiana hæc iuſtitia exerceretur? R. Sunt triplicia. ſ. oratio, ieiunium, & eleemoſyna: nam reliqua benefacta, quę ex una fide proficiſcuntur, & ipsã hoĩs iuſtitiam commendant, ad hos tres fontes referuntur. De quib. *Tob. c. 12.* legimus, Bona eſt oratio cum ieiunio, & eleemoſyna, magis quàm theſauros auri recondere. Suntq. hæc tria potiſſimum bonorum operum genera, ad quæ christiani in omni neceſſitate, ac ingruentib. ob peccata plagis, ſolent confugere, ſiue per famam, peſtilentiam, & bellum, ſiue per peculiarem aliquem morbum, vel alia, ſuæ iracundiæ manifeſta det argumenta Dñs Deus: oratione. n. mens ad Deum eleuatur, illiusq. ſubſidio ad eam confugitur, tamquam remedio promptiſſimo, & efficaciſſimo, quò reſurgat. *Gregor. Nyſſenus de orat. Dominic. ſerm. primo.* Nihil hoc loco dixerim, quàm ſit neceſſaria oratio nobis miſeris, qui inter vitæ huius fluctus, & pericula iactamur: illud nunc tantum ſufficiat, fieri non poſſe, vt abſq; orationis præſidio cum virtute degamus, & ſalutem æternam conſequamur. *Val. tom. 3. diſp 6. q. 2 pun. 3. Reg l. 4. c. 9 n. 69. Plat. de dignit. Card c. 10. Leſſius l. 2. c. 37. dub. 3.*

QVAESTIO XLII.

QVID SIT ORATIO, ET QVOTVPLEX, eius vis. &c.

QVid eſt oratio, & quotuplex, q̃ eius natura, & conditio? R. Diximus ſupra, orationẽ eſſe pium mentis noſtræ in Deum affectum, quo fideliter petuntur, quæcunq. nobis, & alijs neceſſaria ſunt. *D. Th. 2 2. q. 83. ar. 1. gl. in clem. 1. in v. oratione tit. de reliq. & vener. ſanct.* Quæ eſt duplex. ſ. cõis, quæ p miniſtros eccleſiæ in perſona totius fidelis populi ob aſſumptũ onus, ex neceſſitate offertur, & ſingularis, q̃ à particulari perſona voluntariè Deo porrigitur. Quæ rurſus in mentalem, & vocalem diuiditur: Mentalis eſt, quæ fit tantum interno animi affectu, quæ conſiſtit in conſideratione medio[illegible] uitæ ſpiritualis, ideſt eorum, quibus in via ſalutis æternæ dirigimur, & ad christianam perfectionem acquirẽdam promouemur; eiuſq; generis ſunt conſiderationes, vel contemplationes de Deo, & eius attributis, de peccatis, de virtutib. & vitijs, de vita, morte, & paſſione Chriſti, quatuor nouiſſimis. &c. Cuius quantum ſit bonum oſtẽdit. *D. Gregor. Nazianz.* qui ob contemplatiuæ vitæ amorem, ab epiſcopali munere ſe ſubtraxit, nihil, eo hoĩe fortunatius ducens, qui nihil rerum humanarum attingens, & cum Deo colloquens, ſuperiorem reb. in aſpectum cadentibus vitam agit, ut in Apologia de ſe ipſo teſtatur. Vocalis vero eſt, q̃ fit interiori animi actu, vt ſimul verbis externis exprimatur; nõ iſtę quæ fit tñ verbis, ſine interiori mentis, & voluntatis pia eleuatione ad Deum, reprobata per illud *Iſaiæ c. 29* vſurpatum à Chriſto Domino. *Matth. c. 15.* Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum lõge eſt à me. Huiuſmodi ſunt Pſalmorum recitatio, Roſarij, Coronæ B. M. V. &c. quæ quidem multum ad deuotionem, & christianã perfectionem acquirendam conferunt. *Tolet. l. 4. c. 10. Valen. tom. 3. diſp. 6. q. 2. pun. 5. Azor. p. 1. l. 9. c. 32. q. 1. Reg. l. 4. c. 7. n. 46. Cõbr. de Hnd. perfect. l. 2. c. 15.*

QVAESTIO XLIII.

CVI ORATIO DIRIGENDA SIT.

ORatio cui dirigẽda eſt Deo ne, an Sãctis? R. Principaliter ad Deum funditur, tãquam auctorem, & principalẽ cauſam ſupernaturalium donorum, gratiæ, & gloriæ, quæ per orationem in primis petimus: ſed Angelis, & ſanctis Cœlo perfruentibus, & per Sedem Apoſtolicam in numerũ ſanctorũ relatis: & priuata oratione ijs quoq. qui in Cœlo eſſe creduntur pòrrigitur. Pro oĩb. vero orandũ eſt, ſicut ex charitate cũcta bona deſiderare tenemur: nõ tñ pro eo, qui impœnitens deceſſit, ſiquidem orationes illi non applicantur, ſecundum cõem Theologorum ſententiam, de qua ẽ inter Iuriſtas teſtatur *Butrius conſ. 25. & Tuſch. v orationes. concl. 173.* Immò ſñ multos, & aĩæ in Purgatorio patiẽtes to gãdę sũt, tanq̃ hi ſint piè orandi, qui apud Deum pro impetrando dono, quod petimus, intercefſuri ſint. *Conc. Trid ſeſſ. 25 de inuocat. ſanctorum. Val. l. c. puncto 7. Arrag. 2. 2. q. 83. ar. 4. Leſſ. lib. 2. c. 37. dub 6. Azor. l. 9. c. 30. & ſeq. Suarez. tom. 2. de relig. lib. de orat. in cõi. Sa in v. oratio. Reg. l. c. c. 10. n. 76.*

QVAESTIO XLIV.

AN ORANDO TENEAMVR NOSTRAM cum diuina voluntate conformare.

TEnetur ne homo in ſuis orationib. ſuum votum, & deſiderium diuinæ voluntati ſubijcere? R. Quò ad partem rationalẽ animæ tenemur in terris quamuis imbelles, & exigui exactam Deo præſtare obedientiam, nihil habentes prius, quam, & diuinæ voluntati, tùm in proſperis, tùm in aduerſis, libenter, vel ſaltem patienter nos ſubdere, & noſtra, quę ad malũ per ſe pna eſt, volũtate reiecta, in diuina acquieſcere. Siquidem teſte ſapiente: *c. 12. Eccleſ* Bona, & mala, vita & mors, paupertas, & honeſtas à Deo ſunt. Vnde philoſophia apud Boet.

Sedet interea conditor altus,

Re-

Rerumq; regens flectit habenas,
Rex, & Dominus, fons, & origo,
Lex, & sapiens arbiter æqui.

Et Seneca *ep.* 108. Iraq. inquit, optimum est pati, quod emendare non possis, & Deum, quo auctore cuncta eueniunt, sine murmure comitari. Quippe, vt exclamat. *D. Bernard. serm.* 3. de Resurrect. Dñi, Volũtas nostra est lepra pessima, eoq; perniciosior, quò magis interior, subdens, quod in Inferno n hil ardet, nisi propria volũtas. Et alibi ait, Necesse esse consensum nostrũ diuinæ subijcere voluntati, si pacem ęternam, si pacẽ desideramus habere pręsentẽ, Atq. ideo totius perfectionis summa in eo cõsistere videtur, si voluntas nostra diuinæ subiecta sit volũtati; quare sicut agricola vites, quia infimæ sunt, & multum crescere solent, ne errabũdæ per terram fundantur, ac pereant, vlmis adiungunt; sic homo suam voluntatem ad diuinum placitum accommodare debet, ne inter mũdanas varietates incõstãs, ac instabilis inueniatur, &c. *Arrag.* 2.2.*q.* 83.*ar.* 7. *Medina de oratione q.* 12. *Reginal. l.* 4. *cap.* 10. *n.* 81. *Molfes. tr.* 1. *c.* 2. *n.* 96. *Fab. Iust. super Tob. c.* 3. *vers.* 6. *docum.* 3. *Scortia de sacr. Missæ l.* 4. *ca.* 22. *Carbo in orationis Dom. exposit. c.* 28. *D. Doroth. doctr.* 7. *Blosius in append. ad institut. spirit. c.* 1. *Roder. de perfect. christ. p.* 1. *tr.* 8. *c.* 1. *vsq. ad cap.* 34.

QVAESTIO XLV.

QVAENAM SINT EFFECTVVM orationis impedimenta.

QVæ sunt Impedimenta, ob quæ oratio finem suum non consequitur, nec quod à Deo petit, impetrat? R. Tria sunt pręcipua. Primo infidelitas, cum. s. ille qui postulat, non habet fidẽ, qđ obtinere debeat. *Iacobi c.* 1. Vnde, & Seneca in Hipp. Qui timidus rogat, negare docet. Secundo iniustitia ex parte orãtis, vt cũ iniusta, vel iniuste rogat, & cum ab eo illa petũtur, quę potius obfutura, quàm pro futura sunt. Quò spectat illud Catonis;

Quod iustum est, petito, vel qđ videatur honestũ. Tertio impatientia, dum in oratione non persistimus, & nobis non constamus. Rogatus B. Aegidius D. Francisci socius cui similem existimaret eũ, qui ab orando desistit ingruentibus mentis distractionibus, fugienti è prælio respõdit; pugnamus namq; In oratione contra hostes nostros. s. mũdum, carnẽ, & maxime Satanam, qui propterea orantes propositis variarum rerum imaginibus perturbat, vt merito. *D. Chrisost. super Ps.* 116. dixerit, Si magnum aliquod donum Deo offerre volumus, nihil habemus laudatione maius, nihil laudatione difficilius interrogatus B. Agathon. cuinam spiritualium actionum plus laboris inesset, respondit, precationi, quia dum illi intendimus, maligni spiritus se nobis plurimum infestos reddunt. *Mart. Delrius tom.* 1. *disq. mag. l.* 2. *q.* 28. *sect.* 3. *Daur. tom.* 1. *exempl. c.* 2 *tit.* 14. *Surius in vita B. Aegid. c.* 23. *de oratione. Lud. de P. p.* 1. *de perfect. tr.* 3. *c.* 13. An autem oratio voluntaria sine attentione facta mortalem culpã constituat, dicemus suo loco loquendo de horis canonicis, interim videri poterit. *Sot. l.* 10. *de Iust. & iu. q.* 5. *art.* 5. *in fine Nau. de oratione. c.* 21. *n.* 41. *Regin. lib.* 4. *c.* 10. *sect.* 5. *nu.* 85. *Val. disp.* 6. *q.* 2. *puncto* 9. *Rossignol. de discip. chris. perfect. lib.* 4. *c.* 23. *Lessius lib.* 2. *c.* 37. *dub.* 2. Illud tantum nunc non prætereundũ videtur, quod cum quatuor orationis numerentur effectus, videlicet meritum, satisfactio, impetratio, & spiritualis animæ refectio, quos bene orans consequitur: siquidẽ oratio quatenus actus bonus, meritoria esse potest, quatenus vero pœnalis, satisfactoria pœnæ pro peccatis debitæ; at ex ea parte, qua petitio quædam est, impetratoria esse potest; pro primo effectu assequendo actualis ut plurimũ attẽtio requiritur; attentio. n. est deuotionis mater, & deuotio delectationis, iraq. si quis non habet matrem, non habebit filiam. *Vigner. in Instit. theolog. c.* 5. *§.* 5. *vers.* 11. *Angles. de oratione q.* 5.

QVAESTIO XLVI.

QVID SIT IEIVNIVM, ET QVOTVPLEX, & cur institutum.

QVid est ieiunium, & quotuplex, qui eius effectus, &c. R. Nomẽ ieiuniũ, dicitur a ieiunio intestino, quod semper est vacuum; & est abstinentia ciborum secũdum ecclesiæ ordinationem: nam quadruplex à Doctoribus ieiũnium constituitur, videlicet Spirituale, cum homo à culpis, & peccatis abstinet, quod Christi fideles semper obseruare tenentur, admonente sapiente *eccles. c.* 21. Tanquam à facie colubri fuge peccata. *c. ieiunium. de consec. dist.* 5. *D. Bernard. serm.* 3. *Quad.* Secundum est philosophicum, & est illa cibi, ac potus parsimonia, moralisq; sobrietas, qua temperare etiã ab Ethnicis secundũ rectam rationẽ viuitur; de quo loquebatur Plato dicẽs, In die aut semel comedat ut parce, aut bis parcissime. Qua tñ in re cum temperantię virtus in indiuisibili non consistat, vniuscuiusq; corporalis cõstitutio, & naturales vires expẽdẽdæ erũt, &c. *c. nõ mediocriter, vbi Turrerem. & Archid. de consec. dist.* 5. *Con. l.* 4. *var. resol. c.* 20. *n.* 11. *Medina C. de ieiunio q.* 12. Tertium est naturale, & est omnimoda abstinẽtia à cibo, & potu quantumuis minimo, quale ad Eucharistiæ sumptionem requiritur, *c. ex parte ext. de celeb. Miss. c. liquido. de consec. dist.* 2.

Quartum ieiunij genus est ecclesiasticum, vt eũ ob certũ ecclesiæ morem, atq. præceptũ, certis diebus,

bus,& carnis eſum nobis ſubtrahimus, & vnica tantum refectione contenti ſumus *c. deniq. diſt. 4. Abb. in rubr. ext. de Ieiunio. Conc. Trid. ſeſſ. 25. de delectu ciborum. D. Thomas 2. 2. q. 147. ar. 3. vt etiã tradidimus infra tract. 8. c. 6. q. 13.*

Porro ob quatuor potiſſimum cauſas aſſumi debet (vnde,& eius effectus innoteſcit,) Primo ad ſatisfaciendum pro peccatis. Secundo ad reprimendas carnis concupiſcentias,& eius ſuperbiam terendã. Tertio ad mentem in Deum eleuãdam. Quarto ad æternam gloriam conſequendam. Hinc dicimus, diuerſis intentionib. ieiunari, quæ hoc carmine continentur, *Abſtinet æger, egens, cupidus, gula, ſimia, virtus:* æger ſcilicet, quia ob proſtratum appetitum comedere nequit; cupidus, ne expendat, gula vt poſtea auidius comedat; ſimia, ideſt hypocrita, vt laudetur, virtus ideſt virtuoſus, vt mereatur,& Deo ſatisfaciat,& alios ieiunij fructus aſſequatur. &c. Ad quod perficiendum tria neceſſario exiguntur. Primo abſtinentia ciborum certi generis, vt à carnib. & in Quadrageſima ab his etiã, quæ ſementinam carnis originem trahunt; at in alijs dieb. locorũ mos obſeruandus eſt. Secũdo vnica comeſtio, quamuis ſe totinum ientaculum moderatum ſumere liceat, & ex cauſa ipſo ientaculo mane vti, prandio in veſperam dilato. Tertio certa refectionis hora, vt. ſ. ante meridiem, vel horam nonam non comedatur.

Tres quoq; potiſſimum cauſæ ab eadẽ ieiunij lege excuſant, impotentia, neceſſitas,& maius bonũ. Ieiunium tñ à Summo Pontifice indictum ad effectum Iubilej Indulgentiã conſequendã, ſeruandũ eſt, et ſi aliàs ab eccleſiaſtici ieiunij lege homo excuſaretur, nõ. n. illud opus præcipitur, ſed illud implenti Indulgentia liberaliter cõceditur. At ipſius Papæ facultate non valentib. hoc præſtare, in aliud pium opus commutari ſolet. *Nau. c. 21. nu. 47. Tolet. l. 6. cap. 2. Angles q. de ieiunio. Azor. par. 1. lib. 7. c. 9. & 10. Valent. tom. 3. diſp. 9. q. 2. p. 2. Leſſ. l. 4. c. 2. dub. 2. Reginal. p. 1. l. 4. c. 13. Menoch. de arbit. iud. l. 2. cent. 6. caſu 599. Graff. l. 2. deciſ. c. 37. Nald. in v. ieiunium. Camp. rub. 7. c. 6. num. 148. Et de hac materia fuſius agetur infra de præceptis eccleſiæ tract. 8. c. 6.*

QVAESTIO XLVII.

QVID SIT ELEEMOSYNA, & quotuplex.

QVid' eſt eleemoſyna,& quotuplex? &c. R. Eſt actus charitatis erga proximum, quo alterius indigentiæ, & miſeriæ ex compaſſione ſubuenimus. Huc. n. ſpectat, qđ apud *Tob. c. 12.* Raphael Angelus teſtatur. Bona eſt orõ cum ieiunio,& eleemoſyna, ut intelligamus, ſicut admonet *D. Cyprianus ſerm. 1. de eleemoſyna*, orationes noſtras, ac ieiunia minus poſſe, niſi eleemoſynis adiuuentur, oratione. n. mens ad Deum eleuatur, illiuſq. ſubſidio ad ipſum cõfugitur; vt autem ipſa oratio alacrior, & fortior ad impetrandum ſit, vtrimq, tanquã pro prijs fulcris ieiunio, atq. eleemoſyna ſuſtentatur. Qua ratione in Indulgentijs, & Iubilæis acquirendis hæc tria ſemper coniunctim præcipiuntur, nam quemadmodum Magi Chriſto Dño aurum, thus & myrrham obtulerunt. *Matt. c. 2.* Ita nos myrrhã ieiunij offerimus, quod eſt carni amarum, aurum eleemoſynæ, qua pauperis neceſſitas ſubleuatur,& thus orationis, qua Deus colitur,& placatur. Imò hæc tria pœnitentiæ opera, nõ eo ſolo noĩe fructus cenſentur, quod debita noſtra perſoluant, ſed etiã quod per eadem in oĩbus, quæ ad perfectum hoĩs ſtatum ſpectãt morum noſtrorum reformationem obtineamus, ieiunia. n. & aliæ corporis afflictiones nos in nobis ipſis reformant, eleemoſynæ, & opera miſericordiæ quò ad proximos, oratio denique,& cultus diuini opera, in ordine ad ipsũ Deũ nos perficiunt. *D. Th. 2. 2. q. 32. ar. 1. vbi Bannes, & Arag. Zerula in comment. in Bul. Indict. & anni S. ſub Clem. 8. Io. David in verid. chriſt. c. 33. Lud. de Pon. p. 1. tract. 3. c. 10. §. 2.*

Nec dubium, quin eleemoſynam dare ſit miſericordiæ actus, à charitate imperatus, iuxta illud, *D. Io. 1. c. 3.* Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi,& uiderit fratrem ſuum neceſſitatẽ habere, qño charitas Dei manet in illo? Quod ẽt ex ipſius noĩs notione ſatis conſtat, ſiquidem eleemoſyna græca vox eſt,& latinè miſerationem ſignificat.

Quæ virtus ẽt quatenus eſt naturalis affectus in animalia, vel rationis expertia cadit, nam legimus Aquilam adeò beneficam, ac piam eſſe, ut prædã captã, alijs auib. egẽtib. impertiat. Vnde ipſa cũ hoc lẽmate inſcripta; Hoc habeo, quodcũq. dedi; liberalis, ac miſericordis hoĩs ſymbolũ agnoſcit. *Aldr. l. 2. de auib. Io. à S. Gem. l. 4. de ſimil. c. 25.* Põt inſup eleemoſyna actus eſſe iuſtitiæ, quatenus ad ſatisfaciendum pro admiſſis culpis erogatur, teſte Daniele c. 4 dicẽte, Peccata tua eleemoſynis redime. &c. Vnde & aliqui volunt, eleemoſynam dictam eſſe ab ely, quod eſt Deus,& moys, quod eſt aqua; quia ita extinguit peccatum, ſicut aqua extinguit ignẽ. *gl. & Arch. in c. qui vult. de pæn d. 3.* Et hoc modo inter opera ſatiſtactionis a Dctorib. conſtituitur, quia namq. peccata & nobis,& proximis detrimentum, Deo uero iniuriam inferũt, par eſt ſatisfactionem noſtram nobis pœnam, proximis commodũ, Deo uero ipſi honorem afferre. Et propterea Chriſtus Dñs illud aperte extulit *Oſeæ c. 6.* Miſecordiã volo,& non ſacrificium, ſignificans, ſibi magis placere, ſi ex charitate ſibi in ſuis pauperib. ſubueniatur,

tur,

tur, quàm si externis facicificijs coleretur. &c.

Eleemosynę tria sunt genera, una corporalis, egenti dare, quidquid dari potest: altera spiritualis, iniurias illi condonare, à quoquis læsus est. Tertia delinquentes corrigere, & errantes in uiam ueritatis reducere. *c. tria. d. 45.* Sed ab alijs euidentius, cũ homo ex anima, & corpore constet, atq; proinde duplici subsidio indigeat, septem opera eleemosynæ, vel misericordiæ corporalis, & septem spiritualis assignantur: Prima in illo carmine cõtinentur,

Consule, solare, castiga, remitte, fer, ora.

Posteriora uero illo concluduntur,

Visito, cibo, poto, redimo, tego, colligo, condo.

D. *Thom. & Bannes 2. 2. q. 32. art. 2. Archid. in d. c. tria. Medina. C. de eleemosyna. q. 1. Arzor. p. 2. l. 12. c. 7. & seqq. Reg. p. 1. l. 4. c. 19. num. 241.*

Et licet prima sint nobiliora, sicut anima dignitate corpus antecellit, secunda tñ vt plurimum magis necessaria sunt; vnde cum cætera paria nõ sunt, in aliquo particulari casu occurrente magis, & potius pascẽdus est fame moriturus, quàm informandus, & instituendus. Nam inter cæteras necessitates nulla sæuior est, quàm fames, q̃d dr̃ gladius acutissimus; & prouerbio veteri effertur, ventrem auribus carere, & asinum esurientem fustem negligere, propterea quod vbi de fame agitur, honestæ & rationes non admittuntur. *D. Th. d. c. art. 3. D. Ant. in 4. p. tit. 5. c. 18. §. 6. Arrag. 2. 2. q. 86. ar. 3. Franc. Marc. in decis. q. 290.*

QVAESTIO XLVIII.

QVINAM SINT ELEEMOSYNAE FRVCTVS.

QVinam sunt fructus, & effectus, eleemosynę? R. Tres præcipui. Primus est peccatorum remissio. *Danielis c. 4.* Siquidem vtraq; eleemosyna tàm spiritualis, quã corporalis effectu spirituali donatur, quia si propter Deum fiat, maximè ad obtinendam peccatorum remissionem prodest, vt ꝑpterea D. Aug. *serm. 76. de tempore.* eam sẽi baptismum appellet. Quod tñ intelligendum est, non q̃d ex opere operato, vt Theologi loquuntur, culpas abstergat, sed quod singulari modo inter alia bona opera ad diuinam gratiam suscipiendam hominẽ disponat. &c. Vnde & illis Christi verbis. *Luc. 16.* Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. &c. satis indicatur, peccatores pauperum precib. quib. eleemosynam erogarint, summopere adiuuari, vt à peccatis resurgant. Hinc. n. secundus cõsurgit effectus, vt qui eleemosynam tribuunt, multos amicos, & intercessores apud Deum sibi comparent. Qua ratione Ioan. Eleemosynarius pauperes suos dominos, & adiutores in episcopali onere vocabat; nẽpe propter eorum preces, quas apud Deũ pro eo fundebãt. Amadeus Sabaudiæ Dux cum à quibusdam Legatis esset interrogatus, an venaticos canes haberet, ingentẽ pauperum turmã ostendit, dicẽs, Isti sunt canes, quos quotidie pasco, & quibus Cœli gloriam me venaturum spero. *Gloss. in c. non est putanda 1. q. 1. Peraldus tom. 1. de iust. c. 4. Gennuensis Man. Past. c. 49. Daur. in flor. exem. tom. 4. c. 7. tit. 1. exemplo. 21. Fab. Iustinian. super Tob. c. 6. vers. 11.* Tertius effectus est temporalium rerũ multiplicatio, vt his verbis docet Sap. *Prouerb. c. 3. & 19.* Honora Dominum de tua substantia, & implebũtur horrea tua saturitate, &c. Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis; vt propterea D. Basilius in oratione ad diuites eleganti similitudine diuitias puteorum aquis comparauerit, quę si frequenter hauriãtur, semper meliores, & copiosiores scaturire solẽt, si verò immotę cõseruẽtur, decrescũt, atq; putrescũt. Vnde, & eleemosynæ largitio non minuit opes, sed auget, iuxta illud,

Non eleos bursam minuit, nec missa dietam.

Et olim eleemosynam faciẽs velo oculis obductis, & cum lucerna in manibus pingebatur, vt ostenderetur, inanem gloriã ab eo declinandã, nec ob stipẽ datã eius res diminui, sicut nec lucerna alias accendendo detrimentum patitur. Cæsar Ripa in *Iconologia.* D. Ambros. *lib. 2. de off.* Scio, inquit, plerosque Sacerdotes, quò plus contulerunt, eo plus abundasse. Imò ex D. Hieronymi sententia super *Ezechiel. cap. 16.* penutiæ, & fames ex eo proueniunt, quod pauperibus non subuenitur. Et confitentur Sagæ nihil maleficij posse illis inferri, qui eleemosynis vacant. Et vt pij scriptores tradunt, tribus potissimum medijs bonam mortem paramus. Primũ est bona vita, nã ex D. Aug. nota sententia, Nemo mortuus est male, qui bene vixit. Secundũ frequens, ac studiosa orõ, vt felix vitę exitus cõtingat. Tertiũ est eleemosyna, & misericordię opꝰ, cũ beati misericordes prædicentur, &c. *Matth. cap. 5. Alph. Torres de Iusti. Sacerd. p. 2. tit de eleemosyna. Bellens de Sacerd. l. 2. cap. 6. Martinus Delrius l. 3. disq. mag. q. 7. Ioseph. à Costa fer. 2. post do. 2. Quad.*

QVAESTIO XLIX.

QVOMODO ELEEMOSYNA DANDA SIT & quando sub præcepto cadat.

QVę ratio in porrigenda eleemosyna obseruãda est, & quando nã ad illam dandam fideles ex præcepto tenentur? R. Primo requiritur, vt recta intentione erogeĩ, hilariter, & volũtarie; modus. n. speciem actui imponit, nec sufficit bonũ agere, nisi etiam bene fiat; vnde si quis ob vanam gloriã, vel importunis precib. victus, vel nimis tarde, illam exhibeat, rem, & meritum amittit. Hinc

Fabius

Fabius Verracosus beneficium ab aliquo inuite, & aspere collatū panē lapidosum vocabat. Et bis dat, qui libenter cito datur. *c. quiescamus. d. 42. c. odi. d. 24.* Hinc quidam philosophus dicebat, nos in vltione Grauipedes, & in beneficijs Delphinos esse debere, Sententia sanè christiano homine digna; Grauipes. n. animal est, teste Plinio, tardissimū, Delphinus vero velocissimo motu natat, quales simus oportet, qn̄ egētes in quib. tanquā in suis membris Chrs splēdescere voluit, amore amplecti velimus. Secundo eleemosyna de propria substātia, & nō de aliena dāda est, & ab his q̄ sui iuris sunt, nisi alij à superiore expresā, vel tacitā facultatē habeāt. *Prou. c. 3. Tol. de 7. pec. mort. c. 28. & Azor. p. 2. l. 12. c. 10. Reginal. l. 4. c. 21. Baron. tom. 11. anno Dom.* 1024. Tertio ordinatè, & ex charitatis norma fieri debet, *c. non satis. d. 86. Bānes, & Arrag. 2. 2. q. 32.* Addūt alij in vita, & ante mortē erogandam esse; tutior namq; est via, vt bonum, quod quisque post mortem suam sperat agi per alios, agat ipse dum viuit p se. &c. Nec vt D. Lucia dicebat, satis Deo charus est, qui illi hoc dat quod secū ferre nō pōt. *D. Greg. l. 4. Dialog. c. 58. Molan. de pȳs te st. ca. 43. Peral. de iust. tom. 1. c. 7. Iustin. super Tob. c. 4. versi. 9. doc. 2.*

Cum inter Doctores non satis conueniat, quando mortaliter peccet, qui eleemosynam non præstat, non facilè condemnandi sunt diuites, qui id non faciunt admonendi tñ sunt, ut pietatis operib. quam maximè possunt, incumbant, ne in die iudicij illam sententiam excipiant: Ite maledicti in ignem ęternum. Cōmunis tamen & in praxi recepta illa videtur opinio, quæ sentit, in duobus casibus eleemosynę præceptum sub pœna peccati mortalis obligare. Primo quando quis habet superflua naturæ, & eleemosynam petens extrema necessitate conflictatur. Secundo qn̄ quis ea habet, quæ naturæ, vel vitæ, ac statui suo superfunt, ēt si pauperes non in extrema, s. d in graui, uel notabili necessitate sint constituti: ita ut probabilis aliquibus uideatur illa Alberti Magni sententia, qui in 4. *d. 15. ar. 16.* præceptum de eleemosyna facienda ad illud Decalogi reuocat, Non furaberis, qm̄ furti genus esse censetur, pauperib. de superuacaneis reb. non tribuere, quod eis debetur. Huc. n. spectant & illa D Ambr. verba *serm.* 81. Non minus, inquit, est criminis, quàm habenti tollere, cum possis, & abūdes, indigentib. denegare. Vnde ēt eleemosynam reddēs pauperi, qđ suum est reddere dicitur, nā ēt huc tendit illud Dauidis *Ps.* 111. Dispersit, dedit pauperib. iustitia eius manet in seculum seculi, cum. n. largitatem pauperibus impensam præmisisset, non hanc vocare misericordiam, sed iustitiam maluit, quia q̄ à cōi Dn̄o tribuitur, iustum profectò est, vt qui accipiunt, eo cōiter vtantur vt ait D. Greg. 3. *past. cur. c.* 22. Cui suffragatur B. Clemens relatus in *cap. dilectissimis. 12. q. 1.* dum ait, Cōis vsus oīum, quæ sunt in hoc mundo, oīb. esse debuit, sed per iniquitatem alius hoc dixit esse suum, alius istud, & sic inter mortales facta est diuisio. *Bisfeld in enchirid. theolog. past. de decem præceptis. c. 3. Less. l. 2. c. 12. dub. 12. Azor. p. 2. l. 12. c. 7. Regin. p. 1. l. 4. c. 20. Sà. in v. eleemosyna. Molf. tom. 1. tr. 1. c. 16 num. 4.*

Qui non habet, quod in stipem eroget dandi tamen voluntatem habet, perinde meretur, ac si reuera dedisset, iuxta illud *D. Aug. super Ps.* 103. Si tu potes dare eleemosynam da, si non potes, affabilē te fac. s. per consilium, & compassionem, coronat. n. Deus intus voluntatem, vbi non inuenit facultatē. Iustus ait vates regius *Ps.* 36. tota die miseretur, & commodat. vbi *glos.* subdit, semper est iusto aliqd quod det, saltem orationem. Quare nulla fidelium admittitur excusatio; nam si q̄s multū tribuere non valet, parum tribuat, & si temporalib. careat, spiritualia libenter largiatur. D. *Doroth. serm.* 14. *Lud. de Pon. de christ. hominis perfect. p. 1 tract. 3. c. 12. Nald. in v. eleemos. n. 8. Forn in Instit. confess. lib. 2. tract. 2. c. 9.* Vnde his trib. pœnitentiæ operib. oratione, ieiunio, & eleemosyna, excellens illa sanctitas, & vitę perfectio obtinetur, quam Propheta Micheas. *c. 6.* commendauit dicens, Indicabo tibi homo, quid sit bonum. &c. quib. uerbis consulit, ut in oī genere spiritualis boni, honesti. s. vtilis, ac delectabilis, homo bonus euadat, & det operam, vt Primo ieiunium recti Iudicis spiritu exerceat, cuius mun⁹ est delicta punire, & efficere, vt leges seruent. Secundo vt dando eleemosynā misericordię mēna uiscera erga proximum induat. Tertio ut filiali affectu sollicitus cum Deo ambulet, accurrēs ad oīa, quę ipsius obsequiū exigit. &c. Porro beneficentiæ, ac eleemosynæ symbolū est Aquila, *vt sup. dixi*, q̄ teste Plinio, tanta liberalitate à natura prædita est, ut prædam captam sola non comedat, sed auibus sequentib. eam cōem exponat. E conuersò uerò Vultur ignobilis, & auari cordis auis, quæ rapit, sibi soli retinet. &c. *Io. à S. Gem. l. 4. de similit. c. 25.*

CAP. V.

QVAESTIO I.

QVAE SINT VIRTVTES CARDINALES, cur sit dicta, & quid vnaquaq; sit.

QVot sunt virtutes Cardinales, quare sic dicūtur, & quid vnaquaq; est? R. Quatuor sūt, prudentia, iustitia, temperātia, fortitudo, sic dictæ quod oēs aliæ virtutes in his velut cardinib. versentur, quibusq; vniuersa boni operis structura innititur, vocantur ēt officiales, quod in his oīa vitæ nostræ officia iūn cuiusq; vocationem deri

uen-

uentur. *D. Ambl. l. 1. off. & Perald. de virt. tom. 1. c. 1.*

PRVDENTIA QVID SIT,

PRudētia est virtus, quæ quid expetendū, quid fugiendum hoī sic ostendit, De qua Saluator noster. *Matth. c. 10.* Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. *D. Ant. in 2. p. tit. 2, c. 4. Holchot. super sap. c. 6. lect. 74. Paul. Carrar. de regul. Iu. can. q. 4. ar. 2. q. 4.* Quæ diffinitio christianæ prudentiæ conuenit, ad quam spectat docere, quænam humanæ vitæ conferunt, ut ad Deum vltimum finem tandem perueniamus. Est, n, illa, quæ hominem quòad Deum, ad se ipsum, & proximū bene ordinat, ac dirigit, ac ne labatur regit, vnde est illud,

Non de ponte cadit, qui cum prudentia vadit.

Quæ quidem virtus tanquam in subiecto in intellectu practico, & in ratione consistit, in qua ex præterito, & futuro fit in præsens tps collatio. Ideo prudens dicitur porrò. i. vltra videns, cuius symbolum apud antiquos erat Iani figura, qui biceps pingebatur, siquidem prudentis est, præterita ad memoriam reuocare, præsentia disponere, & futura præuidere. Vnde & Antisthenes dicere solebat, Sapienti, ac prudenti nihil esse nouum, aut subitum, & quod quidquid in humanis accidere potest, ante sit præmeditatus, vt numquam dicat, Non putaueram. Proinde hanc virtutem augent, Primo consuetudo cum eruditis viris, nā ex Menandri sententia,

Sapiens eris, sapientibus sæpe assidens.

Secundo frequens librorum, præcipuè historicorū lectio. Tertio obseruatio casuum, qui in dies succedunt, quandoquidem,

Præteriti ratio scire futura facit,

Huius vero virtutis morus arbor symbolum extat, q. n. arborū postrema floreat, & nō nisi exacta penitus hyeme germinet, denotat, q vir prudens nullo in negotio præpostere festinat, nec consilia præcipitat, sed in conficiendis reb. commodam occasionem præstolatur. Eius ēt typus est formica, quæ in futurum prospicit, cuius in Prouer. c. 6. fit mentio, De qua materia præter ea, quę diximus supra, *tr. 1. c. 10. q. 59. vide D. Th. 2. 2. q. 47. a. 4. & Less. l. 1. c. 1. dub. 1. Viguer. in Instit. Theol. cap. 4. Cassian. collat. 2. cap. 4. Rossign. de discip. christ. perfect. l. 3. cap. 9. Schol. ad Alciat. embl. 18. Scalab. in Moral. in Pass. Domini. Mor. 25. cap. 1.*

IVSTITIA QVID SIT,

IVstitia est constans, & perpetua volūtas ius suū vnicuiq; tribuendi, sic dicta, qđ ius, hoc est ęqualitatem statuat. Quæ in genere sumpta oīum virtutum cumulum designat, vt is iustus dicatur, qui est oīum virtutum genere ornatus, de qua Arist. in 5. Eth. dixit,

Iustitia in se se virtutes continet omnes.

& in 1. Polit. Sicut homo perfectus est omniū animalium optimus, ita à lege, & iustitia separatus, est oīum pessimus. In quo sensu extat illud sapientis. *Prou c. 16.* Initium vitæ bonæ facere iustitiā; & Saluatoris N. *Matth. 5.* Nisi abundauerit iustitia vrā. Ad cuius officium illud quoq; Apostoli præceptū spectat ad Rom. *c. 13.* Reddite oībus debita, cui tributum, tributum, cui timorem, timorem. &c. Vnde & D. *Bern. de Aduen. serm. 3.* cum dixisset, iustitiā ius suum vnicuiq; tribuere, & diuinæ sedis esse preparationē, statim addit, Tribue ergo trib. quæ sua sunt, redde superiori, redde inferiori, redde æquali, cuiq; quod debes, Redde reuerentiam Prælato, & obedientiam, quarum altera cordis, altera corporis est. Sic & fratrib. nostris inter quos viuimus ipso iure fraternitatis, cōsilij sum⁹, & auxilij humani debitores. Porro si cui Prælatus es, exigit à te custodiam, vt possit cauere peccatum, disciplinam vero, vt quod minus cauet, non impunitum maneat. Quod si nemini fratrum præesse videris, habes tñ sub te corpus tuum, cui custodiam hanc, & disciplinam exhiberi oportcat, vt non regnet in eo peccatum, & vt faciat dignos pœnitētiæ fructus. hæc ille.

Ad hanc virtutem tria ēt illa officiorum genera spectant, quæ, ut etiam supra de eleemosyna dixi *cap. 4. q. 49.* iustum, & perfectum hoīem reddunt, quæ Michæas illis uerbis expressit, cū *c. 6.* ait, Indicabo tibi homo, quid sit bonum, & quid Dñs requirat à te, vtiq; facere iudicium, & diligere misericordiam, & solicitum ambulare cum Deo tuo. Quorū vnum ad Deum, alterum ad proximum, tertiū ad se ipsum refertur, ut patet v. g. in debito precū, uel diuino officio à clerico beneficiario, vel in sacris constituto rectè persoluendo, quod officium cum explet, Deo in primis, deinde proximo pro quo orare debet, tandem sibi ipsi satisfacit. &c. *arg. Tol. lib. 5. c. 1. num. 2.*

Iustitia vero particulariter sumpta in tres partes diuiditur. 1. in legalē, per quam ita hoīes afficiuntur, ut ab his abstineant, quib. cōe bonum tollitur, & ea faciant, quæ idem bonū conseruant. 2. in distributiuā, quæ in Principe, vel Superiore, & publica persona residet, quę ciues debitis pręmijs, vel pęnis pro meritorū ratione afficere debet. Cui illud potissimum uitium aduersatur, quod personarum acceptio dicitur, reipubl. teterrima pestis. 3. in commutatiuam distinguitur, quæ uersatur in contractib. & in ęqualitate rei ad rem, ut tantū detur, quantum est debitum, uel promissum, tātum restituatur, quantum est ablatum, tanti res ematur, vel uendatur, quanti ualet. &c. Quam quidem iustitiā quilibet de necessitate salutis seruare tenetur, iuxta il-

ta illud, *Ps. 16* Ego autem in iustitia apparebo con spectui tuo. Hinc & Iuristæ dicunt, iustitiã cæteris virtutib. anteponendam esse, quia colere iustitiam est summum bonum, & auferre iustitiam est contra ius naturale, cui Principes derogare nequeũt, propterea si aliquid concedant, siue per uiam priui legij, seu rescripti, uel gratiæ, in præiudicium tertij concedere non præsumuntur. *Fed. de Senis. cõs. 17. Tusch. verbo. Iustitia. conclusione.* 1135. *&* 1140. Quando uero iniustitia cõmittatur, & quale pecca tum sit. *videndus Iauel. de christ. iustit. tract. 5. c. 5. & Caiet. in summa. in ver. iniustitia. Lud. Carbo. de restit. q. 1. Doct. in l. 1. ff. de iust. & iur. & in §. 1. Inst. ciuil. eod. tit. D. Thom. 2. 2. q. 58. ar. 1. & q. 62. a. 2. vbi Salon. Arrag. vide à nobis tradita tr. 10. c. 1.*

Huius uirtutis symbolum apud Ægyptios erat hirundo, siquidẽ mira filios alit æqualitate, singulis cibum parem impartiens, ea adhibita diligẽtia, ne q semel acceperit, bis capiat, atque ita vt par sit oĩum portio, procurat. *Pier l. 22. Hieroglyph. Tiraquel. de iure primog. in præfat. nu.* 44.

TEMPERANTIA QVID SIT.

Temperãtia est illa moralis virtus, quæ carnis voluptates rõne moderat, & cib. potus, rerũq; venerearũ cõcupiscentias coercet: eius. n. tres sunt species, nempe abstinẽtia, seu ieiuniũ, sobrietas, ac castitas. *D. Th. 22. q. 141. ar. 3. & 4. & Arist. in 4. Eth. c. 10.* vbi tradit, delectationes corporis in qb. moderandis tẽperantia uersatur, hoĩ cões esse cum belluis, ac propterea nihil in ijs esse ingenuum, & nobile, sed potius ex genere suo esse maximè seruiles, ac ferinas, quia eas homo percipit, non qua homo est, sed qua est animal, ex quo addunt, & uerè intemperantiam cuiuis homini esse maximè exprobrabilem, ac fœdam. Propterea ad castitatẽ, & sobrietatem adeò sacra Scriptura, nos hortat cum *Prou. c. 22.* dr, Qui diligit cordis munditiã, habebit amicum Regem. & *Eccl. c. 31.* & 37. Sanitas est animę, & corpori sobrius potus. Qui abstinens est, adijciet sibi uitam. *Et D. Apost. Paul. ad Rom. 13.* iubet à comessationibus, & ebrietatib. à cubilib. & impudicitijs, quæ sunt opera tenebrarum, abstinere. Et cum sobrietas, & uigilantia uirtutum oĩum seruatrix sit, & ad illam capescendam sacra Scriptura, & vt dixi, Apostolus hortetur, idcirco in Rom. Eccl. receptum est, ut in Completorio horarum canonicarum à clericis canatur, Fratres sobrij estote, & vigilate. &c. *Io. Longhecruc. de honest. cler. l. 2. c. 18. Gisbert. de vit. eccles. c.* 34.

Proinde Epictetus duo esse oĩum grauissima uitia dicere solebat, nempè incontinentiam, & impatientiam, quarum alterum tunc locum habet, cum ab his uoluptatib. non abstinemus, à quib. est abstinendum (triplex. n. à Lactantio constituitur uirtutis gradus, primus est, à malis operib. abstinere, alter à malis uerbis, tertius à rerum prauarum cogitatione.) Alterũ uitium est, cum iniuriæ non tolerantur, quæ tolerandæ sunt, nec aduersos casus, uel labores, quis non æquo animo fert. Vnde duob. uerbis ipsi philosopho familiarib. Sustine, & Abstine, tota bene uiuendi ratio comprehenditur. Quę duo præcepta Horatius his uerbis etiam expressit,

Qui studet optatam cursu contingere metam,
Multa tulit, fecitq; puer, sudauit, & alsit,
Abstinuit Venere, & Baccho.

Temperãtiæ virtutis symbolũ apud Ægyptios erat asinus, frugaliter. n. viuit, nec vllum quãtumuis graue onus detrectat, & vbi opus fuerit, pro bouc terrã proscindit, & multis vsibus se accommodat, &c.

FORTITVDO QVID SIT.

Postremo fortitudo est illa Cardinalis uirtus, qua usq. ad mortem aduersa oĩa pro Christi nomine, proximi, & nostra salute constanter perferuntur, ita vt nullis terroribus, vel blãditijs, à Deo animum iusti homines auertãt, mortẽ potius quam peccati labem admittentes, Armellino, vt aiunt, similes, qui à venatoribus impetitus, in cauernis mori mauult, quàm per fouea ostiolum ab ipsis illitũ sordib. fugiẽdo pollui, &c. Huius nãq; virturis quatuor sunt actus nempe, Animum cõtra temporales molestias roborare, nõ aduersitatem, nec mortem, uel martyrium, ob iustam fidei causam formidare; nec à bono sapiẽter electo, vllis pœnis auelli, & pro dilecto honesto bono, difficilia superare: cum enim duo hominis uoluntatem impediãt, ne rectam rationem sequatur, delectabile. s. & difficultas, primũ temperantia, secundum fortitudo tollit. Tribus vero modis patientia exerceri solet, alia namq. sunt, quę à Deo, alia quę ab antiquo aduersario, alia quę à proximo sustinemus, à Proximo qppè persecutiones, damna, & contumelias patimur, ab antiquo aduersario tentamenta, à Deo autem flagella toleramus: sed in his omnib. vigilanti oculo semetipsam debet mens circumspicere, vt homo, nec cõtra mala proximi pertrahatur ad retributionem mali, nec contra tentationes aduersarij, seducatur ad delectationem, vel consensum deliẽti, nec contra flagella Opificis prorũpat ad excessũ murmurationis, nec hic agens retribui præsentia bona, quærat. *D. Thomas 2. 2. q. 123. ar. 2. D. Chrisost. hom. 36. Euãg. Idem Io. Longhecruc. l. 1. de honest. ecclesiast. ca. 23. Molfes. tract. 1. c. 19. Lessius lib. 3. c. 1. dub. 7. Perald. tom. 1. tit. de fortitudine. Iauellus p. 2. tr. ct. 6. de diuina, ac christ. fortitud. et. 1. & 2.* Quò spectat illa Ciceronis *l. 2. de oratore*; sententia Magnaldus, & admirabilis videri solet, tulisse sapiẽter casus aduer

ctus intelligitur, qui à tribus potissimum causis manare solet.

Primo à peccatorum compunctione, violente, n. sunt in precib. lachrymæ, quæ Infernalem ignẽ extinguunt. *c. porro de pœnit. d.* 1. Et pro his maximè laborandum esse nos exemplo suo vates regius docuit, cum ait, Laboraui in gemitu meo. *Ps. 6.*

Secundo à mali alieni misericordia, & compassione, de quo Iob. *c. 30.* Flebam quondam super eo, qui afflictus erat. Et lachrymæ, & orationes sunt arma sacerdotis, quibus pro populo dona à Deo impetrat, nam vt ait *B. Laur. Iust. lib. de ligno vitæ c. 9.* Nemo ad Deum flens accessit, qui non iustam petitionem suam acceperit, &c. *c. conuenior.* 23. *q.* 8.

Tertio ex pio affectu erga Deum. In quem sensum dixit. *D. Bernar. de contemptu mundi.* Felices lachrymæ, quas benignæ conditoris manus abstergunt. &c. Vnde & *D. Hier.* præter cæteras pœnitentiæ suæ angustias quas ob Deum assumptas ad Eustochium scribens enumerat, quotidie, inquit, lachrymæ, quotidie gemitus. *Daur. tom. 4. c. 7. ti.* 52. Adde etiam illum luctum, qui ob contemplationẽ cœlestis patriæ fit, iuxta illud *D. Aug. super ps.* 136. Vnde oportet vt fleas, recordãdo Sion. Et *D. Greg. l. 9. Mor. c.* 28. explanans illa verba Iob, si lotus fuero quasi aquis niuis per huiusmodi aquas, quia nõ de terra fluunt, ut fontium, aut fluminum aquę, sed è cœlo labũtur, lachrymas eas apte significari posse ait, quæ nõ ex vllius terrenæ rei desiderio, sed ex ardenti æternæ vitæ siti, ac cupiditate funduntur.

Quarta btitudo est, Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiã. &c. s. qui cupiunt in lege Dei ambulare, & vitę rectitudinẽ, ac bonitatẽ i se, & in alijs exoptãt; nã vbi qs incipit nolle fieri melior, ibi desinit esse bonus. *D. Bern. epist.* 91. *& serm. 2. de Purif.* Quarẽ nunquam dicit iustus satis est, sed semper iustitiã in se, & in alijs sitit, aspirat. n. ad infinitum, & æternum bonum, ad quod non sunt condignæ passiones huius temporis. Vt Apelles pictor quæri solitus est, periisse diem, in quo lineam non duxisset: ita christianus dolere debet, si quotidie se ipso melior non euasit.

Quinta est Beati misericordes. i. qpietatis opera, misericordiæ, & eleemosynæ tã spiritualis, quã corporalis exercet. Est. n. hoc Deo maximè gratũ, & qdã sacrificij species, imò ei magis, q̃ sacrificium placet. *Os. c. 6. Rol. à Val. cons.* 77. Et valde notandũ est, Dominum nostrũ de olieeto. i. loco oliuis consito ad Cęlum ascendisse, qua re significare voluit, neminem nisi misericordiæ filium ad Cœli gloriã peruenire posse. Vnde & Oecumenius in *Cõment. epist. 2. D. Iacobi.* Tale quiddam docet efficere misericordiam, quale efficit oleum in athletis; nam quo pacto illo inũcti facile aduersariorum manus eludunt, ita in diuino iudicio per misericordiam, impetus, & pericula, quæ à Dæmonibus accusatoribus nobis imminebunt, euademus. Et vere *D. Greg. Naz. ian. in orat. de paup. am.* nullam aliam inter res externas esse tradit, quæ Dei beneuolentiã perinde conciliet, ac misericordia; ut proinde & Pythagoras virtute sola, ac beneficẽtia homines Deo similes haberi posse merito asseruerit. *Boer. decis.* 264. *Perald. in summa virt. & vit. tom. 1. de iust. c.* 2.

Sexta Beatitudo est cordis munditia, sic. n. dicitur, Beati mundo corde, qm̃ ipsi Deum videbunt, quæ quidem nihil aliud est, quã animi puritas omnem excludens peccati maculam; quamquidem cordis puritatem viam esse tutissimã ad acquirendam æternam felicitatem claris verbis indicat vates regius. *Ps. 23. & Cassian. collat. 1. c. 2.* Cum ait, Finis noster regnum Cœlorum est, destinatio vero .i. scopus puritas cordis, sine qua ad illum finẽ impossibile est quempiam peruenire. Porro ad hanc animi integritatem acquirendam triplex est ratio.

Prima est oratio, dicẽdo cum D. Catherina Senensi ad Deum, Cor mundum crea in me Deus. *Ps.* 50. Secunda quotidianum propriæ conscientię examen. D. Doroth *serm. 11. & 16. S. Ephr. tom. 3. serm. Ascet.* Tertia est pœnitentia, vt. s. post contractam alicuius culpę labem, contritione, uel atritione, confessione, & satisfactione, quàmprimum hõ eã dilnere studeat. *c. perfecta. de pœnit. d.* 1. Ea verò quę ad illam conseruandã maximè conferũt, Sunt hæc 1. diuinę præsentiæ cõsideratio. *Cassian. collat. 12. c. 5.* 2. otij deuitatio. *c. nunquam. de cons. dist.* 5. 3. est sensuum vigil custodia, qui sunt visus, odoratus, gustus, tactus, & auditus; cum autem sensus, visus sit ad nocẽdũ prõptior, rectè ille admonuit,

Auertas visum tibi ne tollat Paradisum,

Intrat mors animas per visus sæpe fenestras.

Licet omnia peccata lethalia humanũ genus gratia Dei, & cordis munditie exuant, duo tamen sũt, quæ velut duo retia obstringũt, ne ad Cęlum ascendere queat, amor. s. uel vt dicunt, interesse pecuniarũ, ambitionis. &c. ob quæ Dei mandata non curamus; & carnis peccata, quæ assiduè vrgent, & oppugnant. *Molfes tr. 8. c. 13. num.* 125.

Septima est pacis beatitudo, quæ triplex est. Prima inter Deum, & hominem, videlicet ordinata in diuina lege hoĩs obedientia; de qua Dauid *Psal.* 118. Pax multa diligentib. legem tuam. Secunda inter hoĩem ipsum, quæ est recta cognitionis, actionisq; consensio, ut quod recta ratio dictat, efficaciter uoluntas imperet, & sensus rationi, ut dominæ obsequatur. *D. Paul. ad Gal. c.* 5.

Tertia pax inter hominem & hominem versãs in hoc consistit, quod idem in Christo sapiant, concordiam in bono seruent, se inuicem diligant, & ad beatum finem tendant. *c. non debet. 24. q. 4. Gerson. p. 1. de pace consid. Carbo. de pacificat. c. 38. Azor. p. 2. l.* 12.

l. 12. *c.* 5. *q.* 7. Si ergo filij Dei vocantur, qui pacem faciunt, & conferuant, proculdubio Satanæ funt filij, qui pacem confundunt, & violāt; quod luculento exemplo. f. Vuolftani Epi Vrigorienfis oftendit. *Daur. tom.* 4. *de exemp. c.* 7. *tit.* 56. *exempl.* 1. Hinc ēt in iure pacis caufa multa habet fpecialia, & multis priuilegijs gaudet, ita ut ob illam conferuandam, & fcandalum vitandum multa tolerentur, vt per *Rom. conf.* 332. *& Barbat conf.* 41. *& multa enumerat Corfet. in tract. de priuileg. pacis. & Tufch. ver. pax. concl.* 173.

Octauo loco illa beatitudo ponitur, Beati qui perfecutionem patiuntur propter iuftitiam: &c. in qua patientia potiffimum commendatur, quæ eft æquanimis malorum illatorum propter Deum tolerantia. *D. Aug. de patientia c.* 2 *D. Th.* 2. 2. *q.* 136. *ar.* 1. Cuius vtilitas, & neceffitas ex his colligitur. Primo quod eft diuina virtus, nam Deus patiēs eft imò Deus patientiæ dr̄ *Pf.* 7. & 88. *& ad Rom.* 15. Quē ppēa omnes fancti tanquam patientiffimi patris filij ftrenue imitati funt, ut obferuat *Tertull. libro de patientia. & D. Cypr. lib. de bono patientiæ*. Secundo quod eft omnium virtutum parēs, vidua eft. n. fine patientia uirtus. Itē ad perfectionē, & ad magna præmia viā fternit, ppēa SS. Patres, & Phi lofophi multa præcepta de ea tradiderūt. Vñ notū eft illud Epicteti, vt fupra dixi, Suftine, & Abftine, quæ duo verba fi quis in pectore fuo fixerit, ac re ipfa præftiterit, eum ab omnibus pene vitijs immunē fore, vitamq. quam fuauiffimam, ac tranquilliffimā ducturum effe dixit. Idq; eo magis faciendum eft, quod vt ait *Tertull. l. c.* Impatientia ad omne peccati genus impellit, ita vt omne delictum ei adfcribendum fit, quandoquidem ad blafphemiam, contumeliam, homicidium, furtum, & alia flagitia incitat. E contra vero exigua malorum huius mundi tolerantia ingentes futuri feculi pœnas redimimus. Tertio quod quodāmodo martyres facit, quoniam fine ferro martyres effe poffumus, fi patientiam in aīo conferuemus, ut ait. *D. Greg. hom.* 35. *in Euang. D. Bernard. de modo bene viuendi ferm.* 40. *Lact. de Iuft. cap.* 22. *de vero cultu cap.* 4. *&* 18. *Roffignol. de chrift. perfect. l.* 4. *c.* 31. Propterea vir iuftus fuā beatitudinē, ac felicitatē exiftimet effe, pro Chrifto pati, nam ex D. Bernardi fenrentia *ferm.* 1. *in fefto Apoft. Petri, & Pauli.* Bona, & felix vita cēfenda eft, multa pati, & bene facere, & fic vfq. ad mortē perfeuerare. Nec iuftis pro Chrifti nomine certantib. & laborantibus folatia defunt, quæ ex anchora fpei abūdè fuppeditanē. Vnde & D. Nazianzenus *epift.* 64. ad Philag Stoicos pṛe Peripateticis collaudat, quod res externas nullam ad beatitudinem impedimentum afferre dicant, fed virum bonum virtutis amore (quę fibi ipfi merces eft) beatum effe; etiā fe in Phalaridis tauro concremetur, &c. Et Phauorinus philofophus dicebat, virum in verā magnanimitate, & philofophia educatum, antequā calamitates ingruant, animi tranquillitātē intra fe reconditam habere, ita vt ēt fi fractus illabatur orbis, impauidū eū nō feriant ruinæ, &c. *Iuftin. in Tob. c.* 1. *verf.* 14. Hæc porro patientię virtus contumeliarū; & omnis aduerfitatis impetus æquanimiter ferens (cui nūquā in hoc mūdo materia deeft, vt ait S. *Leo ferm.* 9. *de Quad.*) manfuetudini naturaliter adiuncta eft, fiquidem manfuetudo patientiæ mater eft, commixta vero cum benignitate præftantiffimam omnium virtutum charitatē efficit, vt obferuat. *D. Baf. cap.* 14. *monaft. conft. Leffius l.* 3. *de Iuft. & Iu. c.* 2. *n.* 37. *& Molfef. tr.* 1. *c.* 11. *n.* 37.

Cap. VI.

QVÆSTIO LIII.

QVAENAM, ET QVOT SINT euangelica confilia.

QVænam funt, & quot euangelica cōfilia? R. Ea videlicet, quæ cum ad falutē confequendam fimpliciter neceffaria non fint, vt tñ parandæ falutis expeditior, ac facilior ratio habeatur à Chrifto Dño proponuntur, ac confuluntur. *Matth. c.* 19. Hoc. n. eft inter præcepta, & confilia difcrimen, quod illa quidem tanquam obferuatu neceffaria præfcribuntur, hæc vero vt perfectā præcepto. tum obferuationē promouentia fuadentur, ac fponte fufcipiuntur. Vnde *Apof.* 1. *ad Corin.* 7. ait, De virginibus præceptum Dñi non habeo, confilium aūt do, tanquam mifericordiam confecutus à Deo. Porro inter efficaciffima cenfenda funt ea, quę à patrib. nobis relicta funt, tanquam chriftianæ perfectionis appofitiffima inftrumenta; & tribus votis conftant, paupertatis. f. caftitatis, & obedientiæ perpetuę; quoniam religiofus ftatus eft quædam hominum cōditio, ad perfectam charitatem confequendam, curā omnem, operam, & ftudium in commune conferētium; etia autem huiufmodi conatum impedire folent, rerum videlicet mundanarū immoderata cupiditas, mollis fenfuū libido, & nimius propriæ voluntatis affectus; quib. grauiffimis malis per fupradicta vota occurritur, dum nos ipfi rebus omnibus abdicamus; à voluptatum illecebris fenfus noftros coercemus, deniq; noftram voluntatem alieno arbitrio fubijcimus. Et quamuis in omni ftatu falus bene operāti aduenire poffit, ac merita laborum merces rependi; ille nihilominus præftātior exiftimatur, qui magis compēdiofa, licet anguftiori femita ad vitam ducit æternam, eftq; is, quem religiofum dicimus cuius egregiam dignitatem inter alios, B. Laurentius Iuftin. expreffit, cū dixit, Cōfultò Deus

Rerumq; regens flectit habenas,
Rex, & Dominus, fons, & origo,
Lex, & sapiens arbiter aequi.

Et Seneca *ep.* 108. Itaq. inquit, optimum est pati, quod emendare non possis, & Deum, quo auctore cuncta eueniunt, sine murmure comitari. Quippe, vt exclamat. *D. Bernard. serm.* 3. de Resurrect. Dñi, Volũtas nostra est lepra pessima, eoq. perniciosior, quò magis interior, subdens, quod in Inferno nihil ardet, nisi propria volũtas. Et alibi ait, Necesse esse consensum nostrũ diuinæ subijcere voluntati, si pacem æternam, si pacẽ desideramus habere præsentẽ. Atq. ideo totius perfectionis summa in eo cõsistere videtur, si voluntas nostra diuinæ subiecta sit volũtati; quare sicut agricola vites, quia infirmæ sunt, & multum crescere solent, ne errabũdæ per terram fundantur, ac pereant, vlmis adiungunt; sic homo suam voluntatem ad diuinum placitum accommodare debet, ne inter mũdanas varietates incõstãs, ac instabilis inueniatur, &c. *Arrag.* 2.2.*q.*83.*ar.*7. *Medina de oratione q.*12.*Reginal. l.*4.*cap.* 10. *n.*81. *Molfes. tr.*1.*c.*2.*n.*96.*Fab. Iust. super Tob. c.*3.*vers.* 6.*docum.*3.*Scortia de sacr. Miss. l.*4.*ca.*22.*Carbo in orationis Dom. exposit. c.*28.*D. Doroth. doctr.*7. *Blosius in append. ad institut. spirit. c.*1. *Roder. de perfect. christ. p.*1.*tr.*8.*c.*1.*vsq. ad cap.*34.

QVAESTIO XLV.

QVAENAM SINT EFFECTVVM orationis impedimenta.

QVæ sunt Impedimenta, ob quæ oratio finem suum non consequitur, nec quod à Deo petit, impetrat? R. Tria sunt præcipua. Primo infidelitas, cum. s. ille qui postulat, non habet fidẽ, qđ obtinere debeat. *Iacobi c.* 1. Vnde, & Seneca in Hipp. Qui timidus rogat, negare docet. Secundo iniustitia ex parte orãtis, vt cũ iniusta, vel iniuste rogat, & cum ab eo illa petũtur, quę potius obfutura, quàm pro futura sunt. Quò spectat illud Catonis;

Quod iustum est, petito, vel qđ videatur honestũ.

Tertio impatientia, dum in oratione non persistimus, & nobis non constamus. Rogatus B. Aegidius D. Francisci socius cui similem existimaret eũ, qui ab orando desistit ingruentibus mentis distractionibus, fugienti è prælio respõdit; pugnamus namq. In oratione contra hostes nostros. s. mũdum, carnẽ, & maxime Satanam, qui propterea orantes propositis variarum rerum imaginibus perturbat, vt merito. *D. Chrisost. super Ps.* 116. dixerit, Si magnum aliquod donum Deo offerre volumus, nihil habemus laudatione maius, nihil laudatione difficilius interrogatus B. Agathon. cuinam spiritualium actionum plus laboris inesset, respondit, precationi, quia dum illi intendimus, maligni spiritus se nobis plurimum infestos reddunt. *Mart. Delrius tom.* 1. *disq. mag. l.*2.*q.*28.*sect.*3. *Daur. tom.*1. *exempl. c.*2 *tit.*14. *Surius in vita B. Aegid. c.*23. *de oratione. Lud. de P. p.* 1. *de perfect. tr.*3.*c.*13. An autem oratio voluntaria sine attentione facta mortalem culpã constituat, dicemus suo loco loquendo de horis canonicis, interim videri poterit. *Sot. l.*10. *de Iust. & iu. q.* 5. *art.* 5. *in fine Nau. de oratione. c.*21.*n.*41. *Regin. lib.* 4.*c.* 10.*sect.* 5.*nu.*85.*Val. disp.* 6.*q.*2.*puncto* 9. *Rossignol. de discip. chris. perfect. lib.*4.*c.*23. *Lessius lib.* 2. *c.*37.*dub.* 2. Illud tantum nunc non prætereundũ videtur, quod cum quatuor orationis numerentur effectus, videlicet meritum, satisfactio, impetratio, & spiritualis animæ refectio, quos bene orans consequitur: siquidẽ oratio quatenus actus bonus, meritoria esse potest, quatenus vero pœnalis, satisfactoria pœnæ pro peccatis debitæ; at ex ea parte, qua petitio quædam est, impetratoria esse potest; pro primo effectu assequendo actualis ut plurimũ attẽtio requiritur; attentio. n. est deuotionis mater, & deuotio delectationis, itaq. si quis non habet matrem, non habebit filiam. *Viguer. in Instit. theolog. c.* 5.§.5.*vers.* 11. *Anglesi. de oratione q.* 5.

QVAESTIO XLVI.

QVID SIT IEIVNIVM, ET QVOTVPLEX, & cur institutum.

QVid est ieiunium, & quotuplex, qui eius effectus, &c. R. Nomẽ ieiuniũ, dicitur a ieiunio intestino, quod semper est vacuum; & est abstinentia ciborum secũdum ecclesiæ ordinationem: nam quadruplex à Doctoribus ieiũnium constituitur, videlicet Spirituale, cum homo à culpis, & peccatis abstinet, quod Christi fideles semper obseruare tenentur, admonente sapiente *eccles. c.*21. Tanquam à facie colubri fuge peccata. *c. ieiunium. de consec. dist.* 5. *D. Bernard. serm.* 3. *Quad.* Secundum est philosophicum, & est illa cibi, ac potus parsimonia, moralisq. sobrietas, qua temperare eriã ab Ethnicis secundũ rectam rationẽ viuitur; de quo loquebatur Plato dicẽs, In die aut semel comedatur parce, aut bis parcissime. Qua rñ in re cum temperantię virtus in indiuisibili non consistat, vniuscuiusq. corporalis cõstitutio, & naturales vires expẽdẽdæ erũt, &c. *c. nõ mediocriter, vbi Turrecrem. & Archid. de cons. dist.* 5. *Con. l.*4.*var. resol. c.*20.*n.* 11. *Medina C. de ieiunio q.*12. Tertium est naturale, & est omnimoda abstinẽtia à cibo, & potu quantumuis minimo, quale ad Eucharistiæ sumptionem requiritur, *c. ex parte ext. de celeb. Miss. c. liquido. de consec. dist.* 2.

Quartum ieiunij genus est ecclesiasticum, vt cũ ob certũ ecclesiæ morem, atq. præceptũ, certis diebus,

bus,& carnis esum nobis subtrahimus, & vnica tantum refectione contenti sumus *c. deniq. dist. 4. Abb. in rubr. ext. de ieiunio. Conc. Trid. sess. 25. de delectu ciborum. D. Thomas 2. 2. q. 147. ar. 3. vt etiã tradidimus infra tract. 8. c. 6. q. 13.*

Porro ob quatuor potissimum causas assumi debet (vnde,& eius effectus innotescit.) Primo ad satisfaciendum pro peccatis. Secundo ad reprimendas carnis concupiscentias, & eius superbiam terendã. Tertio ad mentem in Deum eleuãdam. Quarto ad æternam gloriam consequendam. Hinc dicimus, diuersis intentionib. ieiunari, quæ hoc carmine continentur, *Abstinet æger, egens, cupidus, gula, simia, virtus:* æger scilicet, quia ob prostratum appetitum comedere nequit; cupidus, ne expendat, gula vt postea auidius comedat; simia, idest hypocrita, vt laudetur, virtus idest virtuosus, vt mereatur,& Deo satisfaciat,& alios ieiunij fructus assequatur. &c. Ad quod perficiendum tria necessario exiguntur. Primo abstinentia ciborum certi generis, vt à carnib. & in Quadragesima ab his etiã, quæ sementinam carnis originem trahunt; at in alijs dieb. locorũ mos obseruandus est. Secũdo vnica comestio, quamuis serotinum ientaculum moderatum sumere liceat, & ex causa ipso ientaculo mane vti, prandio in vesperam dilato. Tertio certa refectionis hora, vt. s. ante meridiem, vel horam nonam non comedatur.

Tres quoq; potissimum causæ ab eadẽ ieiunij lege excusant, impotentia, necessitas, & maius bonũ. Ieiunium tñ à Summo Pontifice indictum ad effectum Iubilei Indulgentiã consequendi, seruandũ est, ẽt si aliàs ab ecclesiastici ieiunij lege homo excusaretur, nõ. n. illud opus præcipitur, sed illud implenti Indulgentia liberaliter cõceditur. At ipsius Papæ facultate non valentib. hoc præstare, in aliud pium opus commutari solet. *Nau. c. 21. nu. 47. Tolet. l. 6. cap. 2. Angles q. de ieiunio. Azor. par. 1. lib. 7. c. 9. & 10. Valent. tom. 3. disp. 9. q. 2. p. 2. Less. l. 4. c. 2. dub. 2. Reginal. p. 1. l. 4. c. 13. Menoch. de arbit. iud. l. 2. cent. 6. casu 599. Graff. l. 2. decis. c. 37. Nald. in v. ieiunium. Camp. rub. 7. c. 6. num. 148. Et de hac materia fusius agetur infra de præceptis ecclesiæ tract. 8. c. 6.*

QVAESTIO XLVII.

QVID SIT ELEEMOSYNA, & quotuplex.

QVid est eleemosyna, & quotuplex? &c. R. Est actus charitatis erga proximum, quo alterius indigentiæ, & miseriæ ex compassione subuenimus. Huc. n. spectat, qđ apud *Tob. c. 12.* Raphael Angelus testatur. Bona est orõ cum ieiunio, & eleemosyna, ut intelligamus, sicut admonet *D. Cyprianus serm. 1. de eleemosyna*, orationes nostras, ac ieiunia minus posse, nisi eleemosynis adiuuentur, oratione. n. mens ad Deum eleuatur, illius q, subsidio ad ipsum cõfugitur; vt autem ipsa oratio alacrior, & fortior ad impetrandum sit, vtrimq, tanquã pro prijs fulcris ieiunio, atq. eleemosyna sustentatur. Qua ratione in Indulgentijs, & Iubilæis acquirendis hæc tria semper coniunctim præcipiuntur, nam quemadmodum Magi Christo Dño aurum, thus & myrrham obtulerunt. *Matt. c. 2.* Ita nos myrrhã ieiunij offerrimus, quod est carni amarum, aurum eleemosynæ, qua pauperis necessitas subleuatur,& thus orationis, qua Deus colitur,& placatur. Imò hæc tria pœnitentiæ opera, nõ eo solo noĩe fructus censentur, quod debita nostra persoluant, sed etiã quod per eadem in oĩbus, quæ ad perfectum hoĩs statum spectãt morum nostrorum reformationem obtineamus, ieiunia. n. & aliæ corporis afflictiones nos in nobis ipsis reformant, eleemosynæ, & opera misericordiæ quò ad proximos, oratio denique,& cultus diuini opera, in ordine ad ipsũ Deũ nos perficiunt. *D. Th. 2. 2. q. 32. ar. 1. vbi Bannes, & Arag. Zerula in comment. in Bul. Indict. & anni S. sub Clem. 8. Io. Dauid in verid. christ. c. 33. Lud. de Pon. p. 1. tract. 3. c. 10. §. 2.*

Nec dubium, quin eleemosynam dare sit misericordiæ actus, à charitate impetratus, iuxta illud, D. *Io. 1. c. 3.* Qui habuerit substantiam huius mundi,& uiderit fratrem suum necessitatẽ habere, quo charitas Dei manet in illo? Quod ẽt ex ipsius noĩs notione satis constat, siquidem eleemosyna græca vox est,& latine miserationem significat.

Quæ virtus ẽt quatenus est naturalis affectus in animalia, vel rationis expertia cadit, nam legimus Aquilam adeò beneficam, ac piam esse, ut prædã captã, alijs auib. egẽtib. impertiat. Vnde ipsa cũ hoc lẽmate inscripta; Hoc habeo, quodcũq. dedi; liberalis, ac misericordis hoĩs symbolũ agnoscit. *Aldr. l. 2. de auib. Io. à S. Gem. l. 4. de simil. c. 25.* Põt insup eleemosyna actus esse iustitiæ, quatenus ad satisfaciendum pro admissis culpis erogatur, teste Daniele c. 4 dicẽte, Peccata tua eleemosynis redime. &c. Vnde & aliqui volunt, eleemosynam dictam esse ab ely, quod est Deus,& moys, quod est aqua; qa ita extinguit peccatum, sicut aqua extinguit ignẽ. *gl. & Arch. in c. qui vult. de pæn d. 3.* Et hoc modo inter opera satisfactionis a Doctorib. constituitur, quia namq. peccata & nobis,& proximis detrimentum, Deo uero iniuriam inferũt, par est satisfactionem nostram nobis pœnam, proximis commodũ, Deo uero ipsi honorem afferre. Et propterea Christus Dñs illud aperte extulit *Oseæ c. 6.* Misecordiã volo,& non sacrificium, significans, sibi magis placere, si ex charitate sibi in suis pauperib. subueniatur,

tur,quàm si externis sacrificijs coleretur.&c.

Eleemosynę tria sunt genera,una corporalis, egenti dare,quidquid dari potest: altera spiritualis, iniurias illi condonare,à quo quis læsus est. Tertia delinquentes corrigere,& errantes in uiam ueritatis reducere.*c.tria.d.45*.Sed ab alijs euidentius,cũ homo ex anima, & corpore constet, atq; proinde duplici subsidio indigeat,septem opera eleemosynæ,vel misericordiæ corporalis, & septem spiritualis assignantur : Prima in illo carmine cōtinentur,

Consule, solare, castiga, remitte, fer, ora,

Posteriora uero illo concluduntur,

Visito,cibo, poto,redimo, tego,colligo, condo.

D.*Thom. & Bannes 2.2.q.32.art.2. Archid.in d.c. tria. Medina. C.de eleemosyna.q.1. Arzor.p.2.l.12. c.7.& seqq. Reg.p.1.l.4.c.19.num.241.*

Et licet prima sint nobiliora,sicut anima dignitate corpus antecellit,secunda tñ vt plurimum magis necessaria sunt;vnde cum cætera paria nō sunt, in aliquo particulari casu occurrente magis,& potius pascẽdus est fame moriturus,quàm informandus,& instituendus. Nam inter cæteras necessitates nulla sæuior est,quàm fames, q̃ dr̃ gladius acutissimus;& prouerbio veteri effertur,ventrem auribus carere, & asinum esurientem fustem negligere,propterea quod vbi de fame agitur, honestæ & rationes non admittuntur. *D.Th.l.c.art.3.D.Ant. in 4.p.tit.5.c.18.§.6. Arrag.2.2.q.86.ar.3. Franc. Marc.in decis.q.290.*

QVAESTIO XLVIII.

QVINAM SINT ELEEMOSYNAE FRVCTVS.

QVinam sunt fructus,& effectus,eleemosynę? R.Tres præcipui.Primus est peccatorum remissio.*Danielis c.4*.Siquidem vtraq. eleemosyna tàm spiritualis,quã corporalis effectu spirituali donatur,quia si propter Deum fiat, maximè ad obtinendam peccatorum remissionem prodest, vt ꝑpterea D.Aug.*serm.76 de tempore*.eam secũdum baptismum appellet. Quod tñ intelligendum est,non qđ ex opere operato,vt Theologi loquuntur, culpas abstergat,sed quod singulari modo inter alia bona opera ad diuinam gratiam suscipiendam hominẽ disponat.&c.Vnde & illis Christi verbis. *Luc.16.* Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.&c. satis indicatur, peccatores pauperum precib.quib. eleemosynam erogarint,summopere adiuuari, vt à peccatis resurgant. Hinc.n. secundus cōsurgit effectus,vt qui eleemosynam tribuunt, multos amicos,& intercessores apud Deum sibi comparent. Qua ratione Ioan. Eleemosynarius pauperes suos dominos,& adiutores in episcopali onere vocabat; nẽpe propter eorum preces, quas apud Deũ pro eo fundebãt. Amadeus Sabaudiæ Dux cum à quibusdam Legatis esset interrogatus,an venaticos canes haberet,ingentẽ pauperum turmã ostendit, dicẽs, Isti sunt canes,quos quotidie pasco,& quibus Cœli gloriam me venaturum spero.*Gloss.in c.non est putanda 1.q.1. Peraldus tom.1.de iust.c.4.Gemmensis in Man.Past.c.49. Daur.in flor.exem.tom.4.c.7.tit.1. exemplo.21. Fab.Iustinian.super Tob.c.6.vers.11.* Tertius effectus est temporalium rerũ multiplicatio,vt his verbis docet Sap.*Prouerb.c.3.& 19.* Honora Dominum de tua substantia,& implebũtur horrea tua saturitate,&c. Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis; vt propterea D. Basilius in oratione ad diuites eleganti similitudine diuitias puteorum aquis comparauerit,quę si frequenter hauriãtur,semper meliores,& copiosiores scaturire solẽt, si verò immotę cōseruẽtur,decrescũt,atq; putrescũt. Vnde,& eleemosynæ largitio non minuit opes,sed auget,iuxta illud,

Non eleos bursam minuit, nec missa dietam.

Et olim eleemosynam faciẽs velo oculis obductis, & cum lucerna in manibus pingebatur, vt ostenderetur, inanem gloriã ab eo declinandã,nec ob stipẽ datã eius res diminui, sicut nec lucerna alias accendendo detrimentum patitur. Cæsar Ripa in *Iconologia*. D.Ambros.*lib.2.de off*. Scio,inquit,plerosque Sacerdotes, quò plus contulerunt, eo plus abundasse. Imò ex D. Hieronymi sententia super *Ezechiel.cap.16.* penuriæ, & fames ex eo proueniunt, quod pauperibus non subuenitur. Et confitentur Sagæ nihil maleficij posse illis inferri, qui eleemosynis vacant : Et vt pij scriptores tradunt,tribus potissimum medijs bonam mortem paramus. Primũ est bona vita,nã ex D. Aug.nota sententia, Nemo mortuus est male, qui bene vixit. Secundũ frequens, ac studiosa orõ,vt felix vitę exitus cōtingat.Tertiũ est eleemosyna,& misericordię opus,cũ beati misericordes prædicentur,&c. *Matth.cap.5. Alph.Torres de Insti.Sacerd.p.2.tit de eleemosyna. Bessæus de Sacerd.l.2.cap.6. Martinus Delrius l.3. disq.mag.q.7.Ioseph. à Costa ser.2.post do.2.Quad.*

QVAESTIO XLIX.

QVOMODO ELEEMOSYNA DANDA SIT & quando sub præcepto cadat.

QVę ratio in porrigenda eleemosyna obseruãda est, & quando nã ad illam dandam fideles ex præcepto tenentur? R. Primo requiritur, vt recta intentione eroget, hilariter,& volũtarie; modus.n.speciem actui imponit, nec sufficit bonũ agere, nisi etiam bene fiat;vnde si quis ob vanam gloriã, vel importunis precib.victus, vel nimis tarde, illam exhibeat, rem, & meritum amittit. Hinc

Fabius

Fabius Verracoſus beneficium ab aliquo inuite, & aſpere collatū panē lapidoſum vocabat. Et bis dat, qui libenter cito datur. *c. quieſcamus. d. 42. c. odi. d. 24.* Hinc quidam philoſophus dicebat, nos in vltione Grauipedes, & iu beneficijs Delphinos eſſe debere, Sententia ſanè chriſtiano homine digna.; Grauipes. n. animal eſt, teſte Plinio, tardiſſimū, Delphinus vero velociſſimo motu natat, quales ſimus oportet, qñ egēres in quib. tanquā in ſuis membris Chrs ſplēdeſcere voluit, amore amplecti velimus. Secundo eleemoſyna de propria ſubſtātia, & nō de aliena dāda eſt, & ab his q̄ ſui iuris ſunt, niſi alij à ſuperiore expreſsā, vel tacitā facultatē habeāt. *Prou. c. 3. Tol. de 7. pec. mort c. 28. & Azor. p. 3. l. 12. c. 10. Reginal. l. 4. c. 21. Baron. tom. 11. anno Dom. 1024.* Tertio ordinatè, & ex charitatis norma fieri debet. *c. non ſatis. d. 86. Bānes, & Arrag. 2. 2. q. 32.* Addūt alij in vita, & ante mortē erogandam eſſe; tutior namq; eſt via, vt bonum, quod quiſque poſt mortem ſuam ſperat agi per alios, agat ipſe dum viuit p ſe. &c. Nec vt D. Lucia dicebat, ſatis Deo charus eſt, qui illi hoc dat quod ſecū ferre nō pōt. *D. Greg. l. 4. Dialog c. 58. Molan. de pijs te ſt. ca. 43. Peral. de iuſt. tom. 1. c. 7. Iuſtin. ſuper Tob. c. 4. verſi. 9. doc. 2.*

Cum inter Doctores non ſatis conueniat, quando mortaliter peccet, qui eleemoſynam non præſtat, non facilè condemnandi ſunt diuites, qui id non faciunt admonendi tñ ſunt, ut pietatis operib. quam maximè poſſunt, incumbant, ne in die iudicij illam ſententiam excipiant: Ite maledicti in ignem ęternum. Cōmunis tamen & in praxi recepta illa videtur opinio, quæ ſentit, in duobus caſibus eleemoſynę præceptum ſub pœna peccati mortalis obligare. Primo quando quis habet ſuperflua naturæ, & eleemoſynam petens extrema neceſſitate conflictatur. Secundo qñ quis ea habet, quæ naturæ, vel vitæ, ac ſtatui ſuo ſuperſunt, ēt ſi pauperes non in extrema, ſ. d in graui, uel notabili neceſſitate ſint conſtituti: ita ut probabilis aliquibus uideatur illa Alberti Magni ſententia, qui in *4. d. 15. ar. 16.* præceptum de eleemoſyna faeienda ad illud Decalogi reuocar, Non furaberis, qm̄ furti genus eſſe cenſetur, pauperib. de ſuperuacaneis reb. non tribuere, quod eis debetur. Huc. n. ſpectant & illa D Ambr, verba *ferm. 81.* Non minus, inquit, eſt crimi is, quàm habenti tollere, cum poſſis, & abūdes, indigentib. denegare. Vnde ēt eleemoſynam reddēs pauperi, qđ ſuum eſt reddere dicitur, nā ēt huc tendit illud Dauidis *Pſ. 111.* Diſperſit, dedit pauperib. iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi, cum. n. largitatem pauperibus impenſam præmiſiſſet, non hanc vocare miſericordiam, ſed iuſtitiam maluit, quia q̄ à cōi Dño tribuitur, iuſtum profectò eſt, vt qui accipiunt, eo cōiter vtantur vt ait D. Greg. 3. *paſt. cur. c. 22.* Cui ſuffragatur B. Clemens relatus in *cap. dilectiſſimis. 12. q. 1.* dum ait, Cōis vſus oīum, quæ ſunt in hoc mundo, oīb. eſſe debuit, ſed per iniquitatem alius hoc dixit eſſe ſuum, alius iſtud, & ſic inter mortales facta eſt diuiſio. *Biſfeld in enchirid. theolog. paſt. de decem præceptis. c. 3. Leſſ. l. 2. c. 12. dub. 12. Azor. p. 2. l. 12. c. 7. Regin. p. 1. l. 4. c. 20. Sà. in v. eleemoſyna. Molf. tom. 1. tr. 1. c. 16 num. 4.*

Qui non habet, quod in ſtipem eroget dandi tamen voluntatem habet, perinde meretur, ac ſi reuera dediſſet, iuxta illud *D. Aug. ſuper Pſ. 103.* Si tu potes dare eleemoſynam da, ſi non potes, affabilē te fac. ſ. per conſilium, & compaſſionem, coronat. n. Deus intus voluntatem, vbi non inuenit facultatē. Iuſtus ait vates regius *Pſ. 36.* tota die miſeretur, & commodat. vbi *gloſ.* ſubdit, ſemper eſt iuſto aliqd quod det, ſaltem orationem. Quare nulla fidelium admittitur excuſatio; nam ſi q̄s multū tribuere non valet, parum tribuat, & ſi temporalib. careat, ſpiritualia libenter largiatur. D. *Doroth. ſerm. 14. Lud. de Pon. de chriſt. hominis perfect. p. 1 tract. 3. c. 12. Nald. in v. eleemoſ. n. 8. Forn in Inſtit. confeſſ. lib. 2. tract. 2. c. 9.* Vnde his trib. pœnitentiæ operib. oratione, ieiunio, & eleemoſyna, excellens illa ſanctitas, & vitę perfectio obtinetur, quam Propheta Micheas. *c. 6.* commendauit dicens, Indicabo tibi homo, quid ſit bonum. &c. quib. uerbis conſulit, ut in oī genere ſpiritualis boni, honeſti. ſ. vtilis, ac delectabilis, homo bonus euadat, & det operam, vt Primo ieiunium recti Iudicis ſpiritu exerceat, cuius mun⁹ eſt delicta punire, & efficere, vt leges ſeruent. Secundo vt dando eleemoſynā miſericordię mēna uiſcera erga proximum induat. Tertio ut filiali affectu ſollicitus cum Deo ambulet, accurrēs ad oīa, quę ipſius obſequiū exigit. &c. Porro beneficentiæ, ac eleemoſynæ ſymbolū eſt Aquila, *vt ſup. dixi*, q̄ teſte Plinio, tanta liberalitate à natura prædita eſt, ut prædam captam ſola non comedat, ſed auibus ſequentib. eam cōem exponat. E conuersò uerò Vultur ignobilis, & auari cordis auis, quæ rapit, ſibi ſoli retinet. &c. *Io. à S. Gem. l. 4. de ſimilit. c. 25.*

CAP. V.

QVAESTIO L.

QVAE SINT VIRTVTES CARDINALES, cur ſit dicta, & quid vnaquaq; ſit.

QVot ſunt virtutes Cardinales, quare ſic dicūtur, & quid vnaquaq; eſt? R. Quatuor ſūt, prudentia, iuſtitia, temperātia, fortitudo, ſic dictæ quod oēs aliæ virtutes in his velut cardinib. verſentur, quibuſq; vniuerſa boni operis ſtructura innititur, vocantur ēt officiales, quod in his oīa vitæ noſtræ officia ſiñ cuiuſq; vocationem deri

uen-

ueniatur. *D.Ambr.l.1.off.* & *Perald.de virt.tom.1.c.1.*

PRVDENTIA QVID SIT.

PRudẽtia est virtus,quæ quid expetendũ,quid fugiendum hoĩ sit ostendit, De qua Saluator noster. *Matth.c.*10. Estote prudentes sicut serpentes,& simplices sicut columbæ. *D.Ant.in 2.p.tit.2.c.4.Holchot.super sap.c.6.lect.74.Paul. Carrar. de regul.Iu.can.q.4.ar.2.q.4.* Quæ diffinitio christianæ prudentiæ conuenit, ad quam spectat docere, quænam humanæ vitæ conferunt,ut ad Deum vltimum finem tandem perueniamus. Est,n,illa,quæ hominem quò ad Deum,ad se ipsum, & proximũ bene ordinat,ac dirigit, ac ne labatur regit, vnde est illud,

Non de ponte cadit,qui cum prudentia vadit.

Quæ quidem virtus tanquam in subiecto in intellectu practico,& in ratione consistit,in qua ex præterito,& futuro fit in præsens ips collatio. Ideo prudens dicitur porrò,i.vltra videns,cuius symbolum apud antiquos erat Iani figura, qui biceps pingebatur,siquidem prudentis est,præterita ad memoriam reuocare,præsentia disponere, & futura præuidere. Vnde & Antisthenes dicere solebat,Sapienti,ac prudenti nihil esse nouum, aut subitum, & quod quidquid in humanis accidere potest, ante sit præmeditatus,vt numquam dicat, Non putaueram,Proinde hanc virtutem augent,Primo consuetudo cum eruditis viris, nã ex Menandri sententia,

Sapiens eris, sapientibus sæpe assidens.

Secundo frequens librorum, præcipuè historicorũ lectio. Tertio obseruatio casuum,qui in dies succedunt,quandoquidem,

Præteriti ratio scire futura facit.

Huius vero virtutis morus arbor symbolum extat, q.n.arborũ postrema floreat,& nõ nisi exacta penitus hyeme germinet,denotat, q vir prudens nullo in negotio præpostere festinat, nec consilia præcipitat,sed in conficiendis reb.commodam occasionem præstolatur. Eius ẽt typus est formica, quæ in futurum prospicit, cuius in Prouer. *c.6.* fit mentio, De qua materia preter ea,quę diximus supra, *tr.1.c.10.q.59.vide D.Th.2.2.q.47.a.4.& Less.l.1.c.1.dub.1.Viguer.in Instit.Theol.cap.4.Cassian.collat.2.cap.4.Rossign.de discip.christ.perfect.l.3.cap.9.Schol.ad Alciat.embl.18.Scalab.in Moral.in Pass.Domini.Mor.25.cap.1.*

IVSTITIA QVID SIT.

IVstitia est constans, & perpetua volũtas ius suũ vnicuiq; tribuendi,sic dicta,qđ ius,hoc est ęqualitatem statuat. Quæ in genere sumpta oĩum virtutum cumulum designat, vt is iustus dicatur, qui est oĩum virtutum genere ornatus, de qua Arist.in 5.*Eth.* dixit,

Iustitia in se se virtutes continet omnes.

& in 1.Polit.Sicut homo perfectus est omniũ animalium optimus,ita à lege,& iustitia separatus,est oĩum pessimus, In quo sensu extat illud sapientis. *Prou c.16.* Initium vitæ bonæ facere iustitiã;& Saluatoris N. *Matth.*5. Nisi abundauerit iustitia vrã. Ad cuius officium illud quoq; Apostoli præceptũ spectat ad Rom.*c.*13.Reddite oĩbus debita, cui tributum,tributum,cui timorem,timorem.&c.Vnde & D. *Bern.de Aduen.serm.*3. cum dixisset, iustitiã ius suum vnicuiq; tribuere,& diuinæ sedis esse preparationẽ, statim addit,Tribue ergo trib.quæ sua sunt, redde superiori,redde inferiori,redde æquali,cuiq; quod debes,Redde reuerentiam Prælato, & obedientiam,quarum altera cordis, altera corporis est.Sic & fratrib. nostris inter quos viuimus ipso iure fraternitatis,cõsilij sum⁹, & auxilij humani debitores.Porro si cui Prælatus es,exigit à te custodiam,vt possit cauere peccatum,disciplinam vero,vt quod minus cauet,non impunitum maneat. Quod si nemini fratrum præesse videris, habes tũ sub te corpus tuum,cui custodiam hanc, & disciplinam exhiberi oporteat, vt non regnet in eo peccatum,& vt faciat dignos pœnitẽtiæ fructus.hæc ille.

Ad hanc virtutem tria ẽt illa officiorum genera spectant, quæ,ut etiam supra de eleemosyna dixi *cap.4.q.49.* iustum, & perfectum hoĩem reddunt, quæ Micheas illis uerbis expressit,cũ *c.6.* ait, Indicabo tibi homo,quid sit bonum,& quid Dñs requirat à te, vtiq; facere iudicium,& diligere misericordiam,& solicitum ambulare cum Deo tuo. Quorũ vnum ad Deum,alterum ad proximum, tertiũ ad se ipsum refertur,ut patet v.g. in debito precũ, uel diuino officio à clerico beneficiario, vel in sacris constituto rectè persoluendo, quod officium cum explet,Deo in primis,deinde proximo pro quo orare debet,tandem sibi ipsi satisfacit.&c.*arg.Tol.lib.5.c.1.num.2.*

Iustitia vero particulariter sumpta in tres partes diuiditur. 1. in legalẽ,per quam ita hoĩes afficiuntur,ut ab his abstineant,quib.cõe bonum tollitur, & ea faciant, quæ idem bonũ conseruant. 2. in distributiuã,quæ in Principe,vel Superiore, & publica persona residet,quę ciues debitis premijs,vel pęnis pro meritorũ ratione afficere debet. Cui illud potissimum uitium aduersatur, quod personarum acceptio dicitur, reipubl. teterrima pestis. 3. in commutatiuam distinguitur,quæ uersatur in contractib.& in ęqualitate rei ad rem, ut tantũ detur, quantum est debitum,uel promissum,tãtum restituatur, quantum est ablatum,tanti res ematur,vel uendatur,quanti ualet.&c. Quam quidem iustitiã quilibet de necessitate salutis seruare tenetur, iuxta il-

ta illud, *Ps. 16* Ego autem in iustitia apparebo con spectui tuo. Hinc & Iuristæ dicunt, iustitiam cæteris virtutib. anteponendam esse, quia colere iustitiam est summum bonum, & auferre iustitiam est contra ius naturale, cui Principes derogare nequeũt, propterea si aliquid concedant, siue per uiam priui legij, seu rescripti, uel gratiæ, in præiudicium tertij concedere non præsumuntur. *Fed. de Senis. cõs. 17. Tusch. verbo. Iustitia. conclusione.* 1135. *&* 1140. Quando uero iniustitia cõmittatur, & quale pecca tum sit. *videndus Iauel. de christ. iustit. tract. 5. c. 5. & Caiet. in summa in ver. iniustitia. Lud. Carbo. de restit. q. 11. Doct. in l. 1. ff. de iust. & iur. & in §. 1. Inst. ciuil. eod. tit. D. Thom. 2. 2. q. 58. ar. 1. & q. 62. a. 2. vbi Salon. Arrag. vide à nobis tradita tr. 10. c. 1.*

Huius uirtutis symbolum apud Ægyptios erat hirundo, siquidẽ mira filios alit æqualitate, singulis cibum parem impartiens, ea adhibita diligẽtia, ne q semel acceperit, bis capiat, atque ita vt par sit oĩum portio, procurat. *Pier. l. 22. Hieroglyph. Tiraquel. de iure primog. in præfat. nu. 44.*

TEMPERANTIA QVID SIT.

Temperãtia est illa moralis virtus, quæ carnis voluptates rõne moderat, & cib., potus, rerũq; venerearũ cõcupiscentias coercet: eius. n. tres sunt species, nempè abstinẽtia, seu ieiuniũ, sobrietas, ac castitas. *D. Th. 2. 2. q. 141. ar. 3. & 4. & Arist. in 4. Eth. c. 10.* vbi tradũt, delectationes corporis in qb. moderandis tẽperantia uersatur, hoĩ cões esse cum belluis, ac propterea nihil in ijs esse ingenuum, & nobile, sed potius ex genere suo esse maximè seruiles, ac ferinas, quia eas homo percipit, non qua homo est, sed qua est animal, ex quo addunt, & uerè intemperantiam cuiuis homini esse maximè ex probrabilem, ac fœdam. Propterea ad castitatẽ, & sobrietatem adeò sacra Scriptura, nos hortat cum *Prou. c. 22.* dr, Qui diligit cordis munditiã, habebit amicum Regem. & *Eccl. c. 31. & 37.* Sanitas est animę, & corpori sobrius potus. Qui abstinens est, adijciet sibi uitam. *Et D. Apost. Paul. ad Rom. 13.* iubet à comessationibus, & ebrietatib. à cubilib. & impudicitijs, quæ sunt opera tenebrarum, abstinere. Et cum sobrietas, & uigilantia uirtutum oĩum seruatrix sit, & ad illam capessendam sacra Scriptura, & vt dixi, Appostolus hortetur, idcirco in Rom. Eccl. receptum est, ut in Completorio horarum canonicarum à clericis canatur, Fratres sobrij estote, & vigilate. &c. *Io. Longhecruc. de honest. cler. l. 2. c. 18. Gisbert. de vit. eccles. c. 34.*

Proinde Epictetus duo esse oĩum grauissima uitia dicere solebat, nempè incontinentiam, & impatientiam, quarum alterum tunc locum habet, cum ab his uoluptatib. non abstinemus, à quib. est abstinendum (triplex. n. à Lactantio constituitur uirtutis gradus, primus est, à malis operib. abstinere, alter à malis uerbis, tertius à rerum prauarum cogitatione.) Alterũ uitium est, cum iniuriæ non tolerantur, quæ tolerandæ sunt, nec aduersos casus, uel labores, quis non æquo animo fert. Vnde duob. uerbis ipsi philosopho familiarib. Sustine, & Abstine, tota bene uiuendi ratio comprehenditur. Quę duo præcepta Horatius his uerbis etiam expressit,

Qui studet optatam cursu contingere metam,
Multa tulit, fecitq́ puer, sudauit, & alsit,
Abstinuit Venere, & Baccho.

Temperãtiæ virtutis symbolũ apud Ægyptios erat asinus, frugaliter. n. viuit, nec vllum quãtumuis graue onus detrectat, & vbi opus fuerit, pro boue terrã proscindit, & multis vsibus se accommodat, &c.

FORTITVDO QVID SIT.

Postremo fortitudo est illa Cardinalis uirtus, qua usq. ad mortem aduersa oĩa pro Christi nomine, proximi, & nostra salute constanter perferuntur, ita vt nullis terroribus, vel blãditijs, à Deo animum iusti homines auertãt, mortẽ potius quam peccati labem admittentes, Armellino, vt aiunt, similes, qui à venatoribus imperitus, incaueruis mori mauult, quàm per foueæ ostiolum ab ipsis illitũ sordib. fugiẽdo pollui, &c. Huius nãq; virtutis quatuor sunt actus nempe, Animum cõtra temporales molestias roborare, nõ aduersitatem, nec mortem, uel martyrium, ob iustam fidei causam formidare; nec à bono sapiẽter electo, vllis pœnis auelli, & pro dilecto honesto bono, difficilia superare: cum enim duo hominis voluntatem impediãt, ne rectam rationem sequatur, delectabile. s. & difficultas, primũ temperantia, secundum fortitudo tollit. Tribus vero modis patientia exerceri solet, alia namq. sunt, quę à Deo, alia quę ab antiquo aduersario, alia quę à proximo sustinemus, à Proximo qppè persecutiones, damna, & contumelias patimur, ab antiquo aduersario tentamenta, à Deo autem flagellã tolerامus: sed in his omnib. vigilanti oculo semetipsam debet mens circumspicere, vt homo, nec cõtra malã proximi pertrahatur ad retributionem mali, nec contra tentationes aduersarij, seducatur ad delectationem, vel consensum delicti, nec contra flagella Opificis prorũpat ad excessũ murmurationis, nec hic agens retribui præsentia bona, quærat. *D. Thomas 2. 2. q. 123. ar. 2. D. Chrisost. hom. 36. Euãg. Idem Io. Longhecruc. l. 1. de honest. ecclesiast. ca. 23. Molfes. tract. 1. c. 15. Lessius lib. 3. c. 1. dub. 7. Beraldus tom. 1. tit. de fortitudine. Tancllus p. 2. tr. 2. 6. de diuina, ac christ. fortitud. c. 1. & 2.* Quò spectat illa Ciceronis *l. 2. de oratore*, sententia Magnaldus, & admirabilis videri solet, tulisse sapiẽter casus aduer

ſos non fractũ eſſe fortuna, retenuiſſe in rebus aſperis dignitatem. In tolerantia, namq. conſtans hoīs animus agnoſcitur, quando .ſ. malis non cedit, ſed contra audẽtior exurgit, cũ vt ait Prudentius, omnibus alijs virtutibus, & ſocietatem, & auxiliũ fortis patiẽtia miſceat, virtuſq. omnis vidua ſit, quam nõ patientia firmet. Grauiter ad hunc ſenſũ Horat.

Aequam memento rebus in arduis
Seruare mentem, non ſecus in bonis
Ab inſolenti temperatam lætitia.

Exemplo ſunt Socrates, & D. Martinus, qui ea fuerũt æquanimitate, vt abeuntes domo, & redeuntes ſemper codẽ vultu fuerint. Hinc Ægyptij olim Sacerdotes, cum fortem, & temperatum ſimul, ſeu cõtinentem virum, ſignificare vellent, taurũ integræ valetudinis pingebant, laborum.n. omnium patiẽtiſſimus eſt, ærumnas nullas auerſatur, cum vaccã poſt conceptum fœtum non ingreditur, &c. Ad eã conſequendam maxime iuuat, animumq. excitat. Primo Chriſti, ac Sanctorum exemplum, Secundo meritũ, & præmiũ cogitare. Tertio imminentia pericula præmeditari, ſeq. ad illa ferenda parare, quã quidẽ tela præuiſa minus feriũt. *D. Greg. hom. 35. in Euãg.* Quę virtus inter alios Cõfeſſariũ decet, vt q cõtra draconis inſidias pro Chro, & pro implendo electorũ numero cõtendere dẽt, &c. *Henr. in ſum. l. 3. c. 17.* Hæc eſt ergo nobilis quadriga virtutũ (q dona ſunt Dei) qua in Cęlum vehimur. Et ea demũ vita homine digna eſt qua prudenter, iuſte, temperate, fortiterq. viuitur: Hinc aurea mediocritas cõſtat, vt ne quid nimis, & ne quid minus, Siquidem

Virtus abſq; modo nomen habet vitij.

QVAESTIO LI.

QVOT SINT DONA SPIRITVS SANCTI, & quid vnum quodq. ſit, & eorum vis.

QVot ſunt dona Spiritus ſancti, qd vnũ quodque eorum, & eorum vis? R. ſunt ſeptem, & quidem pręclara, quæ ab Iſaia vate *c. 11.* recenſita, Chriſto eorundem largitori attribuũtur, & ab ipſo, ſeu fonte omnis gratiæ, in alios quib. ſuũ elargitur Spiritũ, deriuanť. Sunt aũt donum ſapientiæ, intellectus, cõſilij, ſcientiæ, fortitudinis, pietatis, ac timoris Domini: quæ a Deo gratuitò dãtur, vt per hæc ſeptem capitalia vitia expellantur, & vt nos armis ſpiritualibus contra tentationes, & mundi pericula muniant, atq. nos promptos, ac faciles in vſu virtutũ, tàm Theologalium, quã Cardinaliũ reddant, ſiquidem Chriſtianus his donis tãquam oleo gratiæ delibutus, adiuuatur ad alacrius, facilius, cumq; interno animi guſtu virtutũ opera perficienda, & ad promptius mãdatorum viam percurrendam, ſicut curſum videmus bene vnctum celerius rapi, &c. Quippe Diabolus, vt nos à Dei via auertat, impedire nititur, ne iuſtorum lætitiam videamus, ſed ea ſolum intueamur, quæ prima fronte aſperitatem quandam in virtute præſeferant: qđ & fraudolẽti Oratores, & Cauſidici facere ſolẽt, dum ob oculos ea ſolũmodo ponũt, quę in ſua cauſa profutura norũt, nocitura omnia, & ſi veriſſima, ne attingentes quidem, &c.

Sapientia eſt donum, quo imbuti animũ à terrenis, & tẽporalibus rebus ſubducimus, & ſpiritualia guſtamus, Deumq; ſummum bonum amamus. Intellectus eſt donum animæ noſtræ infuſum, quo veritatem fidei, & diuinorũ myſteriorũ intelligimus, quam alioqui naturali lumine aſſequi non poſſumus. Dono conſilij in rebus obſcuris ad ea cognoſcenda dirigimur, quę ad Dei gloriam, noſtrã, proximiq; ſalutem agere debemus, cum cogitationes mortalium timidæ ſint, & incertæ prouidentię noſtræ. Scientia hoc conſequimur, ut ſciamus quomodo in hoc maligno ſæculo prudenter, & ſine offendiculo uitam noſtram tranſigamus: nam ut ille uere protulit.

Omnes in triuio ſumus, atq; hoc tramite vitæ
Fallimur, oſtendat ni Deus ipſe viam.

Fortitudo eſt Spiritus ſancti donum, quo accẽſi roboramur, ut uel illecebris, uel huius mundi aduerſitatib. à pietate, & Dei amore nos abduci nullo modo patiamur, Nam

Per varios caſus, per tot diſcrimina rerum
Tendimus in patriam.

c. aduerſitas 7. q. 1. Non eſt arbor ſolida, nec fortis, niſi inquam frequens uentus incurſat, ipſa.n. vexatione conſtringitur, & radices certius figit fragiles ſunt quæ in aprica ualle creuerũt ait *Sen. de prouid. c. 4.* Præſertim quod ut inquit *D. Chriſoſt hom. 2. in Matth.* Deus poſt tempeſtatem, ẽt in hac uita tranquillitatẽ facit; ita ut labori quies dolori cõſolatio ſuccedat hinc & Pindarus aiebat,

Poſt nubila Phœbus, &c.

Pietas eſt illud donum, quò Deum, & Sanctos colimus, pieq; erga proximum ẽt de nobis male meritum propter Deum afficimur. Timore tandem excitamur, ut Deũ patrem noſtrũ filiali affectu reuereamur, & anxie uereamur, ne quoquo modo ab eius charitate excidamus. Quod a longe ſpectauit Horat. cum ait,

Non poſſidentem multa vocaueris
Recte beatum, rectius occupat
Nomen beati, qui Deorum
Muneribus ſapienter uti,
Duramq; callet pauperiem pati,
Peiuſq; letho flagitium timet,
Non ille pro charis amicis,
Aut patria timidus perire.

Producit quoq; Spiritus ſanctus inſignes alios fructus,

ctus, quos Apostolus ad *Gal. c. 5.* enumerat, & sunt charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, lōganimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. *D. Ant. 4. par. tit. 10. c. 1. Ianellus p. 4. philosophia christ. tit. de donis Spiritus sancti. Peruald. tom. 1. virt. & vit. eodem tit. Valent. tom. 2. disp. 5. q. 8. Belarm. de doct. christ. c. 13. Molfesius tract. 1. c. 12. Daur. tom. 4. c. 7. tit. 43.*

Tāta igitur benignissimi numinis perspecta benignitate, ac in nos munificentia, ac liberalitate, eu quàm indigna, ac omnib. modis detestāda illorum uesania est, qui non iam ex ignorātia, aut infirmitate, sed ex mera malitia, tàm bonū offendunt Dominum, eius bonitatē excludūt, repudiant, eiq. aperto Marte refragātur, ne ex uitiorum cœno extrahantur, neue meliores effecti Cœlo tādem inserantur. *Io. Dauid. in Verid. christ. c. 27.*

QVAESTIO LII.

QVOT, ET QVAENAM SINT beatitudines.

QVot sunt beatitudines, & quęnā sunt? R. octo hominē perficiētes, & ista Spiritus dona in nobis efficientes, beatus. n. in Euangelio prædicatur, qui in hac uita in uirtutum actibus se exercet, quibus ęternam beatitudinem assequi possit: quorum quidem actuum principia uirtutes sunt, donis Spiritus sancti coniunctæ, quę hominem ipsum in radice in spe, & ut aiunt, inchoatiue beatū reddūt, siquidem aduersis exercitatus, & perfectis actibus assuetus, etiam in uia degustare incipit, quàm magna sit multitudo diuinæ dulcedinis. Theophrast* etiam scriptum reliquit. *referente Cicerone in lib. de consol.* Orbem terrarum theatrum esse quoddā magnum, diuina mente repletum, & Cœlestis indicādæ sapientiæ, gratia tàm multis undiq. collucētib. ornamentis illustratum, ac depictum: in eo autem medio collocatos esse homines à Deo, ut cū fortuna, dolore, morbis, egestate, casibusq. permultis assidue luctentur: Deum uero ipsum quantum quisq. pugnando ualeat, quàmq. uiriliter fortitudine diuinitus accepta utatur, desuper aspectare.

Et Plutarchi illud est uerum pronuntiatum, Vt fonti nō deest humor semper ex eo scatens: sic probo uiro semper adest gaudium, etiam si externę res mutentur, maxime cum probe norit, mūdi uoluptates multo felle admixtas esse, & extrema gaudij luctum occupare. *Prouerb. c. 14.* Hinc, & Lucret.

Medio de fonte Leporum
Surgit amari aliquid, quod in ipsis faucib. angat.

Non vt oēs beati esse desiderant, ita veræ beatitudinis viam seruant, multi de beatitudine disseruerunt, sed omnes prętor Christi sectatores à scopo aberrarunt; quod vnus Crœsus non tàm à Solone verbis, quàm ab euentu reb. ipsis edoctus abundè testatus est, cum se beatissimum aliqñ arbitratus, à Cyro captus, & pyræ impositus, verum esset didicit, quod ei ante Solon prædixerat, Neminem ante mortem beatum dici debere. Christiani octo recensent beatitudines, quas Christus primum discipulos suos in monte docuit. *Matth. c. 5.* Quarum prima est, Beati pauperes spiritu. Pauperes vero hoc loco intelliguntur. Primo humilitatem sectantes, de qua D. Th. *2. 2. q. 161. art. 1. & gl. in clem. 1. tit. de relig. dom.* Secundo pauperes affectu, & effectu, vt religiosi, qui omnia temporalia à se abdicant, & pauperem Christum sequuntur. *clem. exiui. titu. de verb. signif.* de qua præclarè apud Senecā Thiestes,

Bene paupertas,
Humili tecto contecta lates,
Quatiunt alta sæpe procellæ,
Aut euertit fortuna domos.

Sane nullus alius in hoc mundo inueniri potest, q exsatiari queat, nisi ille, qui sua sorte cōtentus, cum Anna dicit, Sufficit nobis paupertas nostra. Vnde etiam legimus B. Claram Virginem aliarum quidem christianarū uirtutū, sed huius præcipue amore ita exarsisse, vt suis sororib. prædicare soleret, tū demum suum illud collegium stabile, ac firmū futurum, cum propugnaculis, ac mœnibus paupertatis muniretur. *D. Ant. 3. p. hist. c. 24. Iust. in Tob. c. 5. vers. 25. doct. 3.*

Tertio intelligunē voluntariè paupes affectu, licet rerū copia affluāt, & ex legis diuinæ pręscripto eas dispensent, iuxta illud Dauidicū, Diuitiæ si affluāt, nolite cor apponere. *Ps. 61.* Nec. n. Deus, vt dixit *Iob c. 36.* potētes abijcit, cum & ipse sit potens, & vt ait *D. Greg. l. 10. mor. c. 17.* Nō est cēsus in crimine, sed affectus, hoc est, nō culpa est fortunæ bona possidere, quę Deus creauit, & distribuit, vt nobis vtendo instrumenta felicitatis sint (nam aliqñ egestate sordescentib. vita supplicium est, mors solatiū) sed nimius eorum amor, & affectus culpatur, quem si homo coerceat, & bene tàm pro se, quàm pro alijs vtatur, Deo similis erit, qui atquè sanctus, ac diues est; licet maximæ eius diuitiæ spirituales, ac cœlestes sint, quib. electos suos ditare, & augere cupit. *Lu. de P. de hom. chri. perf. p. 2. tr. 1. c. 9. §. 2. Gaud. in Explicat. cath. p. 2. expl. 47. Rom. conf. 411. Rossign. de discipl. christ. perfect. l. 5. c. 2.*

Secūda btitudo est Beati mites. &c. Est autem mititas idē q māsuetudo, quæ est humilis, & modesti animi trāquillitas, qua hō nullo humano accidēte perturbatur, nec læsus nullam animi amaritudinem sentit, sed responsionis mollitie iram frangit. *Prou. c. 15. Holcbot. super sap. c. 10. lect. 125.*

Tertia, Beati qui lugent, vbi luctus omnem terrenæ consolationis abiectionem propter Deum significat. Sed largo modo ab alijs quilibet bonus lu

ctus intelligitur, qui à tribus potissimum causis manare solet.

Primo à peccatorum compunctione, violentę.n. sunt in precib. lachrymæ, quæ Infernalem ignē extinguunt. *c. porro de pœnit. d.* 1. Et pro his maximè laborandum esse nos exemplo suo vates regius docuit, cum ait, Laboraui in gemitu meo. *Ps. 6.*

Secundo à mali alieni misericordia, & compassione, de quo Iob. *c.* 30. Flebam quondam super eo, qui afflictus erat. Et lachrymæ, & orationes sunt arma sacerdotis, quibus pro populo dona à Deo impetrat, nam vt ait *B. Laur. Iust. lib. de ligno vitæ. c. 9.* Nemo ad Deum flens accessit, qui non iustam petitionem suam acceperit, &c. *c. conuenior.* 23. *q.* 8.

Tertio ex pio affectu erga Deum. In quem sensum dixit. *D. Bernar. de contemptu mundi.* Felices lachrymæ, quas benignæ conditoris manus abstergunt. &c. Vnde & *D. Hier.* præter cæteras pœnitentiæ suæ angustias quas ob Deum assumptas ad Eustochium scribens enumerat, quotidie, inquit, lachrymæ, quotidie gemitus. *Daur. tom.* 4. *c.* 7. *ti.* 51. Adde etiam illum luctum, qui ob contemplationē cœlestis patriæ fit, iuxta illud *D. Aug. super ps.* 136. Vnde oportet vt fleas, recordādo Sion. Et *D. Greg. l. 9. Mor. c.* 28. explanans illa verba Iob, si lotus fuero quasi aquis niuis per huiusmodi aquas, quia nō de terra fluunt, ut fontium, aut fluminum aquę, sed è cœlo labūtur, lachrymas eas apte significari posse ait, quæ nō ex vllius terrenæ rei desiderio, sed ex ardenti æternæ vitæ siti, ac cupiditate funduntur.

Quarta btitudo est, Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiā. &c. s. qui cupiunt in lege Dei ambulare, & vitę rectitudinē, ac bonitatē i se, & in alijs exoptāt; nā vbi qs incipit nolle fieri melior, ibi desinit esse bonus. *D. Bern. epist.* 91. *& serm.* 2. *de Purif.* Quārè nunquam dicit iustus satis est, sed semper iustitiā in se, & in alijs sitit, aspirat.n. ad infinitum, & æternum bonum, ad quod non sunt condignæ passiones huius temporis. Vt Apelles pictor quæri solitus est, periisse diem, in quo lineam non duxisset: ita christianus dolere debet, si quotidie se ipso melior non euasit.

Quinta est Beati misericordes. i. qpietatis opera, misericordiæ, & eleemosynæ tā spiritualis, quā corporalis exercet. Est.n. hoc Deo maximè gratū, & qdā sacrificij species, imò ei magis, q̄ sacrificium placet. *Os. c. 6. Rol. à Val. cons.* 77. Et valde notandū est, Dominum nostrū de olifieto. i. loco oliuis consito ad Cęlum ascendisse, qua re significare voluit, neminem nisi misericordiæ filium ad Cœli gloriā peruenire posse. Vnde & Oecumenius in *Cōment. epist.* 2. *D. Iacobi.* Tale quiddam docet efficere misericordiam, quale efficit oleum in athletis, nam quo pacto illo inūcti facile aduersariorum manus eludunt, ita in diuino iudicio per misericordiam, impetus, & pericula, quæ à Dæmonibus accusatoribus nobis imminebunt, euademus. Et vei e *D. Greg. Nazian. in orat. de paup. am.* nullam aliam inter res externas esse tradit, quæ Dei beneuolentiā perinde conciliet, ac misericordia, ut proinde & Pythagoras virtute sola, ac beneficētia homines Deo similes haberi posse merito asseruerit. *Boer. decis.* 264. *Perald. in summa virt. & vit. tom.* 1. *de iust. c.* 2.

Sexta Beatitudo est cordis munditia, sic.n. dicitur, Beati mundo corde, qm̄ ipsi Deum videbunt, quæ quidem nihil aliud est, quā animi puritas omnem excludens peccati maculam; quamquidem cordis puritatem viam esse tutissimā ad acquirendam æternam felicitatem claris verbis indicat vates regius. *Ps.* 23. *& Cassian. collat.* 1. *c.* 2. Cum ait, Finis noster regnum Cœlorum est, destinatio vero .i. scopus puritas cordis, sine qua ad illum finē impossibile est quempiam peruenire. Porro ad hanc animi integritatem acquirendam triplex est ratio.

Prima est oratio, dicēdo cum D. Catherina Senensi ad Deum, Cor mundum crea in me Deus. *Ps.* 50. Secunda quotidianum propriæ conscientię examen. D. Doroth *serm.* 11. *&* 16. *S. Ephr. tom.* 3. *serm. Ascet.* Tertia est pœnitentia, vt. s. post contractam alicuius culpę labem, contritione, uel attritione, confessione, & satisfactione, quàmprimum hō eā diluere studeat. *c. perfecta. de pœnit. d.* 1. Ea verò quę ad illam conseruandā maximè conferūt, Sunt hæc 1. diuinę præsentiæ cōsideratio. *Cassian. collat.* 12. *c.* 5. 2. otij deuitatio. *c. nunquam. de cons. dist.* 5. 3. est sensuum vigil custodia, qui sunt visus, odoratus, gustus, tactus, & auditus; cum autem sensus, visus sit ad nocēdū propior, rectè ille admonuit,

Auertas visum tibi ne tollat Paradisum,

Intrat mors animas per visus sæpe fenestras.

Licet omnia peccata lethalia humanū genus gratia Dei, & cordis munditie exuant, duo tamen sūt, quæ velut duo retia obstringūt, ne ad Cęlum ascendere queat, amor. s. uel vt dicunt, interesse pecuniarū, ambitionis. &c. ob quæ Dei mandata non curamus; & carnis peccata, quæ assiduè vrgent, & oppugnant. *Molfes tr.* 8. *c.* 13. *num.* 125.

Septima est pacis beatitudo, quæ triplex est. Prima inter Deum, & hominem, videlicet ordinata in diuina lege hoīs obedientia; de qua Dauid *Psal.* 118. Pax multa diligentib. legem tuam. Secunda inter hoīem ipsum, quæ est recta cognitionis, actionisq; consensio, ut quod recta ratio dictat, efficaciter uoluntas imperet, & sensus rationi, ut dominæ obsequatur. *D. Paul. ad Gal. c.* 5.

Tertia pax inter hominem & hominem versās in hoc consistit, quod idem in Christo sapiant, concordiam in bono seruent, se inuicem diligant, & ad beatum finem tendant. *c. non debet.* 24. *q.* 4. *Gerson. p.* 1. *de pace consid. Carbo. de pacificat. c.* 38. *Azor. p.* 2. *l.* 12.

l.12.c.5.q.7. Si ergo filij Dei vocantur, qui pacem faciunt, & conſeruant, proculdubio Satanæ ſunt filij, qui pacem confundunt, & violāt; quod luculento exemplo. ſ. Vuolſtani Epi Vrigorienſis oſtendit. *Daur. tom.4. de exemp. c.7. tit.56. exempl.1.* Hinc ēt in iure pacis cauſa multa habet ſpecialia, & multis priuilegijs gaudet, ita ut ob illam conſeruandam, & ſcandalum vitandum multa tolerentur, vt per *Rom. conſ.332. & Barbat conſ.41. & multa enumerat Corſet. in tract. de priuileg. pacis. & Tuſch. ver. pax. concl.173.*

Octauo loco illa beatitudo ponitur, Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam: &c. in qua patientia potiſſimum commendatur, quæ eſt æquanimis malorum illatorum propter Deum tolerantia. *D. Aug. de patientia c.2. D. Th. 2.2. q.136. ar.1.* Cuius vtilitas, & neceſſitas ex his colligitur. Primo quod eſt diuina virtus, nam Deus patiēs eſt imò Deus patientiæ df *Pſ.7.* & 88. *& ad Rom.15.* Quē ppea omnes ſancti tanquam patientiſſimi patris filij ſtrenue imitati ſunt, ut obſeruat *Tertull. libro de patientia. & D. Cypr. lib. de bono patientiæ.* Secundo quod eſt omnium virtutum parēs, vidua eſt. n. ſine patientia uirtus. Itē ad perfectionē, & ad magna præmia viā ſternit, ppea SS. Patres, & Philoſophi multa præcepta de ea tradiderūt. Vñ notū eſt illud Epicteti, vt ſupra dixi, Suſtine, & Abſtine, quæ duo verba ſi quis in pectore ſuo fixerit, ac re ipſa præſtiterit, eum ab omnibus pene vitijs immunē fore, vitamq. quam ſuauiſſimam, ac tranquilliſſimā ducturum eſſe dixit. Idq; co magis faciendum eſt, quod vt ait *Tertull. l. c.* Impatientia ad omne peccati genus impellit, ita vt omne delictum ei adſcribendum ſit, quandoquidem ad blaſphemiam, contumeliam, homicidium, furtum, & alia flagitia incitat. E contra vero exigua malorum huius mundi tolerantia ingentes futuri ſeculi pœnas redimimus. Tertio quod quodāmodo martyres facit, quoniam ſine ferro martyres eſſe poſſumus, ſi patientiam in aīo conſeruemus, ut ait. *D. Greg. hom.35. in Euang. D. Bernard. de modo bene viuendi ſerm.40. Lact. de Iuſt. cap.22. de vero cultu cap.4. & 18. Roſſignol. de chriſt. perfect. l.4. c.31.* Propterea vir iuſtus ſuā beatitudinē, ac felicitatē exiſtimet eſſe, pro Chriſto pati, nam ex D. Bernardi ſententia *ſerm.1. in feſto Apoſt. Petri, & Pauli.* Bona, & felix vita cēſenda eſt, multa pati, & bene facere, & ſic vſq. ad mortē perſeuerare. Nec iuſtis pro Chriſti nomine certantib. & laborantibus ſolatia deſunt, quæ ex anchora ſpei abūdè ſuppeditanē. Vnde & D. Nazianzenus *epiſt.64.* ad Philag Stoicos pręPeripateticis collaudat, quod res externas nullam ad beatitudinem impedimentum afferre dicant, ſed virum bonum virtutis amore (quę ſibi ipſi merces eſt) beatum eſſe, etiā ſe in Phalaridis tauro concremetur, &c. Et Phauorinus philoſophus dicebat, virum in vera magnanimitate, & philoſophia educatum, antequā calamitates ingruant, animi tranquillitatē intra ſe reconditam habere, ita vt ēt ſi fractus illabatur orbis, impauidū eū nō feriant ruinæ, &c. *Iuſtin. in Tob. c.1. verſ.14.* Hæc porro patientię virtus contumeliarū; & omnis aduerſitatis impetus æquanimiter ferens (cui nūquā in hoc mūdo materia deeſt, vt ait *S. Leo ſerm.9. de Quad.*) manſuetudini naturaliter adiuncta eſt, ſiquidem manſuetudo patientiæ mater eſt, commixta vero eum benignitate præſtantiſſimam omnium virtutum charitatē efficit, vt obſeruat. *D. Baſ. cap.14. monaſt. conſt. Leſſius l.3. de Iuſt. & Iu. c.2. n.37. & Molfeſ. tr.1. c.11. n.37.*

Cap. VI.

QVÆSTIO LIII.

QVAENAM, ET QVOT SINT euangelica conſilia.

QVænam ſunt, & quot euangelica cōſilia? R. Ea videlicet, quæ cum ad ſalutē conſequendam ſimpliciter neceſſaria non ſint, vt tñ parandæ ſalutis expeditior, ac facilior ratio habeatur à Chriſto Dño proponuntur, ac conſuluntur. *Matth. c.19.* Hoc. n. eſt inter præcepta, & conſilia diſcrimen, quod illa quidem tanquam obſeruatu neceſſaria præſcribuntur, hæc vero vt perfectā præceptorum obſeruationē promouentia ſuadentur, ac ſponte ſuſcipiuntur. Vnde *Apoſ. 1. ad Corin.7.* ait, De virginibus præceptum Dñi non habeo, conſilium aūt do, tanquam miſericordiam conſecutus à Deo. Porro inter efficaciſſima cenſenda ſunt ea, quę à patrib. nobis relicta ſunt, tanquam chriſtianæ perfectionis appoſitiſſima inſtrumenta; & tribus votis conſtant, paupertatis. ſ. caſtitatis, & obediētiæ perpetuę; quoniam religioſus ſtatus eſt quædam hominum cōditio, ad perfectam charitatem conſequendam, curā omnem, operam, & ſtudium in commune conferētium; tria autem huiuſmodi conatum impedire ſolent, rerum videlicet mundanarū immoderata cupiditas, mollis ſenſuū libido, & nimius propriæ voluntatis affectus; quib. grauiſſimis malis per ſupradicta vota occurritur, dum nos ipſi rebus omnibus abdicamus, à voluptatum illecebris ſenſus noſtros coercemus, deniq. noſtram voluntatem alieno arbitrio ſubijcimus. Et quamuis in omni ſtatu ſalus bene operāti aduenire poſſit, ac merita laborum mercesrependi, ille nihilominus præſtātior exiſtimatur, qui magis compēdioſa, licet anguſtiori ſemita ad vitam ducit æternam, eſtq; is, quem religioſum dicimus cuius egregiam dignitatem inter alios, B. Laurentius Iuſtin. expreſſit, cū dixit, Cōſulto Deus

gratiā,& bonū religionis hominibus occultauit,nā si illius felicitas cognosceretur,oēs ad eam concurrerent,vt per *Sur.in eius vita*. Et licet hic status nō sub præcepro,sed,vt dictum est,sub consilio cadat, si quis tñ diceret,nō fatius,& melius esse illū,quàm coniugalem vitam eligere, hæreticam labem contraheret. Et si alicui secundum quid,vt aiunt, præstet,coniungalem vitam eligere,si propria infirmitate,& fragilitate perpensa,prædicta consilia obseruare non posse existimet;cum vt ait *Apost. 1. ad Corinth.7.* Melius sit nubere,quàm vri, vt p *D. Thom. 2.2.q.152.ar.4.& Nau.c.20.nu.21.& Azor.pat.1. l.11.c.23.q.4.Cōbrec.de studio perfect.lib.1.c.35.Platum de bono stat.relig.l.1.c.19.Valent.tom.3.disp. 10.q.4.p.1.Molfes.tract.1.c.5.*

Summus eorum,ait Dionysius *Ecclesi.hier.c.6.*q initiantur,& perficiuntur, ordo est sanctorum Monachorū,obseruant.n. tria perfectionis euangelica consilia,obedientiæ, paupertatis,& castitatis, quæ totius regularis disciplinę bases,& fundamēta sunt *Conc.Trid sess.25.de regul.c.1.*

Scribit vero D.Dionysius *l.c.*eos à sacro Monade monachorum nomē sortiri,quia reliquis oībus, qui eos à Deo diuidere possent,abrenuntiauerunt, & vale dixerunt,vt vni Deo inseruiant. Quare mirum non est,eos à Maioribus nostris vocari religiosos.i. Deo ligatos, regulares ,quod iuxta rectā normam vitā degant. D. Basilius exercētes, & Asceras vocat,quod in virtutibus assidue se exercēāt.Greg. Nazianzen.& alij philosophantes appellant,quod veram,& christianam philosophiam profiteantur. A Philone Therapeutę hoc est Dei cultores dñr,siquidē licet oēs christianos per virtutē religionis,& pietatis Deum colere oporteat, attamen quia monachi,& regulares religiosiores sunt, & maiori cultu,plurib.actibus, qui non sunt in præceptis,sed in consilijs, diligentius Deum venerantur, ac ei famulatum præstant, meritò illis hoc nomen tributum est. Propter quas heroicas virtutes sanctorum martyrum choro in æterna gloria consecto,huius vitæ curriculo,coniungendi sunt, licet,n. exterior desit persecutoris gladius, ipsi tñ assidue virtutum studio vacantes ,& propriā voluntatem amputantes se Deo in holocaustum offerūt. &c.*vt habetur in reuelat.D.Geltrud.l.4.c.57.& apud Molfes.tr.1. c.11.num.57.ac Plat.l.2.c.12.* Qūo vero ad perfectionē teneantur,& qūo eos circa omissa vota peccare contingat. *videndus D.Th.2.2.q.186. art.2. D.Ant.3.p.tit.16.c.1.§.2.Nau.in c.cui portio.n.9. 12.q.1.Val.l.c.puncto 3.& 4. Bannes.2.2.q.32.ar. 3. Azor.p.1.l.11.c.24.q.11.& l.12.c.12.Less.lib.2. c.40.dub.9.& dixi in Comment. de hum. statibus. p.1.c.23.& in Cōment.de cas.reser.p.3.c.1.& seqq.*

QVAESTIO LIV.

QVAENAM SINT HOMINIS NOVISSIMA ab eo memoranda.

QVot sunt hominis nouissima semper memoranda?R. Quatuor sunt,videlicet mors,iudicium,Infernus,& Regnum Cœlorum;dicta quidē nouissima,quod inter cętera omnia, quæ homini accidere possunt,extremum planè locum sibi vendicēt.Mors.n.vt vulgo fertū.*Est vltima linea rerū.* Mortem sequitur iudicium Dei tùm singulare .s. quod vnusquisq; moriens excipit,tùm illud vniuersale,quod omnes ad finem mundi expectat. Iudicantur autem alij, quos in mortali peccato mors opprimit, vt perpetuis pœnis apud Inferos addicantur. Alij,quos ex hac vita migrantes nuptialis illa vestis charitas ornat, ut vita in Cęlesti regno beata fruātur. *Matth.c.25.* Quippe partim timore, partim amore naturaliter homo à peccatis abstrahitur,& ad id quod rectum est, permouetur: sunt idcircò quatuor nouissima valde accōmoda,vt humanum aīum à vitijs absterreant,& ad bona pelliceant,iuxta illa monita, Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis. Memento nouissimorum,& desine inimicari. *Eccl.c.7.& c.28.* Inimicitias namq; per peccatum in Deum, in proximum, & in nosmetipsos exercemus,quæ tali memoria facilè consopiuntur. Sicut.n.equus caudæ suæ diuerberatione muscas, vespas, & œstra à corpore abigit, ita homo æternæ damnationis memoria ,uel longissimæ caudæ præsidio peccatorum tentationes, & carnis stimulos discutit , & expellit. Sicut etiam nauis in aqua clauo regitur, & piscis,atq; auis cauda rectè se dirigunt, & in quamcunq; volunt partem inflectunt, vt noxia vitent,& quò tendunt,inoffensè perueniāt,ita potest homo nouissimorum recordatione,velut caudæ motu,rectum vitæ suę cursum tenere,& euitatis noxijs,æternæ felicitatis portum pertingere. Egregiū est Brunonis Carthusiani ordinis institutoris exemplum, qui cognita Doctoris cuiusdā damnatione arduū, sed rerum diuinarum contemplationi opportunū viuendi genus elegit.&c. Bogor Bulgarorum Princeps cum extremum iudicium à Methodio Monacho penicillo expressū vidisset, christianæ religioni nomē sacra aqua ablutus dedit, ac falsā religionē execratus est. *Vict.in add. ad Man.Nau.prael.4.*

QVÆSTIO LV.

QVID SIT MORS.

QVid est mors,& quotuplex?R. Vt de singulis aliquid in mediū pferamus, dicimus mortem

tem eſſe triplicem, nempè corporalem, ſpiritualē, & gehennalem, ſicut èt triplex eſt uita.ſ. corporis, gratiæ, & beatitudinis. Corporalis duplex eſt.ſ. naturalis, quę per vitalium ſpirituum reſolutionem naturaliter fit; & violenta, quæ ab aliqua extrinſeca re infertur: ſpiritualis, vel ciuilis eſt, quæ aliqua uitali operatione priuat, vt propria uoluntate, ciuium, aut amicorum fruitione, ut per religionē, & exilium, vel relegationem fit, gehennalis eſt, quæ per peccatum mortale aīæ Infernum creat, vt per *Alex in addit. ad Bar. in l. 1. ff. de teſtam & in conſil. 139.* Addunt etiam alij, mori ſæpius dici, qui viuit ad pœnā, quæ talis ac tanta eſſe poteſt, ut ipſa mors te naturali peior eſſe dicatur, iuxta illud,

Morſq; minus pœna, quàm mora mortis habet.

Conſtat vero mortem corporalē, vel naturalē, nihil aliud eſſe, quàm receſſum aīæ à corpore, nam mors naturalis efficitur, cum humore caloris paſtu areſcente, ipſe calor flaceſcit, & poſtremum ut lucerna oleo abſumpto extinguitur. *Ariſt. lib. de morte. Lud. Viues de anima lib. 2.* Et dr̄ à morſu, quia cum Adamus primus noſter parens pomum uetitū momordit, mortem in mundum inuexit. Siquidem ex primi parentis præuaricatione nō ſolum ſanctitas, & iuſtitia originalis, in qua conſtitutus fuerat homo, amiſſa fuit, ſed etiam ira, & Dei indignatio aduerſus eundem prouocata, proindeq; perturbationes, & aliæ calamitates, quæ à Theologis pœnalitates vocantur, acriter concitatæ, & præſertim humorum inæqualitas, natiui caloris debilitas, humidi radicalis conſumptio, virium languor, morbi, ſenectus, & mors deniq; ipſa ſubſequuta eſt. *Concil. Trid. ſeſſ. 5. Perer. in Comment. in Gen. diſp. de pœna mortis. q. 2. Alber. de Roſat. in Dict. in v. mors. Arch. in c. præſenti. de præb lib. 6. Iuſt. in Tob. de pec. doc. 4. Molſeſ. tract. 8. c. 11. n. 18.* Mortem tñ non præſumi, ſed probandum eſſe, cum quilibet vſq; ad centum annos uiuere præſumatur, cōis eſt Scriptorū aſſertio; qui uarios modos illā probandi aſſignant, ut ꝑ certum nuntium, per famam, & uocem publicam, & iuramentum, ubi de leui præiudiciò agitur. &c. Hinc ꝓ praxi, ut legitimè ſīī matrimoniū contrahaſ, de morte primi coniugis conſtare dēt, uel per teſtium depoſitionem, uel per publicam uocem, & famam, uel per librum Parochi, in quo defunctorū mors deſcribi ſolet. &c. *vt per Maſcard. de probat. vol. 2. concl. 169. & ſeq. Tuſch. in v. mors. concl. 400. Seraph. deciſ. 1566. Sanch lib. 2. de matr. diſput. 46. Menoch. de præſump. l. 6. præſump. 49.*

Mortuus èt vulneratus poſt ſeptē menſes, ex vulnerib. exceptis deceſſiſſe præſumitur, ſi nunquam conualeſcere, ſed potius in deterius abire uiſus fuerit, idq; Iudicis arbitrio dijudicādum relinquitur. Quod notandum eſt, ut ſciatur, qñ damnum læſo reſtituendum ſit, & ob illata uulnera irregularis qs efficiatur. *Rot. Menoch. de arbit. Iud. caſ. 275. Nald. in v. mors nu. 1. Galet. ibid.*

Porro hęc naturalis mors, vt quidā auctor dixit, Primo ſemꝑ debet cogitari, cū teſte D. Hieron. ad Heliod. ex Platonis ſententia, omnis ſapientum vita ſit aſſidua mortis meditatio, nam facile contemnit omnia, qui ſe cogitat moriturum. Viperā ferūt exuſtam, in cineremq; conuerſam, eiuſdem feræ beſtiolę morſui medeꝗ; Si ergo auaritia, ambitio, &c. nos momorderit, animo voluendus eſt cinis, in quē huius mundi gloria conuertitur, ſicq, hoc pharmaco animę noſtrę vitia curabimus, *Lact. de ira Dei. c. 13.* Nullum efficacius remedium contra effrænem carnis furorem eſt homini collatum, quàm mortis meditatio. Hinc ille:

Non aliter melius poterit caro viua domari,

Mortua qualis fuerit, quàm ſemper præmeditari.

Franciſcus Borgia Dux præfuerat funeri Auguſtæ iam functæ, & miratus, q exiguus tumulus ſceptra, regiāq; Maieſtatē xciperet, & cōcluderet, dicebat, Auguſtæ Imperatricis mors mihi vitā attulit *Beyer. v. mors.* Et quod colligitur ex illa celebri Senecæ ſentētia, Eū qui nouit ponere modū deſiderijs, poſſe cum Ioue de felicitate contendere, id ſapiens ex ſeria mortis conſideratione conſequitur, vt nil metuat, nil in hac vita ſperet, ſed tantum ad futuri ſeculi expectationem omnia ſua conſilia transferat. S. Guarinus Epiſcopus Præneſtinus, & Cardinalis mortem ſibi quaſi quotidie imminentem intentus meditabatur; quę quidem meditatio eſt peccatorū omnium peremptoria, iuxta illud, quod ſcriptū eſt *eccleſ. c. 7.* Meditare nouiſſima tua, &c. Vbi non eſt timor mortis, ibi eſt diſſolutio vitæ, vbi vero diſſolutio vitæ, ibi peccatorū abundātia, ibi & perditio animæ. *Surius in eius vita 6. Febr. tom. 7.*

Secundo mors non poteſt declinari, cum ſtatutum ſit, omnibus hominibus ſemel mori, & debitū naturæ ſoluere cū cūctis mortalib. ſit cōe: Appoſitè ait Seneca, Hac conditione intraui, vt exirem. Origines dicere ſolebat Deum hominib. duo pharmaca dediſſe; alterum herbarum medēdis corporum doloribus aptum, alterum pœnitentiæ, & ſacræ paginæ, animæ vulneribus ſanādis accomodatū; Cōtra mortem vero nullum medicamentum præſtitiſſe, quia contra vim mortis nō eſt medicamē in hortis. Quidam Prætor, & cuiuſdam vrbis gubernator filium è religione extrahere conabatur, filius ſe illi morem gerere promiſit, ſi eam conſuetudinem, quæ in regione illa vigebat, abrogaret, quæ erat, vt tàm ſenes, quàm iuuenes morerentur, cui ſapienti dicto pater acquieuit, & vale mundo dicto religionem & ipſe ingreſſus eſt. *Ioannes à Turrecr. ſuper reg. D. Bened. tract. 38.*

Tertio non debet mors à iuſtis formidari, ſiquiēt ſi ab ea præoccupati fuerint, in refrigerio erūt. *Sap. c. 4.*

c.4. Vnde, & Cicero l. 1. Tusc. quæst. Vt Cygni præuidētes quid in morte boni sit, cum cantu, & voluptate moriuntur; sic omnib. bonis, & doctis viris faciēdum est. Tria in morte esse solent grauissima incommoda; Primum quod acerba, & amara est vel ipsius memoria. Secūdum quod periculosa est ob infestas Dæmonum tētationes, qui tum maxime fæuiunt. Tertiū est propter illud districtum particulare iudicium, quod necessario subeundum est, quę omnia tollit religio præcedens, vitæq; ante actæ ꝓbitas, ita vt pro acerbitate iucunditatem, pro periculo securitatem, & pro formidine spem immortalitatis afferat. *Lact. l. 3. diuin. Instit. c. 18. Platus l. 1. de bono stat. relig. c. 31.* Pijs viris mors nō horrendā, sed blandam faciē ostendit, vt illud Apost. ad Philipp. 1. occinant, Mihi viuere Christus est, & mori lucrum, desideriū habens dissolui, & esse cū Christo. Certe legimus de B. Catharina Adorna, Genuensi, qđ adeo Christi amore flagrabat, vt ex corporeo carcere solui, & ad dilectū migrare miro desiderio cuperet, hinc quasi mortis amore capta, eā sæpe vt speciosissimam laudabat, id solum in ea reprehendens, quod se quærēres fugeret, & se fugientes quæreret, vt habetur in eius uita *c. 7.*

Impijs autem hominib. proprium est, Deo eos ex hoc mundo accersenti reluctari, & pernicacium more seruorum, ad eius cōspectum cum tristitia, & mœrore perduci, qua in re, si enixa uoluntate obnitantur, & Diuino beneplacito non acquiescant, lethalem culpam contrahunt, & æternā damnationem non effugiunt *DD. in c. quam præposterum 13. q. 2. D. Anton. p. 1. tit. 5. c. 1. §. 9.* Et licet mors naturaliter sit horribilis, cum dicatur extremum omnium terribilium, propter tñ æternam beatitudinem cōsequendam, appetenda, & ferenda est. Et quāuis ēt ipsa mors tributum sit necessario soluendum, nihilominus si uoluntarie acceptetur, ut multi DD. uolūt, aliqua ex parte pro admissis peccatis satisfacit, ut per *Syl. Tab. & alios in v. mors, & Pinellum de stat. alt. vitæ p. 1. c. 7.*

QVAESTIO LVI.

QVID CENSENDVM DE HIS, QVI horribili morte ex hac vita decedunt.

Quid censendum de his, qui inuiti, turbidiori, & horribiliori quodā modo ex hac uita decedūt? R. Certum iudicium, aut indubitata determinatio morientiū in statu gratiæ, uel secus, non ab hominū pendet arbitrio, aut scientia, sed solius Dei est id certo dignoscere, coram quo sicut haud dubiè multi in malo statu ex hac uita decedunt, qui quò ad nostrum iudiciū ab externis sumptū indicijs, rectè, & salutariter mori uisi sunt: ita è contra non pauci Deo teste, & Iudice in statu gratiæ extremū uitæ diem conficiunt, qui tñ ob incerta quædam argumenta in malo statu uitam terminasse hominibus uidētur; ratio diuersitatis iudiciorum est, quod in priori illo genere Deus occultum uidet salutis obstaculum, quod oculos corporis latet, qui tantum exteriorem illam placide, & deuote moriendi rationem considerant. In altero uero genere, Deus cor mundum, purumque intuetur, ac morientis conscientiam; homines uero turbulētiorem aliquem, uel subitum, aut alia ex causa mirabilem excedendi è uita modum perpendunt, qui eis de sinistra morte metum, & suspicionē ingenerat, sed rei ueritas in utrisq; soli Deo cognita est. Quis namq; mortalium anxius nō hæsitaret, quid de Eusebij Cremonensis exitu esset iudicandum, nisi sub finem amœnior fuisset? Is namq; D. Hieronymi Sectator, qua hora migraturus erat, repente caput erigens, oculis pauiratib. circumspicere, & quasi in furorem uersus clamare cæpit, Nō faciam, non faciam, Mentiris, mentiris: deinde ad terram procliuus faciem abscōdere, intremiscere, ac quantum poterat, uoci ferari, Adiuuate me fratres, adiuuate me, ne pereā. An non inquit, uidetis Dæmonum caterua, hic in meam perniciem coactā? Ille præ cæteris horrēdus ad blasphemiam me Cōpellit, &c. Tunc fratrum precibus ad Deū fusis, maligni Spiritus fugati sunt, & B. Hieronymo apparente, eumq; animante, & eius spem erigente, obdormiuit in Domino.

Quidquid igitur humanis oculis appareat, uel non appareat, uerum est, quod D. Ioannes, *Apoc. c. 14.* enūriauit, Beati mortui, qui in Dño moriuntur, Cum scriptum sit, *ait D. Greg. l. 4. dialog. c. a. 24.* Iustus quacunq; morte præuentus fuerit, iustitia eius non auferetur ab eo, electi qui procul dubio ad perpetuā uitam tendūt, quid eis obest, si ad modicum durè moriuntur? & est forrasse non numquam eorū culpa, licet minima, quæ in eadē debeat morte resecari. &c. *D. Ant. p. 1. tit. 5. c. 1. §. 5. Marul. l. 5. exēpl. c. 10. Diez. dom. 15. post oct. Trinit. Discip. serm. 16. de sanctis, & serm. 134. Io. Dauid in Verid. christ. c. 90.* Atq; ex hac doctrina duo recolenda documenta colligo. Primum, Bene mori rem esse per oēm uitæ cursum addiscendā, etenim mortis tempore rātum in moriēdo difficultatis est, ut uix cuiquā quo pacto ex hoc ergastulo migret, addiscēdi spatium suppetere queat. Proinde summa rerū est, assidue modum se ad mortem præparandi percipere, qui in tribus potissimum consistit. Primum est bene, & ex uirtutis præscripto uiuere, Dei & S. M. ecclesiæ præcepta seruando. Qualis namq; est uita, talis, & finis, ideo quilibet debet quotidie cōscienriam suā excutere, & de admissis culpis dolere: Magnum .n. infortunium est, in eo statu obdormire, in quo periculum

diuitieft, mortem fomni germanam nos poffe opprimere. Secūdū eft deuota oratio ad Deum fufa, qua ab eo oratione Dominica, & Angelica pronuntiata Salutatione, poftulemus, vt à fubitanea morte nos præferuet. Tertiū, vt initio morbi aduocetur Sacerdos, cui infirmus, cum cordis contritione fincerè confiteatur, & ad eius prudens iudicium fatisfaciat. &c. *Viguer. in Theol. Inftit. c.* 18. §. 6. *ver.* 5. *Lud. de Pon. p.* 1. *tract.* 5. *de perfect. c.* 9. *Iofeph. à Cofta fer.* 2. *poft Do.* 2. *Quad. Bellar. de art. mor l.* 2. *c.* 6. Secundū documentum eft, magnum minifterium effe, opem ferre moribundis, & ut uerbis fapientis vtar. *Eccl. c.* 38. confolari eos in exitu fpiritus fui: magnæq; & infignis charitatis opus, in eo cōflictu hominem iuuare, in quo æterna falus, vel mors dependet *Io à Turrecr. fuper d. reg. D. Bened. tr.* 38. *Carthuf. de* 4. *nouifs. ar.* 37. *Lud. de P. de chrift. perfect. tom.* 4. *tract.* 5. *c.* 15. *Gennen. in Man. Paft. c.* 57.

QVAESTIO LVII.

QVID SIT IVDICIVM, ET QVOTVPLEX.

QVid eft iudiciū, & quotuplex? R. Eft Chrifti fententia, qua iufti ad gaudia, iniufti ad æterni ignis cruciatus, & pœnas vocabuntur; Duplex eft. n. priuatum, & generale. Primū eft, cum vnufquifq; noftrum è vita migrat, nam ftatim ad Dei tribunal fiftitur, ibiq; iuftiffima quæftio hr de omnibus, quæcunq; aut egerit, aut dixerit, aut vnquā cogitarit. Secundum eft, cum vno die, atque vno in loco omnes fimul homines ad tribunal Iudicis ftabunt, ut omnibus omnium feculorum hoībus infpectantib. & audientib. finguli quid de ipfis decretū, & iudicatum fuerit, cognofcant. *D. Th.* 3. *par. q* 59. *ar.* 5. *Catechif. Rom. fuper illum ar. Inde venturus eft. &c. Suar. tom.* 4. *d.* 47. *fect.* 3. *Coninch. d* 11. *n.* 47. *Bellar. de Purg. l.* 2. *c.* 4. *Viguer. in Inftit. Theolog c.* 21. §. 1. *&* 2. *Barthol. Sybilla in peregr. qq. c.* 2. *q.* 9. De quo quidem iudicio facra pagina pluribus in locis nos admonet, & ad hanc rem comprobandā, & oculis fubijciendā, multa teftimonia fuppetunt; fed modo fatis fint illę duæ authoritates: Cuncta quæ fiunt, adducet Deus in iudicium, pro omni errato, fiue bonum, fiue malum. Omnes nos manifeftari oportet ante tribunāl Chrifti, vt recipiat vnufquifq. propria corporis, &c. *Eccl. c. vlt. Apoft.* 2. *ad Corint. c.* 5. *& ad Heb. c.* 10. Quæ veritas à longe illius Ethnici oculos non latuit, cum fic cecinit,

Effe quoq; in fatis reminifcitur affore tempus,
Quo mare, quo tellus, correptaq; regia Cæli
Ardeat, & mundi moles operofa laboret.

Lact. Firm. l. 7. *diuin. Inftit. c.* 23. Et fanè ficut in fenectute caligant oculi, tremunt membra, nutant pedes, atq; hæc oīa vicinam mortē innuere. videntur (cuius tres funt nūtij, cafus, infirmitas, fenectus) ita in vltima mundi fenecta cum iam eius finis inftabit, oculi mundi Sol, & Luna obfcurabuntur, & tenebris offundentur, & erunt mundi quafi paroxifmi, & imminētis mortis indicia, vt Chriftus Domin. *in Euang. Luc.* 21. *& Math.* 24. nobis innuit. At vero metuendus eft Iudex ille, cuius non licet poteftatem effugere, fapientiam fallere, æquitatē flectere, iudicium retractare, de quo fcriptum eft. *Prou.* 6. Zelus, & furor viri non parcet in die vindictæ. &c. Et vt tunc clementem Iudicem Chriftum, ac diem illum, quo tām particulare, quām generale agitabitur iudicium, lętum habeamus, exequendum eft Sapientis confilium. *Eccl. c.* 18. Ante languorem adhibe medicinam, & ante iudicium interroga te ipfum, & in confpectu Dei inuenies propitiationem. *D. Bernar. fuper cant. ferm l.* 5. *D. Bafil. in pfal.* 33. *Io. à S. Gem. l.* 4. *de fimil. c.* 53. *Labata in v. Iudiciū fin.* Quippe vt ait Salomō in *Eccl. c.* 2. Sapiētis oculi in capite eius, ftultus in tenebris ambulat. Sicut Deus fapienter oculos tanquam vigiles cuftodes in capite, vnde longius pertingere vifu poffint, collocauit: fic fapiens in capite, intellectum, qui animi oculus eft, ponit, hoc eft, vt quę a longe funt, profpicere valeat. v. g. quid in morte futurum, quid poft mortem, qualem Deo rationē reddet, quid in Inferno damnati patiantur, & quibus bonis in Cœlo Beati perfruantur. &c. Stultus autem in tenebris ambulat, l. oīa hæc ignorat, & quia hæc nefcit, cœcus & ftultus eft, quamuis oēs mūdi difciplinas norit. De fe fatetur. *D. Aug. l.* 6. *confeff. c.* 16. nullum fortius fibi fuiffe retinaculum à præcipitio carnalium voluptatum, quām mortis, & iudicij vltimi recordationem. *Dionyf. Carthuf. lib. de remed. tentat. ar.* 22. fcribit, fanctos viros eorum, quæ in nouiffimo iudicio futura funt, confideratione, frequenter compunctos, viriliter oīb. tentationib. reftitiffe, & hoc timore correptos animā à peccatorum concupifcentia. tanquam frœno quodā repreffiffe, & pſertim D. Hierony. eiufdē iudicij terrore affiduè perculfum fuiffe. S. Hubertus Leodienfis Eps ad extrema vitæ deductus, poft varias falutis monitiones, quas ad domefticos habuit, hęc adiecit, Mihi non mediocris infiftit angor reminifcenti minifterij mihi iniuncti, quanta debeat effe perfectio: & è contra, quām fit contemptibilis vitæ meæ inofficiofa correctio. Ecce Iudicis mei iam iamq; confidero à nuptijs reditum, cū tū mihi defint lampades repletæ bonorum operū pfectione. &c. *vt apud Sur.* 13. *Nouemb.* Exemplum terribile de iudicio Doctoris Parifienfis tpe S. Brunonis, vide apud Tyreū *de iud. part. c.* 6. *Belar l.* 2. *de Purg. c.* 4. *& Daur. tom.* 4 *exēpl. c.* 8. *tit.* 14. *exēpl.* 4. Sanè ficut Sol oēs ftellas fuo fulgore obfcurat, fic folius iudicij memoria fuo terrore oēs aīæ cōcupifcen-

pifcen-

piscentias extinguit, Vnde & Dauid obliuionem iudicij causam esse peccatorum docet, nā cū dixisset, Inquinatæ sunt viæ eius in omni tpe, addidit, rationem reddens, Auferuntur iudicia tua à facie eius. *Stap. in Promptuario morali in dom. 1. Aduent. Bessæus de 4. nouiss. conc. 1. de iudicio. Dionys. Carth. de remed. tentat. ar. 22. Io. à S. Gem. l. c. Nau. in Manu. prælud. 4. n. 26. idem Bellar. de art. mor. l. 2. c. 2.*

CAP. VII.

QVAESTIO LVIII.

QVID SIT INFERNVS, & quid de eo sentiendum.

QVid est Infernus, & quid de eo sentiendum? R. Est locus subterraneus, vbi impij æternis pœnis cruciantur, ac torquentur, pęnam sensus, & damni in perpetuum sustinentes. Nam sicut morte nihil miserabilius, vt iudicio ēt nihil est terribilius, præsertim huius seculi filijs obstinatè in scelera labentib. sic Inferno, eiusq; pœna, nil intolerabilius, ac infelicius excogitari pōt; ibi. n. teste diuina Scriptura. *Matth. c. 8.* Fletus est, ac stridor dentium; & ibi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. *D. Thom. in 2. sent. d. 6. q. 3. Valent. tom. 4. disp. 11. puncto 1. §. 1. Iodoc. Coccius in Thes. cathol tom. 2. l. 10. de 4. nouiss. Castr. in lib. aduersus hæreses in v. Infernus.* Bellarm. *l. 2. de Purg. c. 6.* Omnes ēt Philosophi, & Ethnici semper in cōfesso habuerūt, esse locum, vbi animæ quas immortales esse sciebant, pro demeritis, & male gestis punirentur, & perpetuò noxas luerent. Hoc & Plato *in libris de republ. atq; alijs dialogis* sæpius testatus est, cum Ermundam militem à morte excitatū inducit, vt animæ immortalitatem comprobet. Itē hanc ueritatem fassus est Plutarchus, qui in libro *de sera num. vind.* refert Thespesium quēdam, qui à morte surrexerat, asserere apud Inferos eos, qui iniustè vixerāt, prætextuque, ac opinione virtutis deliquerūt, grauius torqueri, quàm qui manifestè deliquerant. Et sūam omniū antiquorū de Inferorum loco luculenter exponit Macrob. Aurelius *l. 1. expositionis in somn. Scipionis Marci Tullij.*

QVAESTIO LIX.

QVIBVS PEONIS DAMNATORVM ANIMA in inferno crucientur.

QVibus pœnis animæ damnatorū ibi crucientur? R. Multis quidem supplicijs ibi afficiuntur, maximè tū pœna ignis ante iudicium vniuersale in anima, post illud uero in anima, & in corpore: qui quidem ignis ut instrumentum diuinę iustitiæ in corpora aget, & non consumet, iuxta illud *Iob c. 20.* Luet quæ fecit omnia, nec tamē consumetur. vbi *Pineda ver. 18. Lact. l. 7. diuin. Institu. c. 21. Barthol. Sybilla in Pereg. qq. c. 3. decad. q. 12. Io. à S. Gem. in sum. similit. l. 2. c. 16.*

Nec solum pœna sensus, sed ēt damni impij torquebuntur, nam intellectus amissione tāti boni. s. diuinæ visionis, voluntas acerrimo diuinæ iustitię odio, memoria, & recordatione bonorum, quibus in hac uita fruebantur, & peccatorū, quatenus tāti supplicij cā fuerūt cruciabunt. Et certè grauior est pęna damni, q̄ sensus, cum dāni pœna nō solum in se mala sit, sed ēt ipsam pœnam sensus producat. Sicut. n. uisio, & fruitio ex Theologorū snīa est omnium bonorum radix, ita eiusdē priuatio est oīum malorū fons. Vnde D. *Chrisost. hom. 24. in Matth.* tanti hanc diuinam visionem faciebat, ut diceret malle se mille alias pœnas sustinere, quàm eius in æternum expertem fieri. *Labata in verbo Infernus. proposit. tertia.* Cum autem in Inferno nulla sit redemptio, nulla ecclesiæ suffragia illis prodesse catholica docet fides. *Matth. cap. 25.* Propterea confessarij munus est, ne criminum pœnitentium particeps sit, peccatorum culpas, & pœnas exagerare, ut illos à malo statu reuocet, & ad pœnitentiā perducat. Bion. n. philosophus dicere uere solebat, facilem esse ad Inferos uiam; & homines oculis clausis illuc abire. &c. Et ut obseruat D. *Chris. homil. 31. in epist. ad Rom.* Inferni considetatio triplex commodum parit. s. huius mundi prospera cōtemnere, aduersa facilè tolerare, & talia opera agere, vt à pœna gehennę liberemur.

QVAESTIO LX.

IN QVAM POENAM INCIDERET, qui Infernum ac eius æternam pœnam negaret, vel Christum ad Lymbum descendisse.

QVi negaret Infernum, uel eius pęnā non esse perpetuam, pariter Dnm nostrum ad Inferos. i. Lymbum non descendisse, ut ex eo loco (qui Infernorum nomine censetur) ereptis Dæmonum spolijs, sanctos illos Patres è carcere liberatos, secū in Cœlum adduceret, in quam pœnam incideret? R. Mortalem culpam contraheret hæresisque labe inficeretur, quam si externo aliquo actu proderet, in excōicationem etiam Summo Pontifici reseruatam incurreret. *Nau. in Man. 4. prælud. in fi. Tolet. l. 4. c. 4. Sayr. l. 3. de cens. c. 4. nu. 19.* Quib. addo, non solum nos teneri, Infernum explicitè credere, sed etiam ad actu de illo cogitandum, cum ad euitandam aliquam tentationem id necessariū esse existimatur: cum nil sic ualeat ad sensus impugnationes superandas, quàm Infernalis pœnæ consideratio.

Infer-

Infernalium tormentorũ cõsideratio peccatores, vt dixi, ad pœnitẽdũ inducit, ad Diabolo resisten dum, carnem reprimendam, delitias, & voluptates effugiendas, & etiam ad bonum ope randum excitat vt propterea Diabolus, Inferni ignis fidem extinguere omnib. neruis nitatur, vt sic hominem excæcatum, & tenebris inuolutum per abrupta vitiorum ducat, dum non refugit pœnam, quam nõ credit, iuxta quem modum latro ad patibulum, vel crucem, velatis, & obductis oculis abripi solet. &c. *D. Chrisostom. in d. hom. 31. ad Rom. Lab. in App. ad conc. v. Infernus. prop.* 4. Vnde Ioannes Climacus *in scala Paradisi gradu* 4. narrat, se in monasteriorum visitatione fratrem quẽdam, qui cul. næ curam habebat, reperisse singulari lachrymarum gratia præditum, à quo cum sedulò sciscitatus fuisset, qua ratione tantum donum esset adeptus, demum precibus inductus frater respondit, se nunquam arbitratum inculinę ministerijs hoĩbus seruire, sed in suis fratrib. de Apostolis bene mereri, & ex ignis quem perpetuo cernebat conspectu, vasta ignis Inferni incendia animo versasse, quæ consideratio vberes ex oculis lachrymas elicere solebat. Ideò boni confessarij, vt dictũ est, officium erit peccatorum culpas, & pœnas illis exaggerare, vt illos à peccatis ipsis reuocet, & ad veram pœnitentiam perducat. Dixi veram. &c. Siquidem saluari nõ præsumitur, qui non Dei amore, sed formidine mortis, & Inferni, signa tantum pœnitentiæ dedit, vel dum sanus esset, vel in extremis laboraret. *Nau. in c. nullus, & in c. si quis. de pænit. d. 7. Menoch. lib. 6. de præsump. præsump. 95. Bust. p. 2. serm. 21. Discip. serm.* 156.

QVAESTIO LXI.

AN PRAETER INFERNVM DENTVR etiam alia animarum receptacula.

AN præter Infernum dentur & alia animarum receptacula post hanc vitam? R. Quatuor esse sub terra loca, in quib. animæ quæ ex hoc sæculo discedunt, exceptis his, quæ statim in Cœlum volant, includuntur. Primus est Infernus, in quem vt supra innui, aĩę cũ mortali culpa decedentium detruduntur. Secũdus est Lymbus puerorũ, qui sine salutari baptismi aqua moriuntur, & ibi Dei visione carentes non sensus, sed damni pœnam patiuntur. *Catechis. Rom. in exposit. Symb. Val. tom. 2. q. 17. de peccatis puncto 4. Pet. Sot. de Instit. Sacerd. lect. 2. de Purgat.* Tertium receptaculum est, quod sinus Abrahæ dr̃, à quo Dñs noster iustos hoĩes extraxit, eisq; passionis suę fructũ impertiuit. Quartũ est Purgatoriũ, vbi aĩæ; quæ ex hoc sæculo nõ ita puræ, vt ad Deum videndum opus est, exierunt, vltore expiantur igne; qui quidem locus qũo in inferiorib. terræ partib. sit dispositus, nulla põt certa ratione demonstrari, cum res occulta sit. &c. *Concil. Trid. sess. 25. Decreto de Purg. c. qualis. dist. 25. Castren. in v. Purgatoriũ. Suar tom. 4. d. 45. Conimch. disp. 11. de Purg.* Et quamuis hæc receptacula in terræ visceribus abdita sint, non tñ semper animæ ibi in Purgatorio cruciantur: sæpissimè. n. Deus aliquib. aliqua alia loca cõstituit, vbi propter occulta eius iudicia expurgantur, vt constat ex *D. Gregor. lib. 4. dialog. c. 40. & 55.* qui refert, animam Paschasij, & cuiusdã alterius in balneis depurgatas esse; nec nõ ex epistola Petri Damiani de miraculis sui tpis, vbi describit visionem de expiatione animæ S. Seuerini in quodam flumine. Et etiam ex *Barthol. Sybill. in pereg. qq. c. 3. p. decad. q.* 2. narrante de quodam Gulielmo de Coruo, qui propter matris offensionem, in quam deliquerat, particulare Purgatoriũ in cubiculo domus per duos annos pati debebat. *Bellarm. de Purg. l. 2. c. 6. Nau. in c. fi. §. si quis de pænit. d 7. Viual in Cand. aur. de Purg. n. 6. Archid. & Turrecr. in c. tempus. 13. q. 2. Matol. in dieb. canicul. colloq. 22. Sot. in 4. d. 19. q. 3. ar. 1. Fernandes. par. 3. c. 8. §. 1. num.* 15.

QVAESTIO LXII.

QVANTA SIT PVRGATORII POENA, & quàmdiu ibi animæ crucientur.

QVanta est pœna Purgatorij, & quàmdiù ibi animæ torquentur? R. Qui in aliud sæculum distulit fructum cõuersionis, prius purgabitur igne purgationis. Hic autem ignis & si æternus non sit, miro tñ modo grauis est, excellit. n. oẽm pœnam, quam vnquam aliquis passus est in hac vita, vel pati potest, vt ait D. *Aug. de vera, & falsa pænit. c. 18. relatus in c. qui in aliud. d. 25. Benzon. de Iub lib. 5. c. 13. Nau. l. c. §. si qs Zerula de Indulg. l. 1 c. 20.* Et q̃ graues, & acerbę sint purgatoriæ pœnę, exemplo cuiusdem, qui eas expertus est, comprobat. *D. Ant. 4 p. tit. 14. c. 10 §. 4 & Ribad. l. 1. de tribulat. cap. 7. Daur. de exemp. tom. 4. c. 8. tit. 20. exemp* 1. Q'ò ad 2. dico solum Deum scire, quàmdiù anima in illo igne sit torquenda, attamẽ Sotus pijssimus author *in 4. sent. d. 21. q. 2. ar.* 1. cui adhærent. *Viual. l. c. nu. 8. & Corrad. in resp. cas. consc. q. 189. Molfes. in summa. tract. 7. cap. 26. num. 22. Iodoc. in thes. theolog. in verbo. Purgatorium.* immensam Dei erga suos misericordiam, & tormentorum grauitatem, & acerbitatem considerans, credit neminem ibi manere ad decem annos. Cui tñ sententiæ probatissimæ sanctorum visiones repugnant, quæ satis indicant nõnullos defunctos in illo carcere vsq; ad diẽ iudicij detẽtos iri, sed ut ait. *Bellar. l. 2. de purg. c. 9.* Incerta hæc res est, sicut etiã controuersum est, an

à Dæ-

à Dæmonibus animæ in Purgatorio torquerantur. Atq; hæc manent inter secreta, quæ suo tempore nobis aperientur.

QVAESTIO LXIII.

AN ANIMA DETINEATVR IN PVRGATORIO ob negligentiam hæredum non restituentium, &c.

Vtrum anima defuncti ad aliquam restitutionem obligati si illã per suos hæredes faciendam relinquat, antequam ipsa res restituatur, ab illo Purgatorio carcere in libertatem vindicetur? R. Liberari, esset namq; contra diuinam iustitiam, si quispiam ob alienam culpam plecteretur, vnde et sequeretur, si hæres nunquam restitueret, illũ et nũquam ab huiusmodi pœnis expediri, nec salutem consequi, q affirmare oĩno à rõne alienum est: verũ tñ est, q si negligenter restituẽdũ curauit, de sua negligentia pęnas luet. Hinc ineptè contrariã tuẽtes sententiam regulam illam ex *D. Aug. doctrina* collectam afferunt, Peccatum nõ remitti, nisi restituatur ablatum: quia hoc pronuntiatum intelligendũ est, cum fieri potest restitutio, & de remissione culpæ in hac uita, & non de remissione pœnæ in alia. Ex hoc tñ constat, illos sibimetipsis hostes, parum animæ suæ salutem curare, qui restitutionem vsq; ad vitæ periodum differunt, vel post mortem, vt ab hæredib. fiat, relinquunt. Quisq; igitur conscientiã suam, quæ ut D. *Greg. Nazian.* loquitur, verum, & domesticũ tribunal est, ut in reliquis, ita in his reb. maximè cũ põt, exonerare nõ cesset. *Sot in 4. d. 45. q. 2. ar. 3. Nau. c. 17. n. 68. Vigual. de Purg. n. 16. Carbo. de rest. q. 5. Salon. 2. 2. q. 62. ar. 2. cõcl. 2. Bellar. 2. de Purg. c. 16.*

QVAESTIO LXIV.

QVOMODO ANIMAE A PVRGATORIO liberentur.

Qvomodo animę à Purgatorio liberantur? R. Dupliciter à pœnis absolui. Primo per integram satisfactionem, cum. s. pœnam temporalem per diuinam iustitiam eis indictam perpesse sunt, tunc. n. cũ solutione eius, quod debetur, omnis tollatur obligatio, satisfactione peracta, statim ad cœlum euolant. Secundo per viuorum suffragia ante statutum tps in libertatem vindicãtur. Primo oblationibus sacerdotum. Secundo precibus iustorum. Tertio charorum eleemosynis. Quarto ieiunijs cognatorum, & et indulgentijs, quæ per modum suffragij illis applicantur. Et licet ex obiecto, & absolutè loquendo, animæ magis missæ sacrificio adiuuẽtur; si tamen pro aliquo defuncto multa sint oblata sacrificia, & aliunde pauperum inopia, ac necessitas vrgeat; satisfactio per eleemosynas Deo acceptior erit, quàm si missarum oblationes multiplicarentur: huc enim spectat illa ipsius Dei approbatio, Misericordiã volo, & nõ sacrificiũ. *Sot. in 4. dect. d. 45. q. 2. ar. 3. Ferrãde san Theol. Mor. p 3. c. 8. §. 1. q. 19. c. animæ. 13. q. 2. Gabr. lect. 57. super can. missæ. Tolet. l. 6. c. 26. Bellar. l. 2. c. 15. & seq. de purg. Suar. tom. 4. de Indulg. disp. 53. sect. 4. Vigual. l. c. n. 10. Zerula de Indulg. l. 1. c. 21. Turrecr. & alij in c. aĩa. 13. q. 2.*

QVÆSTIO LXV.

QVID SIT COELESTIS BEATITVDO.

Qværo postremo quid sit beatitudo Cœlestis, quæ inter hominis nouissima cõnumeratur? R. Est uita æterna, in qua est omnium malorum liberatio, & bonorum adeptio: vel est status omnium bonorum aggregatione perfectus, & ultimus hoĩs finis, qui in clara Dei uisione, & fruitione cõsistit, initiatiuè quidẽ, ut dicunt, in intellectu, & completiuè in uoluntate. *D. Thom in 4. sent. d. 49. ar. 2. D. Ant. 4. p. tit. 7. c. 4. §. 1. Viguer. in Instit. cath. cap. 14. versi. Petr. Morales in Matth. lib. 5. tr. 11. n. 1. & 2. Combrec. de stud perfect. l. 1. c. 29. Vasq. tom. 1. in 12. d. 17. c. 1. Nau. in præl. 4 ad Man. Alphon. de Castr. in sum. contra hæreses. in v. beatitudo.* In qua quidẽ beatitudine duplex est præmium, aliud essentiale, quod in clara Dei visione consistit, & corona aurea nuncupatur, aliud accidentale, quod in ornamẽtis quibusdam spiritualibus animæ, & corporis, preter essentialem felicitatem, quibusdam sanctis, uel Cœlicolibus tribuitur, s. Martyribus, Doctoribus, & Virginibus, & ut quibusdam placet, et Religiosis, & dicitur Aureola. Rursus bonorum christianorũ corpora post resurrectionem quatuor dotib. ornabuntur, nempe claritate, subtilitate, agilitate, & immortalitate. *vt per D. Th. 1. p. q. 12. ar. 7. Val. tom. 4. d. 11. q. 5. p. 2. Molfes. tom. 1. ad consuet. Neap. p. 6. q. 1. n. 3.* Hæc est sanè uita æterna, q̃ in postremo symboli articulo confitemur, quo nomine beatitudo uocatur, ad significandum, illam esse summum hominis bonum, & maximè ab eo expetẽdum, cum uita in maximis bonis, quæ natura expetuntur, numerari soleat, nam si exigua hæc uita præsente, quæ tot, ac rãuarijs miserijs subiecta est, ut mors uerius dicenda sit, nihil magis amatur, nihil aut charius, aut iucundius esse potest; quo tandem animi studio, qua contentione æternam illam uitam quærere debemus, quæ defunctis omnib. malis perfectam, & absolutã bonorum oĩum rationem coniunctam habet? Item æterna uita dicitur, ne qs existimaret eam in reb. corporeis, & caducis, quæ æternæ esse non possunt, (ut, quidam philosophi falsò putarunt) consistere; si quidem teste Saluatore nostro. 1. *Io.* 2. longissimè à uiri-

ueritate recedunt, qui rebus huius mundi afficiuntur: ſed ſi vlla eſt in terris felicitas, & beatitudo, q̃ eſſe, & ſi rudem, & inchoatam Theologi docent, & illam vates regius illis verbis expreſſit, Beati immaculati in via, ea eſt viri diuino robore firmati terrena deſpicientis, ſua ſorte contenti, atq; ad Cœleſtia ſemper aſpirantis. Cuius felicitatis ardore ſuccenſus D. Franciſcus cũ interrogaretur, quomodo tàm tenui amictu hyemalis algoris aſperitatem tẽperaret, reſpondit, Si ſupernę flamma patriæ per deſiderium contegeremur, facilè nos ab hoc frigore tueremur. Et D. Dorothea virgo à Sapricio Præfecto aliquãdiù torta, cum iam ad capitale ſupplicium duceretur, gaudeo, dicebat, me ad ſponſum pergere, cuius Paradiſus omnium floru ferax amœnius vernat, quàm dici poſſit. Verè non erit ibi amplius, neq; luctus, neq; clamor, ſed nec vllus dolor, quæ prima abierunt. *Sur. in eius vita tom. 1. 6. Februar.* Rectè *D. Ambr. lib. 2. off. c. 1.* In honeſtate vitam beatam poſitam eſſe minimè dubitauit, ſed illam, inquit, ſcriptura appellat æternam, oſtendens, aliam chriſtianorum, aliam ethnicorum vitam fuiſſe beatam, tantus, n. ſplendor honeſtatis eſt, vt vitam beatam efficiant tranquillitas conſcientiæ, & ſecuritas innocentiæ. Beata planè honeſtas eſt, quę non alienis æſtimatur iudicijs, ſed domeſticis percipitur ſenſibus tamquã ſui Iudex, neq; .n. populares opiniones pro mercede aliqua requirit, neq; pro ſupplicio pauet, itaq; quò minus ſequitur gloriam, eo magis ſuper eam eminet; nam qui gloriam quærunt, his iã merces præſentium vmbra futurorum eſt, quæ vitã æternam impediat, hæc ille. Quippe gloriæ cęleſtis meditatio humana corda ad Deum conuertit, iuxta illud Dauidis *Pſ.* 16, & 118. Propter verba labiorum tuorũ ego cuſtodiui vias duras. Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas propter retributionem. Ad hæc non ad animæ modo tentationes effugandas conducit, ſed & huius uitæ acerbitates, & labores dulces reddit, vt ipſe uates regius alibi fatetur; Hæc me conſolata eſt in humilitate mea. *Beſſeus conc. 1. de gloria cæleſti.*

QVAESTIO LXVI.

QVIS FRVCTVS DOCTRINAE DE QVAtuor nouiſſimis tradita.

QVis ergo fructus huius doctrinæ, quam de quatuor nouiſſimis tradidimus? R. Hęc nouiſſimorũ meditatio ad malũ declinandũ, & bonũ peragẽdũ cõfert, q eſt chriſtianæ ſapiẽtię, & iuſtitię finis Alexãder Oliua ord. Auguſt. Generalis Pręfectus à Pio II. S. Rom. Eccl. Card. creatus, (qui dicere ſolebat, Difficilius, ſed laudabilius eſſe hominẽ fieri bonum, quàm doctũ, utiliorẽ ſibi, & alijs eſſe, moribus præſtantem, quàm doctrina excellẽtem,) in domeſtico ſacello ſepulchrum clã extrui curauit, in ſcrinij ſpeciẽ, ita vt facile recludi poſſet. Intus depicta erat, imago Cardinalis mortui eo habitu oris, & ueſtium, quib. ipſe indutus erat. Inſcriptumq; in interiori ſepulchri latere, In omnib. operib. tuis memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis. Aperiebat arculam illam quoties otaret, eamque imaginem ſpeculabatur. Interrogatus initio morbi in quo loco ſepeliri vellet, animã inquit, iampridẽ Deo dedi, nunc corpus Pio Pontifici relinquo, vbi is me volet ſepelitote. Rogatus etiam quid ſuis mandare vellet, nil, inquit, niſi vt boni ſint, rectéq; uiuant. Inſtante morte ſuis religioſis fratribus ei dicẽtibus, ne quid timeret, quid aiebat, ego timeã, q ad nuptias eo? &c. Hinc iure q̃dã vates exclamat,

O felix mortale genus, ſi ſemper haberet
Aeternum præ mente bonum, finemq; timeret.

Tympius in Speculo Magno ſigno 139. Hoc nobis Chriſtus ſeriò inculcat, Attendite dicens. *Luc. c.* 21. ne ſuperueniat in vos repente dies illa, tanquam laqueus. n. ſuperueniet in omnes, qui ſedent ſuper faciem omnis terræ. Sedent autem ſuper faciem terræ, qui ſuper terram, & in reb. voluptatibuſq; terrenis, quietem ſuam, ſolatium, & delectationem ſtatuunt, cum otio, ſecuritate, ſine metu, ſine nouiſſimorum memoria viuentes, nihilq; cogitantes, quid poſtea futurum ſit, in quem finem creati. &c. quos etiam inclamat Perſius,

Eſt ne aliquid quò tendis, & in quod dirigis arcũ.
An paſſim ſequeris coruos? Quippe vt alter dixit,
Vna eſt viuendi, ac moriendi regula rectè,
Vt moriare pius, viuere diſce pie.

Hæc eſt tota vera ratio, cur pauci artem bene, & feliciter viuendi, ac moriendi addiſcant, quia vel non cogitant, vel non ſerio perpendunt ea, quæ æterna ſunt, & non videntur, quandoquidem viſcocarnalis concupiſcentiæ capti mentem à reb. præſentibus, terrenis, & caducis auertere, & ad futuras magnas, pretioſas, & ſempiternas conuertere nolunt. Quod *Apoſt. 2. ad Cor. 4.* his verbis ſignificauit; Id quod in præſenti eſt momentaneum, & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis: non contemplantib. nobis, quæ uidentur, ſed quæ non videntur, quæ. n. videntur, temporalia ſunt, quæ non videntur æterna. *Iuſt. in Tob. c. 9. verſ.* 11. *in doc. Bellarm. de arte bene mor. l. 2. c.* 15.

Aduertendum, nõ illum per ſalutis viam non incedere, nec eſſe in conſcientia tutum, qui principaliter, & ea tantũ de cauſa Deum amat, vel ei ſeruit, ut æternam vitam retribuat, & à peccatis ſolum abſtinet, ne perpetuis crucietur tormẽtis, ſiquidem finem ſuum in Deo non habet, ſed in ſeipſo, ſeu in creatura ipſum conſtituit, nec amore amicitiæ, ſed

concupiscentiæ ipsum creatorem diligit.&c. *D.Thomas 22. quæst.27.art.3. Syl. in v. charitas quæst.7. Corrad.in qq. mor.q.37. Lopez.p.1.c.40.*

Hæc sũt,quæ de rudimẽtis fidei,& doctrinę christianę,occasione interrogationum,quę circa prima tõsura initiandos fieri possũt,attigisse ꝑ modũ catechismi nobis visum est,quò nõ ipsi tm̃,sed alij ẽt clerici eruditiores,atq; instructiores fierẽt, & in laicos postmodũ haustã doctrinam transfundere possent: In re.n. lõge grauissima, & qua diuini cultus augmentum,animarumq; salus nititur,nulla nimia diligentia videri potest. Vnde si in hac re longius forte quàm par erat, calamum extẽdimus, hac ẽt rõne fecimus, vt ex eorum animis miserãdam socordiã, ac supinam atq; adeò exitiabilem in christianæ disceplinæ studio negligentiam excuteremus,qui vel adulti,ne ea quidẽ scire,tenereq; curant,quę ignorari salua religione nõ possunt,&c. Cum tamen Dominus per *Malach.c. 2.* intimet, quod labia clerici custodiẽt debent scientiam, & legem requirere ex ore eius,qnia Angelus Domini exercituum est. Et sanè sicut ait *Chrisost.hom.*88.*in Matth.*&alibi meminimus, Sicut stomachus cibum suscipiẽs eum in semetipso coquit, & per totum corpus dispergit:sic & clerici sermonis scientiam per scripturas ex Deo hauriunt. Secumq;eandem prius digerẽtes, sancta quadam meditatione vniuerso deinde populo illã distribuunt. At de iuris rigore, & ex vi Cõcilij Tridentini,& Cathechismi Romani, à primã tõsuram petentibus,vt aliàs dixi,hæc simplici modo interrogari poterunt.

An legere,& scribere apte sciant.
An sint chrismate confirmati.
Qua de causa clericalem habitum assumant.
Quod nam vitæ genus antea gesserint.
Quid capillorum tonsura significet.
Qui sint articuli fidei.
Quæ præcepta decalogi.
Quæ præcepta ecclesiæ.
Quæ Sacramenta.
Quæ virtutes theologicæ, & quæ Cardinales.
Quæ opera misericordię,tàm Spiritualia,quàm corporalia.
Quæ dona Spiritus sancti,nec non qui fructus.
Quæ vitia capitalia, & quæ virtutes his oppositæ; & de alijs etiam, quæ in libellis christianæ doctrinæ breuiter, & concisè continentur, &c.

Quis aũt modus diuinam cõparãdi scientiã sit à clerico adhibendus, *D.Thomas opusc.*68.tradit,dũ studioso quædam fugienda,& quædam consectanda præscribit. Vitanda sunt,ait,Multus sermo,curiosa in res alienas inquisitio, nimia familiaritas, discursatio. Amplectenda vero sunt conscientiæ puritas, precationis studium, solitudinis amor, morum amabilitas, Sanctorum, ac bonorum imitatio,non dicentis,sed dicti consideratio,res auditione perceptas intelligendi cura, & memorabilium rerum ad memoriæ thesaurum appositio.

ALII ARTICVLI SVPER QVIBVS quò ad minoribus ordinibus initiandos, interrogationes formari poterunt. Cap. VIII.

QVAESTIO LXVII.

QVÆ DISPOSITIO IN MINORIBVS ordinibus initiando requiratur.

QVæ dispositio requiritur in eo,qui minoribus ordinibus initiandus est? R.Multa in eo exiguntur. Primo vt sit mas non fœmina: nam ex ritu, quo ecclesia ordinis Sacramẽtũ suscepturos signat, satis deducitur, viros tantum illud suscipere posse, iuxta Christi Domini nostri institutionẽ, qui nullã fœminam, nec matrem quidem suam Sãctissimam in Cœnaculum admisit, cum augustissimum Sacramentũ Eucharistiæ instituit, & suos Apostolos Sacerdotes creauit dicens, Hoc facite in meam commemorationem,&c. *Luc.c.*22. Ideo Sancta Ecclesia viros tantum in clericorum sortem admittit, cũ coronæ cerimonia, quæ mulierib. non conuenit, cũ eis crines pro velamine dati sint,& eis comam nutrire, vt loquitur Apostolus, sit gloria 1. *ad Corinth.* 11.*c.mulierem* 33. *q.vlt.* Quod adeò verum est, vt si fœmina, vel hermaphroditus in sexum fœmineũ vergens,de facto ordine insigniatur,nec charactẽrẽ quidem recipiat. Imò cum hęc prohibitio à iure diuino descendat, nec Pontifex mulierẽ hac lege soluere poterit,vt ad ordines promoueatur. Quæ est cõmunis Doctorum assertio. Ac sane catholicæ ecclesiæ perpetua consuetudo fuit, nullam mulierem ad ecclesiasticæ officia admitti, & præsertim ad clericalis ordinis,ac Sacerdotij dignitatẽ, cuius siquis onera, functiones,&eximium gradum contempletur,& mulierum leuitatem,garrulitatem, incõstantiam,& fragilitatem animaduertat,statim etiam si ne aliqua lege(quæ tamen extat)iudicabit,mulierẽ ab ecclesiastico munere remouendam, vt proindè Lutherum,& quoscunq; illum impiè secutos pudere debeat,fœminæ tribuere, quod natura, lex, scriptura,& ecclesię usus illi negauit,&c. *in c. Diaconissam.* 27.*q.*1.*tradit Abbas,& alij in c.noua ext.de pœnit.& remiss. Sotus in* 4. *dist.*25.*q.*1. *art.*2. *Decius, & Cagnol in l.fœminæ ff.de reg. iu. Henriq. de Sacramento ord.c.*16. *Reginal.l.*30. *tract.*1. *c.*6. *Maiol.de Irreg.c.*28. *Vival.*3.*p.cand. aureæ c.*3 *Sayrus de Irreg.l.*6.*c.*2.*& c.*28.*n.*25. *Conin. disp.*20.*dub.*10. *Vasquez.disp.*245. *Campan.in Diuers. Iur.canon. Rub.* 11.*c.*2. *Felic.Capit.in Explicat.Cath.pa.*3 *explicat.* 50.*T*-

30. *Tusch. in verbo mulier. conclusione 415.*

2 Secundo ordinandus debet esse baptizatus, cũ ordo sicut & alia Sacramenta characterem baptismi, qui est ianua Sacramentorum, necessario supponat, cõfirmationis vero ex congruitate tantũ. Vnde salutari aqua non abluti, sic sunt ordinum incapaces, vt nihil fiat, si ordinentur; nã licet triplex distinguatur baptismus, vnus fluminis, alter flaminis, tertius sanguinis, attamen solus primus hic nomine baptismi intelligitur, cum solus vere, & proprie Sacramentũ sit, de quo ecclesia profitetur, Confiteor vnum baptisma in remissionem peccatorum, & *D. Paulus ad Ephes.* 4. Vnus Dominus, vna fides, & vnũ baptisma. Cæteri.n. in ordine ad illum baptismi dicuntur, quatenus quò ad animæ salutem in casu necessitatis eius vicem supplere possunt, & simul spiritualem effectum, qui est remissio peccatorum, cum gratiæ iustificantis infusione, apti sunt producere. *c. 2. de presbyt. non baptizato, c. baptismi vicem de cons. dist. 4. D. Thomas in 4. dist. 4. q. 3. art. 1 q. 1. & 3. p. q. 66. art. 11. D. Ant. 3 par. tit. 14. c. 13. Conin. de baptismo q. 66. art. 11. Reginal. l. 27. c. 1. Nau. in Man. c. 22. n. 5. Tolet. in summa l. 2. c. 21.*

3 Tertio opus est, vt sit rationis capax; nã infantibus, furiosis, vel amentibus, quod vsu rationis careant, Sacramentum hoc dandum nõ est, quamuis si ijs quoq; administraretur, Sacramenti characterem in eorum anima imprimi certo credẽdum sit, cum ad validitatem Sacramenti vsus rationis in suscipiente nõ requiratur, sed sufficiat, vt sit capax spiritualis potestatis, q̃ ad aliquos actus cõferatur, &c. vt est cõmunis omnium Theologorũ sententia, teste *Greg. de Valent. tom. 4. disp. 9. q. 4. puncto 1. & etiã Canonistarum in c. 1. ext. de cler. per sal. prom. Reginal. l. 30. tract. 1. c. 6. n. 30. & Conin. de ord. disp. 20. dub. 10.*

4 Quarto, vt ad illos suscipiendos recta intentione ducatur, vt. s. Deo inseruiat, & animas lucretur, non vt laute viuat, & mũdi laboribus se subtrahat, vel etiam, vt seculare forum declinet, &c. vt supra dixi de prima tõsura initiando ex Catech. Rom. de Sacramento ordinis, *tract. 3. c. 1. q. 1.*

Quippe puritas intentionis, quæ in clerico fulgere debet, testante *D. Bernardo epist. 42.* In duob. cõsistit, in quærenda videlicet gloria Dei, & vtilitate proximi, Et vt ait D. Greg. Nazianz. in Apologet. Hic est omnis spiritualis Prælaturæ finis, priuata vtilitate neglecta, propter Deum aliorum commodis inseruire. Intentio namq; finis est, qui bonitatem, vel malitiam in bono opere confert, & est anima nostra, seu speculum, quod sitentiæ opponatur, non nisi terram, si Cœlo, non nisi cœlestia repræsentat. *Feder. de Senis. cons. 13. Gemin. cons. 7.*

5 Quinto, vt nulla censura, vel irregularitate sit irretitus, nam iure canonico, nõ quò ad essentiam, sed de præcepto ordinis incapaces sunt illi, q aliquo ecclesiastico impedimento sunt affecti, vt infra de censuris, & irregularitate dicemus. Propterea valde expediret, vt nullus, qui ad minores ordines vult promoueri, ad examen admitteretur, nisi prius peccata sua idoneo, & docto confessario confessus fuisset, qui vitæ cõditionem in ordinãdo scrutatus iudicauerit, an ob aliquod impedimentum ab ordinatione abstinere debeat.

6 Sexto, vt labe peccati mortalis non sit infectus; nam, & in minoribus ordinib. communicatur gratia, & charitas, cũ Spiritus sancti donis ad præstanda digne ministeria, ad quæ ab ecclesia instituuntur, propterea ex aliquorũ sententia, grauis admittitur culpa, eos cum conscientia lethalis noxæ suscipere, eo quod per illam obex diuinæ gratiæ apponatur, estq; magna irreuerentia, sic male dispositũ & imparatum ad illos accedere. Non prærequirit autem per se, & de rigore Sacramentalem confessionem, sed solũ prout illi adiũgitur eucharistiæ sumptio, vnde sufficiet pœnitentia, quam oportet esse veram contritionem, aut certe talem existimari, qđ tamen in actu practico difficile est. Proinde etiã testimonium de vita, & moribus, & frequentatione confessionis à suo parocho habere debet, &c. *Nau. c. 25. n. 72. Reginal. l. 6. n. 32. c. 7. n. 37. Lud. de Ponte de perfect. tom. 4. tract. 1. c. 2. §. 2.*

7 Septimo recta fides, debitaq; voluntas, vt licite recipiatur, requiritur: ad validitatẽm tamen Sacramenti huius sufficere potest ecclesiæ intentio, siquidem interpretatiue cẽsetur eadem esse quoq; Sacramentũ suscipientis mens, quando ipse per se propria sua voluntate non repugnat, qua ratione paulo ante diximus, non habentem vsum rationis esse istius Sacramenti capacem: si vero ordinem suscipere contraria voluntate quis restiterit, & nullo modo consentiret, tunc ordo haud valide conferretur, vt de baptismo dicitur. In dubio tñ volũtas adfuisse censetur, & generaliter actus factus præsumitur, vt valeat, & duret: & tanta est iuris, & Doctorũ præsumptio pro actus validitate, ut omnes alias præsumptiones uincat, *cap. maiores § item primo ext. de baptismo, atque id ibi notat Abbas, & alij Doctores Vgol. de off. epi p. 2. c. 26. §. 5. Bonac. de sacr. disp. 8. q. 1. punct. 5. n. 2. & n. 39. & seq. Alex. cõs. 171. Decian. cons. 61. n. 30. Roland. à Valle tom. 3. cons. 61. nu. 23. Mantica de coniect. vlt. volunt. l. 2. tit. 17. n. 13. 7 u sch. in v. actus concl. 136. & v. volun tas concl. 286.*

8 Requiritur scientia, ut. s. qui ad huiusmodi minores ordines admitti cupit, lingua m latinam calleat, & exactius quàm prima tõsura initiãdus christianam doctrinam, uel fidei rudimenta sit edoctus, Cõc. Trid. *sess. 23. c. 11. Conin. de ord. disp. 20. Ser. in Prax. episcopali in v. orda §. 2.* Propterea, ut supra annotauimus, ordinandus testimoniales literas à Parocho,

rocho, uel ludi magistro habere debet, quib. cōstet, ipsum gymnasium modestè frequētare solitum fuisse, bonis moribus præditum, christianæ indolis esse, in literis satis proficere, & eam de se spem præbere, ut fore aliquando idoneus videatur, qui maioribus ordinibus suo tempore initietur. Idcirco ei & tradetur aliquis liber, put Missale Romanū, vt examinandus aliquod euangelium, vel epistola m construat, & latinas voces materna lingua explicet; aliquod itidem thema vulgari sermone proponetur, quod latinum ab eo reddatur, vt sic experimentum fiat, an vt Concilium præcipit, linguam latinam calleat, &c. Postmodum ex sequentibus quæstionibus Examinatores aliquas interrogationes faciendas haurient.

QVAESTIO LXVIII.

QVID SIT ORDO IN GENERE, ET QVI nam sit Sacramentum, &c.

QVæritur, quid sit ordo, & an sit Sacramētum necessariū? R. Ordo varijs modis accipitur. Primo pro eo respectu, quem res quæ & aliquo modo differunt, & in aliquo etiam conueniunt, inter se habent, Vnde *D. Augustinus libr. 9. de Ciuit. Dei c.* 13. ordinem hoc modo sumptū diffiniēs, est inquit, parium, dispariumq; rerum sua cuiq; loca tribuens, dispositio. Quo quidem ordine in reb. humanis nil pulchrius, & vtilius est, vbi. n. nō est ordo, ibi est cōfusio. Et merito Philosophi dicūt, sapiētis esse ordinare, ac subinde Deum esse sapientissimū, quia omnia rectè, & secūdum ordinem disposuerit. Ideo & *Apost. ad Corinth. c.* 14. iubet, oīa honeste, & secundū ordinem fieri. Sic dicimus gradatim, & ordinatim ad honoris culmina ascēdendū esse, & eū q aliter facit, præcipiti, casū sibi parare *c.* 2. *d.* 48. Quinimo ordinis peruersio, vel præposteratio in his, quę sunt de substantia actū ipsum vitiat, & infringit. *Castr. cōs.* 322. *Eneratdus in top. leg. in loco ab ordine*. Addo quod ordo cōcordiam, & pacem alit, atq; fouet, Et iurib. magnæ curę fuit, vt ex ordine alter alteri pręsit, & alter alteri subsit, quò dignitatis norma seruetur, nam ex Boetij sententia.

Sic quod præcipiti via
Certum deserit ordinem,
Latos non habet exitus.

Menoch. conf. 126. Hinc, & ecclesia dicitur ordinata *Cant. c.* 6. ordo. n. cum primis in ea est necessarius; de quo multa præclarè scripsit *D. Gregorius Nazianzenus in oratione quam inscripsit de modestia in disputationibus seruanda*, dicens, ordinem colligere, & coniungere, disiungere vero inordinationem: cum & respublica tunc bene se habere dicatur, cum vnusquisq; suum ordinem seruat. Nec abludit illud *D. Bernardi epist.* 321. cum ait religiosis, soliciti sitis circa custodiam ordinis, vt ordo ipse vos custodiat, &c. Hinc & *Maranta in proœmio suæ Praxis, & Tusc. in v. ordo cōcl.* 197. dicūt, qd cū ordo sit modus agendi, sine quo nihil rectè agitur, In religiosis, lin ecclesiasticis, & in omnib. quę aguntur, diuina, atq; humana ministeria ordine reguntur.

Secundo ordo significat quemuis statum siue ciuilem siue ecclesiasticū; sic. n. dicimus aliquos esse in ordine Senatorio, equestri, plebeio, laico, clericali, virginali, continenti, vel regulari, coniugato, &c. de quibus nos pro tenui nostra virili integrum Cōmentarium confecimus.

Tertio per antonomasiam, & quandā appropriationem designat certum quendam gradum, siue statum clericorum, ad certa ecclesiastica officia destinatorum, sicut. n. Sacramentum confirmationis nominatum est à suo effectu confirmandi, seù corroborandi animum per gratiā, qua m producit, ita istud dictum est Sacramentum ordinis à suo effectu constituendi in quodam gradu ecclesiasticæ dignitatis per potestatem, quæ illius susceptione acquiritur. *Reg. l.* 31. *n.* 1. *Coninch. de sacr. ord. d.* 2. *dub.* 1. *Molfes. tract.* 2. *c.* 1.

Quarto demum accipitur pro ipsa actione, qua huiusmodi personæ Deo dicantur, & consecrantur, quam communiter ordinationē vocamus. Nam cū catholica ecclesia ad similitudinem Hierarchię Cœlestis diuina ordinatione sit instituta, qui ex Epis, Presbyteris, & ministris constat, ex Cōc. Trid. *sess.* 23. *can.* 6. Et cum tota hæc Hierarchia suū spiritualem splēdorem habeat, Christus Dominus insigne Sacramentum instituit, quod ordinem, vel ordinationem appellamus; nam quamuis verum sit, quę à Deo sunt, esse ordinata, & in repub seculari magnū esse ordinem, ac multo præstantiorem in religiosa, (quo nomine religio appellatur ordo,) maiori tamē cum excellētia in ecclesiastica republica, & Hierarchia inuenitur, quæ huic Sancto Sacramento innititur. Qui diffinitur, vt sit signaculum quoddam ecclesiæ, quo spiritualis potestas ordinato tradit. Quę diffinitio perfecta dicitur, quia quatuor ordinis causas exprimit, causa. n. efficiens significatur per illud verbū ecclesia, nam episcopus qui ordinem cōfert, est ecclesiæ minister, & ordinato, quam ipse habet, ipsius ecclesiæ potestatem tribuit. Causa materialis & formalis, denotatur per illud verbū signaculum, quod idem est quod signum rei sensibus subiectæ, quæ gratiam, & facultatem collatam demonstrat. Illa verba, spiritualis potestas tradit ordinato, causam finalem declarant, quę est idoneos ministros in ecclesia constituere, cum potestate debita ad Sacrificium missæ celebrādum, vel illi rite ministrandū, nam per gratiam quam confert, suscipientes fiunt Deo grati, & per characterem, quem imprimit, ad ordines

ordines ſuos ritè exercendos idonei fiunt, &c. Côc. Trid. *ſeſſ. 23. de ord. ca. 3. & 4. & can. 3.* Atq; ex hac diffinitione ſatis neceſſitas ordinis intelligitur, eſt enim ita neceſſarius, vt excepto baptiſmo, nullũ magis Sacramentum, quandoquidẽ, vt ait Catheciſmus Romanus *in principio de ordine*, reliqua Sacramenta ita ab iſto pẽdent, vt ſine illo neq; cõfici, neq; populo miniſtrari poſſint, &c.

Secundo ex illa colligitur, hoc Sacramẽtum per ſe ad perfectionẽ eius, qui illud ſuſcipit, inſtitutũ nõ eſſe; ſed potius ad aliorum ſalutem, in quos illa ſpiritualis poteſtas exercẽda eſt, atque in communem eccleſiæ vtilitatẽ, nempe ad ſpiritualem generationem: ſicut matrimonium ad naturalem propagationem à Deo datum eſt, vt. ſ. filij procreẽtur, ſanctéq; educentur, qui tanquam fidelium quoddam ſeminarium ſint, ex quibus eccleſia coaleſcere, ac durare perpetuò poſſit, & Angelorum prauorum ruina in Cœlis reparari. Eſt tñ in præcepto communitati tãtum, Prælatis, & beneficio arctatis, non autem ſingulis fidelibus. *Heriq. l. 10. de ord. c. 4. n. 3. Bellarm. de Sacramento ord cap. 1. & 2. Val. tom. 4. diſp. 9. q. 1. puncto 2. Reginal. l. 30. tract. 1. n. 2.*

QVAESTIO LXIX.

QVOT SINT ORDINES, AN OMNES ſint Sacramentum, & an inter ſe differant.

Quæritur quot ſint ordines, an omnes ſint Sacramentum, & an inter ſe differãt? R. Quidquid ſit de opinionibus Doctorum, qui quò ad numerum ordinum in diuirſas ſentẽtias eunt, dico ex tutiori, & communiori Theologorum placito, ſeptenario numero concludi, quorum alij dicũtur minores, & nõ ſacri, vt Oſtiarlatus, Lectoratus, Exorciſtatus, & Acolitatus: ac tres maiores, & ſacri, Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus. Nam ſi regiam menſam varios, & multiplices decet habere famulos, vt de menſa Salomonis conſtat, quanto magis conueniet menſæ Regis gloriæ, vbi vitæ panis Chriſtus ſpiritualis animarũ cibus miniſtratur, varijs ornari, ac decorari miniſtris ad diuerſa officia deſignatis? Frequentiori, quoq; Doctorum calculo probatur, omnes ordines, tàm maiores, quàm minores eſſe Sacramentum, vt per *Couar. l. 1. var. reſol. c. 10. n. 9. Bellarm. in d. Controu. fidei l. 1. de ord. cap. 2. 6. & 7. Valent. tom. 4. diſp. 9. q. 1. puncto 4. Reginal. loco infrà citando.* Et quamuis plures ſint ordines, & vnuſquiſq; ordo ſit Sacramentũ, quia tamẽ ad vnũ. i. euchariſtiam referuntur, ideò vnum tantum Sacramentum conſtituunt, ſicut ẽt licet euchariſtia ipſa diuerſas materias, & formas habeat, ratione tñ finis, & perfectionis, vnum tantum modo Sacramentum efficiunt.

Quã ẽt ratione, ordines per ſimilitudinẽ gradus appellãtur, quia per eos quaſi per gradus ad presbiteratus dignitatem aſcenditur. Et in anima rationali vegetatiua, & ſenſitiua, cõtinentur. *D. Thomas in ſupplem. ad 3. partem q. 35. art. 5. Reginal. l. 30. tract. 1. n. 6. Henriq. de ord. cap. 4.* Porro prædicti ordines, tàm maiores, quàm minores multipliciter differũt. Primo quod maiores ob excellentiorem prærogatiuam dicuntur ſacri, quod illis caſtitatis votũ anunexũſit, & ijs initiatis matrimoniũ cõtrahere nequeãt, & ſacra, vel conſecrata vaſa contingant; minores vero non ſacri, non quod Sacramentum non ſint, ſed qđ hac lege, & voti obligatione nõ ligent. *Henriq. de ord. c. 2. n. 3. Nau. c. 22 n. 18. Caſtr. cõſ. 102 Cald. conſ. 463. ex ca. 1. de voto in 6. & Conc. Trid. ſeſſ. 24. can. 9.* Secundo quod ſacris inſigniti diuinũ officiũ & horas canonicas, ſub lethalis culpæ reatu perſoluere tenentur: alij vero hoc onere non aſtringuntur ſed nec ad aliarũ precum recitationẽ, niſi ex decentia, *& conſilio D. D. in c. dolentes ext. de celeb. miſ. Leſſius l. 2. de iuſt. c. 37 dub. 9. n. 47. Suarez. de relig. tr. 4. lib. 4. c. 16. Reginal. lib. 30. tra. 1. n. 39.* Tertio, qđ maiores non poſſunt duo in eodẽ die vni ordinando adminiſtrari: Minores autẽ ẽt cum prima tonſura, & vbi eſt conſuetudo (vt multi volũt) cũ ſubdiaconatu cõferuntur. *Sayrnſ. de Irreg. l. 7. c. 10. n. 26. Sà in v. ordo num. 17.*

Item minores adminiſtrari poſſunt omni die Dominica, & Feſtis, & quatuor anni temporib. & alijs diebus à iure ſtatutis, ẽt extra miſſam; maiores vero non niſi ſex anni diebus à iure præſcriptis, idque in miſſæ celebratione. Quarto, quod ſi quis ordinem ſacrum ſine dimiſſorijs literis, aut ante legitimam ætatem, vel extra tempora recipit, mortalem culpã contrahit, & eſt ipſo iure ſuſpẽſus, qui ſi tali ordine vtitur, irregularitatis labe afficitur, quæ omnia in minoribus locum nõ habent. *Nau. c. 25. n. 70. Sayr. de cẽſ. l. 6. c. 12. n. 9.* Quinto minores ordines ab Abbatibus de iure conferri poſſunt ſuis ſubditis, nõ autem alijs, niſi habeant ſpeciales dimiſſorias ſuorum Prælatorum, & cõſenſum ordinarij loci, vbi ordinari volunt, & ex Papæ commiſſione etiam a ſimplici dantur Sacerdote, vt per *Couar. l. 1. var. reſol. ca. 10. num. 9. & ſeq. Sot. in 4. diſt. 23. q. 1. Reginal. l. c. cap. 3. n. 25. Vict. de ord. q. 237. Coninch. diſp. 20. dub. 9. n. 86. Domit. Camarot. de ord. tract. 11. cap. 4. dub. 2. Fornarius de ord. in addit. ad Tolet. c. 5.* Addo in minoribus ſufficere, vt inſtrumenta in eorum collatione tangenda pe Archidiaconum tradantur. In maioribus vero per epũm porrigẽda ſunt. *Armilla in v. ordo n. 11. Val. to. 4. d. 9. q. 1. pu. 3. Vict. de ord. n. 236.*

Sextum eſt diſcrimen, qđ Epiſcopis facultas cõceditur, vt in omni irregularitate deſcendẽti ex homicidio caſuali, quò ad minores tantum, & beneficium ſimplex, non quò ad maiores diſpenſare valeant.

leant. Conc. Trid. *sess. 14. de refor. c. 7. Nau. c. 27. n. 290 Zerula in Praxi episcopali par. 2. v. Dispensatio Coninch. p. 2. disp. 18. dub. 14. Bonac. d. cens. d. 7. q. 4 punct. ult. n. 4. Viual. in cād. aur. de ord. nu. 14. & de Irreg. n. 317. Zanardus p. 1. Direct. theolog. de ord. c. 1. Matol. de Irreg. l. 5. c. 51. n. 4. Sayr. l. c. l. 7. c. 7. n. 20.*

QVAESTIO LXX.

QVÆNAM SIT MATERIA IN MINORVM ordinum Sacramento.

CVm vnum quodq; Sacramentum, vt notū est ex trib. constet, nempe materia, forma, & ministro, quæritur, quænam sit materia in hoc minorū ordinum Sacramento, & an materiæ contactus sit, vt Theologi loquuntur, de essentia Sacramenti? R. Habet quidem hoc Sacramentum, vt reliqua, materiam, & formam, per quas rite à ministro gratia cōfertur, & character imprimitur, vt patet ex Concilio *Florent. tit. de Sacramento ordinis, & Conc. Trid. de Sac. ord. sess. 23. can. 4.* Materia est instrumētorum traditio, quib. significatur potestas, quę singulis per ipsummet ordinem traditur, vt Ostiariatus claues, Lectorat' liber lectionū, Exorcistatus liber exorcismorum, & adiurationum. Acolitatus candelabrum cū candela extincta, & vrceolus vacuus. Quæ si seorsim ei porrigantur, in traditione urceoli character imprimitur, quia missæ ministrare est actus primarius, quamuis denominatio, (cū alio nomine Ceroferarius dicatur) à secundario fiat; licet etiā probabile sit, vtramq; porrectionem esse veram, ac totalē materiam: *Henriq. de ordine c. 9. n. 1. Furna. cap. 2. Fernandes p. 3. ca. 11. §. 5.*

Quò ad illam quęstionem, an necesse sit, vt ordinandus materiam tāgat, dico quod licet multi Doctores teneant, contactum quò ad essentiam non necessario requiri, contraria tñ sententia, quod de necessitate Sacramenti reali contactu opus sit, probabilior, verior, ac communior est, idq; ex ecclesię vsu constat, nam sicut dominium non nisi per possessionem acquiritur, quæ per cōtactū fit: (Hinc ait *Surd. cons. 52.* Quia dominium naturaliter à possessione cæpit, ideo traditio interuenire debet, adeo vt partes per pactū expressum conuenire nequeant, vt dominium ipsum sine traditione trāsferatur,) ita quis potestatem, quæ per ordinem confertur, non adipiscitur, si instrumenta, vel materiā non tangat. Adde quod aliàs materia non videretur sufficienter applicari, nam cum hęc in re physica consistat, videtur ēt vt Theologi loquuntur, physicū cōtactum requirere: Et hoc etiam confirmat solicitudo, quam omnes prudentes huius sacramenti ministri adhibēt, vt ordinandus materiam tāgat, ne periculo inualidæ ordinationis exponatur. *Henriq. c. 10. Zechius c. 1. Viual. n. 21. Anglef. q. de ordi. dub. 5. concl. 2. Azor. p. 1. c. 10. Valent. l. c. puncto 4. Nau. c. 22. n. 17. Con. disp. 20. dub. 7. n. 70. Fornar. l. c. n. 4. Vgol. de off. epi p. 2. c. 26. & alij communiter.*

QVAESTIO LXXI.

QVÆNAM SIT FORMA SACRAMENTI ordinis, & qui minister.

QVæ est forma Sacramenti ordinis, & qui minister? R. Forma sunt verba, quæ à conferente proferuntur, ea aūt talis esse debet vnius cuiusq; ordinis forma, quæ traditionem potestatis, quæ in eo datur, sufficienter exprimat, qualis cēsenda est ea, quę in Pōtificali Rom. assignatur, cū ritus vnum quemque eorum conficiendi traditur: vt verbi gratia Ostiatius initiatur, cū ordinator profert, Sic age, quasi redditurus Deo rationem pro his rebus, quæ his clauibus recludūtur In nomine patris, & filij, &c. nam licet inuocatio Sanctissimę Ttinitatis non sit de essentia formæ, nisi in baptismo, & cōfirmatione, vt est communis DD. sententia; ex vsu tamen ecclesiæ fatendū est, in ordinatione decenter apponi, vt constat ex concilio Florent. & ex Pontificali. Ac ordinās in forma imperatiuo modo vtitur, vt significet, ordinatum debere se in vsu potestatis traditæ exercere, ne frustra eam recipiat, otiosam illā tenēs. Porro traditio rei sensibilis, & tactus, vel acceptio simul cum verborum prolatione concurrere debent, & seruanda est rubrica ipsius Pōtificalis, & recepta consuetudo, vt. s. cum traditione materię moraliter, non tñ mathematice, statim verba form ę proferantur. *Vict. q. 230 Henriq. l. 10. c. 10. Valent. l. c. puncto 5. Bonac. de ord d. 8. q. 1. p 3. n. 14. Molfes. tract. 2. c. 1.* Magister huius Sacramenti ordinarius est solus Epus consecratus, (nā ante cōsecrationem Epus non dicitur *conc. Florent. de Sacramento ord. Conc. Trid. sess. 23. de ord can. 7. Ant. de Butrio cons. 19. Tusch. v. Epus concl. 233.* (etiam si dignitati renuntiauerit, aut depositus sit, degradatus, excōmunicatus, suspensus, interdictus, aut etiam hæreticus; licet. n. ordines tàm maiores quàm minores conferendo mortaliter peccet, cum tñ characterem indelebilem habeat, si ecclesiæ intentionem, & alia essentialia seruet, ordinem valide conficit, & confert. Hinc omnes authoritates iuris canonici, in quib. ordinatio ab hereticis facta irrita, & inanis dicitur, intelligendæ sunt quò ad executionem, cum ab huiusmodi Epis ordinati fiot suspēsi, & executione priuati, *c. ordinationes. 9. q. 1. c. 1. ext. de schismat. D. Thomas 2. 2. q. 38. ar. 3. & 4. Valent. tom. 3. disp. 3. q. 15. puncto 3.*

Bene verum est, qđ si Epus ordinibus minoribus careret, vt quia per saltum esset ordinatus, & alios his

his inſignire tentaret, hos ordines nō reciperent, cū nemo det, quod non hēt, & nullus plus iuris ad aliū transferre poſſit, quàm ipſe teneat: ſicut ēt Epiſcopus Sacerdotio carens, ſecundum oēs, ordines conferre nequit, cū hoc ſit actus ordinis, quem qui non habet, alijs impertire nō valet. *arg. l. nemo ff. de reg. iur. Henriq. de ord c. 5. & c. 20. Coninch. de ord. diſp. 20. dub 9. Fornar. c. 3.*

An vero alius quàm Epiſcopus poſſit ordinē miniſtrare, tradunt ſupra allegati Doctores, & hoc attigi ſupra in quinta differentia ordinum maiorum, & minorum.

QVAESTIO LXXII.

QVIS SIT EFFECTVS Sacramenti ordinis.

QVis eſt effectus huius Sacramēti? R. duplex eſt, gratiæ collatio, quæ recipiētem gratu m facit, niſi obex apponatur, eſt. n. commune omnib. Sacramentis ex opere operato gratiam iuſtificantē elargiri, niſi ex parte ſuſcipientis aliquod obſtet impedimentum. Conc. Trid. *ſeſſ. 7. can. 7. Bellar. l. 1. de ord c. 10.* Datur etiam Spiritus ſancti plenitudo, cū virtutibus, ac donis ſupernaturalib. ac reliquis auxilijs neceſſarijs, ad præſtanda, vt oportet, miniſteria, in quæ ſinguli ordines deſtinantur. Et quoniam inter eos alij ſunt alijs maiores, ideo ordo maior vberiorem gratiam ordinatis impertit, minorem verò minor, iuxta id, quod digna officij ſui executio exigit, atq; ſimul efficit, vt ex parte Sacramenti, qui in ordine maior eſt, ſit etiam ſanctior, & perfectior, & ſumma diligentia omnes contendant ita progredi, vt ſicut per gradus in dignitate creſcunt, ita & in iuſtitia, & charitate proficiant, &c. *Lud. de Ponte tom. 4 de perfect. chriſt. tract. 1. c. 1. Gisbert. de eccleſiaſt. vita c. 34.*

Alter effectus huius Sacramenti appellatur character, & ſignū indelebile in animæ ſubſtantia, vel vt alij volunt, in intellectu impreſſum. Conc Trid. *ſeſſ. 7. can 9.* Eſtq; ſpiritualis poteſtas, qua eo initiati ritè ex officio actus exerceāt, ad quos ex vi Sacramenti deputantur. Quo etiam ſigno huius Hierarchię homines à cęteris fidelibus diſcernūtur, quod quidem quia ſemper durat, hoc Sacramentū iterari non poteſt, nec niſi ſemel ſumi, aliàs præter lethalē culpā ſi ſcienter hoc fiat, ex multorū probabili ſententia, irregularitatis labes contrahitur. *Azor. p. 1. Inſtit. moral. l. 2. c. 11. Sayr. de Irreg. l. 7. c. 8. n. 27. Vgol. eodem tit. c. 35. & aly.* Porro certum eſt, duplicē hūc effectum nō ſolum maioribus ordinibus, ſed etiam minoribus conuenire, cum hi ex communiori DD. opinione ſuperius à nobis adducta, rationem Sacramenti habeant. Ex quo ſequitur, quod ſi minoribus inſignitus moreret. & poſtea reſurgeret, nō eſſet neceſſe iterum eoſdem ordines recipere: item ſi eidē initiatus vxorem duceret, & ea defuncta vellet iterum clericalem ſtatū aſſumere, alia ordinatione nō indigeret. Secūdo inferi ordinē ſuperiorē ex pcepto ſupponere characterem diſtinctum ordinis inferioris, ſed ſi per ſaltum ordinetur, recipere verè ordinem ſuperiorem, & characterē propriū illius, à cuius tamen vſu ſuſpenſus eſt, donec inferior ſuppleatur. Tertio in ſingulis ordinib. diſtinctū characterē imprimi, quia per quemlibet ordinē ſinguli miniſtri in ſuo gradu poteſtatis ad Sacramentorum cōfectionem, uel diſpenſationem ordinatę, cōſtituuntur: & quia ſinguli ordines diſcretam, & diſtinctam formam, & materiam habent, &c. *D. Thomas, et D. Bonau. in 4. diſt. 24. q. 1. art. 4. Turrecrem. in c. epus diſt. 23. & c. ſolicitudo. diſt. 52. Henriq. de ord. l. 10. c. 14. Reginal. lib. 30. tract. 1. n. 19. Fornar. d. c. 7. Camerot. de ord. c. 6. Vaſquez. tom. 3. d. 239. n. 54. & d. 240. n. 52. Molfeſ. tract. 2. c. 1. n. 51.*

Porro iſte character ex cummuni placito imprimitur, cum inſtrumentum ab Epo proferēte verba ab ordināto tangitur; quandoquidē character triū Sacramentorum baptiſmi, confirmationis, & ordinis, tunc imprimi certum eſt, dum Sacramentum ſuſcipitur, & materia, & forma ſimul applicātur, eodē .n. temporis momento, & gratia producitur, ſi non ſit obex, & characteris effectus ſubſequitur. *Sotus in 4. diſt. 24. q. 1. art. 4. Bellarm. l. 2. de Sacramentis in generatione c. 19. Conin. q. 62. art. 1. dub 4.* Addunt alij, tertium effectū, quod. ſ. minoribus initiati priuilegio canonis, fori, immunitatis, & alijs progatiuis gaudeant, ſed quibuſdam cōditionibus obſeruatis, de quibus Conc. Trid. *ſeſſ. 23. de reform. c. 6. Nau. c. 27. n. 79. Henriq. de ord c. 15. Angleſ. de ord. art. vlt. Fornar. de ord. c. 6. Bonac. puncto vlt.*

QVÆSTIO LXXIII.

QVAENAM SINT MINORVM ordinum officia.

QVænam ſunt minorū ordinū officia? R. Oſtiarij munus eſt, Templi claues, & ianuam cuſtodire, nolam pulſare, aditu Templi eos arcere, quibus ingredi interdictum eſt, ad ſanctum miſſæ officium aſſiſtere, & curare, nequis proprius, quàm par eſt, ad ſacram aram accedat; aut Sacerdotem rem diuinam facientem interpellet. Et licet laici, & ſeculares homines hoc munus, & multa alia, quæ ad minores ordines ſpectant, aliqū obeāt, non tamen hoc ex proprio officio, & ſolēniter, ſed ex pietate in ſubſidium agunt, &c. *c. cleros diſt. 21. c. oſtiarius diſt. 23. Catechiſ. Rom. de ordine. Albertus Torrius de perfecto cler. l. 1. c. 19. Molfeſ. tr. 2. c. 4. n. 13.*

V ſſ.

Vasq. tom. 3. p. 3. d. 236. n. 25. Datur vero ei spiritualis potestas, dum claues tangit, & Episcopus formã profert, dicẽs, Sic age, quasi redditurus Deo rationem pro his reb. quæ his clauib. recluduntur. Exercuit Christus hunc ordinẽ dum ementes, & vẽdentes è templo eiecit, *Io. 2.* In hoc igitur munus succedunt ministri post primam tõsuram hunc ordinem suscipientes, qui quod vt diximus, characterem imprimat, etiam in Sacerdotibus permanet, ideoq; & si in gradu sint altiori, hoc tamen Zelo muniti esse debent, dandi. s. operã, vt Dei templum purum sit, & Sanctum, nec personis, aut profanis rebus contaminetur, aut turbetur; & vt in Tẽplo semper adsit aqua benedicta, ad leuiores animæ labes eluendas & Diaboli versutias auertendas, &c. *c. aquã de cons. d. 3.* Quippe *D. Hieronymus in Epitaph. Nepotiani clerici*, illum domus Dei decorem summopere procurantem his verbis laudat, Erat sollicitus si niteret Altare, si parietes absq; fuligine, &c. subditq; Non minus non maius negligebat officium, vbicunq; eum quæreres, in ecclesia inuenires. Idem *Hier. in c. 5. Isaię:* Diuinum Templi, & Altaris cultum torcular appellat, quo Christi sãguis exprimitur, proinde, ait exquisitè curandum esse, si clerici Deũ sibi propitiũ cupiũt, &c. *D D. in fer. 3. post dom. 1. Quad. Scortia l. 2. de sacrif. missæ cap. 13.* Quinimo vnusquisq; fidelium ob Zelum domus Dei, quantum in se est, deberet huiusmodi ianitoris munus præstare, simulq; in hãc rem incumbere, vt sacri Canones de cultu, & veneratione Ecclesiarũ, & profano vsu ab eis remouendo, à populo custodiãtur *c. decet de immunit. eccles. Pius V. in constit. Incip. Cum primum Apostolatus*, in qua ecclesiarũ turbatores pœnis ordinariorum arbitrio puniendi traduntur, & ibi merito negat, permittendos pauperes inter officia, & conciones discurrere, & stipem petere: solent. n. obstrepere, & sacra agentibus, ac orantibus esse molesti, quare ẽt olim præ foribus stabant, vt scribit. *D. Luc. Act. c. 3.* Et sane ipsimet Ethnici inter sacrificãdum illis verbis silentiũ indicebant; Fauete linguis. Qua in re nonparum aliqui etiam ecclesiastici inculpandi sunt, qui non solum inter se, sed ẽt cum secularibus sermones in ecclesia miscẽt, &c. Hoc etiã officiũ adimplent christiani, dũ per fidem in ecclesiam aliquem introducunt, vel aliquem errantẽ in veritatis viam reducunt, *Rat. diu. offic. l. 2. c. 4. n. 5.*

Lectoris munus duplex est; alterum clarè, & distinctè libros sacros veteris, & noui testamenti legere, eos pręsertim, qui inter nocturnam psalmodiam recitantur, &c. ob hoc. n. Christus Dominus in hoc Sacramẽto communicare solet gratiam, & internã Spiritus sancti vnctionem ad legendum cum sensu, & deuoto mentis affectu, ita vt qui illo funguntur, ceteros ad pietatem permouere, & excitare possint. *c. cleros dist. 21.* Alterum est catechumenos prima fidei rudimenta, quam doctrinam christianam appellant edocere; in qua explicantur articuli, & pręcipua fidei nostræ mysteria, quæ tùm ad sapientiã, tùm ad christianam iustitiam spectant. Neq; Sacerdotes ab hoc officio pręstando sunt liberi, siquidem vt supra dixi, manet in eis huius gradus character, etiam si ad altiorem ascenderint, quod & ipsum nomen significat, cum Sacerdos dicatur quasi sacra docens. *Vinal. in baculo Sacerd. c. 1.* Christus in cõgregandis animabus se gallinæ comparauit, qua nullum animal magis ob pietatẽ infirmatur. Hinc Sacrosancta Tridentina Synodus in Catechis. ad Parochos Sacerdotes hortatur, vt Domini nostri exẽplo puerorum curam ad fidẽ pietatemq; instituendorum suscipiant. Atq; idem statuit Cõc. Trid. *sess. 24 de refor. c. 4. vide Gersonem in libello de paruulis ad Christum trahendis, & Posseu. in Biblioth. selecta l. 4. c. 1. & seq.*

Confertur potestas, dum Episcopus huiusmodi verba profert, Accipe, & esto vbi Dei relator, habiturus si fideliter, & vtiliter impleueris officium, partem cum his, qui verbum Dei bene ministrauerint, *c. Lector. dist. 23. Cath. Rom. de ordine.* Hoc officium præstitit Christus, cum in medio seniorum librum Isaiæ aperiens illum locũ legere cæpit, Spiritus Domini super me, &c. *Isaiæ c. 61.* Hoc etiam omnes fideles præstant, si male viuẽtes corrigunt, & diuinæ legis, Sacræq; scripturæ præsidio, & Sanctorum exẽplis, bonis ac religiosis moribus instruunt. *Rat. diuin. offic. lib. 2. c. 5. n. 5.*

Exorcistæ officium est, impositione manuum, & adiurationibus Dæmones à corporib. obsessis expellere *c. Exorcista. dist. 23. Paulus Grillandus in v. exorcismus. Baron. to. 1. anno Christi 56. Vasq. tom. 3. d. 236. n. 24.* Nũc tñ cum Exorcistæ officium soli obeant Sacerdotes, puto hoc munus apud clericos in minoribus constitutos parum esse in vsu. In huius tñ ecclesiastici ordinis confirmationem, & hæreticorum ignominiam, & confusionem, legimus, D. Carolum Borromeum Mediolani Antistitem, sæpe iussisse, vt pueri Exorcistæ Dæmones adiuratẽt, & eos ex obsessis corporibus eijcerent. Hinc Beda in vita S. Felicis. A puero, inquit, diuino famulatui se subiecit, & crescente gratia virtutum, primo Lectoris in ecclesia officium suscepit, & post ad Exorcistæ gradum prouectus, immundos ex obsessis corporibus spiritus eijcere cæpit, &c. Prudenter tñ locorum Ordinarij interdicere consueuerunt, ne quis siue ipsorum facultate in scriptis obtenta à Dæmone obsessos abiurare audeat, vt absq; pusillorũ scandalo, tã pium munus vtiliter, ac laudabiliter obeatur, &c. *Vinal. l. c. c. 22. Nald. in v. Dæmon.* Datur vero hæc potestas, dum dicit Epus, Accipe, & cõmenda memoriæ, & habe potestatem imponẽdi manus super energumenos, &c. Christus hoc officiũ exercuit,

eiuit, quando de Maria Magdalena ſeptem Dæmonia eiecit, & alios ab immundis ſpiritibus vexatos liberauit: *Luc.* 8. Hoc & implent Chriſti ſectatores, dum per preces Diabolica vitia ab hominum mentibus expellūt. De qua re ſatis egimus in *Comment. de humana vita ſtatibus p.* 1. *c.* 21.

Acolyti officiū eſt duplex, vnum eſt vaſa vini, & aquæ præparare, & Subdiaconis, Diaconiſq; in Altaris miniſterio deſeruire. Alterū eſt lumina deferre, & aſſeruare, cum miſſæ ſacrificiū celebratur, præſertim vero cum Euangelium in ea legitur *c. Acolytus diſt.* 23. Tantæ n. dignitatis eſt illud myſteriū, vt pluris ſit æſtimandū in eo miniſtrare, quàm Dæmones expellere, ſiquidē ſi Angeli, qui præſto ſunt, felices ſe reputant, quod in opere noſtræ ſalutis ipſius Chriſti miniſtri ſint, quomodo non magni momenti, & æſtimationis erit, in re aliqua ei ſeruire, cum admirandum illud ſacrificiū offertur? D. Thomas Aquinas tantus ille vir, qui præcipua deuotione erga præſtantiſſimum Euchariſtiæ Sacramentū afficiebatur, quotidie rem ſacram, niſi aduerſa valetudine detineretur, facere ſolebat, non hoc cōtentus & alterius fratris miſſę intererat, cui vt plurimū ipſe inſeruiebat, vt apud *Sur. in eius vita tom.* 2. *die* 7. *Martij. vide infra tr.* 4. *ca.* 16. *q.* 234. Propterea *S. Bonauentura de informat. nouic. c.* 11. ait, miniſtrare ſacro eſſe Angelorum opus, &c. In eorum vero ordinatione hic ritus ab Epō ſeruari conſueuit, Primum quidem poſtq̄ eum officij ſui diligēter admonuit, lumina ei hoc modo tradit, Accipe ceroferarium cum cereo, & ſcias te ad accendenda eccleſiæ luminaria mancipari, in nomine Domini. Deinde vero vrceolos vacuos porrigit, quib. vinum, & aqua in ſacrificio miniſtratur, dicendo, Accipe urceolos ad ſuggerendum uinum, & aquam in Euchariſtiā Corporis, & Sāguinis Chriſti in nomine Dñi. Porro in hoc ordine duplex datur materia, nēpe cādelabrum, & urceolus, ad ſignificandam duplicem poteſtatem in Sacerdotio cōferri, nempe ſuper Corpus Chriſti uerū, per urceolos denotatā, per cuius traditionem, ut pote magis cōſecrationi ipſius Euchariſtiæ deſeruientis, imprimitur character. Alteram ſuper Corpus Chriſti myſticum .i. fideles, & eccleſiam, quæ per candelabrum myſticè indicatur. *D. Thomas* 3. *p. q.* 37. *art.* 2. *Henriq. de ordine c.* 6. *Molfeſ. tract.* 2. *c.* 7. *Bonac. de ord. d.* 8. *q* 1. *p* 3. *n.* 6.

Hoc etiam officium fideles obeunt, dum cęleſtē ignem .i. ſcientiam, qua proximus ab ignorantiæ tenebris illuminatur, miniſtrant: ſiquidē iuxta vetus adagium, Homo homini Deus .i. Dei uice fungitur, qui homini indigenti prodeſt, &c.

QVAESTIO LXXIV.

AN ACOLYTVS, ET ALII IN MINORIbus conſtituti m. p. ſi in ſtatu peccati mortalis Altari in ſuo munere adminiſtrent.

PEccant ne mortaliter Acolytus, & alij in minoribus ordinibus conſtituti, ſi lethali culpa infecti, Altari in ſuo munere adminiſtrant? R. Cum ſupra ex communiori DD. ſentētia hanc poſitionē firmauerimus, ordines minores eſſe Sacramentum, gratiam ex opere operato conferre, & characterem producere, conſequenter dicendum uideretur, mortale peccatum admittere, ſi ſic male diſpoſiti ſolenniter ex officio actus ſuorum ordinum exercēt, cum eorum finis ſit, tanquā miniſtros Sacerdotes in præcipuo ſuo miniſterio iuuare, qđ eſt Corpus, & Sanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti conficere, & ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium, cum debita reuerentia, ac pietate offerre, &c. Atque ſic ſentire videtur. *Nau. in Man. c.* 25. *nu.* 72. Pro qua ſententia facit *c. ſin. ext. de temp. ordinat.* vbi Sacerdotes, & alij Clerici non ſunt quidem ab exteriori Iudice prohibendi ob occulta ipſorū delicta in ſuſceptis ordinib. miniſtrare, attamen ſi nō pœnituerint, monendi ſunt, & ſub interminatione Diuini iudicij obteſtandi, vt in teſtimonium ſuę damnationis, in ſuſceptis & ordinibus non miniſtrent. Alij tū eos à culpa mortali excuſant, eo quod in exercitio talium actuum ratio malitiæ de ſe tantum in indecentia quadam conſiſtir, qua illi nō fiunt cum ea, qua par eſt dignitate, & decentia, ratione cuius defectus res non videtur adeò mala, vt lethalem noxam conſtituat. Quam opinionem cū grauibus authorib. nitatur, in praxi qui volet, ſequi poterit, vt per *Valent. tom.* 4. *diſp.* 9. *q.* 1. *puncto* 4. *Henriq. lib.* 10. *c.* 13. *S.* 3. *littera T, Reginal. l.* 30. *tract.* 1. *n.* 37. Equidē vere: *D. Thom. q̄ lib.* 9. *ar.* 15. apertè fatetur, omnem moralē quęſtionem, in qua de mortali culpa quæritur, perículoſe determinari, niſi expreſſa veritas habeatur.

QVAESTIO LXXV.

AN IN MINORIBVS CONSTITVTVS canens Epiſtolam cum Manipulo, & Dalmatica non intendens tamen exercere ex officio, fiat irregularis?

QVid ſi in minorib. conſtitutus cum manipulo, & dalmatica Epiſtolam canat, non intēdēs ex officio exercere, an in irregularitatem incurreret? R. non fieri irregularē, quia non dicitur propriè ex officio exercere, nec actus completus cenſetur; ſicut è contra canens Epiſtolā ſine manipulo, ſi eam ex vi proprij muneris cantare mente

cona-

conaretur, ab irregularitate immunis esset, quia ad eam contrahend. non sufficit internus actus ex officio ministrandi, sed exterior quoq; solemnitas requiritur, &c. *Vgol. de Irreg. c. 37. n. 10. Bonac. disp. 7 q. 3. puncto 6. n. 2.*

Nunc imponamus finẽ his, quæ ad hos minores ordines spectant, proposita maxima cura, quã sacra Cõcilia in eo adhibuerũt, vt qui ad Sacerdotiũ, p mouẽdi essent, à tenera sua ætate primam tonsurã, & postea per gradus suos, ipsos minores ordines susciperent, educãdo illos, & instruendo in virtute, & literis, ecclesiastica disciplina, bonis, ac christianis moribus, vt postea facilius in sublimiori statu easdẽ virtutes exercere, ac alios docere queant. Ob hoc Concilium Toletanum 4. *relatum in c. 1. 12. q. 1.* decreuit, vt quia omnis ætas ab adolescentia in malũ prona est, (nil. n. incertius, quàm adolescentium vita,) clerici pueri, & iuuenes, in vnum collegium reciperentur, quò lubricæ ætatis annos, non in luxurijs sed in ecclesiasticis disciplinis agant, deputati probatissimo seniori, quem pietatis, & doctrinæ, & testem vitæ habeant; vt tandem probitatis, & scientiæ suæ fructum metentes, maioribus ordinib. & Sacerdotio se dignos, & aptos ostendant, & ad frugẽ, ecclesiæq; vtilitatem perueniant, ac in vinea Domini strenue laborent, &c. Quod & sanxit Conc. Triden. *sess. 23. de refor. c. 18.* Proptetea meminisse debẽt locorum Ordinarij, ne in his minoribus ordinib. conferendis, nimium indulgentes sint, sed Sanctos Patres imitari, q clericos experiebãtur, gradatim illis insigniendo. Hinc Greg. XIII. noluit cum quodam Prælato dispensare nisi ad duos minores vno die, & ad reliquos in sequenti, quamuis ille tũc ad Archiepiscopatum promotus esset, *Zerula in Praxi Episcopali par. 1. in v. ordo.*

Finis Tractatus Tertij.



TRA-

TRACTATVS IV.

DE SACRIS ORDINIBVS.

Articuli, ex quibus hauriri poterũt interrogationes faciendæ ad Subdiaconatum promouendis. Cap. I.

PRÆSVPPOSITVM I.



QVI maiorum ordinum gradus conscendere parant, tãto superiores religionis, ac doctrinæ laudibus ante ire debent, quanto sanctiora, ac pręstantiora munera sunt, ad quę asciscei postulant; nec.n. sine mysterio corona in clericis minorum ordinum est parua, maior vero eorum q̃ sacrum susceperunt ordinẽ, & adhuc largior Sacerdotũ, (sicut esse solet in Religiosis,) ad significãdũ, q̃d sicut adaugescit ordinũ gradus, ita par est, eos in vitæ perfectione crescere, quam profitentur: *Valentia 3 tom. disp.* 10. *q.* 2. *punct.* 4. vult Christus Dñus, & ecclesia, talem in ministris suis ordinem seruari, vt quantum est ex parte Sacramenti, qui maior est, & sanctior, & doctior sit, & ita vitæ integritatem, ac scientiam minorum excedat, vt summa diligentia omnes contendant, semper hoc gradu progredi, vt sicut dignitate, & honore augentur, ita sanctitate, ac rerum peritia crescãt, adeo vt ecclesiastica Hierarchia, vt habetur in *Cãticis c.* 6. per huius virę desertum pergat quasi aurora consurgens, ascendens per quatuor ordines minores, pulchra vt luna, ob Leuitarum. i. Subdiaconorũ, & Diaconorum ordinem: electa vt Sol, pp Sacratissimũ Sacerdotũ gradũ, ac terribilis vt castrorũ acies ordinata, ob vnionem omnium ecclesiasticorum cum Ducibus Epis, & Summo Põtifice, qui est omnium caput, & apex: curando, vt successiue procedatur per tẽporũ interualla, & vt primo assumatur Ostiariatus, Secundo Lectoratus, Tertio Exorcistatus, Quarto Acolythatus, *c.* 1. *&* 2. *distinct.* 77. Hinc *Innocentius Primus ep.* 4. *c.* 5. Non cito inquit, quilibet Lector, cito Acolythus, cito Diaconus, cito Sacerdos fiat, quia in minoribus ordinibus diu perdurare debent, & vita eorum pariter, & obsequia comprobari, vt ad Sacerdotium posthac emẽsis stipendiorum meritis perueniant, &c. Atq; huc spectat Tridentinæ Synodi Sanctio *sess.* 23. *de reform. c.* 11. 12. *&* 13. qua decernitur, minores ordines his, qui saltem latinam linguam intelligãt, per tẽporum interstitia, nisi aliud Epõ expedire magis videretur, cõferri debere, vt eò accuratius quantũ sit huius disciplinæ pondus, possint edoceri, ac in vnoquoq; munere iuxta præscriptum Episcopi se exercere, idq; in ea cui adscripti erunt ecclesia. Item non omnes, & singulos ad Sacros ordines assumẽdos esse, sed dignos dumtaxat, & quorum probata vita senectus sit, qui bonum testimonium habeant, & literis, ac his, quæ ad ordinẽ exercendũ pertinent, instructi, qui sperent Deo auctore se cõtinere posse, ac ecclesijs quibus adscripti fuerint, inseruierint.

PRÆSVPPOSITVM II.

AD quemuis Sacrũ ordinẽ promouendi nunq̃ admittẽdi sũt, nisi vt *tr.* 2. *c.* 1. *q.* 1. animaduerti, hæc legitimæ fidei testimonia habuerint, nẽpe legitimi ortus eorum, seu dispensationis, publicationis in ecclesia factæ, legitimæ ætatis, functionum in ecclesia, cui adscripti fuerint, præstitarum, frequentationis doctrinæ christianæ, confessionis, & Communionis sumptę vno quoq; mense, & quo tiescunq; Altari ministrauerint, ad Concilij Tridẽtini præscriptum *d. c.* 13. Et si ad Subdiaconatũ euehendi fuerint, instrumentum tituli, ad quẽ promoueri voluerint, exhibuerint, vel sit beneficium ecclesiasticum, vel quid aliud ad honeste viuendum sufficiens, vel ẽr patrimonium, seu pẽsio arbitrio Ordinarij; nec nisi post annũ transactum à susceptione postremi gradus ordinum minorum, ni secus eidẽ Episcopo videatur. Idem *Conc. sess.* 21. *c.* 2. Vbi etiam aduertãt Examinatores, vt in hoc examine oculatissimi sint, præsertimq; se difficiles præstent in illis approbandis, qui ad Subdiaconatus ordinẽ sunt assumendi, cum illo ordine suscepto, nõ sit amplius pœnitentiæ locus, nec regredi liceat, & ideo exactior etiam ab eis de Sacramentis exigitur cognitio, prout in sequentibus quæstionibus nos subijcimus. His præcognitis vlterius ad examen de scientia procedẽdum erit ex his articulis, quę sibi aptiores videbantur, interrogationes formando.

QVAESTIO I.

QVID HOC NOMEN SVBDIACONVS, SIT an Subdiaconatus ordo sit Sacramentum, & à quonam institutum, & quænam in Sacramentis considerentur, &c.

QVæritur Primo, quid significet hoc nomen Subdiaconus, an Subdiaconatus ordo sit Sacramen-

cramentum,& à quonam institutum? R. Subdiaconus significat subminister, eo quod Diacono Altari ministranti deseruiat; vnde Subdiaconi dicuntur, quia Leuitarum, vel Diaconorum præceptis, & officijs subiacent, & ideò hebraica lingua Nathynei vocantur. i. in humilitate Deo Seruientes: *Innocēt. de mysterio Alt. l. 1. c. 4. c. Cleros dist. 23. D. Thomas in 4. sent. dist. 24. q. 1. Valētot. 4. disp. 9. q. 1. pūcto 3.* Quandoquidem propter tria, ordinum multitudo in ecclesiam inuecta est: Primo ob Dei Sapientiam commendandam, quæ in ordinata rerum tàm naturalium, quàm Spiritualiū distinctione maximè relucet. Secundo ad subueniendum humanæ infirmitati, quia per vnum omnia, quæ ad Diuina mysteria peragenda spectabant, sine magno grauamine expleri nō poterant. Tertio vt amplior proficiendi via hominibus aperiatur, dum plures diuersis officijs destinātur, vt omnes, & singuli Dei Cooperatores existāt, quo ex Dionysij Areopagitæ sententia nihil est diuinius. Ad 2. & 3. quæstionem dico; Subdiaconatum esse Sc̄rum nouæ legis, à Christo Dn̄o (sicut alios ordines) in vltima Cœna institutum, quando linteo se præcingens Discipulorum pedes lauit, & necessaria ad Eucharistiæ Sacramentum conficiendum in Sactis vasis præparauit, Atq; hoc sensibile signum ordinationis esse vnum ex septem Sacramentis, ab ipso Domino authoratiue, quatenus est Deus, & meritorie, ac efficienter ex ea parte, qua est homo, in ecclesiam inductum, vt gratiam ex opere operato his conferret, qui ab Episcopis hoc ordine insigniuntur. Nihil aliud. n. est Subdiaconatus, quā Spiritualis potestas, per quā Subdiaconus Calicem cum vino ad Altare portare potest, & necessaria pro Sacramento Eucharistiæ in vasis sacris instruere *ca. ad abolendam ext. de hæret. Conc. Trid. sess. 7. can. 1. & 8. D. Thom. 3. p. q. 64. ar. 3. D. Ant. 3. p. tit. 14. c. 2. §. 5. Zecchius de Sacramento ord. c. 1. Viguer. eodem tit. vers. 4. Sot. in 4. dist. 1. quæst. 5. art. 3.* Vnde in genere diffinitur Sacramentum, vt sit res sensibus subiecta, quæ ex Christi institutione sanctitatis, & iustitiæ, tàm significādæ, q̄ efficiēdæ vim habeat: p eā .n. indicant sex potissimū conditiones, quas communi consensu Theologi ad eandem naturam constituendam requirunt. Prima est, vt sit signum sensibile. i. actus externus, actu perceptibilis, non quidem naturale signum, sicut vestigium est transitus animalis, aut fumus ignis, sed voluntarium, & ad placitum dantis institutum. Secunda, vt cum re significata similitudinem determinatam habeat, vt patet in baptismo, qui in ablutione ex aqua consistit: quæ ablutio simul cum forma, & ministri intentione, similitudinē habens cū emūdatione animæ à peccatorum sordibus, non solum ad eam significandam, sed ēt in anima ipsa practicè efficiendam assumitur. Tertia conditio est, vt tale signum rem sacram, non autem profanam repræsentet. Ea vero res sacra ex *D. Thoma 3. p. q. 60. art. 3.* triplex est, vna quidem gratia iustificans, & sanctificans, quæ & præsens demonstratur: Altera est passio Christi, quæ vt præterita commemoratur, & vt causa gratiæ recolitur: Tertia demū vita æterna, quæ vt futura præfiguratur, estq; ipsius gratiæ effectus. *Bellarm. tom. 2. cont. l. 1. c. 9. & 11. Reginal. l. 26. c. 1. Henriq. l. 1. de Sacr. in genere capit. 2.*

Quibus hæc duo quoq; consentanea sunt.

Primo in vno quoq; Sacramento tria reperiri, videlicet Sacramentū, rem, seu effectū, & rē & Sacramentū; sicut in baptismo, Sacramētū tm̄ est illa exterior ablutio, res tm̄ est gr̄a, quæ in Sacramēto cōfertur, res & Sacramentum est character, qui in baptismo imprimitur. Atq; eadem ratione dicitur de ordine, vt. s. actio illa sacra exterior, & cærimoniæ, sit Sacramentum, res, gratia quæ ab eo confertur, & res, & Sacramentum simul sit pariter character, qui in anima imprimi solet. In Eucharistia vero Sacramentum tantum est species panis, & vini; res tātum est gratia, quæ illud su mentibus donatur: Res, & Sacramentum sunt Corpus, & Sanguis, & Sacramenti virtus.

Secundo cōsequit, in Sacramētis sex causas concurrere, videlicet Efficientem, & est solus Deus, Materialem, & est Elementum sensibile, Formalē, & sunt determinata verba, Meritoriam, & est Christi Passio: Instrumētalem. s. ministrum seu bonum, siue malum, modo rectam habeat intentionem. Et Finalē, & est ipsa gratia, vel character, vt ex cōmuni Theologorū sententia tadit. *Barthol. ab Ang. de Sacramentis in genere §. 10. & Molfes. tr. 1. c. 6.*

QVAESTIO II.

SACRAMENTA VETERIS LEGIS QVOmodo à Sacramentis nouæ legis differant.

SAcramenta veteris legis differunt ne à Sacramentis nouæ legis? R. Differunt quidem, & q oppositū assereret, anathematis gladio conficeretur, ex Conc. Trid. *sess. 7. can. 2.* Quorum discrimen in hoc potissimum consistit, quod antiqua Sacramenta, vt circuncisio, esus agni, & purificatio ab Immunditijs. &c. gratiam solum significabant; noua vero, vt baptismus, confirmatio, eucharistia, pœnitentia, extrema vnctio, ordo, & matrimoniū non tm̄ gr̄am significāt, sed ēt efficiunt, & illam ex opere operato largiuntur, siquidem secundū catholicam doctrinam gratia dupliciter confertur. Primo ex opere operato, quia ex sua virtute à Christo cōmunicata illam in sumentib. operantur, ēt si motu liberi arbitrij non cooperentur, modo obex non apponatur, vt patet in infantibus, cum baptizātur, aut confirmanī, & in infirmis vsu rationis destitutis

cum

cum sacro oleo inunguntur. Secundo ex opere operatis. i. ex deuotione suscipiẽtis, nam actus virtutũ, & pietatis opera in habente gratiam, & charitatem gratiæ ipsius augmentum efficiunt. Conc. Trid. *l. c. can. 6. 7. & 8. post alios tradit Molfes. tr. 1. c. 7. nu. 6. & Bonac. de Sacr. d. 1. q. 1. p. 3. n. 13.*

QVÆSTIO III.

SACRAMENTA SVNT NE OMNIBVS ad salutem necessaria.

Sacramenta sunt ne omnia ad salutem necessaria? R. Sunt quidẽ omnia, licet non omnia singulis, vt in Conc. Trid. *sess. 7. can. 4.* sic diffinitur.

Si quis dixerit, Sacramenta nouæ legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua, & sine eis, aut eorum voto, per solam fidem homines à Deo gratiam iustificationis adipisci, licet omnia singulis necessaria non sint, anathema sit. Vel. n. sunt simpliciter necessaria, vel secundum quid, illud dr̃ simpliciter necessarium, sine quo finis obtineri nequit, vt cibus, quo ad vitam transigẽdam indigemus: & isto modo tria Sacramenta simpliciter necessaria dicuntur, licet diuersa ratione, videlicet baptismus, pœnitentia, & ordo, sed baptismo per se, & absolute, vel vt alij dicũt, necessitate medij, & posita Christi institutione, vnicuiq; opus est, iuxta illud. *Ioannis c. 3.* Nisi quis renatus fuerit, &c. Pœnitentia vero per accidens supposito. s. peccato mortali, & data confessarij copia; sed Sacramentum ordinis est quidem simpliciter necessarium, non tamen singulari personæ, sed toti ecclesiæ in communi, quãdoquidem sine Sacerdotibus diuinus cultus ministrari non posset, cũ iuxta Sapientis sentẽtiam, vbi non est gubernator, corruat populus. *Prouerb. c. 11.* Hinc *& Paulus I. C. in l. non distinguemus ff. de recept. arbit. Plato in 6. de leg. & Arist. l. 1. Polit.* aiunt, Sacerdotium non tantum honori, ac commodo personarum, sed Dei Maestati indulgetur, cuius Sacris vacare Sacerdotes oportet. Illud dicitur necessariũ secundum quid quãdo sine illo finis cõmode attingi non potest, sicut longo itineri peragendo equus necessarius esse dicitur, & sic reliqua quatuor necessaria censentur, nempe cõfirmatio, extrema vnctio, matrimonium, & eucharistia, matrimonium namque ecclesiæ multitudinem per propagationẽ conseruat; sed eucharistia est spiritualis alimonia, ad reficiendam virtutem, quæ assidua Dæmonum infestatione, & sensus concupiscentia quotidie deteritur; confirmatio baptismũ, & extrema vnctio pœnitentiam perficit. *Sotus in 4. sent. dist. 9. q. 1. & q. 6 art. 4. Reginal. l. 26. c. 3. n. 9. Suarez. in 3. p. D. Thoma q. 65. art. 4. & alij.*

QVAESTIO IV.

AN SACRAMENTA QVO' AD DIGNITATEM differant, & quò ad alia.

HÆc nouæ legis Sacramenta differunt ne alio modo inter se? R. Differunt quidem pluribus modis, sed his præcipue. Primo quia aliud est alio dignius, vnde eucharistiæ sacramentum inter alia excellentissimum locum tenet, quia in eo continetur Christus, & alia oĩa in ipsa eucharistia cõsumãtur. Conc. Trid. *sess. 7. can. 3.*

Secundo quia quędã sunt solum Sacramenta in vsu, & applicatione. i. dum conferuntur, nam chrisma v. g. ab Episcopo consecratum non est confirmatio, sed solum cum Episcopus vngendo verborũ formam profert. Eucharistia vero non solum cum cõsecratur, aut sumitur, sed ẽt in vase conseruata veri Sacramenti rationem habet, & latriæ cultu adoranda est. *D. Thomas 3. p. q. 73. a. 1. vbi Suarez. & Val.*

Tertio inter se discrepãt respectu formæ, & materiæ, quæ in vnoquoq; Sacramento diuersa est. Item ratione ꝓprij ministri, & peculiaris effectus, quem in nobis producere solent, vt per se manifestum est. Idem Angelicus Doctor *l. c. q. 62. art. 2.*

Quarto quod quædam iterari possunt, quædam non. Illa repeti, vel conferendo, vel recipiendo non possunt, quæ characterem in anima imprimunt, vt baptismus, confirmatio, & ordo: nam character, vt est sæpius repetitum, est quædã supernaturalis qualitas, à Deo impressa in aĩa suscipientis baptismum, confirmationem, & ordinem: quę quidem qualitas ex natura sua indelebilis, & incorruptibilis est, ita vt etiam post mortem maneat, vt proinde hæc tria Sacramenta absq; graui sacrilegio iterari nequeãt, vt in sequẽti quęstione dicemus. *c. 1. & ibi DD. ext. de Sacram.* non iteran. Concil. Trid. *sess. 7. de sacr. can. 9. Catechis. Rom. codẽ tit. Suar. tom. 3. d. 11. sect. 1. Molfes. tract. 1. c. 8.*

QVAESTIO V.

QVARE SACRAMENTA CHARACTEREM imprimentia iterari nequeant, quid sit character, & qua pœna afficiatur hanc legem violans.

QVare Sacramenta, quæ characterem imprimunt, iterari nequeunt, quid est character, & qua pœna afficitur, q̃ hanc legẽ violat? R. Quia talis character est indelebilis, propter hoc tria illa Sacramenta in quibus inuritur, nullo modo iterantur, ne habentib. perpetuum effectũ inferatur iniuria, ac si prima collatio non valeret. Est autem character, vt dixi supra, quoddam spirituale signũ, & indelebile, quod in anima imprimitur; vel est spiri-

tualis potestas, per quam homo ad recipiendum, vel administrandum Sacramentum capax efficitur. In baptismo namq; homo recipit gratiam, omnia alia Sacramenta suscipiendi, ac administrandi; cum omnia baptismi characterẽ supponant. In Sacramẽto vero ordinis homo insignitus facultatem recipit, qua alia Sacramenta administrare possit. In confirmatione homo perficitur, vt nomen Domini audacter confiteatur, & vt q fidei mysterijs initiati sunt, sicut geniti modo infantes in Christo adolescant, atq; corroborẽtur. *c. 2. ext. de Apost. & reit. baptisma. Conc. Trid. sess. 7. can. 9. D. Thomas 3. p. q. 63 art. 1. D. Ant. 3. p. tit. 14. c. 11. §. 6.* Et licet gratia gratum faciens, & character, qui sunt horum trium Sacramentorum effectus, vt Theologi loquuntur, in prioritate temporis simul sint, moraliter tñ, & in ordine naturæ prius character imprimitur, quã ipsa infundatur gratia. Et quãuis gratia sine charactere non detur, attamen character sine gratia confertur, qui.n. lethali culpa inquinatus est, Sacramẽta suscipiendo, non gratiam, sed characterem recipit, vt omnes DD. vnanimiter consentiunt. Porro quam pœnam subeat, qui illa tria Sacramenta repetit, dico, non solum culpam mortalem contrahere, sed ẽt irregularitate obstringi, qui sanctũ scienter iterat baptismum: *d. c. 2. ext. de Apost.* Quã non effugiet, ẽt si ignoret iure diuino baptismi iterationem vetitã esse, si teneat hoc ius scire, vel ex officio baptizet. &c. Qui aũt alia Sacramẽta characterem imprimentia iterat, cõior opinio esse uidetur, irregularem non fieri, cum hoc iure non sit expressum; licet ẽt, vt supra tetigi, contraria sententia ob multorum DD. authoritatem sua probabilitate non careat. *Sayrus l. 7. de irreg. c. 8. n. 27. Vgol. eodem tit. c. 35. §. 4. & 5. Suarez. tom. 5. disp. 42. sect. 4. n. 6. Conin. d. 18. dub. 5. Azor. p. 1. l. 2. c. 11.*

QVAESTIO VI.

QVIBVS REBVS QVODLIBET Sacramentum perficiatur.

QVibus rebus quodlibet Sacramentum perficitur? R. Tribus, materia, forma, & intentione ministri; sicut .n. Physici tradũt, naturale corpus materia, & forma, tanquam essentialibus partibus cõstare; sic Theologi rebus, vt materia, & verbis, vt forma, necessario, & essẽtialiter Sacramentũ perfici decernunt, accedente ministro ipsum Sacramentum conferente, cum intentione faciendi quod facit ecclesia, iuxta illud axioma, Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum. *c. detrahe. 1. q. 1.* Diximus essentialiter, &c. quia in Sacramẽtis quędam sunt de necessitate Sacramenti, & quędam, quæ de præcepto tantum exiguntur. Prima sunt illa tria prædicta, nempe forma, materia, & minister, quæ si omittantur, ipsum Sacramentum non conficitur, & Sacerdos qui ea nõ seruat, graue Sacrilegij peccatum cõmittit, vt in baptismo, & confirmatione essentia formę est expressio, & inuocatio Sãctissimæ Trinitatis, In nomine patris, & filij, & Spiritus sancti, quia in his solum fit expressa fidei professio. At signum Crucis in alijs Sacramentis adhibere (excepta confirmatione) est tantum de necessitate præcepti, vel, vt alij volunt, ad decorem Sacramentorum. *Sot. in 4 sent. d. 7. q. 1. art. 4. & dist. 24. q. 1. ar. 2. Vinal. de Sacr. in genere nu. 13.* Quę vero sunt de necessitate pręcepti, licet nõ sine lethali culpa pretermittantur, Sacramentũ tamen perficitur, vt sunt ritus, & ea, quæ Sacramentalia dicuntur. *Reginal. l. 26. n. 56. & 59.*

QVAESTIO VII.

AN QVI RITVS, ET CÆREMONIAS Ecclesia non seruat p. m.

QVid iudicandũ de ritibus, & cæremonijs, earum præcipue, quarum solẽnis est in Sacramẽtis vsus, peccat ne mortaliter, qui illas non seruat? R. Cæremoniæ ab ecclesia probatæ, ritus quidam sunt externi, religiosè, ac decenter instituti, Primo, ut signa, testimonia, & exercitia sint interioris cultus, quẽ Deus in primis requirit. Secundo, ut uiua extent religionis incitamenta, quibus humana fragilitas ceu adminiculis fulciatur, & ad sacra mysteria tùm capescenda, tùm retinenda ueluti manu ducatur. Tertio, ut quæ ad Diuinum cultum promouendum, & ad disciplinã, cõcordiamq; conseruandam publicam pertinent, honesto, ac decenti quodam ordine in ecclesia peragantur. Vnde quamuis Papa, uel ecclesia Sacramenta instituere nõ possit, sicut nec minuere, nec augere, imò nec materiã, uel formam mutare, neq; ẽt eorum effectũ impedire, quando essentialia in ipsorum administratione, & susceptione concurrunt; accidentales tñ ritus, & cætemonias, sicut statuere, ita ẽt ex causa mutare, uel augere põt. Cuius determinatio pia, ac salutaris existimãda est, cũ ecclesia sit veritatis columna, & infallibilem Spiritus sancti præsentiam habeat, nec in his, quæ ad fidem, uel mores pertinent, errare possit. Tantus quippe est earũ fructus, ut illis sublatis cultum Diuinum frigescere, atq; perire necesse sit; paucissimi .n. sunt ad res diuinas percipiendas idonei, nisi ad eas sensuum præsidio conuertantur. Neculla fuit umquam uera, uel falsa religio, quæ ritibus, & cæremonijs prorsus carere potuerit, nam Iamblicus Ethnicus in *libro de mysterys. c. de nom. diuin.* Lumine tantum naturali suffultus, inquit, Oportet ritus adorationis antiquos tãquã sacros conseruare semper intactos, nec demere quid-

quidquam, nec aliunde quid addere. Posthumus, quoq; vt *Liuius lib.* 39. authoreſt, innumerabilia extare dixit decreta Pontificum, quibus negotium fuit Magiſtratibus datum, vt ſacra externa fieri vetarent, & omnem diſciplinam ſacrificandi præterq̃ more Romano abolerent iudicabant n nihil æque ad diſſoluendam religionem eſſe, quàm vbi non patrio, ſed externo ritu ſacrificaretur: *Simancas in Cathol. Inſtit. tit.* 10. *Suarez. in* 3. *p. tom.* 3. *diſp.* 15. *ſect.* 1. *Viual. de Sacr. in genere n.* 20. *Henriq. c.* 11. *Fernandes p.* 3. *c.* 1. §. 7. *Bonac. de Sacr. d.* 1. *q vlt. & p.* 1. *Bellarm. l.* 2. *de Sacr. in genere c.* 26. Proinde ipſæ cæremoniæ a Clericis diligenter cuſtodiendæ, & obſeruādæ ſunt. Miniſtri Regū, & Principū, ait *Aluarez. de vita religioſa ſect.* 1. *c.* 7. ſuas habēt vrbanitatis, & comitatis leges, quas nefas eſt præterire, quidni eccleſia ſpiritu veritatis edocta, illas cæremonias inſtituat, quibus erga Deum officioſi, & vrbani ſimus, & ei comiter, & decēter ſeruiamus? Si ergo magni momēti eſſe videtur, erga magnates huius ſæculi vrbanè nos habere, & in nulla re quātumuis minima ad reuerentiam eorū ſpectante deficere, quanti momenti erit, ſummum Deum ſignis reuerētiæ ab ipſomet per eccleſiā inſtitutis, abſq; vllis defectibus honorare?

Huius porro præcepti trāſgreſſio mortalem culpam ſecum inuoluit, cum datū ſit de re graui, vt pote ſpectāte ad nobiliſſimi cultus Diuini ordinatam ex diuerſi generis partibus religioſo artificio compoſitionem; excuſatio tñ in eo locum habet, ſicut in multis alijs pceptis, tàm ex naturali incōſideratione, quàm materiæ paruitate, & quando leue eſt, qđ de eodē ritu omittitur, &c. *Catechiſ. Rom. de Sacramentis in cōi, Cōc. Trid. de Sacramētis pariter in cōi can.* 12. *&* 13. *ſeſſ.* 7. Idē *Suarez. d. c. d.* 84. *ſect.* 2. *Reginal lib.* 29. *n.* 207. *Molfeſ. tr.* 1. *c.* 7. *n.* 22. *et* 36. *Scorria de miſſa l.* 2. *c.* 17. *Vide infra tr.* 4. *c.* 16. *q.* 240.

CAP. II.

QVAESTIO VIII.

QVOMODO EX PARTE MATERIÆ FORMA, & miniſtri Sacramentum vitiari contingat.

CVm dictū ſit, omnia Sacramenta illis ſubſtantialibus rebus cōſtare, materia, forma, & miniſtro, quæritur, an per cuiuſuis defectum cōtingat Sacramentum vitiari? R. Sic equidē, Primo in materia, vt ſi quis v. g. baptizaret cū oleo, vel vino, vel alius admiſceretur liquor in aqua in tanta quantitate, quæ ipſius aquæ ſubſtantiam, vel ſpeciem immutaret: in quo caſu Sacramentum non conficeretur, & ſic de alijs.

Vitium ēt in forma contingit, formæ verborum aliquid addendo, vel diminuendo, ſi ritū à Catholica eccleſia alienum quis iuducere intenderet, vel illam additionem neceſſariā putaret, tunc .n. inualidum Sacramentum redderetur. Vt ſi v. g. Quis diceret Ego te baptizo In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſācti, & B Mariæ Virginis. *Suarez.* 3. *p. diſp.* 2. *ſect.* 5. Similiter quoq; nō conficeretur Sacramētum, ſi additio, vel diminutio eſſet tanta, quæ ſenſū verborum ipſius formæ corrumperet. Quotieſcunque vero verborum ſenſus ſeruatur, ēt ſi idioma mutetur, vel verba varientur, Sacramētum efficitur, vt ſi baptiſmum adminiſtrans ex ignorātia dicat, Ego te baptizo In nomine Patria, & Filia, & Spiritua ſancta, vt habetur in *c. retulerunt. de conſ. diſt.* 4. *Fernandez in c. omnia Sacra* 1. *q.* 1. *p.* 6. *dub.* 2.

Tertio vitium in miniſtro accidere pōt, vt ſi Laicus conſecraret, abſolueret, confirmaret, ordinaret, nihil Sacramēti ageret, qui ſanè ex veriori ſententia irregularis fieret, & contra eum tanquā ſuſpectū de hæreſi poſſet per Inquiſitorem proced: *c.* 1. *de ſumma Trinit. & fide Cath. Molfeſ. tract.* 2. *cap.* 19. *n.* 2. *&* 4. Item vitium in miniſtro cōtingeret, ſi ſine debita intentione adminiſtraret, Concil. Trid. *ſeſſ.* 7. *can.* 11. *Tolet. in ſumma l.* 2. *c.* 20. *Bellarm. de ſacr. in genere l.* 1. *c.* 27. *Reginal. l.* 26. *n.* 11

QVAESTIO IX.

QVAE MINISTRI INTENTIO AD eſſentiam Sacramenti requiritur.

QVæ intentio ad eſſentiam Sacramenti requiritur, ſufficit ne virtualis, vel habitualis, an potius actualis de neceſſitate exigitur? R. Supponēdo prius triplicem reperiri intentionē, nēpe actualem, quam habet, qui in præſentiarū cum Sacramentū vult conficere, de eo quod intenditur, actum in voluntate elicit, vt cum actualiter meminit ſe baptizare, hoſtias cōſecrare. Habitualē, quā habet aliquis in ſe ex actuum frequentatione, quādoquidem ex frequentatis actibus generatur habitus ad ſimiles actus inclinans, quæ intētio ēt in dormiētes cadere ſolet *Marian. Socinus in c. ad audiētiam. exe. de homic.* Tertio virtualis intentio datur, q̃ ille habere dicitur, qui ex virtute actualis intentionis præhabitæ in opus procedit, nam cum id agat, qđ à principio agere intēdit, ſe tñ id agere actualiter obliuiſcitur. In Sacramenti ergo adminiſtratione optima eſt actualis intentio, inſufficiens habitualis, ſufficiens virtualis, quia nō eſt in noſtra poteſtate, quin noſtra cogitatio aliquando diſtrahatur, ēt dum ſāctiſſimis actionibus occupamur, iuxta illud *Pſal.* 39. Cor meū dereliquit me. *Gabriel ſupra can. miſſa lect.* 6. *Sot. in* 4. *diſt.* 1. *q.* 5. *art.* 8. *Viual. de ſacr. in genere c.* 15. *Bellarm. l.* 1. *de ſacr. in genere ca.* 27. *&* 28.

& 28. Molfes. tract. 1. c. 7. & tract. 3. c. 4. Bonac. de sacr. d. 1. q. 3. p. 2. §. 3.

QVAESTIO X.

AN PERVERSA MINISTRI INTENTIO vitiet Sacramentum.

PErversa, ac nō recta ministri intentio vitiat ne Sacramentum? R. duobus modis intētionem prauam esse, vno modo habita ratione Sacramenti vt si Sacramentum conficere non intendat, sed facere aliquid ioco, & delusorie tantum, & tunc cum nulla sit intentio, nullum conficitur Sacramētum, Alio modo respectu alicuius cōsequētis Sacramenti ministeriū, vt si quis intendat corpus Christi cōficere, vt eo ad maleficia abutatur, vel si puellam baptizando, cum illa postea rem turpem habere intēderet, &c. Et talis peruersitas cum sit posterior, & hæ circumstantie cū Sacramento accidentales sint, Sacramēti perfectionē nō impediūt; *D. Thom. 3. p. q. 64. ar. 9. & 10. Sot. d. ar. 8. Bellar. d. c. 28. Bisfeld. in Enth. Theol. Past. c. 1. Nald. in v. Sacramentū.* Porro Sacramētorum defectū suppleri à Sūmo Sacerdote Deo quò ad vltimos ipsorū effectus pie posse credi affirmauit, *S. Thomas relatus per Sot. in 4. sent. d. 24. q. 1. art. 4.* puta si Sacerdos non vere absoluit, vel quia noluit, vel q̃a Sacerdotali ordine carebat, & huiusmodi pœnitens non erat contritus, tūc. n. vt ipse ait, Deus defectum illum supplere dicitur, & gratiam conferre. Verū, vt idem *Sot. ibidem* subdit, hec sentētia nulla certitudine, aut solida fundamento fulcitur, ac p̄inde iure illā reijciēdā existimat,

QVAESTIO XI.

AN AD SACRAMENTI ESSENTIAM requiratur fides ministri.

SI peruersitas intentionis ministri veritatem Sacramenti nō tollit, quæritur, an infidelitas ministri validitati Sacramēti officiat, puta si minister esset Hæreticus, & in Sacramentra, quæ conficeret, vel administraret, nō crederet? R. Asserunt DD. ad perfectionem Sacramenti non necessario ministri fidem requiri, modo saltem in genere intendat facere, quod facit ecclesia: nam cum minister solū instrumentaliter concurrat, nō in virtute propria, sed Christi agit, qui per fidem propriam in adultis, vel per fidem ecclesiæ in pueris operatur: sicut ēt bonitas ministri non ad essentiam Sacramēti, sed ad bonam administrationem, & rectum Sacramentorum vsum exigitur, &c. *Sot. in 4. dist. 1. q. 5. art. 9. post D. Thom. in 3. par. quæst. 64. art. 9. Suar. tom. 3. d. 13. Reg. l. 26. n. 27.*

QVAESTIO XII.

AN IN SVSCIPIENTE SACRAMENTA intentio illa suscipiendi, & recta fides requiratur.

VTrum in recipiēte Sacramenta necessario requiratur intentio illa suscipiendi, & recta fides? R. Quò ad primā q̃uæstionis parte dico, intētionem ēt ex parte suscipientis necessariā esse, sed aliter in adulto, & aliter in paruulis. In adulto namq; requiritur formalis intentio, qua in Sacramentum consentiat, sed in paruulis vsu rōnis carentibus interpretatiua intentio sufficit, vt puta intentio parētum, vel ecclesiæ, qui ex parte ipsorū in Sacramentum puta baptismi assentiunt. Vt ex cōmuni DD. sententia tradit *Barthol. ab Angelis de Sacramentis in genere dialg. 1. §. 66.*

Ad Secundā partem dico pariter, requiri fidem ita ut sine illa Sacramentum recipi non possit, puta si quis baptismum, uel ordinem, aut confirmationē susciperet, haud credens in huiusmodi Sacramentis aliquid uirtutis inesse, nō gratiam, sed characterem illorum trium Sacramentorum cōsequeretur. *c. baptismus. de cons. distinct. 4. D. Thom. 3. p. q. 68. ar. 8. Sot. d. ar. 8. Barthol. ab Ang. l. c. §. 70. Suarez tom. 3. disp. 14. sect. 2. Reginal. lib. 26. c. 7. n. 52.*

QVAESTIO XIII.

QVINAM SINT SACRAMENTORVM effectus, & qua dispositione ad illa accedēdum sit.

QVinam sunt effectus Sacramētorum, & qua dispositione ad illa, ut hi effectus producātur, tam ministrando, quàm suscipiēdo accedendū est? R. Effectus Sacramentorū, ut uarijs in locis incidenter animaduertimus, dupliciter cōsiderari possunt, nimirū, ut cōes omnib. & ut particulares effectus, cōis est gratia, omnia. n. nouę legis Sacramenta effectiue, & ex opere operato primam uidelicet gratiā, qua peccator iustificatur, & ex odio in Dei amicitiā reducitur, & secundā, quæ est ipsius pręhabitæ gratiæ augmentū, animis sine obice suscipientibus infundunt, Quinimo ipsa Sacramēta habitus infusos conferunt. s. fidem, spem, & charitatē, aliaq; Spiritus sancti dona, q̃a hæc inseperabiliter gratiā iustificantem comitantur *D. Thom. 3. p. q. 62. art. 1. vbi Suarez. Vasquez. & Conin. Henriq. de sacr. in genere c. 12. Molfes. tract. 1. c. 8.*

Singula ēt Sacramenta impertiunt Sacramentalem gratiā ad peculiares effectus, in baptismo. n. datur ad delendum peccatum originale, & ad reliqua Sacramenta rite suscipienda. In confirmatione ad roborandum animū, ut publice fidem cōfiteamur. In Eucharistia in augmētum uirtutum, & spiritualis

lis delectationis. In pœnitentia peculiare auxilium confertur ad persistendum in gratia, & ad restituẽdam spiritualem vitam per peccatum amissam. In extrema Vnctione ad delẽdas peccatorum reliquias, & ad veris comparandas cõtra hostem in extremo vitæ periodo oppugnantem in Matrimonio speciale præsidium ad superandam carnis superbiam, & in vinculo pacis coniugum animos vniendos communicatur. In ordine ad afficiendam animam ministri, quò Sacramenta rite administrare queat, gratia confertur.

Alter effectus est character, quẽ tria Sacramenta conferũt, baptismus, confirmatio, & ordo. Est.n. qualitas supernaturalis à Deo aīæ impressa velut quoddam signum ouium Christi Domini, vt imprimitur in baptismo, vel signum militũ Christi, vt in confirmatione, vel signum potestatis, vt in ordine, tàm in Corpus Christi verũ, quàm in Corpus Christi mysticum, quod est ecclesia. Neq; per peccatum sicut gratia amittitur, neq; per mortẽ deletur; proinde Subdiaconus, vel Sacerdos à morte ad vitam reuocatus iterum ordinandus nõ esset. Et vt ante dictum est, distinguit fideles ab infidelibus, cõfirmatos à nõ confirmatis, Clericos a Laicis; & licet ipsa gratia, & character in prioritate tẽporis simul existant, moraliter tñ, & sic in prioritate naturæ, quidquid aliqui senserint, prius character non solũ in intellectu, sed in tota animæ substantia imprimitur, q̃ gratia, & Spiritus sancti dona, atq; aliæ virtutes infundantur. *Bellarm. l. 2. de sacr. in genere c. 19. Reginal. l. 26. n. 48. Molfes. tr. 1. c. 8. n. 31. Suar. d.* 11. *sect.* 1.

Quò ad Secũdũ caput quæstionis dico, indigne Sacramenta tractare, vel dispensare peccatũ ex suo genere esse mortale, quod contra religionem, & honorem Deo debitum admittitur. Hinc *D. Augustinus relatus in c. omnia* 1. *q.* 1. Omnia Sacramẽta cũ obsint indigne tractantib. prosunt tñ per eos digne sumentibus. Sacramenta quidem ad communẽ omnium salutem à Clementissimo Domino instituta sunt, quibus omnis gratia ab ipso Redemptore nostro in ara Crucis fidelib. acquisita in eosdem deriuatur. Quò autem maior est, & vberior Sacramẽtorum fructus, eò sanctius omni pietate, & externo cultu, ac veneratione tractanda sunt, & eò religiosius percipienda. Vnde administratio Sacramenti partim est de eius essentia, vt est applicatio materiæ, prolatio debitæ formæ, & vera ministri intentio: partim vero sunt de necessitate præcepti, vt minister gratiæ Diuinæ non sit expers, pio mentis affectu ad illa administranda accedat, & ecclesiæ ritus obseruet, &c. Ex parte vero suscipientis. Primo requiritur, vt Sacramenti sit capax, & à iure requisita habeat. Secundo eius præparatio, & dispositio, & aīum suscipiendi Sacramentũ hẽat. Tertio, vt actu suscipiat, si fieri põt, aliàs bonus aīus, & votũ sufficit, vt patet in baptismo, & Sacramẽto pœnitẽtiæ, &c. *Suar. to.* 3. *d.* 27. *sect.* 2. *Molfes. tract.* 1. *c.* 9.

QVAESTIO XIV.

QVID AGERE DEBEAT MINISTER IN mortali culpa existens, cui ex officio administrare incumbit.

QVid faciet minister in peccato mortali existens, cui ex officio Sacramẽta administrare incumbit? R. Debet de peccato pœnitere, & actum contritionis elicere, quę breuissimo tẽpore fieri põt, hoc tñ in actu practico supposita hominis infirmitate difficile est. Si autem attritionem tñ in se agnoscat, tenetur Sacramentalem confessionem præmittere, vt ex attrito contritus fiat, Conc. Trid. *sess.* 14. *c.* 4. *Tolet.* 2. *c.* 16. *Suarez. par.* 3. *disp.* 16. *sect.* 3. Vbi obseruandum est, discrimen esse inter administrantem, & recipientem Sacramẽta cum attritione tñ, quod recipiẽs gratiam sibi comparat, cum ex vi Sacramentorum attritio in cõtritionem mutetur. Ad ministrãs autem in ipso peccato mortali remanet, in quo prius misere iacebat, quia per illam administrationem attritio contritio non fit, sicut per receptionem; quinimo cũ in mortali administret, noua sacrilegij culpa se contaminat. *Nau. c.* 1. *n.* 40. *& seq. & capit.* 22. *num.* 13. *Viual. in cand. aur. de sacr. in genere num.* 2. §. 4. *& alij.*

Attamẽ ante Eucharistiæ susceptionẽ reus mortalis culpæ tenetur eam coram confessario, si adest copia, detergere, quamuis ex reuelatione sciret per veram contritionem gratiam recepisse, ex Concil. Trid. *sess.* 13. *can.* 11. *& ex eo. DD. notant.*

QVAESTIO XV.

AN SVBDIACONVS IN MORTALI BAPTISmum administrans p.m. & an eandem culpam contrahat, & irregularis fiat, si in casu necessitatis solemni ritu baptizet, &c.

AN Subdiaconus qui nõ ex officio, & tanquã ecclesiæ minister, sed solum ob necessitatem sacramentũ baptismi administrat, teneatur p contritionẽ sub pœna peccati mortalis, se ad gratiã cõsequendam disponere, si peccati mortalis conscius sit? Et an idẽ Subdiaconus solemniter, & eisdẽ ritibus, quibus Sacerdos Parochus vti solet, in eodẽ necessitatis casu baptizãs p. m. & irregularitatis labẽ contrahat? R. Ad primam dubitationem respõdetur, grauem esse controuersiam inter Theologos, q̃ *Suarez. tom.* 3. *disp.* 16. *sect.* 4. pluribus verbis tractat, nobis nunc sat est, tutiorem quidem esse affirmantẽ partem, sed negãtem, vt veriorem, & communiorẽ teneri posse. *D. Thomas* 3. *par. q.* 64. *art.* 6. *Reginal. l. c. n.* 58. *Bilseldius de Sacramentis in genere ca.* 3.

Ad secūdā q. dico mortaliter peccare, & irregularem effici, si seriò, & solemniter cum solito sacerdotali apparatu, vt superpelliceo, & stola, ēt in casu necessitatis baptizet, hoc. n. Sacramentum tali modo administrare ad solos Sacerdotio insignitos spectat. *Suarez. l.c. disp. 23. sect. 2. Sayrus l. 7. de Irreg. c. 10. n. 4. & colligitur ex c. 1. & 2. ext. de Cler. nō ord. minist.*

QVAESTIO XVI.

AN SVBDIACONVS IN MORTALI CVLpa existēs, & in suscepto munere administrans p. m.

VTrum Subdiaconus in mortali peccato existens, si in suscepto ordine ministret, nouam mortalem culpam cōtrahat? R. Et si multi DD. pbabiliter sentiant, peccati mortalis reū non fieri, eo quia eius ministerium non est Sacramentū, sed Sacramentale, & quædā actio imperfecta non illo modo consecrata, quo actiones Sacramentorū sunt, vt tenēt *Sot. in 4. d. 1. q. 5. ar. 6. Henriq. de Sacr. l. 10. c. 13. n. 3. Suarez. to. 3. disp. 16. sect. 3. Val. to. 4. disp. 3. q. 5. pun. 3. §. 2. Reginal. l. 30. tract. 1. nu. 37. Molfes. tr. 2. c. 8. n. 20. & seq. Vasquez. tom. 2. 3. p. d. 136. c. 2* Verior tñ, & tutior videtur esse affirmantiū opinio, Cum maledictus in sacra pagina pronuntietur, qui opus Dei fraudulēter, & negligēter facit *Hier. c. 48*

Quippe Subdiaconum integritas, & virę puritas decet, vt Sanctum suū ministerium sanctè tractet, & exerceat: Vnde & memoriæ Lampridius in vita Alexandri Seueri prodidit, Christianos proponere solitos eorum nomina, qui sacris initiandi erant, vt si quis quid criminis de quopiam nosset, ediceret. Et sic ēt nūc ordinandorū nomina publice proponi inq; illorū vitā inquiri Tridentini sanxerūt Patres. *sess. 23 c. 5.* Atq; sic sentiunt *D. Tho. in 4. d. 24. q. 1. a. 3. Caiet. in opus to. 3. de vsu spirit. & in 3. p. q. 64. a. 6. D. Ant. 3 p. tit. 14. c. 19. §. 3. Syl. in v. ordo §. 4. Tab. in v. correctio §. 5. Barthol. ab Ang. dial. 1. de sacr. in communi §. 4. Naldus in quest. 99. in v. ordo n. 2. Lopez. in Instruct. conscientiæ p. 1. c. 10.* Et receptiorē sententiam fatetur *Molfes. l. c.* De qua re infra de Diacono dicatur. *c. 7. q. 56.*

QVÆSTIO XVII.

NVM SVBDIACONVS IN MORTALI EXIstens possit Confessario in mortali pariter iacenti confiteri.

VTrum Subdiaconus sentiens se mortalis culpæ labe infectum possit antequam administerium suum accedat, cōfiteri illi Confessario, quē scit in mortali peccato occulto existere? R. Ex multorū opinione, inducere ad audiendā cōfessionem non paratum, & qui non est suus Parochus, ei integrum non esse, sed sola cōtritione, eo modo quo supra diximus, sibi consulere poterit: siqu idē peccant non modo indigne ministrātes, aut suscipientes Sacramenta, sed ēt illis cooperantes ad indigne ministrandum, vel suscipiendum, & cōe est omnib. peccatis, vt illis contaminentur tàm facientib. consentientes, quàm ipsi facientes *c. 1. vbi DD. ext. de officio delegati.* Probabilior tñ videtur esse sentētia, pter necessitatem, vel rationabilem vtilitatem, Sacerdoti cuilibet approbato cōfiteri licere, ēt si sciat Sacramentum pœnitentię in peccato administraturum, siue ille paratus sit, siue nonicū iure suo vtatur, rem illam petendo, quam ipse minister sanctè, ac religiosè præstare posset, &c. *Bonac. de Sacr. d. 1. q. 6. p. 5. n. 1. Reginal. l. 26. n. 64. & Vival. in caud. de Sacr. in genere n. 19. Barthol. ab Ang. l. c. §. 55. Grassius l. 1. decis. aur. c. 16. n. 26.*

QVAESTIO XVIII.

VTRVM SVBDIACONO LICEAT ALIQVOD Sacramentum administrare?

LIcet ne Subdiacono aliquod Sacramētum ex officio, vel cōmissione Epi, seu Sacerdotis administrare? R. Subdiaconus nullum Sacramentum præter priuatum baptismum in necessitate administrare potest: & ratio est, qđ ordinaria, vel delegata potestas ordinis supra Corpus Christi mysticū manat ex potestate super Corpus Christi verū, at Subdiaconus ad hoc solum ordinatur, vt Ępo, Sacerdoti, & Diacono in missæ ministerio deseruiat, nō ergo constituit minister ordinarius à iure; nec ab Ępo seu Sacerdote, pp vllam necessitatē poterit hoc munus committi: Vnde si Sacramentum Eucharistiæ, vel extremæ vnctionis propria sponte, seu Ępo, aut alterius inferioris mandato administraret, lethaliter delinqueret, & in irregularitatē incideret. *Suarez. p. 3. disp. 23. sect. 2. Sayrus l. 7. de Irreg. c. 10. n. 3* Nonnullis tñ videtur Subdiaconū, & alios inferiores Clericos in necessitate, cū probabiliter timetur proximū sine viatico discessurum, posse alijs Encharistiam præbere. *Val. tom. 4. disp. 6. q. 10. puncto 1. Suarez. l. c. disp. 72. sect. 2. Chap. de Sacr. ad. ni. tpe pestis de Euchar. q. 6.* Vide infra de Diacono. *c. 7. q. 50*

Hæc & similia ex aliquibus hic positis articulis desumpta interrogari poterunt ad Subdiaconatus ordinē admitti cupientes; & postea ad alia descendere poterunt Examinatores: quod dixerim, quia Tridentini Patres *sess. 23. c. 13. de refor.* præcipiunt ad Subdiaconatum euehendos debere esse literis instructos, quod multi Doctores tàm de humanioribus literis, quàm de sacris, & ecclesiasticis disciplinis,

plinis,& sanctionib. interpretantur. Hinc vestis ꝓpria Subdiaconi est manipulus,quo minimarũ etiã macularum extersio significatur; quibus ipse mundus esse debet,& tunica,per quam innuitur Christi doctrina,quã Subdiaconus populo annuntiare debet, quod per lectionẽ epistolarũ indicatur, & agitur. Propterea multis in locis præsertim Bononiæ, (vbi per tot annorũ curricula Examinatoris munere fungor) solet Catechismus Romanus tradi,vt ordinandus in aliqua parte illum cõstruat, & verborum sensum eliciat, & super illa lecta materia nonnullæ interrogationes,& quæstiones ad moralem Theologiam spectantes formari cõsueuerunt. Nec abludit *Conc. 5. Prouinc. Mediol.* Statuens Subdiaconos futuros circa Sacramentorum doctrinam saltem in genere de eorum functionibus,& de obligationibus quas contrahunt,examinandos esse.

CAP. III.

QVAESTIO XIX.

QVODNAM SIT SVBDIACONI OFFICIVM

QVodnam est Subdiaconi officium? R. Est ꝓxime assistere sacrificio Missæ, & Diacono ministrare in his, q̃ explicate continẽtur in Missali Romano *post rubricas tit. de ritu obseruando in celeb. miss.* Siquidem idcirco dicitur Subiaconus, quia Diacono subest,eiq; in Altaris ministerio deseruire debet: Epistolam in solemni Missa canere, Corporalia abluere,aliaq; similia præstare; Itẽ absente, vel impedito Diacono Catechumenos instruere. Ex quo colligitur,vt supra innui,qua docti na instuctus esse debeat, nam præter Latinam linguam,quã bene doctus esse debet, rudimẽta Christianæ fidei eum callere oportet. Alij dicunt,præcipuum eius munus esse, Calicem vacuum, siue sit consecratus,siue non, cum patena Diacono tradere,qui apposito vino illum Sacerdoti porrigit, & ꝓptrea Subdiaconũ accipere in ordinatione Calicẽ vacuũ,cũ patena; duplex est.n. in eo materia,altera est liber Epistolarũ, altera Calix cũ patena, siue vt dictũ est,sint consecrata,siue nõ,quę est propria, & pecculiaris materia,per cuius traditionẽ,& contactum character imprimitur.*c.perlectis dist.25.Catechis. Rom. tit. de ordine. D. Thomas in 4. dist. 24. q. 2. Val. to. 4. disp. 9. q. 1. puu. 5. Henriq. de ord. c. 13. Molfes. tra. 2. c. 8. n. 5. Vasquez. d. 236. n. 31. & seq.*

QVÆSTIO XX.

CVR IN ORDINATIONE SVBDIACONI cum ei Calix cum patena vacuus traditur,nulla profertur verborum forma?

CVm hoc Sacramentum constet reb. & verbis tanquam materia,& forma,vt reliqua,quæritur, cur in ordinatione Subdiaconi,cũ ei traditur Calix vacuus cum patena, nulla profertur verborũ forma? R. quia hoc ritu, & cæremonia datur ei potestas tangendi sacra vasa ad Altaris ministerium, & idcirco satis est, vt Epus instrumenta tangenda porrigat; ex præcedentibus n. & subsequentibus verbis intelligitur,eam illi potestatem cõferri, cum Epus ordinans dicat, Videte cuius ministerium vobis traditur. &c. & propterea alia forma opus non est. Cum vero facultas legendi Epistolas traditur, Epistolarum liber ei porrigitur, cum expressa verborum forma,nam postquam alba indutus fuerit, & amictus ei impositus, ac manipulus in sinistro brachio,& dalmatica vestitus,librum Epistolarum tradendo,ait, Accipe librum Epistolarum, & habe potestatem legendi in Ecclesia Sãcta Dei, tàm pro viuis,quàm pro defunctis. Sed,ut dixi,ueriot sententia uidetur, pet traditionem Calicis uacui cum patena,non per Epistolarum librum characterem imprimi,& tunc ordinationem fieri,cũ Calix,non aũt Epistolarum liber traditur. *Val. l. c. Henriq. de ord. c. 13. n. 4. Vasquez. disp. 238. c. 5. nu. 51. Conin. disp. 20. dub. 7. num. 69. Fornar. cap. 2. n. 7. Zanard. c. 4. Vasquez. to. 3. d. 238. c. 5. n. 48. Molfes. tr. 2. c. 8. n. 16*

QVÆSTIO XXI.

AN MINORIBVS CLERICIS LICEAT IN solemni missa Epistolam canere,&c.

NOn ne ẽt Acolytis, & alijs Clericis in minoribus ordinibus constitutis integrum est, in solẽnis missæ ministerio Epistolam canere,ergo ad Subdiaconi munus hoc nõ spectat? R. Possunt quidem Clerici minores hoc officiũ in necessitate obire,non tñ cum sacris uestibus tunica, & manipulo, tanquam ex proprio munere; qui si sic absq; Pontificio Priuilegio hoc agerent,grauiter delinquerẽt, & irregularitatis nota afficerentur, ut ẽt Subdiaconus ipse,si Euangelium,cum dalmatica, & stola caneret,&c. si scienter,& temere hoc faceret. *Henriq. de Irreg. l. 14. c. 6. §. 1. Sayr. l. 7. c. 10. n. 4. Nau. c. 27 n. 242. Vgolinus tract. pariter de Irreg. c. 37. n. 10. Pasceius in praxi Episcopali p. 1. c. 1. n. 41. Quar. in v. ordo super extrauag. Pij II.* Immo & laicos huiusmodi pœnis affici, si ordines quos non habent solemniter exercere præsumant, probabilius dicendum uidetur,cũ hæc irregularitas generaliter contra omnes lata sit,qui ordines,quibus carent, solemni ritu exercere audẽt,&c. ut de cõi testatur *Molfes. tract. 2. c. 19. n. 4. contra Reg l. 30. tract. 2. n. 191. & Sayr. l. 7. de irreg. c. 19. n. 16.*

QVAE-

QVAESTIO XXII.

VESTIMENTA SVBDIACONI QVID significent.

QVid significant vestimenta, q̄ Subdiaconus in sua ordinatione adhibet? R. mystice significāt vestes, quibus Christus Dominus in sua passione indutus fuit. In morali vero sensu, Amictus humeros tegēs fortitudinē, ad Diuina exequēda indicat; Alba vitæ puritatem, cum notū sit, albedinē puritatis, fidei, castimoniæ, ac integritatis esse notam, & ideo religioni accomodam. Cingulū carnis petulantiæ repressionē significat. Per manipulū vero in sinistra, minimarū macularū extersio innuitur, & proprium est peculiareq; eius insigne, adeo vt Epistolam sine manipulo canens non dicatur ex officio canere, quia ēt clericus, vel laicus mandante Sacerdote, id facere potest. Per tunicam Christi doctrina denotatur, cum Subdiaconi primo ad nouæ legis disciplinam annuntiandā admittantur. *Alph. Torres de Instit. Sacer. p. 1. c. 3. §. 2. Molfes. tract. 2. c. 8. n. 19. & alibi etiam animaduertimus.*

QVAESTIO XXIII.

AN SVBDIACONVS ORDINEM RECEPTVrus teneatur animo communicandi accedere, & confessionem præmittere.

TEneturne Subdiaconatus ordinem suscepturus animo cōmunicandi accedere? R. Equidem prospiciendū est ei, qui Subdiaconus futurus est, vt eo animo ad suscipiendum hunc ordinē accedat, quo post Communionē Epi celebrantis sacrā Eucharistiam ex veteri more accipiat, ideò debet prius per sacram confessionem peccati mortalis labes si quas hēt, detergere, *Apostolo admonente 1. ad Corinth. 2.* Probet aūt se ipsum homo, &c. Imò ēt si solum venialibus culpis aspergatur, eas tñ prius ex consilio diluere deberet, nam animam iusti sua turpitudine fœdant, ideò dicit idē *Apost. ad Ephes. 5.* Christum ecclesiam purgasse, ita vt maculā non haberet, neq; rugam, careret, inquam, vtriusq; peccati macula: sic. n. & Sacerdos facta munerū oblatione, & solemni imminente mysterio, ex antiquissima ecclesiæ cōsuetudine, summos digitos abluere solet, ad indicandum putissima mente tantum mysterium, & celebrandū, ac participandū esse, vt ait *D. Thom. 3. p. q. 83. ar. 5. & Gabriel. super can. missæ lect. 17. & Scortia de missa l. 4. ca. 2.* Quippe valde è re est, & expedit, peccata, vel tm̄ venialia confiteri, ēt si alijs remedijs abstergantur, vt per *Bonac. d. 5. q. 6. sect. 2. p. 1. & 2.* Primo ex causa humilitatis, & erubescentiæ, qua multum apud Deum meremur, & semper aliqua pars pœnę debitæ remittitur, *cap. quem pænitet. de pænit. dist. 1.* Secūdo quia consciētiæ puritas cōseruatur, & à magnis peccatis præseruatur: perpetua siquidem est hæc Satanæ consuetudo, vt primū peccata quò ad fieri potest, extenuet, eòq; hominem adducat, vt leuia, paruiq; momenti existimet, quò id grauiora scelera trahat, &c. Tertio quod ex vi Sacramenti, & ex opere operato, vt Theologi loquuntur, aliquis gratiæ gradus comparatur. Quarto Homo in via Dei proficit, & ob consilia, & documenta, quę confessarius suppeditat, ad christianam perfectionem instituitur. Quinto consciētia in tuto ponitur, fieri. n. potest, vt quis venialia putet, quæ sunt mortalia, vel quod aliquod mortale oblitum in anima lateat. (Delicta. n. quis intelligit? *Psal. 18.* In felix quippe est mortaliū cōditio, vt illi ipsi ēt qui propria voluntate male agunt, sæpe discernere nequeant, an peccauerint, deliberate consenserint, quantum, & quoties, &c.) ac proinde consequenter fit, vt virtute sacramētalis absolutionis primam gratiam recipiat, &c. *Sotus in 4. dist. 18. q. 1. art. 3. Syl. in v. cōfessio 1. §. 13. Molfes. tr. 3. c. 8. n. 48. Gisbert. de vit. eccl. c. 121. Nau. in Man. c. 21. n. 34* Vnde p p leues culpas valde vtile esse cōfiteri, ostendit *Blosius de Mon. spir. c. 5.* exemplo cuiusdā sanctimonialis, quæ ante uitæ exitū ab hac culpa expiari debuit, quod peccatorum uenialium, sine quib. humana uita non ducitur, confessionem neglexisset. Etenim quamuis ad ueniales culpas curandas Clerici, & Laici alijs ēt possint remedijs uti, pœnitentia tñ lōge efficacior, atque utilior est; & inter eius uirtutes hęc est omnino æstimanda, quod cętera remedia, & si culpas auferant, gratiam tñ non conferūt, nec collatam augent, sed pœnitentiæ Sacramentū non tantum perfecte reatum tollit, uerum ēt gratiā & eius augmentum elargitur, quo in uia Dñi proficiant. Vbi tñ notandum, quod & si uenialiū confessio non de præcepto, sed de utili, ac fructuoso consilio sit, intelligitur tñ, cum uenialia esse manifestum est: si. n. dubium foret, aut periculum mortalia esse, ad eorum confessionem astringerentur. At supposito, quod lethali noxa careant, sed ea tm̄ pro maiori conscientiæ puritate confiteantur, vt ingentes inde fructus pcipiāt, adhuc tñ eis integrū est, nō oīa, sed aliqua tm̄ cōfiteri, & Ecclesię clauib. subijcere. *Vinaldus de contrit. q. 9. & de confess. q. 58. Henriq. l. 3 de pænit. c. 8. n. 7. Roder. in summa c. 54. Anton. Molina. in Institut. Sacerd. tr. 5. c. 5. §. t.*

QVAESTIO XXIV.

QVAS OBLIGATIONES CONTRAHAT Subdiaconus.

SVbdiaconus cū ordinatur, quæ onera, uel obligationes cōtrahit? R. duas, uidelicet seruandi casti-

castitatem, & hora s canonicas recitandi: nam quò ad primam, qui sacris initiantur, eo ipso implicite continentiæ uotũ emittere censentur, et si nihil uoti meminerint *c. nullũ. di stinct. 28. c. 1. de voto. lib. 6. Conc. Trid. sess. 24. can. 9. Azor. p. 1. l. 13 c. 12. q. 6. Val. tom. 3. disp. 10. q. 2 puncto 4.* Certè nunquã in Dei ecclesia licuit sacris ordinibus initiatis impuræ Veneri operam dare, nec matrimonium cõtrahere, vt patet ex Canonibus Apostolorum *c. 15. & Castrens. l. 2. de haresi. in v. Sacerdotiũ, & Michaele Medina in tract. de calibatu.* Id qđ à veteribus et Idolorum cultoribus obseruatum fuisse legimus, nã vt est apud Alexandrum ab Alexandro *l. 4. Dier. gen. c. 17.* Cõstat Sacerdotes matris Deùm, vt nulla nisi sacrorum maneret cura, nudiq; ac vacui religioni intenderent, & procul ab omni labe vitam agerẽt, cunctarum rerum dominio se abdicasse. De cælibatu et Sacerdotũ, & quod coniugati, ad Clericatũ, & Ecclesiasticos gradus nullo modo admittãtur, propterea quod eorum qui huius vitę curis, & solicitudinib. afficiuntur, quas coniugalis status affert, studium, & cogitatio in Dei cultu versari nequit, vide re licet plures leges, & cõstitutiones. *In Authen. de monachis, & de Sanctiss. Epis & C. de Epis, & Clericis.* Quod & iure Romano olim cautum fuit, cuius verba sunt, Ad diuos adeunto caste. Pietatẽ adhibẽto. Opes admouẽto. Qui secus faxit, Ipse Deus vindex erit. De qua re *Tull. l. 2. de legib.* Quin et apud omnes gentes pudicitiam in hominibus Deo dicatis præ cæteris fuisse commẽdatissimam, vel ex illo Virgilij loco liquet,

Quiq; Sacerdotes casti dum vita manebat.

Et apud Romanos Vestales perpetuam virginitatẽ seruabant, quam quidem si concubitu polluissent, viuæ sub terra defodiebãtur. Perpetua. n. castitas ordini sacro, & sacerdotali statui annexa est propter eius ministeria, quæ ad eã conseruandã multũ conferunt. Primo siquidem incõtinentia, & matrimonium illi Sacerdotali ministerio repugnat, quo purissimum Corporis, & Sanguinis Christi sacrificiũ Deo offertur. Secundo illi officio aduersatur, quo pro se, & peccatis populi orare debet Sacerdos, qđ in sacro missę, eiusq; orationib. atq; canonicarũ horarum recitatione impletur, ac alijs precibus, meditationibusq; præstatur, &c. Tertio quia propriũ est et eius munus, spirituales filios Deo gignere, & per confessionis, prædicationis, & salutariũ admonitionum ministeria, animas Cœlo lucrari, & ipsam ecclesiam gubernare: ad quod perpetua continentia valde necessaria est, & omnino carnales amplexus auersari, &c. *Tiraq. l. 15. connab. n. 120. Bellarm. l. 1. de cler. c. 19. Conin. de ord. disp. 20. dub. 11. nu. 108. Marquardus de Susannis in tr. de Cælib. Sacerd. p. 1. c. 1. & 2. Lud. de Ponte tom. 4. tr. 1. c. 10.*

QVAESTIO XXV.

AN VOTVM QVOD SVDIACONVS emittit, sit simplex, an solemne.

HViusmodi votũ quod Subdiaconus emittit, dicitur ne votũ simplex, an solemne? R. dicit solemne. Votum. n. duplex est, videlicet simplex, qđ fit siue publice, siue priuatim, sine cõsueta ecclesiæ solemnitate: & solemne, quod per professionem religionis approbatę: aut per susceptionem sacrorũ ordinum cum certa iuris formula in manu Antistitis celebratur. Proinde cum cõmuniori sententia fatendum est, uotum simplex, & solemne ita inter se specie differre, ut simplex pmissio, & stipulatio differunt, & consequenter illum, qui uotum solemne fuerit transgressus, non satisfacere obligationi integre confitendi, si dicat, se uotum castitatis uiolasse, sed debere explicare circunstantiam, quod tale uotum solemne fuerit. *d. c. 1. de voto lib. 6. Reginal. l. 18. n. 225. Sayrus l. 6. clauis reg. c. 2. n. 2. Azor. p. 1. l. 12. c. 6. Lessius l. 2. c. 40. dub. 14.* Et licet aliqui senserint, sacris ordinibus de iure diuino cõtinentiam annexã esse, siquidẽ ecclesia hactenus à tẽpore Apostolorum seruauit, ne in sacris constituti matrimonium contrahant, & cęlibem uitam ducant: contraria tñ sententia uerior existimatur, solo ecclesiastico iure hoc continentię uotum illis adiunctum esse, ut ex citatis canonibus constat. *Bellarm. l. 5. cap. 18. Azor. d. c. 12. q. 2. Valentia tom. 4. disp. 9. q. 5. puncto 5. Conin. nu. 113. Sanchez. l. 7. de Matrim. disp. 27. Henriq. de ord. c. 2. Vasquez. tom. 3. d. 248. c. 3. Molfes tr. 2. c. 8. n 25. Castrens. l. 2. cons. 102. Tuschus v. ordo concl. 189.*

QVAESTIO XXVI.

AN SI SVBDIACONVS MATRIMONIVM contraheret, valeret, & quam pœnam subiret.

SI Subdiaconus de facto matrimoniũ contraheret, ualeret ne matrimonium, & an pœna aliqua afficeretur? R. Procul dubio nõ ualeret; uotum namq; solemne castitatis, & religionis ita coniugium impedit, ac dirimit, ut si quis sacro ordine initiatus, uel religionem professus matrimoniũ iniret, mortaliter peccaret, cõnubium illud nullũ redderet, excommunicationis pœna Epõ reseruatæ percelleretur, & in bigamiam similitudinariam incurreret, *Clem. 1. de consang. & affinit. Conc. Triden. sess. 24. can. 9. Pasecius in praxi Episc. l. 1. c. 1. n. 38.* Et si esset clericus, sacrorum ordinum beneficio ipso iure priuatus esset, & in suscepto ordine manere cõpellendus foret. *Less. l. 2. c. 34. dub. 21. Clarus l. 5. sent. su. §. fi. q. 73. v. cler. Sanchez. de Matr. l. 7. d. 42*

Qui-

Quinimo religiosi professi, uel clerici in sacris cõstituti, qui tm̃ scelus perpetrare ausi fuerint, suspecti de fide fiunt, & in eos integrum est Inquisitoribus animaduertere. *Franc. Pegna in 2. p. ad Direct. Inquisit. q. 49 comment. 74. Diax. & ibi Lopez. in praxi crim. can q. 82.*

QVAESTIO XXVII.

QVODNAM PECCATVM COMMITTAT Subdiaconus castitatis votum violans, & quid de religioso.

QVæritur quodnam peccatum admittat Subdiaconus, si rem turpem cum muliere habe-ret, & an religiosus professus, & ordine initiatus sic delinquens duo peccata committat, alterũ ratione uoti in professione emissi, alterum ratione uoti implicit, qđ in ipsa ordinis susceptione cõtinetur? R. Iuxta ueriorem sententiã, sacrilegij crimine, ac pœna teneri, quoniam non solum ecclesiastica lege castitatem seruare debet, sed & quia ecclesiæ decreto dum ad sacros ordines promouetur, se continentiã seruaturum uouet. Porro ex castitatis uoto tenetur Subdiaconus abstinere à coniugio; deinde ab omni interno, & externo actu, qui castitati aduersetur; ut à turpibus cogitationibus, delectatione morosa, à pollutione, turpi cõtactu, impudico aspectu, & ab omni actu uenereo, qui ipsam castitatẽ uiolare possit. *Lessius l. 2. c. 41. dub. 9. n. 78.* Ad secũdã quæstionem dico, unico scelere, sed grauiori astringi; nã hęc duo præcepta, uel obligationes ad religionis uirtutem spectant; præcepta uero, & si multa sint, nisi ad diuersas uirtutes pertineant, nouam speciem peccati non cõstituunt; atq; sic utriq; dubitationi satisfacit. *Azor. p. 1. l. 9. c. 27. q. 3. & l. 7. c. 31. q. 7. contra Conin. de sacr. ord. disp. 20. dub. 13. nu. 131.* Subdiaconi. Proinde futuri antequam hanc prouinciam, & onus suscipiant, probe se ipsos expendere tenentur, non. n. debet quisquam se sacerdotio addicere, cui sit ineptus, & quod caste, mũdeq; exequi nequeat, ne quid in consultè faciat, cuius postea pœnitendũ sit, quia deliberandum est diu, de quo statuendum est semel, Hinc ille,

Da spatiũ, tenuemq; morã, mala cuncta ministrat Impetus. Illiusq; dicti Demosthenis meminerit Subdiaconus, Dum nauis est salua, prompte consulere, & prouidere ne euertatur, facile est, sed postquam fluctus exuperat, inane est studium. Et vt ad eam q̃ decet continentiã, & quam professi sunt, Subdiaconi, & alij ecclesiæ ministri reuocẽtur, vt & populus hinc magis discat eos revereri, quò honestiores cognouerit, debent à mulierum, vel consanguinearũ cohabitatione penitus abstinere, quotidiana. n. experiẽtia docemur, valdè illã periculosã esse, & ex ea innumera scãdala prouenire. Idcirco nũquam, vel raro mulieres cõueniant: memores q; sint, mulierem dici à molliẽdo, quia aĩos & ferreos emolliat, vt scite ille dixerit, Oleum nutrit lucernã, & ignem luxuriæ confabulatio mulierum. *Fuscbus l. 2. de visit. eccl. c. 15. n. 88. Laur. Scalah. in Moral. in Pass. Domini Mor. 8. c. 3. §. 2. & 3.*

QVAESTIO XXVIII.

QVID SI SACROS ORDINES SVSCIPIENS vouere non intenderet, nec se voto ligare, &c. tenebitur ne castitatem seruare?

QVid si quis sacros ordines suscipiens non intenderet vouere, nec se voto obligare, vel si sacris volẽs, & sciens initiatur, nescit tñ an continentiam promittant, qui ad illos promouentur, tenebitur ne castitatem seruare? R. utiq; supposito. n. qđ ordinari voluerit, necessario quoq; votũ cõsequens ordinem velle censetur; licet. n. ecclesia nullum cogat sacros ordines suscipere, cum res meri consilij sit, statuit tñ, sicut quilibet rei suæ legem quã vult apponere põt, vt q illos suscipiũt, inhabiles ad matrimoniũ sint, & cõtinentiam ex voto tacito, & implicito seruare teneantur. *Nau. c. 22. n. 52. Card. Bellarm. l. 1. de Clericis c. 18. & de Matrimonio c. 21. Tol. l. 7. c. 8. Arrag. 22. q. 88. art. 11. Azor. p. 1. l. 13. c. 12. q. 6. Sayrus l. 6. clau reg. c. 1. n. 4.*

QVÆSTIO XXIX.

AN ORDINATIO VI METVVE FACTA valeat, & ad castitatem seruandam astringat? Et quid de puero sacris insignito, &c.

SI quis vi, metu ve, qui in constantem virum cadit, ordinaretur, susciperet ne ordinẽ, & voto continẽtiæ obligaretur? Et quid de puero ante usũ rationis sacris ordinibus insignito? R. Ordinatio per uim facta non tenet, in recipiente. n. ordinem, sicut in baptismo, suscipientis intentio, & uolũtas requiritur. Per merum uero ordinatus modo non sit precisa uis illata, characterẽ quidẽ suscipit, sed tñ nec ad castitatem, nec ad diuinũ officium astringitur, si metus ille grauis sit, & in constantem uirum cadẽs, *c. 1. ext. quod met. causa,* Vnde ei, qui ordinem sacrũ sic suscepit, integrũ erit, sine alia dispensatione, uxorem ducere, quamuis ne eius filijs quęstio, uel lis de hæreditate excitetur, cauere possit, ut Epus declaret uotum illud non ligare, hoc iusto prius probato metu. Quam assertionem cõiter Doctores limitãt, nisi talis clericus postea uerbo, uel facto sciẽter, sine aliqua ui illũ ordinem exercẽdo ratũ habuerit, &c. *Nau. cons. 1. & 2. tit. quod met. causa. Henriq. de ordine*

dine c.14. Vgol. de officio Epis p.1.c.13.& p.2.c.26. S.5. Azor.p.1.l.13.c.14.q.8, Sãchez.l.7. de matrim. disp.27.n.6, Bonac. de matrim. q.3.puncto 9.n.12.

Ad Secundam quęstionis partem dico, inter oẽs conuenire, eum puerum ordinis characterem recipere, quamuis male is fecerit, qui illum ad sacrũ ordinem promouit; at ordinis functione priuatũ esse, nisi cum factus est rationis compos, perpetuam cõtinentiã ꝓmittat. Atq; idẽ ꝓbabiliter dicẽdũ est de ꝓmoto ad sacros ordines post rationis vsũ, sed ante pubertatem, vt sicut de professo dicitur, si ante annum 16. fuerit ordine sacro initiatus, voto castitatis illi annexo non obligetur, ac proinde matrimoniũ contrahere ei liceat, nisi post legitimam ætatem illud votum ratificauerit, &c. *D D. l.c. Idem Sanchez, l.c.c.30.num.8. & Bonac.l.c.n.14.*

Et hæc quò ad primam obligationem Subdiani dicta sufficiant, &c.

QVAESTIO XXX.

CVR, ET QVO IVRE SVBDIACONVS Canonicas horas recitare teneatur, &c.

Circa secundũ onus, quod Subdiaconus subit, qđ est canonicarum horarum recitatio, quæritur, cur, & quo iure hæc obligatio sit inducta? R. Valde insigne est Subdiaconorũ, & aliorum ecclesiasticorum ministerium, pro vniuerso populo christiano preces apud Deum fundere; quoniam militię clericalis arma nõ carnalia, sed spiritualia sũt, inter quæ orationes primum locum tenent. Cum certum sit, Glotiosissimam cletici pugnam esse orationem, qua pro proprijs, & christiani populi peccatis, apud Deum incessanter instare debet, Diuina attestante veritate, *Ioel.c.*3. Inter vestibulum, & Altare, plorabunt Sacerdotes, &c. Ideò ecclesiasticæ militiæ cõsecrati meminisse debent, se precibus, supplicationibusq; quotidianis Deo persoluendis addictos esse, illis præcipue, q̃ ab ecclesia sunt antiquitus institutæ. *D. Bonauent. Opusc. de sex alij c.8. Lud. de Ponte de hominis perfect. to.4. tr.3.c.1.§.1.* Quibus præcipue sunt obligati, sacris initiati, beneficijs donati, & religiosi professi. Qua rõne motus. *Sot.l.10. de iust.q.5.art.3.* ait, vix mereri nomen religionis ordinẽ illũ, q choro caret, &c. Cõtra quẽ nimis libere insurgit. *Val. disp.10.q.6.pun.2.* ꝓprio instituto valde fauens. Causę vero huius institutionis multę fuerunt, & valde vtiles teste eodem. *D. Bonau.l.c.* sed illa præcipua est, vt militans ecclesia morem triumphantis imitaretur, in qua S. Angeli, & B. Spiritus coram Deo semper assistunt, & eius laudibus vacãt, iuxta illud Dauidis, Beati qui habitãt in domo tua Dñe, In sæcula sæculorũ laudabunt te.

Quippe id spectabat ad catholicæ ecclesiæ, & christianę religionis commodum, & ornatum; nam inter omnia reipub. munia, atq; functiones, religio, cultusq; Diuinus est, q apicem tenere debet, cuius præcipua pars est Deum laudib. extollere, illumq; precibus propitium reddere. *c. ipsi Sacerdotes 1.q.1. Sot.l.10. de Iust. & Iure q.5.art.1.* Vnde multi Doctores asserere nõ dubitarunt, obligationem horas recitandi partim a iure Diuino, partim ab humano iure manare. De iure Diuino est, vt ecclesiastica ꝑsona laudis sacrificium celebret, illudq; Deo omnipotenti, de fructu labiorum suorum offerat: nam cũ temporalia laici clericis suppeditent, æquum est, vt spiritualia metant, & pro se ipsis clericos intercessores habeãt. *c. cum secundum. ext. de prebendis.* Hinc inferunt, Summum Pontificẽ dispensare non posse, vt diuinum officium in totum nõ recitetur, propter illud, Septies in die laudẽ dixi tibi. Quamuis circa modum, qualitatẽ, ordinem, numerum, & alias circunstantias, quas ius ipsum positiuum induxit, clericos hac lege soluere valeat. *Abbas in c.1. ext. de caleb. miss. Decius in c. quæ in ecclesiarum. n.53. ext. de constit. Ang. & Rosella in v. hora. Felyn conf.26. Graffius.l.2. decis. aur. c.50. n.4. & alij multi,* quos refert, sed non sequitur. *Azor. p.1 l.10. cap.1.q.7. & Valent. tom.3. disp.6.q.2. puncto 10.*

QVAESTIO XXXI.

QVID NOMINE HORARVM INTELLIgatur, & quot sint, &c.

Quid nomine horaiũ canonicarũ intelligitur, & quot sint, &c? R. Dico horas canonicas intelligi eas preces, q̃ ad Deũ laudandũ, opemq; eius inuocandam, certis, statisque temporibus iuxta canones ecclesię, recitari solent. Et dictę sunt horæ, non ab orando, vt aliqui opinati sunt, sed quod more, & instituto ecclesiæ præscriptis, & determinatis horis, nocturnis, ac diurnis decantari debeant. Canonicæ vero, quasi regulares, quod iuxta ecclesiasticorum canonum traditionẽ, & regulam, earũ orationum pensum sit à clericis persoluendum: dicuntur diuinum officium, & etiam ecclesiasticum, quasi munus, & obsequium, quod personæ Deo dicatæ Deo præstant, & quasi clericorum ministerium, & pensum, eoquod vt nonnulli senserũt, ecclesiæ præcepto, & instituto persoluitur. Dicitur aũt officium per antiphrasim, quod minime officiat, sed prosit, ac deceat, & est illud, qđ quisq; efficere dẽt pro suæ personę cõditione; Nulla. n. vitæ pars ait. *Tullius l.1. offic.* vacare officio põt, in eoq; excolendo sita est vitæ honestas oĩs, & in negligendo turpitudo. Porro septem sunt hæ canonicæ horæ, nẽpe matutina, prima, tertia, sexta, nona, vespera, & cõpletoriũ, iuxta illud. *Psal.118.* Septies in die, &c. Et apte ꝑfecto,

acap-

& appositè septenarius horarum numerus institutus est, vt septem Spiritus sancti dona precibus impetremus, & septem petitionib. respondeant in dominica precatione contentis; & contra septē lethalia peccata præsidia, & antidota nobis cōparemus. Item ut redemptionis nostræ beneficium ad memoriam pariter reducamus; nam septem præcipua redemptionis nostræ mysteria hisce horis cōpleta esse noscuntur, quæ à *Glosa in c. 1. de celeb. missarum*, his versibus exprimuntur.

Hæc sunt septenis propter quę psallimus horis,
Matutina ligat Christum, qui crimina purgat,
Prima replet sputis, causam dat Tertia mortis,
Sexta cruci nectit, latus eius Nona bipertit.
Vespera deponit, tumulo Completa reponit.

Quæ quidem horæ suis debitis temporibus persolui debent, omnes n. simul recitare, & vnico tractu legere, quæ diuersis vicibus, & distinctis spatijs, ac temporibus dicendæ sunt, nefas est, & sine offensa fieri nequit. Cuius rei egregiū, ac mirabile exēplū refert *Petrus Card. Damianus de S. Seuerino Epo. epist. 5. ad Desiderium Abbatem. Gab. super can. missæ lect. 13. Arrag. l. c. Azor. l. 10. c. 1. q. 3. Val. disp. 6. q. 2. pūcto 10. Nau. de hor. can. c. 7. Lessius l. 2. c. 37. dub. 8. Petrus Bonghus de mystica num. signif. de num. 7. Gilbertus de off. eccl. c. 56. Bessens de Sacer. l. 1. c. 12.*

CAP. IV.

QVAESTIO XXXII.

QVINAM CANONICAS HORAS RECITAre teneantur, & quanta sit hæc obligatio.

Qvinam alij tenentur ad horarum canonicarum recitationem, & quanta est hæc obligatio? R. Tria hominum genera hac obligatione astringuntur. Primo Subdiaconi, Diaconi, & Sacerdotes. De Diaconis quidem, & Subdiaconis id iure scripto cautum non est, sed generali ecclesię consuetudine est receptum; quę quidem cum rationabilis, & legitime præscripta sit, nō dubium, quin vim legis ad p. m. obligantis habeat. *c. fin. ext. de consuet.* De presbyteris habetur *in c. 1. ext. de celeb. missarum.* Quæ positio locum habet, vel si excōmunicati, cēsura vel aliqua alia irretiti, depositi, vel degradati sint, non. n. delicta immunitatē tribuere debēt. *Vgol. de off. Epi p. 1. c. 13. §. 1. Sayr. l. 2. de cēs. c. 3. n. 3. & l. 4. c. 5. n. 9. Less. sup. l. c.* Idem dicūt aliqui de damnatis ad triremes: sed vsus repugnat, īaris. n. afflictionis habent, dum vi in illis supplicijs detinentur, &c. Secundo tenentur religiosi professi, ad chorū deputati, & moniales, idq; ex gnāli ecclesiæ vsu: nō tñ nouitij, quia nondū firmiter diuino obsequio sunt mancipati, neq; hi, qui militarem statum profitentur, vt sunt variorum ordinū milites: nec ij qui Conuersi dicuntur, & ad corporis ministeria destinantur. *Syl. in v. hora n. 4. Less. l. c. n. 49. Vgol. d. §. 1. Molfes. tr. 5. c. 3. Rod. in qq. reg. tom. 1. q. 24. art. 2. & 3. Miranda. tom. 1. q. 37. art. 7.* Tertio hoc iure ligātur, qui aliquo ecclesiastico beneficio gaudent, et si tantum prima tonsura sint insigniti; non autem tonsurati tantum, aut in minoribus constituti, si beneficijs careant. *c. fin. dist. 92 Parisius de resignat. l. 1. q. 9. Garzias de beneficijs p. 3. c. 1. num. 1.* Conuenit vero inter Doctores, peccatum non implendi obligationem recitandi horas canonicas ex suo genere esse mortale, tanquam cōmissum cōtra præceptum datū de actu religionis virtutis præstantissimæ, pertinentisq; ad Dei cultum, atq; ad ecclesiæ vtilitatē conferentis, non secus ac dieb. festis sacro interesse. Et confirmatur, quod tale peccatum sit excōmunicatione dignum, quæ tantum ob mortalē culpam infligitur. *c. clericus victum. dist. 91. c. nemo Episcoporum. 11. q. 3.* Et notum est, beneficium dari propter officiū. *c. fin. de rescr. in 6.* Atq; nullo fere repugnāte, hic communis Doctorum sensus est, & cōsensus, & generalis, inueterata, & antiquissima ecclesiæ consuetudo, quæ vim etiam legis obtinet.

QVAESTIO XXXIII.

AN HABENS TENVE BENEFICIVM teneatur horas recitare.

Qværit, an clericus fruēs beneficio tenui, ita vt redditus ad vitā eius sustentandā non sufficiat, teneatur diuinū officiū recitare? R. *Sotus l. 10. de iust. & Iu. q. 5. ar. 3. & Arrag 22. q. 38. ar. 12. Viualdus in cand aur. de ordine. n. 43. & Azor. p. 1. l. 2. c. 16. q 6. Lessius l. 2. c. 34. dub. 31. n. 169. Bisfeldius de hor. can. c. 8.* probabilem esse sententiā censent, nō teneri, si beneficij fructus nō attingant saltem summam octo aureorum, eo quod beneficium propter officiū conferatur, ergo si valde tenue est, & exiguū nulli subijcere debet obligationi possessorem, quæ preces horarias persoluere cogatur. In contrariū tñ est communis opinio. *Gloss. in c. 1. de celeb. miss. & in c. clericus. dist. 91. Cou. l. 3. var. res. c. 13. n. 8. Val. to. 3. disp. 6. q. 2 puncto. 19. Tol. l. 2. c. 14. Garzias l. c. n. 40. Graffius l. 2. decis. aur. c. 49 n. 28. Azor. l. 10. c. 3. q. 3. Suarez. de relig. to. 2 tr. 4. l. 4. c. 21. Reginal. libr. 30. c. 4. n. 34 Molfes. tr. 5. c. 2. n. 27. Squill. de oblig. cler. p. 1 n. 7. dub. 1.* & alij, tùm quia beneficiū licet tenue est verum beneficiū, & verum spirituale ius cōfert; tùm quia cum clericus sponte exiguū beneficium accipit, se ecclesiæ legibus astringit, &c. In praxi tñ si beneficiū adeo sit tenue, vt fere pro nullo reputetur, & his temporibus saltem summam, vt aiunt, octo ducatorum non attingat, confessarius natu-

naturali æquitate ante oculos habita, pro eiusdē prudentia, & arbitrio ad aliquoties recitādum. v.g. festiuis, & dominicis diebus eum obligare posset, vt multi supra citatorum DD. asserunt, & ita alias sæpius interrogati respondimus.

QVAESTIO XXXIV.

NVM COADIVTOR EX VI COADIVTO-ria teneatur diuinum officium recitare.

AN Coadiutor beneficiarij teneatur ex vi coadiutoriæ diuinum officium recitare? R. negatiue, cum ex vno beneficio duo ad recitandum canonicas horas non obligentur, sed hoc onus apud proprietarium remaneat: cogitur tñ ea præstare, ad quæ datus est adiutor, ac proinde si constitutus est ad canendum solum in choro, vel simili ecclesiæ seruitio vacare, id tantummodo facere debet, cum limitata cā limitatū pducat effectū, at recitare tenebitur ratione sustentationis, si q̃ habet ab ecclesia: vnde ẽt poterit ad coadiutoriā, vt dicūt, ordinari, si sit futurus successor, &c. Quæ sententia ex eo confirmatur, quod declaratum est à Sāctissimo Domino nostro Paulo V. ad petitionem ecclesiæ cathedralis Conimbricensis in quodam Decreto anni 1606. In quo inter alia statuit, coadiutores canonicorū non esse vere canonicos, nec viuentibus adiutis pro talibus habendos, ergo de adiutoribus in quibuscunq; alijs beneficijs idem dicēdum est, vt refert *Suarez. tom. 2. de religione lib. 4. c. 22. n. 19. Nau. de oratione c. 20. n. 19. Azor l. 10. c. 4. q. 1. Garz. p. 3. c. 1. n. 109. Rota Rom. par. 1. tom. 1. Decis. 456. Nald. in v. canonicus. num. 5. Squill. de oblig cler. p. 1. n. 14.*

QVAESTIO XXXV.

VTRVM A DIE COLLATIONIS BENEFICij, vel potius à die possessionis adepta hora canonicæ sint recitandæ.

CLericus beneficiarius tenetur ne canonicarū horarum pēsum persoluere à die collationis, vel potius à die adeptæ possessionis, & q̃d si per aliū fruct⁹ recipiat, &c? R. Primo dico rõne possessionis, & fructuū ad id cōpelli, nā sæpe ante initā iurisdictionē ius est incertū, cū cōtingere soleat, vt q̃ beneficium impetrauit, videat se spe sua frustratum. Quam positionem limitāt Doctores, dūmodo per ipsum non stet, quo minus beneficij possessionem consequatur, vel fructus percipiat, quia tunc horas recitare teneretur. Atq; id in Romana curia, & praxi receptum esse refert. *Parisius l. 1. de resig. benef q. 9. n. 15. & sequitur. Lessius l. c. dub. 30. n. 167. Suarez. l. c. n. 7. Reginal. tract. 3. d. 30. n. 38. Azor. d. c. 4. q. 6. Tol. l. 2. c. 14. Molfes. tr. 5. c. 3. n. 5.* Ad Secūdam q. dico, cum qui cū titulo beneficij illius possessionē habet, non eximi à proposita obligatione, ex eo q̃d non ipse, sed nomine ipsius alter fructus accipiat, vt puta pater, vel alius consanguineus, qui. n. per aliū recipit, ipsemet recipere cēsetur: *D D. l. c. relati contra Garziam, & alios ibi citatos. n. 93.*

QVAESTIO XXXVI.

AN HABENS PLVRA BENEFICIA teneatur pluries diuinum officium recitare.

AN habēs plura beneficia teneatur quoq; pluries officium dicere? R. Ex ecclesiæ consuetudine vno officio satisfacere ẽt si præter ius sine legitima dispensatione plura beneficia possideat, obligatio. n. iuxta intentionem obligantis sumēda est: intentio autem Summi Pontificis beneficiatos ad horas canonicas astringentis nō est, vt iuxta numerum causarum, quibus onus illud recitandi annexū est, toties recitentur, sed vt vnus homo ad illas obligatus semel recitet, ẽt si pluribus causis, & rationib. teneretur. *Suarez l. 4. de hor. can. c. 18. n. 7. Philiarc. de officio Sacerd. tom. 1. l. 1. cap. 8.* Atque idem procul dubio dicendum de constituto in sacris ordinib. & simul ecclesiasticum beneficium possidente, vt. s. non nisi semel teneatur diuinum officium recitare, siquidem licet ex duplici causa beneficij. s. & ordinis sacri horas canonicas persoluere debeat, nihilominus est vna obligatio, vt quādo in die dominico succedit festum, in quo ex præcepto sacrū est audiendum, nam vnica missa vtriq; præcepto satisfit, quia præceptorum multiplicatio circa eādem materiam versatur, &c. Et hæc est cõis DD. sententia, & praxis cōtra Gulielmum Parisiensem, Dionysiū Carthus. & Albert. Ferrar. qui dicebāt, vsum huius sæculi seruare, vt qui pluribus potitur beneficijs, semel tantum horas dicat, se antē nescire, an vsus futuræ vitæ idē fruet. *Azor. d. c. 4. q. 10. Molfes. tr. 5. c. 3. num. 22. Garzias. d. cap. 1. num. 110.* Vbi tñ aduertunt, eum qui duo beneficia iniuste detinet, teneri vtrumq; renunciare, vnde & si officiū semel, aut bis recitet, beneficia, & eorū fructus restituere cogitur. Si vero vnum tantū beneficium legitime possideat, & alterum inualide, nec ẽt nisi semel in die recitare obligatur; quia eo beneficio, quod inique tenet, se abdicare, & fructus restituere debet, &c.

QVAESTIO XXXVII.

AN PENSIONEM ECCLESIASTICAM obtinens horas canonicas persoluere teneatur, & quid dicendum de pensionario in sacris constituto, vel beneficio aliquo donato?

VTrum clericus, qui ecclesiasticam pensionem obtinet, hac lege diuinum officium recitādi

L tenca-

teneatur; & an si pensionarius sit in sacris constitutus, seu beneficio aliquo gaudeat, in quo casu horas canonicas dicere cogitur, si et astrictus paruum officium B.M.Virg. recitare? R. Primo Cōis est sententia, pensionarium ad id minime astringi, at iure nouo eum, qui vt clericus pensionem obtinet, soluere debere paruum, quod vocāt factum B.M.V. officiū id .n. decreuit Pius V. in constit. *Incip. ex proximo lateranensi concilio.* Quod si totum, vel partem omiserit, ad fructuum pensionis restitutionem pro rata officij prętermissi tenebit, vt de beneficiario magnū officium omittente statuitur. Vbi et norandum, Pēsionem obtinentem priuilegio fori æque gaudere, ac si ecclesiasticū beneficiū possideret, ea .n. etiā in hoc sacra. Card. Cōg. æquiparat. *Conc. Trid. sess. 23 c. 6.* sic interpretans. *Nau. c. 25. n. 122. Catech. ecclesia Neap. de recit. hor. can l 4. c. 7. Graffius l. 2. decis. aur. c. 50. n. 8. Nal. v. pēsio.* Ad Secūdam q. negariue consequēter respondetur, nā ea videt esse Pōtificis mens, vt runc pensionarius paruum B.M. officiū recitare debeat, si aliàs horas canonicas persoluere non teneretur. *Azor. q. 3. Garzias nu. 116. Nau. cons. 22, tit. de celeb. missarum. Molfes. l. c. n. 47. Squillantes de oblig. cler. p. 1. n. 20.*

QVAESTIO XXXVIII.

QVOMODO DIVINVM OFFICIVM persoluendum sit?

Quia vero ex veteri pronuntiato, Nō in facto laus est, sed in eo quemadmodū fiat. Et preclare à Platone in cōuiuio proditū est, modū actioni cognomētum præbere, cum quod sine modo, ac ratione fit, non factum fuisse censendum sit, ideò quæritur, quomodo diuinum officium persoluēdum sit? R. Horarias preces à Subdiaconis, & alis clericis, rubricas Breuiarij Rom. & ritum, ac Calendarium eius ecclesiæ, vbi habitant, seruando ex cōi sententia relata per *Molfes. tr. 5. c. 1. n. 46. & 81.* studiose, & deuote recitandas esse, Ita .n. præcipitur in generali concilio later. sub Innocentio III. Districte præcipientes in virtute obedietiæ, vt diuinū officiū nocturnū pariter, & diurnū quantū eis Deus dederit, studiose celebrēt pariter, & deuote. *c. dolētes. ext. de celeb. miss.* Et quāuis ibi de officio publico sermo esse videatur, idem tñ dicendum est de eo, quod priuatim pēditur, cum eadē militet ratio. Vt studiose celebretur, tria potissimum requiruntur. Primo, vt recitetur absq; Syncopa, vt ibi ait Glossa .i. absque verborum omissione, vt fit, dum priora verba, & versiculi, absorptis medijs, vltimis iunguntur. Secūdo, vt verba non murilentur, aut truncatim proferātur, abscissis quibusdā syllabis, præsertim vltimis. Tertio, vt absque interruptione id fiat. *D. Bonaēnt. l. 4. Phar. c. 21. Lessius l. 2. c. 37. dub. 10.*

QVÆSTIO XXXIX.

AN QVI STVDIOSE CANONICAS horas non recitat, m. p.

Peccant ne mortaliter clerici, simulq; precepto non satisfaciunt, qui prædicto modo recitāt? R. Quò ad primam, & secundam cōditionem dico, si sit magna syllabarū absorptio, & vt aiunt, syncopatio, mortiferam culpam maxime in publico officio admitti, cum præceptum in re graui violetur. In priuato officio non facilè mortale peccatū erit, nisi sit enormis excessus; si autem nō sit magnus abusus, si inuolūtarie hoc fiat, venialis uoxa cōtrahit. Nullum vero peccatum erit, si inuolunrarie, v.g. ex linguæ precipitatione, balburie, inolita consuetudine, quæ corrigi nequeat, vel ob iustā festinationē hoc fiat. Neq; in ea, quanrum cunq; nōnihil esset culpæ, obligatio horas repetendi insurgere debet, quoniā quod de præcepti substātia fuit, seruatum est; Sicut nec reperendus fuit baptismus, sub hac forma collatus, Ego te baptizo in nomine patria, & filia, &c. *c. retulerūt. de cōs. d. 4. vt sup. aīaduerti. c. 2. q. 8. Tol. l. 2. c. 13. Azor. p. 1. l. 10. c. 7. q. 11. Less. l. c. Reginal. l. 18 n. 160. Bisfeldius de Iust. cler. c. 10. Vgol. de off. Epi p. 1. c. 19. §. 1.* Cōsiderent rñ clerici, qui horas canonicas recitare tenētur, visionem illam relatam à *D. Antonino 2. p. tit. 9. c. 13. §. 3.* de quodā S. Patre, cui in choro videnti Dæmonē multa sacco imponentem, & interrogatum, quid inuolueret? respondisse ferunt syllabas, & verba, quæ ij, vel illi omittūt, vel deglutiunt inter dentes, vel versus incipiunt, anteq; ij, quibus cū recitant, alios absoluant, vel male versus pronūriant, vt illos eius rei in iudicio accusaret. Impura quoque lue, ac funesta, tetraq; peste ob horarias preces negligenter solutas, in quandam monialium familiam Deum animaduertisse, refert. *Surius in vita. S. Ludgardis. l. 2. c. 10. die 16. Iunij.* Quò ad Tertiā conditionem, illa certa sit assertio, Quando in officio aliquid breue interponit, aut ad ipsum officium, vel finem eius spectans, vel saluti spirituali, aut corporali, aut honori, vel bonis fortunæ orāris, sine proximi necessarium, nec cōmode prorrahi potest, modo scandalum absit, & propositum inceptum officium perficiendi habeatur, non est ab initio repetēdum, sed à loco interrupto continuandū, nec vlla hic admittitur culpa. Communiter tñ oēs Doctores contra Lessium sentiunt, si interruptio notabilis sit, & sine cā nō sine graui peccato esse, si nō reperatur, cum vnitas cuiuscunq; horæ ad solemnē ritū, & præscripram formam in recitandis horis canonicis pertineat. Notabilis vero interruptio ex proportione ad horam, quæ dicitur, iudicanda est, v.g. in marutini interiectione, maior temporis mora requiritur, quàm, in sextæ, vel nonæ interpellatione;

& sic

& sic inter psalmũ, & psalmũ aliquid maius, quàm in medio psalmi permitti poterit. Qua in re multũ prudẽtis viri arbitrium valet, &c. *Medina de oratione q.16. Nau.c.16.n.75. Azor.l.10.c.8.q.5.& 6. Suarez, to.2. de relig.l.4.c.24.n.10. Regin.l.c.n.162.* Porro pces horarias nõ facile interrũpẽdas esse notabili exẽplo docuit D. Lugderus Epus, nã cũ eis persoluendis incũbens à Carolo Magno Imp. misso nuntio ter uocatus esset, non nisi eis expletis, ad illũ accessit, diuinum seruitiũ cunctis alijs rebus ante ponendum non ignorans, qui cum ab ipso acri reprehensione perstrictus esset, hac ratione se ipsum excusauit, dicens, Iustissimæ discretionis regulam secutus, Deum tibi, & cũctis in terra mortalibus prçponendum non ambigo; ideo non ob regiæ potestatis contemptũ, vt maleuoli criminantur, sed potius propter tuam salutem, quç Deo prius debebã, exoluere curaui, & ita consequenter ad tuum famulatum expeditior veni. Hanc eius responsionẽ Rex optimus amplexus, Gratias, inquit, tibi ago Epe, quia qualem te esse sem p credidi, talẽ nunc esse expertus sum. Tu vt hactenus fecesti, Dei sẽper operare voluntatem, & simul nobis deuotus, & fidelis pro nostri imperij statu orare memento, vt apud. *Sur.c.32. die 26. Martij, & Daur. tom. 1. flor. exemp. c.2. tit.5. exemp.3. Beyer. in v. Hora can.*

Altera cõditio diuini officij rectè recitãdi est deuotio, vt aũt deuote celebreť, duo requiruntľ, attentio, & reuerẽtia, sola .n. attẽtio nõ sufficit, siquidem oratio est actus religionis, ac pinde reuerentiã requirit. Vnde illud diligẽtissime mente tenere Subdiaconi, & alij clerici debent, si suo satisfacere tàm in ecclesia, quàm priuatim voluerint muneri, vt nõ tantum vocis modulatione, sed & cordis deuotione (secũdum illud sapientis. *eccles. c.47.* De omni corde suo laudabit Dominum, & Vatis regij *Psal. 46.* Psallite sapienter,) ipsas canonicas horas absoluere cutent, ne illorum numero ascribãtur, de quib. ait Domimns, *Esaiæ c.29.* Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe est à me. Quibus pfecto huiusmodi oratio parum prodesse poterit, qa secundum vetus enuntiatum, Si cor non orat, In vanum ferè lingua laborat, &c. Nam quamuis imbecellitati humanæ mentis quietem non facile teneri tis, assidueq; pererrãtis plurimum indulgeatur, iuxta illud, Cor meũ dereliquit me; & licet vt D. Bernardus, dicere solebat, actualem semper attentionem, ac deuotionẽ habere ualde sit difficile, in diuinis tũ officijs obeundis maximam curã vnus quisq; adhibere debet, vt rei quam agit, animum intẽdat, memor illarum minarum, Maledictus, qui facit opus Dei negligenter. Vbi ẽt illud cauendum est, ne. dum hoc debitum persoluit, sit in statu peccati mortalis, & si.n. quò ad ecclesiam satisfaciat, modo integre, & attente recitet, apud Deum tñ nõ meretur. Hinc Christus apud *Esaiam c.1.* Impiorum preces, & sacrificia aspernatľ: & *D. Hieronymus in c.5. Amos* exponẽs illud, Aufer à me tumultum carminũ, Recte, inquit, Cãtica Leuitarum, quib. laudabant Dominum, tumultum vocat sonitumq; cõfusum, quia non est pulchra laus in ore peccatoris, &c. *Sot. l.10. de Iust. & Iure q.5. ar.5. Medina C. de orat. q. de hor. can. recit. Lud. de P. de christ. perfect. to.4. tr.3. c.6.*

CAP. V.

QVAESTIO XXXX.

QVA ATTENTIONE DIVINVM OFFICIUM à Subdiacono, & alijs clericis persoluendum sit.

QVæritur, qua attentione Subdiaconi, & alij clerici teneantur canonicum persoluere officiũ, vt suo muneri satisfaciãt? R. Aliqui existimant exteriori tantum attentione recitare teneri, quæ in hoc consistit, vt non fiat aliquid exterius, quod attentioni orationis aduersetur, v.g. non scribant, non numerẽt pecuniam, &c. ac proinde eos, qui pẽdendo officium, sola mentis euagatione distrahuntur, non peccare, & præceptũ adimplere, eoquod ecclesia secundũ ipsos actus internos, nec præcipere, nec punire valet. Alij autem verius censent, clericos recitare teneri, non solum exteriori attentione, sed ẽt interiori, saltem ea qua ad verba attẽdimus, illa debite proferendo, ne in his erretur, ex præcepto. *d. c. dolentes. ext. de celeb. miss.* siquidẽ deuotio est actus internus requirens internam ad diuina attentionẽ. Quare ecclesia præcipiendo diuinũ officium deuote celebrari, non solam tãtum externam deuotionẽ, sed internum animi affectum iniũgit, simulq; iubet vt officiũ studiose, & deuote dicatur, studiose quò ad officiũ oris, quia voce articulata pronuntiari debet, idest vt saltem orãs se ipsum percipiat, vel cum alio recitans se inuicem intelligãt. Deuote vero ad officiũ cordis refertur, vt homo mentẽ ad id, qđ dicitur, quò ad fieri potest, præsentem habeat, nec voluntarie distrahatur, cum vt ait. *Glossa in c. cantantes. dist. 92.*

Non vox, sed votum, non musica cordula, sed cor,
Non clamans, sed amans, clamat in aure Dei.

Nav. de oratione c.13. Sot. l.10. de Iust. & Iure q.5. art.5. Sayr. de cens. l.3. c.4. n.23. Suar. 2. tom. de relig. l.4. c.26. n.3. Val. tom.3. disp.6. q.2. pũcto 10. Arrag. 22. q.83. artic.13. Lessius l.2. c.37. dub.11. Garzias. tom.1. p.3. c.1. n.182. Azor. l.10. c.12. Graff. l.2. decis. aur. c.52. Viguer. in Instit. Theol. c.5. §.5. versic.11. Et vt inquit Turrecrem. super regulam *D. Bened. p.2. c.19.* Oratio sine attentione dicitur simiatica, Siquidẽ simia interdũ instar voce orãtis, aliqua

verba profert, licet quod dicit, non intelligat, & nemo sapienter facit, qđ non intelligit, & mente percipit. Idcirco aũt clerici in principio horarũ Crucis signo se muniunt, dum dicunt, Deus in adiutorium meum intende, vt Diaboli versutias à se repellant; vbicunque.n. Dæmones Crucis lignum vident, fugiunt, timentes baculum, quo plagam exceperũt, vt ait *Cass. collat. 10. c. 9.* Vnde B. Agathon interrogatus, cuinã spiritualium actionũ plus laboris inesset, respondit, precationi, quia dum illi intẽdimus, maligni Spiritus se nobis plurimũ infestos reddunt. Hinc infertur, quod si quis culpabiliter, & voluntarie saltem in causa, cum notabili mentis distractione horas recitaret, præceptum nõ expleret, & consequenter mortaliter peccaret, & repetere teneretur, & fructuum sibi obuenientium restitutioni (vt infra dicemus) subijceretur. Quã positionẽ aduertere debẽt clerici, q̃ in vijs publicis, plateis, alijsque profanis locis officium persoluunt, cum nimis constet, huiusmodi loca debitam attentionẽ impedire, ac cum religione, quæ diuino penso debetur, aperte pugnare, cũ ibi frequentes sint hominũ conuẽtus, clamores, tumultus, ac strepitus; ex qua re & profani, & seculares homines scandalum, ac offensionem arripiũt. Hmõdi aũt attentio debet esse vel actualis, vt cum actu cogitamus, & attendimus, vel virtualis, nempe ex ui, & virtute prioris attẽtionis. Illa deniq; attentio in officio persoluẽdo, qua attendimus ad verborum sensum, vel ad finem orandi .i. considerando, Deũ præsentẽ esse, & cum eo nos verbo facere, gratiam, fidem, spem, & charitatẽ ab eo postulãdo, sub præceptum non cadit, licet maximæ vtilitatis sit, sed illa tantum, qua ad verba mentem intendimus, vt ea debita ratione proferamus, &c. *D. Thomas communiter receptus in. 22. q. 83. art. 13 vt p Suar. to. 2. de relig. l. 3. c. 4. n. 2. Molfes. tr. 5. c. 2.*

S. Dominicus in precib. horarijs, quas in primis pie, ac reuerenter absoluere solebat, faciem suã crebro visus est lachrymis irrigare. S. quoq; Franciscus Assisas solitus erat horas canonicas non minus attentè, quàm deuote persoluere. Nam licet oculorũ, stomachi, splenis, & hepatis morbo laboraret, nolebat tñ muro, dum psalleret, inhærere, sed horas erectus sine capitis operculo, nõ gyrouagis oculis, nec cũ aliqua syncopatione recitabat, dicebat. n. si qẽte comedit corpus cibum suum, quod futurum est vermium esca, cum quanta pace, & quiete anima cibũ vitæ accipere debet? Grauiter ẽt se putabat offẽdere, si quando orationi deditus, vanis phantasmatib. interius vagaretur, cum aliquid tale accideret, confessioni non parcebat, quin illud protinus expiaret; & hoc studiũ sic in vsũ cõuerterat, vt rarissime muscas huiusmodi pateretur. *D. Bonauent. in eius vita. c. 10. Daur. tom. 1. c. 2. tit. 5.* Et vt religiosè, attẽtoq; animo ecclesiastici diuinum officiũ persoluant. Primo cõsiderare debent, singula verba esse Dei afflatu, ac Spiritus sãcti ore dictata. Secũdo cõplecti altissima religionis nostræ mysteria, vt Sanctiss. Trinitatis, Dominicæ Incarnationis, Vitæ, Passionis, & id genus alia. Quarto comprehendere religiosissimos actus, quos erga Deũ exercere debemus, fidei, spei, charitatis, submissionis, adorationis, laudationis, gratiarum actionis, &c. Quarto cũ tota oratiõnis vis in eo consistat, vt ad diuinum beneplacitum nostra inflectatur voluntas, circa qđ christianæ vitæ perfectio uersatur, adhoc præstandum, & obtinendum, hmõdi psalmorum uerba, & sententiæ aptissimæ sunt, &c. *Gisbertus. de vita ecclesi. c. 93.*

QVAESTIO XXXXI.

VNDE ORIATVR, VT CVM HORAS recitamus, mens aliò distrahatur? & quæ adiumenta sint, &c.

VNde oritur, ut cum præcipue oramus, & horas recitamus, mens nostra tàm profuse uagetur, & qđ multi ob animi impotentes discursus, alienissimo tempore, inepta, & inania mente uoluamus, & ea adeò sæpe sic hæreãt, ut nulla rõne discuti, ac oblitterari possint: deplorant .n. hanc miseriam & Patres sancti, quod orationis tẽpore ea succurrãt, quæ ne cogitãres quidẽ inuenire possemus? R. Mentis uagationis multiplex est causa. Prima q. dem animi debilitatio, & languor, quem ex peccati originalis labe cõtraximus, per quod originalis iustitiæ frænũ amisimus, ut merito *Apostolus ad Rom. 8.* dixerit, vanitati creatura subiecta est nõ uolens. Secũda praui nostrorum scelerũ habitus, & inolita mundana cogitandi consuetudo: nã sicut corruptus corporis humor quò semel fluere incipit, illuc semper, ac pertinaciter, decurrit, sic & lubrica mẽtis nostræ cogitatio, &c. Tertia Dæmonũ importuna infestatio, qui nobis in oratione, qua cum Deo familiariter uersamur, infensissimi sunt. *Surius in vita B. Ægidij 23. Apr. Graffius. l. 2. decis. aur. c. 52. n. 16. Cassianus Collat. 7. c. 4. Gisbertus de vita ecclesi. cap. 62. & seq.*

Vt autem clerici studiose, ac deuote officium peragant, antequam illud recitare incipiant, se disponere, ac præparare debẽt, dicẽdo, Actiones nostras quęsumus Dñe aspirando pręueni, &c. Iuxta illud, quod scriptum est. *Eccles. c. 18.* Ante orõnem præpara animam tuam, ne sis quasi qui tentat Deum. Vnde cogitare debet clericus, se choris Angelorum interesse, & intueri, ac obseruare uiam, ac modum, quo ipsi Deum laudant, ut simili dimissione, reuerentia, attentione, pietatis, & charitatis ardore, ipse diuinum numen celebret, & laudib. extollat. Et pariter cordis mũdities ab eo pcuranda est, quippe cũ in hoc

in hoc sancto ministerio personam ecclesiæ, Angelorum, Sanctorumq; induat. Quare breuiter se inquirere, & explorare debet, & omnes peccatorũ labes saltẽ dolore, seu cõtritione expiare: nã lõge est Dominus ab impijs, & orationes iustorũ exaudiet. *Prouerb. c. 15.* Nobilis, & debitus finis ab eo proponẽdus est, neque. n. id solum spectandum, ut præceptũ impleat, & peccatum euitet, sed ut medullitus, ac de omni corde Deum, B. V. Angelos, ac omnes Cælicolas laudet, ac simul officium illud ad proximorum salutem, & totius ecclesiæ utilitatẽ referat, &c. Hæc insignis sane est hominis uecordia, & uecors stupiditas, quod cũ in deprecatione agatur, & tractetur, non de nucibus, ac pomis, non ut dicitur, de lana caprina, & asini umbra, non de fortunis, nõ de honoribus, sed de Dei amicitia concilianda, de aïæ salute comparanda, de æterna felicitate adipiscenda; languemus nõ, & oscitemus, & quasi nil nostra interfit, aliò mentem conuertamus, &c. Ac ut cum maiori pietate, ac religione recitetur, illud ex libro nõ aũt memoriter obeũdũ est; tũc. n. certiores, ac tutiores erũt clerici, quod nihil omiserint, nec ordinẽ dicendorum inuerterint, & cor ipsum magis collectum, & expeditum erit ab anxia solicitudine, recte ne, an secus orauerint. Neq; est leue indiciũ, quod hoc melius, ac consultius sit, siquidem Summi Pontifices aliquas indulgentias ex libro recitantib. cõcesserunt. Nũquam aũt hmõdi fauores impertiuntur, nisi ad id extimulãdũ, qđ perfectius, ac securius est. *Compend. Priuileg. Mend. in v. Indulgẽtia. §. 18.*

Quod si quis maiorem deuotionẽ hauriret memoriter psalmos dicens, oculis clausis, & corde in Deum directo, id ei licebit: quandoquidẽ Deus nõ omnes eadem ducit uia, nec perfectio uni soli remedio alligata est, &c. *Lud. de P. to. 4. de hominis Christ. perfect. tract. 4. cap. 9.*

Cum autem Subdiaconi, & clerici alij fructũ laboriorum suorum reddiderunt, debẽt eos Beatorum laudib. coniungere, ut eorum defectus suppleatur, fiantq; Domino gratiores, idcò. n. ecclesia in præfatione addit, Cum quib. & nostras uoces ut admitti iubeas deprecamur. Extat pia Leonis Papæ oratio, q̃ qui post peractum officium dixerit, admissarum negligentiarum remissionem consequetur, quæ sic incipit, Sacrosancta, & indiuidua Trinitas, &c. ut apud. *Tol. l. 2. c. 13. in fine.* Appositissima, ac deuotissima est quoq; illa oratio, quæ habetur apud. *Blos. ĩ in Mon. spirituali. c. 3.* §. 11. & huiusmodi est, Bone Iesu propitius esto mihi peccatori, Ego tepidũ, ac distractum seruitium meum commendo mellifluo cordi tuo emendandum, ac perficiendum, tibique ipsum offero, ad salutem omnium, in unione illius perfectissimæ attentionis, qua tu Patrem orasti, & laudasti in terris: responde quæso, satisfac, & supple pro me plenissime. Amen.

QVÆSTIO XXXXII.

QVAE SIT POENA DEBITA horas omittentium?

QVa pœna afficiũtur, qui canonicas horas, cũ possint, non recitãt? R. Primo dico mortifere peccare, ubi totũ officiũ omittũt, uel aliq̃ notabilẽ partẽ, ut pote matutinas preces, uel laudes, uel aliq̃ aliam ex reliquis horis, uel alicuius horæ dimidiũ; Hymnus uero aliquis, aut psalmus breuis notabilis pars non censetur. Non tñ si totum officium prætermittatur, plura sunt peccata, sed vnum tantũ, at grauius, vt ex cõi tradit. *Azor. p. 1. l. 4. c. 2. q. 6. Henriq. l. 2. de pænit. c. 5. §. 6. & de matrim. l. 12. c. 10. §. 3. littera O. Garz. p. 3. c. 1. n. 125.* Sicut etiam si quis ex pluribus titulis obligetur, illorum transgressione grauiori onerarur culpa, etenim cum ipsi tituli obligationem augeant, consequenter eorum violationem aggrauant; sicq; sacris ordinibus initiatus, & beneficiatus omittendo horarũ canonicarum recitationem, acrius, ac pestilẽtius delinquit, quàm simplex clericus beneficio donatus, & Sacerdos religionem professus, quàm simplex Sacerdos secularis; similiter habens plura beneficia, quàm vnum tantũ possidens. Contra *Sanchez. l. 9. de matrim. disp. 15. n. 6.* qui seuerius cẽsuit, hos duplex, & distinctum crimẽ admittere. Et vere *Garzias l. c. n. 141.* resoluit ex cõi supposito, quod omittete in vno die omnes horas, vnum tantum sit peccatum, in confessione tñ explicãdum, quot horas clericus omiserit, cum hæc culpa iuxta numerum, & quantitatem horarum maiorem, vel minorem grauitatem notabiliter secum inuoluat.

Secũdo mortifere peccat, qui eas integre recitat, sed ante non recitare proposuerat, nam peccatũ est dictum, vel factum, aut concupitum contra legem Dei, &c.

Tertio grauiter peccat, q horas canonicas recitare nescit, & nihilominus ecclesiasticũ beneficiũ, vel ordinem sacrum suscipit, licet à nouo peccato excusetur, quoadusq; didicerit, modo quàmprimũ discere non negligat, & interim confessarij arbitrio alijs precibus suppleat. *Nau. de orat. c. 11. n. 38. Regin. l. 18. n. 190. Azor. p. 1. l. 10. q. 13. q. 18.* Vbi et *q. 17.* obseruat, illum qui ad Subdiaconatum promouetur, satisfacere, si incipiat recitare eas preces, quæ conueniunt horæ, in qua est Subdiaconus factus, vt si incipiat à sexta, vel nona, vel vespertinis precib. iuxta horam, in qua ordinatus est.

Quarto mortaliter delinquit, qui diuini officij pensum in alium differt diem; nã sicut qualitas diei festi, ac ieiunij sunt onera, quæ ipsis dieb. inhærent, & idcirco in alios transferri nequeunt; ita nec satisfacit, qui vnius diei horas alio die recitat, &c. Porro,

dies quò ad recitandas horas, incipit à vespera, & vsq; ad mediam noctẽ durat, quæ proxime post sequentem vesperam dabitur. *Suarez.l.4 c.27. nu.4. Reg.l.c.n.180.Vgol.de off. Epip.1.c.13.§.1.Tolet.l. 2.c.13.Azor.l.10 c.9.q.5.*

Quinto, q qualitatẽ dici mutat, vt si in officio de feria de aliquo sãcto, vel de altera feria recitat, maxime si sciẽter sine causa, & frequẽter hoc facit. Idẽ *Tol.l.c.Suarez.c.23.n.11.Garzias l.c.n.164.* Quæ opiņio cõtraria explosa, Iure nouo Breuiarij Pij V. in praxi seruanda est. *Nald.in v. officium diuinum. n.16.Vasquez.in suis opusc.de benef.c.4.§.1.dub.2. Reg.l.c.n.172. Molfes.tract.5.c.2.n.50.*

Sexto Beneficiarius, q post sex mẽses diuinũ officiũ nõ recitauit, lethali culpa se onerat, & fructus perceptos pro rata officij prætermissi in foro cõsciẽtiæ nulla expectata Iudicis sentẽtia, restituere obligatur. Idemq; de pensionario obligato ad officiũ B.M.V. dicẽdum est, vt sancitum est in *Conc. Later.* celebrato sub Leone X. & confirmato à Pio V. In *Cõstitut. Incip. Ex proximo. Eman. Sà in v. beneficiũ n.56.Graffius.lib.2.c.50.n.8.* Quæ assertio, & dispositio procedit ẽt in beneficiario voluntarie in horarum recitatione se distrahẽte, vt est cõior, & tutior. DD. sententia. *Nau.c.13.de orat.Beia p.2.resp.cas. consc.casu.vlt. Sayr.l.3 de censu.c.4.n.23.Azor.c.14. q.8.Garzias d.p.3.c.1.n.186.Suarez.tom.2.de relig. c.26.n.26.& alij.* Qui vero per primos sex mẽses id officij non expleuit, & si mortiferũ peccatũ admiserit, non tamen restituere tenetur, vt ex ipsa constitutione expresse colligitur. Est ẽt probabilis sentẽtia, non tñ passim sequenda, Si beneficiarius per aliquod tempus ex obliuione, vel incõsideratione diuinum officiũ non recitauit, vel bona fide putans se nullo iure astringi, vt quia docti viri responso illud omisit, fructus interim perceptos suos facere, eo qđ fructuum restitutio sit tanquam pœna contra non recitantes inflicta: at vbi non est culpa grauis, pęna in foro conscientiæ non debetur. *Suarez.l.c.nu.16. Azor.c.14.q.7.Garzias. n.26.*

Sicut ẽt est pia opinio, beneficiatium omittentẽ diuinum officium persoluere, posse in fructuum restitutione illã partem sibi retinere, q̃ labor, quo ecclesiæ inseruiuit, exigit, vt v.g. quia beneficium erat curatũ, vel habẽs alia onera annexa, vt missarũ, &c. vt sapientũ praxis comprobat. *Tol.l.2.c.12.Henriq. l.12.c.13.§.2.Rod.p.1.c.146.n.4.Molfes.tract.5.c.5 n.28.Ferrandes p.3.c.12.§.8* In omnibus vero casibus, in quibus ob omissam horarum recitationem clericus beneficiatus restituendi obligationẽ subit, fabricæ ecclesię, à qua fructus recipit, aut pauperib. faciẽda est: si vero ipse pauper est, potest sibi, vt alij pauperes, partem, vel totum assumere, dummodo ob hoc in posterum officium suum non adimplendi ansa, vel ianua non aperiatur. Posset tñ fieri cõpensatio cũ eleemosynis, quas antea beneficiarius de fructibus sui beneficij pauperibus erogasset. *Nau.c. 25.n.122.Tol.d.c.12.& Fern.l.c.nu.3.arg.Graffius l.1.c.26.n.23.Zerula in praxi pænit.c.25.q.30.Carbo.de restitut.q.76.Sayrus in claui reg.l.10. tract.5. c.2.dub.6.Molfes.l.c.n.22.* Porro euidentis iuris est (vt alibi innui) clericũ in cœno lethalis noxæ iacẽtem, ẽt si peccatum illud publicum sit, sic recitando ecclesiastico præcepto satisfacere, sub quod non cadit, vt oratio, prout est opus operantis, fructuosa sit, & ita sufficit, vt opus illud secũdum se Deo placeat, licet particularis persona ob sua demerita illi displiceat, & sic fructus restituere non tenetur. *Nau.de horis.can.c.20.n.29.Suarez.de relig.tom.2.l.4.c.30. Nal.in v. officium diuinum.n.17.*

QVAESTIO XXXXIII.

AN DENTVR ALIQVAE CAVSAE ob quas Subdiaconus, vel alij clerici ab horarum canonicarum recitatione excusentur?

DAntur ne aliquæ causæ propter quas Subdiaconus, vel alius clericus à recitatione horarum canonicatũ excusetur, & subinde culpæ sit immunis? R. Ex quimq; potissimũ causis excusari posse. Primo quando quis morbo, & aduersa valetudine laborat, ob quam horarum canonicarum recitatio directe, vel indirecte notabiliter officeret. Qua in re consilio boni, ac Deũ timentis medici, seu alterius probi, ac prudẽtis viri standum est. Dixi aũt timentis Deum, &c. quia vt recte ait. *Nau.cap.11.de orat.* Nonnulli ita sunt faciles in absoluendis ægris ab ecclesiasticis legib. ac si earum ipsi essent auctores. *c.contraria.de cons.dist.5. Innocent. & alij in c. 1.de celeb.missarum. Azor.l.10.c.13.q.1.Miranda in Man.Prælat.regul.p.1.q.37.art.16.*

Secũdo naturalis impotẽtia, vt si Breuiario caret, vel cæcus esset, cum ad impossibile nemo teneatur. *c.nemo.de reg.iur.in 6.* Preces tñ quas memoriter scit, recitare tenetur, vt præcepto, & obligationi quatenus põt, satisfaciat. Vnde & de eo, qui perspicillis vtitur, si frangantur, vel amittantur, idem iuris erit. *Vgol.de off.Epip.1.c.13.§.1.* Non leuis tñ semper culpæ clericus arguitur, cum Breuiario tanquam peculiaribus armis carere deprehenditur; sic C. Crassus militẽ videns sine cladio currentẽ, Heus inquit, Commilito, pugno bene vteris, festiuiter taxans inermem, cui pro gladio pugno esset vtendũ.

Tertio grauis aliqua occupatio repẽte superueniens, quæ prætermitti, aut in aliud tempus differri sine scandalo, aut peccato nõ potest, vt si necessitas vrgeret habendi concionem, vel audiendi cõfessiones, &c. Non tñ excusabitur, qui studet, vel literis operam impendit; nec secundum communem, qui

sua

sua sponte sine necessitate peregrinatur, aut iter facit; sicut nec à ieiunio ecclesiastica lege præcepto immunis est, ut dixi in *comment. de hum. vita statib. p. 2. c. 27. num. 8.*

Quarto, qui Pōtificia dispensatione gaudet, quę ex iusta causa manat: siquidem cum hore canonicæ iuris positiui sint, Papa, ut supra dixi pōt aliquē hac lege soluere; Nemini tñ Episcopalis dispēsatio suffragatur. *Azor. l. 10. c. 13. q. 12.*

Quinto additur alia causa ex parte beneficiati, qui neq; per alium, neq; præsenti tēpore, neq; in futuro possit beneficij fructus percipere, ut superius insinuaui communis est DD. sententia, ut per *Artag. 2. 2. q. 83. art. 12. Val. tom. 3. disp. 6. q. 2. pūcto 10. Reginal. l. 18. nu. 190. Menoch. in additi ad l. 2. de arbit. Iud. casu 432. n. 24. Garzias p. 3. c. 1. n. 87. Molfes. tract. 5. cap. 4. Comit. in resp. mor. l. 1. q. 69.*

Et hęc quò ad obligationes, quas Subdiaconi in ordinis susceptione contrahunt, dicta sufficiant, superest aliquid inquirēdum de pœnis aduersus eosdem, & alios clericos male promotos inflictis.

QVAESTIO XXXXIV.

QVAE POENAE CONTRA CLERICOS male promotos infligantur, &c.

Quæritur, quibus pœnis afficiantur Subdiaconi, & alij clerici, qui ad ordines contra ecclesiasticas sanctiones male promouentur? R. Multa ad hanc materiam spectātia à nobis dicta sunt. *sup. tr. 2. c. 1. q. 9. & q. 13. & cap. 2. q. 25.* Hic tñ pressius collecta indicabimus dicendo,

1 Primo Sixtum V. Summum Pontificem, cū uideret multa scandala, & absurda crebrescere, quæ ex uitiosa, & minus canonica clericorū ordinatione in magnum christianæ reipub. damnū, exoriebantur, ut grauiorib. morbis iuxta. *6. Hippocratis* aphorismum, fortiora, & exquisitiora adhiberērur remedia, & homines pęnæ timore, & proprij honoris cōfusione à peccatis, & indignis actionibus deterrerētur, uarias, & acres reueta pœnas clericis male promotis inflixit, in quadam constitutione, quæ incipit, *Sanctū, & salutare.* Hinc qui simoniacè ad Subdiaconatum, uel alios ordines promotus fuit, excōmunicationis laqueo Papę reseruatæ innodatur, & ab ordinis executione suspensus est, iuxta. *Extrauag. cum detestabile. tit. de simonia.* & etiam Sixti V. pręd ictam constitutionē, quæ in hoc nō fuit reuocata à Clemēte VIII. in eius moderatione. *qua incipit Romanum Pontificem.* Ignorantia tñ probabilis facti in fauorē ipsius ordinati inscij simoniæ ab alio cōmissæ, in foro cōscientiæ excusat. *Henriq. lib. 13. de excommunic. c. 37. n. 4. & lib. 14. c. 6. §. 7. Sayrus. l. 7. c. 12. n. 19. Bonac. disp. 3. q. 6. puncto 5.*

Si autem ipso sciēte hoc scelus perpetratum est, ēt si occultum sit, dummodo simonia ex utraq; parte sit completa, ex dato nimirum temporali, & suscepto spirituali, uel spirituali annexo (aliter. n. pœnis locus non esset, ēt si quis promissionem scriptis confirmasset) in excōmunicationem incidit, & beneficij collatio irrita est, fructusque receptos restituere debet: unde ante excōmunicationis absolutionem, uiolando censuram ecclesiasticam, irregularitatem contrahit, ut est de communis DD. sententia, & praxis Romanæ curiæ obseruat. *Nau. c. 23 c. 106. & c. 27. n. 106. Sayr. l. c. n. 17. Suarez. tom. 1. de relig. lib. 4. c. 55. n. 16. Graff. l. 2. decis. aur. c. 98.*

2 Secundo dico suspensionem ab illo incurri, qui maiores ordines extra tempora ab ecclesia statuta, vel ante legitimam ætatem, vel absq; literis dimissorijs recipit, vt habetur in Extrauag. Pij II. *Incip.* Cū ex sacrorū. Ad q̄ cōtrahendam probabilius est, præsumptionem requiri, & nō sufficere ignorantiā vincibilem, modo non sit affectata. *Auila 3. p. disp. 5. dub. 7. Henriq. l. 13. c. 38. Reginal. l. 32. tract. 2. n. 70.* Cuius vinculi absolutionem clarum est ad Summum Pontificem spectare; si tñ delictum occultum sit, integrum erit Epō absoluere, & ēt si in illa censura administratum sit, in irregularitate dispēsare, ex *Conc. Trid. sess. 24. c. 6. Sayr. l. 4. c. 14. n. 14. & lib. 7. c. 10. n. 36. Bonac. l. c. n. 6.* Illa vero cōstitutio, vt alibi meminimus, quidquid aliqui senserint, non habet locum in minoribus, cum maiores tātum exprimat, licet non sit dubiū, quin lethaliter peccet is, qui minores ordines ab alieno sine licētia ꝓprij Epi suscipit, hoc. n. sacris canonib. & debitę subordinationi, & iurisdictioni repugnat, quò fit, vt postea licite tali ordine vti non possit, nisi prius proprius Epus talem ordinationem ratam habeat, & facultatem cōcedat. *Suarez. tom. 5. disp. 31. sect. 1. n. 18.*

3 Tertio Clericū ficto, vel ementito titulo sacris ordinibus initiatum, secundum aliquos esse ipso iure suspensum; sed oppositum probabilius est, & frequentiori Doctorum calculo receptum; licet alicubi sic ordinatus per synodales cōstitutiones suspēdātur. vt tradit. *Genuēs. in Praxi Neap. c. 83.* Ex quo sequit̄ ficto titulo literas dimissorias à suo Epo impetrantē, quarū virtute ordine insigniatur, nicam tñ de iure cōi suspensionem incurrere, quia. s. absq; dimissorijs validis sit promotus. Vbi etiam illud aduertendum est, eum qui iure, uel titulo patrimonij est clericus creatus, debere ipsius patrimonij mentionem facere, si à Rom. Pontifice beneficium impetrandum curet, quando illæ literæ sunt, ut dicunt, iustitiæ, nō gratiæ: Literæ uero Iustitiæ uocantur, quas impetrat aliquis clericus, ut ipsi à Papa beneficium conferatur, eo quod sit pauper, non habēs unde commode uiuat, &c. At literæ gratiæ appellantur, quas Sūmus Pontifex liberaliter, absq; ulla

pauper-

paupertatis causa cócedit, in quibus proinde patrimonij et opulenti mentionem fieri non est necesse, vt tradit. *Abb. Felyn. & alij in c. postulasti. ext. de rescriptis, & Azor. p. 2. l. 3. c. 4. q. 4.*

4 Quarto hanc positionem statuo, aliquos Epos excommunicationem latæ sententiæ in ordinatione infligere aduersus improbe accedétes. i. sine ætate, dimissorijs, patrimonio, examine, &c. quæ etiam exemptos ligat; uerum non expedit, tales excómunicatione afficere, ne sit occasio nouos laqueos injiciendi; qua propter in Pontificali solum est commi natoria. *Henriq. de ordine c. 20. n. 2. Nau. c. 25. n. 70. Suarez. l. c. disp. 42. sect. 3. nu. 5.* Vt tamen aliàs animaduerti, Si Epus, sic efferat, Nolo, vel non intendo initiare excómunicatos, irregulares, furtiue accedétes, &c. intelligitur, si sciat aliquem talem esse, quare quem ordinat, nesciens huiusmodi impedimentis irretitum, vere Sacramentum ordinis suscipit, ne dicamus Epum sacrilegum esse velle, cum irrita ordinatione, & periculo, ut, ille v.g. pro Sacerdote habitus celebrando, & absoluendo multos fideles decipiat. *Henriq. l. 2. de baptismo c. 8 n. 5. Zerula. in Praxi Episcopali p. 2. in v. ordo. Nau. conf. 1. & 6. de temp ordinat. Reg. l. 30. n. 181. & seq. & alij.*

ARTICVLI, SVPER QVIBVS INSTITVI poterunt interrogationes faciendæ ad Diaconatus ordinem promouendis.

CAP. VI.

QVAESTIO XXXXV.

QVALIS ESSE DEBEAT IN DIACONVM ordinandus.

QValis debet esse is, qui in Diaconum ordinãdus est? R. Sacro imprimis baptismate ablutus. Secundo chrismate confirmatus. Tertio prima tõsura, ordinib. minorib. & Subdiaconatu insignitus. Quarto legitima ætate repletus. Quinto sufficienti doctrina præditus. Sexto bonis moribus imbutus, & continentia præclarus, non criminosus, nõ bigamus. Septimo non irregularis, non censura innodatus. Octauo in exercitio minorum ordinum, & Subdiaconatus versatus, ac postea approbatus. Nono si sit exterus, proprij Episcopi literis commẽdatitijs munitus, vt superius enuntiauimus.

Vt aũt appareat, quanti olim in veteri lege fierent Diaconi, eorumque ministeria æstimarentur, quantaq; ad ea præstanda perfectio requiratur, satis ex Apostolorum sacrorũ actis constat, cum primos septẽ ecclesię Diaconos constituere voluerũt; Siquidem discipulorum multitudinem conuocantes, illis dixerunt; Cõsiderate fratres viros ex vobis boni testimonij septem, plenos Spiritu sancto, & sapientia, quos cõstituamus super hoc opus. *Act. c. 6.* In quibus verbis subinde ostendunt, præclara talẽta, quibus suffulti Diaconi esse debent, & modum, rationemq; eosdẽ ad huiusmodi munus, & eadem opera destinandos, ac ad rectè nominandos Sacerdotes, & reliquos ecclesiæ ministros, normã tradũt; Nam primum licet Apostoli propter ingentem cœlestem lucem, qua perfusi, ac præditi erant, eligere potuissent, quos ipsi dignos iudicarẽt, qui sacra ministeria obirent; attendentes tñ se esse homines, qui ex se ipsis facile decipi possent, quoniam mortaliũ cogitationes timidæ sunt, & incertæ prouidẽtiæ nostræ *Sap. c. 9. Alex. l. 4. cons. 51. Io. Choc. l. 2. Polit. c. 22.* hinc & Homerus ad prudentiam retinendam Deos exorandos præcipit, qui possunt insipientem eum facere, qui vel prudentissimus fuerit, videmus .n. ait, quotidie manus injicientib. fatis, hominum sensus hebetari, & humana consilia castigari, vbi se cœlestibus præferunt, &c. simulq; ipsi Apostoli cõsiderantes, Diuinam prouidentiam, nostram industriam, ac diligentiam exigere, nã iuxta verus adagium, Dij facientes adiuuant: quo significatur, Dei opem non torpentibus, sed industrijs, & pro sua uirili conantibus auxilio esse solere. Hæc inquã Apostolici uiri perpendentes, in successorum exemplum, ad huiusmodi ministrorum electionem, & nominationem, reliquorum fidelium iudicium, & consilium adhibere maluerunt, *Act. c. 6.* Vnde ibi quimq; conditiones in Diaconos eligẽdorum assiguantur: nam. Primo deligendos nominant uiros, qui. s. perfectæ uitæ homines sint, cum sacra pagina eos uiros uocare consueuerit, qui uias Domini fortibus, & non dissolutis gressibus sequuntur: uir. n. à uirtute dicitur, eo quod prauos animi affectus uincere debet, iuxta illud. Apostolicum *ad 1. Corinth. 13.* Quãdo factus sum uir, euacuaui, q̃ erãt paruuli. Item uiri in matura ætate esse debeut, quali ad huiusmodi munera opus est, uidelicet 23. annorum, hæc .n. ætas apta est, ut Cardinales uirtutes cõparari possint. Cõc. Trid. *sess. 23. de ref. c. 12. Garzias. p. 7. c. 4. num. 21.*

Secunda conditio est, ut qui eligũtur, sint ex uobis. i. ex uestra congregatione, qui eandem quã uos fidem, ac religionem profitẽtur, idq; absq; personarum acceptione fiat, siquidẽ nõ est excludẽdus pauper, si dignus sit, nec approbandus diues, si indignus. Non tñ personarum acceptio censebitur, si ad ecclesiarum seruitium illi assumantur, qui eiusdem nationis, ac patriæ sunt, quia hi ut plurimum ecclesiæ, & loco ubi educati sunt, utiliores esse solẽt. Vnde & communiter DD. asserunt, idoneum de eadẽ ciuitate, uel de gremio ecclesię, uel si de fundatoris genere fuerit, magis idoneò externo praferendum esse. *Gonzales Gloss. 4. reg. 8. cancell. n. 118. Pasecius in praxi Episcopali p. 2. c. 5. n. 19.* Vnde etiam multi sapien-

Sapientes uiri Politici tradunt, in eligendis ad munera, & Magistratus, originarios externis, & aduenis anteponendos esse, quod longe melius ciues quàm peregrini imperent, & cum loci, cõsuetudinem, hominumq; mores notos habeant, suauius regant, &c. Vt ex ipsa experientia satis cõstat apud Athenienses, Carthaginenses, Romanos, Lacædemonios, aliosq; cõplures, qui faces suis ciuibus cõmiserunt, &c. *Franciscus Patritius de Instit. reipub. l. 3. c. 2. Cassaneus in catalogo gloria mũdi lib. 11. consid. 22. Mastrillus de Magist. p. 1. l. 2. c. 7. n. 45. & 66. Vgol p. 2. de off. Epi c. 50. § 8. & §. 12. Diax in Praxi cumin. c. 55. Girald. de oper. Christi imit. c. 22. tit. de elect.* Et eisdem rationibus innituntur consuetudines, & statuta aliquarum Prouinciarũ, ac diœcesum de non conferendis ecclesiasticis dignitatibus, nisi eiusdẽ nationis uiris, nec alijs beneficijs nisi ex eodem loco oriundis, uel saltem cæteris paribus, alienigenis pferendi. Sicut beneficia in urbe, & eius districtu existentia Romanis ciuibus conferri debere iussit Leo X. in Bulla *Incip.* Dum suauissimos, & Gregorius XIII. Bononienses exteris præferendos esse statuit in *Constit. Incip.* Ingenita nobis. Vetum quia gratia naturã superat, ubi alius usus uiget, religiose obseruandus est, modo (quæ maioris est ponderis.) Tertia adsit cõditio, vt. s. boni testimonij uir eligatur, cuius nempe uita ex ante actis operib. sit commendata, habens, ut loquitur. *Apost. 1. ad Tim. 3.* mysterium fidei in conscientia pura, siue qđ arcana, & fidei mysteria penetret, siue quod pura cõscientia, in manib. suis Calicem habeat, qui per excellentiam in ipsis cõsecrationis uerbis mysterium fidei appellatur, sanguinem Christi in eo contentũ cum omni animi puritate olim distribuens, Et si uelis, ait *D. Greg. l. 7. Epist.* 110. domum construere, nõ statim, atq; ligna in sylua cæsa sunt, ædificij põdus illis impones, flecterentur. n. & onus in terram deijcerent; sed diu expectas, donec exsiccentur, & oẽm uiriditatem exuerint: rationi consentaneum est, ad sacrũ Diaconatus ordinẽ non admitti, quem Apostolus neophytum appellat, qui non sit, ut dixi, pbatæ uirtutis, bonum habens testimonium. *Concil. Trid. sess. 23. de ref. c. 13. Ianellus in christ. philos. p. 6. c. 5.* Exigit ẽt Apostolus inter alia, ut in Diaconatus ordinem coaptandus non sit bilinguis. i. ut non sit simulator, ac fallax, sed omnia sincere, simpliciter, candide, nil ueteratorie, & subdole agat. Versutia. n. ac calliditas Deo Primo odiosa est, quia summę ueritati, simplicitati, ac charitati maxime aduersatur. Secundo proximo ualde noxia, cum humanã societatẽ euertat, cuius fundamentum est fides, & ueritas. Tertio ipsi hypocritæ, ac simulatori nocentissima pestis est, cum illum sceleribus cooperiat, & eandem ficte, ac simulate agendi rationem pręmaturo Deus vlciscatur interitu. Vnde est illa Sapiẽtis comminatio. *Prouerb. c. 28.* Qui decipit iustũ in uia mala, in interitu suo corruet, & simplices possidebũt bona eius. Hinc Quarta cõsurgit cõditio Diaconorum, cum dicitur, Spiritu sancto esse plenos esse debere, ut intelligatur, non sufficere quamcunq; virtutem in specie, quæ hominibus placere solet, nõ nisi externa aspicientib. sed necessariam esse internam virtutem, verã, ac solidã à Spiritu sancto communicatam. Sapiẽs inquit Philo Iudæus, non fruitur laude per blanditias adulterata, sed per veritatẽ stabilita. Huc nãq. respicit illud adagiũ, Multi Thyrsigeri, pauci Bacchi, quo significatum est, complurimus mortalium adesse virtutis insignia, aut ẽt famam, qui tñ vera virtute vacẽt. Neq; satis est, vt semel q̃s, aut in vnico actu bonus vir probatus sit, sed vt sæpissime, & in pluribus, diuersisq; actibus exploratus sit necesse est; nam sicut veteri prouerbio effertur, Vna hirundo non facit ver: vt poeticis numeris *Bap. Mant.* expressit,

Ver non vna dies, non vna reducit hirundo.

sic nec vnus actus satis est ad probationem cõsummatæ, absolutæq; virtutis, vt innuit. *Imp. in proœmio Institut. Ciuil. in §. cumq; hoc* in illis verbis, Iam ex multis rerum argumentis accepimus, & ibi notat. *Gloss. Ion. & Faber. & Tiraq. de tẽp. pænis causa. 51. n. 159.* Sicuti ẽt ex vnico actu negotiationis non dicitur quis mercator: cum exercentes aliquid in iure intelligantur ij, qui aliquid frequenti vsu, & continuato faciunt, vt ait. *Nau. communiter receptus. c. 27. n. 250.* Quintam, & postremam conditionẽ addunt Apostoli, vt ad Diaconatũ promouẽdus esset sapientia plenus, omni. s. sapientia, prudẽtia, ac sciẽtia, diuina, atq; humana, q̃ ad sua munia rite exercẽda necessaria est, præsertim quod ad Diaconum spectat, per modũ Catechismi, fidei articulos, & Decalogum explanare, &c. vt propterea exactiori scrutinio ab Examinatoribus sit excutiendus. *Catechis. Rom. de sacro ordine. Lorinus super Acta Apost. c. 6. Lud. de Ponte. tom. 4. de perfect. christ. hominis tr. 1. c. 3. Vasquez. tom. 3. disp. 236.*

QVAESTIO XXXVI.

QVID HOC NOMEN DIACONVS significet, & an Diaconatus sit Sacramentum?

QVid significat hoc nomen Diaconus, & Diaconatus, an Sacramentũ sit, &c? R. Hoc nomen græcũ est, & idem quod minister latine significare solet; quia sicut in sacerdotio consecratio, ita in Diacono ministerij dispensatio habet. Leuitæ ẽt hebraico vocabulo Diaconi sunt appellati, eo qđ à leui Leuitę exorti sũt, à quib. in Dei Tẽplo mystici Sacramenti ministeria explebantur, ac proinde, vt olim, sic nũc ad Sacerdotum auxilium assumuntur.

cap.

cap. cleros. distinct. 21. Est equidem Diaconatus ordo facer, Subdiaconatu maior, & est Sacramētum, à Domino nostro Iesu Christo institutū, cum in vltima Cœna, quam cum Apostolis, & discipulis suis fecit, illis corpus, & sanguinē suum ministrauit. Hic porro Diaconatus ordo ab Apostolis est celebratus, quando, vt in actibus Apostolorum legitur. *c.* 6. & supra à nobis dictum est, septem viros plenos Spiritu sancto ad hoc officium elegerunt, ac sibi ministros constituerunt, & præhabita oratione, manus eis imposuerunt. *c. dominus. dist.* 93. *& D. Isid. Hispal. l.* 7. *de diuinis officijs. cap.* 8. Ac de his meminit *Clemens Papa. l. l.* 3. *Constit. Apost. c.* 15. dicēs, O Episcope Coadiutores vitę tuę, & iustitię operarios Diaconos Deo acceptos, gratosque elige, quos ex omni populo probatos iudicas esse dignos, & ad vsus ministerij idoneos, &c. *ac Dionysius de Cęlesti hier. c.* 6. cum ait, ordo Diaconorum est purgatiuus, Presbyterorum illuminatiuus, at Episcoporum perfectiuus *Crespec. in sūma eccles. discip. in v. Diaconus.*

QVAESTIO XXXXVII.

QVODNAM SIT DIACONI OFFICIVM?

Qvodnam est officium Diaconi? R. Est Episcopum perpetuo sequi, concionantem custodire, eiq; & sacerdoti sacra facienti, vel aliàs sacramenta administranti præsto esse; in missæ sacrificio Euāgelium legere, & si absit Epus, & sacerdos, illud explanare, non tamen ex superiori loco, vt intelligimus, hoc eius proprium munus non esse. *c. perlectis. dist.* 25. *c. Diaconi. dist.* 93. *Bellarm. c.* 9. *de ordine in fine. Val. to.* 4. *disp.* 9. *q.* 1. *pun.* 3. Hęc oīa *Apostolus* 1. *ad Timoth. c.* 3. ostendit, cum Diaconi mores, & virtutes exponit, & satis declarant ritus, & solemnes cæremoniæ, quibus ab Epo Diaconus consecratur: pluribus n. & sanctiorib. precibus, ad Diaconi, quàm ad Subdiaconi ordinationē vtitur. Alia ēt addit facrarū vestium ornamenta, manus quoq; ei imponit, quod quidem ab Apostolis factitarū esse legimus, cum primū Diaconos instituerunt. *Act. c.* 6. Postremo Euāgeliorum librum his verbis tradit, Accipe potestatem legendi Euāgeliū in ecclesia Dei, tàm pro viuis, quàm pro defunctis, in nomine Domini. Olim ēt eorum officiū fuit, fideliū animos sæpius excitare, vt sacra attēderēt. & sanguinē Domini ministrare in ecclesijs, in quib. vsus erat, vt fideles. S. Euchatistiam sub vtraq; specie sumerent. Insuper (vt erant Epi oculi) peruestigare, quinam in vrbe pie, & religiose, & qui secus vitam traducerent, qui ad sacrificium, & concionem statis temporibus conuenirent, vt cum de omnib. Epum certiorem fecisset, ille vel priuatim vnūquemq; hortari, & admonere, vel palā corrigere posset, put se magis profecturum intelligeret. Item catechumenorū nomina recensere, & eos qui ordinis Sacramento initiandi erāt, ante Epum statuere. Præterea vnicuiq; ad victum necessaria subministrare, tunc. n. ecclesiasticorum bonorum dispēsatio Diaconis cōmissa erat. Et licet olim in ecclesia aliquæ Diaconissæ institui solerent, nullo tū modo creabantur, vt sacrorum ordinum officia obirent, sed vt fœminarum curam haberēt, hisq; in diuersis necessitatibus assisterent, ac consulerent; & præsertim dum ad baptismū pparabātur, neá viris aliqua ex parte denudari, aut attingi deberent. Similiter quædam sunt dictæ alia ratione Diaconissæ, presbyteræ, aut etiam Episcopæ, non ab aliqua consecratione, & officio, sed ex eo quod earū viri facta iam thori separatione; Diaconi, Presbyteri, aut Epi ordinati essent. *Vasquez. tu* 3. *p. disp.* 245. *cap.* 3. *Campan. in Diuers. Iur. can. Rub.* 11. *c.* 2. *Conin. disp.* 20. *dub.* 10. *n.* 96. Quōdā etiā cum pauci essent ministri, omnia inferiora ministeria, quæ in minoribus ordinibus constitutis conueniunt, Diaconis cōmittebantur, at nunc cū diuinus cultus per plures ministros est auctus, singuli sua explent officia. *Molfes. tract.* 2. *cap.* 4.

QVAESTIO XXXXVIII.

AN SOLEMNITER BAPTISMI SACRAmentum administrare possit?

Diaconus poterit ne solemniter Sacramētum baptismi administrare? R. Nō potest, ēt si vrgente necessitate sic baptizet, quandoquidē id muneris solemni ritu obire ad solos sacerdotio insignitos spectat. Vnde ex communiori, & veriori sententia, sic baptizans sine cōcessu Epi, vel Parochi, non solum mortalem culpam, sed etiam irregularitatis notam contrahet. *Sayrus l.* 7. *de cens. c.* 10. *n.* 4. *Henriq. l.* 14. *c.* 6. *§.* 2. *Vasquez. disp.* 147. *n.* 25. *Conin. q.* 67. *dub.* 3. *Reginal. l.* 27. *c.* 6. *n.* 40. *Bonac. disp.* 7. *q.* 3. *puncto* 6. *contra Suarez. in* 3. *p. disp.* 23. *sect.* 2. Quæ assertio illa cōi positione confirmatur, quod omnis clericus scienter, & serio in aliquo ordine sacro quē non hēt, administrans, & mortaliter peccat, & irregularis efficitur. *c.* 1. *&* 2. *ext. de cler. non ord. minist.* Eadem ratione dicendum est, non esse ei integrum aquam lustralem benedicere, cum hoc ad Sacerdotem spectet. *c. aquam, vbi Turrecrem. de consecr. dist.* 3. *Mars. Columna. de aqu. bened. sect.* 2. *c.* 5. Ideo si solemniter hāc fūctionē obiret irregularis fieret, iuxta tradita per *Sayr. l. c. Vgol. de Irreg. cap.* 37. *Mar. Ant. l.* 3. *var. resol. resol.* 16. *nu.* 4. *& alios DD.*

QVÆ-

QVAESTIO XXXXIX.

An in mortis articulo sacramentales confessiones audire ei liceat.

AN Diacono in mortis articulo fas sit, sacramentalem confessionem excipere, & absolutionis beneficium impendere? R. Ei nō licere, sacrilegium namq; committeret tùm is, qui illi confiteretur, vt ab eo tāquam Iudice, & ministro, virtute clauium, peccatorū remissionē obtineret; tùm ipse Diaconus, vel alius non sacerdos, qui huiusmodi confessionem audiret; siquidem certa fide tenendū est, solos sacerdotali dignitate præditos, in sacramētali foro esse à Christo Iudices præfectos. *Conc. Triden. sess. 14. c. 6. & can. 10.* Proinde si per clauiū potestatem conaretur ēt in extrema necessitate constitutum absoluere, pręter culpam, in irregularitatem quoq; incideret per *reg. c. 1. & 2. de cler. non ord. ministr. Sayrus l. c. n. 5. Chap. de sacramentis adm. tempore pestis. de pœnit. q. 6.* Quod verum est ēt si nō his vestibus indutus esset, quibus sacerdos cōfessiones audiens indui debet, nam & si sine superpelliceo, ac stola aliquē absolueret, adhuc tn̄ irregularis fieret, non .n. hę functiones, & clericis, & laicis, vt constat, communes sunt, &c. *Vgol. de Irreg. cap. 37. n. 10. & dixi infra tract. 11. c. 3. q. 6.* Quinimo irregularitatē non effugeret, si quod suū munus non est, per actiones tantum externas obiret, v. g. si missam celebraret, vel confessiones audiret, cum nō esset sacerdos, non tamen consecrandi, vel absoluendi intentionē haberet, licet. n. *Nau. c. 27. n. 242.* ab illa eum excuset. attn̄. *Suarez. d. 42. sect. 4. nu. 16. & Squill. p. 6. n. 66.* probabilius censent, irregularem effici, cum ministeriū ordinis, quo caret, exerceat, nā aliàs numquam hanc labem cōtraheret, cum se non esse sacerdotē agnoscens, velle consecrare intendere nō possit. Quinimo per christianæ fidei Censores cōtra eū procedi posset, atq; ab eo inquiri, quid de ecclesiæ sacramentis sentiat, per ea quæ diximus. *infra tr. 4. c. 17. q. 246.* Et si vero ex iure canonico *c. fures ext. de furtis.* fur qui in actuali furto interficitur, ecclesiastica sepultura priuetur, si autem Presbytero, vel Diacono confessus fuerit, cōmunio ei non negetur, fatendum tamen est, ius canonicum ibi aliud significare non velle, quàm furi pœnitenti, & signa contritionis ostendenti, nō esse communionem prohibendam: numerātur autem specialiter sacerdos, & Diaconus, quia à sacerdote absolui potest, & sacra Communione donari; at Diaconus quamuis non possit illum sacramentaliter absoluere, potest tn̄ in illo articulo, vt postea dicemus, Eucharistiæ sacramentum ministrare. Qua ratione aliquibus probabile videtur, Diacono fas esse, in articulo mortis ōstitutū ab excōmunicationis vinculo absoluere, cui ius propter similem necessitatē, vt statim annotabimus, eucharistiæ administrationem concedit: vt per *Sayr. de censl. 2. c. 21. n. 2. & Chap. l. c.* Quandoquidem duplex est absolutio, a peccatis. s. & à cēsuris, prima est ordinis, secūda est iurisdictionis. Prima solis sacerdotibus competit, secunda ēt Diacono; quinimo, & inferiorib. clericis, tàm à iure, quàm ab homine committi potest, quib. proinde integrū esset, absolutionē ipsam extra confessionem impendere, cum & confessarius habens facultatem in foro pœnitentiæ absoluendi, absq; sacramentali iudicio ab eadē censura aliqn̄ liberare possit, nisi ex verbis cōcessionis aliud colligat. *Suar. l. 8. de legib. c. 6. n. 16. Bonac. de cens. d. 1. q. 3. p. 6. n. 8. Lazar. de monit. sect. 4. q. 16. nu. 6. & vt dixi infra tract. 5. cap. 5. quæst. 29. & 36.*

QVAESTIO L.

Num Diaconis Eucharistiae sacramentum administrare liceat?

LIcet ne diaconis Eucharistiæ sacramentū ministrare? R. Certum est, solos sacerdotes licite hoc sacramentū conficere, ac dispensare, vt in primis cōstat ex illo. *D. Pauli. 1. ad Corinth. 11.* Sic nos .i. sacerdotes existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Et *Luc. c. 22.* cū Dñus Sacerdotib. dixit, Hoc facite in meā commemorationē. Itē ex *c. presbyter. de consi. d. 2. & c. peruenit. eadem dist.* Nihilominus in casu extremæ, vel grauis necēssitatis, fas erit Diacono, absente sacerdote, ægto sacrum viaticum deferre. Quod si sacerdos sit præsens, nec ipse administrare velit, nec Diacono facultatē dare, poterit tn̄ sibi aliquos hoc charitatis munꝰ pstare, iō est, qa ab ecclesia, & sic à Sūmo Pontifice, & eo magis à Christo Domino tunc hanc licentiam habet, quę pro concessa habetur, dū sine legitima causa per Episcopum, vel presbyterū ei denegata est. *D. Chap. loco citato de Eucharistia quæstione quinta. Molfess. tract. 2. capit. 9. Barth. ab Ang. de Euch. dial. 4. §. 276. Suarez. disp. 72. sect. 1. Henriq. de Euch. c. 54. & de ordine c. 13. Vasquez. d. 219. num. 11. Grat. in Discept. Forens. capit. 412. Bonac. de Sac. d. 4. q. 5. p. 2.*

QVAESTIO LI.

Nunquid missae sacrificium à sacerdote captum perficere possit.

QVid si sacerdos dum rem sacrā facit, post cōsecrationem deficeret, posset ne Diaconus missam perficere? R. Non posset, soli. n. sacerdoti dū initiatur, Eps consecrandi, & offerendi sacrificium facul-

facultatem tribuit. Quinimo si quis non existens sacerdos ausus fuerit, celebrare, vel missam perficere, non solum est irregularis, vt supra dixi *q.* 49. verum & acriter puniendus est, & si laicus fuerit, curiæ sæculari tradendus. ex Pauli IV. & Clementis VIII. Decreto, vt per *Maiolum l.4. de Irreg.c.13.num.1. & Sayr.d.c.10.n.5. Graffium de cas.reser.l.2.c.8.n.24.* Propterea, qui id extra cõfessionem nouit, ad sacrũ Inquisitionis tribunal eum deferre teneri certũ est. *Genuens. in praxi Arch. Neap.cap.23. vt dixi sup.q.42. & infra tract.5. cap.17. quæst.246.*

QVAESTIO LII.

AN IN NECESSITATE MATRIMONIVM celebrare queat.

AN vrgente necessitate liceat Diacono de licẽtia Parochi absentis, vel legitimo impedimẽto detenti, alicui matrimonio assistere, atq; illud celebrare? R. Non poterit, sed eo assistente matrimonium erit nullum, & ipse Diaconus in irregularitatem incidet, nam *Conc.Trid.sess.24.c.1.* sanxit, vt q aliter quàm præsẽte Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, vel Ordinarij licentia, & duobus, vel tribus testibus matrimoniũ contrahere attentabũt, inhabiles reddantur, & ipsum coniugium irritũ sit, Vnde quãuis apud Canonistas multoties nomine Sacerdotis Diaconi, & Subdiaconi comprehẽdantur *arg.c.t.15.q.5.* quia tñ verba concilij secundum communem intellectum accipienda sunt, & ex vulgato loquendi vsu, sacerdotis nomine verus presbyter intelligitur, alius quã sacerdos matrimonio interesse non valebit. *Henriq.lib.11.de matrim. c.3.n.5. Chap.de matrim.q.7. & alij communiter.*

QVAESTIO LIII.

AN EXTREMAM VNCTIONEM ministrare.

AN saltem Diaconus possit, si nullus reperiatur sacerdos, alicui in mortis articulo constituto extremæ vnctionis sacramentũ ministrare? R. Non potest, & est fidei articulus; siquidẽ sacerdos est minister huius sacramenti necessarius, ita vt propter nullam causam, vel defectum liceat alteri, quàm sacerdoti illud conferre: sic enim sine exceptione loquitur. *D.Iacobus.Epist.cath.capit.5.* Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros: *Henriq. de extr.vnct.capit.13. numer.2. Conin. disp.19. dub.9. Sayrus.l.7.de cens.c.10.n.5.* Et Concilij Tridentini authoritate roboratur, cũ *sess.14.c.3.* docet, Epũm, vel sacerdotem rite ordinatum esse proprium huius sacramenti ministrũ. Quod & ea ratione confirmatur, quod in spiritualibus, & supernaturalib. rebus, quæ ex institutione pendẽt, non licet sine authoritate, & euidenti, solidaq; ratione, exceptionẽ ad generalem regulã addere, hic autem vniuersalis adest positio, vt ad vngendum infirmum presbyter inducatur, &c. Et si vero exceptionem facere videantur sanctorum exempla, cum de discipulis. S. Antonij, qui sacerdotes non erant, infirmos vnxisse traditur, teste *Ruffino.l.2.hist.* dicendum est, haud certũ esse, illos oleo ab Epõ consecrato vsos fuisse, sed & si vsi fuerint, credendum est, diuina inspiratione motos huius sacramenti materiam, non ad conficiendum sacramentum, sed ad obtinendam salutem, & curationem per preces assumpsisse. *Gemin.in cap.ad eius dist.5. Chap.de sacr.vnct.q.9. Syl.in v. oleum in fine.*

Proinde si Diaconus hoc sacramẽtum ministrare præsumpserit, mortaliter peccat, irregularis efficitur, & sacramentum ipsum inualidum est, & nullum, vt ex communi sententia ait. *Barthol. ab Ang. de extr.vnct.§.144. & Melfes.tract.4.cap.3.nu.31. Bonac. de sacr. d.7.quæst.1.par.4.*

CAP. VII.

QVAESTIO LIV.

AN DIACONVS EX OFFICIO PRAEdicare possit.

POtest ne Diaconus ex officio prędicare? R. Iam diximus, Diaconi proprias partes esse, per modum Catechismi fidei articulos exponere, & Decalogi præcepta declarare *c.perlectis.c sancta.dist.25.* Siquidem ex vi proprij muneris ex suggestu prædicare Epis, & Parochis incumbit, cum prædicare sit perficere, quod ad Epos, & animarum Rectores spectat. *Conc.Trid.sess.5. de refor.c.2. sess.24. de refor. c.4.* Diaconis tñ de facultate, vel commissione Epi, Parochi, vel Prælati hæc prouincia demandari pôt. Tametsi aliquibus religiosis ordinib. Põtificio priuilegio indultum est, vt eorum regulares prædicare valeant, licet sacris initiati non sint. *Zecchius de ordine cap.1. Henriq in summa l.7.c.28.§.8. Campan Diuers.Iu.Rub.12 cap.13.n.12. Valent.tom.4.disp.3.q.5 pũcto 3. Vgol.de off.Epi. par.2.c.42. Syluester. in v.prædicatio q.1. Reginal.lib. 18.n.120. Vasquez. tom.3.d.236. Nau.cons.6. de offic. deleg. Nald.in v. prædicare.*

QVAESTIO LV.

NVM DIACONVS IPSE IN MORTALI culpa existens si concionetur, m.p. Item numquid à concione suspensus si solemniter, & publicè concionetur, irregularitatem contrahat.

QVid si mortali noxa fœdatus cõcionetur, numquam ne culpam lethalem contrahit? Et an ipse

ipse Diaconus ab officio prædicandi sit suspensus, & solemni ritu prædicet, v. g. cum superpelliceo, & stola peccet mortaliter, & irregularitatis labe afficiatur? Ad primam quæstionis partem. R. Quod nõ, nisi ratione scandali, vt si Diaconi peccatũ esset publicum, propterquod verbum Dei postmodum contẽptibile fieret; nã exempla plus mouent quàm verba, vel ratione cõtemptus, &c. vel si incontritus sacra concione tanquã profana declamatione vtatur, prout ex communi sententia tradit. *Marc. Ant. Gen. in Man. Post q. 32. Vgol. l. c. Sà in v. prædicatio.* Ad secundã R. Ex cõmuniori sententia peccare, cũ prædicando suspensionis censurã violet, non tñ irregularem fieri, cum hoc iure non sit expressum. *Sayrus l. 4. de cens. c. 16. num. 20. Roder. in Summa tom. 2. cap. 68. num. 8. Henriq. l. 13. c. 32. num. 5. Bonac. disp. 3. quæst. 6. puncto 4. num. 6.*

QVAESTIO LVI.

AN PROMOVENDVS AD DIACONATVM in mortali existens si ad illum suscipiendum accedat m. p. Et quid de ipso in statu peccati mortalis ministrante, &c.

QVæritur, an si ad Diaconatus ordinem promouendus lethali culpa sit infectus, & ad eiusdem ordinis susceptionẽ accedat, duplici peccato se obstringat, tùm ratione sacramenti ordinis, tùm ẽt Eucharistiæ indignè, & sacrilege susceptæ. Secundo, an ipse Diaconus in peccato mortali constitutus, si solemniter in missa administrat, Euangelium canens, noui sceleris reus fiat, &c? R. Vnũ tantum, sed grauius peccatum admittere; nam hęc duo præcepta, vel obligationes violatæ, ad solam virtutem religionis spectant; præcepta vero quamuis multa sint, nisi ad diuersas virtutes pertineãt, nouã peccati speciem non conficiunt. *Azor. p. 1. l. 7. c. 31. q. 7.* Ad secundam dubitationem dico, receptũ quidem ab omnibus esse, mortaliter eum peccare, qui in statu peccati mortalis existẽs ordines sumit, aut aliquod Sacramẽtum administrat, sed à plerisq; negari, ordine initiatum lethalem culpam cõtrahere, si res sacras tangat, vel aliquid aliud faciat, tanquã minister ecclesiæ suo officio fungens, vt Diaconus, cum stola cantans in missa Euangelium, sed vt dixi supra eodem *tract. 4. c. 2. q. 16.* tutior est opinio sentientium, peccati mortiferi haud immunẽ esse. Proinde Diaconi, & Subdiaconi solemni ritu sacrificãti Sacerdoti ministrãtes mortifero vacui debẽt esse crimine, & si confessarij copia non fuerit, ad minimum toto corde admissa peccata, propter Deũ offensum detestari, & contritionem in se excitare tenentur: & sicut lethali culpa alligati, sine animæ peste, & interitu, illum accipere ordinem non potuerunt, ita neq; administrare possũt. Diaconi inquit. *Apost. 1. ad Timoth. c. 3.* habeãt mysteriũ fidei in cõsciẽtia pura, & sic ministrent, nullũ crimen hẽntes. *Barth. ab Ang. dial. 1. de sacr. in cõi. §. 4. Molfes. tr. 2. c. 9. n. 12. Gisbertus de eccles. vita c. 119.*

QVAESTIO LVII.

IN QVAM POENAM INCIDAT Diaconus censura irretitus, si in ordine suo ministret?

QVid si Diaconus excommunicatus, vt puta, quia in clericum suadente Diabolo manus iniecisset, & ex officio publice in ecclesia Euangeliũ caneret, incideret ne in aliquam pœnã? R. Si scienter, vel scire debens hoc præster, mortale scelus admittit, & eam maculam suscipit, quam diuinarũ rerum scriptores irregularitatem vocant, cum exploratí iuris sit, clericum censura, vt excommunicatione, suspensione, interdicto irretitum, & actum ordinis sacri solemni ritu cum Dalmatica, & manipulo, vel stola, exercentẽ, in ipsam irregularitatem incurrere, vt ex cõi opinione ait. *Sayrus l. 7. de cens. c. 9. n. 7. Coninch. disp. 18. dub. 6. n. 49. Suar. tom. 5. disp. 42. sect. 3. Reginal. l. 30. tract. 2. c. 14 n. 181. Molfes. l. c. c. 19. n. 12.* Si tñ illa censura, & irregularitas occulta sit, ab Epõ absolui, & dispensari poterit, ẽt si aliàs illi casus ad Summum Pontificem pertineant. Occultum vero intelligitur, quód non est publicũ, vel notorium, ẽt si per multos testes probari possit, sufficit .n. non esse diuulgatum. At oportet non solum factum esse publicum, sed publice sciri esse delictum: nam censura illa ad effectum, vt Eps absoluere valeat, vel illa dicitur, quę corã multis incurritur, ignorantibus tñ eo casu ipsam censuram contrahi, etiã si sciant, tale munus exercenti prohibitũ esse: vt exemplum est de ipso Diacono solemniter baptizãte, & excommunicato in diœcesi vna, & in alia celebrante; dummodo tñ de huiusmodi contractis censuris fama exorta nõ fuerit. Cum autem est dubium facti, an quis crimen admiserit, ob quod censura, vel irregularitas incurritur, ipsi Epõ absoluere, & dispensare fas erit. *Nau. cons. 2. de cler. non ordin. minist. Sà in v. Episcopus num. 34. Nald. v. censura. numer. 11. vide infra tract. 5. capit. 5. quæst. 29.*

QVAESTIO LVIII.

AN AD HOC VT DIACONVS CENSVRA innodatus irregularis fiat, hominis factum requiratur?

AD hoc vt talis Diaconus excommunicatione irretiatur, & irregularitate afficiatur, requi-

ritur ne factum hominis .i. vt ecclesiasticus Iudex p sententiam declaret, ipsum esse excommunicatum, & irregularem? Et quomodo in actu practico se gerere debet Diaconus ipse, si his censuris, & impedimentis irretitus, suum officiū obire arctaretur, &c? R. Illud quod dicitur, pœnam exteriorem in animę iudicio non esse considerādam, donec per iudicem executio fiat, non habet locum in censuris, nec in irregularitatibus, à canonica lege inductis, quæ absq; vlla sententia, ipsum subiectum afficiunt, & ad actus legitimos inhabile reddunt, cum omnis spiritualis pęna statim absq; hominis ministerio suum effectū sortiatur; quādoquidem ex pœnis, quæ ipso iure infliguntur, quædam sunt, quæ vt DD. loquuntur, in mera priuatione cōsistunt, vt excommunicatio, suspensio, interdictum, & irregularitas, vel inhabilitas ad officia, &c. Aliquæ sunt, quæ aliquam actionem requirunt, vt patet in beneficiorum, ac dignitatū priuatione, & has pęnas reus nō nisi post sententiam subire tenetur. *Salon ꝑ Arrag. 22.q.68. art. 3. Carbo. l. 8. de legibus disp. 9. Graffius lib. 2 decis. aur. c. 11. n. 54. & aly.* Vbi est hoc obiter annotadū, Irregularitatē à solo iure prouenire, nec per hominē Iudicem imponi posse, ex qua re præcipue ab excommunicatione, suspensione, & interdicto differre dignoscitur, quę cùm ab homine, tùm à iure feruntur, & ecclesiasticæ censuræ dicuntur. Irregularitas vero, ēt si ex aliquo delicto manet, ex communi opinione inter censuras non computatur, cum tantum sit canonicum impedimētum, ex facto, vel defectu proueniens, quo quis ad ecclesiasticos ordines promoueri, & iam promotus in eisdem ministrare prohibetur. *cap. quærenti. de verb. signif. & capit. 1. de sent. & re iud. lib. 6. De qua re videnda sunt suo loco tradita infra tract. 12. cap. 1.*

Ad secundā q. respondeo, Diaconū aliqua cēsura reseruata, vel irregularitate irretitum in suo ordine posse administrare, ne infamiæ nota inuratur, si .s. vitandi graue scandalum, vel honoris detrimentum, necessitas vrgeat, siquidem naturalis lex detuēdæ famæ omni humana lege potior est, cum omnib. presertim ecclesiasticis præcipiatur, vt curam habeant de bono nomine. *c. non sunt audiendi. 13. q. 3.* Bona. n. fama ad Dei honorem, & proximi salutem procurandam eis necessaria est. Hinc Plautus,

Ego si bonam fammam seruasso, sat ero diues. Et salutare monitum est,

Omnia si perdas, famam seruare memento,
Qua semel amissa, postea nullus eris.

Vt propterea honor, & vita in iure æquiparentur, *l. iust. ff. de manum. vind. Monoch. l. 6. de præsumpt. præsumpt. 49.* Et ex hoc principio multa inferri possunt in praxi frequentia. *Nau. c. 27. n. 239. Tol. l. 6. c. 16. Io. Bap. Corrad. in resp. q. 191. Lazar. de monit. sect. 4. q. 18. Franc. Marc. par. 2. Decis. 801. Roder. in summa p. 1. c. 55. & in quæst. regul. tom. 1. q. 21. art. 4.* Nec probabilitate caret, qđ aliqui tradūt, in huiusmodi casibus infamiam, & scandalum afferentibus posse quem manente censura (de irregularitate .n. dubium non est) absolui à peccatis, si alias bene dispositus sit, per quem libet confessarium, accepta tñ pœnitentis promissione, quod cum primum ei licebit, superiorem pro absolutione adibit. *Suarez. to. 4. disp. 31. sect. 1. Reginal. l. 8. c. 6. n. 87. De qua re infra in seq. cap. erit sermo.*

QVAESTIO LIX.

VTRVM SI ABSQVE TITVLO SVBDIAconatum recepit, tuta conscientia, & sine periculo censuræ ad alios sacros ordines promoueri possit.

AN quando quis sine vero titulo beneficij, vel patrimonij in Subdiaconum est ordinatus, ob quam rem ab Epō vi constitutionum synodaliū est suspensus, & postmodum est ab illa cēsura absolutus, possit sine nouo titulo beneficij, vel patrimonij, ad Diaconatum ascendere sine periculo iterum in eandem suspensionem incidendi? R. affirmatiuā partem nonnulli Iuristæ in Hispania tenuerunt, eo quod postquam sacri Subdiaconatus ordine initiatus est, non decet aliquā artem exercere, & ipse ordo sacer videtur esse sufficiēs titulus ad superiorem ordinem suscipiendum. Secunda tñ opinio verior est, sine Epi dispensatione id ei non licere, ratio est, quia iura non tātum prohibent Subdiaconatū sine vero titulo suscipere, sed simpliciter ad quemlibet sacrum ordinem sine illo accedere vetāt, &c. Vnde ēt fit, vt si casu titulum patrimonij amisisset, vt quia bona euicta fuissent, nec ad Diaconatum, neq; ad Sacerdotiū promoueri posset, nisi haberet, quo decenter vitam traduceret. Quapropter qui aliter in Diaconum ordinaretur, in dictā suspensionē denuo incurreret. Quod confirmat quoddam Cardinaliū responsum his verbis comprehensum, Si quis ante concilium promotus Subdiaconus absq; titulo fuerit, poterit absq; titulo promoueri, modo ad titulū patrimonij promoueatur. *Auila 3. p. disp. 5 dub. 6. Suarez. to. 5. disp. 31 sect. 1. n. 39. Henriq. de suspēs. c. 37. n. 2. in fine Garz. p. 2. c. 5 n. 121. Quar. in v. ordo. vers. an vero. Mulfes. tract. 2. c. 15. numer. 10. Bonac. de ord. d. 8. q. 1. par. 5. numer. 30.*

QVAESTIO LX.

AN PER SALTVM ORDINATVS CHARActerem reciperet, & quid in praxi agendum.

QVid si Diaconus per saltum ordine sacro initiaretur, hoc est si ordinem Subdiaconatus

non

non prius suscepisset, reciperet ne characterẽ, & qd in hoc casu quo ad actum practicum agendum est? R. Irregularem, seu suspensum esse. *cap. 1. sit. de cler. per salt. prom.* dum ibi dicitur, esse cum eo misericordia vtendum, seu ab Epõ dispensandum, vt in susceptis ministret, omissum suppleat, & ad altiores promoueatur. Quare aduertendum est, cum tali postquam ante dispẽsationem, solemniter, & serio exercuit, siue superiorem ordinem, ad quem per saltum ascendit, siue inferiorẽ, quẽ prætermisit exercendo, solum Pontificem dispensare, seu eum hac lege soluere posse, antequam autem exercuerit, posse Epm cum ipso dispensare ad susceptionem ordinis omissi (quæ suppletio ordinis, aut ritus omissi per ordinum tempora, & cum solita solemnitate fieri debet,) & ẽt vt ad superiorem ordinẽ ascendat, quamuis delictum esset publicum, & vt in ordine prætermisso, ac ẽt per saltum suscepto ministret. *Cõc. Trid. sess. 23. de refor. c. 14. Sayrus l. 7. c. 10. n. 40. Reginal. l. 30. tract. 2. num. 101. Vgol. de Irreg. capit. 38. Henriq. lib. 14. capit. 6. §. 3.*

QVAESTIO LXI.

NVNQVID DIACONVS ALIA ONERA contrahat, quam in Subdiaconatu subierit?

Diaconus subit, ne alia onera, quàm subierit in Subdiaconatus susceptione? R. Nõ, manet. n. eadem obligatio, & seruandi castitatẽ, & horas canonicas recitãdi, quas leges, & obligationes, si violat, dubium non est, grauiori ẽt culpa se obstringere; siquidẽ cum augentur dona, rationes ẽt crescũt donorum. Et Christus dominus noster talem in ministris suis ordinem seruari vult, vt quantum est ex parte Sacramenti, qui maior est, etiã perfectior sit. Hinc scimus Diaconorum ministerium latius patere, sanctiusq; ac dignius in ecclesia habitũ esse Subdiaconorum officio, pluribus. n. & sanctioribus precibus ad Diaconi, quàm ad Subdiaconi ordinationem vtitur Eps, alia addit sacrarum vestium ornamenta, & aliam formam, & materia adhibet, vt supra animaduerti ex Catechismo Rom. *de ordine, Vasquez. p. 3. tom. 3. d. 247. Reg. l. 30. n. 36.*

QVAESTIO LXII.

QVAENAM SIT MATERIA, FORMA, ET ritus huius Sacramenti?

Quę est materia, forma, & ritus huius ordinis? & quando imprimitur character? R. Materia est Euangeliorũ liber, forma sunt verba ab Epõ prolata, Accipe potestatẽ legendi Euangelium in ecclesia Dei, tàm pro viuis, quàm pro defunctis, quibus prolatis simul cum materiæ cõtactu ipse nouus character in anima inscribitur, & simul cõfertur potestas tangẽdi sacra vasa, dum Corpus, & sanginem Christi continent, & vt indutus orario .i. stola, & Dalmatica, solemniter, & ex officio Euãgelium canat. Initiatur quidem Diaconatu nõ per traditionẽ Calicis vacui eum patena, id. n. ad Subdiaconi ordinationem pertinet, nec per traditionẽ Calicis cum vino, quia hoc ad solius Sacerdotis institutionẽ spectat, nec per solam manus impositionem, cum prolata verborũ forma: Sed Diaconi ordinatio proprie per traditionem libri Euangeliorũ fit, simul cum manus impositione, quę gratię plenitudinem significat: nam Diaconus, vt quædam sacramẽta absente Sacerdote ministret, ea copia gratiæ augetur, ac ditatur, quæ ad alios perficiẽdos extenditur, &c. *Henriq. de sacramento ordinis. cap. 8. Vasq. d. 238. & DD. supra citati.* Aduertat postremo Diaconus, quod quæcũq; scire tenetur ille, qui prima tõsura initiandus est. s. ostiarius, lector, exorcista, acholitus, & Subdiaconus, eadẽ & potiori ratione scire eum oportet; propterea præter illa, quæ supra in antecedentibus articulis singulorum ordinum in mediũ protulimus, hæc circa eum deducta obseruare debet; & cum aliquando concionatoris munus subeat, quæ infra de Concionatore, & Epo diximus, eum animaduertere opus est, Diaconus .n. ecclesiastes debet esse instar conchæ diuinum liquorem recipientis, & postmodum canalis in alios illum transfundentis. *D. Bernard. in Cant. serm. 18.*

ARTICVLI A QVIBVS DESVMI poterunt interrogationes, quæ ad presbyteratus ordinem promouendis fieri debent. CAP. VIII.

QVAESTIO LXIII.

QVID SIGNIFICET HOC nomen Sacerdos.

Quid significat hoc nomẽ Sacerdos, & presbyter? R. Multa ac diuersa, quę cũ legentiũ tædio, de his nominibus Doctores adduxere, omittẽtes, ac breuitati, quæ semper placuit, quaque gaudent moderni, consulentes dicimus,

Primo vocem hãc sacerdos idem indicare, quod sacra dans; Ipsis. n. sacerdotibus in Dei ecclesia per dignitatem qua præditi sunt, & potestatẽ qua funguntur, conuenit, non solum Sacramenta ipsa perficere, & cõsecrare; sed ẽt populo illa præbere, ac ministrare. *D. Thomas in 4. sent. dist. 4. q. 1. ar. 3. quest. 5. ad 1. c. cleros. dist. 21. D. Anton. 3. p. tit. 14. c. 7. §. 1.* Qua rõne ẽt dicitur Iustitiæ cultor, & administrator, iuxta illud, Ius est ars boni, & æqui, cuius merito

quis nos sacerdotes appellat: *l. 1. ubi Gloss. & Doctores ff. de Iust. & Iu.*

Secundo dicitur sacerdos quasi sacra dos, ex ipso .n. nomine sanctitas, & iustitia designatur, Vate regio sic attestante, Sacerdotes tui induantur iustitiā. *Psal.* 131. Atque ipsis post Epm secundus perfectionis gradus in ecclesiastica hierarchia congruit, vt sint spirituali lumine pleni, & alios per sacramēta, quæ administrant, & spiritualia documenta, quæ præbent, illuminent, siquidem ex ea iustitia, & illo lumine tanquam sacra dote filios spirituales, quilibet sacerdos exornare, & locupletare debet, vt *D. Gregorius. hom.* 15. *in Euāg.* docet sic loquens, Si ergo fratres charissimi diuites esse cupitis, veras diuitias amate, si culmen veri honoris quæritis, ad Cœleste Regnum tendite, &c. Vnde sacerdotes lumen mundi, & sal terræ dicūtur, quod eorum munus est fideles doctrina, & moribus illuminare, & Spiritus sapore condire. Ex his ostenditur, ait. *D. Anton. l. c.* quam fitalmum eorum ministerium, & almos .i. sanctos homines faciens.

Tertio sacerdos dicitur sacer Dux, nam sicut tēporalis Dux in militari exercitu, & disciplina norma, & militum exemplum esse debet, illos inducendo, atq; exhortando ad victoriā de hostibus reportandam: sic sacerdos christianæ militiæ dux alijs fidelibus ipsi militiæ adscriptis exemplar esse debet ad fortiter contra Diabolum, mundum, & carnem debellandum, illos adhortans, atq; ad christianam perfectonem ducatum præstans.

Cogit .n. tantos perferre labores
Soladucis virtus, qui nudus fusus arena
Excubat, atq; omni fortunam prouocat hora.

Quarto sacerdos dicitur sacra docens, quia ad Christi sacerdotes non vanas doctrinas, nō profanas, & inutiles historias, inanes ve fabulas, docere pertinet; nec flores, vt aiunt, ad aures spargere, sed cum *Isaia cap.* 9. ad cor loqui Ierusalem, non aures demulcendo, sed Iesum Christum prædicando, atq; ex fidelium cordibus vitia euellendo.

D. Ludouicus Galliæ Rex inter cætera, quæ filio priuatim, vel publice bene regnandi præcepta dedit, illud non in postremis commendauit, Ita te gerito, vt sacerdotes qui tibi sunt à confessionibus, & cōsilijs, libere te admoneāt, doceantq; quid in omnibus negotijs sequendū, fugiendumq; sit. Cui verbi dispensatio commissa est, ēt si sancte viuat, & īn perdite viuentes arguere aut erubescat, aut metuat, cum his omnib; qui eo tacente perierint cōdemnabitur. *Baron. tom. 9. Annal. anno Christi* 740. Nō est veri parentis nocitura filijs permittere ne doleant, prudentes illæ lachrymæ sunt, quę noxiorum amotione excutiuntur; ingemiscant filij, dummodo perimentia amoueantur, bene est. Non est amor, venena permittere, ac nociturum ferrum, odium est, amoris palla tectum. Neq; medicus ille laudandus qui ne ægrum contristet, remedia negligit, &c. *arg. c. sunt. d.* 46.

Porro sacerdotes vocantur etiam presbyteri, aut seniores, non tàm ætate, quàm virtute, sapientia ac prudentia, quæ ad explenda sui status munera sunt necessaria: duas .n. insignes potestates eorū officium complectitur, Alteram consecrandi Corpus Christi verum, illudq; offerēdi tàm pro viuis, quàm pro defunctis. Alteram perficiēdi eiusdem dñi nostri mysticum corpus, hoc est ecclesiam, remittēdo peccata, & lumen supernaturalium virtutum in fidelium cordibus accendendo. Hucq; spectant. *D. Gregorij verba. lib.* 1. *Reg. c.* 2. Senes sunt sacerdotes, quorum officium quia grauitate magnæ honestatis impēditur, à religionis pondere nulla pueril leuitate vacuatur. Quæ sententia innuit, ecclesiasticorum esse, iuueniles insanias, ineptiasq; non cōsectari, sed senum ritu viuere, inq; omnibus magistralem quādam grauitatem præseferre; vnde Ægyptios legimus tàm præclare de senili ætate sensisse, vt in hieroglyphicis senem repræsentarēt hominem musicū, eo quod graues, & compositos mores, & sibi maxime consonos habeiet. Dicuntur ēt presbyteri, quasi alijs viuendi præbētes iter, vel beatum ad Cœlum præbentes iter. *c. sacerdotes. dist* 93.

QVÆSTIO LXIV.

QVID SIT SACERDOS, ET QVAE eius dignitas.

Quid est Euāgelicę legis sacerdos, & quæ eius dignitas? R. Est vir, cultui veri Dei auctoritate diuina determinatis personis concessa, firmiter deputatus. In quibus quidem verbis omnia causarum genera includi satis constat. Materialis .n. est vir, cum vt sæpius diximus, fœminæ diuino iure à sacerdotio excludanī, & ad officij huius dignitatem, & perfectionem demonstrandam, solū maribus sit cōcessum; vnde mulier nec ordinib. insigniri potest, nec si ordinetur, characterem recipit; & licet Abbatissa alicuius iurisdictionis capax esse possit, vt propterea beneficia conferre ei integrum sit, ēt si curata sint, præuio coram ordinario examine, nō tñ ea quæ à clauibus ecclesiæ, vel ab ordine dependent exercere valet; nec .n. censuras ferre, neq; à peccatis absoluere eidem conceditur. *Decius in l. fœminæ ff. de reg. iu. Campanil. in Diuers. Iur. can. rub.* 11. *c.* 2. *Marc. Ant. l.* 1. *var. resol. resol.* 63. Et vt supra de Diaconis annotatum est, viri illi sunt dicēdi, ac proinde sacerdotio idonei, qui perfectis gressib. per viam Dei non fluxe, & eneruiter, sed viriliter currunt. Insuper dicitur vir ad ostendendum, non pueros, sed maturos mares ad presbyteratus ordinem admit-

admittendos Presbyteros, inquit. *D. Basilius super Isaiam. c.* 3. oportet esse matura ætate prouectos, & qui temporis prolixitudine, & multarum rerum cognitione polleant; quiq; ab ipsa prima florescente canitie, morum constantiam exhibuerint, gloria. n. seniorum caniries, sic vbi tandē in iuuenili ætate senilis sensus comperietur, & prudentia, donum hoc haud quaquam aspernandum. Hinc *Alex. l. 4. conf.* 4. ait in homine seniori maiorem iustitiam, sapientiam, rerumq; experientiam præsumi.

Secundo formalis causa in illis verbis firmiter deputatus continetur: talis. n. deputatio, quæ vt dicemus, per characteris impressionē fit, est velut forma perpetuo inhærens. Sicut ēt non religiosa tantū opera religiosum faciunt, nisi duo insuper accedāt, primū, vt certa promissione, ac voto expresso ad ea opera ita obligetur, vt iam illi integrum non sit, vel cessare, vel ēt velle cessare: Deinde vt hæc ipsa obligatio non ad certum, ac definitum tempus, sed ad totam vitam suscipiatur, quæ duo cum concurrunt, tūm vero quasi ex firmitate, & stabilitate, status appellat: *Plat. de bono stat. relig. l. 1. c.* 2. Contrariū quò ad alia tàm ecclesiastica, quā secularia officia, vt. s. ad tempus durent, dicendum est; ininstum est. n. vt vnus semper ad gubernacula sedeat, cui pares, & æquè digni subinde, vt dicitur, sentinā exhauriant. Vnde ēt in iure cautum est, ut officia, & Magistratus non continuentur. *l. 2. C. de honor. non contin. Nacta conf.* 58. *Ala. de Decur. christ. q.* 41. *&* 76. *Grat. in For. Discept. l. 1 c.* 184. *Simācas de repub. l.* 8. *c.* 35

Causa efficiens in illis uerbis comprehenditur, authoritate diuina determinatis personis concessa, quandoquidem nemo propria sua facultate, & placito se ipsum sacerdotē instituit, nec reipublicæ auctoritate id fit, non. n. communitates creandi sacerdotes potestatem sibi uindicare possunt, sicut olim apud Ethnicos fieri consueuerat, ut paret apud *Platonem in 6. de legib. & Aristotelem. in primo lib. Polit.* Primo quidem hæc facultas in Christo Dño extitit, à quo in Apostolos deriuata est, ab Apostolis uero in Epos, in quibus de iure diuino hæc auctoritas sacerdotio homines initiandi residet. Postremo in illis uerbis, cultui ueri Dei, finalis causa latet; finis namque uitæ nostræ primarius, & meta, ad quā collimandum est, Dei cultus, ac honos est. Dei uero cultus est reuerentia quædā tàm interior, quàm exterior, Deo ipsi ob ipsius excellētiam exhibita, q in tribus præcipue cōsistit, in sacrificio, quo eius dominium testamur, in laudibus, quib. eius bonitatē, in sacramentorum administratione, quibus ab ipso salutē proficisci confitemur. Propterea in Christiana republica necessarij sunt sacrorum ministri, pietatis, ac religionis interpretes, cū religionis præcipua cura sit suscipienda; ut proinde Petrus quoque Blessensis Sacerdotes Christi Redemptoris coadiutores appellet, quod in animarum salute procurando Saluatori cooperentur, &c. *Tol. l. 1. summæ c.* 1.

Porro de dignitate Sacerdotum honoreque illis exhibendo, non est quod dicamus, cum res ipsa loquatur, superuacuis nāq; laborat impendijs, qui solem nitit facib. adiuuare. *c. si omnia. 6. q.* 1. Siquidem ipsum ordinis sacerdotalis Sacramentum à se ipso ita eminens, ac præclarum est, hominemq; adeò nobilitat, extollit, ac eximium reddit, vt hominem ipsum quodammodo, ac naturam mutare cogens, ex homine velut Deum quendam, ac semideum saltē cōstituat, & magnum, excelsumq; illi apud omnes honorem, ac nomen concilier, teste regio vate. *Psal.* 138. Nimis honorati sūt amici tui Deus. *c. Sacerdotibus.* 11. *q.* 1. *D D. præsertim Hilaret. in dom.* 12. *post Pent.* Et hic vsus semper apud omnes gēces viguit, & speciatim apud Ægyptios, qui sacerdotis dignitatem sapientiori, & sacerdotibus regiam dignitatem conferebant, ac propterea eos Trismegistos. i. ter maximos vocabant. Et forte hac de causa tres Magi Reges tria dona Christo Dño obtulerūt, quę has tres dignitates significabāt, aurum tanq̄ Regi, thus tanquam sacerdoti, & myrrham vt homini iusto, incorrupto, ac sapiēti; talis. n. esse debet, qui has dignitates suscipit. Quanti faciendi sint Euangelici sacerdotes, hinc facile intelligitur, quod consecrandi verū Christi Corpus, & mysticum, subiectos videlicet populos gubernādi, & à peccatis absoluendi, potestate fungantur, vt. s. tāquam mediatores ad Deum pro eis intercedendo constituti sint, vt merito, & recte. *D. Greg. Naz. Apol.* 1. dixerit, Animarū curam, gubernationemq; suscipere, mediatoremq; esse inter Deum, & homines sacerdotis est munus. Quod & Plutarchus Ethnicus vidit, quippe qui in *opusc. cum Principe esse philosophandum*. Causam reddens, quare Sacerdotes honorentur, ait, Sacerdotibus honorem, & reuerentiā Ciuitates tribuunt, quod bona Dijs immortalibus non sibi tātum, amicisq; ac necessarijs suis, sed ēt in communi poscant ciuibus. *Scortia de sacrif. missæ l. 2. cap.* 9. Tam excelsus, tamq; eminens est sacrorum sacerdotū gradus, vt sanctissimi quiq; viri eundem attingere non sint ausi, sed remis, velisq; se subtraxerint, & numquam Sacerdotio initiari voluerint; vt in specie S. Antonius, Benedictus, & Franciscus, de quo refertur, qđ cum esset Diaconus, ita erga augustissimū Eucharistiæ sacramentum afficiebatur, tantaq; illud reuerentia prosequebatur, vt ne indigne celebrando cōtaminaret, semper hæserit, num eam dignitatē assumeret, licet ab alijs non parū impelleretur, ac adeò vrgeretur, vt effugiendi locus sibi non suppeteret. Ad arma itaq; spiritualia consueta cōfugit, hoc est ad orationem, qua à Deo ea olere consilium perijt. Quo facto ad eū missus est Angelus cum phiala lucida in manu limpidissimo liquore referta, atq; ita dixit,

dixit; Vide Francisce, Quicunq; vult sacerdos fieri, atq; Sacramenta administrare, ita purus esse in anima debet, sicut liquor iste: post quæ verba numquã ad Sacerdotium promoueri voluit, quia tãta se animi puritate fulgere non existimauit; maximi interim faciens Diaconi dignitatem quippe quæ ad sacerdotalẽ proxime accedat, *Ex lib. 1 Chron. S. Frãc. p. 1. c. 41. & Daur. tom. 3. exemp. c. 5. tit. 52. exemplo. 6.* Auxit ẽt Sacerdotibus honorem, & reuerentiam suo egregio dicto idem Franciscus, qui de sacerdotali dignitate, & Sãctorum gloria verba faciens dixisse fertur, Si cui sanctorũ in terram è Cœlo lapso, & sacerdoti occurreret, huius primum manus exosculater, ac deinde Sancto reuerẽtiam exhiberet, plus debere se significans ei, quo ministrante, Christum acciperet, quàm illi, qui præsens cum Christo regnaret. Constantinus Imp. veri Dei Sacerdotes lege cauit, præ Rege, aut quouis Principe honorari debere, dicebat. n. In illis Deum honore afficimus, qui eius vicem in terris gerunt. Quod & D. Martinus facto suo erga Maximũ Imp. luculenter ostendit. *Euseb. Cæsar. l. 3. de vita Constant. c. 35. & sacerdotibus. 1. q. 1. Baron. tom. 4. anno Christi 386. & tom 6. anno 461. D. Anton. 3. p. tit. 20 c. 2. §. 1. Grat. in For. Discept. c. 298. n. 60.* Præclare Ouidius.

Vaticinor, moneoq; locum date sacra ferenti,
Non mihi, sed magno poscitur ille Deo.

Et Statius & si vel ipse Ethnicus, in procemio. *lib. 5 Syl. ad Abascantium*, Nam qui bona fide, inquit, Deos colit, & Sacerdotes amat, & colit. Narrat ẽt de D. Antonio S. Athanasius, quod talis, tantusque Patriarcha adeò sacerdotes reuerebatur, vt dimisso corporis habitu, sacras illas manus deoscularetur, & supplex benedictionem exciperet. *Molina. in instruct. Sacerd. tract. 1. c. 14. §. 2.* Hinc ob dignitatis excellentiam, & prærogatiuam, multum à legibus, & Doctorib. illis in multis casibus defertur, vt v. g. cum iusiurandum præstant, regulariter res sacras tangere non teneãtur, sed satis sit, si per cõsecrationem proprium pectus tangẽdo iurent, nisi in grauibus casibus, in quibus iure expressum est, vt Epi, & sacerdotes sacra contingant. Item vt victi in iudicio in expensis, vt DD. dicunt, non cõdemnentur, cum eorum officium sit, omnib. prodesse, & nemini velle nocere, ac proinde præsumi non debere, litem temere, & iniuste intendisse. *Sanchez. l. 3. de precept. c. 3 n. 9. Marc. Ant. Genuens. in Pract. eccles. Trieen. 24. q. 720. arg. Iason in Authen. Iubemus. C. de Iudic.* Et cum presbyteralis dignitas profanas manus excecretur; ideo præter alia priuilegia sacrosanctus Sacerdotij character fori exemptione gaudet, ne. si pro quocunque delicto, laico Iudici in illud iudicium exercere liceat, quid. n. iniquius, ait Tertulli, quam veri Dei Antistites nocentissimorum more tractari *Belletus in disq. cler. p. 1. §. 1.*

Propterea pauci, & cum delectu creandi sunt sacerdotes. Nam vt scribit. *D. Hier. ad Euagriũ Epist. 85. & habetur in c. legimus dist. 93.* Omne quod rarum est, plus appetitur. Pulegium apud Indos pipere pretiosius est, Diaconos paucitas honorabiles, presbyteros turba contemptibiles facit. Vt vitrum copia viluit, alioqui, nec auro, nec argẽto cessurum; ita sacerdotes ob turbam, & multitudinem minoris fiunt, magno in pretio futuri, si pauci forent. Videmus, ac oculis nostris pspicimus, eos paupertate pssos, & miseria conflictatos mendicando dietim victum quærere. Et quoniam Sacerdotalis ordo non propter se ipsum, & spirituale officij sui bonum quæritur, sed ob alios ẽt fines, & temporalia cõmoda, experiẽtia rerum magistra docet, Dei cultũ negligi, & ecclesiasticam disciplinã pessumire. Et cũ eorum vita despicitur, necesse sit, vt ipsorum quoq; doctrina negligatur, ideo in eorũ ordinatione Christi ecclesiæ consultius esset, Deoque acceptabilius, paucos bonos, quàm multos malos habere ministros. *c. eum sit. ext. de atat. & qualit. c. tales. dist. 23.* Porro cum manuum impositio solis Epis commissa sit, tanquam ostium per quod intrant, qui ecclesiarũ gubernaculis, & sacris ministerijs addicuntur, maxime est inuigilandum, ne qui ad aperiendam alijs ianuam regni Cœlestis vocati sunt, sibimetipsis eam claudãt, & ob malam ministrorum electionem, cum Pastor pastorum apparuerit, ab auditione mala timeãt. Postmodum cum maximi referat, quem sibi quisq; finem in omni actione constituat, ij qui sacerdotio initiari volunt, hoc sibi proponere, ac renouare debent, vt non solum Dei gloriam, & animarum salutem in omnibus quærant, sed in rãm eximio ordine, Deo in iustitia, & sanctitate seruiant, Qui. n. ad eam viuendi rationẽ se cõuertunt, vt diuitijs affluant, voluptatibus vacent, & ad honores promoueantur, nihil amplius ex suo sacerdotio consequuntur, quàm Iudas ex Apostolatus munere, quod illi sempiternum exitium attulit.

QVAESTIO LXV.

QVID SIT SACERDOTIVM, ET quotuplex.

QVæritur quid sit presbyteratus, vel sacerdotium, quotuplex sit, & quando institutũ? R. Nihil aliud est sacerdotium, quàm potestas, per quam ordinatus in presbyterum põt panem in corpus, & vinũ in sanguinẽ Christi consecrare, Deoq; sacrificium facere, ac ecclesiastica sacramenta fidelibus administrare. Porro duplex Sacerdotiũ in sacris literis describitur, alterum internum, alterũ externum; nam quod ad primum attinct, oẽs fideles postquam salutari aqua abluti sunt, Sacerdotes dicuntur,

cuntur, præcipue iusti, qui spiritum Dei habent, & diuinæ gratiæ beneficio Iesu Christi summi Sacerdotis viua membra effecti sunt, ij. n. fide, quæ charitate inflammatur, altari mentis suę spirituales Deo hostias immolant, quales sunt omnes bonæ, & honestæ actiones, quas ad Dei gloriā referunt; de quo intelligitur ille sacræ scripturæ locus. *Apoc. c.* 1. Christus lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo, & fecit nos regnum, & Sacerdotes Deo, & patri suo. Et *Dauid. Psal.* 50. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, &c. Externum vero sacedotium nō omnium fidelium multitudini, sed certis hominib. conuenit, qui legitima manuum impositione, solemnibusque sanctæ ecclesiæ cæremonijs instituti, & Deo consecrati, ad aliquod proprium, sacrūq; ministeriū ascribuntur, quod quidem tantummodo ad ordinis Sacramētum pertinet. *Catechis. Rom. de ordine.* Ipsum vero Sacerdotium in vltima Cœna institutum est, quādo Dominus Apostolos Sacerdotes ordinauit, consecrandi potestatem illis tradens, vt sicut Epi in Apostolorum locum subrogantur, ita etiam Sacerdotes Discipulorum vicem obtineanr. Conc. Trid. *sess.* 22. *de sacrificio missæ c.* 1. *& can.* 2. *& sess.* 23. *c.* 1. *Vict. de ord. n.* 226. *Barth. ab Ang. dial.* 4. *de Euch.* §. 9. *Vasquez. tom.* 3. *d.* 239. *Molfes. tract.* 2. *c.* 10.

QVAESTIO LXVI.

QVAENAM POTESTAS PER SACERDOtium confertur.

Quænam potestas per Sacerdotij ordinē confertur? R. Duplex. Altera sup Corpus Christi verum, idest non solum cōsecrandi Euchatistiā, sed ēt alijs administrandi. Altera porestas versatur super Corpus Christi mysticum .i. gubernandi populum, & ad æternam beatitudinem dirigendi, ligando, vel absoluendo tàm à censuris, quàm à peccatis, Vnde prima potestas ordinis, altera vero iurisdictionis dici solet. Idq; satis claret ex eo, qđ vt infra dicā, ordinis porestas in traditione Calicis cū vino, & patenæ cum Hostia, & debita formæ prolatione Sacerdoti tribuitur: Clauium vero potestas eidem sacerdoti cōfertur, cū illa verba ab Epo proferuntur, Accipe Spiritum sanctum, &c. Cōc. Trid. *sess.* 14. *de pœnit can.* 3. *D. Thomas in* 4. *dist.* 24. *q.* 1. *art.* 3. *Tol. l.* 1. *c.* 3. *Vgol. de Simonia tab.* 1. *cap.* 44.

QVAESTIO LXVII.

VTRVM POTESTAS CLAVIVM, VEL iurisdictionis in vltima Cœna sit tradita.

Tradidit ne Christus ēt in vltima illa Cœna Apostolis facultatem absoluendi à peccatis? R. Nequaquam, diuerso. n. actu Christus characterem quo, vt vera potestate, & qualitate intellectui infusa, eorum aīas insigniuit, post Resurrectionem extensiue perfecit, & nouam facultatē eis contulit, cum insufflauit, dicēs. *Io. c.* 20. Accipite Spiritū sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Quo tàm insigni facto, & verbis tàm perspicuis, potestatē remittendi, & retinendi peccata ad reconciliandus fideles post baptismū lapsos Apostolis, & eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, vniuersorum patrum consensus semper intellexit. Putant nō aliqui, idq; satis probabiliter, Christum Dominum in illa postrema Cęna, lōga concione, inter alia illis pdixisse, se postea hoc pœnitētię Sacramētū instituturū, eosq; docuisse, quo ritu illud administrare deberent, &c. Conc. Trid *sess.* 14 *c.* 1. *Henriq. de ordine c.* 6. *n.* 2. *Conin. de sacramento pœnit. disp.* 4. *dub.* 1. *nu.* 13. *Suarez. tom.* 4. *de pœnit. d.* 16. *sect.* 1. *&* 3. *Vasqu. tom.* 3. *dist.* 239.

QVAESTIO LXVIII.

AN SACERDOS STATIM AC EST ordinatus, à peccatis absoluere possit.

Sacerdos statim ac est ordinatus, pōt ne à peccatis absoluere? R. Non potest, cum potestate iurisdictionis non fulciatur, cum de necessitate, & essentia Sacramēti pœnitentiæ sit, nō solum vt minister sacerdotali ordine præditus sit, ut in cæteris sacramētis, sed ēt vt iurisdictione muniatur: siquidem pluries est à nobis animaduersum, duplicē esse sacerdotis potestatem, ordinis. s. & clauium. Prima est illa, quam habet super Corpus Christi, vt conficiat, Deo offerat, & fidelibus administret. Secunda est quæ super Corpus Christi mysticum confertur, vt. s. à peccatis absoluat. Prima tribuitur in traditione Calicis cum vino, & patenæ cū hostia, cum debita formæ prolatione, & intentione ministri. Secunda in prolatione illorum verborum datur, Accipe Spiritum sanctum, &c. Vnde licet sacerdotes in ordinatione de iure diuino absoluendi à peccatis claues sibi comparent, illas tamē quò ad habitum, non quò ad actum, vt DD. loquuntur, habere censentur, ac proinde hæc potestas de iure positiuo est illis interdicta, quousq; materiam nanciscantur, in quam illam exercere queant, quæ subinde in actu, & executione confertur, cum aliquo parochiali beneficio donantur, vel cum ratione alicuius priuilegij in confessores eliguntur, vel quando ab Epo ad excipiendas fidelium confessiones approbantur. *c. adycimus.* 16. *q.* 1. *Conc Trid. sess.* 23. *c.* 15. *Abbas in c.* 1. *tit. de Simonia Conar. l.* 1. *var. resol. c.* 10. *nu.* 11. Quò fit, vt si simplex sacerdos absq; iurisdictione, & Epi-

& Episcopi approbatione absoluat, non solum animam lethali vulnere sauciet, sed & absolutio ipsa inualida sit, & hic Bononiæ suspensionis pœna, & alijs mulctis ordinarij arbitrio afficiatur.

QVAESTIO LXIX.

IN QVIBVS CASIBVS SACERDOS NON approbatus à peccatis absoluere valeat.

DAtur ne casus, in quo sacerdoti ab ordinario non approbato à peccatis absoluere liceat? R. In tribus casibus absolutionis beneficium impendere ei integrum erit. Primo in mortis articulo, in quo quilibet simplex sacerdos & excommunicatus, aut degradatus absentib. his, qui aliàs ægrotum audire possent, ex ecclesiæ concessione sufficientem habet iurisdictionem ab omnibus casibus absoluendi. Conc. Trid. *sess.* 14. *c.* 7. Quæ dispositio ad exules (vt dicunt) diffidaros, & & ad illos, qui apud Turcas iniuste detinentur extenditur, cũ & ij in mortis articulo cõstituti dicantur. Et hæc gñalis assertio adeo vera est, vt pœnitens sic directe absolutus si conualescat, ea peccata secũdo confiteri non teneatur, nisi illa, vel casus reseruati annexam excommunicationem inuoluerent, tunc. n. si incolumis effectus, & cessante impedimẽto se superiori præsentare non studuerit, in eandem speciẽ censuram, ob contumaciam incidet, iuxta. *c. eos. de sent. excom. lib.* 6. Si tñ virtute alicuius Bullæ, vel priuilegij absolueretur, & post absolutionem non moreretur, non teneretur secorã superiori sistere. *Suarez. tom.* 4 *disp.* 30. *sect.* 3. Absolutus etiam à Põtificia excõmunicatione morbo perpetuo, & incurabili laborans, qui ipsum ab itinere ad Apostolicã sedem excusabat, si postmodum miraculosè (vt DD. loquuntur,) cõsanescat, ad vrbem mittẽdus nõ est, qa per illã miraculosam gratiã oĩs obligatio se corã superiore sistendi sublata videt, vt ait. *Syl in v. absolutio.* 4. *n.* 3 *casu vlt. Nald. v. absolutio à cens. n.* 18. *& in gñe Nau. c.* 26. *n.* 27. *Tol. l.* 1. *c.* 15 *Sãchez. l.* 2. *de precept. c.* 13. *Graff. cõs.* 15. *de pœnit. & remiss. Beia p.* 3. *casu.* 2. *Viu. de absolut. n.* 64. *Hẽriq. de pœnit. c* 9. *Reginal. l.* 1. *c.* 58. Aduertendum tñ, sacram Card. Congreg. censuisse, simplicem sacerdotem, si non sit approbatus ab Episcopo ad audiẽdas confessiones, non posse valide à peccatis mortalib. absoluere pœnitentem, in mortis articulo constitutum, vbi citra mortis periculũ, sacerdotis approbati copia haberi potest, & multo minus, si adsit Parochus paratus moribundi confessionem audire, quæ sententia à nonnullis temperatur, quando pœnitẽs ob iustã causam nollet ipsi Parocho, vel alteri admisso sacerdoti cõfiteri. *Zerula in praxi pœnit. c.* 15. *q.* 6. *Leonar. Duard. in Comment. in Bulla Cœnæ Dñi l.* 3. *§.* 2. *q.* 2. *num.* 25. *Sanchez. l. c.*

Secundo à culpis venialib. cuilibet sacerdoti integrum est absoluere; cum indubitata sit apud Doctores positio, peccata venialia nõ esse necessariam Sacramenti pœnitentiæ materiã, nec sub præcepto confessionis cadere. Conc. Trid. *sess.* 14. *c.* 5. *Sot. in* 4 *sent. dist.* 18. *q.* 1. *art.* 3. *Vict. de confessione. num.* 128. *Graffius l.* 1. *decis. aur. l.* 1. *cap.* 10.

Tertio eadem ratione idem dicẽdum est de peccatis mortalib. à quib. quis semel directe fuit absolutus, communis est namque sententia, quemlibet sacerdotem nulla censura impeditum ab vtroq; hoc peccatorum genere ex ecclesiæ concessione valide absoluere posse. *Io. Medina C. de confessione. q.* 36. *Suarez. tom.* 4. *disp.* 26. *sess.* 5. *Val. tom.* 4. *disp.* 7. *q.* 10. *puncto* 2. *Henriq. de pœnit. c.* 5. *n.* 4. *Graffius cons.* 12. *n.* 15. *tit. de pœnit. & remiss. Conin. disp.* 8. *dup.* 2. *n.* 17 De qua re infra suo loco dicemus.

QVAESTIO LXX.

QVOD SIT SACERDOTIS OFFICIVM.

QVod est sacerdotis officium? R. Multiplex. Primo Corpus Christi cõficere, & eius sacrificium tàm pro viuis, quàm pro defunctis offerre. Secundo esse intercessorem inter Deum, & homines, horas canonicas pro illis apud ipsum Deum fundẽdo. Tertio si est Parochus, diuinã legem, & christianam disciplinam docere. Quarto Sacramenta, quæ ad illum spectãt, prõpte administrare; ob hoc supra annotauimus, hãc vocẽ sacerdos idẽ significare, qđ sacrã dotem, sacra dãtem, sacrum ducem, sacra docentem. *Conc. Colon. de ordine. Tol. l* 1. *c.* 3. *Fornar. de ord. c.* 7. *Vgol. de Simonia tab.* 1. *c.* 44. *Besseus de sacerdotio lib.* 1. *cap.* 4. *Phaliarcus. de offic. sacerd p.* 1. *in princ.* Cuius officij originẽ, excellẽtiam, & fructum ostendit quoq; *Apost. ad Heb. cap.* 5. dicens, Omnis Põtifex ex hominibus assumptus pro hominib. cõstituitur in his, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis. Quæ verba non solum nobis sacerdotij rationem indicant, cur olim institutũ sit, nempe vt offerat sacrificium Deo, verum etiam huius sacrificij finem, & fructum, qui est per sacrificiorum oblationes sibi, & alijs gratiæ infusionem, & peccatorũ remissionem à Deo impetrare, culpas auertere, & virtutum semina inserere. Vnde & stola per modum Crucis composita significat, sacerdotẽ debere carnis superbiam terere, & alios ad Crucem ferendã exemplo suo hortari. Casula vero siue planeta eius charitatem designat, siquidem charitatis sacramentum hoc est sacrosanctam Eucharistiam consecrat, & ex officio fidelibus ministrat. *Gab. Paleot. in Arch. Bonon par.* 7. *serm.* 5. *Vasquez. tom.* 3. *d.* 236. *capit.* 9. *Scortia l.* 2. *cap.* 10. *Molfes. tract.* 2. *capit.* 10. *numer.* 34. *&* 37.

CAP.

CAP. IX.

QVAESTIO LXXI.

QVALIS ESSE DEBEAT AD SACERDOtium promouendus.

QValis debet esse qui ad presbyteratũ promouendus est? R. Quæ in minoribus constitutos, Subdiaconũ, ac Diaconũ habere oportet, eisdem potiori ratione sacerdotes futuri muniti esse debẽt; proinde ad superiores articulos ipsum sacerdotem remitto, in quibus inueniet, ordinandum in primis salutari aqua ablutum esse debere, sacro chrismate delibutum, prima tonsura initiatum, sua peccata idoneo sacerdoti cõfessum, bonis moribus inbutum, legitime natum, in ætate debita constitutum, competenti scientia præditum, anteriorib. ordinibus insignitũ, in illis fuisse exercitatum, &c. quę ibi demonstrátur. Si Dei locum in terra sacerdotes tenent, si eiusdem mysteriorum dispensatores sunt, si Angeli in hoc mundo, si Christi ministri, ecclesiæ ipsius Principes, populi Doctores, animarum gubernatores: Si inquam de Sacramentis disponunt, religionem dirigunt, fidem tractunt, sacrificia offerũt, Crucis mysterium representant, missam celebrant, quæ omnis legis veteris complementum est, ac perfectio, verum passionis memoriale, & rerum omniũ altissimum; vobiscum dispicite, et quæ illis dispositio sit necessaria, priusquam ad tam augustum ordinem suscipiendum, & sacrificium celebrandũ accedant, cuius quidẽ ne Angeli quidem digni possũt esse ministri. Vnde *D. Dionysius de ecclesi. hier. cap. 3.* Ad sanctissimum euntes, inquit, sacrificium, mũdari conuenit ab ipsis vltimis phantasmatibus. i. cogitationib. quæ in sacerdote mundæ, ac sãctæ sint. *D. Ambros. ad Irenaum l. 1. Epist. 6.* Pythagoricum, ait mandatum in aliquorum scriptis prædicari inuenimus, quo ille discipulos suos cõmunem, atq; vsitatã populo prohiberit ingredi viam; sed hoc vnde assumpserit, nõ est incognitũ, legerat præceptũ Moysi, vt montẽ cum sacerdotibus ascenderet, populus autem deorsum staret. Separauit igitur sacerdotes à populo, & postea ipsum Moysen introire intra nubem præcepit. Vides diuisiones, nihil in sacerdotib. plebeium requiri, nihil populare, nihil cõe cum studio, atq; vsu, & moribus incõditæ multitudinis. Sobriam à turbis grauitatem, seriam vitam, singulare pondus, dignitas sibi vindicat sacerdotalis, &c. Certe non sacerdotalis ordo, sed merita vitæ Deo commendant, sic testante. *D. August. Epist. 148. vel. stein c. ante oĩa. dist. 40.* Ante omnia peto, vt cogitet religiosa prudentia tua, nihil esse in hac vita, & maxime hoc tempore facilius, ac lætius, & hominib. acceptab. lius, Epi, aut Presbyteri, aut Diaconi officio si perfunctoric, atq; adulatorie res agatur; sed nihil apud Deum miserius, tristius, ac damnabilius. Itẽ nihil esse in hac vita, & maxime hoc tempore difficilius, laboriosius, periculosius Epi, aut Presbyteri, seu Diaconi officio, sed apud Deum nihil beatius, si eo modo militetur, quo Imperator noster iubet. Quis autẽ sit iste modus, nec à pueritia, nec ab adolescentia mea didici, & eo tempore, quo discere cœperam, vis mihi facta est merito peccatorũ meorum, nam quid aliud existimen nescio, vt secundus locus gubernaculorum mihi traderetur, qui remum tenere non nouerã. hæc ille. Tridentini vero Patres. *sess. 23. c. 14.* De ad presbyteratum euehẽdis sic loqũtur, Qui pie ac fideliter in ministerijs ante actis se gesserint, & ad presbyteratus ordinem assumuntur, bonum habeant testimonium: & hi sint, qui nõ modo in Diaconatu ad minus annum integrum, nisi ob ecclesiæ vtilitatem, ac necessitatem aliud Epo videretur, ministrauerint, sed ẽt ad populum docẽdum ea, quæ scire omnibus necessarium est, ad salutem, ac ad administranda sacramenta diligenti examine præcedẽti, idonei comprobentur, atq; ita pietare, ac castis moribus cõspicui, vt præclarum bonorum operum exemplum, & vitæ monita ab eis possint expectari.

At Catechismus Romanus de ordine, in eo qui sacerdos creandus est, requirit, vt vitæ, & morũ integritas in eo magnopere commẽdetur. Deinde ea cognitio exigitur, quæ ad sacramentorum vsum, & tractationem pertinet; sed ẽt sacrarum literarũ sciẽtia ita instructum esse oportet, vt populo christianæ fidei mysteria, & diuinæ legis præcepta tradere, & ad virtutem, ac pietatem excitare, nec nõ à vitijs reuocare fideles possit. Et inter alia perfectionis cõsilia, quibus sacerdotes eminere debent, est obediẽtia suis Prelatis, omnibus Decretis, & ecclesiæ canonibus in his exhibenda, quæ ad ipsorum personas, officia, ac ministeria spectant, in administratione. s. sacramentorum, in missæ celebratione, & in horis canonicis legendis, & in cæteris rebus, quæ ad eorum statum pertinent; omnes. n. tenẽtur scire leges, & ordinationes ad se spectantes, easq; magna perfectione exequi, cum earum omniũ in die iudicij exactissimam rationẽ reddituri sint. *D. 7 hom. in supplem. ad 3. p q. 36. ar. 1. Lud. de P. n. 4. tr. 1. c. 12. Gisbert. de eccles. vita cap. 56.* Lucere ergo in sacerdotum vita doctrinam, religionem, innocentiam, omnesq; christiano homine, ac vero factorũ Antistite dignas virtutes oportet, vt vnde vitæ, ac salutis præcepta hauriuntur, inde exempla perantur. Item sacerdotij munus quod à Deo eis tributũ est, perpetua memoria colere debent, & cum sæpe aliàs illud mente piè repetere, tũm eo potissimum die, quo sacerdotes creati sunt, quotãnis missæ sacrificio oblato, accepti muneris gratiam sancte, ac religiose testari.

QVAE-

QVAESTIO LXXII.

AN DEFECTVS SCIENTIAE PROMOuendum in sacerdotem irregularem reddat.

AN defectus scientiæ, quam in ordine sacerdotali Concilium Tridentinum, & Catechismus Romanus requirit, reddat promouendū irregularē, ita vt nec ordinari, nec in suscepto ordine ministrare possit? R. *Nau. c. 27. n. 205. Aula p. 7. disp. 4. dub. 4. & Bonac. de Irreg. q. 2. pu. 1. n. 2.* affirmare videtur, nihilominus negatiua pars verior, & cōior cēsetur, vt per *Sayr. l. 6. c. 14. n. 8. Henriq. l. 14. c. 8. §. 11. in littera A. Reginal. l. 30. tr. 2. n. 36. Vgol. de Irreg. c. 3. §. 1.* Vnde dico Primo, illum, qui prædicta scientia destitutus est, lethaliter delinquere, qa in se grā. ui ecclesiæ præcepta violat; sicut etiam eadem culpa illi inficiuntur, qui talē approbant, & Episcopus ordinans. In cuius ignorantiæ vitium illud locū habet, quod ait Comicus,

Homine imperito numquam quispiam iniustius,
Qui nisi quod ipse facit, nihil rectum putat.

Secundo qui absq; scientia hac ordinem sacerdotalem suscipiunt, characterem recipiunt, quandoquidem scientia ad Sacramenti essentiam non exigitur.

Tertio si omnino sint ignari, vt officium in ordine susceptum exercere nequeant, irregulares erunt, Iurinamq; naturæ repugnat, vt quis munus exerceat, quod ignorat. Proinde si in ordinū vsu de aliqua irreuerēria periculum subsit, sub mortalis peccati reatu ab illo abstinere tenētur; cū naturalis ratio dictet, diuina reuerenter, digneq; administrāda esse. *Suarez. tom. 5. d. 51. sect. 1. Vasq tom 3. d. 246. Riccius in praxi fori eccl Decis. 311. Molfes tract. 2. c. 13. Companil. in Diuers. Iur. can. Rub. 11. c. 14. Vide qua diximus. tr. 1. d. 9. q. 45. & seq.* Quib. addo, sciētiā, & rerum peritiam maxime sacerdotib. cōgruere, ita vt qui ab eis scientiam repellit, publicam vtilitatem in Dei ecclesia excludat, ut ait. *Ant. de Butrio cons. 42. & Abb. in cons. 63. ac Tusch. v scientia concl. 58.* Et subdunt, relictum factum religioso, uel beneficiario pauperi pro studio, & pro libris, diuinū cultū respicere, & propterea de non residēdo dispēsationem dari; intelligendo tamen quod dispensatus super perceptionem fructuum in absentia, licet distributiones percipiat, quæ cōi nomine de massa grossa appellantur; attamen quotidianas distributiones minutas non lucratur, quæ ratione personalis seruitij interessentibus dantur, ut ait. *Calder. cōs. 221. & Grat. in For. Discept. c. 166.*

QVAESTIO LXXIII.

QVAM POENAM SVBIT, QVI SINE legitima ætate sacerdos ordinatur.

QVid si qs ordinaretur sacerdos legitima ætate carens, ut si 25. annum inceptum nō ageret, incurreret ne aliquam pœnam? R. Absq; dubio si scienter hoc faceret, mortaliter peccaret, & suspēsionis pœna afficeretur, & si in huiusmodi suspēsione irretitus celebraret, irregularitatis labem cōtraheret, ut sæpius in superiorib. articulis animaduertimus ex *const. Pij. I I. incip.* cum ex sacrorum.

Si quis tñ ante legitimā ætatem sacerdotio initiaretur, non irregularis efficeretur, eo quod cū Epo in ipsa ordinatione consecret, siquidem ecclesia pro prima missa illam tantum reputat, quam sacerdos per se ipsum postmodum celebrare solet. *Henriq. l. 14. de Irreg. c. 3. §. 6. Sayrus l. 4. c. 16. n. 24. Medina in Instruct. & Confess. l. 1. cap. 11. §. 8. Nald. in ver. Sacerdos.*

QVAESTIO LXXIV.

AN SVSCIPIENS SACERDOTIVM IN mortali peccato constitutus, vel censura innodatus gratiam, & characterem recipiat.

AN suscipiens sacerdotium mortali culpa infectus, vel censura innodatus lethaliter peccet, recipiat gratiā, & characterē, &c? R. Dico Primo in mortali existentem, & ligatum maiori excōmunicatione nouo scelere se obstringere, si sciēter, uel cū ignorantia crassa, uel affectata, sacerdotalē ordinē suscipit, & insup irregularitate irretiri, nec eum iuris ignorantia excusabit, hoc est, qui sciens se excōicatum esse, huiusmodi ordinem recipit, quamuis per hoc irregularitatem incurri ignoret, irregularis tñ erit. Attamen propter suspensionem, uel interdictum ipsam irregularitatem nō contrahet, cū id nullo iure sit expressū, & huiusmodi pœna ultra casus expressos nō extēdatur, nec ordinis susceptio sit ordinis functio, &c. Secundo dico, gratiam quidem nō recipi, cum obex apponatur, sed bene characterem, in anima imprimi, siquidem ex Theologicis placitis supponimus in tribus Sacramētis, nēpe baptismo, cōfirmatione, & ordine, gratiā nō dari sine charactere, nihilominus characterē sine gratia in anima imprimi; qui. n. lethali culpa infectus est, Sacramentum suscipiendo nō quidem gratiam cōsequitur, sed ipsum characterem recipit. *Henriq. l. 14. c. 6. §. 4. Sayrus. l. 7. cap 10. n. 14. Bonac. disp. 7. quæst. 3. puncto. 4. Molfes. tract. 1. cap. 8. num. 31.*

QVAESTIO LXXV.

QVAENAM SIT SACERDOTII MATERIA, & forma. & quando character imprimatur, &c.

QVænam est materia, & forma sacerdotij, & quando nam character imprimitur? R. Materia in illo, qui sacerdotio initiatur, integra ex præcepto

cepto est traditio Calicis cũ vino, & patenæ cũ Hostia: Sic.n. Christus in vltima Cœna statuit, tradẽdo Calicem, &c. traditio tñ Calicis cum altera specierum tãtum sufficiens materia esse videtur, ita vt si ex obliuione id contigerit, hic ordo non sit ex necessitate iterandus; nam vt postea dicemus, sub vna specie tãtum adest totum Corpus, & sanguis Christi, & ipsius mors, & Crucis sacrificium repræsentatur, quamuis non ita explicite, nec cum perfecto refectionis signo, sicut dum vtraq; species simul cõsecratur, & sumitur. *Henriq. de ordine c.6.n.1. Barth. ab Ang. dial.4. de sacr. Euch.* §. 352.

Forma vero sunt illa verba, quę Ẽps profert. Accipe potestatem offerẽdi sacrificium Deo, missasq; celebrandi, tàm pro viuis, quàm pro defunctis, quibus prolatis, simul cũ contactu materię, paulo ante, aut post verba ordinantis, character in anima sacerdotis imprimitur. Et licet aliqui asseruerint, nõ necessario requiri, vt calix qui in ordinatione Subdiacono, & Presbytero porrigitur, debeat esse cõsecratus, quia iura, & Concilium Tridentinum hoc nõ exprimũt, imò vero in nulla alia materia Sacramẽtorum est necessaria consecratio, nisi in cõfirmatione, & extrema vnctione, quas solus Ẽps sacrat, ac religiosas facit: Opposita tñ sententia tutior est, & in praxi magis recepta, nempe debere esse consecratũ: attamen post factũ priori sententiæ quis tuto acquiescere potest. *Turrecrem. & Praepositus in c. per lectis, dist. 25. Syl. in v. ordo 2. q. 4. vers. 3. Fornar. de ordine. c. 2. nu. 7. & pleriq; alij, ut Molfes. tr. 2. c. 8. n. 23. Vide supra tract. 3. cap. 8. q. 70. & tract. 4. c. 3. q. 19.*

QVAESTIO LXXVI.

AN IN POTESTATE CLAVIVM materia, & forma detur.

Datur materia, & forma, in ea posteriori sacramenti parte, in qua potestas super corpus Christi mysticũ datur? R. Manuũ impositio, q̃ Ẽps adhibet, materię locum obtinet, & verba Accipite Spiritum sanctum, formæ vicem habent.

Quod si sacerdos, vel Parochus ab Episcopo ob morbum deficiente, vel obliuiscente, priorem tantũ potestatẽ accepit, & aliquos vel subditos absoluere conatus fuerit, absolutio inanis, & irrita erit, cum necessaria ordinis potestas desit, quæ per prædictã formam cũ manus impositione conferri solet; proinde curandum erit, vt huiusmodi potestatis collatio tanquam ad absoluendum essentialis, per alium Episcopum suppleatur. Hinc patet, Primo sacerdotis ordinationem duabus partibus essentialiter requisitis cõstare, & per vnam quamq; nouam supernaturalem potestatem infundi; quare etiã omnino credendum est, per vtramq; Sacramentalem gratiã conferri, siquidem quãdo ordinato absoluendi facultas conceditur, simul & Spiritus sanctus, siue Sacramentalis gratia datur; atqui cũ consecrandi potestas in eo longe sit excellentior, cumq; hæc prius perfecte tradatur, non est credendum, subinde non donari gratiam, quæ suscipiẽtem ad tñ munus digne disponat. Secũdo cõstat, consecrandi potestatẽ perfecte conferri independenter à potestate remittendi peccata; quia non solum prius absolute ordinato datur, sed hic etiam ea vtitur, consecrando cũ Episcopo, priusquam illam accipiat. Contra uero cõiter DD. asserũt, facultatem absoluendi inualide ei conferri, qui sacra faciendi prius potestatem non recepisset. *Sot. in 4. dist. 24. q. 1. art. 4. Henriq. d. c. 6. Bellarm. de ordine c. 9. Maiol. de Irreg. l. 4. c. 15. Conin. de ord. disp. 20. dub. 7. n. 61. Reginal. l. 30. tr. 1. c. 4. n. 21. Fernãdes in Theol. mor. p. 3. c. 11. §. 5. Molf. l. c. c. 10. n. 31. Comitulus in respons. mor. l. 6. q. 43.*

QVAESTIO LXXVII.

AN IRREGVLARIS FIAT QVI SINE manuum impositione ordinatus aliquem absoluit, & celebret?

Dubitatur, an sacerdos absq; manuum impositione ordinatus, in qua, vt diximus, audiẽdi confessiones potestas datur, si aliquẽ absoluat, irregularis fiat, & an eandem pœnã subeat, si celebret? R. 1. q. Affirmatiue, cũ ministret in ordine, quẽ nõ habet. *Maiol. l. 4. cap. 13. nu. 8.* Ad Secundã q. dico, qđ & si ex *c. 2. de cler. non ord. minist.* irregularis esse videatur, qui sine manuum impositione celebrare ausus fuerit, ab illa tñ reuera immunis est, q̃a canõ ille de mero Diacono loquitur, hic autẽ de quo agimus, est vere sacerdos quò ad primariam eius potestatem, & ideò ministerium exercendo irregularis non efficitur, tùm quia hæc pœna in iure nõ exprimitur, tùm quia ratione huius muneris ille defectus accidẽtarius est. *Suarez. tom. 5. disp. 42. sect. 4. n. 13. Squill. de oblig. cler. p. 6. n. 65. & alij cõiter.*

QVAESTIO LXXVIII.

QVINAM RITVS, ET VESTES IN ordinatione sacerdotis adhibeantur.

Quinam sunt ritus, & quænam vestimẽta, quę in ordinatione sacerdotis adhibẽtur? R. Ẽps in huius ordinis potissimũ collatione duo facit. Primo pparat ordinãdos ad ministerij susceptionem, eos de proprio officio instruendo. Secundo aliquid operatur, vt ad potestatem accipiẽdam idonei sint, Quæ quidem actio in tribus maxime cõsistit, videlicet, in benedictione, manꝰ impositione, & vnctione. Per benedictionẽ diuinis obsequijs homo mancipatur

cipatur, ideo omnibus initiandis datur. Per manus impositionem gratiæ plenitudo confertur, per quã ad magna officia idonei redduntur; proinde solis Diaconis, & sacerdotibus manus imponũtur, quia eis sacramentorum administratio competit; quamuis vni vt pricipali, alteri vt secũdario ministro conueniat. Vnctione ad aliquod Sacramẽtum tractandum cõsecrant, propterea ipsi sacerdotes inunguntur, quia proprijs manibus Corpus Christi tangũt; Sicut & Calix vngi solet, qui sanguinem, & patena, quæ corpus continet.

Porro ad presbyteratum euehendus cum pro ordine suscipiẽdo ad Episcopum accesserit, in primis secum defert amictum, qui fortitudinem ad diuina officia exequenda significat. Secundo albam, puritatẽ vitæ designãtẽ, qua sacerdos futurus clarere debet. Tertio cingulum, quod carnis repressionem indicat. Quarto manipulum, bonorum operum copiã denotantem. Quinto stolam in vtroq; humero, quę obedientiam, & patientiam innuit, quibus iugum Domini perferri debet, quam ipse sacerdos commu niõnẽ et sumpturus, siue sanus, siue infirmus habere debet, per ipsam enim sacerdotalis habitus designari dicitur, iuxta illud commune assertũ, Ensis militem, cuculla monachum, stola sacerdotem indicat. Sexto casulam gestat, quæ charitatem diuinæ legis perfectionem demõstrat &c. *Alph. Torres. de Instit. Sacerd. cap. 1. num. 21. Tol. l. 2. cap. 2. Io. à S. Gemin. l. 9. de similit. c. 9. Gisbertus de vita eccles. c. 117. Scortia. de sacr. missa. l. 2. c. 8. De quibus etiã infra suo loco dicemus: cap. 15. q. 232.*

QVAESTIO LXXIX.

QVID SIT EVCHARISTIAE SACRAMENtum, cur institutum, & quãdo & cur sub velamine, & sub panis, & vini speciebus sumatur?

CVm principalis sacerdotis actus sit, Corpus Christi consecrare, & missę sacrificium Deo offerre, ideò quæritur, quid sit Eucharistiæ Sacramẽtum, quare institutũ, & quãdo, & cur sub panis, & vini speciebus sumatur? R. Est Sacramẽtum, quo sub specie panis, & vini, vel alterius earum, verum corpus, & sanguinem Iesu Christi, cum anima, & diuinitate continet, quo homo in vita spirituali nutritur. *Sot. in 4. dist. 8. q. 1. art. 1. Nau. c. 22. §. 10. Tol. l. 6. c. 12. vict. de Euch. num. 52. Domit. Chamerot. de Euch. tr. 4. cap. 4.* In hos potissimum quatuor vsus à Christo instituta est, Primo vt mortis, & passionis eius esset quoddam monimẽtum. Secundo in argumentum feruentissimi amoris Christi erga nos, discessurus. n. ex hoc mundo ad Patrem, se ipsum in pignus dilectionis reliquit. Tertio vt quotidie in promptu nobis esset sacrificiũ, quod Deo Patri omnipotenti in culpatum nostrarum expiationem offeremus. Quartò vt spiritualem cibum animas nostras reficiẽtẽ haberemus. Nã sicut corpus cibo materiali indiget, quò in vita sua sustentetur; ita animæ spirituali hoc cibo opus est, quò in vita gratiæ cõseruetur, ac augeatur. *Clem. 1. de reliq. & ven. Sanctorum. Conc. Trid. sess. 13. c. 1. & 2. D. Thomas 3. par. q. 73. art. 1. vbi Suarez. in Comment. Molfes. tr. 3. c. 1. Lud. de Ponte de christ. hominis perfect. tom. 4. tr. 2. c. 4.*

Quod attinet ad institutionem, omnes maiores nostri, qui de hoc sanctissimo Sacramento disseruerunt, aperte professi sunt, illud in vltima Cœna à Redemptore nostro institutum esse, cum post panis viniq; benedictionem, se suum corpus, ac sanguinẽ ipsis præbere testatus est. Nec est improbabilis eorum sententia, qui tenent in illa cœna se ipsum mãducasse, licet ipsa illa esca non egeret, sed vt alijs sumendi exẽplum præberet, &c. *Gloss. in c. nec Moyses. de cons. dist. 2. Sotus. in 4. dist. 12. q. 2. art. 1.* Vnde etiam si Christus Adamo non peccante, humanam carnem induẽdus fuisset, probabile est, Eucharistię Sacramentum, & sacrificium instituendum fuisse, siquidem hoc, & illius status perfectioni; & summo Christi in homines amori cõuenientissimũ extitisset, nec vllam indecẽtiam, aut imperfectionem inuoluisset: ex quo ẽt consequitur, eo casu ordinis Sacramentum futurum fuisse, quia tanti mysterij ministros omnino decuisset, simili aliquo ritu cõsecrari, & ad tantum officium eleuari. *Suarez. in 3. part. disp. 3. sect. 2. Coninch. q. 61. art. 2. n. 7.*

Cur vero nõ corporis oculis subiectus, sed potius sub specierum velamine visum, fallens esse voluerit, quadruplex affertur ratio. Primo propter meriti fidei nostrę conseruationem, quia si in propria specie se nobis exhiberet, ipsius fidei merito careremus iuxta illud Theologicum proloquium, Fides nõ habet meritum, vbi humana ratio præbet experimentũ. Sic. n. D. Ludouicus Gallię Rex, cũ in lecto morbo conflictatus decumbens rogaretur, vt elegantissimum puerum in manibus sacerdotis, Hostiã consecratam eleuantis, cerneret, pie respondit, Qui non credit, vadat, ego credo, christianæ fidei meritum amittere nolo. Siquidẽ inter religionis nostræ mysteria, quod maxime absconditum est, nostrosq; effugit sensus, est sanctissimũ Eucharistiæ Sacramentum, in quo sub accidentib. mira ratione cum corpore, sanguine, anima, & diuinitate se operit Christus, tanquam instrumẽtum, verbum illud sacerdotis adhibens, quod super panem, & vinum in ipsius persona profert, sicq; manna abscõditum confectũ manet, vt saturitatem, ac refectionẽ cum ineffabili dulcedine, & suauitate suis electis præbeat. Secundo Christus in hoc Sacramento latet, eo quod oculi nostri in hac mortali uita tantam gloriam ex eius corpore manantẽ aspicere nõ potuissent, siquidem visus

visus nostri imbecillitas instar est noctuæ solem videre non valentis: & notum est, excellens sensibile sensum corrumpere, &c. Prout & Apostoli in Christi Domini transfiguratione in terram fulgore perculsi ceciderunt. *Marci c. 9.* Tertio ob nostram indignitatem: nam ob peccata nostra non meremur, vt tantam eius gloriam sine velo aspiciamus. Quarto propter horrorem, refugit. n. humanus sensus carnem, & cruorē viui hominis edere, & bibere. Hinc cum Dominus noster dixisset, Nisi manducaueritis meam carnem, & biberitis meum sanguinē, &c. aliq subinde intulerūt, Durus est hic sermo, quis potest eum audire? *Ioannis. 6. Viguerius in Institut. Theolog. c. 6. §. 3. vers. 6. Thom. Bozius. de sig. ecclesia. tom. 2. l. 14. c. 7. Daur. in flor. exemp. tom. 3. tit. 2. c. 5. Gloss. in c. semel. de consec. dist. 2. Algerus. lib. 1. de Sac. alt. capit. 7. Scort. lib. 1. capit. 4.*

QVAESTIO LXXX.

CVR HOC EVCHARISTIAE SACRAMENTUM varijs nominibus appelletur, &c.

CVr hoc Sacramentum dicitur Eucharistia, atque alijs eximijs nominibus percensetur? R. Varia habentur huius Sacramenti nomina, eius dignitatem, & fructus indicantia. Vocatur. n. Primo græce Eucharistia, hoc est bona gratia, ab eu, quod est bonū, & charis, quod est gratia, quia Christum omnis gratiæ fontem, & originem continet. Secundo dicitur synaxis, quia sicut corporalis cibus omnibus membris, ad quæ defertur, maxime coniūgitur: sic per hoc Sacramentum non solum cum Christo capite, sed cum omnibus eius spiritualib. membris in vnum redigimur, idem sapientes, dicentes, & volentes, atq; etiam nostra in necessitate communicātes. i. cōmunia facientes; vt. n. ex multis granis vnus panis conficitur: sic ex multorum voluntate, & consensu communio, & concordia conflatur, quibus ita paruæ res crescunt, vt contra maximæ dilabuntur. Hinc olim in usum inductū erat, vt qui se arctissima amicitia conglutinare volebant, eandem in se Hostiam sumendam diuiderent, vt aduertit. *Sotus in 4. dist. 8. q. 1. art. 4. Vide infra tract. 14. cap. 2. q. 6.* Tertio viaticum nuncupatur, eo quod in via sustentat, quousq; ad prestiturum terminum perueniamus: & ad Cœlestem patriam iter præbet, quo nomine viā vniuersæ carnis ingressuri eo muniri solent. *D. Ant. 3. p. tit. 14. c. 12. Sot. l. c.* Quarto appellatur sacrificium, quia in ipso Christi Passio, & mors repræsentatur: Insuper Hostia, quandoquidem in se Christū cōtinet, qui in ara Crucis se ipsum Hostiam viuentem pro nobis obtulit. *c. nihil. de cons. dist. 2. Catech. Rom. de Euch. Viguer. de Euch. cap. 16. §. 3. vers. 10. Zecchius. item de Euch. capit. 1.*

CAP. X.

QVAESTIO LXXXI.

EVCHARISTIA AN VNVM TANTVM sit Sacramentum.

CVm Eucharistiæ Sacramentum Christi Corpus sub speciebus panis, & vini contineat, & ex consequenti duas materias complectatur, & formas, quæritur, vtrum vnum sit Sacramentū, an plura? R. Est vnum Sacramētum integrale, & perfectū, quod ex illis duabus rebus perficitur; sicut homo ex multis membris compingitur, & domus ex fundamento, parietibus, & tecto cōstat; ordinatur namq; hoc Sacramentum ad vnam refectionem, corporali nutritioni similē, quæ ex sicco cibo, & humido potu constituitur. Qua et ratione Eucharistia Sacramētum geminæ rei dicitur, siquidem per hoc Christi Passio mystice refertur, in qua sanguis à corpore seiūctus fuit. Hinc sequit, vt aliàs dixi, de fide certū esse, prolata forma corporis, ex vi verborū sub specie panis tm̄ effici Christi Corpus, ex naturali aūt, vt vocant, concomitantia, sanguinem, & Iesu Christi Domini diuinitatem cōsequi. In prolatione autem formæ sanguinis, ex vi verborum sanguinē sub specie vini fieri, sed ex naturali coniunctione, corpus, animam, & diuinitatem contineri. *c. cum Marthe. ext. de celeb. miss. D. Thomas in 4. sent dist. 11. art. 1. q. 1. Alex. de Ales. in 4. parte summæ. in tr. de Euchar. Catechis. Rom. de sacr. Euchar Suarez. tom. 3. d. 39. sect. 3. & 4. Vasq. tom. 3. d. 168. Reg. l. 29. num. 6. & seq. & num. 37. Bonac. de sacr. d 4. q. 3. par. 3. nu. 16. Molfes. tract. 3. capit. 1. numer. 12.*

QVAESTIO LXXXII.

QVAENAM SIT EVCHARISTIAE materia?

QVenā est materia Sacramēti Eucharistiæ? R. Duplex, vt dictū est, materia huius Sacramēti constituitur, altera panis, & altera vini vitis aqua admixti, & conuenienter sub his speciebus hoc Sacramētum institutū est, vt Primo significaretur, Christum esse cibum perfecte eos reficientem, q sacramentaliter, & spiritualiter manducāt, perfecta. n. refectio non ex pane tantum, nec solum ex vino, sed ex vtroque constituitur. Secundo hæc duo panis, & vinum, communius habentur, & generatim eis omnes homines vtuntur. Tertio panis inter alia magis nutriendi virtutem fortitus est; in cuius rei signum eius comestio fastidium, sicut alij cibi non generat, vt proinde hæc esca humanæ naturæ ex medicorum sententia accommodatissima

N fit.

sit. Et sicut vinum præ cæteris potibus hominem lætificat, eiq; vires suppeditat, iuxta illud poeticum,

Vt pellant homines curas, Dy vina dederunt.

Vt merito Plautus tristi homini, & mœsto bibendū moneat, & *Cicero in 3. Tusc. qq.* calicem mulsi dandum esse dicat nescio cui, vt plorare desinat, &c. *Viguer. in Institut. Theolog. de Euch. cap. 16. §. 3. vers. 18.* Sic hoc Sacramentum spiritualiter reficit, sustẽtat, ac roborat. In cuius rei confirmationem regius vates cecinit, Panis cor hominis confirmet, & vinū lætificet cor hominis. *Psal. 103.* Cognouit, & Homerus cibum, & vinum, vires, animumq; præbere. dum in 9. Iliados ait,

Nunc quidem dormite delectati dilectum cor
Cibo, & vino, hoc enim robur est, & fortitudo.

A quo Virgilius videtur illud fuisse mutuatus. *lib. 1. Aeneid.*

Tum victu reuocant vires, fusiq; per herbam,
Implētur veteris Bacchi. Et Val. Flac. l. 2. Argau.
Cereris tum munere fessas
Restituunt vires, & parco corpora Baccho.

Vnde, & *Zecchinus de sacrificio missæ. cap. 10.* Sic ait. Panis ex quo Christi Corpus conficitur, dictus est à Pan, quod est totum, quia in hoc tota vita nostra consistit, & offertur in Hostia rotunda, iuxta formā orbis, quia Domini est terra, & plenitudo eius, & quod is, cui fit oblatio, principio, & fine caret. Offert etiam vinum, quod dicitur à vi, vel à vite, cui Christus in Euangelio se comparat, cum aqua, quæ significat populum, pro quo Christus ipse pati voluit. Hæc quoq; duo conuenientius ecclesiæ vnitatē significant, sicut. n. ex multis granis panis conficitur, & ex multis racemis vinum confluit; sic ex multis personis fidelib. ecclesiæ vnitas constat. Tādem ista duo Saluatoris Passionē expressius repræsentant, ob cuius memoriam hoc Sacramētum datur, quia grana in area conculcantur, & in pistrino proteruntur, panis in furno decoquitur, vinū in torculari exprimitur: quæ omnia illū referunt, qui interrogantibus, quare rubrum est indumētum tuum sicut calcantium in torculari? respōdit, torcular calcaui solus. *Isaia. cap. 63.* hæc ille.

QVAESTIO LXXXIII.

AN QVILIBET PANIS, ET QVODLIBET vinum sit apta Eucharistiæ materia.

CVm constitum sit, materiam Eucharistiæ remotam esse panem, & vinum, proximam vero speciem ipsius panis, & vini. *c. firmiter. §. vna. ext. de summa Trinit. & fide cath. d. c. cum Martha. extr. de celeb. miss. Conc. Trid. sess. 13. c. 1. D. Thom. in 3. p. q. 74. art. 3. vbi Suarez disp. 43. sect. 1.* Quæritur, an omnis panis, & omne vinum sit apta huiusmet Sacramenti materia? R. Minime, sed Primo ex frumēto vel tritico sano, & non corrupto debet esse confectus. Secūdo oportet eum esse coctum, siquidē massa cruda conueniens materia esse non potest. Tertio necesse est, vt ex aqua elementari panis ille sit cōflatus, vnde si ex vino, aut lacte, vel aqua rosacea, seu ex alio liquore cōficiatur, ex eo consecratio fieri nequiret, *Tolet. l. 2. c. 25. Suarez. 3. p. disp. 44. sect. 2. Barthol. ab Ang. dial. 4. de Euch. §. 326. Comitulus, in resp. mor. l. 1. q. 40. Reginal. l. 29. num. 21.* Quarto opus est, vt sit purus, idest absque immixtione alterius grani, & liquoris: hoc autem de notabili commixtione intelligēdum est: nihil n. obstat, quod cū tritico aliquot grana alterius speciei, & cum aqua aliquid alterius liquoris sit admixtum; dummodo species tritici, & vini vitis non soluatur. Quinto debet esse azimus panis. i. absq; fermēto in ecclesia latina, in Græca vero cū fermento, adeò quod lethali culpa se obstringeret Latin. in fermētato cōsecrās, & Græcus in azimo; siquidem unusquisq; ecclesiæ suæ ritū obseruare tenetur, iuxta illud, Lex, & regio, cum uetustas, & loci cōsuetudo uim legis obtineat. *§. ex non scripto. Instit. de iure nat. gent. & ciuili.* Licet si contra fieret, cōsecratio ualida foret. *c. fin. ext. de celeb. miss.* Cōsuetudo porro latinorū conuenientior, & significantior est, nam Christū in azimo celebrasse legimus. *Matth. c. 26. & Luc. c. 22.* Ac panis azimus magis exprimit Corporis Christi sanctitatem, & puritatem, siue ēt puritatem, integritatem, & sanctimoniam, qua illi præditi esse debēt, qui ad hoc Sacramentū accedunt, secundū illud prioris ad *Corinth. 5.* Itaq; epulemur non in fermento ueteri, neq; in fermento malitiæ, sed in azimis sinceritatis & ueritatis, *Suarez. disp. 44. sect. 3. Bellarm. lib. 4. de Euch. c. 7. 8. & 9. Bonac. de sacr. d. 4. q. 2 p. 1. Reginal. l. 29. n. 22. Conin. de Euch. q. 74. art. 4.* Sexto de necessitate huius materiæ est, ut sit præsens moraliter, quæ quidē moralis præsentia ex iudicio, & arbitrio boni uiri colligēda est. Quæ positio in Christi institutione fundatur, quam præter ecclesiæ traditionē indicant uerba formę, Hoc est corpus meum, & Hic est Calix sāguinis mei; nam pronomina hoc, & hic rem pręsentem designant. Item utraque hæc materia certa, & determinata esse debet, ex intentione uero sacerdotis certa fit, cum non consecret, nisi id quod intendit. Vnde si extra Calicē guttę uini maneāt, uel in Altari micę panis lateant, quamuis pręsentia sint, non consecrantur, cum celebrantis intētio ad illa non feratur. Qua in re nihil cōsultius est, quàm communem usum ecclesię seruare, qui in rubricis Missalis declaratur, à quo usu is qui in dubio recedit, grauiter peccat. Nam ut etiam suo loco dicetur, ut sacerdos legitime Eucharistię Sacramētum conficiat, & decenter celebret, ea quę ad essentiam sacramenti, & sacrificij spectant, & ab eccle-

sia

sia præscripta sunt, obseruare tenetur. Ad substantiam porro Sacramenti, & ipsius sacrificij, tria pertinent, nempe apta materia, vt panis ex tritico aqua naturali confectus, vinum de vite, forma verbis expressa, cum debita sacerdotis intẽtione. Quæ ab ecclesia sunt præcepta, licet de essentia non existant, sunt, vt sit ieiunus, sit in statu gratiæ, nullo canonico impedimento detineatur, loco, tempore, & modo determinatis celebret, & ea obseruet, quæ in rubricis Missalis præscribuntur, &c. *Tol. l. c. 25. Suarez. disp. 43. sect. 6. Reginal. l. 29. num. 16. & 18. Coninch. q. 74. art. 2. dub. 1. & 3. Vival. de Euch. nu. 50. Val. tom. 4. disp. 6. q. 2. puncto 3. Henriq. de Euch. c. 19. Molfes. tract. 2 cap. 10. & tr. 3. cap. 2.*

QVAESTIO LXXXIV.

QVAENAM SIT IDONEA SANGVINIS Christi materia.

QVænam est idonea materia sanguinis Christi? R. Vt iam innui, esse uinum uitis ex vuis expressum, constat. n. ex fide, Dominum nostrum in eo consecrasse. Non bibã à modo de hoc genimine uitis. *Matth. c. 26.* Ideo deficiẽte uino uitis, hoc Sacramentum confici nequit. Hinc multa ad hæc rem spectãtia inferri possunt, quæ post alios afferunt. *Val l. c par. 1. Suarez. tom. 3. disp. 45. sect. 1. Reginal. l. c. num. 24. & seq. Conin. art. 5. Molfes. d. c. 2. Bonac. de sacr. d. 4. q. 2. par. 2.*

Primo cuiuscunq; sit generis, siue dulce, siue austerum, siue ualidũ, siue debile, siue album, siue nigrum, uel rubrum, ad hoc Sacramentum conficiendum ualere, modo uini substantiam non amiserit: Sic. n. acetum tanquam insufficiens materia, necessario excluditur, cum secũdum suam speciem sit vinum corruptum, qua de causa *Aristoteles in 8. Metaph. text. 14.* acetum cadaueri comparat. Vinum tamen acescens idoneum esse quamdiu substantialem uini formam retinet, constans est DD. sententia: culpæ tñ lethalis sacerdotem, absq; necessitate in eo consecrantem, propter grauem irreuerẽtiam, merito damnant, præsertim si de corruptione dubitet, & consecrationem periculo exponat. Idem est iudicium de omni alio uino, de cuius uitiata natura ambigere possit, propter nimiam aquæ, aut alterius rei permixtionem, in quem scopulum quidam sacerdotes scientia, & conscientia carentes, impingere solent.

Secũdo infertur, mustum recens ex uuis expressum ualide consecrari, quia uerum est uinum, licet nondum purificatum, & fæcibus admixtum, ideoq; grauiter peccaret, qui sine necessitate illud ad consecrationem assumeret. *c. cum omne crimen. de cons. dist. 2. D. Thom. communiter receptus. 3. p. q. 74. art. 5.*

Tertio uinum ex malogranatis, aut ex alijs fructibus, uel herbis, seu radicibus confectum, ad hoc Sacramentum non sufficere, quia nõ est simpliciter uinum, ut communis hominum estimatio, & usus satis ostendit.

Quarto succum vuarum ẽt maturarum, antequã ex eis exprimatur, non esse aptam Eucharistiæ materiam, tùm quia non est simpliciter uinum, nec est potabile, tùm quia saltem de præcepto, ut statim dicam, ad consecrationẽ Sanguinis Christi admiscenda sit aqua, quæ humori adhuc in uuis existenti cõmisceri non potest. *d. cap. cum omne. cap. pen. ext. de celeb. missarum. vbi omnes DD. hoc astruunt.*

QVAESTIO LXXXV.

AN AQVA SIT VINO CONSECRANDO miscenda?

QVid tenendum de aqua miscenda uino consecrando? R. Certum est, aquam naturalẽ uino quod sacrari debet, admiscendam esse, ex perpetua ecclesiæ traditione, & precepto, cuius meminit. *Conc. Trid. sess. 22. c. 7.* & rationem assignat, tum ex Christi exemplo, qui creditur aquam vino miscuisse; vt ẽt illud omittã, vel morales Philosophos medicos, & poetas, pro tuenda corporis sanitate, sensisse, vinum non merum, sed aqua dilutum bibẽdum. Hinc *Homerus lib. 5. Odyss.*

Sed ego panem, & aquam, & vinum rubrum
Apponam placide, quæ à te famem repellant.

Quod etiam admonebat Plato dicẽs, Bacchum temulentum Deum sobrijs Nymphis temperandum esse. i. vinum aqua miscendum, vt etiam meminit. *Scholiastes in emb. 25. ad Alciat.* Tum etiã ex significatione, quam ad nostrum institutum habet, talis mixtio, tàm effusionis sanguinis, & aquæ ex latere Redẽptoris in Cruce pendentis, quàm coniunctionis fidelium, cum ipso Christo nam aquarũ nomine in Sacra scriptura populi intelliguntur. *Apoc. c. 17.* Proinde qui scienter, vel ex negligẽtia crassa, aquã naturalem, i. non arte confectã nõ misceret, cum in re graui ecclesiæ præceptum violet, peccati mortalis reus fieret. Hinc si ante cõsecrationem aduertat, ex obliuione aquam non infudisse, debet illam statim apponere, etiam si moraliter sciat, aquã ipsam in vinum conuertendam non esse, adhuc. n. ecclesię præceptum adimplere potest: si vero peracta consecratione id deprehẽdit, ab ea miscenda abstinere debet, siquidem nõ sanguini Christi, sed vino aqua apponenda est. Porro, vt infra dicam, in ea paruitate aqua vino infundẽda est, quæ cõsecrationis tempore iam sit in vinum physice conuersa. *d. c. pen. de celeb. miss. Vasq in 3. par. disp. 176. & 179. Reg. l. c. numer. 27. Suarez. d. disp 45. sect. 3. Coninch quæst. 74 artic. 8. Henriq. capit. 12. numer. 4. Bellar. lib. 4. de Eu-*

de Euch. capit. 21. Molfes. tract. 3. capit. 2. num. 37. Vival. de Euch. numer. 44. Bonac. q. 3. d. 2. par. 4.

QVAESTIO LXXXVI.

VTRVM AQVA IMMEDIATE IN SANguinem Christi conuertatur?

QVæritur an immediate aqua cum vino in sanguinem per cōsecrationem mutetur? R. Innocentius III. *in capit. 6. ext. de celeb. miss.* tres refert sententias, eamq; magis probat, quæ tenet, aquā cum vino in sanguinem transmutari. Et *Coninch. d. art. 8.* fusissime, & validis rationib. cū *Card. Baronio tom. 12. anno* 1188. probat, in sanguinem verti, si in vinum non sit mutata. Semper .n. teste eodem Baronio. S. Rom. ecclesia custodiuit, aquā simul, & vinum in sanguinem Christi transubstantiari. Idem sentit. *Vict. in notis ad Tolent. l. 2. cap. 25. & Vival. de Euchar. numer. 45. Sot. in 4. dist. 9. quæst. 1. artic. 6. & Suarez. l. c. sect. 4.*

At *Azor. p. 1. l. 10. c. 30. q. 3. Vasq. d. 178. Molf. tr. 3. c. 2. n. 39. Bonac. d. 4. q. 2. p. 4. n. 7. Vicent. Fernandez. in cap. 1. de consf. d. 2. par. 3. dub. 1. num. 10. Scortia. l. 4. cap. 1. n. 14.* Aquam in sanguinē verti negant, nisi prius in vinū mutetur. Atq. hęc secūda sententia; *Azor. & aliorum.* Cōior, & verior videtur, aquam. s. conuerti in vinum, & vinum postea in Christi sanguinem trāsmutari, ac proinde aquam (vt dixi) modicam esse debere, vt in vinum conuerti possit, &c. Vnde merito admonent Patres, optimū vinū quærendum esse, ut ante consecrationem, sua actione aquam in se conuertere possit.

QVÆSTIO LXXXVII.

VTRVM SI VINVM, VEL AQVA VINO consecrato admisceatur totum consecretur?

AN admiscens uinum, uel aquam uino consecrato, faciat illud totum cōsecratum? R. Qđ non, nam uinum, quod est in Altari consecratum, amplius substantia uinum non est, sed Christi sanguis, & solum est quantitate, & qualitate uinum: at uinum profanum, non solum est quantitate, & qualitate uinum, sed etiam substantia, ideò non potest fieri sanguis: quod idem de aqua etiam dicendum est. Contrarium uero de aqua lustrali sequitur, siquidem si modicæ aquæ sanctæ, uel benedictæ, addatur profana aqua, quātitate minor, uel etiam ut multi uolūt, maior, cum magis dignum trahat ad se minus dignū, tota sacra efficitur, ut tenet *Syl. in v. aqua q. 3. Azor. par. 2. lib. 9. cap. 15. q. 6. Vgol. de officio Episcopi par. 2. cap. 25. §. 2. Marsilius Columna in tract. de aqua benedicta sect. 3. cap. 4. Turrecrem. in c. aquam. de consf. dist. 3. Armilla in v. aqua. Bartol. ab Ang. dial. 3. de confirm. §. 100. Abb. in cap. quod in dubijs. ext. de cōsecr. eccl. vel alt. Sā in v. Benedictio. n. 1.*

QVAESTIO LXXXVIII.

FORMA SACRAMENTI Eucharistiæ.

QVænam est forma Sacramenti Eucharistiæ? R. Duplex est forma, sicut & materia; alia enim est forma qua panis, altera qua vinum consecratur. Et quidem quō ad formam panis sunt hæ quatuor voces de essentia Sacramenti; Hoc est corpus meum: nam dubium nō est, quin illis potissimum Christus Dominus noster in huius Sacramenti institutione panem cōsecrarit, quibus potissimum significatur, quod in hoc Sacramento effici censetur, dum forma super panem profertur, nimirum eiusdem panis in Corpus Christi conuersio. Vnde & in forma consecrationis panis dicitur, Hoc est, & non dicitur, Hoc fit, quia hæc cōuersio Sacramentalis non est, vt DD. aiunt, successiua, sed instātanea; nā hæc mutatio in Sacramento, non humana fit operatione, sed diuina virtute, quæ in istanti operatur. *Matth. cap. 26. & Marci. 14. cap. cum Martha. ext. de celeb. miss. D. Thomas. 3. par. q. 78. art. 2. Catechis. Rom. de forma Euch. Scortia l. 4. cap. 12.*

Illa vero verba, Qui pridie quam pateretur, &c. de precepto sunt dicenda, non tamen ad panis consecrationem necessario requirūtur; sicut & aliæ preces in Canone ex iussu ecclesiæ recitandæ sunt (& si ad substantiam Sacramenti non pertineant) plurimum. n. ad animæ præparationem valent. Ac communiter DD. tenent, coniunctionem enim non poni in consecratione, tām panis, quàm vini, tanquam essentialem, sed potius vt secundum vsum à D. Petro ad nos deductum, oratio præcedentibus verbis Canonis. s. Accipite, & comedite cohæreat. Verūtū ex omnium sententia, peccatum esset, eandem particulam omittere, non tū mortale, si omissio ex aliqua tantum negligentia, aut inaduertentia proueniret, secus si ex contemptu expresso, vel tacito, qui in eo potest esse, qui sciens, & prudens contrauenirer. Aduertunt etiam, Sacerdotem in forma nō dicere, Hoc est Corpus Christi, sed Hoc est corpus meū, eo quod cōsecrationis verba in persona Christi repræsentatiue profert, instar Legati, qui sustinēs personā Principis nomine ipsius commissa perinde dicit, ac si idem Princeps præsens loqueretur. Vere enim sacerdos sacris vestibus indutus, & ad Altare progrediēs, cogitare debet, se esse veluti Legatū à christiano populo ad Deum missum, sicut ex altera parte cōcionator est Legatus a Deo ad populū destinatus, *Henriq. l. 8. de Euch. cap. 2. Conin. q. 78. artic. 2. & 3. dub.*

dub. 3. Camerot. tract. 4. cap. 7. dub. 9. & 11. Valent. disp. 6. q. 6. puncto. 2. Scortia l. 4. de sacrificio missæ. c. 13. & seq. Gisbertus de vita ecclesi. cap. 115.

QVAESTIO LXXXIX.

FORMA CONSECRATIONIS VINI quænam sit.

Forma consecrandi vinum quænam est? R. Est hæc, Hic est. n. Calix sãguinis mei, noui, & æterni testamenti, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. *d. c. cum Marthæ extr. de celeb. miss. Catechis. Rom. l. c.* Cum vero dicitur hic Calix, est locutio figuratiua, quæ methonomia dicitur, qua continens pro cõtento ponitur, vt sit sensus, hic sanguis meus est, qui in Calice continetur: siquidem Calix tripliciter accipi solet, vno modo pro vasculo potum continente, Secundo pro Passionis amaritudine, quia olim reis vltimo supplicio damnatis potus in Calice dabatur, iuxta quẽ sensum dixit Dominus filijs Zebedæi *Matth. c. 20.* Potestis bibere Calicem, quem ego bibiturus sum? i. sustinere mortem, quam ego passurus sum? Tertio modo sumitur pro potu in vase, seu Calice cõtento, de quo hic fit mentio. Nec nouum est nomine Calicis vinum intelligi, iuxta illud *Psal. 22.* Calix meus inebrians, quàm præclarus est. Quò ẽt spectat illud scitum carmen,

Fæcundi Calices, quem non fecere disertum?

Vnde hic verbo Calicis sanguis Christi sub specie vini intelligitur. Dr̃ Noui, & æterni testamenti, &c. Vbi obseruandum, cum testamentum sit voluntatis nostræ iusta sententia, de eo quod post mortem suam quis fieri vult, cum directa hæredis institutione, Deum duplicem pactionem cum homine iniuisse. Altera fuit, in qua aduentum suum in carne disposuit, & hoc cum antiquis patribus pepigit, quod sanguine, & nece animalium Christi mortem referentium firmatum est: Et ob id huiusmodi pactum testamentũ dictũ est, qa fuit dispositio cuiusdam hæreditatis, morte confirmata testatoris, non quidem in re, sed in figura, & spe,

Alteram Deus pactionem fecit de vita æterna, & felicitate donãda, quæ quidem morte, & sanguine Christi Domini comprobata est; diciturq; testamẽtum nouum, vt à priori distinguatur, & æternũ, vt denotetur, non aliud testamẽtum futurũ, remq; per ipsum testatam, ac relictã, cœlestem, ac sempiternam hæreditatẽ esse. Sequitur illud verbũ, mysterium fidei, vt innuatur, ad catholicam fidẽ pertinere, credere post hanc formam prolatam, verum confici Christi sanguinem, esseq; secretum, qđ non ratione, sed fide comprehendi potest. Tria namque sunt præcipue humanę imbecillitati creditu difficilia. s. Personarũ Trinitas, Verbi diuini incarnatio, & diuina Eucharistia. Tria pariter sunt factu haud quaquam facilia, Nempe otiosis verbis non peccare; sua omnia sacerdoti peccata confiteri; & inimicos propter Deum diligere, sed ut admonet. *Apost. 1. ad Corinth. 13.* Charitas omnia credit, oĩa sperat, omnia sustinet. Sane cum fides in omnibus diuinis mysterijs necessarla sit, In Eucharistiæ tñ Sacramẽto per necessaria videtur, in quo tanta diuinitus reperiũtur arcana, vt nemo sine forti, firmaq; fide cõsistat, ne statim cum Christi discipulis scãdalo percussus retrorsum abeat. Sicq; hic illud *Io. c. 6.* maxime locũ hẽt, Hoc est opus Dei, vt credatis in eum. *Hilaret. s. 6. post dom. 3. Quad. Capiton. in Explicat. Cath. p. 2. explicat. 62.* Sequitur, Qui pro vobis effundetur. s. Discipulis meis, Episcopis, & sacerdotibus, qui & ipsi indigetis tanquam humana circundati infirmitate. Notanter ẽt dictum est pro multis, & non pro omnibus, quia vt Theologi loquuntur, licet Redemptoris nostri sanguis pro omnib. quò ad sufficientiam effusus sit, non tamen oẽs ob peccata, in quib. insordescũt, huiusmodi Passionis quò ad efficaciam se dignos reddunt. Postremo in cõsecratione vtimur verbo futuri temporis effundetur, licet effusio sit iam præterita, quia in hoc mysterio exprimimus, & referimus ea, quæ Christus in Cœna gessit, quo tempore ipsius sanguinis profusio fieri debebat. In consecratione autem potius sanguinis, quam corporis Dominica Passio commemoratur, qa in illa sanguinis Christi effusionis præcipue fit mentio. *Gabr. super can. missæ. lect. 38. Tol. l. 2. c. 26. Viguer. cap. 16. §. 3. vers. 3.* Licet autẽ forma cõsecrationis vini his verbis sic explicatis cõtineatur, non tamen omnia de necessitate, quam vocant Sacramenti, requiruntur, sed illa sola verba, Hic est calix sanguinis mei, esse de formæ essentia constat, de qua agimus, in illisq; solis esse totam eius efficaciã, ita, vt vltimo illorum prolationis instanti, vini in sanguinem Christi mutatio perficiatur. *Suarez. disput. 60. sect. 1. Henriq. de Euch. capit. 17. Tolet. l. 2. cap. 25. Coninch. q. 78. art. 2. & 3. dub. 2. Reginal. d. l. 29. num. 32. Vival. de Euch. num. 54. Vict. de sacr. num. 74. Barthol. ab Aug. dial. 4. §. 370. & alij.*

Vbi ẽt illud animaduertunt, ob varietatem opinionum, quæ circa formam huius Sacramenti versantur, & ad vitandum periculum in consecratione grauiter delinquendi, sacerdotẽ non debere determinate habere intentionem consecrandi per ca. sola verba, in quibus formæ essentiam cõsistere indicauimus, sed potius oportere absolute secundum ecclesiæ intentionem, Sacramentum perficere, illa omnia verba proferẽdo, quib. ipsa ecclesia ad Corpus, & sanguinem Christi conficiendum vtitur, studendo tñ quãtum põt, ad id qđ agit, & dicit attẽdere, & diuinis nutib. ac afflatibus locũ dare, ac oẽm animi vim in vnũ tam serium negotiũ conferre.

QVAESTIO XC.

NVM SACERDOS CORRVPTE VERBA consecrationis proferens peccet, & Sacramentum conficiat?

SI sacerdos corrupte, vel diminute, vel cum additione, verba cõsecrationis panis, & vini proferat, peccabit ne, & num verum erit Sacramẽtum? R. Qui formã Christi primi instituentis variat, proculdubio grauissime peccat, qui contra Ritualis, & Missalis præscriptum, & ecclesiæ consuetudinẽ, aliqua verba omitteret, vel mutaret, vt omnes fatentur: posset tamen rei leuitas, vel inaduertentia, siue ingenitus male proferendi modus a mortali excusare, vt per *Suarez.d.59.sect.1.* Sed si aliã formam inducere intenderet, quàm à Christo Saluatore sit instituta, præter scelus admissum, non conficeret. Idem dicendum est, si per mutationem, vel alterationem, debitus verborũ sensus tollatur, vt si dicat, hoc est signũ corporis mei, vel hoc fuit, vel erit corpus meum, vel etiam hoc est Corpus Christi. *Ianellus de Euch.c.4. Vict.§.73. Barthol.ab Ang.§.373. Et omnes communiter.* Vbi etiam animaduertunt, si sacerdos nõ recordetur se formam dixisse, vel illam corrupte, vel mutilate protulisse, si certo hoc sciat, ab eo repetendã esse, si vero ꝓbabiliter dubitet, sub conditione resumendam; secus si dubium probabile nõ sit, sed mens scrupulis angatur, sicut timoratis mẽtib. sępius euenire solet, vt ẽt *inf. q.102. aduerti.*

CAP. XI.

QVAESTIO XCI.

QVID IN CONSECRATIONE POST forma prolationem sequatur.

QVid in consecratione post prolationem formæ sequitur? R. Vera conuersio substantiæ panis in Corpus Christi, & vini in eius sanguinem, q̃ ecclesia trãsubstantiationem appellat. Hincq; sequitur tàm excelsus fidei nostræ articulus, prolata super materiam forma, vere, ac realiter sub specieb. panis, & vini totum Christi Corpus, atque eius animam, & diuinitatem contineri, ita vt mira rõne tantum accidentia sine subiecto subsistant. *Concil. Trid.sess.13.cap.1. Clem.1.de reliq.& ven.sanct. D. Thom.3.par.q.77.art.1. Scortia l.4.capit.17.* Vnde *Io. Discip.serm.111.* Sicut, inquit, B. Virgo Maria ꝑ quimq; verba, Fiat mihi secundum verbum tuũ, verum Christi Corpus concepit: Sic sacerdos quimq; verborũ adminiculo, Hoc est enim corpus meum, idem corpus cõficit. Ex qua etiã positione illa moralis resolutio cõsurgit, vouentem vinum non bibere, ab ordine nõ prohiberi: cuius illa cæteris potior affertur ratio, quod totius vini substantiæ in Christi sanguinẽ fit conuersio, vnde non vinum, sed sanguinem sumit, & quamuis, vt dicunt, purificationẽ, quæ vino fit, deglutiat, voto tamen ob ecclesiæ pręceptum non aduersatur. *Azor.par.1.l.11.cap.10.q.7. Sanchez.l.4.de Decal.cap.11.num.43. Campan.in Diuers.Iur.can.rub.11.cap.11.num.19.*

QVAESTIO XCII.

VERBA CONSECRATIONIS QVANDO nam inceperunt habere vim conuertendi panem in corpus, & vinum in sanguinem?

HÆc verba consecrationis quandonam inceperunt habere vim conuertendi panem in corpus, & vinum in sanguinem? R. Ab instãti, quo Christus ea protulit, nec fuit suspẽsa in illo triduo, in quo mortuus iacuit: nam in illo tempore si quis rem sacram fecisset, corpus etiã exangue consecrasset: Siquidem sub speciebus panis corpus absq; aĩa latuisset, & sanguis absque corpore (à quo diuisus erat,) extitisset, utrumq; tamẽ diuinitati coniunctũ, non.n. qđ semel est assumptũ, à diuinitate dimissũ fuit. Quæ positio ex illo certissimo fundamẽto deducitur, & expeditur, nempe Christũ Dominũ talẽ sisti, esse, & accipi in Sacramento, qualis ipse secundum se extra Sacramentum existit, & si alium quidem existẽdi modũ in Sacramẽto hẽat, &c. *Ianellus de Euch.cap.1. Val.tom.4.disp.9.puncto.3. Tolet. l.2.cap.27. Coninch.q.81.art.4. & dixi in comment. de cas.reser.par.2.capit.3.*

QVAESTIO XCIII.

AN ISTAE DVAE FORMAE SE INVICEM expectent, &c.

IStæ duæ formę expectant ne se inuicẽ, ita ut forma consecrationis panis effectum suũ non sortiatur, antequam forma cõserationis uini perficiatur? R. Quælibet forma per se suam propriam operationem complet, nec mutuo se expectant, unde statim super panem prolata forma, uerum ibi Corpus Christi existẽs adoratur, antequam sanguis in uino conficiatur. Et ex communi D D. sentẽtia, sub illis speciebus continetur Christi Corpus, non per modum quantitatis, ac dimensionis, non enim extensum est, ut pars in parte existat, sed per modum substãtiæ, in qualibet specierum parte est totus: ob id tantum sumit, qui partem hostiæ, quantum qui totam recipit. Nec desinit esse in Cœlo, licet præsens sit in hostia; nec licet sit in una, ob id aliam relinquit, sed simul omnibus adest. Et totus est in uino

uino consecrato, & totus in qualibet gutta; Vnde consequens est, latriæ cultum, vt infra dicemus, cuilibet parti Hostiæ exhibendum esse. Et sane tot admiratione digna in hoc Sacramento fidelis anima contemplatur, vt merito vates regius Spiritu sancto afflatus, de his loquens enuntiauerit, Memoriã fecit mirabilium suorum, &c. *Psal.* 110. *Concil. Trid. sess.* 13. *capit.* 1. *&* 5. *& can.* 3. *& can.* 6. *Tol. l. c. Reginal. d. l.* 29. *num.* 37. *Fernandez. in cap.* 1. *de cõsec. d.* 2. *par.* 3. *dub.* 2. *num.* 3.

QVAESTIO XCIV.

QVOMODO IN CORPORE SANGVIS, ET in sanguine corpus contineatur, &c.

SI Christus ex vi consecrationis sub specieb. panis, & vini est totus, & in sacrãdo pane, corporis tantum fit mentio, non autem sanguinis, & in consecratione vini, sanguis tãtum, non vero corpus memoratur, ergo dicendum est, corpus, vel carnem tantum sub specie panis, & sanguinẽ sub specie vini adesse? R. Catholica est assertio, totum Christũ sub vtraq; specie latere, nam sub specieb. panis est quidem ex vi verborum Corpus Christi, sed ex naturali, vt dicunt concomitantia, adest & sanguis, diuinitas, & aĩa. E conuerso vero sub vini accidentib. virtute consecrationis est sanguis, ex eadem tñ sequela & cõnexione subinde corpus adest, diuinitas, & aĩa, ac proinde sub vtraq; specie totus est Christus. Verũ huius duplicis speciei, sit cõsecratio, quò Christi passio exprimatur, in qua sãguis à corpore diuisus fuit. *Conc. Trid. l. c. D. Thom.* 3. *par. q.* 76. *ar.* 2. *&* 78. *art.* 6. *& DD. l. c. Catechis. Rom. de Euch. & omnes cõiter.*

QVAESTIO XCV.

QVAMDIV CORPVS, ET CHRISTI sanguis sub speciebus panis, & vini contineatur, &c.

QVamdiù Corpus, & Christi sanguis sub specieb. panis, & vini permanent? R. Quamdiù incorrupta persistunt accidentia; vnde si tanta specierum mutatio accedat, quæ ad panis, ac vini corruptionem sufficiat, corpus, & sanguis ibidem esse desinunt. Atq; hinc *D. Thomas in* 3. *par. q* 80. *art.* 3. eos reprehendit, qui negarunt, Christi Corpus Sacramentaliter à peccatoribus sumi; sed quam cito peccatoris labia attingit, desinere sub speciebus Sacramentalibus esse, &c. Conuincuntur n per illud. *Apost.* 1. *ad Corin* 11. Qui manducat, & bibit indignè, &c. Et per doctrinam in Conc. Trid. approbatam *sess.* 13. *cap.* 8. de distinctione inter peccatores, & iustos, quod illi sacramentaliter tãtum, & hi sacramẽtaliter simul & spiritualiter, Christi Corpus sumunt. *Reginal. n.* 39. *Gloss. in c. si per negligentiam de consec. dist.* 2. *Conin. q.* 76. *art.* 6. *dub.* 3. Vbi notãdum, Christi corpus, vt Theologi loquũtur, tres essendi modos habere. Primo naturalem, qui exigit, vt corpus sit tãgibile, passibile, mortale, & secundũ quantitatis extensionem, & hoc modo in vtero Virginis fuit, & dum cum hominibus conuersatus est. Secundo modum gloriosum, qui exigit, vt Christi corpus claritate, agilitate, subtilitate, & impassibilitate ornetur, hæ namque sunt gloriosi corporis dotes; & hoc modo Christus est in Cœlo. Tertio Christi Saluatoris nostri corpus sacramẽtalem existẽdi rationem hẽt, quæ quidem requirit, vt sub speciebus sacramẽtalib. lateat, vt nec ipse, nec eius gloria videri possit, & corruptis speciebus ibi existere desinat, &c. *Scortia l.* 4. *de sacrificio missæ. cap.* 17. *Molfes. tract.* 3. *cap.* 5. *numer.* 24.

QVAESTIO XCVI.

AN VNAM TANTVM SPECIEM LICEAT sacerdoti consecrare?

POsset ne sacerdos consecrare panem non consecrando viuum, vel vinum non consecrando panem, & an si sic fieret, Sacramẽtum esset validũ? R. Nullomodo id licere, & grauissime peccaret, qui vnam materiam sine alia consecraret, siquidem iure diuino vtraque materia ita est necessaria; vt propter nullam causam liceat in altera tantum hoc Sacramentum conficere. Et licet *Suarez. disp* 43. *sect.* 4. probabile putet, integrum esse Summo Põtifici ex publica, & grauissima causa hanc legem soluere, vt sub vna specie tñ sacrificiũ peragatur, tutius tñ, & verius esse existimat, asserere nõ posse; sed nobis satis esse debet, in tota ecclesia nullum esse talis dispensationis vsum, & in omnibus regionibus & frigidissimis, hoc Sacramentũ confici, quia per Dei prouidentiam, nec in illis vinũ deest, saltem aliunde mari allatum. *Bellar. de Rom. Pont. l.* 4. *capit.* 14. *Reginal. num.* 15. *Scortia l.* 1. *de sacrif missæ. capit.* 6. Dubium tñ non est, verum, & integrum esse Sacramentum, si sub vna tantum specie sacerdos ipse cõsecret, ob id enim nec laicis datur Calix, vt ecclesia hoc facto ostendat, Christum integre sub singulis speciebus contineri, &c. quamuis in modo pfectè repræsentandi integrum conuiuium, & Christi passionem sub una specie non ita perfectum sit. *c. comperimus. c. retulerunt. de conf. dist.* 2. Hinc si inter missæ celebrationem, contingeret, ipsum sacerdotem post consecrationem, morbo aliquo corripi, alius presbyter ẽt non ieiunus rem sacram peragere deberet, cum ex cõi omniũ sententia, maior obligatio de sacrificio perficiendo, quàm de ieiunio in cele-

celebratione seruando urgeat. Posset etiam à peccato transgressionis prædicti iuris diuini, prohibentis vnam materiam absq; alia consecrari, excusare, inaduertentia inculpabilis, qualis illa censetur, qua interdum accidit, vt quis bona fide putans se ponere vinum in Calice, aquā infundit, & sic in solo pane rem sacram facit, & postquā esse in Calice aquā deprehendit, vinum reperiri nō potest, aut certe (in quo est moralis impotentia) sine magno scandalo, aut sine manifesto vitę periculo. Eodē modo si post cōsecratam Hostiam, sacerdoti euidens mortis discrimen immineret, si in consecrādo postea Calice diutius in Altari moraretur, integrum ei esset, fine culpa Hostiam cōsumere, & fugam arripere, quia non est verisimile, hoc præceptum de vtraq; specie cōficienda, cum tanto discrimine obligare; licet secus sit cēsendum, si quis sacerdoti mortem cōminetur, nisi speciem tātum panis absque specie vini, ad communicandum ægrotum, sacrum faciat; siquidē in hoc casu directe diuinum præceptum violaret, & quamuis metu mortis, mutilum tamen sacrificium facere formaliter intenderet, &c. *Suarez. disput. 43. sect. 4. Reginal. l. c. Io. à Chap. de administ. sac. temp. pestis. de Euch. q. 20. Bonac. de sacram. Euch. d. 4. q. 2. puncto 3. numer. 9.*

QVAESTIO XCVII.

AN SACERDOTI CELEBRANTI LICEAT sacrum interrumpere, vt moribundi confessionem excipiat.

Liceret ne sacerdoti celebrāti in casu necessitatis, alio non existente, post consecrationem discedere, vt confessionem moribundi excipiat? R. Liceret, modo ab aliquo interim Eucharistia custodiatur; ne ei aliqua sacrilega iniuria inferatur, statimq; ad sacrum perficiendum reuertatur. Si enim sciat, vel dubitet, moriētē aliqua mortali culpa irretitū, nec cōfessū, nec vlla cōtritionis signa dedisse, haud dubiū, qn vt summū illud irreparabile, iamq; imminens malū auertat, teneatur sacerdos ex charitatis lege, etiam si non sit proprius Parochus, illi opem ferre, & omni quo potest modo, illius salutē procurare, dum adhuc halitus superest, & spes salutis datur, eo tempore, à quo pendet æternitas. est. n. insignis charitatis, ac misericordiæ opus, in supremis angustijs constitutum iuuare, & vt ait sapiens *eccles.* 38. consolari illum in exitu spiritus sui, ne. s. male diem vltimum claudat. *Dionysius Carthus. de quatuor nouiss. art. 37. Marc. Ant. Genuens. in Man. Past. cap. 57. Lud. de P. tract. 5. de christ. perfect. tr. 5 c. 15. Zambranus de pœnit. c. 4. dub. 6.* Qui etiā vna cum *Henriq. l 9. cap. 30. nu. 4.* idem asserit in casu, in quo necessarium est interrumpi sacrū, ut infans baptizetur, cum tamen baptismus ualide à non sacerdote ministretur, non autem absolutio sacramentalis ab alio, quàm à sacerdotio prædito impēdatur. Quæ ratio etiam, probat pro sola extrema unctione missam intermitti posse, quando illa, & non aliud Sacramentū infirmo dari posset, ut quia nullo alio recepto Sacramento in dicto mortis articulo sensum amisit. Nec est nouum, etiam in alijs casibus rem sacram interrumpi, ut pro concione, & in ordinibus conferendis, & in urgentissima corporis necessitate, ut docet. *Henriq. l. c. & Nau. de hor. can. cap. 16. num. 69. Scortia de missæ sacrificio l. 2. c. 18. Possev. de off. Cur. cap. 2. de sacrificio num. 11. & alij.*

QVAESTIO XCVIII.

AN SOLIS VERBIS CONSECRATIONIS prolatis, alijs ritibus omissis conficiatur Sacramentum?

Conficeret ne hoc Sacramentum sacerdos, solis uerbis cōsecrationis prolatis, relictis omnibus præcedentibus, & sequentibus, quæ in missa dici consueuerūt, & omissis uestib. sacerdotalibus, Calice consecrato, lumine, Altari, & quibuscunque alijs, quæ in huiusmodi mysterio celebrando adhiberi solent? R. Reuera conficeret, quia dūmodo seruetur modus, & forma, quib. primus sacerdos Christus rem sacram fecit, hoc Sacramentum perficitur. Constat ex Euangelio, & doctrina, *Apost. 1. ad Corinth. 11.* quod Christus absq; apparatu, quo nunc ecclesia utitur, sola benedictione, & uerborum prolatione, panem, & uinum consecrauit. Cætera sunt tantum de præcepto ab ecclesia instituta, quæ tamē si quis sciens omitteret, graui sceleri se obnoxiū redderet, vt est cōmunis DD. sententia: quæ adhuc fatetur, lethaliter, uel uenialiter delinqui, prout etiā omissio grauis, uel leuis est, siquidem, ut notum est, peccatū mortale, uel ueniale ex materia, & operantis intentione iudicatur. *Molfes. tr. 3. c. 10.*

QVAESTIO XCIX.

VTRVM SACERDOTI NON IEIVNO, VEL uestibus carenti liceat pro communicando infirmo celebrare?

Quid si esset aliquis in mortis articulo constitutus, & antequam ex hac uita migraret, ex christiano more Eucharistiam pro uiatico postularet, liceret ne sacerdoti, sacris uestibus carenti, uel non ieiuno, celebrare, ut particulam consecraret, & cē? R. Cum eo tempore, quo mors instat, Eucharistiam sumere, ex ueriori sentētia, à iure diuino descendat, aliquib. uidetur, huiusmodi sacerdoti integrū esse, matu-

matutinum sacrificium facere, ut multis prosequitur. *Philiarcus de off. sacerd. l. 2. cap. 2. & Zamb. in decis. casuum. art. mor. de Euch. cap. 3. dub. 6.* Quod ea ratione probant, qđ vt dixit *D. Bernard. in lib. de precepto, & dispensat.* Quæ propter charitatē introducta sunt, non debent contra charitatem militare, sed charitatis lex in tam graui necessitate obligat ad subueniendum proximo, ergo non est verisimile, ecclesiastico præcepto impediri, ne id fiat. Et cōfirmatur, quod sicut diuinum præceptum in eo articulo obligat ægrotum etiam nō ieiunū ad cōmunicandū, ita etiam ministros ecclesiæ ad Sacramentum dandum, &c. Nihilominus verior, & cōmunior est opinio, non licere sacerdoti celebrare, nisi seruatis ecclesiæ præceptis, si ieiunus sit, azimum panem habeat, & vinū vitis, item vestes omnes sacras, quæ pro reuerenti missæ solemnitate sunt ab ecclesia institutæ. Nec est eadem ratio de sacerdote ministrāte, quæ militat in infirmo Sacramentum sumente; quandoquidem propria necessitas sacro viatico reficiēdi est intrinsica, & quæ moraliter sæpe accidit, at ex parte ministri est valde extrinsica, & accidentaria, quæ moraliter rarissime contingere pōt, supposita prouidentia, quam ecclesia habet pro infirmis Eucharistiam seruandi, &c. *D. Ant. 3. p. tit. 13. cap. 6. §. 8. Sot. in 4. dist. 12. q. 1. art 8. Vict. de Euch. num. 82. Nau. cap. 21. num. 53. Chap. in tract. de modo administ. sacram. tempore pestis. de Euchar. q. 24. Suarez. tom. 3. disp. 66. sect. 5. Henriq. de Euch. c. 50. Barthol. ab Ang. dial. 4. §. 208. & multi alij.* Prima tamen opinio in praxi seruari posset, si æger nullum aliud Sacramentū sumere posset, & merito de contritione debita dubitaretur, ac ideo eius salus de salute periclitaretur; tunc. n. calore Sacramenti de attrito cōtritus fieret. Sed huic incommodo obuiam iri posset per Sacramentum pœnitentiæ, si moribūdus, qui nullum peccatum exprimere valet, aliqua cōtritionis signa dedisset, vt infra suo loco dicem⁹.

QVAESTIO C.

NVM DEFICIENTIBVS PARTICVLIS fas sit sacerdoti celebranti partem Hostiæ pro moribundo ægroto reseruare?

LIcebitne sacerdoti celebranti si Hostia consecrata desit, dare partem ipsius hostiæ infirmo morienti, ne sine viatico hinc decedat? R. Hoc ei fas erit in dicta tantum necessitate, vt docet. *Henriq. l. 9. cap. 30. num. 7. & Graff. l. 2. Decis. aur. cap. 38. num. 31. Chap. de Euch. q. 28. Zamb. cap. 3. dub. 6.* Colligitur plane ex Missali Pij V. de defectibus in missa occurrentibus, vbi tantum id morienti concedit ex defectu particulæ consecratæ, patetq; ratione, quod sacerdos totum sacrificium sibi deputatum consumere debet. Alij vero extra missam ad casū Eucharistiæ tōne deuotionis sumendæ extendunt, & tolerari posse aiūt, vt Hostia in duas, vel tres partes diuidatur, quia hoc pacto vtilitati fidelium consulitur, nec vlla iniuria fit Sacramento, cum in singulis particulis quantumuis exiguis Christus contineatur, & modus essendi (vt dicunt) in consecratis speciebus sit indefinitus, hoc est totus in toto, & totus in qualibet parte existat. *Chap. l. c. q. 27. Bonac. de Euch par. 2. d. 49. & omnes communiter per text. in c. vbi pars. de consecrat. dist. 2.*

QVAESTIO CI.

QVAENAM INTENTIO IN EVCHARIstia consecratione requiratur.

QVænam intentio in Eucharistiæ cōsecratione requiritur? R. Debet sacerdos habere intentionem faciendi, quod facit ecclesia, illam. n. ad Sacramenti validitatem requiri oēs Doctores consentiunt, vt per *D. Thom. 3. q. 64. art. 10. D. Ant. 3. tit. 13. cap. 6. §. 2. Henriq. de sacr. in genere l. 1. cap. 29 Barthol. ab Ang. dial. 1. §. 30. Reginal. l. 26. num. 36. & seq. Molfes. tract. 3. cap. 4. Bellarm. l. 1. de sacr. in genere cap. 27. & seq. & Suarez. in 3. p. disp. 13. sect. 2 Coninch. q. 64. art. 8.* Et aperta est definitio Concil. Trid. *sess. 7. de sacr. in genere. can. 11.* Cuius hæc sunt verba, Si quis dixerit in ministris, dum sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionē saltem faciendi, quod facit ecclesia, anathema sit. Accedit, qđ alioqui si sacerdos aliquid derisorie ageret, vel ebrius, seu mente captus, verba consecrationis super debitam materiam proferret, cōsecraret, quod absurdum est, & à ratione omnino alienum. *Vide supra tract. 4. capit. 2. quæst. 9.*

QVAESTIO CII.

AN SI SACERDOS INTENDAT decem Hostias consecrare, & vndecim assumat, omnes sint sacratæ, &c.

QVid si sacerdos habeat intentionē cōsecrandi decem Hostias tantum, & per errorē undecim assumeret, essent ne oēs consecratæ? R. Nulla equidem esset consecrata ratione incertitudinis, & indeterminatæ materiæ, cum discerni nequeat illa vndecima, quam ipse sacerdos sacram facere non intendebat. *Abbas. in c. si sacerdos. ext. de off. ordin.* Euidentis enim iuris est, in humanis, ac moralibus actionibus, incertitudinem, dispositiones, & actus viriare, vt p *Cald. cōs. 251.* Hinc in ciuili praxi, si alicuius Dñi terra sit interdicta, & is plures terras habeat cum pleno in singulis dominio, tunc ratione

ratione incertitudinis, nulla ipsi tñ erit interdicta. Et si legatum v.g. Blasio relinquatur, & plures sint, qui eodem vocentur nomine, ob eandem incertitudinis rationem, legatũ nõ debebitur. Item vbi quis ab vno de tribus est interfectus, & nescitur à quonã de medio sit sublatus, tunc ob dubietatem oẽs ordinariam homicidij pœnam euadunt, quandoquidẽ vt ait *Vlpianus in l. 5. ff. de pœnis*. Satius est, impunitum relinqui facinus nocentis, quàm innocentem damnari. Atq; idem in similibus iudicium. *Menoch. cons. 474. Tusch. in v. legatũ concl. 625. Nald. v. Incertitudo.* Ea pp sacerdotis prudens intentio super omne illud ferri debet, quod ante oculos habet, nec ad præcisum numerum Hostiarum, vel particularũ se determinare. *Henriq. l. c. Reg. l. 29. cap. 2. num. 18. Coninch. quæst. 74. art. 2. dub. 3. Bonac. d. 4. q. 2. p. 5.*

QVAESTIO CIII.

VTRVM OMNES HOSTIAE SVPER Altari posita sint consecrata, si sacerdos illarum non meminerit?

VTrũ sacerdos vere consecret Hostias, vel formas corã se in Altari in pixide positas, quas initio quidem sacri sciuit, ab Ædituo allatas, postea tamen consecrationis tempore, nullo modo illarum recordatur? R. Valide consecratas esse, quia voluntas eas consecrandi virtualiter perseuerat. Procurãda quidem est actualis intentio, qua sponte, & cum attentione conficiat Sacramentum, non vt semper in actu signato recogitet dicẽs, volo facere, qđ facit ecclesia, sed vt dum verba profert, ad rectã pronuntiationem, & ad sensum attendat, & reuerenter materiam contrectet, & in Eucharistia corporalẽ Christi præsentiã assurtã recolat; atrñ virtualis sufficit, quamuis dum celebrat, aut ministrat, non consulto distractione vagetur. Hinc est, quod si quis ordines suscepit, ac sacerdos creatus fuit, & absque alia formali intentione, (si numquam contrariam habuit) celebrare consueuit, & Sacramenta ministrare, hic vere Eucharistiam conficit, etiam si ex naturæ infirmitate, dum actu consecrat, eius mens aliò diuertetit. Sic satis est, vt sacerdos dum se induit, aĩum habuerit formas secum allatas sacras faciendi, quamuis oblationis, & consecrationis tempore, earum nõ meminerit. *Henriq. l. 1. de sacr. in genere. cap. 10. nu. 2. Reg l. 26. num. 37. Suarez. tom. 3. d. 83. sect. 2. Vasquez. d. 196. Io. Bapt. de Bertis. de sacr. miss. q. 1. artic. 1. dub. 2.* Si vero certò sciat, aliquid formæ substãtialis omisisse, repetere debet; sed si probabiliter dubitet, sub cõditione resumere; secus si dubiũ probabile non sit, sed scrupulus, quo interdum timoratæ mentes vexantur: tunc enim deponẽdum est, sicut etiam dubitatio illa abijcienda est, qua quis sine expressa, & manifesta ratione credit, se non rite ordinatum esse, &c. Siquidem Diabolus pusillanimis inordinatũ timorem ingerit, vt nodum in scirpo quærant, & trepident, vbi non est timor: & quãdo naturalis dispositio ad animi deiectionem tẽdit, hac molestia, ac tædio in desperationem timidam animam inducere contendit.

QVAESTIO CIV.

NVNQVID QVILIBET SACERDOS possit Eucharistiam ministrare.

CVm sacerdos tantum quò ad Sacramenti Eucharistiæ confectionem, vt supra vidimus, sit legitimus minister, quæritur, an quò ad illius distributionem quilibet etiam sacerdos possit esse minister? R. In administratione Eucharistiæ præter ordinis potestatem, potestas etiã iurisdictionis requiritur; ideo cuilibet sacerdoti liberũ non est, hoc Sacramẽtum administrare, & alijs conferre; sed solum habẽti iurisdictionem respectu eius, cui præbet, vel facultatem ab eo, qui huiusmodi iurisdictione potitur; & hanc legem violare mortalem culpam secũ inuoluit, quia est alienum ius vsurpare in re graui, & paci, debitæque ecclesiæ gubernationi, & ordini repugnat. *Clem. 1. de priuileg. Clem. dudũ. de sepult. conc. Carthag. 1. c. 7.* Quod intelligendum est ex suo genere, quia si intercedat bona fides, & interpretatiua, seu præsumpta voluntas Pastoris probabili ex causa, peccatum omne, vel saltem mortale excusari poterit. *Nau. cap. 21. num. 52. Suarez. disp. 72. sect. 2. Barthol. ab Ang. dial. 4. §. 270.* Excipi etiam debet necessitatis articulus, vt quia infirmus periclitans possit Eucharistiam, & non pœnitentiam recipere; nec aliud Sacramẽtum, vt quia sacerdos sit mutus; & proprius absit Pastor, tunc. n. à quolibet sacerdote etiam religioso, & nominatim excõmunicato, suspenso, vel interdicto, seu irregulari, licite Eucharistiam recipere poterit, imò etiã à Diacono illud sumere integrum erit, vt supra dixi de Diacono. *tr. 4. cap. 6. q. 50.* Atq; probat. *Zamb. cap. 3. de Euch. dub. 7. Chap. q. 3. & 4. Barthol. ab Ang. d. dial. 4. §. 276. & seq.* Propterea Episcopi in suis synodis deberẽt cuilibet sacerdoti concedere generalem licẽtiam, vt in defectu proprij Parochi Eucharistiam morientibus administrare posset, ne tanto spirituali beneficio fidelis ex hac vita migraturus defraudetur.

Qui vero priuilegio gaudent, vt sunt Mendicantes, possunt cuicunque accedẽti ministrare, præterquam in die Paschæ Resurrectionis, nisi tunc à Parocho facultas fiat: Imò absque alia facultate ipsomet Paschali die licebit de manu religiosorum Eucharistiã sumere, si iam de manu Parochi intra statutum tempus quis communicauit, vel communicaturus

catu rus

caturus est, vt per *Suar. d. 72 sect. 2. dub. 2. Rod. tom. 1. qq. regul q. 56. art. 6. Sà in v. Euch. num. 10. Azor. part. 1. lib. 7. capit. 41. quæst. 7. Beia. part. 4. resp. mor. casu 4. vt dicam etiam in quæst. sequenti.*

QVAESTIO CV.

AN SACERDOS DVM CELEBRAT, POSSIT cuilibet Eucharistiam ministrare.

NVnquid simplex sacerdos dũ celebrat, possit tuta cõscientia, ijs, qui extra tẽpus Paschatis ex deuotione, & pietatis affectu, sacram Eucharistiam sumere volunt, in quacũque ecclesia, vel priuato oratorio illam administrare? R. Licet multi, & graues Doctores putauerint, non solum in Paschate, & mortis articulo, quando sacram synaxim percipere præceptum astringit, sed etiam si ob solam deuotionem, & voluntarie sumatur, ab alio, quàm à proprio Parocho, vel de eius licentia, vel in ecclesijs eorum religiosorum, qui ad id speciali fulciuntur priuilegio, tàm in dante, quàm in accipienti peccatum esse lethale; eorum tamen sentẽtia, qui vel nullam in hoc culpam, vel nõ nisi venialem admitti existimãt, verior, & communior esse videtur. Primo quia in administratione huius Sacramenti in casu volũtatis, deuotionis, & non necessitatis, Parochi iurisdictioni, vel nulla, vel parua admodum infertur iniuria. Secũdo q̃a in eius exhibitione extra præcepti tempus, iusta semper intercedere põt præsumptio, quod Parochus consentiat, cum vtile sui gregis spirituale negotium agatur. Siquidem in Sacramento pœnitent æ ideo ratihabitio nisi sit præsens, nõ valet, quia iurisdictio ad eius essentiam spectat, ac proinde eius defectus actum omnino infringit; sed in Eucharistiæ administratione, cum iuridictio non quò ad actus substantiam, sed quò ad debitum modũ, & ordinẽ requiratur, idcirco ratihabitio de futuro iuste præsumpta, ad illam administrandam sufficit. Hinc quamuis à *Clem. 1. de priuilegijs*, contra Religiosos, Laicis sine licentia proprij Pastoris Eucharistiam administrantes, excommunicationis pœna sit inflicta, abhis tamen hęc cẽsura non incurritur, qui ex ignorantia huius pœnæ id agunt, vel probabiliter credunt, proprium Parochum huiusmodi administrationem ratam habiturum, seu eo absente in casu necessitatis, ipsum Eucharistiæ Sacramẽtum ad ægrotum pro viatico deferunt, vt colligitur ex *Nau. cap. 21. nu. 52. & Rod. tom. 1. qq. regul. q. 56. art. 3. Suarez. d. 72. sect. 2. Coninch. q. 82. art. 3. Reg. l. 36. num. 64. Bonac. d. 4. q. 5 part. 1. numer. 6. & 9. Beia. part. 4. respons. mor. casu. 14. Sà in v. Eucharistia. numer. 14. & alijs.*

QVAESTIO CVI.

AN SACERDOS DIVINVM CORPVS SIBI ipsi ministrare possit.

POsset ne sacerdos celebrare non valens, si fine necessitate, ex deuotione diuinum corpus sumere velit, & nullus adsit sacerdos, sibi ipsi ministrare? R. Affirmatiua pars verior videtur, modo alterius sacerdotis, qui administret, copia nõ suppetat, nec adsit scandalum; ratio est, quia sacerdos est ordinarius huius Sacramenti minister, nec alienã iurisdictionem vsurpare seu in messem alienam falcẽ mittere dicitur, dũ sibi ipsi Eucharistiã ministrat, nec vllum ius in cõtrarium extat, &c. Debet tamen stolam ex ecclesiastico præcepto adhibere. *c. ecclesiastica. d. 23.* Et quamuis *Turrecrem. ibi, & Azor. p. 1. l. 10. cap. 28. q. 12.* asserant, huiusmodi Decretum vsu abrogatum esse, in Italia tamẽ passim obseruari videmus, cum per ipsam ipsius sacerdotis habitus designetur, iuxta illud à nobis aliàs allatũ pronuntiatum, Ensis militem, cuculla monachum, stola sacerdotem indicat. Vnde Episcopus cum ordine sacerdotem insignit, dans stolã profert, Accipe iugũ Domini, & vtrumq; humerũ cingit, vt sciat, se Domini Crucem portare debere, à dextris prosperitatis humiliter, & sinistris aduersitatis patienter. *Possev. de offic. Cur. de commun. cap. 8. num. 23. Nald. in verbo sacerdos. numer. 6. & Turrecrem. l. c.*

Addo in necessitatis articulo, nempe morte imminente, Laico proprijs manibus se communicare licere; & sic nostra ætate Regina Scotiæ martyrium subitura prius Sacramẽtum, quod apud se habebat, sponte sibi ipsi administrauit: & licet fortasse circa hoc ampla Pontificia concessione munita foret, attamen etiam sine illa pie, ac laudabiliter fecisset, vt ait *Suarez. q. 82. art. 3. sect. 3.* Maxima tamẽ Doctorum pars id negat, quibus in re morali repugnante difficile est. Et quamuis legamus olim à viris pijs permissum, vt ob impendens tyrannorum periculum, & absentib. Sacerdote, & Diacono, Laici Eucharistiam deferrent, imò ipsi manu propria susciperent; tñ id nullo modo licere videtur, ecclesiasticis sanctionibus id vetantibus; siquidem in hoc mirabili Sacramento maior est habenda ratio reuerẽtię, q̃ fruct⁹ infirmi iam cõfessi, cui impedito satis est vt in voto accipiat, ex Cõc. Trid *sess. 13. c. 8.* Illud. n. D. Augustini succedit, crede, & mãducasti. *Gisbert. de ecclesiast. vita cap. 106. Henriquez. l. 8. de Euch. cap. 54. Coninch q. 82. art. 3. num. 27. & alij.*

CAP.

CAP. XII.

QVAESTIO CVII.

QVID SIT MISSAE SACRIFICIVM, quotuplex, vnde missa dicatur, & qua eius sit dignitas?

CVm, vt alias annotauimus, principalis sacerdotis actus sit, Corpus Christi consecrare, & missæ sacrificium Deo offerre, atq; Eucharistia non solum Sacramenti, sed etiam sacrificij nomen, & naturam induat, quæritur, quid sit missæ sacrificium, quotuplex, vnde missa dicatur, & quę eius dignitas? R. Missa est oblatio corporis, & sanguinis Dñi sub specieb. panis, & vini facta, sacrificij ab ipso semel in Cruce exhibiti expressiua; siquidem eadem est Hostia, quam offert sacerdos, & quæ in ara Crucis fuit oblata, In Cruce cruente, hic autē incruente .i. Christus pro nobis se ipsum in sacrificium obtulit, primo incruente in cæna, sine sanguinis effusione, sub panis, inquam, & vini speciebus Secundo cruēte sub propria specie veræ carnis humanæ, sanguine in ara Crucis effuso. Quę quidem oblatio, vel sacrificium per sacerdotes quotidie immolantes, & sacrum faciētes, reperitur lingua Latina, cum Græca, & Hebraica admixta, quia ista tria idiomata titulo Crucis Dñi decorata fuerūt. *c. semel immolatus. c. in Christo. c. necessario. de consecr. dist.* 2. Cōc. Trid. *sess.* 22. *de sacrificio missæ. cap.* 1. *&* 2. *Tol. l.* 2. *cap.* 4. *Henriq. de sacrificio missæ. l.* 9 *cap.* 1. *Suarez. in* 3. *p. disp.* 74. *sect.* 1. *Coninc. q.* 83. *art.* 1. *dub.* 2. *Azor. p.* 1. *l.* 10. *cap.* 20. *Bellarm. de missa l.* 1. *cap* 2. *Castrens. in v. missa Angles. in flor. theol. q. de valore missæ. Camerot. de Euch. tract.* 4. *cap.* 8. *Synod. Amer de sacr. miss. cap.* 315. *Felician. Capit. in explicat. cathol. par.* 3. *explicat.* 48. *Molfes. tract.* 3. *cap.* 1. *&* 6. *Cattaneus in v. missa, & alij communiter.*

Missa vt multi volunt, dicitur à nomine Hebræo Missach: quod spontaneam oblationem significat, eo qđ Christus qui in Cruce immolatus est, in hoc sacrificio per sacerdotem litetur, & offeratur. Vel missa dicitur quasi transmissa, qa à populis per ipsius sacerdotis ministerium, qui legati, vel nuntij, & mediatoris munere fungitur inter Deū, & homines, preces, vota, & oblatiōes ad ipsum Deū transmittuntur. Vel tertio vocatur missa à verbo mitto, quandoquidem hoc sacrificio peracto, per Diaconum olim dimittebatur populus, & adhuc his verbis dimitti solet, Ite missa est, quasi dicat, iam licet abire, totum enim sacrificium completum est. *Tol. d. c.* 4. *Bellarm. l. c. cap.* 1. *Coninch q.* 83. *art.* 1. *dub.* 3. *Suarez. disp.* 84. *sect.* 3.

Porro vt huius diuinissimi sacrificij dignitas aliqua ex parte intelligatur, annotādū est, ex oībus christiani cultus officijs, quib. De⁹ à fidelib. colit, nullū esse, qđ cū Sacrosancto missæ libamine, & holocausto cōferri possit, quo viuica illa, & salutaris Hostia Christus Dominus, semel in Cruce Deo Patri immolata, quotidie ad eius Passionis memoriam, & vberrimos in nos fructus deriuandos sacerdotis ministerio offertur. *c. nihil de cons. dist.* 2. *Cōc. Trid. sess.* 2. *Decr. de obser. in celeb. missæ. Molina in instruct. sacerd. tract.* 3. *cap.* 6. *Lud. de P. de christ. perfect. tom.* 4. *tr.* 2. *cap.* 2. *Gisbert. de vita eccles. cap.* 98. *& seq.*

Quippe in eo coacervantur omnia prǽclarissima gesta, & heroica facinora, quæ Christus ex eo puncto quo cōceptus est, vsq; ad illud, quo Spiritum in Cruce emisit, operatus est, siue interiora illa fuerint, siue exteriora, 33. annorum curriculo, qui nullo vnquā temporis momento, ab actione Deo placita vacauit, iuxta illud. *Io.* 8. Ego quæ placita sunt ei, facio semper.

Item quia hoc sacrificium institutum est,

Primo in signū Dei excellētiæ, & nostrę humilitatis, & subiectionis, & vt de beneficijs acceptis, q̄ aptissimas gratias ei agere possemus. Siquidē communis oīum nationum lex sanciuit, vt aliquo externo signo, summi rerum omnium Principis, supremū in res omnes dominium palam testaremur, qđ alicui alteri exhibere, nihil aliud esset, quàm à Deo vero discedere, & aliud numē agnoscere. Tale autem signū, seu ritum, vulgo omnes gentes etiam barbaræ, & idolatræ, quæque in sua lingua, sacrificiū vocare solent, vt legenti historias facile patebit. Hinc poetarum Princeps,

Namq; erit ille mihi semper Deus, illius aram
Sæpe tener nostris ab ouilibus imbuet agnus.

Vbi vt probet Augustum sibi Deum fore, illi se sacrificaturum asserit. *D. Aug. de Ciuit. Dei l.* 10. *c.* 4. Duplex porro sacrificium cōstituitur, nempe priuatum, seu internum, quod à persona priuata, in Altari cordis sui Deo offertur, vt est interior deuotio, & oratio ad Deum fusa, & alia quælibet opera in Dei cultum relata. Aliud vero est publicum, seu externum, quod à sacerdote Deo pro populo secundum diuinam ordinationem offertur, estque publicū sacrificium, siue solemniter in publico, siue in oratorio priuatim sacerdos celebret, cum semper nomine totius ecclesiæ rem sacrum facere dicatur, *Catechis. Rom. tit. de Euch. Vasq.* 3. *par. d.* 176. *& seq.*

Secūda causa cur Dominus voluerit hanc oblationem quotidie renouari, est vt dona, ac beneficia, tùm diuina, tùm (si ita expediat,) humana, per illā impetremus, quid .n. infirmo sit vtile, magis nouit medicus, quam ægrotus. Vnde & *Val. Max. l.* 7. *c.* 2. ait, nos votis sæpe expetere, quod non obtinuisse satius foret, proinde suadet, nos cælesti arbitrio committi debere. *Gloss. in Clem.* 1. *de reliq. & ven. Sanct.*

Tertia, vt iratum nobis diuinum numen conciliemus,

liemus, & peccatorum veniam imploremus.

Quarta vt certas culparum pœnas, quæ in hac vita, vel postea in Purgatorio luendæ erant, deleamus. *Conc. Trid. sess. 22. cap. 2. Lud. de Ponte. d. tom. 4. tract. 2. cap. 5.*

Tandem quanti hoc sacrificium à sancta ecclesia fiat, ex diligentia apparet, qua in illo pro dignitate quoad potest tractando vtitur. Quod innotescit, 1. ex ministrorum eiusdem sacrificij delectu, quos ipsa ecclesia vult, Primo ex legitimo thoro natos. Secundo ætate iam satis maturos. Tertio corpore nõ debiles, aut deformes. Quarto fortunæ bonis munitos, vt certum habeant victum, vel voluntariã paupertatẽ sectentur. Quinto fama, & æstimatione probatos. Sexto morib. castos, propterea illos solemni castitatis voto obstringit. Septimo religione, ac pietate erga Deum ardentes, quos vult multũ temporis in diuinis laudibus quotidie insumere: nec statim eos in sacerdotio cõstituit, sed lente per gradus promouet, vt eò accuratius quãtum sit huius disciplinæ pondus, possint edoceri, vt ex à nobis dictis in superioribus articulis constat.

Secundo hoc liquet ex locis, quæ ad hoc sacrificium peragẽdum ecclesia ipsa comparat, Quò spectat Templorum magnificentia, & ornatus, eorundem consecratio, Altaria affabre instructa, ac vestibus ornata pretiosis.

Tertio ex varijs ritib. quos in missę celebratione adhibentur, & ex tota sacrificij serie, in qua velut compendio vita, ac mors Christi pie ob oculos ponitur. *Reginal. l. 19. num.* 31. Hinc B. Pet. Damianus in tenera adhuc ætate existens, cum die quadã argenteum nummum repperisset, & perinde ac diues repente factus, gratulabundus, ac gestiens quid ea pecunia posset aptius mercari, dulci appetitu puerilem animum suauium rerum omnium expertem per mollia trahente, anceps cogitaret, tandem cœlitus afflatus, quid hæc, inquit, mente reuoluo? horũ certe voluptas nequaquã diuturna fuerit, hoc præstabit, tradere sacerdoti, vt sacrũ, quo nihil maius, Deo faciat. *Philip. Berl. in Parad. puer. par. 2. c. 24. §. 13.*

QVAESTIO CVIII.

AN OMNIA AD MISSAE SACRIFICIVM spectantia sint à Christo instituta?

Omnia, quæ ad missæ sacrificium spectant, sunt ne à Christo Domino instituta? R. Eorum, quæ de substãtia, & integritate sacrificij sunt, vt tres eius partes, put cõsecratio, oblatio, & cõsumptio, institutor, & auctor Christus fuit, cum in vltima cęna primo rem sacram fecit, eamq; de hoc mundo exiturus, Apostolis suis celebrãdam cõmisit, dicens, Hoc facite in meam commemorationem, vt omnes SS. Patres tradunt, & tota ecclesia confirmat. *c. firmiter. ext. de summa Trinit. & fide cath. & Concil. Trid. sess. 22. can. 2.* Quæ verò ad solemnitatẽ, ritus, cærimonias, cantica, preces, & alia huiusmodi pertinent, à Summis Põtificibus ipsius ecclesiæ moderatoribus sunt addita; ex quorum præscripto singuli sacerdotes celebrare tenentur, q̃ & Episcopi in eorum ordinationibus præcipere solent, vt in Pontificali Romano, & in Rubricis Missalis habetur. *D. Thomas. 3. par. q. 8 1. art. 1. Suarez. disp. 77. sect. 1. Valent. disput. 6. q. 9. puncto 1. Molfes tract. 3. capit. 10. numer. 9. & omnes communiter.*

QVÆSTIO CIX.

MISSAE SACRIFICII PARTES, quæ sint.

Missæ sacrificium in quot partes diuiditur? R. In tres, nempe cõsecrationem, oblationem, & cõsumptionem, ut enim in homine, cor, caput, & iecur, partes, ut aiunt, integrales sunt, sed anima, & corpus totam essentialem rationem cõstituunt: Ita in missæ sacrificio non sola Hostiæ consecratio, sed oblatio, & consumptio ad substãtiam, & perfectionem requiruntur; unde etiam ab aliquib. missæ sacrificiũ diffinitur, ut sit consecratio, oblatio, & consumptio corporis, & Sanguinis Christi, in memoriã cruenti sacrificij in Cruce peracti. Hostia Christus est, consecratio fit uerbis super panem, & uinũ prolatis, oblatio fit, quando iam Calice deposito, dicimus. Vnde & memores Domine, usq; ad quotquot, quæ sunt maxima cum reuerentia, & pietate dicẽda, quoniam ibi uerum incipit sacrificium, q̃d Hostiæ sumptione perficitur. Hinc, ut ait *Angles. q. de valore missæ.* Acerrime arguẽdi sunt sacerdotes, qui quodam potius profano usu, quàm animi deuotione illa sanctissima uerba proferunt, (& si aliqui uelint, illam uocalem oblationem, ad essentiam sacrificij non spectare;) Proinde manet hęc certa, & cõis Doctorũ assertio, ueram sacrificij rationem, & naturam in consecratione, oblatione, & utriusq; speciei consumptione cõsistere, adeoq; hoc esse necessarium, ut si unus sacerdos consecrauerit, & morbo correptus perficere, & cõsumere non ualuerit, alius sacerdos etiam non ieiunus, ad complendum sacrificium sit assumendus, cum præceptum perficiendi sacrificij, ut pote à iure diuino descẽdens magis urgeat, quàm ut à ieiuno celebretur, quod à lege tantum ecclesiastica imperatur. *Sotus in 4. dist. 13. q. 2. art. 1. Angles. l. c. Azor. p. 1. lib. 10. cap. 19. q. 1. Henriq. de sacrificio missæ. cap. 9. Syluius in 3. par. D. Thoma. q. 83. art. 1. q. 2. concl. 4. Bellarm. l. 1. de missa. cap. 27. Reginal. l. 29. numer. 146. Barthol. ab Ang. dial. 5. de missa. §. 10.* Item commode missa in tres alias partes

O diuidi

diuidi poteſt. Prima, uſq; ad offertoriũ, & eſt quædam populi præparatio, & ad tãti myſterij celebrationem inſtructio. Secunda ab offertorio, vſque ad ſumptionem, quæ ipſius ſacrificij cõſummationem continet. Tertia eſt gratiarum actio, in qua non ſolum quæ dicuntur, ſed etiam quæ fiunt, cõſiderãda ſunt. *Philiarchus. de off. ſacer. par. 1. l. 2. cap. 15.*

QVAESTIO CX.

QVOMODO SACRAMENTVM A SACRIficio diſcernatur.

CVm, vt diximus, Euchariſtia ſit ſimul Sacramentũ, & ſacrificium, quomodo in hoc myſterio Sacramenti, & ſacrificij rationes dignoſcuntur? R. In hoc diſcernuntur, quod cum Sacramentũ ſit ſacræ rei ſignum, quam vel in ſe continet, vel vſu efficit, huius Sacramenti ratio in conſecratione perficitur. In quo tria conſiderantur, nẽpe 1. Sacramẽtum tantũ, vt ſunt ſpecies panis, & vini, 2. res tantũ, vt gratia, quam confert. Tertio res, & Sacramentũ ſimul, prout eſt ipſũ Chriſti Corpus, &c. vt per Cõcil. Trid. *ſeſſ. 13. & Catechiſ. tit. de Euch.* Atq; ideo tria in Euchariſtia ſignificantur. Primo res præterita. i. Chriſti Paſſio, in cuius memoriam conficitur. Secundo res præſens. i. gratia, & corpus, eiuſq; ſanguis, quæ ſub illis ſpeciebus continentur, & Tertio res futura. i æternæ vitæ pignus, iuxta illud, eccleſiaſticum canticum. O ſacrum conuiuium, &c. Sacrificium vero eſt, quod Deo offertur, quare dum in pixide aſſeruatur, aut infirmo in domum defertur, Sacramentum, eſt non ſacrificium; quò etiam fit, vt non quatenus eſt Sacramentum, ſed in quãtum eſt ſacrificium, tanta indumentorum, ornamentorum, precum, & cæremoniarum ſolemnitate celebretur. *Sot. & Barth. ab Ang. l. c. Tol. l. 2. cap. 5. Suarez. tom. 3. d. 78. Molfeſ. tract. 3. capit. 9.*

QVAESTIO CXI.

QVINAM IN MISSA SINT offerentes.

QVinam ſunt offerentes in ſacrificio miſſæ? R. Primus offerens eſt Chriſtus, q vt ait *Apoſt. ad Heb. 7.* Sempiternum habet ſacerdotium. *Conc. Tridens. ſeſſ. 22. capit. 2.*

Secundo ſacerdos rite ordinatus; quia ſacerdotium, & ſacrificium perpetuo ſibi ſunt coniuncta, ergo illi ſoli ſacrificare conuenit, cui ſacerdotem, & conſecratorem eſſe congruit.

Tertio laici fideles rectè offerentes eſſe dicũtur, non quia per ſe ſacrificent, ſed partim quod per ſacerdotis miniſteriũ offerãt, partim qđ ſuã intẽtionẽ cũ ſacerdotis factũ faciẽtis mẽte coniungãt. Specia. tim vero illi offerentes cenſeri poſſunt, qui præter intentionum cõiunctionem; externum quoddã officium exhibẽt, inſeruiendo, neceſſaria ad ſacrificiũ ſuppeditando, vel honorarium tribuendo. Hinc in miſſæ Canone illud, Vel qui tibi offerũt, optime ad fideles Laicos referri intelligitur. *Syluius. ad 3. par. D. Thomæ. q. 83. art. 1. dub. 6. Suarez. diſp. 77. ſect. 3. Tolet. l. 2. cap. 7. & l. 6. cap. 10. Reginal. l. 29. nu. 148. Bellarm. l. 2. de miſſa. cap. 9.* Molfeſ. *tr. 3. c. 15 nu. 9.*

QVAESTIO CXII.

CVINAM MISSAE SACRIFICIVM offerendum ſit.

CVinam hoc miſſæ ſacrificium offerẽdum eſt? R. Vni ſoli Deo rerum omnium Creatori, & Gubernatori; Sacrificium namq; eſt actus latriæ, q ſoli Deo vero omnium rerum principio debetur, ſicut & Euchariſtia, in qua Chriſtus Deus, & homo continetur, latriæ cultu adoranda eſt. Vnde licet in memoriam, & honorem Sãctorum interdum miſſas eccleſia celebrare conſueuerit, nõ tamen illis ſacrificium offerri docet, ſed ſoli Deo, qui illos coronauit; ideò nec ſacerdos dicere ſolet. Offero tibi ſacrificium Petre, vel Paule, ſed Deo de eorum victorijs gratias agens, illorũ patrocinia implorat, vt ipſi pro nobis intercedere dignentur in Cœlis, quorum memoriam facimus in terris. Sicut & ſoli Deo templa extruuntur, vt ei ſacrificia fiant, appellantur tamen templa B. V, Martyrum, & aliorum Sãctorum ob eorum patrocinium pro nobis ad Deum exhibitum; vel ob aliquam eorum memoriam, imagines, reliquias, apparitiones, quæ ibidem extiterint, &c. Conc. Trid. *ſeſſ. 22. cap. 3 D. Thomas. 22. q. 85. artic. 2. Azor. par. 1. l. 10. cap. 22. q. 5. Bellarm. l. 1. de miſſa. cap. 2. Tol. l. 2. cap. 4. Lud. de Ponte. de perfect. tom. 4. tract. 2. cap. 1. §. 1. Scortia. de ſacrif. miſſa. l. 2. c. 13. Bonac. d. 4. q. vlt. par. 4 n. 7. Molfeſ. tr. 3. c. 15. n. 14.*

QVAESTIO CXIII.

QVID SIT ADORATIO, ET QVOTVPLEX, & quomodo ſacerdos celebrans per externos actus Euchariſtiam adoret, &c.

QVæritur quid ſit adoratio, & quotuplex ſit, & cum ſacerdos in miſſa celebranda genufleđit, & ſe demittit, an adoret Euchariſtiã, vt Sacramentum, an vt ſacrificium? R. Adoratio eſt veneratio, vel reuerentia, quæ ſoli Deo, vt dixi, exhibetur, ob vniuerſale dominium, quod ſuper omnem rem creatam exercet, & propter eius ineffabilem excellentiam, à qua cuncta deriuantur. In qua tres actus repe-

reperiuntur, vnus est intellectus, quo præstantiam eius, qui adorandus est cognoscimus. Secundus est voluntatis, quo nos ei subijcimus, & substernimus. Tertius exterior, quo huiusmodi subiectionē testamur, vt genuflexio, capitis nudatio, & similia. Hinc dicimus, triplicem esse adorationē, 1. latriæ, quę soli Deo debetur, unde Cęsar Aug. cum quidam eum adorare vellent, adeo hanc rem execratus est, vt si quis ad eum accedens caput nimium flexisset, tanquam adulatorem foras exire iuberet. 2. Duliæ, qua homines dignitate pręcellentes honore afficiuntur, vt Sācti Cœli ciues Deo presfruentes; & 3. hyperduliæ, qua B. V. Maria ob heroicas uirtutes proxime ad ipsum Deum accedēs colitur. Proinde cum Eucharistiæ Sacramentum omnium dignissimum sit, eo quod uere, & realiter Corpus, & Sanguinem Iesu Christi cum anima, & diuinitate contineat, cultu latriæ, tàm interno, quàm externo adorari constat. Et cum sacerdos rem sacram faciendo genuaflectit, caput inclinat, manus extendit, se Cruce signat, &c. eam non ut sacrificium, sed ut sacramentum colere, ac uenerari dicendum est. Quod ēt sine conditione, si species illæ consecratæ sunt, faciendū est, siquidem probabile dubium nō est, quod sacerdos illas consecrare noluerit, imò grauiter eius fama læderetur, si huiusmodi mala suspicio de eo haberetur, & quia sic omnia mundi negotia, & humanæ actiones incertitudine laborarent, &c. Nam generaliter in dubio quilibet bonus, & sine fraude agere p̄sumitur, & actus in re dubia ualidus interpretādus est. *Mascard. in v. Bonus cōcl. 212. Tusch. v. Bonus concl. 123. & in v. actus cōcl. 136. Cōc. Trid. sess. 13. cap. 5. & c. 6. Azor. l. c. Tol. l. 4. c. 12. Val. tom. 3. disp. 6. q. 3. puncto. 2. Syl. Ang. & Tab. in Summis. in v. adoratio. Fuschus. l. 1. de visit. eccles. cap. 8. Adamus. Tannerus. in Dispu. theolog. de sacra adorat. d. 4. Sotus in 4. d. 12. q. 1. art. 6. Durant. l. 2. de rit. eccl. capit. 40. Molfes. tract. 11. capit. 6. numer. 30.*

QVAESTIO CXIV.

PRO QVIBVSNAM SACRIFICIVM missæ offeratur, &c.

PRo quibusnam hoc sacrificium offertur? Primo certum esse, si loquamur de viuis, sacrificium hoc offerri posse & pro ipso sacrificāte, & pro alijs. Hoc. n. est sacerdotali muneri intrinsece annexum, vt pro se & alijs intercedat, & vt ait *Apost. ad Hebr. 5.* Debet sacerdos quemadmodum pro populo, ita pro semetipso offerre pro peccatis. Et cum quatuor sint, vt Theologi loquuntur, sacrificij rationes, honorarij, laudis, impetratorij, & propitiatorij, propter illas quatuor causas, potest nō solum pro alijs, sed & pro se ipso offerre. Hoc namque est discrimen inter mysterium Eucharistiæ, vt sacramētum, & vt sacrificium, quod vt sacramentum tantum sumenti prodest, vt sacrificium vero etiā alijs, pro quibus specialiter applicatur, vberrimos fructus affert. *D. Thomas. 3. par. q. 79. art. 5. & 7.* Pro excommunicatis ēt maiori excōmunicatione, publica actione, seu publicam personam agendo, hoc sacrificium offerre non licet: In memento tamen priuata oratione, & intētione; pro ipsis orare sacerdoti integrum est, cū hoc nullo iure prohibeatur. Imò si qs publice, & nominatim denuntiatus nō est, qualem vitare Cōcilium Constantiense iubet, pro illo etiam accepta stipe sacerdos rem sacram facere posset. *Doctores in c. à nobis. el. 2. cap. sacris. ext. de sent. excommunicationis. Henriq. de sacrificio missæ. cap. 15. Sylvius. in 3 p. D. Thome. q. 83. art. 1. dub. 9. Barth. ab Ang. dial. 5. §. 477. & 487. Nau. capit. 27. §. 36. Suarez. tom. 3 disput. 78. sect. 2.*

Pro defunctis insup in Purgatorio existentibus offerri posse hoc sacrificium clarū est, id. n. satis ecclesiæ vsus confirmat, & Omnium Doctorum communis consensus: quibus vt infra dicemus, missa de requiem non ratione sacrificij, qđ idem semper est; sed peculiarium precum ad id institutarum causa magis prodest, & suffragatur. *capit. anima. 17. q. 2. Conc. Trid sess. 22. cap. 2. & can. 3.* Sic missatum celebratione S. Malachias a sorore defuncta rogatus, eam liberauit ex *D. Bernardo in illius vita. c. 4.* Et D. Thomę Aquinati oranti soror eius apparuit, seq; in locis purgatorijs cruciari dixit, rogans, vt sacrificia, & preces pro ipsa Domino offerret, quod cum egisset, eam liberam fecit, vt in eius vita apud. *Sur. tom. 2. 7. die Martij.* Plures etiam idem consecutos, patet ex vita Petri Damiani apud eundem. *Suriū. Mense. Ian. & Daur. in Catechis. hist. tom. 3. cap. 5. tit. 16.* Et apud omnes cōstat, communia sacrificia & suffragia, quæ pro omnib. pijs defunctis offeruntur, omnibus animabus in Purgatorio existentibus prodesse, particularia vero illis tm̄, pro quib. fiunt. *Scortia. l. 2. cap. 2. num. 10.* Quod adeo verum est, vt in applicatione non dans stipendium pro sacro faciendo, nec ille pro quo superior iussit, sed ille præferatur, cui voluntarie particulari intentione sacerdos sacrificium applicat: quandoquidem licet Antistitis præcepto non parens peccet, & pro honorario recepto, obligationem non adimplendo, præter culpam, etiam iustitiā violet, vt proinde illud danti restituere teneatur, vel pro eo aliā missam celebrare, applicatio tamen tenet, quia Christus Dominus soli sacerdoti vti ministro, valorem adscribendi facultatem dedit, nec Superior hanc volūtatem ab eo auferre potest, vt ex communi sententia tradit. *Vasquez. 3. p. d. 231. n. 33. & Molfes. tr. 3. c. 15. nu. 36.*

Pro damnatis uero non esse offerendum ex eo clarescit, quod in Inferno nulla sit redemptio, ita

vt qui pro illis oraret, graui se scelere obstringeret. Imò hæretica positio foret, asserere viuorum suffragia, ipsis damnatis ad remissionẽ pœnæ aliquomodo prodesse. Nec obstat, qđ ecclesia in officio mortuorũ oret. A porta Inferi erue Domine, &c. Et in missa. Ne absorbeat eas Tartarus, &c. nã ibi nomine inferi, vel Tartari Purgatorius locus intelligitur, &c. *Sot. in 4. dist. 45. q. 2. ar. 2. Nau. c. 20. de hor. can. num. 38. Azor. par. 1. l. 10. cap. 22. q. 6. Philiarc. de off. sacerd. par. 1. l. 2. cap. 7. Anton. de Butrio. consil. 25. & 28. Tuschus in v. oratio. concl. 173. Iustin. in Tob. capit. 4. vers. 18. in Docum.*

Quod ad Beatos attinet, dico exploratũ omnib. esse, minime pro his sacrificari posse ad delictorum expiationem, vel pœnarum remissionem, seu gratiæ, & gloriæ incrementum. Hoc enim sensu verum est illud, quod passim in fidelium ore versatur, Iniuriã facit Martyri, q orat pro Martyre. Deinde pro cõperto habetur, in missa fieri Sanctorum mentionẽ, ut eorum exemplo, & imitatione viui ad bonã vitæ frugem excitentur, & vt Deus ipsos viuos cum illis in Cœlesti patria consociet. Nec non illud est certũ, eos commemorari, vt pro eorum victoria, & rebus præclare gestis, Deo gratias agamus, ac vt ipsi de hac gratiarum actione lætentur, quod quidẽ in accidẽtalem, & extrinsecam ipsorũ gloriam cedit. Id postremo ab omnibus conceditur, Sanctis ciuibus in Cœlo regnantib. sacrificium minime offerri, sed soli Deo, id quod supra. *q. 112. admonui ex Concil. Trid. sess. 22. cap. 3. Franc. Sylu. l. c. dub. 10. & seq. Azor. q. 5. Suarez. sect. 3. Coninch. q. 83. art. 1. dub. 9. num. 158. Miranda in Man. Prælat. par. 1. q. 91. art. 5. Bellar. l. 2. de missa. c. 8. Bonac. d. 4. q. vlt. p. 4. n. 7.*

QVAESTIO CXV.

QVOMODO HOC SACRIFICIVM valeat, ac operetur.

QVæritur, quomodo hoc sacrificium valeat, & operetur? R. Cum sacrificiũ missæ sit excellentissimus religionis actus, si ab homine iusto offeratur, non dubium, quin & meritorium, & satisfactorium sit, nam hoc & alijs bonis operibus cõmune est, sed præterea tenendum est, aliquem produci effectum, qui præter omne meritum, aut sanctitatẽ, siue sacerdotis offerẽtis, siue eius pro quo offert, ipsius sacrificij virtute donetur, ac proinde ex opere operato valere, licet ipse sacerdos malus sit, & à diuina gratia alienus, & charitatis expers. Hæc etenim est illa munda oblatio, quæ nulla indignitate, aut malitia offerentium inquinari potest, sed sacerdotes mali sibi iudicium tantum manducant, & bibunt; licet opus operans desit bonitas, ac pietas ipsius sacerdotis multũ ẽt ad impetrãdum prosit, &c. Conc. Trid. *sess. 22. cap. 1. & D. Thomas. in 4. dist. 45. quæst. 2. art. 1. quæst. 3. cap per Esaiam. 1. q. 1. Syluius. l. c. dubit. 13. Nau. cap. 25. n. 79. Suar. d. 73. Miranda in d. Man. Prælat. tom. 1. q. 41. art. 22. Scortia. de sacrif. miss. l. 2. c. 5. Vasq. tom. 3. d. 229. Bonac. l. c. p. 6.*

CAP. XIII.

QVAESTIO CXVI.

AN PRO MISSAE CELEBRATIONE liceat aliquid dare, vel accipere, & quodnam sit iustum eius stipendium.

LIcet ne aliquid dare, vel accipere pro missæ celebratione, vel eiusdem sacrificij oblatione, & quodnam est iustum stipendium, &c? R. Non licet aliquid tẽporale dare, vel accipere pro missæ sacro faciendo, tanquam sacrificij pretium, sed bene pro sustẽtatione, & eleemosyna ipsius celebrãtis, ex ecclesiæ ordinatione, & approbata locorum cõsuetudine; nam cum missa res spiritualis sit, vt iq; simoniæ labes contraheretur, si quid pretij nomine daretur, vel acciperetur. *c. ad nostram. ext. de simonia. Nau. c. 23. §. 101. Henriq. de sacrif. miss. c. 22. Suar. disp. 86. sect. 1. Arrag. 22. q. 100. art. 3. & omnes cõiter.* Vnde si sacerdos interrogetur, quantũ missæ celebrandæ gratia detur, respondere poterit, tãtum dari, intelligendo non de pretio, sed de eleemosina, & sustentatione. Reprehensione tamen non leui digni sunt sacerdotes illi, qui tẽporalis lucri causa ad diuina se conferunt, quamuis .n. ob celebrationẽ fas sit stipendium aliquod, vel mercedem recipere, quod ecclesia admittit, vt qui Altari deseruiunt, de Altario viuãt, nefarium tamen est, eo fine primariò rem sacram facere, vt inde terrenum compẽdium reportent, vt tradit. *D. Bonauent. in tract. de præparat. ad missam. capit. 8.*

Hinc sequitur, sacerdotem etiam diuitem, sine simoniæ nota, posse apud legitimũ Iudicem, & via iuris stipendia pro missarum celebratione à soluere recusantibus exigere. Hæc.n. non vt sacrificij pretiũ exquiruntur, sed vt laboris merces, & operæ, vel ẽt vt eleemosyna, superioris lege, aut consuetudine sacerdotis sustentationi debita. Explorati.n. iuris ẽst; integrum esse Episcopis, cõgruam stipem præscribere, & etiam sub excõicationis, vel suspensionis pęna iubere, ne maior petatur, vel exigatur. *Arrag. 22. q. 85. art. 3. Azor. par. 3. l. 12. cap. 6. quæst. 2. Reginal. l. 23. nu. 241. Grat. in For. Discep. tom. 2. c. 210.*

Porro iustum stipendium pro celebranda missa, illud non est, quod sacerdoti ad congruam sustentationem necessarium est, nam alioqui sequeretur, sacerdoti nobili, aut in dignitate cõstituto, pinguiorem stipem ad sui conuenientem sustentationẽ deberi,

bere, quàm pauperi, qđ est à ratione alienũ. Quod etiam ex ecclesiæ consuetudine satis cõstat, cum .n. stipendia lege firmantur, non tanta esse consueuẽrũt, vt sola ad sacerdotis alimoniam, nec vnius diei sufficiant. Hinc & in Conc. Trid. *sess. 21. de reform. c. 2.* statuitur, vt nullus ad sacros ordines promoueatur, nisi ecclesiastico beneficio, vel sufficienti patrimonio potiatur, ut cõmode, & honeste se alere ualeat, nec mẽdicare cogatur, nam aliàs quilibet sine beneficio, & patrimonio sacerdotio initiari posset, cum solum sacrificij stipẽdium illi sufficeret, &c. Iustum ergo stipendium illud est, qđ lege in synodo, uel ab Episcopo statutum est, uel consuetudine receptum, ut ualor unius argentei, &c. nam quando lex non extat, ex cõmuni æstimatione, & usu à prudentib. & Deũ timentibus uiris obseruato, hoc definiendum est. Quò fit, ut cum hoc stipendium non est ab Episcopo taxatum, eius iusta æqualitas in indiuisibili consistere non possit, sed aliquam latitudinem habeat, & hoc sicut in alijs rebus contingere solet, in infimum, medium, & summum distinguatur, &c. Cauendum tamen est sacerdotibus, ne more aliarum rerum hoc negotium tractent, cum fidelibus contendendo, ut rigorosum exigant, nam licet iustitiæ leges hic non ledant, est tamen quædam irreuerẽtia, ex qua communiter scandalum sequi solet, ut propterea mulctari, ac puniri debeant sacerdotes illi, qui propriam ecclesiam deseiũt, & sordida auaritia plus danti se offerunt. *Suarez. tom. 3. disp. 86. sect. 2. Bonac. d. 4. q. vlt. par. 8. num. 12.* Hinc Concil. Trid. *sess. 22. in Decreto de obser. & euit. in celeb. missa.* Iubet, ut Episcopi ad tollendam auaritiæ, uel turpitudinis suspicionem, cuiusuis generis mercedum cõditiones, pacta, & quidquid pro missis dicendis datur, nec non illiberales eleemosynarum exactiones, & alia, quæ à simoniaca labe, uel à turpi quæstu non longe absunt, prohibeant. Vnde ex laudabili etiã instituto in missarum celebratione quidam regulares stipendiorũ iuri renũtiant, ut cum maiori libertate, & puritate ab ipsis Euangelij prædicatio, & alia spiritualia ministeria obeãtur; ut & Carthusiani carnibus nuntium remittunt, quamuis nullo uoto, aut præcepto obligentur. Et in ea religione, in qua speciali constitutione ad lethalem culpã obligante, inhibitũ est, ne quis pro missis, prædicationibus, confessionibus, alijsq; similib. ministerijs obeundis stipendium aliquod accipiat, illud statutum accipiẽdo uiolans, mortaliter peccat, & acceptum monasterio restituere tenetur. *Petr. Nau. l. 3. de restitut. cap. 1. numer. 183. Rod. in summa part. 2. capit. 33. numer. 8. Barth. ab Ang. dialog. 5. de missa. §. 507.*

QVAESTIO CXVII.

MISSAM NOVAM CELEBRANS, AN peccet, ac simoniam committat, prabendo osculandas manus, vt lucrum capiat, &c. & quomodo se gerere debeat.

AN qui primam missam celebrat, quæ missa noua dicitur, culpam aliquã admittat, si manus exosculãdas offerat vt aliqd ipsi tribuãt, & qũo in huiusmodi missis celebrandis sacerdotes se gerere debent? R. Quod licet hic simoniaca labes non committatur, nec ex parte dantis, cũ liberaliter det, nec ex parte celebrantis, qui non ut pretium, sed ut donum ultrò datum expectat, speciem tamen auaritiæ præsefert, & turpis quæstus suspicionem in hominũ animis generat, &c. Quare ob huiusmodi suspiciones, & scandala uitanda, prudẽter Episcoporum quorundam statutis prohibitum est; sicut etiã illorum Parochorum consuetudinem tollunt, qui statim ac Eucharistiam administrarũt, puerum ad id destinatum habẽt, qui cum crumena, lance ue, ut aliquid ipsis detur, statim se offert, cum eadem rõne hoc auaritiam sapiat, &c. *Vgol. de simonia tab. 1. cap. 9. §. 2. & capit. 43. numer. 2.*

Porro in primitijs celebrandis non pompam, seu apparatum magnum, sed humilitatem, & spiritus paupertatem placere Deo, & B. Virgini. Surius his verbis ostẽdit, Andreas Episcopus Fesulanus ordinis Carmelitarũ, vir virtutib. ardens, & in dies magis, magisq; sãctitate pullulãs, ad sacros ordines admittitur: Corsini omnes statuũt, vt primam missam Andreas celebraturus oblationem magnis apparatibus, ingentiq; pompa celebraret. Sed ille vbi hoc audiuit, habita prius licentia à Prouinciali, secessit septimo milliario ab vrbe, in conuentum syluarum, ibiq; sacerdotij sui primitias offerenti, B. M. V. cum comitatu Angelorum apparuit dicens, seruus meus es tu, quia ego elegi te, & in te gloriabor; & hæc dicens paulatim se in auras eleuauit. Andreas stupore perculsus, non elatione extollitur, sed magis per humilitatem nitebatur se dignum seruũ efficere, & humanas laudes fugiens, studio bonarũ artium sibi immortalitatem parabat. hæc. *Surius in eius vita 6. Idus. Ian. & Daur. in flor. exempl. tom. 3. c. 5. tit. 52. exemplo. 7.* Proinde cum quis in sacerdotij gradum ascitus, sacrificandi munus primo est initurus, primamq; rem sacram facturus, id nequaquã alio quã pij humilis, ac trementis animi apparatu, suo, aliorumq; qui ei aderũt, fieri debet, & omnia illa abroganda, & tollenda sunt, quæ ambitionis, & auaritiæ speciem præseferunt, vt conuiuia, ludi, tubarũ, buccinarumq; sonitus, inuitationes, læti cætus, choreæ, stipis quoq; ac donorum collationes, aliaq; sæcularia oblectamẽta, à sanctitate rei, de qua agitur aliena, quæ

na, quæ praua induxit licentia, & habendi sitis inuexit. In missis quoq; nouis celebrãdis sacra Cardinalium Congregatio id obseruandum censuit, Qui missas nouas celebrant, possunt se tantum in medio Altaris ad populum vertere, & oblationes spõte factas recipere, non autem hac de causa ecclesiam lustrare, vt refert. *Zerula in praxi Episcopali par. 2. v. missa, & Barbosa. in remissionib. ad Conc. Trid. sess. 22. in Decret. de obser. & euit. &c.*

QVAESTIO CXVIII.

AN EPISCOPI STATVERE POSSINT, VT Laici tantum, nec minus dent pro missis celebrandis.

AN ab Ordinarijs lex condi possit, vt Laici tantum, nec minus dent pro missis, aut alijs diuinis officijs celebrandis? R. Quando nullum scandalum inde imminet, id licite interdũ fieri posset; quia sicut Laici compelli possunt ad obseruãdas laudabiles consuetudines, & ad dandas cõsuetas eleemosynas post administrata Sacramenta; ita etiam cõstituere licet (præsertim vbi Clerici inopia premuntur) vt non detur eleemosyna solito minor, aut iam aliàs taxata. Nõ potest tamẽ sanciri, ne Clerici stipes solitis minores pro administratione spiritualiũ accipiant, quia id esset pietati, ac charitati aditum occludere, possunt.n. sacerdotes in eleemosynis sibi debitis in toto, vel in parte remittendis liberales esse, & christianæ misericordiæ opera exercere. Sicut vice versa si homines præsertim diuites maius stipẽdium, quàm lex, aut cõsuetudo præscribit, gratis, & spõte taxationem non ignorãtes, sacerdoti darẽt, illud salua conscientia, & religione accipere posset, cum aliud sit ex iustitię legib. exigere, aliud ex gratitudine, & liberalitate donare, vel remittere. *Suarez. disp. 86. sect. 2. Azor. par. 3. lib. 12. capit. 6. quæst. 7. Vgol. de simonia. tabel. 1. capit. 44. §. 1. Sà in verbo officium. Tiraq. de nobilit. capit. 29. num. 38. Possen. de officio cur. capit. 2. n. 25. Reginal. libr. 10. nu. 138. & l. 23. numer. 241. Vide infra tract. 11. c. 9. q. 11.*

De pecunia vero legata pro tot missis celebrandis, an si merces sacerdotibus danda augeatur, in præiudicium hæredis augeri debeat, vel diminui missarum numerus, videatur, *Marc. Ant. Gen. in Pract. eccles. Tricen. 6. q. 179.* Vbi ad augmentum pecuniæ hęredem teneri concludit, ac resoluit.

QVAESTIO CXIX.

AN SACERDOS VNICA MISSA POSSIT pluribus obligationibus satisfacere.

POtest ne sacerdos pro pluribus, qui singuli iustum stipendium dederunt, vnica missa satisfacere? R. Non põt; licet enim, vt Theologi loquuntur, missę valor quò ad sacrificij essentiam sit infinitus, quò tamen ad particularem actionem, & applicationem finita, & limitatæ virtutis censetur. Vnde missæ sacrificium pro pluribus oblatum, non tãtum cuilibet prodest, ac si pro vno tãtum esset oblatum; proinde sacerdos sic agens, cõtra charitatem, & iustitiam peccat. Si tamen eleemosyna minor sit, quã vel ex lege, vel cõsuetudine tribui solet, liceret vnicum sacrum pro duplici stipe offerre; quippe iniusta esset eius postulatio, qui pro tenui stipẽdio totum peteret sacerdotis obsequium, & cum ipsi sacerdoti manifesta iniuria fiat, merito ac iure potest se indemnẽ seruare, (nisi tamen adsit expressa promissio, vel iuramentũ de celebranda missa pro illo paruo stipendio.) Atq; hæc est cõmunis opinio ab omnibus pijs sacerdotib. in praxi recepta. Hinc etiam dicit. *Abb. in cons. 99. & Tus. in v. sepultura, concl. 195.* quod licet legatum pro celebrandis missis, pro anima testatoris, non expressa ecclesia, in dubio debeat intelligi ecclesia, vbi sepultus est; quia hoc est verisimilius, cum à communiter accidentib. suffragia in Templo vbi sepultura adest, fieri soleant; attamẽ si in ecclesia, vbi sepultus est, non essẽt sacerdotes liberi, vt quia haberent onus continuum pro alijs, eo casu missas sibi minus proficuas elegisse nõ censetur; missam enim totalem magis, quàm diuisam prodesse, & plus operari totã missam pro vnius animæ redemptione, quàm sacrificium pro plurib. oblatũ, ex unanimi, DD. consensu asserit. Quinimo vt resoluit *Bonac. infra citãd.* verior, ac probabilior illa opinio videtur, quæ tenet, sacerdotem non posse valorem, qui sibi specialiter debetur, alteri danri eleemosynam applicare, sicq; pro eadẽ missa duas eleemosynas, vel stipes accipere, vnã quatenus vni mediũ valorem tribuit, alterã quatenus alteri specialem, qui sibi debetur, valorẽ offert, est enim priuilegium personale, quod instar indulgentiæ alteri applicari nequit, vt dixi *infra q. 213.* Et hanc assertionem, scilicet vnica missa non posse pluribus obligationibus satisfieri, tuentur. *Nau. c. 25. §. 92. Tol. l. 2. c. 8. Bellar. l. 2. de missa c. 4. Azor. p. 1. l. 10. c. 21. q. 1. Roder. tom. 1. qq. regul. quæst. 43. art. 17. Syluius in 3. part. D. Thomæ. quæst. 83. artic. 1. quæst. 16. Suarez. disput. 86. sect. 4 Coninch. d. quæst. 83. art. 1. dubit. 10. num. 192. Reginal. l. c. nume. 232. & seq. Henriq. lib. 9. cap. 22. Pet. Nau. de restitut. l. 2. cap. 2. numer. 313. Bonac. d. 4. quæst. vlt p 8. Pinellus tract. de missa. capit. 18. dubit. 3. & 4. Bisfeldius. in Euch. Theolog. Past. de Euchar. capit. 7. Zanard. in Direct. Theolog. par. 1. de Euchar. cap. 13. Graffius. l. 2. decis. aur. capit. 45. & multi alij quos consulto omitto.*

QVAESTIO CXX.

AN PAVPER SACERDOS PRO VNA missa plura stipendia accipere possit, & quid de diuite sacerdote, &c.

AN sacerdos pauper siue secularis, seu regularis, possit pro vna missa, pinguiorem eleemosynam, vel plura stipendia accipere? Etiam sacerdos diues pro missis celebrandis licite stipendiũ sumat? R. Primo neq; pauperes sacerdotes vltra mercedẽ, vel lege, vel vsu præscriptã, nec pro vno sacro faciẽdo plura iusta stipẽdia accipere possũt, nã ecclesia, vt supra significaui, missas non instituit ad alendos pauperes sacerdotes, sed statuit, vt nullus pauper ordine sacro initietur, &c. Pro obligatione tamen celebrandi summo mane, vel in loco à Ciuitate distãti, vel certis diebus, & in determinatis locis, certum est, maiori posse augeri stipendio, quàm lege, aut consuetudine sit receptum, cum hic labor celebrationem antecedens, vt ire ad loca distantia, &c. sit mere temporalis, extrinsecus, per accidens sacrificio annexus, & per se pretio æstimabilis, ideo pinguiori stipe compensari potest. Sicut etiam diebus festis accipere põt sacerdos pro missæ celebratione duplum eleemosynæ, quæ alijs diebus eo nomine solet erogari, nisi ab Epõ prohibeatur. *Abb. in c. significatũ, & cum secũdum. ext. de præbendis. Lessius l. 2. de Iust. & iure. cap. 35. dub. 8. num. 45. Suarez. disp. 86. sect. 4. Bonac. l. c. num. 13.* Regularibus, quoq; sacerdotibus integrum non est, ratione paupertatis ꝑ vno sacro plures iustas eleemosynas exigere; siquidem Leo X. ipsis concedit, vt vna missa multis obligationib. satisfacere possint, si datę eleemosynæ valori vnius Iulij non æquiualeãt, ergò iusto stipendio vnius Iulij præstito, vel alio iuxta legem, vel consuetudinem, regulares pauperes debẽt sigillatim missas celebrare, &c.

Sed dato qđ aliqui pauperes sacerdotes, qui iam ordinati in grauem paupertatem inciderunt, vel regulares, qui tẽuiori victu, & strictiori vestitu vitam transigere solent, summa inopia conflictentur, plura stipendia, vt multi senserunt, accipere possint, hoc tamen limitandum est, prout superiori, q. aduerti, ut si qui dat iustum stipẽdium, expresse postulet, ut pro se missa dicatur, & sacerdos illã promittat, tunc pauper sacerdos pro illo sacrificio plures eleemosynas accipere non possit, eo quod datã fidem, & pactum (cuius obseruatione maxime sacerdotes abũdare debent,) turpiter, & iniuste uiolaret. *Sot. l. 9 de Iust. & iu. q. 3. art. 1. Did. Nugn. de sacr. tom. 1. par. 3. trac. de sacrificio dub. 9. concl. 6. Vasquez. 3. part. tom. 3. disp. 234. cap. 2. num. 14. Fraxinellus in disp. de missæ celeb sect. 4. concl. 1.* Ad secũdã dubitationẽ respondendo dico, ex communi sententia, sacerdotem diuitem, siue ex bonis temporalibus, & hereditatijs, siue ex ecclesiasticis redditibus, ut sũt simplicia benificia, Canonicatus, & etiam curata beneficia, &c. licite posse pro dicendis missis stipendia accipere, nam sacerdoti celebranti ex iustitia merces debetur, & ualde extrinsecum est, ut sit diues, nõ n. ut diues, sed ut sacerdos celebrat. *Arrag. de Iust. & Iu. q. 100. art. 2. Nau cap. 23. num. 102 & 25. nu. 92. Suarez. l. c. sect. 3. Henriq. de sacrificio missæ. cap. 22 num. 6. Reginal. l. 23. num. 238. Scortia. l. 2. cap. 10. Molfes. tract. 3 capit. 16. Coninch. quæst. 83. artic. 9. nummer. 198. Bonac. disp. 4. quæst. vlt pun. 8.*

QVAESTIO CXXI.

QVOD PECCATVM COMMITTAT sacerdos, totam missam ei non applicans, pro quo celebrare tenetur.

QVod peccatum committit sacerdos, siue secularis, siue regularis, qui obligatus ad dicendam missam pro aliquo, non applicat ei totam eius partem, quam applicare tenetur? R. Peccat mortaliter, charitatem, & iustitiã subinde uiolans, ita ut præter culpam, ad restitutionẽ teneatur, modo ex intentione, & uolũtarie hoc faciat; q si inaduertẽter, & ex obliuione hoc cõtingeret, tùm à mortali culpa, tùm à restituendi onere excusatur, eo quod tunc uirtualis intẽtio ualorem adscribendi illi, cui tenetur, sufficeret, &c.

Et ad clariorẽ huius rei notitiã, sciẽdũ est, triplicẽ esse missæ ualorẽ, uidelicet 1. generalẽ, q toti ecclesiæ iuxta eius intentionẽ debetur. Secũdo mediũ, q ei assignatur, pro quo missa celebratur. Tertio specialem, qui ipsi sacerdoti celebranti debetur. Atq, adeo (quidquid sit aliquos sit de speciali) qui totum gñalem ualorem ecclesiæ, sm eius ordinationẽ non applicat, & mediũ ei, pro quo missam celebrat, lethalis culpæ sit reus, cum fraudem, dolũ, & furtum committat, ac proinde aut promissum adimplere, aut accepta stipendia restituere tenetur. *Graffius. l. 2. decis. aur. cap. 45. num. 19. Arrag. quæst. 85. art. 3. Pet. Nau. l. 2. de rest. capit. 2. nume. 332. Vasquez. in 3. par. tom. 3. disp. 231. capit. 4. Barthol. ab Ang. dial. 5. §. 508. & alij.* Quod etiã intelligẽdum est, qñ sacerdos unius, uel alterius missę stipendium fraudaret, quamuis enim ratione paruę quantitatis lethalis culpa non consistetur, est tamen peccatum mortale uiolationis fidei, ac pacti, & defraudationis in re graui, uidelicet honoris Dei, beneficij uiuorum, ac defunctorũ, ac spiritualis fructus, quem sibi, & alijs procurare intendit, ut aduertit. Idem *Pet. Nau. l. c. num. 381. & Reginal. num. 233. & seq.*

Porro dubium non est, sacerdotẽ obligatũ in tali Ecclesia, uel Altari missã celebrare in remedium, uel

vel refrigerium animę testatoris, vel institutoris, teneri ipsius missæ valorem applicare, pro assignati stipendij quantitate, nec satisfacere, si pro alijs applicet, & ibi tantum rem sacrã faciat. Secus esset dicendum, quando in capellaniæ institutione hæc verba apponerentur, vt in tali ecclesia Dei cultus augeatur, testator legat, &c. tunc. n. eius mens colligitur, sufficere, missam ibi celebrare, quò populus illã audiat, &c. Præsertim quod qui missam celebrari petit, sacerdotem ad id obligare velle censetur, quod sibi vtilius, & cõsultius est. Et fortissima est præsumptio, quæ ex consuetis, & communiter accidentibus ducitur. *Graffius. p. 2. conf. 3. de celebrat. miss. Bonac. de sacram. disp. 4. q. vlt. pun. 7 §. 2. num. 13.*

QVAESTIO CXXII.

VTRVM CAPELLANVS QVOTIDIE celebrare obligatus, si id non faciat, charitatem & iustitiam lædat?

AN sacerdos qui ratione Capellaniæ, vel ecclesiastici beneficij, ad quod est electus quotidie sacrificare debet, id non faciendo peccet, & aliquid restituere teneatur? R. Si commode, & salua honestate, & debita deuotione, & saluo cultu, qui Sacratissimæ Eucharistiæ Sacramento debetur, quotidie sacris operari queat, grauiter peccat, & iustitiam lędit, si id omittat, tũ q̃a pacta, & cõuenta nõ seruat, tũ q̃a mortuos defraudat, & debito missę fructu priuat.

Nullus aũt sacerdos tenetur quotidie celebrare, etiam si ratione Capellaniæ personaliter, & per se ipsum celebrare compelleretur, quia sic delinquendi materia præberetur, cum facile non cõtingat, sacerdotes sẽper paratos, ac dispositos ad celebrandũ existere. *c. significatum. vbi Abbas. ext. de præbendis. Tusc. v. missa. concl.* 279. Quare vbi de iure, vel de facto impediretur, ad rem sacrã faciẽdã nõ tenetur. Excipitur tñ vbi testator nõ obligasset, vt ipse q̃ tali beneficio gaudet, missam celebraret, sed in institutione caueretur, vt operam daret, quò singulis diebus missa celebretur, tunc. n. quod per alium id fieri voluit, ob eam rem ad id curandũ astringetur. *Vgol. de off. Episcopi. cap. 14 num. 3. Azor. par. 1. lib. 10. capit. 24. q. 7. Graffius. l. 2. decis. aur. cap. 39. numer. 8. Riccius. in praxi fori ecclesi. decis. 399. Nald. in verbo missa. & v. Capillania. Tusch. eod. v. cõcl. 279. Campanil Rub. 7. cap. 6. Gonzales. ad reg. 8. Cancell. Gloss. 5. num. 84. Bonac. de Sacr. d. 4. q. vlt. p. 7.*

Addunt aliqui, Episcopum ex declaratione S. Congreg. Card. obtinentem Capellaniam cõpelli nõ posse, vt ipsemet celebret, licet in eius fundatione disponatur, quod Capellani celebrent; nam istis missarum onerib. rectè per substitutũ satisfit. Item Cappellaniam non esse sacerdotalem, nec actu, nec aptitudine ex eo, qđ in fundatione dicatur, Capellanum debere celebrare missas, sed posse prouideri simplici clerico 14. annorum; quia nisi expressè à testatore, vel institutẽte caueatur, qđ per se ipsum hoc agat, potest per alium celebrare. *Gonzales. l. c. Gloss. 5. num. 84. Garzias. de beneficijs. par. 7. cap. 1. nu. 85. & 87. Campan. in Diuers. Iur. can. rubr. 7. capit. 6. numer. 9.* Ad hęc, Capellanum infirmum teneri per alium celebrare, quando consuetum tempus decem dierum excederet; si enim per octo, vel decem dies ægrotaret, ab hoc celebrandi onere liber esset; nam etiam famulo stipẽdium currit, si per tale tempus infirmitate laboret, & dominus de iure per illud tempus alimenta subministrare tenetur. *Cou. l. 3. var. resol. cap. 13. Pet. Nau. l. 2. de restitut. cap. 2. num. 210. Mar. Ant. Gen. in Praxi Neap. c. 56. Riccius. in Praxi for. ecclesi. Decis. 403. Molfes. tr. 6. capit. 1. numer. 79.*

QVAESTIO CXXIII.

AN CAPELLANVS IN CERTO LOCO ad celebrandum institutus, alibi celebrando satisfaciat.

AN Capellanus institutus ad sacrum faciendũ in certo templo, oratorio, sacello, vel Altari quibusdam diebus, satisfaciat fundatori, si alibi diuinã rem faciat? R. Ex communi sentẽtia non satisfacere, eam ob causam, quod electus est locus, quem Capellanię fundator voluit frequentari: & religiose coli, proindeque eius menti satisfactum non est. Multo magis dicendũ est, cum non satisfacere, qui cum in Altari, vt dicũt, priuilegiato, accepta stipe celebrare debeat, alibi celebrat, putans indulto calculi benedicti, animã illius, pro quo celebrare tenebatur, è Purgatorijs pœnis per modum suffragij eximere posse. Nõ tñ tenetur ibi, vt aiũt de requiẽ missã dicere, ad hoc vt vi priuilegij aĩę à purgatorio carcere liberentur, nisi sic in Diplomate caueatur. *Roder. in qq. regul. tom. 2. q. 96. art. 6. Graffius. tom. 2. de celeb. missarum. conf. 3.* Mulriq; lethaliter in his casib. eum peccare asserunt, quia pactũ, & promissum in re graui non seruat, nã Capellanus tenetur suæ obligationi satisfacere. Primo in numero missarum. Secundo in loco determinato. Tertio in tempore, vt si conuenit in tali loco celebrare ad missam auroræ, aut prope meridiem. Quarto in qualitate missæ, vt de Spiritu sancto, vel de passione, vel de requiem. *Henriq. de sacrificio missæ. capit. 23. Barthol. ab Ang. dial. 5. de missa. §.* 748. Nec dubium, quin fundatori debeat missæ valorem applicare, nisi ex missæ fundatione aperte constet, eam tantummodo ad ecclesiæ cultum, & Altaris venerationẽ fuisse institutã, &c. vt supra dixi *q.* 121. Qđ si in designato loco ob aliquod impedimẽtum sacrificari non possit, sacerdos debet

debet eodem die alibi celebrare, siquidem verisimiliter credimus, talem fuisse fundatoris voluntatem, vt si locus impediretur, alibi pro se, vel suis sacrificium offeratur. *Nau. de oratione. capit. 5. num. 2. & 12. & in Man. cap. 25. num. 134. Syl. v. missa. 1. q. 10. Azor. p. 1. l. 10 c. 24. quæst 7. & 8. Fraxinellus. in disp de missa. sect. 4. concl. 4. §. 9. & alij.*

QVAESTIO CXXIV.

VTRVM CAPELLANVS IN ALIQVO etiam determinato loco celebrare obligatus, possit ab alio stipendium pro missa dicenda accipere, & an aliquam, vt dicunt, vacationem assumere ei liceat.

VTrum sacerdos ad celebrādum obligatus ex institutione Capellę, quam obtinet, vel propter acceptam stipem, possit aliquando pro eadem missæ celebratione, eleemosynam accipere, & vnico sacro, vtriq; obligationi satisfacere? Et an interdū ei liceat vacationē, vt aiunt, sibi assumere? R. Ad Primum caput quæstionis dico, absq; læsione charitatis, & iustitiæ id ei non licere, offerens enim eleemosynā sacerdoti, ab eoq; postulans, vt missam pro ipso, aut eius defunctis celebret, intelligitur totū illum missę valorem exigere, qui solet offerentib. applicari, nisi aliter se declaret, & nisi offerētē aliorum prioris obligationis ignarum moneat, ipseq; nihilominus velit dare, vt pro se collectā recitet, Deum oret, offeratq; eo modo, quo potest; tunc enim haber locum illa regula, Scienti & volenti non fit dolus, nec iniuria. *cap. scienti. de reg. iu. in 6. Viguer. in Instit. Theolog. cap. 16. §. 3. vers. 16. & omnes. DD. supra citati.*

Ad Secundā q. illam pariter positionē constituo, quod siue missæ obligatio referatur ad locum, vt .s. quotidie fiat sacrum in tali sacello, tunc sacerdos q huiusmodi onere astringitur, siue vacatione per se, vel per alterum celebrare tenetur. Si vero ipsam sacerdotis personam respiciat, vt si in institutione dicatur, Vel per se, vel per aliū celebret, tūc missę fundatio vacationem non agnoscit, neq; hæredū licentia, vel consensus suffragari potest, vt sacerdos suo muneri satisfaciat, si vel aliquādo non celebret, vel alibi, vel alio modo, cum non hæredum, sed testatoris voluntas sit adimplēda. Si postmodum beneficium his, vel similib. verbis instituatur, Eligatur Capellanus, qui quotidie celebret, & tunc, vt supra dixi, non quotidie sacrificare, sed quāto frequētius potest salua honestate, & debita Sacramēti veneratione, rem sacrā facere cogitur. Hanc porro vacationē à missæ celebratione clarū est ex dictis, nō sic accipiēdam esse, vt sacerdos semel in hebdomada à sacrificio abstineat, quò voluptatibus, vel secularibus negotijs vacet, vel aliud stipendium ad aliā missam celebrandā accipiat, sed vt peccatum in sacrificio ex mala dispositione deuitet; quo casu alium sacerdotem, qui pro eo sacris operetur, subrogare eum oportet, nisi quotidianæ missæ institutio hanc ordinariam vacationē expresse cōcedat. *Nau. cons. 6. de preb. Fraxinellus. sect. 4. concl. 4. Bonac. de missa. d. 4. q. vlt. p. 7. §. 2. num. 16. Nald. v. missa. n. 6.*

QVAESTIO CXXV.

AN SACERDOS SIBI COMPETENTEM specialem missæ valorem alteri applicare possit?

QVæritur, an sacerdos missam celebrans possit se ipsum speciali valore priuare, qui ipsi celebrāri debetur, illumq; alteri applicare, ut duplicem pro eadem missa mercedem accipiat? R. Supposito, ut supra aduerti, triplicē esse missæ fructum, uel ualorem, nempe generalem, quem ecclesia vult, ut sacerdos Papę, Imperatori, Episcopo, & cæteris fidelibus applicet; & hunc non potest sacerdos danti pro missa stipēdium ascribere, cū omnibus sit iure debitus, quæ obligatio non à stipēdio, sed à communi ecclesiæ lege dependet. Secundus est medius, qui sacerdori cōmittitur, ut eum ijs applicet, pro quibus rem sacram facit. Tertius est specialis, quem sacerdos tanquam priuata persona ex hoc sacrificio consequitur: & hic an alteri assignari possit, inter Doctores controuertitur, multis. n. grauibus uiris uisum est, cuilibet sacerdoti etiam regulari, integrum esse, tuta conscientia missæ ualorem specialem sibi debitū sibimetipsi, uel alteri, cui uoluerit, applicare, & duplicatam eleemosynā sumere. Vnde quando sacerdos religiosus ex mādato sui Prælati, uel Æditui missam est celebraturus, v. g. de B. V. uel Spiritu sācto, & ab alio rogatur, ut missam de eadem V. M. uel Spiritu sancto pro se dicat, tunc satisfacit, & Præsidentis intentioni, & ei, qui stipem dedit, applicando ualorem missæ sibi competētem ei, qui sic rogauit, & aliam partē ualoris alijs, quib. debet, & sic nemo sua portione defraudatur. Si tamen pecuniam, uel aliud pecunia æstimabile ꝓ hoc recipiat regularis sine Præfecti sui facultate, sibi retinere non potest, aliàs si res sit grauis, & mortaliter peccat, & ut proprietarius puniendus est; siquidem pecunia seruis Dei nihil est aliud est quàm Diabolus, & coluber uenenosus, *D. Bon. in vita. S. Franc. c. 7.* Et ut ait. *D. Amb. l. de bono mortis. c. 5.* Laqueus in auro, uiscus in argento. Retentio autem pecuniæ sine superioris permissu seu expresso, siue tacito, quid est aliud, quàm manifesta proprietas? *Nau Comment. 2. de regul. num. 2. Abbas & alij. in cap cum ad monasterium. ext. de stat. monach.* Alijs tū probabilius uidetur, sacerdotem ualorē, qui sibi specialiter debe-

debetur, alteri eleemosynā danti tribuere non posse, vt sic pro eadē missa duo stipendia accipiat, tùm quia proprius hic fructus est,& personalis; tùm etiā quia ignoratur, an specialis valor sacerdoti respondens sit æqualis valori medio, qui stipem tradenti applicandus est: quæ assertio maxime procedit ratione fructus, qui ex opere operato procedit, qđ cū personale priuilegium sit, in aliū transferri nequit, vt etiam aduerti supra *q.219. Bonac.d.4. q.vlt.p.8. num.16. Suarez.3.par. d.79. sect.9.& d.86. sect.1. Roder.in summa.p.1. cap.251.nu.2.contra Barthol. ab Ang.l.e.§.507.Nau.cap.25.num.92.Henriquez. l.c.cap.21.nu.7.Scortiam.l.1.cap.9. Mirand.tom.1. q.41.artic.17.Molfes.tract.3.cap.15.num.40.*

QVAESTIO CXXVI.

VTRVM OBLIGATVS QVOTIDIE certam missam celebrare, vt votiuam, vel pro defunctis, possit occurentis diei missam dicere.

AN Presbyter, vel beneficio ecclesiastico præfectus, qui quotidie ratione sui muneris, missam votiuam, vel pro defunctis celebrare debet, iure faciat sacrum, qđ diei occurrenti ab ecclesia assignatū est? R. Si in eum diem incidat celebritas aliqua, quę in ecclesiastico officio duplex, aut semiduplex appellatur, citra culpam huiusmodi sacrum dicto diei festo conueniens facere potest; imò aliquādo satius est, tale sacrificium offerre, vt si fuerit dies Dominica, vel aliqua alia solemnior celebritas: tū quia potius est regulis, præceptionibus, & rubricis Missalis parendum, quàm testatoris verbis, qui voluntatē suam ecclesiæ institutioni accomodare debuit, & si testator nunc adfuisset, hoc procul dubio voluisset, eo quod oēs missę ex opere operato ęqualis valoris existant. Et licet cæteris paribus missa de requiem magis defūctis prodesset, cum eius preces ad animarum liberationem directe fundantur, supplere tamē potest maior sacerdotis deuotio, & pietas, vel sancti illius intercessio, cuius suffragium in ipso sacrificio imploratur. *D. Ant.p.1.tit.10.cap.2. §.3. Henriq.de sacrif.missæ.cap.23.num.6. Roder.p. 1.summa.cap.248.num.9. Beia.par.1. respons.casu. consc.casu.23. Azor.part.1.l.10.capit.22.q.5.Nau. cons.6.de celeb.miss.Graffius.tom.1.cons.5.de celeb. miss. Miranda. in Man.Past.tom.1.q.41. artic.21. Tol.l.2.c.8.Scor.l.2.de missa.c.17.Molfes.tr.3.c.15.*

QVAESTIO CXXVII.

AN MISSAE D. GREGORII LICITAE sint, & quid in eis à sacerdote obseruandum sit.

QVid dicendū de missis D. Gregorij, quæ tàm pro viuis, quàm pro defunctis celebrari solēt, an licitæ sint & quomodo in his se gerere debet sacerdos? R. Quando triginta missæ. D. Gregorij, quarum institutio habetur ex ipsomet sancto *lib.4. dialog.c.55.* tàm pro viuis, quàm ꝑ defunctis sunt à sacerdote dicendæ, necessarium minime est, vt omnes eo ordine celebrētur, qui olim adhibebatur, nimirum de Martyribus, Cōfessorib. de Angelis, Sanctissima Trinitate, & huiusmodi; nec oēs sine 30. dierum Interruptione dicātur. ex DD. infra citādis. Vnde etiam si pro viuis in peccatorum satisfactionem celebrētur, sat erit, vt in festo duplici, vel semi duplici, vel ēt feria occurrenti de his sacrū fiat, & in memēto oratio ad Deum dirigatur pro eo, pro quo sacrificium offertur. *Vgol.p.1.de off. Episcopi cap.16. §.2.num.13. Miranda.l.c. Bonac.de Sacramentis.d. 4.q.vlt.p.7.§.3. Fraxinellus.de oblig.ad miss.dicend. sect.4.concl.6. Beia.p.1.respons.capit.23. Consaluus. Durant.innotis.ad reuelat. D. Brigitta.lib.4.cap.9.*

An aūt qui in humanis est, curare possit, vt defunctorum, seu missæ de requiem sibi celebrētur? Affirmant aliqui, vt *Nau. cons.6. de celeb.miss. Zerula in praxi Epis.p.2.in v.missa. Barbosa in remiss.ad Conc. Trid.sess.22. de sacr.missa.cap.2.* modo non dicantur orationes, quæ aliquem mortuum præferunt, v.g. Inclina Domine, vbi dicitur, quē de hoc sæculo migrare iussisti, & aliæ similes; siquidē id esset mentiri, quod nullo modo licet. *cap. cum humilitatis.22 q.2.* Communiter enim Theologi non solum omne mendacium peccatum esse docent, sed etiam omnē siue noxiam, siue officiosam simulationem veritati contrariam. Quod adeo verum est, vt non solum in terris, nec Sūmus Pōtifex, nec quilibet alius dispēsare possit, ut licitū sit, sed nec etiam Deus de potētia absoluta id facere queat, cum contradictionem implicet, id quod intrinsece malum est, per dispēsationem licitum fieri posse. *Canus.l.2.de locis Theol. cap.3. Con.l.1.var.resol.cap.2.num.1. Reginal.l.24. num.7.Molfes.tract.1.cap.22.num.52.*

CAP. XIV.

QVAESTIO CXXVIII.

MISSAE IN VITA PROCVRATAE, AN magis iuuent, quàm post mortem?

AN missæ in vita procuratæ magis iuuent, quā post mortem, & an tantum valeant rātumq; prosint triginta missæ triginta diebus celebratæ, quantum triginta, vno die à diuersis sacerdotib. dictæ? R. Fideles maiora beneficia sibi comparant, si missas dum viuunt, sibi celebrari curēt, quàm si eas post mortem sibi dici instituant; nam vt Theologi fatentur, In vita pro aliquo celebratæ non solum satisfactoriæ pro pœnis sunt, sed etiam propitiatoriæ;

riæ, meritoriæ, & impetratoriæ, & sic in vita, & post mortem prosunt. Vnde *D. Greg. l. 4. dial. c. 58.* Tutior, inquit, est via, vt bonum quod quisq; post mortem suam sperat agi per alios, agat ipse dum viuit p se, vt dixi in Arte adiuuandi infirmos. *p. 2. cap. 7.*

Secundo dico quantū attinet ad celeriorem animarum à Purgatorio liberationem, magis eis prodesse multiplicatam vnius diei missarum celebrationem, licet quantum ad multitudinis meritū magis valeat missarum continuata plurium dierū successio, cum magis honoretur Deus, eiusq; cultus augeatur, &c. *D. Ant. p. 1. tit. 10. cap. 2. §. 5. Turrecrem, in cap. quia alij. 13. q. 2. Graffius conf. 5. de celeb. miss. Fraxinell. de oblig. ad missas dicēdas. sect. 3. prænot. 4.*

QVAESTIO CXXIX.

VTRVM MISSAE AD MINOREM numerum reduci possint?

Licebit ne sacerdotib. missarum onera restringere, si annui earum redditus in Capellaniæ fundatione, vel institutione relicti, parui valoris sint, nec stipendia lege, vel cōsuetudine diffinita cōtineant, & rerum venalium pretium nunc excreuerit, ac expēsæ tàm quò ad victum, quàm quò ad vestitum auctæ sint, &c? R. Propria autoritate hoc facere nō eis licere, cum ad Episcopos in synodis diæcesanis, & ad Prelatos religionum in comitijs generalibus hoc munus spectet, qui re diligēter inspecta, prudenter, caute, & cū timore lædendi proprias cōscientias procedere debent, vt habetur in *Cōc. Trid. sess. 25. de refor. cap. 4.* Circa quem textū sacra Cardinalium cōgregatio declarauit, sufficere, si in memento fiat commemoratio pro defunctis pro quib. reductæ missæ erant dicendæ: nec illius dispositionem procedere in missis, quæ à testatoribus in fundatione ipsius beneficij impositæ sunt. *Marc. Ant. Gen. in praxi eur. Arch. Neap. cap. 24. num. 9. Piasecius in Praxi. Episcopali. part. 2. capit. 3. numer. 31. Vgol. de officio Episcopi. part. 2. capit. 61. numer. 1. Io. Franc. Leo in thes. fori ecclesi p. 2. c. 11. n. 33. Garzias. de benef. p. 7. c. 1. n. 141. Fraxinell. l. c. sect. 7. n. 5. Riccius. in Praxi fori eccles. Decis. 404. Naldus. in v. missa. n. 18. Posseu. de off. Cur. c. 2. q. 9. n. 25. Bonacin. de sacr. d. 4. q. vlt. p. 7. §. 2. n. 10. contra Henriq. l. 9. c. 22. n. 6. & Mirandam in Man. Pral. tom. 1. quæst. 41. art. 24. Molfes. tract. 3. c. 16. n. 29. Reg. l. 23. n. 239.*

QVAESTIO CXXX.

NVM MISSAE ANTICIPATAE licita sint.

AN sacerdos qui libet est à celebratione missæ, possit anticipatas, vt aiunt, missas dicere, & pro illis applicare, quos Deus in futurum eleemosynas daturos nouit? R. Et si de rigore iuris multi non pœnitendi Doctores hoc admittant; nam licet applicatio valoris missæ quò ad nos sit præterita, quò tū ad Deum, suæ æternitati semper præsens est, &c. *Roder. in summa capit. 251. concl. 4. Arrag. 22. q. 85. art. 3. Pet. Nau l. 2. de restit. cap. 2. num. 369. Henriq. l. 9. de missa. cap. 21. num. 2.* Quia tamen hic mos auaritiam, & negotiationem quandam sapit, & ecclesiæ vsui non congruit, hæc opinio non est in praxi seruanda. Ideo nonnulli referunt, Sanctissimum Pontificem Clementem VIII, alij Paulum V. Decretum cōdidisse. sub die 5. Nouemb. 1605. in quo nouam opinionē de missis anticipatis in Hispania excitatam condemnat, eamque periculosam, scandalosam, & ecclesiæ vsui aduersantem esse declarat, quam etiam reprobat. *Cordub. l. 1. q. 4. dub. 6. & Luc. Pinellus. in tract. de missa. par. cap. 18. dub. 5. & Fraxinell. l. c. sect. 3. prænot. 5 & August. Barbosa. in remiss. ad Conc. Trid. sess. 22. de sacrif. missæ. Riginal. libr. 23. numer. 237. Bonac. d. 4. quæst. vlt. part. 7. §. 5. numer. 3. Molfes. tract. 3. capit. 16. numer. 28.*

QVAESTIO CXXXI.

VTRVM ILLE CVI DATVR CERTA summa pecuniæ pro missis à se dicendis possit alios pro minori pretio conducere.

AN sacerdos, qui pinguiora stipēdia, quàm lex aut cōsuetudo præscribit, pro missis celebrādis accepit, alijs sacerdotib. tenuiorem stipem pro illis dicendis tribuere possit, & salua conscientia, & religione reliquam partem sibi retinere? R. Quidquid à Doctorib. varijs hinc inde allatis distinctionibus disceptetur, vt à *Soto l. 9. de Iust. & Iure q. 3. art. 1. Roder. in summa tom. 1. cap. 242. num. 12. Suarez. tom. 3. disp. 86. sect. 3. Sylu. q. 83. art. 1. dub. 17. Reginal. l. 23. num. 240. Nau. cap. 25. num. 91. Lopez. in Instruct. conscientiæ. par. 2. de Eucharist. capit. 78. Beia p. 1. casu. 12. Arrag. 22. q. 85. art. 3. Henriq. l. 9. cap. 22. Guttierez. in qq. Canon. l. 1. capit. 29. num. 32. Barbosa. l. c.* Hæc vera, & resoluta cōclusio mihi constitui posse videtur, videlicet liberum esse sacerdoti assumere, quod ex pinguibus eleemosynis sibi datis superest, si minorib. eas celebrari faciat, modo duæ concurrant cōditiones. Primo vt huiusmodi maiora stipendia, quæ sacerdoti pro missis ab eo celebrādis dantur, in dominium ipsius sacerdotis transcātū Secundo vt illud qd̄ alteri sacerdoti tribuit, sit iust. stipendium lege, aut consuetudine diffinitum. Sicu Capellanus cui pro paucis missis pingue stipēdium respondet, si impeditus sit, aut minus celebrare aptus, satisfacit, si per alium sacra fiant, consueta data ei stipe, reliquum titulo beneficij, quod Domino fru-

fructuosum est, retinens. Nemini vero dubium est, sacerdotem posse sibi retinere pecuniam, quam pro sacro faciendo accepit, si illud ab alio gratis fieri procuret, modo qui gratuito illas missas persoluit, sit ad celebrandum liber, & secūdum intentionem Superioris sacrificium facere non teneatur, quādoquidem tunc non satisfaceret, & promittēdo quod seruare nequiret, grauis culpæ reus fieret. *Barthol. ab Ang. dial. 5. §. 515. Possen. de officio Curati cap. 2. num 19. Fraxinell. l. c. num. 2. & Reginal. loco citato. Bonac. l. c. p. 8. numer. 18. Vasquez. 3. par. q. 83. disp. 234. artic. 4. capit. 6. Nald. in v. missa. numer. 4. Molfes. tract. 3. capit. 16. numer. 20. Henriq. lib. 9. capit. 22. numer. 8. Et de hac re dixi etiam in Comment. de hum. vita. stat. par. 1. capit. 18. obligat. 1.*

QVAESTIO CXXXII.

AN M. P. QVI ACCEPTO STIPENDIO pro pluribus missis dicendis, per longum tempus celebrationem differt, &c.

VTrum sacerdos, qui multam missarum multitudinē sub sua fide anticipato stipendio accipit, & eas per longum tempus non perficit, & notabiliter differt, peccet mortaliter, & ad aliquam restitutionē teneatur? R. Culpæ mortalis reatu cōstringi, & ad restitutionem teneri, nam si missa dici iubetur ratione impetrationis, vt pro aliqua necessitate salutis, vel pacis, vel pro iter agente, seu matrimonium contracturo, vel alio simili bono, & aliquo felici successu, contingere poterit, quod si missa cito diceretur, proximus finem, quē intendit, consequeretur; ob sacerdotis vero moram, vel numquā si iam tempus necessitatis est elapsum, vel tarde illū obtineat; quorum vtrumq; in damnum spirituale, vel tēporale illius iniuste illatū, procul dubio cedit. Si autem missa celebrari præcipiatur ratione satisfactionis, præcipue animarum Purgatorij, plana ēt iniquitas in eo apparet, quod acerbissimis doloribus detentæ, debito suffragio non liberantur, quod sine manifesta iniustitia fieri non potest, cum illę animę in extrema necessitate constitutæ sint, &c. *Syl. in v. missa. 1. q. 10. in fine Arrag. hic. Pet. Nau. lib. 2. cap. 2. num. 360. & seq. Reginal. l. 23. numer. 236. Nald. v. missa. n. 12. Bonac. d. 4. q. vlt. p. 7. §. 5. & alij cōiter.*

Quam veritatē his subiectis exemplis confirmare non grauabor: Sunt nonnulli, inquit compilator historiarum *D. Franc. de Assisio. p. 2. l. 4. capit. 7.* qui pro animis defunctorū pietatis officia intermittūt, quod animas eisdem non indigere arbitrentur; verum non ita eos bene sentire sequēs declarat exemplum, Mortuus est quidam frater, cuius vita Angelica potius, quàm humana putabatur; Cum vero eiusdem Monasterij Lector tres missas pro defunctis legi solitas, pro ipso non legeret, quasi eisdē non indigeret, quadam vice defunctus ille Lectori apparens, de tribus missis pro se celebrandis, eum admonuit; quippe qui ad Purgatoriū condemnatus, summopere eisdē indigebat, subiungensq; pœnas, quas patiebatur, dixit; Nemo facile credat, quàm strictū sit Dei iudiciū, quantoq; rigore peccata puniat, hęc ibi. Scimus ēt Fratrem Bertrandum, ordinis S. Dominici Religiosum, & sanctitate conspicuum, apparitione cuiusdam defuncti deterritum, & vexatum fuisse, ob neglectum pro defunctis sacrum; raro .n. pro defunctis, frequētissime pro viuis peccatoribus celebrabat, illam subinde inferens rationem, Mortui in Purgatorio existentes de sua salute certi sunt, nos in periculis fluctuamus, vt habetur apud *Sur. 5 Augusti, & Daur. tom. 3. flor. exempl. capit. 5. tit. 26. exempl. 1. Vide supra tract. 3. cap. 7. quæst. 62. & seq.* Et vt aliàs animaduertimus, pro animis è purgatorio carcere liberandis, tantū quælibet missa ex opere operato valet, quantum missa, vt inquiunt, de requie. Item ex communi DD. sententia, quoties sacerdote pro illis sacrū faciente, indulgētia p modū suffragij ipsis defunctis offertur, liberatio sequitur; quamuis illa missa in tres partes diuidatur .s. in valorē generalem, mediū, & specialē; siquidē Sūmus Pontifex illam diuisionem notam habet, vt missæ pro tertia parte celebranti applicet. Secūda toti ecclesiæ, & Tertia in sacerdotis manu remaneat, vt cui vult offerat. *Molf. tr. 3. c. 15. n. 8. & tr. 7. c. 26. n. 133.*

QVAESTIO CXXXIII.

AN SIMPLICES SACERDOTES TENEANtur aliquando celebrare.

QVæritur an simplex sacerdos cui nulla est animarum cura cōmissa, nec beneficium ecclesiasticum collatum, missę sacrificium aliquando offerre iure, & lege cogatur? R. Licet multi sint, qui in vtramq; partem hanc quæstionem ventilent, & agitent, magis tamen pia, tutior, ac in praxi sequenda videtur illa opinio, quæ sentit, sacerdotem nō teneri quidem quotidie sacrum facere, cum nec iure diuino, nec humano id cautum reperiatur. Quinimo qui ratione alicuius Capellæ ad quotidie per se celebrandum electus est, si quando ob deuotionem, humilitatē, honestam ve causam omittat, non peccat, modo aliū suo loco substituat, si in Capellaniæ fundatione industria personæ electa non fuit, sed solum habita fuit ratio loci, vel missæ celebrandæ, vt accidit quando in ipsa institutione dicitur, Volo missam quotidie in tali ecclesia, vel altari celebrari, vt dixi supra *q. 113. & tradit Bonac. d. 4. q. vlt. p. 7. §. 2. num. 17.* At ex cōmuni sententia certum est sacerdotem, saltē ter, vel quater in anno .s. in die

in die Natalis Domini, Resurrectionis, & Pentecostes (Addũt aliqui casum ratione audiendi sacri, in die festo) sub pœna peccati mortalis celebrare teneri, nam tanti suscepti muneris cõtemptor videretur sacerdos, & obnoxius esset scandalo numquã celebrans, cum facile sit id haberi pro signo profusæ, & profligatæ conscientiæ, & prauæ, ac licentioris vitæ. Atque huc spectat illa Apostolica exhortatio 2. *ad Corinth.* 6. Hortamur vos, ne in vacuum gratiã Dei recipiatis. Et illa Dñi præceptio, Hoc facite in meã commemorationem. *Luc. cap.* 22 Quod ex eo etiam probatur, qđ in *cap. dolentes. ext. de celeb. missarum.* Suspẽsionis pœna quibusdam sacerdotibus infligitur ob quædam delicta, quorũ vnum est, quod vix in anno quater celebrarent. Itemq; ex eo, quod *Concil. Trid. sess.* 23. *de refor. cap.* 14. Episcopis curare præcipiat, vt sacerdotes etiam simplices saltem diebus Dominicis, & Festis solemnibus, si autem animarũ curam habuerint, tam frequenter vt muneri suo satisfaciant, missas celebrent. Obseruandum tñ est, licet optimũ sit, illam missam celebrare, quam vnoquoq; die Missale assignat, attamen, nisi aliud alicuius diei solemnitas suadeat, accipi posse aliam ab eo, qui libere, & tantum pro arbitrio priuatã dicit, quia cum ei liberum sit, illam omnino non dicere, erit & aliam celebrare, parochialem tamen, vel conuentualem celebraturus ea libertate vti nõ potest. *Nau. cap.* 25. *num.* 88. *Lud. de Ponte. tom.* 4. *tr.* 2. *c.* 15. *Scortia l.* 2. *c.* 5. *Molfes. tr.* 3. *c.* 14. *Suarez. disp.* 80. *sect.* 1. *& d.* 83. *sect.* 3. *Henriq. de sacr. missæ. c.* 23 *num.* 2. *Azor. p.* 1. *lib.* 10. *cap.* 24. *q.* 1. *Tolet. l.* 2. *cap.* 3. *Vinal. de Euch. numer.* 82. *Barthol. ab Ang. dial.* 4. *de Euchar. n.* 128. *Fernan. in Theolog. mor. p.* 3. *cap.* 5. *S.* 6. *Roder. in summa. capit.* 248. *numer.* 4. *Reginal. lib.* 29. *num.* 208. *Bonac. l. c. Molin. in Instr. sacerd. tract.* 7. *capit.* 8. *Nald. in verbo missa. & Tusch. in eodem. v. missa. concl.* 279.

QVAESTIO CXXXIV.

AN QVOTIDIE CELEBRARE LICEAT, & an sint aliqui dies, in quibus sacerdotes celebrare prohibeantur.

Licet ne sacerdoti quotidie celebrare, & omnibus anni diebus, nullo excepto, missæ sacrificium facere? R. Singulis sacerdotib. & si nullum sit præceptum quotidie sacrũ faciendi, licitum tamen, imò & laudabile esse, partim ex allegatis testimonijs constat, præsertim ex *cap. visum. de cons. dist.* 1. *& c. iteratur. de consec. dist.* 2. partim ex eo, qđ Cassio Narniensi Epo quotidianas Deo Hostias offerenti diuinitus dictum est, Age quod agis, operare quod operaris, vt refert. *D. Gregor. in Euãg. hom.* 37. De Diuo Thoma Aquinate legitur, quod præcipua erga præstantissimum Eucharistiæ Sacramentũ deuotione afficeretur, solceretq; quotidie sacrificiũ offerre, nisi aduersa detineretur valetudine; nec hoc cõtentus, alteri etiam fratri celebranti inseruiebat. B. Laurentius Iustin. ex quo die factus est sacerdos, in singulos dies, nisi morbo prohiberetur, sacris operabatur, dicere. n. solebat, quod qui cũ posset Dño suo frui, nõ frueretur, facile declararet, Domini sui curam non habere. Ex recentiorib. D. Carolus Borromæus missa sacrũ facere quotidie numquã omisit, nisi morbi necessitate, eaque non quanis, sed graui abstinere coactus esset, &c. Quod etiam illa valida ratione confirmatur, quia licet laicis regulariter non sit consulendum, vt quotidie Eucharistiam sumant, sacerdotibus tamen consilium datur, ut quotidie sacrificent, est enim id per se loquẽdo melius; nam sacrificandi munus nõ est priuatum, sed publicum, nec soli sacrificanti prodest, sed toti ecclesię, & ideo dummodo indignus non sit, & moralem diligentiam adhibeat, quamuis sit imperfectus, nõ debet ab hoc sacro munere cessare, ut ait *Suarez. disp.* 80. *sect.* 2. *& Sylvius. q.* 83. *artic.* 2. Adde quod ipso frequẽtiori sacra faciendi usu, digniores efficimur; Canit enim ecclesia, & orat Deum, ut cum frequẽtatione mysterij crescat nostræ salutis effectus.

Et Qui non est hodie, cras minus aptus erit.

Atque Beda, quem citat Gabriel in Canone missæ. *Lec.* 87. *& Azor. lib.* 10. *cap.* 24. *q.* 10. Sacerdos ait, non legitime impeditus, celebrare omittens, quantum in eo est, priuat. S. Trinitatem laude, & gloria, Angelos lętitia, peccatores uenia, iustos subsidio, & gratia, in Purgatorio existẽtes refrigerio, ecclesiam spirituali Christi beneficio, se ipsam medicina, &c. ut multis etiam alijs rationibus prosequitur. *D. Bonauent. l. de præpar. ad missam. cap.* 5. Nihilominus ex accidenti nonnumquã laudabilius facit, qui abstinet, nam ut infra dicemus, ad sacrificandum non vulgaris præparatio requiritur; idque iuxta diuersas personarum conditiones iudicandum est. Illud tantum nunc dicendum uidetur, cũ hoc Sacramentum Eucharistię sit summa omnium mirabiliũ, hoc non minori admiratione dignũ uideri, tantam hominum utriusque sexus multitudinem, præcipue sacerdotum infirmam reperiri, qui cum quotidie rem sacram faciant, & Iesu Christi corpore, & sanguine pascãtur, nullos inde fructus percipiant, nec ad meliorem frugem, sanctioremque uitam conuertãtur. Nimirum praua libidine reguntur, terrena, & peritura sectantur, & forte quod ualde dolendũ est, peiores euadunt, quàm cum sacerdotio initiarentur, adeoque infirmi, & imbecilles in uirtute manẽt, ut inter hos, & illos, qui singulis tantũ annis accedũt, uix ullum discrimen cõstituatur. *Aut. de Molina. de dignit. sacerd. tract.* 4. *cap.* 15. §. 1. In hoc ẽt cõueniunt Doctores, in singulis Eccle-

sijs cathedralibus, collegialibus, parochialibus, aut conuentualibus debere quotidie sacrificium offerri, si conueniens, seu mediocris sacerdotum sit numerus. Quæ positio probatur ex communi ecclesiæ consuetudine, quàm sub mortali obligare, vt pote versanti in re graui, & ad commune fidelium bonũ pertinēte, insinuatur in *cap. cum creatura. ext. de celeb. missarum. Sot. in 4. dist. 13. q. 2. art. 1. Suarez. l. c. Reginal. l. 29. num. 168. Henriq. de missa. cap. 24. numer. 3. Barth. ab Ang. dial. 4. §. 139.*

Quod attinet ad Secũdā quæstionis partē, illud pro certo assero, duos esse anni dies, in quibus singulis sacerdotibus missam celebrare non licet, nempe feriam sextam, & sabbathum maioris hebdomadæ. *cap. sabbatho. de cons. dist. 3.* Cum enim missa sit Dominicæ Passionis representatio, ipsa tũc dies in qua Christus passus est, satis illam referre dicitur, & sacrum sabbathi nõ illi diei, sed nocti Resurrectionis ascribitur. Attamen ob iustā causam, & amoto scādalo, eo die priuatim celebrare licebit, dũ modo venia à Superiore Antistite petatur. In die vero Cenæ Domini, & publice, & secreto dici poterit, quia id nullo iure prohibetur. In his tamen consulenda est loci consuetudo, illique tanquam legi ob temperandũ, iuxta illud, Lex & regio, quo admonemur, obsecundandum esse moribus regionis, in qua versamur. Attamen vbique fere seruatum vidimus, feria. 5. eiusdem sanctæ hebdomadæ, ab ecclesiarum Præsulibus tantum vnam missam celebrari, & reliquos deinceps de vnius Præfecti manu Eucharistiam sumere, vt mysterium illud nobis repræsentetur, cum s. Christus Dominus primum sacrum fecit, & Apostolis postmodum corpus suum porrexit, &c. *Ferrādez. in cap. 1. de cons. d. 2. p. 7. dub. 2. num. 6. Francol. de horis. can. libr. 2. capit. 30. Vasquez. tom. 3. d. 132. Molfes. tract. 3. cap. 14. Scortia. lib. 2. cap. 5. Nau. cap. 25. num. 88. Azor. l. c. quæst. 4. Reginal. nu. 170. Suarez. d sect. 2. Henriq. de missa. cap. 8. num. 5 & cap. 9 num. 6. Guttierez. l. 1. qq. canon. cap. 30. nu. 36. Tol. lib. 2. cap. 3. Graffius. lib. 2. decis. aur. cap. 39. nu. 13. Barthol. ab Ang. dial. 5. §. 235. Ferr. l. c. §. 5.*

QVAESTIO CXXXV.

AN PLVRIES IN DIE CELEBRARE liceat?

Licet ne sacerdoti pluries in die celebrare? R. Nõ licere, & oppositum facere, non esset pietatis, vel deuotionis actus, sed peccatũ mortale, cõtra graue ecclesiæ præceptum. Quippe sufficit sacerdoti, missam vnā in die celebrare, quia Christus semel passus est, & totum mundum redemit, & valde felix est, qui vnam digne celebrare potest. *cap. sufficit. de cons. dist. 1.* Excipitur tamen dies Natalis Domini, in quo ab quasdam mysticas rationes, ter sacrum facere licet, dummodo sacerdos in primo naturæ ieiunium seruet, nec vt dicunt purificationem sumat; illæ enim tres missæ tres Christi natiuitates significant. Prima æternam ex patre generationem innuit. Secunda corporalem ex B. V. ortum. Tertia spiritualem, cum scilicet ipse Dominus per gratiam in cordibus nostris enascitur. *D. Thom. 3. p. q. 83. art. 2.* Non tamen est præceptum omnes illas tres dicere, sicut nec populo audire. Doctores in *cap. consuluisti. ext. de celeb. miss. vt etiam per Suarez. d. disp. 8. sect. 3.* Olim quoq; hac in re multæ habebantur exceptiones; quibus referendis super sedeo, cum iam sint usu abrogatæ, iuxta tamen regionum priuilegia, obseruandus est. ut dixi, mos, modo ipse sacerdos sit ieiunus. *Fernand l. c. §. 7. Pinel. de missa. capit. 10. dubit. 4. & alij communiter.*

QVAESTIO CXXXVI.

AN QVALIBET DIEI HORA celebrare liceat?

Integrum ne erit sacerdoti qualibet hora, & diei parte sacrum facere? R. Non licet absq; mortali culpa, ante auroram notabiliter, & post meridiem, sine Episcopi dispensatione, in casu particulari occurrenti; nam generale priuilegiũ concedere pro sua summa potestate ad Pontificem spectat, ita Rubricæ Missalis, & ecclesiæ consuetudo hoc seruat. Cum tñ hæc definitio moralis sit, non debet mathematice, uel punctualiter intelligi, ita ut aliqua latitudo non detur ex cõsuetudine legitime præscripta: ut, pinde ex probabili multorum sententia per mediam horā anticipare, & etiam postponere liceat, eo qđ pars temporis notabilis non cēseatur. Ab hac tamen regula excipitur, vt supra annotatũ est, natalitius dies Domini, & etiam Episcopus, qui noctu ex causa celebrare potest, ut per *Gloss. in cap. fin. de priuileg. l. 6.* Et is pariter, qui de eiusdem Episcopi facultate, urgente. s. necessitate pro communicando infirmo sacrum facit nocturno tempore. Quinimo absente Episcopo huiusmodi occurrente casu, absque tali licentia licebit. Addo si sit dies solemnis, & missa, publicaue concio, non nisi duas horas post meridiem perficiatur, officio solemni absoluto, priuatam missam inchoari posse dicendum uidetur, ne aliqui ex populo missam omittant. *Suarez. disp. 80. sect. 4. Reginal. num. 173. Azor. p. 1. lib. 10. cap. 25. quæst. 5. Fernan. §. 14. Conin. disp. 83. art. 2. dub 4. Syluius. di quæst. 83. art. 2. Nau. cap. 25. nu. 85. Philiar. de off. sacerd. l. 2. cap. 4. Viual. de Eucharist. num. 151. Roder. tom. 1. qq. regul. quæst. 43. artic. 1. Scortia. lib. 2. capit. 15. Molfes. tract. 3. cap. 10. num. 21.*

QVAE-

QVAESTIO CXXXVII.

QVIBVS IN LOCIS CELEBRANDVM SIT.

MIssæ sacrificium quibus in locis celebrari debet? R. Non nisi in loco sacro, hoc est, p Episcopum consecrato, siue benedicto, (cum autẽ Episcopus ecclesiam consecrat, eam sufficienter dotare debet, nisi sit religiosorum Templum, seu etiam Capella, vel Altare. *Azor. p. 2. l. 9. cap. 3. Tusch. v. eccles. concl. 24.*) Et sine iusta causa extra huiusmodi loca celebrare, peccatum graue mortale admitti cõcors est omnium Doctorum consensus. Atque tõni consentaneum id esse dubium non est, quia facit ad reuerentiam Sanctissimo Sacramento debitam, & ad fidelium deuotionem augẽdam, nam Templorũ consecratio non solum ad Sacramenti reuerentiam, sed etiam ad vtilitatem nostram instituta est, per cõsecrationem enim loca sacra diuinã præsentiam speciali modo sortiuntur, ad excitandum fidelium pietatem, ad coercendos Dæmones, ad peccata venialia remittẽda, & ad faciliorem gratiarum impetrationem, &c. *cap. sicut. c. ap. missarum. de cons. dist. 1. Conc. Trid. sess. 22. in Decreto. de obser. & evit in celeb. miss. D. Bernard. serm. 1. de dedicat. templi. Syluius. quæst. 83. art. 3. concl. 3. Riccius. in praxi. var. resol. resol. 11. Scortia. de sacrif. missæ. lib. 2. cap. 13. Cald. cons. 20. de Iure Patron. Suar. disp. 81. sect. 3. Gutier. in can. qq. lib. 1. c. 30. nu. 24. Roder. tom. 1. qq. regul. q. 43. art. 4. & 5. Mirãda. in Man. Prælat. tom. 1. quæst. 40. artic. 9. Syluius. d. q. 83. art. 2. Coninch. art. 3. Reginal. lib. 29. num. 175. Azor. p. 1. l. 10. cap. 26. Tol. lib. 2. cap. 2.* Addo, Episcopum non posse licentiam dare, vt sacerdos in priuatis domibus, quæ sacræ non sunt, immolare queat: Imò non ei licere alicui concedere, vt domi locum honestum habeat, qui per modum facelli soli diuino cultui seruiat, in quo celebretur, vt pluries sacra Cardinalium Congregatio Bononiensi Archiepiscopo respondit, vt dixi in *Comment. de hum. vitæ stat. p. 1. cap. 15. obligat. 4. & refert. Nald. v. missa. nu. 31.* In super multi Doctores asserunt, per Concilium Trid. *sess. 22.* sublata esse omnia priuilegia, aliàs regularib. concessa, (nisi denuo concedantur, ac confirmentur,) vt non solum in oratorijs, & locis quibus degunt, sed ẽt in quocunq; alio loco cõgruenti possent olim super Altare portatile missas libere, & licite celebrare. *Azor. & Coninch. l. c. Miranda. tom. 1. Man. Prælat. quæst. 40. art. 9. Barbosa. in remiss. ad Conc. Trid. sess. 22. Nau. cap. 25. num. 82. Suarez. disp. 81. sect. 3. Reginal. numer. 178. Beia. in respons. casu. consc. p. 4. casu. 32. Molfes. tract. 3. cap. 10. numer 39.* Aliqui nihilominus arbitrãtur, per hoc Decretũ nõ esse derogatum Episcoporum priuilegio, qđ est illis à iure cõcessum, vt vbicunque reperiantur, possint missam extra ecclesiam, super Altare portatile, nõ tantum in priuato oratorio, sed etiam in loco laico decẽti celebrare. *cap. quoniam de priuileg. lib. 6. Azor. l. c. q. 4. & 5. Beia. in d. cas. 33. Nau. cõs. 5. de priuileg.*

Probabiliter itidem dici põt, dari aliquem euentum, in quo liceat in loco non sacro decenti tamen, & honesto, super tabula Altaris portatilis consecrata, modo ad sint reliqua ad sacrificiũ necessaria, sacrũ facere, put in bello, sub tentorijs, aut subdio, vt christiani milites illi intersint, vel Eucharistiam sumãt: ac si dũ ab aliquib. magnatib. fit iter, occurreret præceptũ audiendi missã. Pariter si necessitas sacro viatico infirmũ reficiẽdi vrgeret, idq; Epĩ consensu, vbi commode id peti, & impetrari potest, aut sine eo, vbi peti non potest, quia Concilium Trid. solum voluit abusus è medio tollere, at non est abusus, si cum necessitatis articulus occurrit, etiã extra ecclesiam eo modo, quo diximus, immoletur. At ex communi omnium sentẽtia in mari, aut in flumine fas numquã, est ob periculum effusionis sanguinis, missæ sacrificium facere. *Nau. cap. 25. nu 82. Azor. q. 6. Durantes. de ritibus. eccles. lib. 2. cap. 6. num. 8. & omnes DD. supra citati.*

QVAESTIO CXXXVIII.

IN QVA ECCLESIA CELEBRATIO prohibeatur, &c.

IN qua ecclesia, loco ve sacro, seu benedicto, prohibetur aliquando celebrare? R. In interdicta, mortaliter. n. peccat, & irregularis efficitur, qui in ea celebrat. *cap. is qui §. is vero de sent. excommunicationis. in 6. Sayrus. de cens. lib. 5. cap. 17. numer. 9. Bonac. disp. 5. puncto. 6. num. 6. Mirãda tom. 2 q. 39. ar. 6.* Secũdo in ecclesia polluta, licet in ea celebrãs hac irregularitatis labe non afficiatur. *d. c. is qui.* Nõ dicitur tamen polluta ecclesia, si violatio sit occulta, quia ipsa ecclesia de occultis non iudicat; si nihilominus postea violatio occulta publicetur, polluta cẽsebitur, nisi iam in illa bona fide sit celebratũ, &c. Vbi etiam pro maiori huius rei intelligẽtia notandum est, ecclesiam multis modis pollui, ac violari.

Primo per homicidium voluntarium, & iniuriosum, in ipsa ecclesia perpetratum, licet sanguis non effundatur, vt q̃a ibi quis suffocatur, vel suspẽditur.

Secũdo per iniuriosam sanguinis effusionem, in magna quãtitate factã (modo ex naribus vel abundanter non effluat,) intelligitur tamen si sit in se lethalis culpa, si enim percussio mortifera nõ sit, etiã si aliàs magna sit sãguinis ẽfusio, ecclesia nõ pollui tur; sufficit vero ibi esse inflictum vulnus, ẽt si cruor extra Templum effluat, aut ille incruente intercat.

Tertio per humani seminis itidem effusionem voluntarie ibi admissam; requiritur tamen, vt hac

praua actio ficut & præcedens,vt dixi,publica fit.

Quarto si in ea fidelis nominatim excommunicatus,vel publicus Clerici percussor sepeliatur. Vel etiã si infidelis, seu puer sine aqua salutari mortuus in ea tumuletur, &c.

Porro circa pollutæ ecclesiæ reconciliationẽ annotandum est, Primo si consecrata fuerit,à proprio Epõ,aut ab alio itẽ Episcopo,vel,vt alij volũt,à simplici sacerdote, de eius licentia,cum aqua ab eo benedicta,cum qua vinũ cum cinere sit admixtum,esse reconciliandam:sed si ecclesia non cõsecrata, sed tantum benedicta sit, à simplici sacerdote per aspersionem aquæ lustralis in pristinũ statum restituendã esse. Quæ facultas quibusdã regularibus pro suis ecclesijs ex Pontificio priuilegio conceditur. *c. proposuisti. cap. si ecclesia,& ibi Gloss. ext. de consecr. ecclesiæ, vel alt.* Credendum autem esse consecratam, si vnus testis affirmet(cum aliquando vnus testis probet, qñ nulli fit præiudicium) aut etiam si extent cõsecrationis signa, vt ex crucibus in muro impressis,vel ex literis in marmore inscriptis,seu etiam per antiquos libros,quibus à maioribus sit adhibita fides. *Armilla.in v.consecratio ecclesiæ. num. 2. Piasecius,in praxi. Episcop.p.1.cap.5.Scortia.lib.2.cap.13. Vgol.p.2.de officio, Episcopi.cap. 28. Azor par.2.l.9. cap.4. Mascardus.volum.1. de probat.concl.415.& volum.2.concl.582.Tuschus.in v.ecclesia.concl.24.*

Secundo obseruandũ, casum violatæ ecclesiæ in oratorijs locum non habere,sed in locis sacris,Templis ve consecratis,cum de his tantum,& Cœmiterijs iura loquantur. *Suarez. disp.81. sect.4.Coninch. q.83.art.3.dub.1.num.236.Reginal.num.187.*

Tertio non opus esse reconciliatione, si vt supra innui,quis bona fide in ea celebrauit, cum Doctores ipsam celebrationem sufficientem esse reconciliationem, & instaurationem existiment. *vt DD. infra citandi animaduertunt.* Cum autem Episcopus ex causa cõcedere possit sacrum in loco nõ consecrato,vel benedicto fieri,vt supra dictum est, ideò ꝑut Doctores inferũt, videtur cõcedere posse, vt ẽt in loco violato celebretur,si casus occurrat, & recõciliatio commode ab eo fieri nequeat, &c.

Quarto si ecclesia,dum in ea fit sacrum violetur, sacrificãtem,si Canonem inchoauerit, debere missam absoluere,aliàs desistendũ, quousq; per aquam cũ vino,& cinere,subinde redintegretur. *Doct. citati,& Sayrus. de cens.lib.5.c.16. Azor.p.2.lib.9. cap. 5.& lib.10.cap.26.Vgol.de officio.Episcopo.p.2.c.29 Graffius.cons.1.tit.de consec.ecclesia. Marc. Anton. in var.resol.resol.112.casu.60.Nald.in v.ecclesia.n. 24.Marta.de Iurisd.p.2.capit.17.Barthol.ab Ang. dial.5.de missa.§.643.Sà in v.ecclesia.Tol.lib.5.c.8 vbi vid.in annot.Henriq.lib.9.de sacrif.missa.c.27 Auila.de cens.p.5.dispu.7. dub.3.Alph.de Castro.de lege pœnali.l.2. cap.vlt. Zerula in praxi. Episcopali. p.1.v.polutio.ecclesiæ.Scortia.lib.2.de missa.cap 13.*

Porro Templorum violatores,Deo vindice,graues dedisse pœnas,apud omnes exploratissimum est. Vnde & Plato in 10. *de legibus*,cum vetuisset in priuatis domibus sacella fieri, quod ibi debito decore curari nequeant,perpendens quãta reuerẽtia sacris locis debeatur,mortis pœnam ijs statuit,qui templa profanasset, &c.

CAP. XV.

QVAESTIO CXXXIX.

NVM MISSA IN ALTARI celebranda sit.

QVæritur,an in missæ celebratione sufficiat,vt locus remotus sit sacer, vel potius necesse sit,vt proximus locus adsit, nempe Altare,& quale debet esse? R.Semper in ecclesia obseruatum,vt numquã sacrum sine Altari fieri possit,dicitur enim Altare,quasi alta ara,quia in alto sacrificia peragi debent,& nihil vulgatius apud plures, maxime autem apud *Alex.ab Alex.l.4.dierum.gen. cap.17.* quàm aras,seu altaria vbicunque gentiũ,ad Dijs falsis sacra faciendum,erecta fuisse. Et in christiana religione legimus, Altarium consecratorum custodiæ Angelos à Deo deputatos esse,vt apud *Io. Emir.in Prato. spirituali.art.4. & 8.& Scort.l.2.de sacr.missa.cap.14.& lib.3.cap.12.* Proinde ad conficiendum,& offerẽdum nouæ legis sacrificium Eucharistiæ cõsecratione,necessarium omnino est Altare lapideum,cõsecratum, siue illud fixum sit, qđ in terra ædificatur,siue mobile, vel portatile, quod quia in via portari solet, uiaticum nuncupatur. In qua conclusione multa continentur,

Primum est materia,ex qua cõfici debet, scilicet quod sit lapideum,eo quod referat Christum, qui lapis angularis dicitur,uel,vt aliqui uolunt,eius sepulchrum,qđ ex lapide constructũ fuit, Non oportet tamen totam structuram lapideam esse,sed solũ requiritur,ut superior mensa lapide cõstet,cum illa consecrari soleat, quæ tantæ magnitudinis esse debet, ut Calix cum Patena post consecrationẽ commode collocari queat.

Secundo ex illa positione infertur, Altare consecratũ esse debere, quamquidẽ cõsecrationem, cum ad Episcopalem ordinẽ spectet,solus Episcopus impertiri solet, ita ut alteri eadem dignitate non insignito hoc munus cõmittere nequeat, Siquidẽ clarum est, Episcopum nõ ea,quæ sunt ordinis,sed quæ iurisdictionis potestatem respiciunt,alteri,qui Episcopus non sit, concedere posse. Quò fit, ut sacerdos super Altare non cõsecratum celebrans grauiter peccet,etiam si ex crassa ignorãtia hoc faciat, quam-

quamuis minus quàm si scienter hoc præsumeret; non tamen cum hoc in iure non sit expressum, irregularitatem contrahit. De cuius consecrationis essentia quamuis reliquiæ nō sint, vrgente tamen ecclesiæ statuto, nullum Altare sine reliquijs ipsis consecrari deberet. *cap. placuit. de cons. dist.* 1. Vnde sacerdos ante missæ introitum orat, Per merita Sanctorum, quorū reliquiæ hic sunt. Nec audiendi sunt qui loco reliquiarum Christi Corpus ponendū existimarunt, cum ipsum animarum sit cibus, ac ideò nutriendis spiritualiter hominibus præbendum, & seruandum, non vsque ad specierum corruptionem intra Altare occultandum.

Sanè magna Altaribus reuerentia exhibenda est, quæ olim ferreis cratibus, ne aditus pateret, custodiebantur, & circa illa irreuerentiam olim acerbissimis pœnis Deum vindicasse legimus. Et ex varijs sacris historijs constat, vt supra dixi, Deū ipsum ad Altaris cuiusq; tutelā, Angelum deputare, vt in eius violatores acriter animaduertat.

Quomodo vero Altare consecratum execretur, hi Doctores tradunt. *Syl. Tab. Ang. & alij. in v. Altare.* Azor. *lib.* 10. *cap.* 27. *Suarez. disp.* 83. *sect.* 5. & 6. *Reginal. lib.* 29. *nu.* 192. *Coninch. q.* 83. *art.* 3. *dub.* 2. *Bart. ab Ang. dial.* 5. §. 384. *Syl. q.* 83. *ar.* 3. & *alij.*

Aduertat etiā sacerdos, in Altari quo Episcopus rem sacrā fecit, ob Episcopalis culminis reuerentiā, non posse eo die celebrare, nisi eiusdem Episcopi facultatē obtineat, aut nisi necessitas aliqua superueniat, vt necessario missa alia celebranda sit, vt quia dies festus est, & quamplures missam non audierūt, aliudque Altare in Ecclesia non adest: Item si Hostiæ pro administrādo Euchatistiæ Sacramēto consecrandæ essent, &c. *cap. fin. de consec. dist.* 2. *Vgol. de officio. Episcopi. p.* 1. *cap.* 2. §. 2. *nu.* 4. *Henriq. de missa cap.* 28. *numer.* 1. & *alij communiter.*

QVAESTIO CXL.

QVID AMPLIVS EXIGATVR, VT Altare sit aptum instrumentum, in quo sacrificium fiat.

REquiritur ne aliud, ad hoc vt Altare sit aptum instrumentum, in quo missæ sacrificium celebretur? R. Ex ecclesiæ recepta cōsuetudine, in Altari, ad licitam missæ celebrationē; duæ pallæ in primis necessariæ sunt, super illud extensæ, linteam in a referentes, quibus Christi Corpus inuolutum fuit. Illas autem benidictas esse non ita requiritur, quin possint in necessitate sufficere mappæ laicorū, quib. deinde valeant domi vti, eo quod non sint diuino cultui dedicatæ, sed pro tempore necessitatis ad illud assumptæ. Vna etiam sufficeret, modo duplicata, quæ tamē mysterio linteaminum, quæ in plurali numero. *Io. cap.* 20. nominātur, non respōderet. Ex pura autē tela, nec colore tincta, neq; ex serico eas contextas esse debere, communis vsus satis ostēdit; graueque peccatum esse absq; illis missam celebrare, docet concors omnium sentētia; quia magna irreuerentia, & indecentia contra indubitatam ecclesiæ consuetudinem committeretur. Præter ipsas mappas, quæ vulgo tobaliæ dicūtur, corporale, seu linteū illis superpositū adesse debet, in quo sacrum faciēs Sacrosanctum Christi Corpus reponit. Inde enim nomen accepit, quasi ipsius Christi Corporis in Altari indumentum; ideò lineum esse debet, ac mundum, & ab Episcopo regulariter consecratum, vel benedictum. *cap. consulto. de consecrat. distinct.* 1. *Gul. Durātes.* 4. *par. diuin. off. rub. de pallis. Daniel, Mallonius. de sacra. sindone. c.* 2. Qui etiam addunt, quod linum tunsionibus, ac pressuris ad candorem peruenit, vt Christi Corpus denotetur, per flagella persecutionum ad glorificationis candorem deuenisse. Et ad demonstrandam castitatem, & puritatem, quę in ecclesiasticis ministris requiritur: lineæ .n. vestes integritatem significant; nam vt lino candor inducatur, multis laboribus opus est, ita etiam pro castitate obtinenda, vel tuenda, multum elaborandum est; euitādæ sunt occasiones, frangēdæ immoderatę affectiones, & carnis terēda superbia, &c.

Vbi tamen aduerte, quia talis consecratio sine Chrismatis vnctione fieri solet, eam frequenter sacerdotibus Episcopo inferioribus committi, vt etiā concessa est plerisque religionum Superioribus. *Roder. tom.* 1. *q.* 19. *art.* 2. & *Cappuc. in Compend. Med. v. benedicere.* Eandem vero consecrationem corporalia retinere, constitutū est, quamdiù integra manent, nec notabiliter rupta, adeò vt post lotionem noua benedictione nō egeāt. Quæ si prima ablutione sint per Altaris ministros præsertim Diaconos lota, poterunt postea per moniales tangi, lauari, ac reparari. Præter corporale, palla quoque opus est, quæ super Calicē ponatur, per quā sudarium significatur, quo Christi caput fuit separatim inuolutū; quæ pariter linea, & benedicta esse debet, & si in exteriori parte, qua Calicē non tangit, serica, & auro elaborata esse potest, vt & corporale in suis marginibus, vt ex *Missali Romano. constat. in rubr. de defect. in minist. occurr.*

Porro sine mappis, linteis, atq; corporali, vel eo non consecrato missam celebrare, peccatū esse mortale patet, quia id fieret contra præceptū, & communem ecclesiæ consuetudinem, in re valde graui, multumque ad Sacrosanctæ Eucharistiæ reuerentiam referente.

Idemque dicēdum, si cum his notabiliter sordidis sacrificiū fieret. *Caiet. in summa. in v. missa. Graf fius. lib.* 2. *decis. aur. cap.* 42. *num.* 3. *Tol. in summa. l.* 2. *c.* 2. *Barthol. ab Ang. dial.* 5. §. 332. *Suar. disp.* 81. *sect. c.*

sect.6. Vnde & Innocent.III.*in c.2.de custod. Euch.* præcepit vt oratoria, vasa, corporalia, & sacra vestimenta mūda, & nitida cōseruentur, & grauiter eos clericos reprehendit, qui ea ita immūda relinquūt, vt inspicientib. horrorem incutiant. Quæ immunditiers etiam in profanis rebus, cōtra ciuilis, atq; politicæ vitæ leges ab ethnicis damnatur. Hinc *Horat.lib.2.serm.Satyr.2.*

Mundus erit, qui non offendet sordibus, atque
In neutram partem cultus miser.

Profectò sunt aliqui adeò circa hoc negligentes, ita ea sordida, & impura habentes, vt nō Altaris vestimenta, sed profanæ tabernæ mappæ videantur; qui haud dubium, quod Dei iudicium non euadent, cū Maledictus sit homo, qui opus Dei negligēter, seu fraudulenter facit. Sicut tamen sacerdos volens in aliquo certo Altari sacrificium facere, non tenetur prius inquirere, sit ne Altare consecratum, corporalia itidē, ac cetera linteola, vestesque sacratæ, quando hæc rei diuinæ de more inseruiunt, & cum hæc à proprio Parocho offeruntur: Ita etiam à mortali culpa excusari poterit sacerdos, qui in aliquo casu occurrenti, his Altaris paramentis sordidis vtitur, cū aliàs facere nō possit, quin potius culpa in Parochū, vel Æditū refunditur. *Azor.l.10.c.27.q.11. & dixi in Comment. de stat.vita. hum.part.1.capit. 18. obligat. 5.*

QVAESTIO CXLI.

CALIX, ET PATENA, EX QVA MATERIA confici debeant, &c.

CVm ad instruendum Altare, & sacrificium in eo faciendum Calice, & Patena vt notum est opus sit, quæritur, ex qua materia confici debeant, quid significent, &c? R. Calix, & Patena debent ex auro, vel argento confici, vel si paupertas exigat, ex stamno. *cap.calix.de consec.dist.1. D.Thom.in 3.par. q.83.art.3.Card Mantica.de coniect.vlt.volunt.l.6 tit.3.num.29.Scortia.de sacrificio.missæ l.2.cap.14.* Calicem à Christo Domino adhibitum, sacrum sui Corporis mysterium instituente, ex nobilissimo lapide Agatha fuisse; & adhuc Valētiæ haberi Hispani quidam tradunt. *Beda.vero cap.2.de locis sanctis, & Card.Baron.tom.1.anno 34.* argēteum fuisse scribunt. Nōnulli vero ex vitro, seu christallo confectū fuisse autumant. Sed quidquid sit de hac re, & si dicatur, omnem Christi actionem, nostrā debere esse instructionē, iuxta illud, Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. *Io.c.13. c.exemplum. 12. q.1.* cum tamen ab ecclesia statutum sit, Calicem in missæ sacrificio adhibēdum, ex aurea, vel argentea materia conflari debere, quia, quę de nouo emergunt, nouo indigent auxilio, ideo nunc id seruandum est. *Calder.cons.202.7 vsch.in v.Christi actiones. concl.223.*

Sanè in primæua ecclesia in vasis ligneis sacrificium fieri solebat, quod postea sano cōsilio interdictum est, ne per potos sanguis à ligno absorberetur; ob quam rem subueniūt mihi illa aurea D. Bonifacij verba, Quondam sacerdotes aurei ligneis calicibus vtebantur: nunc lignei sacerdotes aureis calicibus vtuntur. *capit.vasa.de cons.dist.1.Sà in v.calix. Vival.de Euch.num.115.Azor.cap.28.quæst.3.Suarez.sect.7.Henriquez.cap.28.*

Apud multos vsu receptum est, vt in Calice cupa sola sit ex auro, vel argento, & reliquum ex aurichalco; nam id esse illicitū ex adducto Canone cōuinci nequit, præsertim cū ipsa tantum cupa sit, quę proxime vsui Sacramēti deseruit, reliquæ vero partes illius tantum gratia ad talem vsum concurrunt; excepta patena, quæ (sicut nec cupa) non potest esse alia, quàm aurea, vel argentea, vel saltem stannea.

Cum vero Calix sepulchrum Domini, & patena (sic dictà quod patens, & diffusa sit) lapidem eidem sepulchro superpositum significet, potiori ratione, quàm alia lintea, vestes, & vasa consecrata esse debent; nā quidquid sit de ciborio, vel vasculo, in quo Hostię populo distribuendę cōseruantur, Corporis, & Sanguinis Domini cōtactu contenta nō sunt, sed Epi etiam ministerium requirunt, à quo per chrismatis vnctionem, & specialem benedictionem perficiūtur. Quod quidem ministerium Episcopus nequit alteri, quàm Episcopo in sua diœcesi committere: neq; Papa, etiam si possit, id facere consueuit.

In eoq; est discrimen inter simplices benedictiones, & eas, quæ cum chrismate fiunt, quod illæ demandari soleant, hæ non item. Quamuis nonnulli DD. asserant, Abbates, qui Episcopalibus insignibus vtuntur, ex Pōtificio priuilegio, Calices quoq; consecrare posse. *Ang.Syl.& Tab.in v.Calix. Azor. l.c q.2.Henriq.l.c.numer.2.Bonac.d.4.q.vlt.par.9. num.16.* Constat porro inter omnes, Calicem suam consecrationem amittere, quando ita frangitur, vt ad vsum sacrificij sit inutilis; nullo tamē modo consecratione destitui per hoc solum, quod aurum interius cupæ adhærēs deteritur, &c. Si tamen denuo auro ornetur, iterū etiam consecrari solet, & sic hæc doctrina communi praxi recipitur. *Suarez.d.sect.7. Coninch.dub.3.Reginal.num.199.* Absoluti etiā Iuris est, Calicē cōsecratum ab vna ecclesia alteri vendi posse; quia non res sacra, sed materia venditur: at ad profanos vsus distrahi nequit, nisi prius consecratio tollatur; vt quia frangatur, vel intentione ipsam consecrationem auferendi, Calici ictus infigatur. *Suarez.tom.1.de relig.lib.4.capit.14.Vgol.de simonia.Tab.1.cap.10.& alij communiter.*

QVÆ.

QVAESTIO CXLII.

An sacra vasa possint ab omnibus promiscue tangi, & ad profanos vsus traduci?

QVæritur an vasa sacra, vel lintea, quæ Corpus Christi contingunt, vt Calix, patena, ciborium, corporale, purificatorium, &c. possint promiscue ab omnibus tangi, attrectari, & ad profanos vsus traduci? R. Ob reuerẽtiam sacrorum vasorum, ac linteorum, quæ Christi Corpus contingunt, ab ecclesia prohibitum esse, ne à laicis attrectentur. *c. sacratas. dist. 23. cap. vestimenta. de consec. dist. 1.* Etiam vsus habet, vt nemo, qui saltem non sit Subdiaconus, quidquam horum sine causa saltem sub reatu culpæ veniali tangat. Hinc, vt supra insinuaui, quia mulieres corporalia, ac purificatoria melius lauant, ac rificiunt, quàm viri, postquam à Subdiaconis, & Diaconis, semel leuiter lota sunt, & aqua in piscinam, vel sacrarium proiecta, ex recepto vsu sacris virginibus perfectius lauanda, ac perficienda tradi solent. *cap. nemo. il 2. de consf. dist. 1. D. Anton. 3. par. tit. 13. cap. 6. §. 5. Syl. Tab. & Armilla. in v. corporalia.* Quibusdam tamen riligiosis ordinibus priuilegium a Papa concessum est, vt fratres tàm clerici, quàm laici, seu conuersi in sacristas deputati, cum superioris licentia Calices, Corporalia, & alia paramenta cũ reuerentia, & iusta causa tangere, & attrectare possint, vt habetur in *Compend. Mend. tit. corporalia. tit. ornamenta. ecclesiastica, & tit. Laici.*

Et certum est, vnius ordinis priuilegia alijs etiã religionibus per communicationem deseruire, ac si specialiter concessa fuissent. *Cõfectus in summa. tit. 3. cap. 5. Piacesius. in praxi Episcopali. part. 1. capit. 5. in fine.* Secundo dico, non licere vti rebus sacris ad profanos vsus v. g. vti Calice in conuiuij mensa, vel Corporali tãquam cõmuni linteolo, aut sacra veste ad aliquam profanã, & vanam repræsentationem, præsertim cũ hoc earundem rerum contemptũ præseferat, vt vix à mortali culpa excusari possit. Quò etiam fit, vt easdem res sacras ad seculares vsus amplius traducere non liceat, ne quidem postquã per destructionem, cõsecrationem, aut benedictionem amiserunt: vnde Calices, & alia sacra vasa confracta, aut diminuta, ligna, vel lapides ecclesiæ dirutæ in profana conuerti non debent, sed seruari ad earundem ecclesiarum ministeria. Excipitur tamẽ casus, in quo pietatis intuitu, necessitate compellente, sacra vasa aurea, & argentea franguntur, & vẽduntur, ad subueniendum pauperibus alioqui fame perituris, vel quid simile. *cap. ligna. de cons. dist. 1. D. Thomas. 3. par. quæst. 83. art. 3. D. Ant. l. c. §. 6. Suarez. sect. 8. Reginal. l. 29. num. 205. Azor. par. 1. l. 10. cap. 28. quæst. 14. Syl. in v. benedictio Ang. & Tab. in v. consecratio.* Econtra vero passim est in vsu, vt ex profanis, & sæcularibus vestibus sacerdotalia, vel ecclesiastica vestimenta conficiantur. Sicut ex materia domus profanæ dirutæ, fas est Templum ædificare, prout Marcellus Papa domũ D. Lucinæ in ecclesiã consecrauit, & Vrbanus ædes D. Cæciliç, &c. *Azor. quæst. 9. Reg. l. c. Ang. & Tab. in v. vestis. Barthol. ab Ang. dial. 5. §. 295. Scortia. l. 2. cap. 8. & alij.*

QVAESTIO CXLIII.

An lumen crux, et missale necessario in missa requirantur, &c?

AD licitam missæ celebrationem in Altari requiritur ne aliud? R. Vtique lumen, crux, & Missale: Nam Primo lucerna aliqua ardenti opus est, sique absq; ea celebretur, mortalis culpa admittitur. *c fin. ext. de celeb. missarum.* In lege etenim veteri scriptum est, *Leuit. capit. 6.* Ignis in Altari meo semper ardebit. Et adhibitas fuisse lucernas, seu lumina in rebus sacris, apud omnes gentes Hebreas, Ægyptias, Græcas, ac Romanas ostendit. *Alex. ab Alex. l 4. dierũ. gen. c. 17. & Fernandez. c. cũ frangitur. de cõs. d. 2.* Qđ in hoc missç sacrificio peragẽdo maxime obseruandum est, vbi ille immolatur, tractatur, & sumitur, qui est candor lucis æternç, & qui venit ignem mittere in terram *Luc. c. 12.* An vero lumen debeat esse ex cera, an sufficiat ex oleo, aut si sit ex candela sebacea, nihil in iureconstitutum est, vsus tamen obtinuit, vt sit ex cera, qđ mysterio non caret: In cerco enim per quẽ Christus significatur, tria sunt, scilicet cera, ellychnium, & ignis, quæ tria in Christo fuerunt; nam cera Christi ipsius carnem denotat, quæ sine vlla corruptionis labe de virginis vtero nata est, sicut apes ceram sine deprauatione, & commixtione gignunt. Ellychnium in cera animam eiusdem Saluatoris indicat; ignis vero diuinitatem innuit. Vnico lumine ex oleo vti, postulãte necessitate liceret, viliorem adhibere materiam, vt sebum, vel ad pẽ, fas non esset; & si alij probabiliter id cõcedunt. Duç ex vsu adhibenř cãdelç, nec obstar plurib. vti, dummodo seruetur, qđ Concilium Tridentinum *sess. 22.* prçscribit, ne certus aliquis earum numerus superstitioso cultu assumatur. Candelas porro venales in Altari accendendas per ecclesiam deferre nemini licere deberet, cum id nil aliud sit, quàm negotiari, vbi orare oportet, indeq; clamores sçpe oriantur, qui celebrãti, & missam audienti magnum afferunt impedimentum *Suarez. disp. 81. sect. 6. Reg. num. 196. Tolet. lib. 2. cap. 2. Azor. l. c. quæst. 15. Comitulus. in respons. mor. libr. 1. cap. 4. q. 10. Sanchez. lib. 2. de præcep. cap. 40. num. 40.*

Crucem vero requiri patet, quia celebrandi ritus qui in Missali Romano traditur, aliquas cæremonias continet, quç Crucem in Altari prçsupponunt.

Vide

Vnde olim in Altari Cruces fuisse positas testatur. *Nicephor.lib.7.cap.80.* Vbi agit de Templo à Constantino Magno exædificato, quod ab Archangelo Michaele Michaelium vocabatur.

Adeo vero mos ponendi in Altaribus Crucifixi imaginem obtinuit, vt iam quasi in legem trāsierit. Imò in ipsis Altarium pallijs crux intexi solebat, in quæ, quàm iniuriosi, ac sacrilegi fuerint Arriani sub Gēserico docet. *Victor de persecut. Vand.lib.1.* Nam duce delecto Proculo sacrata ornamēta diripuerūt, atque de Altarium tegumentis, quibus salutiferæ crucis signū imprimi solebat, interulas, & femoralia sibi fecerūt: Proculus tamen huius rei executor frustratim comedēs linguam, in breui turpissima consumptus est morte. *Iacobus Gretserus in tr. de Cruce.lib.2.cap.11.* Nihilominus fine eadem Cruce celebrare, non esse peccatum mortale aliqui tadunt, quia nō satis constat eandē præcepto requiri. *Suarez.& Reg. l.c. Bonac. d.4.quæst.vlt.p.9.numer,29. Scortia.libr.3.capit.3.*

Sacerdotem pariter sacrificantē libro indigere, qui missarum ordinem, & formulam continet, & si nullum in iure communi de hac re extet decretum ratio ipsa docet, præsertim eo, qui Canonem comprehendit: est enim hominis memoria admodū fragilis, & infirma: Hinc *Seneca l.1.cont.in præfat.* Memoria res est ex omnibus partibus animi delicata, & fragilis, in quam primum senectus incurrit. Imò obliuionem humanæ naturæ mutabilem defectum non solum senectus, sed etiā originalis peccati vulnus, morbus, temporis longitudo, & incuria in animum nostrum inducunt. Quare communis opinio sentit, in lethale peccatum illum sacerdotem incurrere, qui sine Missali rem diuinā facere auderet; nā se graui periculo errandi objiceret. *D. Anton.d.§.6. Sot.in 4.dist.13.quæst.2.art.4. Nau.cap.25.nu.84. Syl.Tab.& alij in v.missa. Azor.lib.29.quæst.4. Suarez disp.81.sect.6. Barthol.ab Ang.§.429. Couinch. num.251. Vasquez.3.par.d.233.cap.3. Bonac.l.c.*

QVAESTIO CXLIV.

AN VESTES SACERDOTALES necessariæ sint, &c.

QVæritur an necessariæ etiam sint vestes, quibus induatur sacerdos, & quales esse debēt? R. Ad hoc sacrificium necessarias esse sacras uestes, quæ sunt, amictus, alba, cingulū, manipulus, stola, seu orarium, & planeta, seu casula, habētes sacra significata, & pijs mysterijs refertę, tùm in ordine ad mores, quarum præcipua in illis precibus indicata censentur, quas ecclesia à sacerdote dicendas instituit, cum eas induit; tùm in ordine ad Passionem Domini, siquidē amictus uelamen illud significat, quod Christi oculis obtētum est, linea tunica vestem albam, qua ab Herode indutus est, cingulū funes, quibus medius in horto cōstrictus est, Manipulus vincula, quibus sacræ manus tanquam nefarij hoīs obstrictę sunt stola funes, quib. vt tutius deduceretur, collo inserti sunt. Casula vestem purpuream, qua Christus sanguine perfusus vestitus fuit. *Alph.Torres, de Instit.sacerd.par.1.cap.3.§.3. Reg. lib.19.num.33.& lib.29 num.159. Tolet. lib.2.cap.2. Grat.tom.2. Discept.For.cap.298.nu.54.*

Notandum est autem talium vestium materiam esse quidem quò ad amictū, & albam præscriptam, nempe lineā esse debere, non item quò ad reliquas, cum apud Patres nil certi determinatū reperiatur, adeo vt esse possint, vel lineæ, vel laneæ, vel ex quacunque alia materia ad tegendum corpus apta; nec multum refert, cuius ea sit coloris, quoniam & si in Missali pro certis temporibus certi colores statuantur, ea tamen ordinatio censeri potest non esse proprie præceptum, sed solum directiuam regulam.

Inter oēs quoq; constat, has vestes debere esse ab Epo solo, vel ab eo facultatem habente sacratas, ita tñ vt ex Ritualis præscripto nō liceat Epis, facultatem sacrādi, vel benedicendi vestimenta, vel paramenta alijs, quàm sacerdotibus concedere. Mendicantes tamē regulares, & qui eorum priuilegijs per communicationem gaudent, hac facultate interdici non videntur. Ac ex vestimentis virorum, ac mulierū has confici posse patet, nam per Prælati benedictionē ex recepta praxi, & cōi DD. sentētia, in sacrum vsum conuerti possunt, vt supra dixi. Hæ item vestes tùm consecrationis formam amittere dicuntur, cum ita scindūtur, vt aptæ amplius non sint ad eos vsus, ad quos sacrantur, alioqui formam consecrationis retinent, etiam si aliqua pars, quæ sacrata non est, vna cum filo profano assuatur. Illudque obseruandum. Primo esse peccatum mortale, aliquid omittere, nisi ignorantia, aut inaduertētia excuset; nec posse moraliter loquendo casum occurrere, in quo liceat celebrare sine vllis vestibus sacris, etiam si metus mortis vrgeat, cum fieri non possit, vt quis ad ita rem faciēdam velit alium cogere, nisi in contemptum ecclesiæ, quo casu, vt est communis DD. sententia, ei parere mortalis esset culpa.

Secundo illud etiam annotādum, vt aliàs innui, non euitare grauē culpam, qui his vestimentis valde laceris, vel immundis celebrat, cū vt ait. *D. Hier. super Ezech.cap.46.* Mundis vestib. & munda conscientia tractanda sint Domini Sacramenta. An nō constat & plane ad hanc rem, impudentem quendam regijs nuptijs sese ingerere audentem, à Rege conuiuas lustrāte eiectum, quod laceris, ac indecoris vestibus esset indutus, & graui interminationem audiuisse, Amice quomodo huc intrasti non habēs vestē nuptialem? Regis huius ira Dei indignatio-

nem

nem innuit, qui ægre fert, quando ad epulum illud Eucharisticũ sacerdotes male vestiti, & obsoletis, ac disruptis vestimentis amicti, sese in ecclesia ingerunt, nec Dei præsentiam verentur. *Suarez. sect. 6 Tolet. l. c. Caiet. in v. missa. Fernandes. 3. p. c. 5. §. 13 ab Ang. §. 276. Vgol. de off. Episcopi. p. 1. cap. 16. §. 2. Molfes. tract. 3 cap. 12. num. 32. Bessens. de regul. sacerd. lib. 2. cap. 17.* Idem dicendum, si ad Altare accedant non calceati, vel sine sandalijs, vel cum his ualde luto infectis, &c. cum honestati, & reuerentiæ tanto sacrificio debitæ, hoc repugnet. *Coninch. q. 83 art. 4 num. 251. Reginal. lib. 9. num. 162.* Indicitur. n. sacerdoti celebraturo, vt Primo tonsuram, uel clericalem coronam gerat. Secũdo, ut calceatus sit. Tertio ut talaribus, ac decentibus uestibus sit indutus. Quarto sacris uestimẽtis ab habente, vt dixi, authoritatem benedictis, eisq; honestis, & mũdis, & præscripti coloris, cum non minus contineat colorũ diuersitas mysteria, quàm in uestibus ueteris sacerdotis fieret, color namque albus conscientiæ puritatẽ, uiridis spem, rubeus charitatem, uiolaceus, & niger mæstitiam, ac mortificationẽ indicat. *Scor. l. 2. c. 8.*

QVÆSTIO CXLV.

ANORATIONES, QVAS SACERDOTES CVM sacris vestibus induntur, dicunt, sub mortali culpa sint præcepta, & quid de pilleolo, & veste valde breui adhibitis censendum sit?

QVod peccatum committit sacerdos, qui dum se induit, orationes ab ecclesia singulis uestibus præscriptas nõ recitat, & qui defert pilleolum dum celebrat, vel uestem superiorem ualde breuem, &c? R. Quò ad primam dubitationem dico, mortaliter peccare, si ex contẽptu, uel etiam sine eo, si aduertẽter, & deliberate sine causa omitterentur. *Nau. consf. 3. de celeb. miss. Graffius. l. 2. decis. aur. cap. 41. num. 10. Azor. cap. 29 q. 5. Syluius. in 3. par. D. Thom. q. 83. art. 6.* Sed alijs nimis dura hæc sententia uidetur, cum de hoc nullum extet præceptum, sicut etiam non repetitur lex præcipiens, & ad lethalem culpam obligans, quò ad alias orationes, uel psalmos, ante missæ celebrationem ricitandos. Nonnulla enim, quæ in Missali designantur, solum ad quandam directionem, & consilium pertinent, quod obseruare optimum quidem erit, nõ tamen si citra contemptum prætermittantur, lethalis culpa uidetur. *Henriq. lib. 9. cap. 24. in fine. in lit. q. Roder. in summa. de missæ sacrificio. cap. 248. numer. 12. Fernand. p. 3. cap. 5. §. 13. Zerula in praxi Episcopali. p. 2. in v. missa. Suarez. tom. 3. d. 82. in princ. Scortia. l. 2. de sacrificio missæ. capit. 8. nnmer. 14. Molfes. tract. 3. num. 75. capit. 11. Bonac. d. 4. quæst. vlt. p. 9. num. 31.*

Ad secundam quæstionem respondetur, ex causa rationabili, ut ob incommodam ualetudinem, licere amictu, uel pilleolo, operto capitẽ celebrare, ui tandum tamen scandalum, & de Episcopi licentia id fieri debet; sicut & regularis Prælatus cum suo subdito iusta subsistente causa, & cessante scandalo dispensare potest. *Io. à Turrecrem. in cap. nullus. de consec. dist. 1. Nau. conf. 4. de celeb. miss. Azor. cap. 28. q. 16. Sà in v. missa. nume. 17. Miranda. in Man. Prælat. tom. 2. quæst. 8. art. 4. Suar. disp. 83. sect. 3. in fine. Henriq. capit. 26. num. 3. in fine. Scortia. l. c. lib. 3. c. 4.* Vbi addit Gregorium. XIII. Pont. Max. cõ patientem infirmæ ualetudini cuiusdam Episcopi, peculiari priuilegio uix cõcessisse, ut publicè, excepto tñ Canone, in celebratione pilleolo uteretur.

Ad Tertium dubium respõdeo, In Missali sacerdotem admoneri, vt decenter uestitus accedat, ita ut superior uestis talũ pedis attingat, quãtum commode fieri põt, cui nihilominus dispositioni si contra ueniat, paulo breuiorẽ uestẽ deferẽs, mortalem culpã cõtrahere nõ uidetur. Et licet in aliquib. diœcesibus transgressoribus suspensionis pœna infligatur, sacerdotes tñ iterfacientes, & rusticãtes, hac lege solui poterũt, ut cũ breuiorib. vestib. admittant.

QVAESTIO CXLVI.

VTRVM NECESSARIVS SIT MINISTER, qui sacerdoti celebranti inseruiat, &c.

EST ne necessarius minister aliquis, qui sacerdoti celebranti inseruiat, & qualis esse debet, &c? R. In sacerdote sacrum faciente requiri, ut saltem unum habeat sibi ministrantem masculum, non fœminam; quod satis patet ex uniuersali ecclesiæ cõsuetudine recepta ad modum præcepti, quod tanquam in re graui positum, ad mortalem culpam obligat. Proinde si urgente necessitate oporteat sacerdotem, aut solum celebrare, aut fœminam admi nistram adhibere, potius absq; ministro celebrandum est, quàm fœmina inseruiente uti. *Sot. in 4. dist. 13. q. 1. art. 5. Suarez. disp. 87. sect. 1. Henriq. c. 30. Azor. cap. 20. quæst. 2. ab Ang. §. 407. Syluius. q. 83. art. 5. Vasq. d. 233. cap. 4. Coninch. q. 83. artic. 5. num. 284. Bonac. l. c. nu. 32.* Si autem extra ordinaria necessitas, & rara occurreret, qualis est diei festi magnæ solemnitatis, aut dandi moribundo uiaticum, uel quid simile, tunc celebrationem missæ sine ministro licitam faceret.

Porro cũ duplex detur minister, unus ex officio ratione ordinis, qui ad huiusmodi ministeriũ consecratus, & destinatus est, ut Diaconus, Subdiaconus, alijque minoribus ordinibus, & prima tonsura initiati, alter uero priuatim solummodo, & tanquã laicus inseruiens. Quod ad priorẽ ministrũ attinet, certum

certum est, teneri ad obseruationẽ rituum, qui circa solemnem missæ celebrationem, ab ecclesia instituti sunt, & in Missali, aut Pontificali Romano continentur.

Quò ad posteriorem ministrum, qui & ipse clericus, vel persona Deo dicata esse deberet, & superpelliceo indutus, constat teneri curare, ne his desit, quæ ipsi in ea re incumbunt, negligẽter enim in his se gerens, potest interdum grauiter peccare, vt cum ob latam negligentiam est in causa, vt sacerdos pro vino aquam offerat, &c. *Suarez. d.87. sect. 2. Reginald. l.29. n.165. Bonac. d.4. q. vlt. p.9. n.35. & aly.*

Item scire debet celebranti respondere secũdum ritum ab ecclesia præscriptum, alioqui peccaret illud ministerium suscipiendo, quod non nisi inepte præstare potest. Deinde mundis, & honestis vestib. indutũ esse oportet: nihil .n. clericum, sacrorumque ministrum, & cui Altari, ac diuino sacrificio nauare operã conceditur, magis dedecet, quam sordes, siue illæ vestium, siue corporis sint. Et ipsi clerici diuino cultui addicti, non animi solũ integritati, sed etiam corporis decenti munditiæ studere debent, cum raro puro, elegantique animo sit, quem sua illuuies, & squalor pudore cõfundit. Quare etiã Carolus Magnus teste Sigeberto, ne Ianitores quidem, qui vltimi sunt ecclesiastici ordinis, in cõmuni habitu, sed multo augustiore, & nitidiore, suis sumptibus in ecclesia deseruire patiebatur. Vnde & sapiẽs in Ecclesiaste. *cap.9.* monet, vt omni tempore vestimẽta sint candida: Ac Dominus præcepit Iobo, vt speciosis indueretur vestibus. *Iob. cap.*40. Et legimus Exodi. *c.* 38. eũ mandasse fieri labium æneum cum basi sua de speculis mulierum, in quibus sacerdotes, & ecclesiæ ministri se inspicerẽt, ne indecenter coram populo procederent. Ornatum item Templorum, Altarium, & eorum ministrorum laudibilem, Deo acceptum, ac ad Dei honorẽ pertinere, ex antiquo, & nouo testamẽto manifestissimũ est. Hinc & *Ant. Panor. in proœm. lib. 4. de gestis. Alph. Regis.* Cum esset, inquit, in vestitu, cæteroq; corporis cultu moderatior, in extollendis tamen, exornandisq; sacerdotibus, atque aris, omnes omnium quicunq; fuerunt, aut sunt, cultus, & elegãtias excessit. Quod sane magnifice curauit Constantinus Imp. Syluester Papa, Damasus, Vrbanus, & alij, qui Templorum ministeria, & vasa, ex auro, & argento, eaque ornatissima fecerunt. *Bellarm. de cultu sanct. l.3. cap.6. Viguer. in Instit. Theolog. cap.7. §.5. vers.13 & cap.16. §.8. vers.6.* Clericus tandem illi ministerio missæ addictus, cuius socios Angelos habet, non huc illucque capite discurrat, volitetque, modo hunc alloquens, modo illum appellans, & omnes astantes oculis lustrans; quod non leuitatem solum, sed impudentiã, ac petulãtiam præsefert. Ad illud quod agit aduertat oportet, & composite, ac sedate se gerat, vt sic ille cultus ab animi religione prodire videatur.

Si quem adesse videret publicè excommunicatum, nõ dubitanter eum facessere inde iubebit, qđ si illi nõ paruerit, sacerdotem, si Canonem nondum incœperit, admonebit, vt sacrificio, donec ille abcesserit, abstineat, &c. Si Altare vbi ministrat, cancellos habeat neminem intrare patietur, si non habeat, ne quis ad Altaris gradum proprius quam par est accedat, curabit: maxime vero fœminas ab ipso Altari submouebit, vt libere, & honorifice sacerdos sacra officia, ac ministeria obire possit. *Synod. Amer. de sacrif. missæ. capit. 344. cap. sacerdotum. de cons. d.2.*

Porro quam fructuosum sit, diuino sacrificio ministrare, & si per se pateat, cum ministrans peculiari modo post sacerdotẽ ipsum sacrificium offerat, luculentis tamen, & efficacibus verbis docet. *D. Bonauent. tom. 2. tract. de int. hom. p. 1. c.11.* Sanè legimus ẽt D. Thomam Aquinatem, qui præcipua quadam deuotione erga missæ sacrificium afficiebatur, non contẽtum quotidie sacrũ facere, alterius etiam fratris sacerdotis missæ inseruire solitũ fuisse, vt apud *Daur. in Catechis. hist. tom. 3. cap. 5. tit. 24. exemplo. 5. Vide supra. tract. 3. cap. 8. quæst. 43.*

CAP. XVI.

QVAESTIO CXLVII.

QVAENAM DISPOSITIO IN SACERDOTE celebraturo requiratur.

QVænam dispositio in sacerdote antequã rem sacrã faciat, requiritur? R. Quãta cura adhibenda sit, vt sacrosanctum missæ sacrificium omni religionis cultu, ac ueneratione celebretur, quiuis facile existimare poterit, qui cogitarit maledictum in sacris literis eum uocari, qui facit opus Dei negligenter, ait Conc. Trid. *sess. 22. in Decreto. de obseru. in missa.* Proinde necesse est, ut habeat tàm animæ, quam corporis debitas dispositiones, quæ sine graui culpa omitti nequeunt.

Primo ergo requiritur, ut horas matutinas recitauerit, eo quod talis recitatio sit dispositio ualde germana ad missam deuotius, ac reuerentius celebrandam. Non esse tamen mortiferum peccatũ ante nocturnas preces sacrum facere, communior Doctorum sententia magis consentit. *Sot l.10. de iust. & iure. q.5. art.4. Suarez. disp.82. sect.1. Coninch. q.83. num.220. Less. lib.2. cap.37. dub.12. nu.8. Arrag. 22. q.63. art.12. Lopez. in instruct. conscientiæ. p.2. c.79. Roder. p.1. cap.249. num.12. Corrad. in respons. cas. cons. q.292. Sà in v. missa. nu.22. Comit. l.1. q.50 Scor. l.2. de sacr. missæ. c.6. Bonac. de sacr. d.4. q. vlt. p.9. nu.7. Fernandes. p.3. c.5. §.4. & aly.*

Sicuti

Sicuti & celebriori calculo receptũ est, nõ esse peccatũ, ꝓp honestas occupationes, matutinas horas vesperi ꝑcedenti recitare, & mane usq; ad uesperas exclusiue reliquas absoluere; si quis tamẽ hoc sine rationabili causa faceret, ut liberius somno, & otio uacaret, uel uoluptati indulgeret, uenialẽ culpã contrahere. Et licet dicatur, anticipate recitantem officium acerbos fructus Deo offerre, postponentem, marcidos, & determinatis horis diuinũ pẽsum persoluentem, maturos ipsi Deo exhibere, iusta tamen de causa anticipare, uel postponere, peccato carere, & semper melius esse præuenire, quàm præueniri certum est. *Abb. & alij in capit. 1. de celebr. miss. Reginald. lib. 18. num. 179. Molfes. tract. 5 cap. 2. n. 62.*

Cæterum quod attinet ad missę celebrationẽ ante matutinas horas recitatas, quidquid sit in speculatione, cẽsuerim, cum in praxi res sit ualde periculosa, nisi aliqua necessitas urgeat, ea libertate non esse facile utendum, quia de mortali, aut de ueniali ualde graui habenda est suspecta propter multorũ grauium auctorum opinionem, & timoratorum virorum sensum, quo exhorrescunt, nõ recitato matutino missam dicere; eo magis quod in Breui, quod in principio Missalis habetur, in virtute obedientiæ Papa præcipiat, missam dici iuxta ritum Missalis, & in principio rituum in missa seruandorum dicatur, Præuia confessione, & saltem matutino cum laudibus absoluto, orationi aliquantulũ vacet, &c. Quippe Sapientis est in dubijs casib. tutiorẽ partem eligere, & cum bono *Iobo c. 9.* dicere, Verebar omnia opera mea, sciens, qđ delinquenti nõ parceres, &c. Præsertim quod vt aduertit. *D. Bernard serm. 47. in Cant.* Diuinum officium per excellẽtiam opus Dei appellatur: quo nomine etiam D. Benedictus in regula sua illud nuncupauit dicens, nullam rem operi Dei præferendã esse: vt ostenderet, quantũ huic muneri Dei ministros intentos esse oporteat. *Reg. l. 18. numer. 167. Barthol. ab Ang. dial. 5. de miss. n. 241.*

Secundo sacerdos celebraturus debet cum diligentia conscientiam suam discutere, & examinare, præcipue à proxima confessione, si interea inciderit in aliquam censuram, vt excommunicationem, suspensionem, & interdictum, vel aliquod aliud Canonicum impedimentum contraxerit, quæ violare in re tantæ dignitatis dubium non est, peccatum esse mortale, & sacrilegium secum afferre. Addo si sacerdos nõ modo mortalis peccati cõscius, sed etiam ecclesiasticæ censurę non ignarus, qua à participatione Sacramentorum repellebatur, celebrauit, teneri vtramque circumstantiam in cõfessione exprimere, vt sufficienter peccatũ illud aperiat, quod ex duplici capite duplicem etiam notabilẽ malitiam accepit. *Reg. l. 29. nu. 99. Molfes. tract. 3. cap. 8. nu. 88.*

Quò etiam fit, vt sacerdos peregrinus, & alterius diæcesis ad celebrandum non sit admittendus sine litteris commendatitijs sui Ordinarij, in quibus testetur, illum rite ordinatum, nec vlla censura, vel irregularitate irretitum esse. *Extrauag. inium. Clerit. de elect. Conc. Trid. sess. 23. cap. 16.*

Qui tamen est alioqui notus, & creditur impedimentum non habere, celebrare permitti poterit, & probatio etiam per testes admittetur. Quod etiã in religiosis iter agentib. locum habet. Imò qui scit se nullo iuris impedimento detineri, secluso scandalo, & in secreto, cum nulla communi lege sit suspensus (nisi alicubi vt Bononiæ sub hac pœna ab Episcopo prohibeatur) rem sacram facere poterit, vt ait *Henriquez. lib. 9. de sacrificio missa. capit. 23. & numer. 8. & libr. 10. capit. 34. numer. 6. in Glossa. Sà in v. missa. numer. 53. Roder. in qq. regul. tom. 2. q. 121. art. 1. Reginal. l. 29. num. 42. Barb. in remiss. ad d. locum. Conc. Romanus. conf. 140. Tusc. in v. sacerdotes concl. 5. Suarez. tom. 2. de relig. tr. de voto. lib. 3. cap. 4 num. 9. Zerula. in Praxi Episcop. p. 1. in verbo missa. §. ad secundum.*

Secundo diligenter perspicere debet, an interea aliqua mala præcipue mortalia cõmiserit, & an aliqua bona, ad quæ obligatur, omiserit, vel negligenter persoluerit: nam ante celebrationem, si cõscientia peccati mortalis vrgeatur, illud apud idoneum confessarium confiteri tenetur. *Conc. Trid. sess. 13. cap. 7.* Quod si non facit, secundum aliquos, duplici culpæ labe sè inficit, primo quia male administrat. Secundo quia sacrilege sumit, vt per *Nau. in cap. 1. §. sacerdos de pænit. dist. 6. Lud. de Ponte. de perfect. christ. p. 2. tract. 5. capit. 3. §. 2. Barthol. ab Ang. dial. 5. de missa. §. 205.*

Sed alij verius sentiunt, vnius tantum peccati esse deformitatem; nam vnum est tãtum sacrificium, quamuis tribus partib. constet, cõsecratione, oblatione, & sumptione; quare quemadmodũ tres eiusmodi partes vnum sacrificium cõstituunt, sic etiam qui indigne sacrificat, vnum tantum peccatum admittit, quod tribus in partibus consistit, nimirũ indigna consecratione, indigna oblatione, & indigna sumptione. *Azor. par. 1 lib. 10. capit. 3 t. q. 1 t. Henriq. lib. 8. de Eucharistia. cap. 45. num. 2. Bisfeldius. de simonia. capit. 7. & alij.*

Porro cõscientia peccati mortalis est quodcunq; iudiciũ, siue assensus, quo homo existimat se lethalis culpæ reum, vnde cum conscientia peccati mortalis celebrare dicitur, Primo cum habet certitudinem, & euidentiam se esse in tali statu constitutum.

Secundo cum habet probabilem assensum se esse huiusmodi lue infectum, sed cũ aliqua formidine.

Tertio qui dubius est, an id quod admisit, culpa sit mortifera, & hoc ex iusta causa, nam si hæc desit, anxius scupulus est, vt communis est sententia per ea, quæ de dubia conscientia diximus infra *tract. 5. capit. 10. quæst. 62.*

QVÆ-

QVAESTIO CXLVIII.

An sacerdoti in mortali peccato existenti liceat aliquando cum sola contritione sacrum facere?

DAtur ne casus, in quo sacerdos absque confessione, sed sola cōtritione munitus possit sacrū facere? R. Vtique in duobus potissimum casibus.

Primus est casus necessitatis, puta cū instat tempus celebrandi, & confessarij copia non habetur. Et idem est de Parocho rustico, qui nō habet sacerdotem nisi distantem.

Si tamen suppetit sibi cōfessarius, qui absoluēdi ab aliquo casu reseruato, quo ipse sacerdos innodatus est, facultatē nō habet, tunc cum Superior adiri nequit, si sacerdos non est excommunicationis vinculo ligatus, vel etiam, vt multis placet, & si sit ligatus, ab inferiori confessario directè quo ad peccata nō re seruata absolui poterit, & pro reseruatis postmodum ad Superiorē remitti, cui cum primum ei licebit, confiteri tenebitur, cum vt communiter Doctores dicunt, nō directè sed consecutiue, vel per extensionem absolutus fuerit. *Philiar. de officio sacerd. p. 1. l. 3. cap. 28. Roder. in summa. p. 1. cap. 55. & in qq. reg. tom. 1. q. 21. art. 4. Vgol. de officio Episcopi. p. 1. c. 16. §. 1. Tol. l. 6. cap. 16. Viual. de Eucharist. num. 22. Azor. lib. 10. cap. 31. q. 6. & 8. Henriq. de sacr. pænit. lib. 3. cap. 55. Suarez. tom. 4. disp. 31. sect. 2. Reginald. lib. 8. cap. 6. num. 87. Coninch. d. 8. dub. 13. Bonac. de sacr. d. 5. q. 7. puncto 3. num. 8.* Quod etiam in regulari viro procedere multi asserunt, vt si iter ageret, nec nisi sæcularis confessarij copiam haberet, teneretur .n. ei cōfiteri, si lethali culpa se grauatum sentiret, & si peccatū illud in suo religioso ordine reseruatum esset, denuo cum ad suos peruenisset, legitimo suo confessario, & Iudici confiteri deberet. *Vasquez. tom. 3. d. 208. Molfes. tract. 3. cap. 10. num. 17. Miranda in Man. Prælat. tom. 2. q. 33. ar. 6. Coriol. de casu. reser. p. 1. sect. 3. art. 13. Vide inf. tr. 5. c. 2. q. 11.*

Vbi tamen aduertēdum, ad sacris operandū aliquando confessionem non sufficere, cum enim peccatum paruo tēpore antecessit, vt quia in nocte præcedenti, turpe peccatum cum fœmina perpetrauit, à sacro, nisi grauis necessitas vrgeat, abstinere debebit. *Pet. Sot. de remed. peccatorum. lect. 5. Tol. l. 2. capit. 2. Zerula in praxi pœnit. cap. 22. q. 14. Suarez. disp. 66. sect. 8. Reginal. lib. 29. num. 107.*

Secundus casus est, cum sacerdos est iam ad celebrandum paratus, vel post incæptam missam alicuius peccati mortalis non confessi meminerit, tunc enim ante rem sacram, si sine scādalo fieri potest, illud diluere debet, aliàs si scandalum immineat, vel aliqua infamiæ nota subeunda sit, sufficiet de culpa penitere, & rem sacram perficere, & quam primum ei licebit, tùm peccati, tùm excommunicationis, vel censuræ si qua irretiatur, à legitimo Iudice absolutionē obtinere: quandoquidem ius naturale de seruāda fama, omni lege humana potior, ac valentior est. *D. Thom. 3. par. q. 83. artic. 6. D. Anton. 3. par. tit. 13. capit. 6. §. 11. Sot. in 4. dist. 13. q. 2. artic. 6. Victor. de Euch. num. 101. Nau. cap. 25. num. 75. & cap. 27. numer. 239. Sà in v. censura. num. 4. Lazarius. de monit. sect. 4. quæst. 18. Barthol. ab Ang. dial. 4. §. 192. & dial. 5. §. 209. & Authores supra citati.*

QVAESTIO CXLIX.

An quis scire possit se à mortali culpa immunem esse.

CVm sacerdos celebraturus immunis à culpa mortali esse debeat, & diligentem suæ conscientiæ examinationem fecisse oporteat, quomodo poterit hoc dignosci? quis enim, vt ait vates regius, delicta intelligit? *Psal. 18.* Et ex Sapientis sententia, Nemo scit, an sit dignus odio, vel amore? *Eccles. c. 9.* R. Cum hic euidens certitudo non requiratur, quæ absque diuina reuelatione haberi nō potest, sed solū ciuilis, probabilis, ac moralis sufficiat, sicut in alijs humanis actionibus contingit, fas erit ex probabilibus coniecturis post examen diligēter factū, id dignoscere, testimonium cōscientia subinde ferente, *cap. custodi 11. q. 2.* Et quens est illa scrupuli species, qua multi vexantur, qui etiam post factam, quāta potuerunt diligētia, confessionem, ad sacrosanctum Altaris mysterium tanquam indigni accedere refugiunt, eo quod, *Apost. in 1. ad Cor. cap. 11.* de sumente illam indigne dicat, quod iudicium sibi māducat, & bibat, non diiudicans Corpus Domini. Vnde & *D. Chrisost. hom. 5. in c. 1. ad Timoth.* tradit, olim indignos sacræ synaxis susceptores à Dæmone corripi, & repētina morte opprimi solitos. Sed pro remedio proponendum est, ad Sacramētum illud fructuose sumendū, non requiri certitudinē specialis Dei reuelatione sibi euidentē, qd in Dei gratia homo cōstitutus sit, sed sufficere moralem, vt dixi, certitudinem, seù quod ad illam accedens in repurganda conscientia tantā diligētiam posuerit, quantam in serio negotio conficiēdo adhibuisset, sic qd se nullius peccati mortalis nō expiati cōscium senserit. Nec illum moueat, quod carne aduersus spiritum pugnāte, se aridum animaduertat, dummodo syncera volūtate deuotionē cupiat, & ad eam contendere conetur: Deus enim, qui pauperum desiderium exaudit, & de quo in bonitate sentiendum est, nos ex liberæ volū tatis nostræ arbitrio iudicat, non aūt ex ea, quę nobis inuitis, caro, sensusque ingerit, vt sunt volubiles imaginationes, variæ repræsentationes, carnis illecebræ, appetitiones vindictæ,

vacil-

vacillationes circa credenda, &c. *Gerson. in tract. de praparat. ad missam.*

Proinde singulis hebdomadis, idoneo confessori quem ex approbatis elegerit, peccata sua confiteri deberet, nisi ob peccati mortalis culpam (qđ Deus auertat) frequentius id facere oportuerit, vt purior ad rem diuinam faciendam accedat. In qua tamen confessarij electione illud videat, vt vnum aliquem sibi vitæ suæ ducem deligat, qui nō solum doctrina, sed multo etiam magis vitæ, morumque grauitate præditus sit, vt admonet. *D. Basilius. serm. de abdicat. rerum, &c.* apud quem semel in vita generalem confessionem suorum peccatorum cum debita animi præparatione perficiat, sanctorum exemplo, præsertim, D. Eligij sacerdotis, & postea Nouiomensis Episcopi, qui cum vitilem ageret ætatem, cupiēs se vas exhibere sanctificatum, generalē confessionem peregit, vt apud *Sur. tom. 6. 1. die Decemb.* Quem postea confessarium non facile mutet, Siquidē crebra confessorum mutatio, conscientiæ, atque moribus regendis, ac in Dei timore, & pietatis studio continendis, neque satis accomodata, neque vtilis existimatur. Vnde est illud,

Impediunt certam medicamina plura salutem,
Nec plures medici, sed satis vnus erit.

De quare dixi in *Comment. de hum. vita. Stat. p. 1. c. 16. & 17. & 20.* Antequam celebret, se colligat, & animum in tanti mysterij cogitatione defigens, se recipiat in cellulā, vel oratorium, quæ tam in collegiatis, Parochialib. & Cathedralib. ecclesijs ad hāc orandi, & meditandi rationem institui solent, ibiq; preces dicat, ante missæ initium præscriptas, vt ita composito ad religionem animo, & diuino numine propitiato, diuinam inde rem maiori suo, aliorumque fructu peragat.

Eucharistiæ Sacramentum, & missæ sacrificium ad Christi Passionem recolendam, & renouandam institutum est, iuxta illud, Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis. *Concil. Trid. sess. 13. c. 2. Luc. c. 22. & Apost. ad Corinth. 1. c. 11.* ideo à culpa non est sacerdos immunis, qui ad tam sanctum, piumque munus obeundum, sine vlla Dominicæ Passionis consideratione, tanquam vitulus ad præsepe ex consuetudine tantum accedit. Hinc, D. Basilius *in exhortatione de baptismo ad fidem.* Oportet igitur, inquit, accedentē ad Corpus, & Sanguinem Domini ad commemorationem eius, qui pro nobis mortuus est, ac resurrexit, non solum putum esse à quouis inquinamēto carnis, ac spiritus, ne ad iudicium edat, ac bibat; sed & euidenter ostendere, & exprimere memoriā eius, qui pro nobis mortuus est, & resurrexit. Sanè suæ Passionis memoriam tripliciter nobis Christus reliqt, Primo in visu, & hoc in imaginibus, quæ ad eam recolendam magnam vim habere certum est, teste *Damasceno lib. 4. de fide orthod cap. 17.* Secundo in auditu prædicationis, in qua proinde semper aliquid de eadem Sanctissima Christi Passione admiscendum est. Tertio in Altaris Sacramento, vt quotiescunque hunc panē manducamus, mortem Domini annuntiemus. *Discipul. serm 79.* Cōsideret sacerdos, quod non secundum pluralitatē (vt dicūt) missarum quas celebrauit, sed secundum puritatem manuum suarum retribuet sibi Dominus: studeatque imitari sanctos pios sacrificij missæ ministros, in primis S. Thomam Herfordensem in Anglia Episcopum, qui tanta pietate, ac deuotione erga diuina mysteria afficiebatur, vt intuentium fidem, & mores informaret; tanta in missæ sacrificio lachrymarum ab eius oculis copia manabat, ac si coram se Christum Dominum in carne humana patientem vidisset. Et Stanislaum Hosium Episcopum Cracouiensem Cardinalem, magnum veritatis assertorem, qui missæ sacrificium quotidie per omne vitæ tempus vel offerre, vel sacerdotē offerrentem aspicere consueuit, adeo vt ne in magna corporis debilitate, & languore à veteri suo instituto recedendum putaret. Pridie vero illius diei, quo missæ sacrificium celebrare decreuerat, tribus tantum panis buccellis sese recreabat, vsq; ad sexagesimum ætatis suæ annum. Deinde cibo paulo copiosiore coactus est fractas ætate, laboribusq; vires reficere. Ante missam nullis vmquam negotijs operam dare volebat, sed soli meditationi vacabat, reliquis omnib. curis, & cogitationib. ab animo procul explosis. Quamobrē in ipso sæpe diluculo, qualecunque tandem Cœlum esset, ad ecclesiam accedere consueuerat, cui aliquādo medicus, Malus, inquit, aer est, nocebit, Ille vero, sed Deus, respondit, bonus est, iuuabit. *Daur. in flor. exempl. tom. 3. tit. 27. exemplo 1. & 3.*

QVAESTIO CL.

QVAE DISPOSITIO EX PARTE CORPORIS sacerdote requiratur?

Ex parte corporis exigitur ne aliqua dispositio sacerdotis celebraturi? R. Necesse est Primo vt ex ecclesiæ præcepto sit ieiunus, vt nihil cibi, aut potus à media nocte superiori sumpserit. *cap. liquido. de cons. dist. 2.* Secundo vt in corpore non sit pollutus, immūditia namq; cum peccato mortali coniuncta, etiam si sacerdos illam in sacramentali iudicio confiteatur, ex consilio ob tanti Sacramenti reuerentiā impedit, quòminus sacrificare queat. Nō vero à celebratione arcendus est, si ipsa pollutio, vel corporis immunditia inculpate, aut cum veniali tantum peccato eueniat, cum natura sic expellente, omne super vacuum pleno de pectore manet: quippe in humano corpore triplex fit digestio. Prima est

Q in

in hepate, cuius superfluum est vrina. Secūda fit in stomacho, cuius abundantia est stercus. Tertia efficitur in corde, ex cuius affluentia semen in vasis genitalibus generatur: quod natura eijcere nititur. Quò fit, vt delectatio, quæ in somnis cum seminis decisione accidit, virginitatem nō tollat, quia talis pollutio dicitur naturę purgatio, &c. Hinc est etiam vt postquam ex lumbis excisa est pollutio, estq; in naturali motu, si dormiens experge fiat, nō retinendo haud peccet saltē mortaliter, cū vix tunc seminis effusionem impedire possit. *Sot. in 4. d. 12. q. 1. ar. 7. Graff. l. 2. Decis. aur. c. 87. n. 14. Molf. l. 7. c. 20. num. 102. Sanchez. l. 1. de precept. cap. 2. num. 20.* Sic & B. Petro Cælestino dubio, an post impuritatem, quæ noctu sine animi labe acciderat, sacrum facere posset, Christus per quietem indicauit, nō debere animum à rerum diuinarū exercitatione seiungi, cum à carnis illecebris alienus est, vt apud *Sur. 19. Maij. D. Thomas. 3. par. q. 80. art. 7. & 22. q. 154. artic. 5.* Cuius sententia cōmuni consensu recepta est. *Henriq. lib. 8. de Euch. cap. 51. Azor. lib. 10. cap. 31. q. 14. Suarez. disp. 68. sect. 2. D. Bonauent. de purit. cōscien. tia. cap. 8. Miranda. in Man. Prælat. tom. 1. q. 46. art. 14. Reginald. l. 29. num. 114. Sà in v. missæ. numer. 25. Sayrus. in claui. regia. l. 8. cap. 5. & 6. idem Sanchez. lib. 9. de matrimonio. d. 17. num. 17. & d. 45.*

QVÆSTIO CLI.

QVID TANDEM QVO AD PRAEPARAtionem sacerdoti celebraturo in ipso sacrificio, & post illud agendum sit.

QVid tandem sacerdoti rem sacram facturo, quò ad præparationem in ipso sacro, & post illud opus est? R. Postquam post sufficientem sui ipsius discussionem, omne mentis impedimentum à se ipso sustulit, & quid facturus sit, meditatus est, missam perlegere debet, singulasque eius partes signaculis accomodatis, rectè disponere, ne cum populi scandalo, ac derisione erret, titubetue.

Sacris vestibus indutum, cum nemine colloqui, nec colloquentibus aurem prębere par est, omnesq; cogitationes in tanti mysterij consideratione desigentem, à qualibet mentis distractione cauere, atq; decet, vt cum interiori cordis munditia, & puritate, exterior etiam deuotionis, & pietatis habitus coniungantur, ac ad Altare Domini accedat demissis oculis, graui incessu, & capite biretro coopertoɜne in suspensionis pœnā incidat, qua ab aliquib. Episcopis animaduertitur in sacerdotes aperto capite ad sacrum faciendū euntes. A qua tamen pœna per ignorātiam siue iuris, siue facti, obliuionem, vel incogitātiam, excusantur; cum enim suspensio in clericis grauis sit pœna, non nisi etiam ob grauem, & lethalem culpam incurritur. *Suarez. tom. 5. disp. 28. sect. 4. Mirāda. tom. 2. q. 36. ar. 6. Ægidius. Coninch. de suspens. disp. 15. dub. 3. num. 24.*

Vbi sacerdos decēter ornatus ad Altare accedit, existimare debet se ad funestum Caluariæ Montis spectaculum tēdere, ac Christi patientis personam sustinere, quod habitu ipso, & sacris vestibus significatur. In precatione illa, quæ Memento dicitur, cu rare debet, vt eorum meminerit, pro quib. est orandum, & ut preces maiorē vim habeant, cū sacrorum cruciatuum Dñi memoria illas sociabit, hunc fere in modum. Primo, sanguini pro nobis effuso suam animam commendabit, vt per illam expietur, & ijs virtutibus, quæ Domino maxime placent, exornetur. Secūdo, lateri ecclesiā, quę ex illo est ortā, vt illi sanctitatem donet. Tertio, capiti spinis compuncto, Summum Pontif. aliosq; omnes Antistites, ac Principes. Quarto, manui dextræ suos amicos, cōsanguineos, ac benemeritos. Quinto, sinistræ omnes, qui nos aliquo modo molestia affecerunt. Sexto, pedi dextro personas, ac negotia ab alijs commendatā. Septimo, pedi sinistro, omnes in peccato mortalis iacentes. Octauo, flagello, sputis, alapis, quib. Christus impie vexatus est, infideles, & hæreticos, q ipsum Dominum iniurijs diuexant. Nono, Cruci religiosos oēs, & præcipue proprium ordinem, vt cuncti Crucem cum Domino libenter ferant. Decimò, siti eos omnes, qui nostras preces expetunt. Vndecimo angori, quem Christus in horto perpessus est omnes, qui calamitatibus conflictantur. Duodecimo denique, in secūdo Memento eos omnes commendabit, qui in Purgatorio detinētur, sed eos pręcipue, pro quibus particulariter sacrificium offerre debet; atque his actionibus non nimiū immoretur, sed cito se expedire curet, breui mentis obtutu eas perlustrando. Sacro peracto veniam negligentiæ, & erratorum petet, quæ in eo faciendo admisit; pro se, & vniuersa ecclesia Deo Patri offerat, quidquid Christus 33. annorum spatio pertulit, ea euenire precando, quæ diuinæ voluntati placent: & cogitet se velut Sepulchrum Domini effectum, proponens sensus interiori cura custodire, vt omnibus Christi sit bonus odor. *Gisbertus. de vita ecclesi. c. 117. & seq.*

QVAESTIO CLII.

VTRVM SACERDOS TENEATVR EA omnia dicere, & seruare, quæ in Missali præscribuntur.

TEnetur ne sacerdos omnia dicere, & seruare, quæ in Missali præscribuntur, & quæ tanquā ritus, & cæremonię ab ecclesia sunt instituta? R. Tāta est huius sacrificij maestas, & dignitas, vt nō immerito catholica ecclesia pro illius sanctiori decore plures

plures cæremonias, ac sacros ritus grauissimis mysterijs refertos instituerit, vt p visibilia signa ad altissimarum rerum cõtemplationem, quæ in ipso sacrificio latent; homines excitarentur. Ex his enim, quæ in missæ celebratione ad illius constitutionem cõcurrunt, quædam sunt verba, & quædam sunt facta. Verba sunt variarũ orationũ prolatio, & aliqua sacræ scripturę lectio, ex triplici idiomate constans, Latino, Græco, & Hebraico; nõ tamen materno, ne hæc sacra mysteria in vulgo vilescant, quandoquidem & si missa sit publicũ officium, quia pro ecclesia, & nomine ecclesiæ offertur; cum tamen non sit instituta, vt populus in ea erudiatur, sed vt Deus per eam colatur, non necessarium est, vt omnia, quæ in ea dicuntur, intelligat, sed sufficit, vt in genere sciat, quæ in ea peragantur mysteria, quod à Pastoribus in cõcionib. & Catechismis addiscere debet. Deus autẽ cui sacerdos loquitur, & quem in missa cõpellat, & inuocat, quouis idiomate, siue alta, siue submissa voce loquentes æqualiter intelligit.

Facta vero sunt genuflexiones, aliæque id genus humiliationes, ac aliæ cæremoniæ à celebrante obseruandæ, quando, & quomodo ipsum Missale docet, ex quo absque dubio ante celebrationem, addiscendæ sunt. *D. Thomas 3. par. q. 83. art. 4. & 5. Suarez. disp. 83. sect. 1. & tom. 1. de relig. l. 2. c. 2. nu. 18. Coninch. q. 83. art. 5. Henriq. l. 9. cap. 31. Azor. p. 1. l. 10. cap. 34. & 35. Val. tom. 4. disp. 6. q. 11. p. 3. Bonac. d. 4. q. vlt. p. 7. §. 3. q. 11. puncto 3.*

Propterea apud omnes constitutum est, sacerdotem lethalẽ culpam admittere, si quid notabile in ritibus, orationibus, & factis missæ mutet, aut omittat, eo quod hoc præceptum datum est in virtute S. obedientiæ, & de re graui, vt pote spectante ad nobilissimi diuini cultus ornatũ, ex diuersi generis partibus religioso artificio cõpositum; cum enim *Apostolus. 1. ad Corinth. 14.* præcipiat, vt omnia honeste, & secundum ordinem in nobis fiant, nihilq; sit in christiana religione hoc sacrificio maius, in eoq; rituum vniformitas sit seruanda, sine quibus nulla religio, siue vera, siue falsa fere consistere valet, nec sine eorum adminiculo humana natura ad res diuinas contemplandas sustolli possit, hinc fit, vt in huius præcepti violatione grauis incurratur culpa, vt dixi supra *tract. 4. cap. 2. q. 7.* Excusatio tamen in eo locum habet, sicut in multis alijs præceptis, tàm ex naturali inconsideratione, quàm ex materiæ paruitate, vt quando leue est, quod de eodem ritu omittitur, etiam si id fiat in Canone. Et licet optimũ sit, vt alias aduerti, missam, quam pro vnoquoque die Missale assignat dicere, tamẽ nisi aliud alicuius diei solemnitas suadeat, assumi potest alia ab eo, qui libere, & tantum pro arbitrio priuatam missam dicit; quia cum ei sit liberum illam omnino non celebrare, erit & aliam dicere. Publicam autem, vel Parochialem, vel conuentualem celebraturus ea libertate vti non potest. *cap. quidam. c. cum creatura. extr. de celebrat. missarum.* Insuper est illud apud omnes exploratum, cum aliquid in missa ex naturali obliuione omissum est, si id aliquanto post in mentẽ veniat, non esse necessario cum ordinis perturbatione repetendum, qua tollatur cohærentia religiosa ratione partium celebrationis missæ constituta; nisi id ad substantiam sacrificij spectet; siquidẽ talis omissio omnino suppleri debet. DD. supra citati, & *Reginald. l. 29. num. 208. Molfes tract. 3. cap. 13.*

Notãt etiam communiter DD. quod si sacerdos dubius sit, an aliquid essentiale omiserit, & circa omissionem inclinet, formam sub conditione reiterare debeat; at si magis negariuæ parti adhæreat, vt scilicet nil prætermissum sit, vel quod omissum est, ad essentiã formæ non pertineat, vlterius prosequatur, & nihil reassumat, vt etiam in Rubricis Missalis cauetur. In simili tradit. *Caiet. in v. cõfessio, & v. scrupulosorum peccata*, quem omnes sequũtur, scrupulosum non teneri omnia dubia confiteri, quæ illi in cogitationem offeruntur, an hoc sit confessus, vel non, an hoc vel illud satis expresserit, quoniam si in hanc scrupulorum syluam intrauerit, numquã dabitur finis, nec mentis erit tranquillitas.

CAP. XVII.

QVAESTIO CLIII.

QVAS CONDITIONES MISSA habere debeat.

QVas conditiones debet habere missa, vt recte, & rite peragatur? R. Illis qualitatibus vestiri debet, quę his quatuor literis significari, & explicari solent. A. B. C. D. A enim demonstrat, missam alta voce celebrãdam esse, vt ab his, qui intersunt, audiri queat. Vnde aliqui DD. asserunt, culpam nõ euitare sacerdotem, ita submissa voce pronunciantẽ, vt circunstantes audire nequeant. *Caiet. 22. q. 83. artic. 12. Tab. in v. oratio n. 13. Armilla. ibi num. 4. Nau. cap. 25. num. 91. Sà in v. missa. num. 50.*

Qui nihilominus sacerdotẽ submissa voce celebrantem non audit, absque dubio ecclesiæ pręcepto satisfacit, modo secũdum moralem, & corporalem præsentiam cum debita attẽtione assistat, siquidem verbũ audire missam in iure pro cum deuotione interesse accipitur. Ex quo fit, maiorem attentionem ad horas recitandas, quàm ad missam audiendam requiri, cum ad diuinum officium socius recitans alium audire teneatur, qđ in missæ auditione nõ accidit, vt ex cõi sentẽtia ait. *Bonac. d. 4. q. vlt. p. 11. n. 18.*

Canon tamen secrete, & demissa voce recitãdus est, tùm ad Christi imitationem, qui cum in Cruce

pendẽs cruentum sacrificium offerebat, modo alta voce tùm astantes, tùm etiam Deum Patrem compellabat, modo vero eum tacitus precabatur: tùm etiam quia hoc confert ad pietatẽ, & venerationem in astantiũ animis excitãdam; vt et illud omittam, varietatem, & tædium leuare, & distractos animos in sui contemplationem rapere, &c. *Conc. Trid. sess. 22. decreto de sacr. missæ. Coninch. d. q. 83. art. 5.*

B. denotat missam breuem esse debere, ne sacerdos nimia prolixitate sit audientibus molestus; & maxime apud rusticos hic abusus viget, ut malint sacrum amittere, quàm longum audire. Sed in hac re aurea mediocritate opus est, nec enim nimis festinanter peragi debet, ne tantũ sacrificium fiat sine sale discretionis. *Posseu. de officio Cur. capit. 11. num. 17.* Hinc *Naur. capit. 16. de oratione, & hor. can. num. 20.* Peccãt, inquit, qui nimis festine, aut nimis tarde pronuntiant missam, turbant namque, & distrahũt se, suosque auditores, & occasionẽ præbent, vt aliqui dicantur celebrare missam venatoriũ alios vero doctissimus ille Episcopus Parisiensis Guillelmus cereorum cõsumptores vocat. Ideo etiam nonnulli admonent, vt quia hoc sacrificium duob. modis offertur. s. generaliter pro tota ecclesia, & specialiter pro certa, vel certis personis, & varijs necessitatibus, ne sacerdos missam protrahendo astantes tædio afficiat, dum in sacello se ad missam præparat, vel sacris vestibus se induit, omnium, pro quib. sacrificium offerre instituit, ac intẽdit, meminerit, vt postea in memẽto se citius expediat. Communiter vero enuntiatur, priuatam missam mediæ horæ spacium excedere non debere. *Scortia l. 2. cap. 19.* Cæteris tamen paribus, vt aliquibus placet, præstat, & securius est, prudẽtius, ac laudabilius in missa multum temporis, quàm parum insumere, cum certum sit, maturitatem magis eorum, quæ in missa aguntur, conditioni conuenire, &c. *Molina in Instruct. sacerd. tract. 3. cap. 14. §. 1.*

C. innuit, vt clare, & distincte, & apte pronũtiet, quò verba ab his qui intersunt, percipiantur, nam grauiter peccare videtur sacerdos, qui, vt aiunt, dictiones, & verba syncopat, & mutilat, syllabas deglutit, & absorbet. Vitare illum sane oportet, in legendo molestam illam, & fractã, & quasi verba syllabatim nectentem tarditatem, sed multo magis à contrario quorũdam vitio abesse debet, qui properandi studio ita feruntur, vt vorare, atque inuoluere contra religionem, & decorem videantur. Hinc *Conc. Colon. p. 2. cap. 13. ait.* Qui missam legit, cum reuerenda modestia, clare & distincte legat, omnia vsque ad Canonẽ, vt qui audiendi sacri causa ẽstat, quod legitur, intelligat, atque ad pietatem excitetur. Idem dicẽdum de his, quæ post Canonem continentur, sicut monetat. *Iustin. Imp. in Nouel. constit. 123.* Episcopos, vt curarent clara voce celebrari, &c. consentit *Synod. Amer. de sacrif. missæ. c. 360.*

D. indicat, vt sacris operam nauans omnia grauiter, pie, ac deuote exequi studeat, ab omni indecoro, & absurdo corporis motu abstineat; indignissima enim res est, vt munus, cuius Angeli digni nõ fuerunt, cũ vecordia, irreuerentia, & oscitantia homines obeant, *ait Sotus in 4. sent. dist. 12. q. 1. art. 4. & Iacobus Aluarez. in libro de vita religiosæ instituenda. c. 7.* In verbis enim pronuntiandis, in ipsorũ verborum efficacitate, in sacrificij oblatione, sacerdos Christi personam repræsentat, quod etiã in vestibus, & cætero eius ornatu, & sacro apparatu cernitur. Franciscus Borgia sacris operaturus horas aliquot precationi impendere, leq; probe excutere solebat. Quotidie item rite confessus, rem diuinã faciebat. In media liturgię, vel missę parte lachrymas illi vbertim fluere solitas obseruatũ est. Post sacrum gratias diutius Deo agere, qđ velut in Zachei domum diuertisset, vt non nisi ægre ad prandium, & cum suspirijs Iobi, atque D. Bernardi exemplo duceretur. *Pet. Ribad. in eius vita lib. 4. cap. 4. num. 14. Daur. tom. 3. cap. 5. tit. 27. exemplo 5.*

Certe ab hac deuotione plurimi sacerdotes longissime absunt, qui incredibili festinatione, & irreuerẽtia, rem sacram peragunt, vt neque ipsi scire videantur quid agant, neque alios rem tantam paulo attentius considerare permittant, *ait Bellarm. de arte bene mor. l. 1. cap. 12.* Quippe exiguitas fidei erga Christũ in Eucharistię Sacramento reuerentiæ exiguitatẽ parit. Vtinã sicut Discipuli Christũ in fractione panis cognouerũt, ita & illum sacerdotes in specie panis præsentẽ viua fide sic agnoscerẽt, vtiq; eorum cor in eius amorẽ exardesceret, vt & illorum æstuauit. Quanta esset in illum reuerentia, si ibi in clarissima luce conspicuus ab eis cerneretur, vt à pluribus, præsertim à D. Dionysio sacris operante visus est, *teste Hilduino Abbate in eius vita. cap. 29.* Si ignis ex arcula venerabilis Sacramẽti in irreuerentes, & male agentes erumperet, ut factum testatur. *S. Cyprianus l. de lapsis.* quantus eos metus in Christi præsentia corriperet? Si illum in humana specie viderent, admirabili pulchritudine, splendore, ac maestate coruscantem, vt illum aspexit. D. Angela de Fulgineo, *vt in eius vita cap. 4.* quanta pietate, amore, & lætitia ipsorum sacerdotum animi perfunderentur? *Gisbert. de eccles. vita. capit. 27.*

QVAESTIO CLIV.

QVOMODO FREQVENTIORIBVS MISSAE defectibus occurrendum sit.

Quomodo occurrendum est frequentioribus defectibus, qui circa huius Sacramẽti, & sacrificij celebrationẽ contingere solẽt, vt si v. g. dum facer-

sacerdos celebrat, recolit se lethali culpa fœdatum, vel aliqua censura ligatum? & quid agẽdum, si non sit in mortali peccato constitutus, vel censura innodatus, credit tamen his inuolui? R. Iam superius

Primæ dubitationi responsum est, debere confiteri, & absolui, antequã missam incipiat, si sine scandalo, & infamię nota fieri potest. Item quatenus sibi licet, debet per se, vel per aliũ scrupulosam conscientiam deponere, vel nisi, vt dixi, scandalum immineat, à celebratione abstinere. aliàs cum tali cõsciẽtia sacris operando, mortalem culpam, & sacrilegium contrahit; siquidem qui contra conscientiæ dictamen, & legem agit, ædificat sibi ad gehẽnam. *capit. fin. extr. de præscript. capit. per tuas. il 2. extr. de simonia. Nau. consil. 2. tit. de pœniten & remiss.* Vbi ait, sacerdotem iudicantem se excommunicatum debere contra proprium iudicium confessario docto, ac pio fidem præstare, & si coram Deo vere esset censura irretitus, etiam si ille erraret, eitamen credendo ab omni culpa, & pœna in hoc sæculo, & in futuro immunẽ fore. Sic religiosus quidam ordinis S. Bernardi ita aliquando strictæ conscientiæ angustijs premebatur, vt ne quidẽ rem sacram facere auderet; cui tandem. D. Bernardus dixit, Vade frater in vita mea, & fac sacrificiũ, scio. n. scrupulum tuum, quem falso putas, nullum esse, vnde frater obediẽs, & consilio acquiescẽs, sacrum fecit, nec amplius conscientiæ scrupulos sensit. Siquidem vt admonet. *Gerson. in tract. de remed. contra pusillanimitatem.* In quacũque parte quis se ad malum proniorem, & facilius se tentari posse animaduertit, ibi contraria remedia adhibere debet, vt si humani generis hostis strictiorem cõscientiam facere velit, relaxet: & è cõtra si laxam velit, restringat: nunc enim anima medium seruando (in quo virtus cõsistit) pace, ac tranquillitate fruetur, vide *D. Anton prima p. tit. 3. cap. 10. §. 10. Syluest. in v. scrupulus. Sayrum in claui regia. lib. 1. cap. 13. & 14. Sanchez. de præceptis lib. 1. cap. 10. Reginal. lib. 1. num. 111. Daur. tom. 3. tit. 48. exemplo 1. Roder. in qq. regul tom. 3. q. 57. artic. 3. Vide etiam infra tract. 5. cap. 10. q. 63.*

QVAESTIO CLV.

QVID AGENDVM CVM SVBITO concidit sacerdos.

QVid agendum, quando inter celebrandũ sacerdos subito deficit, ita vt nullo modo possit sacrificium perficere? R. Si hoc ante consecrationem cõtingat, sacrificium imperfectum relinquendum est, quia cum nõdum sit substãtialiter inchoatum, nullum est in hoc notabile incommodum. Si autem post consecrationem, etiã vnius materiæ tantum, tunc per alium sacerdotem perficiendum est, si quis adsit, & si nõ ieiunus, in peccato mortali, aut excommunicatus existat, modo si confiteri, nequit, conteratur, &c. Quandoquidem minus incommodum est, sacerdotem his impedimentis detẽtum sacrificium absoluere, quàm imperfectũ relinqui. Sicut etiam cum iam sumpto Christi Corpore, celebrans in materia Calicis defectum aduertit, nempe esse aquam, aut acetum, aliudue quàm vinũ ex vite, illudque ore hausit, debet commodum vinum resumere, & sola ipsius consecratione, ne scãdalum generetur, contentus esse, nam arctioris est vinculi præceptum sacrificium absoluendi, quàm cætera. *Suarez. disp. 85. sect. 1. Nau. cap. 25. num. 91. Tolet. lib. 2. cap. 9. Azor. lib. 10. cap. 33. quæst. 5.*

QVAESTIO CLVI.

QVID SI ALIQVID IN MISSA dicendum prætermisit.

QVid si ex obliuione aliquid in missa dicẽdum prætermisit, & postea antequã sacrum perficiat, hoc recolit? R. Vt iam supra animaduerti, defectum in accidentalibus, seu in ritibus, qui in missa fiunt, seu in verbis, vel precibus, quę in ea dicuntur, non esse iteratione supplẽdum, vt si iam orationem dixit, & gloria in excelsis se omisisse meminerit, &c.

Si vero in materia, vel forma essentialis defectus sit admissus, omnino supplẽdus est, quia alioqui sacrificium mutilum fieret, vt pote in essentialib. deficiẽs, quod intrinsece malum est, ac proinde omni diligentia cauẽdum. Quis vero essentialis defectus censeatur, ex dictis constat. Vnde si sacerdos in progressu sacri se aliqua dixisse, vel fecisse nõ meminit, nõ debet inde turbari; sed sibi persuadere, se legitime processisse, quia facile contingere põt, vt quãdo deuotioni, vel meditationi intenti sumus, aut etiam non nihil distracti, eorum nõ recordemur, quæ immediate iam fecimus: nisi tamen probabiliter constet, aliquid essentiale reliquisse, vt si omisisset, vel corrupisset formam consecrationis alterius speciei, tunc namque forma super eam materiam esset pronuntianda, cum tacita tamen conditione, eam non consecrandi, si iam esset consecrata. *Ægidius Conin. l. c. num. 281. Molfes. tract. 3. c. 13. Bonac. d. 4. q. vlt. p. 10. num. 12. Reginal. lib. 29. num. 213. Tolet. lib. 2. cap. 9. Azor. p. 1. lib. 10. cap. 23.*

QVAESTIO CLVII.

AN SACERDOS ERRATA NON corrigens, m. p.

VTrum sacerdos, qui errata in missa cõtingentia nõ emendat, lethaliter delinquat? R. Si ex

ignorantia facti, vel animi turbatione ex inopinato à sui defectibus non occurreret, à culpa mortali excusari: si autē ex iuris ignorantia hoc eueniat, à graui culpa nō eximeretur; non .n. decet sacerdotem ea ignorare, quæ ad eius officiū spectant. Ignorantiam quę teste Boetio miseros tramite deuio abducit, plures in se ipsis laudasse accepimus, neque illud Senęca in Oct. expendisse,

Inertis est nescire, quid liceat sibi,

Ita vt sui muneris minus recte, legitimeque peracti exactam Deo rationem reddere teneatur, cum singuli ea nota habere debeant, quæ proprij sunt status. Vnde *Apost. 1. ad Corinth. 1.* Populos illos admonebat, videte vocationem vestram. Quippe sicut Deus in beneficijs conferendis est largus, ita & in repetendis strictus est, & si dici potest, rigorosus exactor; quæ ratio non vt communis hominum instituetur, sed pro suo arbitrio, & sententia, quia vt ait Sapiens *Prou. cap. 16.* Pondus, & statera sunt iudicia Domini; ita vt qui plus receperit, plus redditurus sit. Vnde D. Michael Archangelus pingitur libram manu gestans, vt significetur, animam de hac vita exeuntis, ad ipsum tanquam libripendentem euolare, ut Dei præscripto examinet, num status obligationi, quem in terra gessit, respōderit. *D. Thomas. 12. q. 76. art. 1. & 2. Barthol. ab Ang. dial. 5. §. 721. Nau. consil. 10. tit. de pœnit. & remiss. Molina. in Institut. sacerd. tract. 1. cap. 16.*

Alia uitia, & errata quæ in missa contingere solent uideri possunt in *Missali Romano in rubr. de defectibus missæ, & in alijs passim Doctoribus.*

QVAESTIO CLVIII.

QVOMODO PVNIENDVS SIT ILLE, qui cum sacerdos non sit, missam celebrare audet, & an acta ab eo valeant.

QVæritur postremo, qua pœna in foro externo afficiendus sit is, qui cum sacerdos non sit, missam celebrare ausus fuerit? R. Supposito, solū sacerdotem legitime ordinatum, non impeditum, & approbatum, super Corpus Christi uerum, & mysticū iurisdictionē, & potestatē habere, ut decernitur. in *capit. 1. §. 1. extr. de summa Trinit. & fide cath. & Conc. Trid. sess. 22. capit. 1. & per D. Thomam. p. 3. q. 82. artic. 1. & 5. & Sot. in 4. d. 13. q. 1. art. 1. Bellarm. lib. 1. de missa. cap. 6. & 7.* Dico, quod canonica iura huic sceleri pœnam non statuerunt, forsan enim antiqui illi Patres non crediderunt, tantam futuram esse hominum temeritatem, (ut de pœna parricidij infligenda dixit Solon) ut tātum nefas, quale est sine sacris ordinibus rem sacram facere, cōmitterent: & si iam hodie dignum esset, hoc speciali sanctione punire, cum his temporibus hoc aliquando accidisse cōperiamus; propterea pœna arbitraria plectendum esse plerique DD. senserunt, ut per *Diaz & ibi Lopez. in praxi. crim. can. cap. 12 & Roder. tom. 2. qq. regul. q. 28. art. 2. & Boer. Decis. 71.* Attamen *Greg. XIII. in Bulla Incip. Ad perpetuam rei memoriam* statuit, huiusmodi criminosum per Inquisitores hęreticæ prauitatis puniendum esse, quandoquidē de Lutheri hæresi ualde suspectus redditur, qui temere, & impie tenuit, à non sacerdote hoc Sacramentum confici posse. *Clemens itidem VIII. In constit. Incip. Etsi aliàs* decreuit, huiusmodi perditos, ac sacrilegos uiros per hæreticæ prauitatis Inquisitores, & uiolatę religionis Iudices, nec non per locorū Ordinarios puniendos; & si tales delinquētes in ecclesiasticis ordinibus constituti sint, de gradu deijciendos esse, & tāquam ecclesiæ misericordia indignos sæculari curiæ tradendos, ut in eos ultimi supplicij pœna animaduertatur. *Scortia lib. 2. de sacrif. missæ. cap. 10. Molfesius tract. 3. cap. 14. Bellett. in disq. cler. p. 1. §. 5. num. 39.* Cum autem potestas tàm ordinis, quàm iurisdictionis ei defuerit, absq; dubio fatendum est, omnia ab eo gesta prorsus inualida esse, quidquid quò ad potestatem clauium cōmuni errore supposito dixerit *Mascardus cum alijs ab eo relatis vol. 2. de Probat. concl. 648. num. 14.*

Finis Tractatus Quarti.

ARTI-

ARTICVLI, EX QVIBVS HAVRIRI Poterunt interrogationes Confessarijs faciendæ. Cap. I.

QVAESTIO I.

QVAM VTILE, NECESSARIVM, ET dignum sit confessarij officium.



QVÆRITVR an vtile, & necessarium sit, & dignum, Sacramenti pœnitentiæ ministri officium? R. Munus confessarij, vel ministri Sacramenti pœnitētiæ, tot, & tantas prærogatiuas, & excellentias in se continet, vt solus ipse Dominus, qui illud in Euangelica lege instituit, & sacerdotali ordini astrinxit (de quo huc usque diximus) æstimare, ac exprimere valeat. Illud in primis certum est, quod cum sacerdoti potestas absoluendi à peccatis tribuitur, specialis etiam, ac peculiaris gratia cōceditur per illa iucundissima verba, quibus Saluator noster suos Apostolos post suā Resurrectionem compellauit, cū eos confessarios creauit, & Sacramentum pœnitentiæ instituit, dicens *Ioannis cap.* 20. Accipite Spiritum sanctū, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Neque est exiguæ præstantiæ indicium, quod cum in ordinis Sacramento, ad conficiendum Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum, & ad remittenda peccata Spiritus sancti gratia impertiatur, huius tamē doni nō fiat mentio, cum prima potestas datur, sed cum hęc secunda exprimitur; vt ex hoc intelligatur, insignis sanctitas, quæ ad opus tàm excelsum, per Spiritum sanctum dimittendi ipsa peccata requiritur. *Lud. de Ponte. de christiana perfect. tom. 4. tract. 5. cap. 1. Sylvius in Comment. ad 3. par. D. Thoma. quæst. 7. artic. 3. dub. 8. Coninch. de sacram. pœnit. d. 1.*

Magna profectò est nostrorum sacerdotum gloria, quod eos Christus ad tàm sublimem gradū extulerit, ut quod ait *D. Greg. hom. 26. in Euang.* Dei vices in terris gerāt, eiusq; nomine culpas relaxent; nam per talē potestatē dat eis speciale, & efficax pignus, qđ etiā ipsis propria peccata remittet, quibus aliena condonandi facultatē tribuit. Qđ significare voluit Dominus noster, cū illa verba dixit Apostolis in die Resurrectionis dolentib. & pudore suffusis, quod ipsum Saluatorem Passionis tempore deseruissent, &c. Sic sic, inqt *S. Greg. hom. 26. in Euāg.* eos à Deo decebat erigi, qui tantum pro Deo confensfiant humiliari, & qui Dei iudicium propter sua peccata timebāt, facti sunt Iudices ad absoluēdum, & condemnādum alios. Grauissimum equidem, & nobilissimum est munus audiēdi confessiones, & ab illius recta administratione præcipue vitæ emēdatio pendet, & animarum salus. Hinc Pius V. Pontifex Maximus illud frequens in ore habebat, Dētur idonei confessarij doctrina, & animarum zelo pollentes, & ecce omnium Christi fidelium plena reformatio, vt dixi in *Comment. de hum. vita stat. p. 1. cap. 16.* Adde quod cum essent varij culpas tollendi modi, nobilissimū, & maximę authoritatis illis contulit Christus, cum eos peccatorum Iudices constituit, & adeò gloriosum tribunal eis assignauit, vt eorū sentētia absq; vlla appellatione ad alterius Iudicis sellā rata sit in Celo, & in ultimo iudicio approbata. Quid potentius D. Petro, cuius sentētia Cœli sententiam præcedit? non .n. pœnitēti attrito Deus prius noxas remittit, quamuis ipse in omnibus primus, & præcipuus sit, quàm confessarius per ecclesię claues absolutionis verba proferat. *ait D. Bernardus. serm. 1. de SS. Pet. & Paul. Ioānes 22. in cap. ita quorundam. de verb. significat. in extrauag.* Si beati censentur misericordes, quoniam ipsi à Deo misericordiam consequētur, cur non felices, & beatos bonos confessarios prædicemus, quorū munus est septem spiritualia misericordiæ opera excellēter obire? Ipsi namque dum confessiones excipiunt, bonum pœnitentibus ignaris dant cōsilium, errantes corrigunt, iniurias Deo illatas condonāt, quas charitatis igne succensi delere solēt, multas muneris sui molestias æquo animo sustinent, & pro suis pœnitētibus preces apud Deum fundunt. Sed nonne etiam septem corporalia misericordiæ opera exercent, dum tanquam medici ægros inuisunt, Sacramentorum pane esurientes animas pascunt, eas sitientes pia doctrina potant, nudas veste charitatis induunt captiuas à Dæmonis tyrannide redimunt, vinculis peccatorum astrictas soluūt, hospitio sua cura peregrinas excipiūt, defunctas, & peccato iam mortuas per orationis ērdonū, quod est iustorū Sepulchrum, in Christo sepeliunt, &c. Vt omittam quoq; (quod est maxima confessarij dignitas, & huius muneris excellentia) soluendi, atq; ligandi authoritatem, non Angelis, imò nec B. Mariæ Virgini cōcessam fuisse: vt traditur in *cap. noua. ext. de pœnit. & remiss.* Deus ergo omnipotens, qui in misericordia diues est, & omnipotentiam suam parcendo maxime, & miserando manifestat, vt homines post baptismalem innocentiam amissam, & naufragium factū, secūdam haberent tabulā, qua adiuti ad salutis portū peruenire

nire possent, Sanctissimum pœnitentiæ Sacramentum instituit, & sui indeficientis thesauri plures in terris dispensatores in excelsa dignitate constitutos reliquit, sacerdotes videlicet, qui quidē Iudicis, medici, magistri, pastoris, patris, cœli ianitoris, ac Dei ministri ad redemptionem, & animarum salutem procurandam, (quod est omnium officiorum supremum) supranaturali ratione personam sustinent.

Et sicut humanæ naturæ imbecillitas omnib. nota est, eamque in se ipso vnusquisque experitur; ita quantum habeat Sacramentum pœnitentiæ vtilitatis, ac necessitatis, nemo ambigere potest; dictum est. n. à Tridentinis Patribus, huiusmodi Sacramentum non secus lapsis post baptismum, quàm baptismum nondum regeneratis esse ad salutem necessarium. *Concil. Trid. sess. 14. cap. 1. Catechismus Rom. de Sacramento pœnit.*

QVAESTIO II.

VTRVM AVDIENDI CONFESSIONES munus appeti, ac procurari possit.

AN & quomodo possit quis appetere audiēdarum confessionum munus? R. Nemo tātum sibi assumere debet, vt hoc onus, & officium aggrediatur, nisi conditionibus, & dotibus sufficientibus se suffultum esse agnoscat. Nam si temerariū esset, officium Iudicis ecclesiastici, aut sæcularis, aut medici, aut magistri, absq; debitis talentis subire: multo maioris temeritatis est, confessarij, absq; requisitis qualitatib. munus assumere; siquidem error, aut rectitudo in eo nō circa corporis res, sed animæ versatur, in quib. de vita æterna cōsequenda, aut amittenda agitur, cū in huiusmodi ministerio ipsiusmet Dei partes obeat, cuius est, vt ait *David Psalmo 83.* Dare gratiam, & gloriam; quoniam cum pœnitentē cōfessarius absoluit, gratiā largitur, & ius ad æternam gloriam consequēdam tribuit. Propterea *Concilium Trid. sess. 23. cap. 15.* statuit, nullum posse sæcularium cōfessiones audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut ab Episcopo per examen, si illi videbitur necessarium, aut aliàs idoneus iudicetur, & approbetur, aut parochiale beneficium habeat. Vnde & ipsi Episcopi tenentur non approbare, nisi quos prædicto modo idoneos iudicauerint: & ipsi sacerdotes debent eam approbationem non petere, nisi se dignos, & ad illud munus exercendum aptos esse intelligant, existimantes id esse iuxta diuinam vocationē, & in eos fines tendētes, in quos officium ipsum dirigitur, q. sunt Dei honor & gloria, & aīarum salus. Quandoquidē nō oportet ad hoc officium accedere ex suo arbitratu, & carnis, aut sanguinis affectu, graui. n. nō careret culpa, ob inanes, ac terrenos aut vanæ gloriæ, & honoris fines, munus illud obire; aut propter aliquod temporale lucrum, quod est mercenariorum proprium, aut luporum nō intrantium per portam in Christi ouile. Multo magis si sacerdos hoc ministerium ob carnalem voluptatem affectaret, in quo mortali afficeretur peccato, etiam si minus principaliter tantū eam turpitudinē lethalem intenderet, scelesté delinquendi inde occasionem sumens, vbi peccatorum petenda est venia. *Nau. cap. 10. in fine Reginal. de prud. confess. c. 1. n. 3.*

Quamuis vero non sit adeo malum, minus principaliter humanos fines bonos, & aliqua temporalia bona optare; quò tamen minus ad hæc respicietur, & hæc ratio mentis oculis objicietur, eò prima intentio purior, & præstantior erit, & officium exactius, ac perfectius explebitur, magisq; ad Domini voluntatem accedet, qui dignus est, vt gratis sibi seruiatur. Nam si olim querebatur Deus, qđ non esset, qui clauderet Hostia Templi gratuito, *Mal. capit. 1.* Quanto magis conquereretur, quod sacerdos non gratis, sed ob lucra, & terrena cōmoda Cœli ianuas non recludat? Sanctum ergo hoc ministerium nō lucri cupiditate inductus, sed salutis animarum zelo suscipere debet sacerdos, & sancte, syncere, & gratis gerere, vberem à Deo laborum suorum mercedem expectans, interim ipsum toto corde precādo, vt sibi ipsi tanquam suæ gratiæ indigno dispēsatori, ad iudicandum sapientiam, ad medendum prudentiam, & ad miserēdum pietatē largiatur, vt dixi infra *capit. 18. q. 123.* Hinc confessarius quò ad actionem, & vsum cogitare debet, eum qui se adit, esse veluti hospitem, quia via aberrauerit, veluti reum, ægrotum, saucium, qui à Deo mittatur, ut eius opera gratis in rectam uiam reuocetur, soluatur, ac sanetur. Magni enim refert, confessarium ex animo, & cum quadam propensione, suo muneri operam dare, deque illius dignitate, ut par est, alte sentire, uidelicet se à Deo delectum esse, ut in Sacrosanctum illū fontem Sāguinis Christi Domini manus immergat, & eo sordidas noxiorum animas abluat, & ornet, ac in libertatem filiorum Dei eas uindicet; quod *D. Augustinus tract. 7. in Io.* dicit Maius opus esse, quàm uniuersum mundum creare, &c.

QVAESTIO III.

VNDE DICATVR POENITENTIA, quot modis sumatur, & quid sit.

CVm cōfessarius minister pœnitentiæ dicatur, quæritur, unde hoc nomen pœnitentiæ deriuetur, quot modis sumatur, & quid sit, &c? R. Pœnitentia dicitur à pœnitendo. i. pœnā tenendo, pœnitere namq; est quasi penā tenere, ut in se homo ulciscendo puniat, quod peccando cōmisit. Pœnitentia dicitur quasi punientia, eo quod ipse homo in se pœni-

pœnitendo punit, quod male admisit. Tria .n. quæ sunt in percussione pectoris, idest pectus, sonus, & manus, significant, qd' pœnitentia est de his, in quib. mente, voce, & opere deliquimus. *Vgo. l. 3. de myst. eccles.* Vnde dixit. *D. Bernardus super illum Genesis locum cap. 6.* Pœnitet me fecisse hominem super terram; idem esse, ac si diceret, Pœna tenebit me vel à culpa immunẽ, pro peccatis hominum, tenebit, inquam, me, cum super terram venero. *Gloss. in cap. pœnitentia. el 2. de pœnitentia. dist. 3.* Vel ibi Deus loquitur humano more, siquidẽ pœnitẽtia, ira, & aliæ passiones in Deum non cadunt. *Vinal. de pœnit. n. 3. Catechis. Rom. de sacr. pœnitentia.* Hinc & pœnitere dicimus, cum quæ ipsi fecimus, aut quæ de nostra voluntate, nostroque consilio facta sunt, ea postmodum nobis displicere incipiunt, sententiamque in his nostram demutamus. Et quoniã quæ nobis tædio, vel pudori sunt, pœna quędam esse videntur, fit, vt pœnitet pro tædet aliquando accipiatur. Quod quidẽ verbũ in sapientẽ non cadit, siquidem nõ est prudẽtis dicere nõ putarã: sic.n. illud extat adagiũ, Sero sapiunt Phryges, qd' in eos torquetur, quos stulte factorum sero pœnitet: qua ratione Fabius apud Tit. Liuium, euentum stultorum magistrũ appellat. Et si aliquando à sentẽtia propria discedere, & cum re mutare cõsilium à sapiente alienum non sit, nam & Doctores id fecisse constat, prout inter alios. *D. Augustinus relatus in c. vides. 23. q. 6.* allegans illud Salomonis *Prouerb. c. 9.* Da occasionem sapienti, & sapientior fiet, ostẽdit ex aliorum dictis, in melius sententiam mutasse. Vnde & Doctor, vel I.C. qui pro vna parte consuluit, potest ex nouiter deductis in facto, contrarium consulere, & iudicare, vt Baldum fecisse ferunt. *in consil. 161. & 251.* Hinc scite *Seneca l. 4. de benef. c. 38.* Non est, inquit, leuitas, à cognito, & damnato errore discedere, & ingenue fatẽdum est: Aliud putaui, deceptus sum: Hæc vero superbæ stultitiæ perseuerantia est, Quod semel dixi, qualecunq; est, fixum, ratumq; sit, Non est turpe cum re mutare consilium. *Aul. Gell. lib. 17. noct. Att. cap. 1. Manut. in Adagijs. D D. in capit. non debet. ext. de consang. & affinit. Tusch. in v. mutare. concl. 435. Bellarm. in præfat. suarũ recognitionum.*

Sicque dicimus, quod pœnitentia dupliciter accipitur. Primo prout est virtus. Secũdo prout est Sacramentum. Quatenus est virtus, à Theologis diffinitur, vt sit animi dolor, quo commissa mala plagimus, & plangenda iterum committere nolumus: & sic videtur idem esse, qd' contritio, vel attritio. *Suarez. in 3. p. D. Thom. tom. 4. disp. 1. sect. 1. Turrecrem. in c. 1. de pœnit. dist. 3. Onuph. in tract. de pœnit. virt. disp. 1. sect. 1. Bonacin. d. 5. q. 1. p. 1.* Et hæc cum à iure naturæ descendat, semper, & apud omnes nationes ex rationis lumine degentes, extitit; siquidẽ ad naturalem rationẽ spectat, de male factis dolere. *Concil. Trid. sess. 14. capit. 1. Et Lact. libr. 6. diuin. Instit. cap. 24.* Et de hac intelligitur illud Ausonij,

Sum Dea, quæ facti, non factique exigo pœnas,
Nempe vt pœniteat, sic Metanœa vocor.

Cornel. à lapide comment. 2. in Epist. ad Cor. capit. 7. Coninch. de pœnit. d. 1. Molf. tr. 7. c. 1. & 2. Simãcas. in cathol. Instit. tit. 47. Bellar. to. 2. l. 1. de pœnit. c. 7. Præclara et Theodosij Imperatoris vox erat, Nihil est noui, si quis homo cũ sit, vita excidat; vnius autẽ Dei est, eum qui semel per peccatum est mortuus, per pœnitentiam ad vitam reuocare. *Nic. Callist. lib. 14. hist. eccles. cap. 3.*

Ad quam postmodũ pœnitentiæ virtutẽ quimq; potissimum gradibus peruenitur. Primo Dei auxilio præueniente, quo hominis cor excitatur, vt ad Deũ se conuertat, ideo pœnitere volens à Deo imprimis opem petere debet. Secũdo effectu fidei, qui fit ab intellectu Dei lumine illustrato, quo reuelatis à Deo credit, persertim circa peccata punienda, vel remittẽda. Tertio Domini timore, qui actus ex consideratione turpitudinis peccatorum, & ex suppliciorum acerbitate, quæ Deus contra illa infligit, manare solet. Quarto ex effectu spei, qua peccatoris animus erigitur, vt ad Deum Patrem misericordiarum accedat. Quinto denique gradu ad pœnitentiam homo ascendit charitatis actu, quo Deum deligere incipit, & oĩa peccata, tàm mortalia, quàm venialia non formidine pœnæ, sed virtutis amore odio habet, &c. vt communis est omnium cõsensus.

Prout vero pœnitentia est Sacramẽtum, aggregatũ ex tribus partibus. s. contritione, confessione, & satisfactione, describitur vt sit absolutio pœnitentis, facta à sacerdote iurisdictionem habẽte, sub certa verborum forma, cum debita intẽtione prolata, ex institutione diuina, significatiua, & effectiua absolutionis animæ à peccatis. In qua descriptione, seu difinitione, quattuor vniuersales causæ cõcurrunt. s. Efficiẽs, qui est Deus, & ministerialis sacerdos. Materialis peccatum, vel actus pœnitentis, contritio, confessio, & satisfactio. Formalis, quæ sunt verba prolata, vt absoluo te. Et tãdem Finalis causa, quæ est iustificatio, vel gratia gratũ faciẽns. *Val. tom. 4. disp. 7. quæst. 1. p. 1. Lud. Carbo. de præceptis. ecclesiæ, p. 2. cap. 1. Nau. cap. 22. n. 11. Reginald l. 28. n. 36.*

Perquam etiam diffinitionem manifesta fit Sacramenti pœnitentiæ natura, quod ea consistat in forma iudicij; in quo peccator gerat personã actoris, ac rei cum dolore confitentis aduersum se iniustitiam suam Domino, vt ei iniquitatem peccati sui remittat. Sacerdos vero personam Iudicis absolutiuam sentẽtiam ferentis, iniuncta salutari pœnitentia, seu satisfactione. *Concil. Trid. sess. 14. c. 5. & 6.* Quare confessario illud recolendum est, in mundi iudicio, quod fere semper diuino tribunali contrarium est, vbi primũ quis crimen confitetur, damnatur;

tur; in Dei autem foro, cum primū peccata sua pandit, absoluitur. Vnde Dauid postquam Dei misericordiam flagitasset, dicens miserere mei Deus, causam subiungit, Qm iniquitatem meam ego cognosco, &c *Ps.* 50. Sicut. n. fumus incēdiū anteit, sic flāmā fidei, & charitatis peccatorū præcedit cōfessio,

QVAESTIO IV.

An Sacramentum poenitentiae sit necessarium, ita vt sine eo homo saluari nequeat?

Est ne hoc Sacramentum adeò necessarium, vt homo aliter salutem consequi nequeat, & an sola pœnitentia interior sufficiat, &c? R. Supposito peccato mortali, de præcepto, & necessitate medij vt saluetur, de illo pœnitere tenetur, siquidem Christus Dominus in ecclesia hoc vnicum tribunal constituit, cum dixit, *Ioannis cap.* 20. Quorum remiseritis peccata, &c. Cuius rei fidem facit, quod Christus, cum Lazarū solo verbo de morte ad vitam reuocasset, & si eodem verbo feralē amictū, & instita quibus constrictus erat, soluere potuisset, id tñ non fecit, sed voluit eum sic ligatū ex monumento prodire, & tunc Apostolis dixit, soluite eum, ad significandum, vt obseruat *D. Aug. tract.* 49. *in Ioannem*, omnes peccatores à Deo per contritionem resuscitatos, & si vita gratię viuant, reos tamen manere ad confessarios accedendi, per quos iudicij series concludatur, perfectaque libertas ad vitā excitato donetur. Atq; hinc sequitur, de vita aperte periclitantem, & ideo in necessitate constitutū, si culpa mortali sit infectus, astringi de iure diuino, si copia confessarij adest, remedio huius Sacramēti vti, cum in tali casu hoc vnum subsidium ad iustificationem, & salutis consecutionem suppetat. Cæterum cum ob confessarij inopiā, aut ob aliud simile impedimentum non potest quis Sacramētum hoc rę ipsa suscipere, suscipiendi votum, cum contritione coniunctum sufficit, cum apud Deum voluntas pro facto habeatur, quando ipsum opus præstari nequit. Quod & Ethnicus ille intellexit dicens,

Vt desint vires, tamen est laudanda voluntas,
Hac ego contentos auguror esse Deos.

cap. dixe. de pœnit. dist. 1. D. Brigitta lib. 6. *reuel. cap.* 15. Quod quidem votum seu desiderium satis est, vt sit implicitum, seu quod & si quis de cōfessione non cogitet, veram tamen contritionem, nec solum attritionem habeat. *Conc. Trid. sess.* 6. *cap.* 14. *& sess.* 14. *cap.* 4. *Suarez. tom.* 4. *disp.* 17. *sect.* 3. *num.* 7 *Reginal. l. c. Sylutus in* 3. *par. D. Thom. quæst.* 86. *artic.* 2. *dubit.* 1. *&* 2. *Coninch. in Comment. de effectu. pœnit. disput.* 2. *dubit.* 2. *Henriquez. de Sacramento pœnit. l.* 1. *cap.* 13. *Val. tom.* 4. *disp.* 7. *quæst.* 3. *pun.* 2.

QVAESTIO V.

Quis sit effectus Sacramenti pœnitentiæ.

Quis est effectus Sacramenti pœnitentiæ? R. Duplicem potissimum eius effectum agnoscimus. Primus est uera remissio peccatorum, cum Deo reconciliatio, gratiæ, charitatis, & omnium uirtutum infusio, & cunctorū bonorum reparatio, quæ per subsequēs pecccatum mortale homo amiserat, Virginitas tamen per peccatum opere perpetratum amissa, non amplius per subsequentem pœnitentiam recuperatur, iuxta illud,

Nulla reparabilis arte
Læsa pudicitia, deperit illa semel.

cap. si Paulus 32. *q.* 5. *Decius in l. verum. ff. de reg. iu. Bonac. d.* 5. *q.* 6. *sect.* 4. *p.* 2. *num.* 7. Vbi sciēdum, quod opera nostra in quadruplici genere considerantur. Primo opera uiua, quæ in charitate fiūt, ut cum homo est in gratia Dei cōstitutus. Secūdo opera mortua, quæ licet ex suo genere bona, in peccato mortali perpetrantur. Tertio opera mortifera. i. ipsa peccata, quæ animæ mortem inferunt. Quarto opera mortificata, quę & si in statu gratię peracta sint, per mortalem post modum admissam culpam uitā perdiderunt; Deus tamē qui diues est in misericordia, vult ut huiusmodi opera non solum ad accidētale, sed ēt ad essentiale meritum reuiuiscant. *D. Thom. in* 3. *par. q.* 89. *art.* 5. *Henriq. de pœnit. cap.* 13. *&* 14. *Vigner. in Instit. theolog. cap.* 6. *§.* 4. *vers.* 9. *Nau. in cap. quærat. §. quod autem de pœnit. dist.* 3. *Zerula praxi. pœnit. capit.* 2. *quæst.* 26. *Beia in respons. cas. consc. par.* 1. *casu.* 57.

Secundus effectus est commutatio æternæ pœnæ in temporalē, & aliquādo totiusmet pœnæ absterfio, cum excellens in pœnitente reperitur contritio; est enim catholica assertio, non semper remissa culpa totam subinde cōdonari pœnam, ut patet uarijs sacræ paginæ testimonijs, præsertim 2. *Reg. capit.* 12. *Conc. Trid. sess.* 14. *capit.* 8. *Bellarm. tom.* 2. *libr.* 4. *de pœnitentia. cap.* 2. *& alij communiter.*

Quinimo ablata mortali culpa, peccatorū nihilominus reliquiæ in anima resident, quæ sunt prauę illæ dispositiones, quæ ex frequentatis actibus generantur. Quō fit, ut sua peccata in extremo hebdomadæ sanctę confessus, non sit, ni rationabilis causa aliud suadeat, ad sacram synaxim admittendus, nisi præuia iterum confessione, & reconciliatione illas quoad fieri poterit, diluerit. *Nau. cap.* 21. *num.* 45. *Tolet. lib.* 2. *capit.* 1. *Zerula. l. c. cap.* 10. *q.* 30. *vt etiam supra de sacerdote. admonui, cap.* 16. *q.* 236.

QVAE-

QVAESTIO VI.

AN SACRAMENTVM POENITENTIAE tribuat impunitatem in foro contentioso.

SAcramentum pœnitentiæ tribuit ne impunitatem in foro cõtentioso? Vt si v.g. quis clericum percussisset, & suadente diabolo sacrilege uiolentas manus in eum iniecisset, & in foro pœnitentiali per legitimum Iudicẽ esset absolutus, effugeret ne censurã Iudicis tàm sæcularis, quàm ecclesiastici uolẽtis in eum animaduertere? R. Absolutũ in foro pœnitẽtiæ accusari posse in foro externo, & in eum inquiri, nec eum iuuari exceptione receptæ pœnitentiæ in interno tribunali; & potissima ratio est, quoniam pœna in interiori foro imposita ad aliũ finem tendit, uidelicet, ut per eam pœnitens Deo, & conscientiæ suæ satisfaciat: alia uero .s. temporalis ad publicam uindictam spectat, ut etiam reipub. debitum rependat. Quandoquidem puniendis peccatis tres rõnes à Philosophis sunt attributæ, teste *Gellio. lib. 6. noct. att. cap.* 14. Prima est, ut is qui deliquit, attẽtior, & correctior fiat, & qui stultus fuit in culpa, sapiens fiat in pœna, nam iuxta prouerbium, Piscator ictus sapiet, in eos iactatum, qui suo damno cautius agere discũt. Hinc Theophrastus percũctatus, quanam re communis hominum societas conseruari posset, respondit, si pœna mali coercerentur, & boni honorum præmijs inuitarentur.

Secunda ratio est, vt dignitas, authoritasq; Magistratus, in quem vt reipub. ministrũ peccatũ est, defendatur, ne prætermissa animaduersio contemptum eius pariat, & honorem eleuet.

Tertia additur causa publicæ vindictæ, vt. s. cęteri à similibus delictis, quæ puniri publice interest, metu cognitę pœnæ deterreantur; cũm pœna vnius sit metus multorũ. *l. capitalium. §. famosos. ff. de pœnis.* Atque Hanc positionem absolutum in foro pœnitẽtiali, temporales pœnas non effugere (excepto hæresis crimine, in quo pœnitentia post delictũ excusat ab ordinaria pœna, nisi sit relapsus) tenent cõmuniter DD. *Gloss & Abbas in cap. de his. ext. de accusat. D. Anton. in 3. parte. tit.* 14. *capit.* 17. *§.* 3. *Cou. in capit. alma mater. p.* 1. *§.* 11. *numer.* 16. *de sent. excom. l.* 6. *Menoch. l.* 2. *de arbit: Iud. cent.* 6. *casu.* 539. *Franc. Pegna. in* 2 *parte. Direct. Inq. comment.* 25. *Graffius. libr.* 2. *decis. aur. cap.* 67. *Marc. Ant. Gen. in praxi. Cur. Neap. cap.* 31. *Riccius Decis.* 230. *Duard. in Bulla Cœna Domini. libr.* 3. *§.* 2. *quæst.* 1. *numer.* 50. *Tuschus. in verbo. absolutio. concl.* 45. *& verbo. pœnitentia. Lazarius. de Monit. sect.* 4. *quæst.* 15. *Simancas in cathol. Instit. tit.* 47. *Clar. §. fin. quæst.* 66. *vers. fui quandoque, & alij.*

QVAESTIO VII.

NVMQVID HOC SACRAMENTVM materia, & forma cum ministri intentione constet?

HOc Sacramentum pœnitẽtiæ constat ne materia, & forma, sicut alia Sacramẽta his duabus rebus simul cum ministri intentione perficiuntur? R. Quidquid aliqui dixerint, hoc Sacramẽtum ex solis sacerdotis verbis essentialiter confici, dico cum communi sententia, ex materia, & forma tanquã ex essentialibus partibus constare. Siquidẽ duplex est in hoc materia .s. remota, vt peccata actualia, quæ pariter in duplici genere cõstituitur, prout alia est materia necessaria, vt peccatũ mortale, alia sufficiẽs, vt culpa uenialis: sicut statuæ materia proxima est metallum, remota uero terra, uel lapilli, ex quibus metallum conficitur: sic peccata commissa sunt remota materia Sacramenti pœnitentiæ, non ut facienda, sed ut destruenda, sicut morbus materia medicinæ esse dicitur, &c.

Proxima vero materia huius Sacramẽti est actus pœnitentis, qui triplex est, nimirum cordis cõtritio, oris confessio, & operis satisfactio; quandoquidem pœnitentia per modum iudicij exercetur, criminalis autem iudicij materia est accusatio, dolor, & satisfactio, cum ut notũ est, ad iudiciales actus accusatio rei, & manifestatio delicti, quæ in confessione ipsius cõsistit, necessario exigatur, ac insuper requiratur, ut sua delicta cum animi dolore manifestet, & pœnas quas meretur, subire sit paratus, &c. *Conc. Florentinum de Sacramento pœnit. Trid. sess.* 14. *c.* 4. *&* 5. *D. Thomas.* 3. *part q.* 90 *per totam. Cathechis. Rom. de Sacramento pœnit. Bonacin. d.* 5. *q.* 3. *p* 1. *&* 2. *de qua materia infra suo loco dicemus. tr.* 13. *c.* 3.

INTERROGATIONES SVPER conditionibus confessarij, & primo super Iurisdictione. Cap. II.

QVAESTIO VIII.

QVAENAM SINT BONI CONFESSARII conditiones.

QVænã sunt conditiones, & qualitates, quibus confessarius prædıtus esse debet? R. Quimque à Doctoribus numerantur necessariæ conditiones, scilicet Potestas, scientia, prudẽtia, bonitas, & sigillum. Quæ quidem in eo exigũtur, quia sine potestate peccata dimittere nequit, sine cõgrua scientia nescit quid agat, sine prudẽtia, & bonitate pœnitentibus prodesse nequiret; & deniq; absque sigillo Sacramentum omnib. exosum, & onerosum foret. Confessarius enim in sui muneris executione cir-

circumspectum esse oportet, non tantũ respectu pœnitentis, sed etiam propter se ipsum, ne scilicet non idoneus ad illud obeundum in suam, ac pœnitentis perniciẽ temere se ingerat, siue via iustitiæ, siue obedientiæ, seu etiam charitatis, hoc ministerium exercere velit. Quandoquidem per ianuam iustitiæ in illud proprij Pastores ingrediuntur, quibus vt diximus, animarum incumbit cura. Per viam obedictiæ intrant illi, quibus Prælati hoc officium cõmittunt, vt in religiosis ordinib. euenire solet, nam vt ait *D. Bonauẽt. tom. 1. q. 2. super reg.* Romana ecclesia hoc munus religiosis demandat, vt quos pisces Parochi, & animarũ Curatores in sua naui ob multitudinem excipere non possunt, ipsi in subsidiũ recipiant. Qua ratione etiam *Greg. Nazianzenus oratione 1. in Iulianum* religiosos oẽs primitias vocat gregis dominici, columnas, & fidei coronas, & pretiosas margaritas, peccati, & mundi expiamẽtum, &c. Per viam charitatis pedem inferũt, qui ex zelo, & animarum commiseratione, ad id muneris subeũdum mouentur. Nam ex sentẽtia *D. Dionysij de eccles. Hier. c. 3.* Diuinissimum est opus esse Dei ministrũ, ad reducendas animas ad suum principium. Proinde sacerdos à graui sacrilegij periculo cauere debet, cui facile exponitur, nisi solicitus sit prudenter dispicere, an desit sibi aliqua ex conditionib. requisitis in idoneo Sacramenti pœnitentiæ ministro, qui perinde, ac materia, & forma debita ad huiusmodi Sacramenti validitatem exigitur. Sicut etiam à graui culpa nõ excusatur pœnitens, qui mala fide, vel crassa negligẽtia, in serio suæ conscientiæ negotio, non idoneum confessarium sibi eligit, contra illud quod admonet *Orig. hom. 2. in Psalm. 37.* Circũspice diligẽter, cui cõfiteri debes peccatũ tuũ; ꝓba prius medicum, cui debeas causam languoris exponere, &c.

QVAESTIO IX.

POTESTAS IN CONFESSARIO requisita, quid, & quotuplex sit.

QVid est ista potestas, & quotuplex, quæ primo in confessario requiritur? R. Est clauis iurisdictionis, quæ in sacra ordinatione sacerdoti super Corpus Christi mysticum .i. super fideles cõfertur. Vel est spiritualis facultas ligandi atque soluendi, quia nempe spiritualis Iudex dignos recipere, & indignos pœnitentes à Regno Cœlorum excludere debet: nam de bene dispositis dicitur, Quorũ remiseritis peccata, &c. de indispositis vero hæc subsequentia enũtiantur verba, Quorum retinueritis, retenta sunt *Io. cap. 20.* Cum satis constet, in ministro Sacramenti pœnitentiæ præter potestatem ordinis, quæ datur tùm ad consecrandũ Corpus Christi per hæc verba, Accipe potestatem offerẽdi sacrificium, tùm ad sanctificãdos homines per peccatorum remissionem, necessariam esse potestatem iurisdictionis, vel ordinariam, vel delegatam, quarum illa sit eius, cui animarum cura incumbit, hæc vero eius, cui tantum ex delegatione tribuitur. Primã habet Pontifex in vniuersali ecclesia, Episcopus in sua diæcesi, Archiepiscopus in Prouincia erga subditos suffraganeorum dum actu visitat, Vicarius Episcopi, qui cum ipso vnum tribunal facit. Item Archipresbyter in Cathedrali, Parochus in sua parochia, Prælatus regularis, vt Generalis in tota religione, Prouincialis in Prouincia, & Præfectus loci particularis in toto collegio, vel monasterio. Secunda potiuntur, qui animarum regimine carent, sed tamen à Pastoribus delegantur, vt sunt secundum aliquos Pœnitentiarij in Cathedralibus constituti, qui Vicarij Episcopi in forum pœnitentiæ concernentibus dicũtur, & ad vniuersitatem causarum delegati. Capellani, & Confessarij regulares, &c. Vnde si quempiam sacerdos alterutra hac iurisdictione destitutus absoluet, non solum lethaliter delinquet, sed etiam vt hic Bononiæ, in excommunicationem ab Illustrissimo Cardinali Archiepiscopo latam ipso facto incidet. Imò Sacramentum nullum, & inualidum erit, perinde si à laico absolutio impenderetur. *Conc. Trid. sess. 14. cap. 6. & 7. Syluius in 3. part. D. Thomæ. q. 8. art. 4. dub. 1. & 2. Graffius libr. 1. decis. aur. capit. 17. Suar. tom. 4. de minist. confess. sect. 1. Henriq. de pænit. l. 3. c. 7. Coninch. disp. 8. dub. 4. Tolet. l. 3. cap. 13.*

Quandoquidem teste *Boetio de cons. Philosophiæ lib. 4. prosa 2.* Duo sunt, quibus omnis humanorum actuum constat, effectus, voluntas scilicet, & potestas, quorum alterum si desit, nihil est, quod explicari queat. Hæc autem potestas, vel approbatio non sufficit, vt petita sit, nisi etiã ab Episcopo concedatur, & si fortasse iniuste negetur. *Syluius. q. 8. art. 2. dub. 4. Fernandes. p. 3. cap. 6. §. 4. nu. 15. Tuschus. in v. actus. concl. 131. Surdus Decis. 243. num. 9.*

QVAESTIO X.

QVOMODO DELEGATA IVRISDICTIO acquiratur.

QVot sunt modi, quibus delegata iurisdictio acquiritur? R. Sunt quinque præcipui.

1 Primus est per cõmissionem, cum ille qui ex Pastoris officio ordinaria iurisdictione potitur, audiẽtiam confessionem alicui commisit; & tales sunt, vt supra dixi, Pœnitẽtiarij ab ordinarijs in Cathedralibus Ecclesijs præfecti, vt tanquã ad vniuersitatem causarum delegati, pœnitentes ad se accedẽtes audiant, & à casib. reseruatis absoluãt, &c. *Conc. Trid. sess. 24. de refor. capit. 8. Vgol. de officio Episcopi. p. 2. cap. 33. Piasecius in Praxi Episcopali. par. 2. capit. 1. num.*

num.15.Tusch.v.Pænitētiarius.concl.261. Riccius. in Praxi fori ecclef.resol.179.Garzias p.5. de benef. cap.4.n.13. Vbi etiam refert Congreg.Card.declarasse, quoslibet eis peccata sua confitentes satisfacere præcepto *cap.omnis. vtriusq; sexus ext. de pænit. & remiss.* Vide infra à nobis tradita. *tr.14.c.4.q.10.*

2 Secundus modus est per necessitatem, ea enim in mortis articulo extraordinariam iurisdictionem tribuit, cum superior adiri nequit. *Conc.Trid.sess.14 cap.7.Sanchez.l.2.de præcept.cap.13. Nald.v.mors. num.2. Molfes.tract.7.cap.15.n.74. Riccius in Praxi var.resol.resol.229. vt dixi tract.4.cap.18.q.68.* Vbi notandum, ut quis absolui possit, articulum, & periculum mortis pro eodem accipi, ut patet in *c. siquis Suadente.17.q.4.& cap.eos. de sent. excom.in 6.* Et quis sit articulus mortis, uel periculū, prudentis, & boni confessarij arbitrio iudicādum relinqui. Sicut etiam apud eius, & medici iudicium residet, quādo in periculosi morbi tempore infirmum de confessione instituēda admonere teneatur, *iuxta text.in cap.cum infirmitas.ext.de pænit.& remiss. & Bullam Pij V. Incip.supra gregē.* Obseruant etiam communiter DD. excusari ab irregularitate sacerdotem, qui censura aliqua innodatus, in tali articulo absoluit. Item sic absolutum ab excommunicatione teneri corā Superiori se sistere, si conualuerit, aliàs in eandē specie censurā iterū incidere. *d.c.eos.*

3 Tertius per libertatem, qua homo est talis status, ut nulli sacerdoti tāquam proprio pastori subijciatur; Quod tribus potissimū modis contingit, Vel ex eo, qđ persona sit nulli sacerdoti subdita, ut Papa in toto mundo, nam aliquem in sacerdotem eligendo, dat ei potestatem supra se ipsum infirmum peccatorem, Imò secundum aliquos, quod tū mihi non probatur, etiā si ille cui se subijcit, non sit sacerdos, potest solo uerbo illū creare dicēdo, esto sacerdos, ac subinde ab illo absolui. *Philiar. de officio sacerdotis.tom.1. capit.14. libr.1. contra quem Azor. tom.2.p.2.l.3.ca.29.q.4.* Vel secundo accidit, quod persona numquā in eodem loco hæreat, ita ut nulla sit ratio, cur uni particulari sacerdoti subdatur potius quàm alteri, ut sunt uagi, qui nullibi consistunt, & locustarum instar sine Rege, & sine lege degunt. *Caiet.in v.absolutio. Sanchez.lib.3.de matrim.disp. 25.nume.7. Vgol.de officio.Episcopi p.2.cap.39.§.3.* Vel denique ex eo quod talis persona solum uenialium culparum labe sit res persa, ob quas cum nulli confessario à iure subijciatur, à quolibet sacerdote absolui poterit. Atque idem dicendū est de peccatis mortalibus, aliàs rite confessis, &c.

4 Quartus modus per facultatē cōparatur, qualis est ea, qua ius per priuilegium confessarium eligere concedit, ut Episcopis, & superioribus Prælatis, & etiā Inferiorib. à Iurisdictione Ordinarij exemptis, prout Præfectis regularibus. *c.fin.ext.de pænit. & remiss. Sot.in 4.dist.18.q.4.art.2. Syluester.in v. confessor.1.q.8.Steph.Quar.in v. Archiepiscopi. authoritas.num.7.Suarez.d.28.sect.6.num.13.Reg.l. 1.num.187.& num.202. Bonac.d.5.q.7.p.4.§.1.n. 16.* Vbi tamen aiunt, virtute illius priuilegij non licere Episcopis sacerdotē non subditum eligere, qui à proprio Ordinario nō sit approbatus. Quod etiam extendunt ad Abbatem regularem, qui non potest sibi in alieno monasterio cōfessorem sacerdotē eligere, qui à proprio Episcopo ad audiēdas fidelium confessiones non sit admissus. *Graffius.lib.2.de cas. reser.cap.20. num.29.* Talis est etiam illa facultas, quam vel priuilegium, siue Pontifex per Iubileum, seu ius ad excipiēdas cōfessiones nōnullis impertir. Quales insuper sunt religiosi, modo sint ab Episcopo approbati, iuxta dispositionem. *sess.23.de refor. c.15.* Quibus itidem Episcopi possunt limitatā potestatem concedere, tàm quò ad locum, quàm quò ad tempus, si causa subsit, nec ita idonei in examine reperti sint. Item sic ab Episcopis admissi possunt, quoscunq; ad se accedētes absoluere. Et semel simpliciter, & generaliter approbati, si à diæcesi recedant, in qua admissi sunt, & postea iterum redeant, noua approbatione, & facultate non egent, etiam si in illa diæcesi mutati sint Episcopi, nisi tamē nouus Episcopus concessas à Prædecessorib. facultates nō reuocauerit, &c. Et licet ipsi regulares ab Episcopo approbati nouam licētiam à Parocho obtinere non debeant (& si quò ad sæculares confessarios alicubi sub hac forma, vel modo concedatur, vt de licentia Rectorū in eorum ecclesijs, confessiones audire possint,) quando tamē in domibus laicorum ex causa, vt puta infirmitatis confessiones excipere contigerit, ex Decreto S.Congreg.Card. statim Parochum admonere tenentur, & fidē auditæ confessionis pro medico aduenienti relinquere. Porro ad hanc delegatam iurisdictionem comparandam non est necesse, vt scriptura interueniat, quę necessario ad gratiam, & priuilegium non exigitur: sicuti etiam dicitur de facultate à casib. reseruatis absoluēdi, vt patet ex viuæ vocis oraculo Clemētis VIII. circa Decretum Incip.Sacrosancta Cōgregatio. Consultius tamen est, præfatā in confessarium approbationem in scriptis dari, vt ipse eam exhibere possit, quoties expedire, & opus esse iudicauerit. Quinimo hic Bononiæ, lata est ipso iure suspēsio cōtra eum, qui confessiones sine scripta approbatione excipere ausus fuerit, & de excommunicatione in Mediolanēsi ecclesia testatur. *Bonac.d.5.q.7.p.4.§.1.num.31.* Videatur. *Tuschus.in v.scriptura. concl.88. Mascard. de Probat.vol.3. concl.1244. Graffius libr.1. Decis. aur.cap.13.num.51.Sanchez.lib.8.de matrim.d.29. Rod.in qq.regul.tom.1.quæst.59.art.8. Mirāda tom. 1.quæst.45.art.10.Gen.in praxi. Cur.Neap.cap.59. Piasec.par.2.capit.1.§casibus.Graffius.lib.1.decis.*

R aur.

aur. capit.13. numer.109. Bonacin.l.c. numer.16.

5 Quintus modus delegatæ facultatis est per licentiam, siue tacitam, siue expressam, quarum illa tunc contingit, cum pœnitentiæ sacramentum administratur, vidente seu sciente proprio sacerdote, qui potest contradicere, nec contradicit. Hæc autem scilicet expressa locum habet, non modo cum specialis fuerit, nempe specialiter data alieno sacerdoti ad audiēdas cōfessiones, sed etiam generalis .i. generatim concessa ad ea omnia exercenda, quæ ad animarum sibi subditarum curā pertinent. *Azor.p.1.lib.5.cap.19.§.nulla consuetudine. Beia in respons.cas.cōscientiæ.p.1.casu.16.* Hinc fit, vt cum duæ ciuitates duobus Episcopis subiectæ, sibi inuicem sunt vicinæ, incolæ vnius oppidi vsu & more, peccata presbytero alterius ecclesię cōfiteantur, id enim fit tacito Episcoporum, & Parochorum consensu. Et more receptum est, vt Sacerdos, & Parochus quemlibet alium presbyterum ab Episcopo approbatum, nec censura ligatum, in confessarium sibi eligant. *Val.tom.4.disp.7.q.8.puncto 2.Reginal. lib.1.cap.15.in fine & de officio pœnit.cap.15. Suarez. tom.4.disp.27.sect.3.Sà in v.confessor.numer.1.Coninch.disp.8.dub.8.num.61.Fernandes.p.3.capite.6. §.9.nume.9.Tol lib.3.cap.13. Zerula in Praxi Episcopis.in v.confessio. & in praxi pœnit.c.15.q.1.Sylu. in 3.par. D.Thom.q.8.art.5.dub.1. Molfes. tract.7. capit.14.num.77. Bonac.d.5.q.7.p.2.num.7.& p.4. §.1.Marius Ant. lib.1.var.resol.resol.112.casu.19.* Vnde hodie non obstante *cap.omnis.ext.de pęnit.& remiss.* Cuilibet integrum erit, animam expiare coram quocunque sacerdote, ad audiendas confessiones admisso; cuius rei ratio sumitur, tum ex priuilegijs regularibus, & multis societatib. concessis, tum ex consuetudine (quæ iurisdictionem itlbuit) & expressa, vel tacita Superiorum licentia.

QVAESTIO XI.

AN QVI HABENT FACVLTATEM eligendi confessarium, possint quemlibet sacerdotem eligere.

VTrum illi, quibus est facultas eligendi confessarium, possint quemlibet sacerdotē sibi eligere? R. Cum in confessario præter potestatem ordinis, iurisdictionis etiam actualis facultas requiratur, hinc fit, vt cum S. Pontifex per priuilegium, aut per Bullam, vel Iubileum concedit, vt pœnitēs confessarium quemlibet deligere possit, id de approbato ab Ordinario intelligendum sit, quidquid aliqui perperam dixerint. *Conc.Trid.sess.23.cap.15. Suarez.tom.4.disp.28.sect.4.Syl.l.c. Reginal.lib.1.num. 178.* Et ita passim ista clausula in Diplomatibus, & Priuilegijs apponi solet. Sicut & in formulis dispensationum, quæ in foro conscientiæ à Sacra Romana Pœnitentiaria expediuntur, hæc verba de more inferūtur. Discreto viro Cōfessori, Magistro in Theologia, vel Decretorū Doctori ex approbatis ab Ordinario, &c. *Sanchez.lib.8.de matrim. disp.34.* Imò quamuis Papa suam iurisdictionem delegando de potentia, vt aiunt, absoluta, cuilibet simplici sacerdoti non seruata forma Concilij, cōcare eam valeat; attamē quoties simpliciter, & sine alia expressione illam cōmittit, iuxta eiusdem concilij Decretum hoc facere intelligitur; siquidē, & si solutus sit legibus, ex iuris tamen præscripto viuere vult: nam & à Doctorib. communiter receptum est illud, non censeri Papam in dubio vti plenitudine potestatis, tanquam extraordinario quodā iure, nisi id specialiter exprimat. *l.digna vox C.de legib.c.licet causam e vt.de probat.Palæot.de sac.consist.cons.p.1.q.3.*

Qua ratione priuilegia quoq; omnia aliquibus religionibus à S. Pontificibus concessa, vt earum religiosis præter ordinis institutum liceat sæcularium confessiones excipere, vt nuper Paulus V. ordini Ioannis de Deo indulsit, sub prædicta cōditiōne, & approbatione intelligenda sunt; cū Pontifex in omni negotio peragendo tria spectare soleat, an liceat, an deceat, an expediat. *cap.magna.ext.de voto.*

Ad animę tū salutē, & conscientię puritatē comparandam, & retinēdam, & animæ saluti consulendum, quātum licebit, bene doctum, probumq; confessarium deligere debebit pœnitens, ne cæcus ceco in pręcipitiū fit dux. Scire. *Origines hom.2.in Psalm. 37.* Circunspice, inquit, diligenter, cui debeas confiteri peccatum tuum. Proba prius medicū, cui debeas causam languoris exponere, vt ita demum si quid ille dixerit, qui se prius & eruditum ostēderit, & misericordem; si quid cōsilij dederit, facias, & sequaris. Maximum cōfessio negotium, quia de æterna salute agitur, & tamen multi tales confessarios quærunt, quales Iudæi Prophetas, non veridicos, sed blandiloquos, & assentatores. *Ezech. cap.13. & Isa.cap 30.Gisbert.de vita ecclesi.cap.122.*

QVAESTIO XII.

AN RELIGIOSVS AB EPISCOPO NON approbatus possit fratrum confessiones audire, & quid de approbato ab Episcopo, sed non à suo Prælato?

AN religiosus ab Episcopo nō approbatus, possit ex cōmissione sui Superioris, fratrum confessiones audire, vel etiam sæcularium, cum Episcopi approbatione, licet inuito proprio Prælato? R. Primo id ei licere, cum conciliū nil circa hoc disponat. Imò qui regulares olim sacerdotibus sæcularibus non approbatis confiteri poterant, etiam nunc possunt

possunt, non tamen à casibus reseruatis absolui, excepto tempore Iubilei. *arg. cap. 2. de pœnit. & remiss. lib. 6. vt per Graffium. lib. 4. decis. aur. c. 15. nume. 13. Nau. capit. 4. num. 7. Viual. de absolut. num. 18. Suarez. l. c. Sà in v. confessor. numer. 4. & 6. Molfes. tract. 7. cap. 14. nu. 60.* Secundo dico, quod licet absolutiones datæ valeant, cũ facultas sit ab Episcopo tributa, obdientiæ tamen regularis leges violat. Vnde optimũ consilium dat Illustrissimus Cardinalis Paleotus, in sua diæcesana synodo, vt Episcopus nulli regulari hanc authoritatẽ impertiat, nisi à suo Prælato, siue Generali, siue Prouinciali, seu etiam ex religionis statuto, particularis monasterij Præfecto specialem licẽtiam obtineat, &c. quia religiosi non habent velle, nec nolle. *cap. nullus. cap. quorundam. de elect. lib. 6. Zerula. d. capit. 16. q. 7. & 9. Corrad. in respons. cas. consc. q. 66. in Add. Mirãda. tom. 1. Man. Pralat. regul. q. 45. art. 11. Sot. in 4. dist. 18. q. 4. art. 3. Bonac. de sacr. d. 5. q. 7. p. 4. §. 1. nu. 10. & alij cõiter.*

QVAESTIO XIII.

AN TEMPORE IVBILEI LICEAT regulari extra proprium ordinem confiteri, & quid de nouitijs.

VTrum quando tempore Iubilei cuilibet, tàm seculari, quàm regulari facultas eligendi quemcunque idoneum confessorem conceditur, integrum sit ipsi regulari extra religionem confiteri? R. Non posse; siquidem adest Decretum Clemẽtis VIII. Incip. Ad perpetuã rei memoriam, in quo statuit, regulares, & moniales, quò ad Sacramentũ pœnitẽtiæ, seu confessiónis administrationem, suorum Prælatorum dispositioni subiectos esse debere, vt proinde prætextu Bullarum, vel Iubileorum, eis integrum non sit, cõfessores eligere præter eos, qui ab eorum Præfectis, excipiendis confessionibus deputati sunt, vt apud *Quarantam in summa Bull. in v. Confessor. Rod. tom. 1. qq. regul. q. 21. art. 10. & q. 62. art. 5. Mirandam tom. 2. q. 34. art. 15. Vgol. de officio Episcopi. p. 1. cap. 7. §. 2.* Quinimo secluso etiam hoc Decreto, nonnulli religiosi ordines Pontificio priuilegio gaudent, vt vel tempore Iubilei nullus subditus, alijs quàm admissis à Generali Præfecto, vel Prouinciali confiteri valeat, nec dubitandũ, facultatem eligendi confessarium approbatum ab Ordinarijs locorum, ad Prelatos etiam regulares extẽdi, vt per *Coriol. de cas. res. p. 1. sect. 3. artic. 16 Graff. l. 4 Decis. aur. c. 15. n. 12. & Nald. in v. verl. ac n. 14 quidquid aliqui sentiãt apud Bonac. d. 5. q. 7. p. 4. §. 1. n. 25*

Quia tamẽ in Bullis, vel Diplomatibus iubileorũ aliquando derogari solet statutis, vel priuilegijs, quibus religiosi sine suorum Prælatorum facultate, confessarium sibi eligere prohibentur, idcirco tenores tùm priuilegiorum, tùm Bullarum inspiciendi sunt, &c. *Graffius. lib. 3. decis. aur. cap. 5. num. 108. & lib. 4. cap. 15. n. 13.* Et prædicta assertio et in nouitijs locum habet, nam cum voluntarie in religionem ingressi sunt, sponte quoque, & ex proprio arbitrio eiusdem religionis regulis se subiecerunt, & cum ab Episcoporum cura eximantur, regularium Prælatorum dispositioni subduntur, licet si alibi confiterentur, eorum confessio valida foret, cum nullibi cõtrarium expresse determinatum non inueniatur. *Rod. tom. 1. qq. reg. q. 21. art. 11. Molfes. tract. 7. cap. 14 n. 81.* Et licet antequã per vota religiosi simpliciter fiant, oneribus, præceptis, & censuris religionis non constringantur, à casibus tamen reseruatis, & censuris, etiam in seculo contractis, absolui, & in irregularitate, & voto dispẽsati per religionis Prælatum possunt; quò tamen ad censuras, vota, & irregularitates in easdem recident, si egrediantur etiã iusta de causa dimissi, cum hoc priuilegium illis tantum concedatur, dum ad religionem capescendam in via sunt. *Reg. lib. 8. num. 38. Nald. in v. nouitius. Molfes. tr. 7. cap. 14. num. 9. & 80. & tract. 11. cap. 15. num. 87.*

QVAESTIO XIV.

CVIVS EPISCOPI APPROBATIO requiratur, ad hoc vt quis per Bullam eligi possit.

QVæritur cuius Episcopi approbatio sit necessaria, ad hoc vt per Bullã, vel priuilegiũ ad audiendas confessiones q̃s eligi possit? R. Ad remouendam omnem dubitationẽ in hac quæstione non parũ apud insignes, & grauissimos viros controuersa, per quos in diuersas sententias itum est, apparet illam demum amplectendam esse sententiam, vt .s. confessarius ab eo ordinario approbatus sit, in cuius diæcesi, qui peccauit, confitetur, ita vt approbatus in alio Episcopatu, non possit virtute cuiusuis Bullę aut Iubilei confessiones in illo Episcopatu, vel diæcesi audire, in qua non est approbatus, ac admissus, & dicta absolutio inualida sit, &c. Vnde ab Illustrima Card. Congregatione Ioanni Riberæ Archiepiscopo Valẽtino de hoc consulẽti in hunc modum rescriptum fuit. (Quod etiam multi DD. referunt,) Congregatio Concilij respondet, approbatum ab alio, quam ab Archiepiscopo Valentino in diæcesi Valentina, non cẽseri approbatũ ab Ordinario. Et ratio illa suffragatur, quod ad Episcopum pœnitentis spectat, idoneos ministros suis ouib. prouidere, & fieri potest, vt iudicatus idoneus pro vno Episcopatu, pro alia diæcesi sufficienti scientia destituatur. Verum consideranda sunt priuilegij verba, quandoque enim in Iubileo conceditur, vt confessio quibuslibet sacerdotibus ab ipsorum Ordinario approbatis fieri possit, &c. *Quar. l. c. Suar. disp. 28. sect. 7.*

Gutierez. in can. qq. lib. 1. cap. 27. Syluius. q. 8. art. 2. dub. 5. concl. 1. Bonac. d. 5. quæst. 7. p. 4. §. 1. num. 21. Beia. p. 4. respons. casu. 20.

CAP. III.

QVAESTIO XV.

AN APPROBATVS AB VNO EPISCOPO censeatur approbatus pro omni loco.

VTrum approbatus ab vno Episcopo cēseatur approbatus pro omni loco? R. Parochus quamdiu habet beneficium, ex multorum sententia censetur vbique approbatus, ita vt non solū per totam diæcesim, cum aliorum Parochorum expresso, vel tacito consensu, sed etiā in alijs diæcesibus ei liceat confessiones audire. Concilium enim Trid. *d. sess. 23. cap.* 15. ponit duo diuersa, quib. aliquis idoneus reputetur, vel quod habeat parochiale beneficiū, vel qđ sit alioqui ab Episcopis approbatus. *ita Suar. disp. 28. sect. 4. Vasquez. tom. 4. q. 93. artic. 3. dub. 4. Syluius. q. 8. art. 5. dub. 6. quidquid dicat Possev. de officio. Cur. de pœnit. cap. 7. num.* 4. Cui tamen sententiæ communis praxis aduersatur, siquidem ex vsu vbique recepto, Parochus in vna diæcesi admissus, nō potest in alieno Episcopatu sine noua approbatione confessiones excipere, &c. Ille quoque qui parochiale beneficiū non possidet, si sit ab vno Episcopo approbatus, non propterea pro alijs diæcesibus admissus censetur, sed solum pro tota Episcopi admittentis ditione, si absolute approbetur. Si vero pro vna tantum parte diæcesis commendetur, non censetur pro alia commendatus, ac proinde in alia confessiones audire non potest, etiam si alij Parochi licentiam tribuerent, cum constet eam approbationē vltra terminos confessionis nō sufficere, nec plus valere, quàm velit Episcopus, à quo datur, tāquam is, cui à Concilio Trid. commissa est. Et prior pars probatur, quia concilium non dixit, ab vno Episcopo idoneus iudicetur, sed ab Episcopis, quasi diceret, ab vno quoq; in sua diæcesi. *ita Vasquez. & Syl. l. c.* Quib. fauet *clem. dudū. de sepult.* vbi de religiosis dicitur, Extra ciuitates, & diæceses, in quibus fuerint deputati, confessiones nullatenus audiant. *contra Suarez. l. c. sect. 7. Reginal. lib. 1. num.* 188. *& Coninch. disp. 8. dub. 7. num. 53. & Henriq. lib. 3. de pœnit. cap. 13. & de Indulg. c.* 12. Posterior vero assertionis pars probatur, quia nō est idem iudicium iurisdictionis limitatæ, quæ absolutæ, neque idoneus vni loco cēseri debet pro alijs aptus, & sufficiens, & Episcopi sic ad vnū locum approbare solent, vt non velint simul pro alijs admittere, vt etiam communis praxis docet. Tempore tamen Iubilei Parochus eligi potest ad confessiones subditorum alterius parochiæ in eadem diæcesi audiendas, cum eo ipso qđ parochiale beneficium obtinuit, sufficienter approbatus censeatur. *Suarez. d. 28. sect. 24. Bonacin. d. 5. quæst. 7. part. 4. §. 1. num. 23.*

QVAESTIO XVI.

NVNQVID CONFESSARII POSSINT absoluere pœnitentes extra locum suæ iurisdictionis.

VTrum Parochi, vel alij delegati, vt confessarij regulares admissi, v. g. in Ciuitate Bononiæ possint extra diæcesim, vt in æde Lauretana, vel Assisij quò deuotionis, vel peregrinationis causa accesserunt, audire confessiones subditorum, Illustrissimo Card. Archiepiscopo Bonon. absq; licentia Epi vel Parochi illius loci? R. Posse, nā qui approbatus iurisdictione fulcitur, potest suum subditum vbique repertum sacramētaliter absoluere; cum in his, quæ sine strepitu iudicij fiunt, alicuius ius non violetur. Et *clem. dudum. tit. de sepult.* solum prohibet, ne regulares in aliena diæcesi absoluāt subditos eius Episcopi, à quò ad confessiones audiendas non sunt admissi, &c. *Henriq. lib. 3. de pœnit. cap. 7. num. 1. Sot. in 4. dist. 18. quæst. 4. art. 3. Vict. de confessione. n.* 152. *Angles. in q. de confessione. dub. 4. concl. 2. Graffius. l. 1. cap. 13. num. 45. Suarez. disp. 25. sect. 1. Azor. p. 2. lib. 3. capit. 12. quæst. 11. Syl. l. c. Zerula. cap. 16. q. 3. Camarotus de Sacramentis. tract. 7. de confessione. c. 6. quæst. 14. Sanchez. lib. 3. de matrimonio. d. 19. n. 8. & d. 34. nu. 2. Reg. lib. 1. num. 93. Coninch. d. 8. n. 22. Molfes. tract. 7. cap. 15. numer. 89. & seq. & alij apud Garziam p. 5. de benef. cap. 8. num. 33. & Bonac. d. 5. quæst. 7. p. 2. num* 10. Quod intelligitur, modo Episcopus ex iusta causa limitatam absoluendi facultatem cum hac clausula non cōcesserit. In diæcesi tantū, &c. vt ex stylo curiæ Archiepiscopalis Mediolanēsis seruari cōsueuit. Atq; huc cōfert illa regula, Beneficium Principis, nisi alteri prǽiudiciū afferat, late interpretandū est. *l. 1. ff. de cōst. Princ.* Et Lex sine restrictione loquens generaliter est intelligenda. *cap. solitæ. de Maior. & obed. Nau. cons. 37. de pœnit. & remiss.* vbi per has regulas, & gnomas resoluit, Indulgentiam plenariam concessam per modum suffragij animæ, pro qua super tali Altari, vt aiunt, priuilegiato, missa celebrabitur, nō requirere potius vnū sacrū quā aliud, ita vt quamlibet missam tā de sancto, q̄ de feria, & defunctis dicere sufficiat, nisi in Diplomate aliud caueatur. *vt dixi sup. tr. 4. c. 13 q. 123*

QVÆSTIO XVII.

AN APPROBATIO SEMEL FACTA SEMPER duret, et an morte Episcopi approbantis extinguatur.

AN approbatio semel facta semper duret, donec reuocetur, & an morte Episcopi approbantis

bantis extinguatur? R. Sacerdores tàm sæculares, quàm regulares ad audiendas confessiones expositos, ipso Episcopo mortuo, vel amoto posse adhuc confessiones audire, vel per Bullas eligi, nec teneri iterum coram successore sisti; siquidem gratia mor te concedentis etiam re integra non expirat, quod procedit etiam si solo verbo cócedatur, cum ad substantiam, & valorem gratiæ scriptura non exigatur, sed statim ac cócessa est per verbũ fiat, perfecta sit, & scriptum tãtum ad probationem requiratur, &c. Quod in foro conscientiæ locũ hẽt, nam in externis tribunalibus, gratia nisi literæ essent expeditæ, viribus careret, &c. *Mascard. de Probat. volum. 2. concl. 845. Miranda tom. 2. q. 31. art. 10. Marc. Ant. libr. 1. var. resol. resol. 74. Sanchez. l. 8. de matrimonio. disp. 28. q. 3. num. 27. & d. 29 num. 2. Molfes. tract. 4 cap. 12. num. 75. Reginal. lib. 1. n. 200.* Quam assertionem cõis fere omniũ sententia admittit, & ipsa praxis testatur, quippe mortuo Episcopo, quicunq; confessarij ab ipso expositi, solent confessiones audire, donec licẽtia à capitulo, aut ab Episcopo successore reuocetur. *Bonac. d. 5. q. 7. p. 4. §. 1. num. 16.* Hocq; verum est, cum facultas simpliciter concessa est, donec Episcopus reuocauerit, vel aliter ordinauerit; secus si ad tempus, vel ad eiusdẽ Ordinarij beneplacitũ, quia tunc peracto tẽpore, & obitu gratiam largientis finitur. *vt l. c. ait ex communi. Sanchez. & Graffius. l. 1. cap. 13. nu. 50. ex cap. si gratiose de rescript. in 6. Suarez. tom. 4. de pœnit. d. 27. sect. 4. num. 9. Sà in v. gratia. num. 7. Campan. in Diuers. Iur. can. Rub. 12. cap. 33. num. 62. & seq. Nald. in v. concessio. num. 5. Nau. cons. 3. de priuileg.*

Porro non dubium est, hanc gratiã, vel licentiam posse ex iusta causa reuocari, non enim est immutabilis, cum mutabile fundamentum habeat, fundatur enim in scientia, bonitate, motibus, &c. quæ in homine, vt humana fert conditio, & miseria, mutationi subiacẽt (nam vt Sapiens ille dixit, sicut fumus ex camino in aetem volans, oculis ad tempus videtur, mox tamen tenues euanescit in auras; sic rerum omnium humanarũ cõditio est, vt ea quæ iam sunt, maxima mutatione à nobis aufetãtur) aut certe in quibus dijudicãdis erratũ esse potuit, cum examen fiebat. Imò quamuis sine causa reuocans peccare possit, reuocatio tamen est valida, saltem in sæcularibus, quia tota illorũ iurisdictio ab Episcopis pendet, qui cum possint illam limitare, & restringere ad tempus, locum, aut personas, possunt etiam non limitatam cõcedere. An vero regularium approbationem retrahere eis fas sit, ex eorũ priuilegijs pendet, quorum hoc vnũ est Pij V. vt semel ab Episcopo approbati non possint ab eodem iterum examinari, possint tamen ab eius successore, etiã si Doctoratus gradu sint insigniti, & vt supra ẽt aĩaduerti, ad tempus ac limitate & ipsi admitti. Nã de eisdẽ probationibus generaliter, & indistinctè, vel determinate ad locũ, vel tempus dãdis, extat rescriptum S. Congreg. Card. relatum apud *Confect. in summa tit. 17. cap. 4.* in hęc verba, Regulares qui ad confessiones audiendas idonei genetaliter ab Ordinarijs eorumue Examinatorib. reperti, & probati fuerint, generaliter quoq; & indistinctè absque limitatione temporis, certorũ ve locorum, aut generis personarum admittantur in diæcesi propria. De cæteris vero, qui nõ adeò idonei repatiẽtur, si petierint se admitti, arbitrio Ordinariorum relinquitur, ipsos cum limitata facultate, prout eisdem magis expedire videbitur, probare, & admittere. *Piasecius in praxi Episcopali. p. 2. capit. 1. Marc. Ant. Gen. in prax. Neap. capit. 59. Vide Card. Tuschus. in concl. pract. tom. 1. v approbatus. concl. 433. Roder. tom. 1. qq. regul. q. 45. art. 8. Miranda in Man. Prælat. tom. 2. q. 45. art. 10. Vgol. de off. Episcopi. p. 1. cap. 20. nume. 6. Graffius cons. 6. tit. de pœnit. & remiss. & omnes communiter.*

QVAESTIO XVIII.

AN CENSVRA INNODATVS POSSIT confessiones audire, & an confessiones factæ valeant.

QVi habet iurisdictionem, & Episcopi approbationem, sed est aliqua excommunicatione, vel suspensione innodatus, poterit ne confessiones audire, & an confessiones illę factæ validæ sunt? R. Non posse, si est denũtiatus, vel publicus clerici percussor, vel nominatim suspensus; proinde confessiones factę, tanquam inualidę reiterandæ sunt. Ad absoluendum. n. in foro pœnitẽtiali tria potissimum necessario requiruntur,

Primo quod sit sacerdos, clauium potestatẽ habens, nam quando aliqui DD. aiunt, in defectu sacerdotis cõfessionẽ laico, vel alteri clerico faciendã esse, loquuntur non de confessione sacramẽtali, sed de ea, quæ ex consilio, vel humiliatione fit. *Nau. in cap. 1. num. 72. de pœnit. dist. 6. Tol. lib. 3 cap. 13. num. 1. Coninch. disp. 8. dub. 1. de ministro sat pœnit. Suarez. disput. 24. sect. 1. Mirand. tom. 1. quæst. 45. art. 1. Sylujus. quæst. 7. art. 1. & 2.*

Secundo requiritur, qd' iurisdictione actuali fulciatur, & per Episcopũ (vel aliũ Episcopali facultate in populum exemptũ fungentem) approbantem, debita ei materia subdatur. Hæc tamen approbatio necessario per examen fieri non debet, sed vel per illud, vel aliquo alio modo, quò sufficiẽter de scientia, & alijs debitis qualitatibus cõstet, nec opus est, vt Episcopus per se ipsum approbet, sed id munus per deputatos Examinatores obiri potest. *Bonac. d. 5. q. 7. p. 4. §. 1. n. 9. & seq. Vide sup. tr. 2. c. 3. q. 28.*

Tertio exigitur, vt hæc iurisdictionis executio sit

 libera,

libera,& non ligata, vel aliquo cẽsuræ vinculo constricta; vel affecta; nam alioqui cõfessarius haberet iurisdictionem tanquam gladium in vagina conditum, quem nequit ad secandũ educere. *cap. audiuimus. 24. q. 1. Tol. l. c.* Duobus autem modis hoc impedimentum cõtingit, vno modo, vt dixi, per ecclesiasticam censuram publicam, & nominatim cõtra ipsum confessarium inflictam, vel notoriam clerici percussionem, qua facultas suspẽdatur, seu sufficienti Superioris authoritate exerceri prohibeatur. Altero modo per casuũ reseruationẽ, vt infra dicemus.

QVAESTIO XIX.

AN ABSOLVTIO DATA A' CENSVRA irretito valeat, &c.

ERit ne valida sacramentalis absolutio data ab excommunicato nominatim denuntiato, aut sacrilego percussore clerici notorio, quando in audiendis confessionibus exponitur in loco, vbi impedimentum ipsius communiter ignoratur? R. Valere, tunc.n. communis error, & titulus putatiuus à legitimo Superiore collatus, simul concurrunt, ex quo sufficiens iurisdictio ad validitatẽ confessionis consurgit, atque sic communiter asserunt. *DD. per l. Barbarius. ff. de officio Prat. vt Lopez. p. 1. Instruct. conscientiæ. p. 1. capit. 26. Henriq. lib. 2. de pænit. cap. 14 Barthol. Metina. lib. 1. Instruct. confess. cap. 11. §. 2. Sanchez. lib. 3. de matrimonio. disput. 22. q. 4. num. 46. Reginal. lib. 1. cap. 10. num. 117. Roder. in qq. regul. tom. 1. quæst. 60. artic. 2. Miranda in Mant. Prælat. tom. 1. quæst. 45. artic. 13. Lessius. de iust. & iure. cap. 29. dubit. 8. arg. Farinac. p. 1. decis. 534. & 602.* vbi tradit gesta ab Episcopo hoc modo excommunicato valere. Falsum est vero qđ asserit *Mascardus volum. 2. de Probat. concl.* 648. *nu.* 14. cum dicit, quod si quis confiteatur peccata sua ei, qui cõmuni opinione putabatur sacerdos, sed non erat, & ab eo fuerit absolutus, valebit confessio, & absolutio; nam cum in hoc desit iustus titulus, falsa & à veritate omnino aliena eius sententia esse conuincitur. Vnde qui sic esset confessus, & in tali statu moreretur, nisi de lethalibus culpis contritionem haberet, in damnationis statu decederet. Nec dicendum est, hunc defectum à summo sacerdote Deo suppleri, nam ex vllo sacræ paginæ loco elici nequit vllus modus diuinæ gratiæ obtinendæ, vel augendę, quàm per Sacramentum, vel contritionem, &c. *Sot. in 4. d. 24. q. 1. art. 4. Zerula in praxi pænit. cap. 16. quæst. 13. Vide supra tract. 4 capit. 2. quæst. 10.* Valide tamen absoluit sacerdos ille; qui ad tempus tãtum approbatus, vltra illud confessiones audit, vna cum alijs ad excipiendos pœnitentes sedens, cum quò ad cõfessionum validitatem, communis error, & existimatio concurrat, & præsumpta etiam Superioris facultas intercedere cẽseatur, ne fideliũ animis laqueus inijciatur. Idem dicendum, quando quis per Superiorem fuit ad confessiones audiendas approbatus, sed postea aliquid cõmisit, per quod fuit ipso facto priuatus, tunc quia priuatio illa occulta est, omnia per eum gesta tenẽt, iuxta *reg. d. l. Barbarius. Tusch. in v. error. concl. 33 ... & ver. opinio. concl. 157. Graff. cons. 6. de pænit. & remiss. Nald. in v. absolutio à pecc. num. 7. & Doctores. supra citati.*

QVAESTIO XX.

CONFESSARIVS FILIAS SPIRITVALES ad turpia sollicitans in quas pænas incidat, &c.

QVidam Episcopus in synodalibus cõstitutionibus reseruat sibi casum confessariorũ sollicitantium in confessione, vel extra, filias suas spirituales, vult.n. vt ipso facto ab officio audiendarum confessionum sint reprobati, ac subinde omnes licentiæ concessæ reuocatę censeantur, & ab huiusmodi crimine ab alijs, quam a Pœnitentiarijs deputatis absolui valeant, accidit, vt quidam regularis confessarius extra confessionẽ filiam suam spiritualem ad turpitudinem committendam prouocauerit, & cum ea deliquerit, & postea etiam multorum hominum confessiones exceperit, quæritur. Primo an hic casus etiam regulares comprehẽdat. Secundo an absolutiones impẽsæ post perpetratum facinus sint nullæ. Tertio quomodo confessarius ille in hoc se gerere debeat? R. Primo in casu includi etiam regulares confessarios, quò ad reuocationem facultatis audiendarum confessionum; cum in his, quę spectant ad administrationem Sacramẽti, Episcoporum statutis ligentur. *Vgol. de off. Episcopi. p. 1. cap. 10. § 10. Graffius. conf. 6. de pænit. & remiss. Henriq. lib. 7. de Indulg. capit. 12. num. 4.* vt proinde ipso facto abque vlla sententia, ab audiendis cõfessionibus sint suspensi; sed quò ad mulctam, pœnam corporalem, & casus reseruationem, censuræ, & dispositioni suorum Prælatorum subijciuntur. In quos si de delicto constiterit, par est, vt Superiores ipsi seuere animaduertãt; nam quò plus honoris, & venerationis ordini ecclesiastico, & religioso debetur, eò grauius plectendi sunt illi, qui vt *ait Saluian. libr. 4. de gubernat. Dei*, per flagitia, ac turpitudines suas, nomen religionis infamant, & qui profana nequitia, criminumque suorum dedecore, tam sacrum ordinem polluere non erubescunt. Nam vt in oculum etiam si parua sordes incidat, totum lumẽ occæcat; sic in ecclesiastico corpore etiam si pauci sordida faciant, prope totũ ecclesiastici splendoris lumen obscurat. Ac sane sicut *Plinius. l. 9. Epist. 13.* de Senatu Romano dixit, Seuerus in cæteros, Senatoribus

solis

solis dissimulatione quasi mutua parcit; sic plerique ecclesiasti, ac regulares Iudices hoc vitio laborant, quod in vindicãdis sui ordinis delictis adeò remissè se gerũt, vt potius tanquã conscij cõniueant, &c.

Secundo dico, impensas absolutiones non valere, cũ, vt supra attigimus, iurisdictionis vsus, & executio sit de essentia. In casu tñ nostro, quia eiusdem religiosi confessarij priuatio est occulta, & concurrente communi errore, & iusto titulo tolerabatur in officio, omnia per eum gesta valere censenda sunt, nec credimus factas confessiones etiam post habitam huius rei notitiam, à pœnitentib. necessario reficiendas esse. Secus vero iudicarem, si solum communis error affuisset, at Superioris authoritas non interuenisset, vt Doctores dicunt de intruso, vel de eo, qui cum sacerdos non sit, se tamen sacerdotẽ finxit, & cõfessiones excepit, &c. de quo casu loquitur, *Nau. consil. 1. tit. de pœnit. & remiss. & Graff. de conf. 6. numer. 17. contra Coriol. de cas. reser. p. 1. sect. 2. art. 17.* Ad tertiam quæstionem dico, vt iste cõfessarius proprio munere fungi valeat, debere per alium, ne infamiam subeat, iterum licentiam audiendi confessiones obtinere; quam si assequi nõ valet, ab audientia ipsarum cõfessionum abstinere eum oportet. Si vero desistendo, certo sciret, scandalum oriturum, vel propriæ famæ iacturam facturũ, tunc præmissa prius contritione, & confessione apud Monasterij Pœnitentiarium, desistere non tenetur: cum ad euitandum scãdalum à communibus iuris regulis recedamus *Felynus. in c. nihil. ext de præscript. Sayrus. lib. 2. de cens. cap. 3. nu. 28. Graffius. l. c. cons. 7. num. 10. & de arbit. confess. lib. 1. cap. 29. Duard. in Bulla Cœna Domini. libr. 1. cap. 2. quæst. 3. Lazar. de monit. sect. 4. q. 18.* Cauere tamen debet, ne illã fœminã cũ qua tàm turpiter se immiscuit, in posterum in sacramentali tribunali audiat, vel eius cõfessiones excipiat, ne occasio detur iterum in impudẽtissimum sacrilegium prolabendi, quod in aliquibus diæcesibus sub excommunicationis pœna prohiberi solet, & omnis etiam collata iurisdictionis adimi; ita vt nec tempore Iubilei sacramentum pœnitentiæ ab illo administrari queat. *Io. Bap. Corrad in resp. cas. cõsc. q. 13. Bonac. de sac. d. 5. q. 7. p. 5. §. 5. n. 10.*

CAP. IV.

QVAESTIO XXI.

QVOMODO PER CASVVM RESERVATIOnem iurisdictionis vsus impediatur, &c.

QVæritur quomodo per casuũ reseruationem iurisdictionis vsus impediatur, & quænam ratio & praxis in his absoluẽdis obseruãda sit? R. Vt Superiores ecclesiastici, & regulares non absque discrimine omnibus sacerdoribus suos subditos subijciunt, quos in partem suæ sollicitudinis assumũt; ita nec eorũdem subditorum omnia crimina omnibus subdunt, sed tot ex illis subtrahunt, quot ad moderandam, & regendam ecclesiam, & religionem sibi commissam expedire iudicant; quæ quidem peccatorum subtractio reseruatio casuum dicitur, approbata in *Conc. Trid. sess. 14. cap. 7.* tanquam ad populi christiani disciplinam retinẽdam magnopere pertinens. Causæ namq; reseruãdi sunt partim, vt peccatores non ita sint ad peccandum propensi, & faciles, propter erubescentiam, qua Superiores Antistites adeundo perfundũtur; partim vt grauiores morbi peritioribus medicis reseruentur, quales regulariter ipsi Superiores sunt, vel esse præsumuntur, partim etiam vt causæ magis arduæ, maiori studio, circumspectione, & maturitate terminẽtur, & per consequens ad maiores, & doctiores Iudices deferãtur, cum in hoc Dei Tribunali cõfessor medici, ac Iudicis personam gerat, &c. Quò fit, vt confessarius, tàm sæcularis, quàm regularis, sollicitus esse debeat de paranda sibi notitia casuum, tàm à Summo Põtifice, & ab Episcopo, quàm à suo Prælato regulari reseruatorum, tanquam necessaria ad cauendum periculũ sacrilegij, in quod temere, & indebite absoluendo, se ipsum conijcere posset. *Sot. in 4. dist. 18. q. 2. art. 5 Suarez. tom. 4. disput. 29. sect. 1. Syluius. q. 19. art. 6. Coninch disp. 8. de pœnitentia. ministro. dubit. 11. Reginald. lib. 1. num. 123. Tol. libr. 3. cap. 14. Vgol. de officio. Episcopi. p. 2. c. 35. Piasecius. in praxi. Episcopali. p. 2. cap 1. num. 12. Roder. in qq. regul. tom. 1. quæst. 20. art. 2. Miranda tom. 2. quæst. 33. art. 1. & seq.* De qua materia aphoristico stylo satis dixi in *Comment. de casibus reser. p. 1. cap. 1. Vide & infra tr. 14. cap. 4. quæst. 10. & tract. 15. cap. 7. quæst. 10.* Attamen, vt infra dicemus, ex iusta causa aliquando Inferiori confessario integrum est, sine reseruantis facultate, aliquẽ ab eisdem casibus absoluere, & consequenter, vt pœnitens aliqua peccata non reseruata cõfiteatur, à quibus directè absoluatur, à reseruatis vero indirectè liberetur, &c.

Absentia etiam Prælati regularis vltra vnũ diem naturalẽ à suo conuentu videtur sufficiens ad transferendum ius, & facultatem in eius vicem gerẽtem, vt subditos à reseruatis, & cẽsuris absoluere valeat, ac authoritate vti, quam *Concil. Trid. sess. 24. de refor. capit. 6.* Superioribus religionum tribuere Doctores interpretantur. *Roder. tom. 1. qq. regul. quæstio. 61. artic. 9. Sanchez. libr. 8. de matrimonio. dist. 2. numer. 12. Beia. par. 4. respons. casu. 37. Nald. verbo. abesse numer. 11. & verbo. absolutio à peccatis. numer. 25. & verbo casus. num. 2.*

QVAE-

QVAESTIO XXII.

QVA POENA AFFICIATVR, QVI SINE facultate, ab aliquo casu reseruato absoluit.

IN quam pœnam incideret confessarius, qui ab aliquo casu reseruato Summo Pōtifici, vel Episcopo, seu etiam Superiori Præfecto regulari, nō debita facultate suffultus absoluit? R. Primo graue admodum sacrilegium committit, absolutio tradita nulla est, & nō valet, & ipso facto excommunicatione Summo Pōtifici reseruata afficitur, officijs, dignitatibus, & beneficijs, quę habet, priuatus est, & ad quæcunq; officia, pręlaturas, ac beneficia inhabilis efficitur, vt habetur in Decreto Clemētis VIII. Incip. Sacra Congregatio. Quas etiam pœnas non effugit, si dubitans de aliquo casu in Bulla Cœnæ Domini cōprehenso, ab illo absoluit: in reliquis vero Episcopis. s. reseruatis, si dubitat, an peccatum illud reseruatum sit, nec ne, & tamen absoluat, & inueniat postea esse reseruatum, in pęnas incidet, nam contra dubitationem facit, quod non debet. Si aūt non est reseruatum, secus est; quod. n. de dubitatione in Decreto dicitur, locū habet in casibus in Bulla Cœnæ Domini contentis, vt etiam in sequenti quęstione dicemus. In quas tamen pœnas non incurrit absoluens, vbi aut per obliuionē, aut per inconsiderationem, & non animaduertēs esse casum reseruatum absoluit: nam Decretum ausum, præsumptionem, dolum, & temeritatem in absoluente requirit, & certum est, non esse in nostra potestate occursum omnium quæ scimus, in his, quæ penè sine discussione operamur. *Caiet. in v in consideratio. & in 1. 2. q. 6. art. 8. & ibi DD. & Vasquez. d. 107. cap. 3. Pelleg. de Duello quæst. 8. num. 33. Riccius in praxi. for. eccles. resol. 19. & per Vgol. l. c. cap. 27. §. 1.* Sicut etiam illas pęnas euadit, si probabiliter gnorat esse casum reseruatū, à quo absoluit, vt v. g. quia pœnitēs peccati qualitatem, qua reseruatum efficitur, non satis explicat, ex quo. n. cōfessarius Iudicis personam sustinet, qui secundum allegata, & probata iudicare debet, merito ab hac pœna immunis erit.

Secus vero si ignoraret, quoniā casus reseruatos legere, & memorię mandare eum piget; quādoquidem in lata culpa est, & in eorum numerū refertur, qui nolunt intelligere, vt bene agant. Hinc à graui culpa non excusantur confessarij, qui transumptum Bullæ Cœnæ Domini, & tabellam casuum Episcopo suo reseruatorum non tenent, vel si eos apud se habent, non inspiciunt, &c. *Duar. in Bulla Cœna Domini. lib. 3. §. 8. quæst. 1.* Item has pęnas euadunt religiosi, qui absque facultate, ab aliquo casu in religione reseruato, iuxta aliam Clementis VIII. sanctionem temere absoluissent (& si sic absoluēs lethalem culpam admiserit, & absolutio inualida sit) siquidem, vt intuenti patet, Decretum illud loquitur tantum de casibus tùm Summo Pontifici, tùm Episcopis, vel alijs sæcularibus Prælatis Episcopali authoritate fungentibus reseruatis.

Excipiuntur etiam confessarij vrbis Romæ, & illi, qui extra Italiam degunt. *Vgol. parte. 2. de officio Episcopi. capit. 37. §. 2. Duard. in Comment. ad Bulla Cęna Domini. lib. 3. §. 3. quæst. 1. num. 5.*

Tadem incidere non videntur, qui non prętextu priuilegiorum, & facultatum, sed alia de causa absoluerent. *Gamb. de cas. reser. cap. 3. num. 12.* Ex recepto tamen vsu, & Pontificis mēte constat, illis pęnis eos teneri, qui quomodocunq; scienter extra casus à iure exceptos, sine facultate absoluūt: *arg. Beia p. 1. respons. casu. 30. & Euerard. & in top. leg. in loco. à stylo curiæ. vt infra tract. 5. cap. 9. q. 57. & seq.*

QVAESTIO XXIII.

QVAS POENAS SVBIRET CONFESSARIVS, qui dubitans an casus sit reseruatus, absolueret.

SI cōfessarius ambigeret, an id quod sibi proponitur, sit casus reseruatus, nec ne, & stante illa dubitatione absolueret, supradictis ne pœnis afficeretur, & quid in eo facere debet? R. Plane in casibus Bullæ Cęnæ Dñi reseruatis, pœnas subibit, si absoluat, vt dixi in præced. quæst. In reliquis vero Episcopis reseruatis, si dubitat, an peccatum illud reseruatum sit, nec ne, & tamen absoluat, & inueniat postea esse reseruatum, in pœnas incidet, nam contra dubitationem facit, quod non debet; si vero non est reseruatum, secus, nam quod de dubitatione in Decreto dicitur, in casib. in Bulla Cęnæ Domini contentis locum habet. Proinde nō prius absoluere debet, quam ipse se resoluerit, vel per se proprio studio libros legendo, qui casus conscientiæ tractant, vel doctiores consulēdo, an casus ille sit reseruatus, nec ne, aliàs enim grauiter peccaret, periculo se exponēdo absoluendi absq; iurisdictione, cum iudicat non reseruatum, cum re vera sit, vel inijciendi alteri falsam opinionem iudicando esse reseruatum, cum reseruatus non sit; & si cum tali dubio absoluere præsumeret, in prædicta discrimina se conijceret. Sicut in re simili Doctores tradunt, grauiter delinquere Iudicē illum, qui in ancipiti animo sententiam profert, antequam dubitationem deponat, quæ regulariter in humanis, & moralibus actionibus in mala fide constituit. Sic. n. & dubius in fide habetur pro infideli. *cap. 1. ext. de hæret.* Et qui emit rem, de qua tempore emptionis dubitat, an furtiua sit, lethalem culpam, & restituēdi obligationem subit. *Salon. 2. 2. q. 62. art. 5.* Et qui vult confiteri, si ambigat, an aliquid sit mortale peccatū, an veniale, lethalis etiam noxæ sit reus, si illud in sacramentali iudicio non pandit.

pandit. *Sayr.lib.1.ela.reg.cap.13. nume.4. Suarez. de integ.confeſſ.ſect.9.diſput.22. Reginald.libr.13. cap.9.num.84. Vgol.de officio Epiſcopi.p.2.cap.37.§.2.& communiter oēs D D.* Hęc tamen omnia intellige de vere dubio, non de opinante, quia qui aliqua ratione, vel authoritate aliquid opinatur, vni quæſtionis parti aſſentit, ideò dubius nō eſt: eſt namq; in opinione aſſenſus, qui deeſt in dubio. Eſt ēt probabilior ſententia, ſtante Pontificio Decreto caſum in dubio cenſeri reſeruatū, & ſic gratia abſolutionis obtinendæ adeundum eſſe Superiorem. *Armilla. in v.caſus.n.13. Cordub.in reg. D.Franciſci.cap.7.q.4. p.1.& alios contra Suarez. tom.5. d.40.ſect.6.nu.5. Henriq.lib.3.de pęnit.cap.26.num.7. Sanchez.lib.1. de præcept.cap.10.n.74.* Obſeruandum tamen, quod ſiquis contra Pontificium Decretum in re clara vel dubia, à caſibus reſeruatis, à quibus nō poterat, abſoluiſſet, & ſic in excommunicationem Papæ reſeruatam incidiſſet, ſi hoc occultum eſſet, in foro conſcientię à ſuo Ordinario ab ea liberari poſſet, ex Decreto *Conc.Trid.ſeſſ.24.cap.6.de refor. vt per Gambar.de caſib.reſer.c.3.n.33. Suarez.tom.4.d.30.ſect.2. Beia.p.4.caſu.37. Duard. in Bulla Cœna Domini, lib.3.S.2.quæſt.11. Pereg.de Duello.quæſt.37.*

QVAESTIO XXIV.

QVID AGERE DEBEAT CONFESSARIVS qui à caſu, à quo non poterat abſoluit?

QVid agendum cōfeſſario, qui à caſu, vel cenſura, abſoluit, à qua abſoluendi facultatem non habebat? R. Debet obtēta prius à Superiore abſoluendi authoritate, pœnitentem ad ſe vocare, & ſi ſcandalum non timet futurum, petere ab eo licentiam loquendi de quadam re ad eius ſalutem pertinēti, eique dicere, ſe errorem in audienda eius confeſſione commiſiſſe, cum illum à caſu reſeruato à quō nō poterat abſoluit: ſi autem eum iterum confiteri non piget, nunc veræ abſolutionis beneficium impendet. Quam veritatē poſtquam eum docuit, ipſe tenetur ſalubre conſilium capere, quod ſi reſpuerit, tunc ſacerdotis culpā in ſe ipſum transfundit. *Sot.in 4.ſent.diſt.18.quæſt.4 art.6.& in relect.de teg.vel deteg.ſecreto q.4. membro.3.concl.5. dub.4. Philiarcus.lib.2. de ſacramento pęnit.cap.26.* Quando vero ſe nihil profuturū ſperat, vel aliquod ſcādalum ſubſecuturum timet, rem Deo commendare debet: ſiquidem ex veteri pronūtiato, Fruſtra niti, neque aliud ſe fatigando, niſi odium quærere, extremæ dementiæ eſt. Neque effundendus eſt ſermo, vbi non eſt auditus. *eccleſ.cap.32.* Cui conſonat illud. *Seneca Epiſt.29.* Magno viro tentandū nō eſt, quod ſuccedere non poſſit: diluitur eius authoritas: ſapiētia ars eſt, certum petat, eligat profecturos, ab his, quos deſperauit recedat. In nullo tamē caſu ſacramētalis abſolutio à peccatis abſenti dari poteſt. Quod prudenti ſanctione Clemens VIII. Pontifex Max. prohibuit. *Suarez.to.4.diſp.32.ſect.6.Sà in v. abſolutio.nume.8.& dixi in Comment.de caſu.reſer. p.1.cap.1.* Si autem à cenſuris male pœnitentem abſoluiſſet, quem defectu iuriſdictionis abſoluere non poterat, obtenta facultate, etiam abſentem ab his liberare poſſet, cum notum ſit, cenſurarum abſolutionem in non præſentem, ignorantem, inuitum, & incontritū ferri poſſe; & vnica abſolutione plures cenſuras tolli. *Bonae.de pęnit. d.5.quæſt.7. p.6. Molfeſ. tract.7.cap.21.num.55.& omnes communiter.*

QVAESTIO XXV.

AN ALIQVANDO LICEAT INFERIORI confeſſario à reſeruatis abſoluere.

DAntur ne aliqui caſus, in quibus inferior confeſſarius licite, & impune à caſibus reſeruatis abſoluere valeat? R. Vtique nonnulli dantur caſus, quorum præcipuus eſt, cum Superior v. gratia Epiſcopus, vel Pœnitentiarius in caſu occurrenti facultatem inferiori committit; puta Confeſſarius refert Pœnitentiario, ſe habere talem pœnitentem tali caſu, vel cenſura innodatum, tunc.n. ipſe Pœnitentiarius dicere poteſt, dic vt ad me accedat, vt eum abſoluam, & ſic frequentiori vſu receptū eſt, vel facultatem dicto inferiori Sacramenti pœnitentię miniſtro impertit, vt ab eo caſu, vel cenſura illum abſoluat, illa præſcripta ſalutari pęnitentia tàm vindicatiua, quàm præſeruatiua, quæ pro ſalute pœnitentis in Domino expedire videbitur. Si autem ipſe pœnitens Superiorem adeat, vt à caſu reſeruato abſoluatur, eadem impoſita pœnitētia, ad ordinarium confeſſarium dimittetur, vt illi cōfiteatur, & ſacramentalem abſolutionem obtineat, & Superior Iudex illud peccatū ſub ſigillo confeſſionis ſeruare tenetur; & pęnitēti credere obligatur confeſſarius aſſerēti ſe ante legitimū Iudicē ſtetiſſe, & ab eo reſeruationem ſublatam, quia in hoc foro ſtatur dicto pœnitentis pro ſe, & cōtra ſe. Atque idem dicendum eſt de Generalibus Præfectis, Prouincialib. & particularium monaſteriorū Præpoſitis, & Cuſtodibus. Porro Superiores debere faciles eſſe in concedenda licentia confeſſarijs, vt aliquos à caſibus reſeruatis abſoluere valeant, vt quō ad fieri poteſt, ſubditorū ſalutem procurēt, verior eſt Doctorum reſolutio; ſiquidem vt loquitur. *D.Thomas.in 4.ſent.d.17.q.3.artic.3.* Multi ſunt adeò infirmi, qd potius ſine confeſſione morerētur, quàm tale peccatum tali ſacerdoti confiterentur. Vnde illi, qui ſunt nimis ſolliciti, vt conſciētiam ſubditorum per confeſſionem ſciant, multis laqueū damnationis iniiciunt, & per conſequēs, ſibi

sibi ipsis, hæc ille. Et denegata iniuste à Superiore authoritate, potest subditus inferiori omnia peccata confiteri, in quo casu indirecte etiam à reseruatis absoluitur. Et, vt alias memini, si Superiores regularium noluerint confessario facultatẽ petenti concedere, pro illa vice poterit nihilominus pœnitentem absoluere, vt ex *Decreto Pauli V. tradunt Coriol. & Molfes. l. infra citandis.* Certum est etiam in Superioris arbitrio, vt dixi residere, pro peccatis reseruatis pœnitentias quasdã præscribere, quas confessarij pœnitentibus iniungãt, eas tamen iuxta pœnitentium conditiones moderentur, &c. Atque totius huius quæstionis materiã resoluunt. *Zerula in praxi pœnit. capit. 24. quæst. 17. Io. Bap. Constant. in Admonit. ad Curat p. 4. tit. 6. cap. 4. Sylvius. quæst. 20. art. 2. dub. 3. Fornar. in Instit. conf. tract. 1. cap. 3 §. 3. Miranda. tom. 2. quæst. 34. art. 11. Roder. tom. 1. qq. reg. quæst. 21. art. 5. Coriol. de cas. reser. p. 1. sect. 1. art. 17. Molfes. tract. 7. c. 21. n. 37. & seq. & n. 44.*

Vbi aduerte, licet aliqui nõ desint, qui putẽt, vbi Superior à solis reseruatis absoluit, eo quod ei non vacat longas confessiones audire, cum multis ad se accedentibus satisfacere teneatur, debere pœnitentem sola reliqua inferiori confessario confiteri; alij tamen Doctores id verius nõ probãt, quia vni confessario omnia pandenda sunt peccata. *Henriq. l. 3. de pœnitẽtia. cap. 15. num. 5. Coninch. disp. 7. dub. 9. num. 86. Suarez. disp. 31. sect. 9. num. 8.*

QVAESTIO XXVI.

AN OB VITANDVM SCANDALVM possit quis à reseruatis per inferiorem sacerdotem absolui.

QVid faciet ille qui aliquo casu reseruato contaminatus est, nec potest absque graui scandalo prætermittere, quin rem sacram faciat, aut Sacrosanctam Eucharistiam sumat? R. Memini me alias dixisse, vbi ab inferiori à non reseruatis, etiam si tãtum illa essent venialia absolutus est, (cui tamen etiam reseruata in confessione aperienda sunt) licere celebrare, vel cõicare, modo cum primum ei commodum fuerit, corã Superiori se sistat, & reseruatorum absolutionis beneficium obtineat. *Conc. Trid. sess. 13. c. 7.* Quod intelligendũ est, quando peccata reseruata annexam non habent excommunicationem, si enim tale adhæreret vinculũ, non posset etiam à nõ reseruatis absolui, quia nullus potest animam à peccatis expiare, nisi prius ab excommunicatione absoluatur, cum extra ecclesiam nõ sit salus, & dictam excommunicationem, si vt supponitur, est reseruata, inferior minime tollere potest.

Verumtamen non est repudiandum illud, quod aliqui non leues Doctores admonent, vidẽdum scilicet in hac re, quid saluti pœnitentis expediat, nam si casus occurrat, in quo non obstante excommunicationis nexu, ipsum vt potè facitẽtem quidquid in se est, absolui à peccatis necessariũ videatur, vt quia non potest probabiliter existimare se perfectã contritionem habere, qua Sacrosanctam Eucharistiam sumpturus ad vitandum scandalum indiget, absolui à peccato poterit, accepta tamen eiusdem confitẽtis promissione, qđ cum primum ei licebit, Superiorem adibit, à quo à reseruatis liberetur. *Suarez. disp. 31. sect. 1. Reginald. lib. 8. cap. 6 nu. 87. Duard. in Bull. Cœnæ Domini. libr. 1. cap. 2. qu. est. 3. Coninch. de minist. sac. pœnit. disp. 8. dub. 13. num. 107. Coriol. de cas. reser. p. 1. sect. 2. art. 17. Bonac. de pœnit. d. 5. q. 7. p. 5. §. 3. num. 8.* Quibus illa iuridica suffragatur assertio, quod vt scandalum euitetur, multa contra ius fieri permittuntur; ex quo axiomate, tanquã solido principio, multorum particularium casuum resolutiones in praxi frequẽtes deduci possunt, vt per *Felynum in cap. nihil ext. de præscrip. Apostillam. ad Abb. in c. considerauimus. ext. de elect. Tusch. in. ver. scandalum. concl. 52. Sayr. lib 7. de cens. cap. 9. num. 29. Lazar. in qq. canon. p. 1. sect. 4. q. 18. Duard. l. c.*

QVAESTIO XXVII.

AN CONFESSARIVS VNICO VERBO absoluo te, possit in mortis articulo, tàm à censuris, quàm à peccatis absoluere, & an sacerdos censura constrictus tunc absoluendo, irregularis fiat, & quid in praxi pro mortis articulo agendum sit, &c.

CVm inter casus, in quibus inferior cõfessarius à reseruatis absoluere valet, præcipuũ locum teneat mortis articulus ex *Conc. Trid. sess. 14. cap. 7.* id quod à nobis sæpius est animaduersum, quæritur, an quis vnico verbo, vno, & eodem tempore possit absolui à censuris, & à peccatis per illud verbum absoluo te. Item an si confessarius excommunicatione innodatus, aut suspensione irretitus aliquem in articulo, vel periculo mortis constitutum absoluat, ab irregularitate excusetur, præsertim si ille quẽ absoluit sit exul, quem occidendi cuilibet à Principe facultas est concessa. Et an possit cum eodem in votis dispẽsare, &c? R. Pro repentina aliqua necessitate si sacerdos illis solis verbis absoluo te, intẽderet absoluere à cẽsuris, & à peccatis, valida erit absolutio. *Viual. in cand. aur. de absolut. nume. 97. Henriquez. de sacr. pœnit. libr. 1. capit. 11. numer. 3. d. Duardus. in Comment. Bullæ Cœnæ. lib. 3. §. 2. q. 2. num. 21. Molfes. tr. 7. c. 21. n. 55. Nald in v. absolutio. à pecc. n. 23. Bonac. de pœnit. d. 5. q. 4. p. 1. n. 10. vt dixi tr. 13. c. 3. q. 8.*

Secundo ab irregularitatis nota immunis est sacerdos, qui maiori examinatione innodatus, interdictus,

dictus, aut ſuſpĕſus, in mortis articulo iacentem abſoluit, ſicut ab ea excuſatur ſacerdos, qui cēſura aliqua irretitus ob uitandum ſcandalum celebrat, &c. *Nau.cap.27.num.271. Viuald.in cand. aur.de abſolut.num.64 Gutier.lib.1.can.qq.capit.1.num.56. Lopez.in ſchol.ad Diax.capit.33.verſ excuſabitur. Comit.lib.6.reſp mor.cap.27. Beia.p.4.caſu.6. Barboſa in remiſſ.ad d.cap.7. Concil.Trid. Sanchez.libr.2.de præceptis.cap.13.vt dixi ſupra tr.5.cap.2.q.31.*

Tertio exul niſi publica fide habita, quā vulgo dicitur ſaluus cōductus, muniatur, à quocūq; ſacerdote, & à quolibet peccato, & quauis cenſura abſolui pōt, vbi impune eum occidere licet, quādoquidem in cōtinuo mortis periculo verſatur. *Vgol.de officio. Epiſcopi.p.1.c.15.§.8.n.9. Galettus in v. abſoluere.*

Quarto licet in mortis articulo cuiuis cōfeſſario integrum ſit, à quibuſuis caſibus abſoluere, non tamen fas eſt ei diſpenſare in votis, aut iuramĕtis, vel inhabilitate, aut irregularitate, qua æger ratione alicuius impedimenti ſit affectus, vt ſunt inceſtuoſi ad petendum debitum; quia nil amplius in tali articulo confeſſarijs conceditur, quàm abſolutio ab illis rebus, quę Cęli aditum occludere poſſunt, at ex hac vita decedere cum votis, iuramentis, & alijs huiuſmodi impedimĕtis, Paradiſi ingreſſum nō impedit. Quare ſiquis ĕt clericus eſſet irregularis, vel ſuſpenſus ab ordine, vel officio ratione articuli, vel periculi mortis ab huiuſmodi cenſuris, vel pœnis abſolui non poſſet, cum ex illis Cœli aditus nō impediatur, nec ſacramĕtorum ſuſceptio, neque eccleſiaſtica ſepultura interdicatur, à quib. neminem excludi debere. Conc. Trid. *ſeſſ.14 c.7.* intendit *Roder.in ſumma p.1.cap.59.num.14. Sanchez l.c.nu.12. Duard. in Bullam Cœnæ Domini libr.3.§.2.q.5. numer.18. Nald. in v. morſ. num.2.* Vbi etiam illud obſeruandum (quod ſæpe aduertimus) cum quis in mortis articulo, cum Superior, vel Ordinarius adiri nequit, ab excommunicatione Summo Pontifici, vel Epiſcopo reſeruata abſoluitur, debere prius, ſi fieri poteſt, exigi iuramentum, quod ſi conualuerit, ſe ei præſentabit, à quo extra tale periculum abſolui poterat, aliàs in eandem ſpeciem excommunicationem incideret. *c.eos.de ſent.excom.l.6.* Quod tamē intelligitur, ſi ſolo titulo articuli mortis abſolutio detur, ſecus ſi virtute alicuius Pontificij Priuilegij, vel Bullæ ab ea liberetur, vt tradit inter alios *Medina lib.2. Inſtruct.confeſſ.cap.12.* Notat etiam Bellarm. *lib.1. de Indulg.cap.9.* Indulgĕtiam alicui in vero mortis articulo cōceſſam, non ijs, qui non moriuntur, prodeſſe, at his vtilem eſſe, ſi in Bulla ſcriptum ſit, in articulo mortis. Inſuper obſeruat. R*oder.l.c.nume.12.* illum qui in articulo mortis confiteri nō poteſt, haberi pro cōfeſſo, ſi interius in animo ſuo coram Deo culpas ſuas fateatur, ad hoc vt illas indulgentias lucretur, quas Bullæ contritis, & confeſſis concedunt;

Et ſubdit ex *Henriq.lib.3. de pœnitentia. cap.9.nu.3.* in illo calamitoſo tempore, cuius multū fauet, prima tonſura initiato, abſente ſacerdote, licere à cenſuris abſoluere, & moribundo ſuarum Bullarum indulgentias impertire.

QVAESTIO XXVIII.

AN BONONIAE EXPOSITVS CONFESSArius, poſſit à caſu alibi reſeruato extraneum abſoluere, &c.

POſſet ne hic Bononiæ expoſitus cōfeſſor abſoluere extraneum v. g. Mutinĕſem à caſu reſeruato Mutinæ, nō hic vbi nunc incidenter cōfitetur? R. Poſſe, modo fraudulenter huc non ſe tranſtulerit in præiudicium animę propriæ, puta fugiendo cenſuram proprij Epiſcopi; ſiquidem talis pœnitens iudicandus eſt vt incola illius diœceſis, & iuxta formam illius loci, vbi cōfitetur. Sicut ĕ contra ſi peccatū eſt reſeruatū in illo Epiſcopatu, vbi pœnitens animam ſuam expiat, non autem in ſuo, ab Inferiori confeſſario carente Epiſcopali authoritate quo ad caſus reſeruatos, abſolui non poterit, quia licet ille aliàs ſubditus nō ſit, vt ſubditus tamen, & vt incola illius loci iudicatur, vt proinde iuxta modum, & iuriſdictionem ibi cōceſſam, cum eo agĕdum ſit. (Qua ratione etiam. *Beia p.3.reſponſ.caſu.5.* reſoluit, religioſos mendicantes, vel alios in vrbe Roma Confeſſarios, poſſe quoſcunque ad ſe accedentes, à quibuſcunque caſibus Epiſcopo cuicunque reſeruatis abſoluere, cum ibi nulli caſus Epiſcopales præter illos, qui in Bulla Cœnæ Domini continentur, reſeruati ſint.) Item quia vt iuſta ſit conceſſio, vtrimque æqualitas adeſſe debet, & qui in vno liberatur ęquū eſt, in alio grauari, iuxta illud legale,

Commoda qui ſentis iungas onus emolumentis;

Sed iſte à quocunque confeſſario de peccatis reſeruatis à ſuo Epiſcopo, ſi ibi reſeruata non ſint, abſolui pōt, ergo ĕ conuerſo à peccatis ibi reſeruatis, etiam ſi à ſuo Epiſcopo non reſeruĕtur, liberari non poterit, niſi à ſuo Ordinario, vel ab illius facultate habĕte, vel ſaltem à Pœnitĕtiario hic vbi confitetur, aut ab alio authoritate Epiſcopali, quoad caſus reſeruatos munito. Cum certa & cōis ſit etiā DD. aſſertio iter agentem, vel peregrinum habĕtem caſus reſeruatos vtrique Epiſcopo, videlicet Epiſcopo proprij domicilij, & Ordinario loci vbi reperitur, abſolui nō poſſe, niſi à confeſſario facultate abſoluendi à reſeruatis ſuffulto: quandoquidē iuxta leges loci in quo exiſtit, iudicandus eſt. *Suarez.tom.4.diſp.30.ſect.1.num.6.& diſp.25.ſect.2.nume.9. Graffius.libr.1. deciſ.aur.cap.13.num.4.& conſ.1.de pœnit.& remiſſ. num.21. Bonac.de pœnit.d.5.q.7.p.5.§.2.numer.10. Molfeſ.tract.7.cap.21.nu.7. Henriq.libr.3.de pœnit. cap.14.*

cap.14.nu.8. Claudius Soler. de iurid.potest.confess. cap.8.numer.13. Vinal.de absolut.num.58.Coninch. disp.8.dub.12.num.85. Reginal.lib.8. num.69. Fernandes.in Theol. mor.p.3. cap.6.§.9.num.20.

Hic tamen notãdum est, quod si quis esset nominatim per ecclesiastici Iudicis sentētiam, in aliquo loco excommunicatus, hic à solo excommunicate, vel eius Superiore absolui posset, adeo, vt nec tēpore Iubilei absolutionis beneficium consequi queat, nisi satisfacta parte, & Curia Episcopi, qui excommunicationis sentētiam tulit. At quando per generalem sententiam esset censura innodatus, vt quia excommunicati sunt omnes non restituentes, non reuelātes, possessores aliquorum bonorum, nō confitentes, ac Sacram Eucharistiã in Paschate non sumentes, tunc nō solum Episcopus alterius diœcesis, sed omnes Cōfessarij possunt hunc excommunicationis vinculo constrictum absoluere, quia satis est, vt ipse parti læsæ satisfaciat. *Molfes.l.c.n.54.& alij.*

QVAESTIO XXIX.

VTRVM CONFESSARIVS CVI CONCESSA est facultas, vt à casibus Episcopo reseruatis absoluere valeat, possit etiam à censuris absoluere, & an sublata Pontificia excommunicatione, Episcopalis etiam ablata censeatur, &c.

VTrum cōfessarius, tàm sæcularis, quàm regularis, cui Episcopus concessit, vt à casibus sibi reseruatis absoluere valeat, ei liceat à cēsuris eidem reseruatis absoluere? Et Item an excommunicatione à Papa, & Episcopo super codē lata casu, sublata Pontificia, Episcopalis etiam ablata cēseatur, ita vt cuilibet confessario ab illa absoluere integrū sit? R. Ad 1.q.dico, Epm concedēdo authoritatē absoluēdi à casibus sibi reseruatis, nō cōcedere absoluēdi à censuris sibi itidem reseruatis; sicut Papa circa suos casus concedere cēsetur, cuius discriminis ratio est, qđ vix detur casus Pontifici reseruatus, cui censura non sit annexa, multi vero dētur casus Episcopo reseruati, qui coniunctam excommunicationem non habent. Sicut etiã Superior absoluens à cēsuris, non censetur subinde à peccatis absoluere, nisi id exprimat, tùm quia excōmunicationis absolutio est quid ab absolutione à peccatis separatum, tùm quia ad auferendum excommunicationis vinculū certa verborum forma non requiritur, & sola Superioris voluntate tolli potest, &c. Vnde secundum cōmunem loquendi cōsuetudinem, quæ attendi debet, per casus Episcopo reseruatos tãtum peccata ei reseruata intelliguntur. Proinde Episcopus specialem mentionē facere debet: secus vero si alicui diceret, concedo tibi in foro conscientiæ omnem authoritatem meam, nam tunc intentio omnia prædicta vnico verbo concedentis sufficeret, iuxta illud,

Quidquid agunt homines intentio indicat omnes.

Et mens ac intētio primū locum in humanis actionibus obtinet. *Tusch. v. Intentio.concl.269. & v. mens.concl.199. Nau.cap.27. num. 261. Syl.& Tab. in v.casus.Sayr.l.1.clauis reg.c.1.n.5.Zerula.in praxi pœnit.c.24.q.19.Molf.tr.7.c7.n.43.& c.21.n.45.* Ad secundam q. respondetur, censuram non esse sublatam, quia cum duo sint diuersa impedimenta altero sublato, alterum amotum esse non cēsetur, licet contrariū communi consuetudine sit receptum. *Nau.cap.27.num.254 Tol.libr.3.cap.14.Io.Chap. de cas.reser.cap.5.diff.11.Suarez.tom.4.d.31.sect.4. Nald.verbo.censura.n.12.& verbo.casus.num.11.*

CAP. V.

QVAESTIO XXX.

QVID CONFESSARII, TAM REGVLARES, quàm saculares vi priuilegiorum possint circa Pontificios, & Episcopales casus?

QVid ratione priuilegiorum possunt confessarij, tàm sæculares, quàm regulares circa casus, tàm à S.Pontifice, quàm ab Episcopo reseruatos? R. Sacerdotes, tàm sæculares, quàm regulares possunt virtute suorum priuilegiorū absoluere ab omnibus excōicationibus iure ipso Summo Pontifici reseruatis, exceptis Primo, casibus in Bulla Cœnæ Domini contentis. Secundo, casu violationis clausuræ monialium ad malū finem. Tertio, violationis immunitatis ecclesiæ, in terminis cōstitutionis Greg.XIIII. quæ incipit, cum aliàs nōnulli. Quarto, prouocãtium in Duello iuxta Decretum Concilij Tridētini, & cōstitutionis Gregorij XIII. Incip. Ad tollendum. Quinto, inijcientium manus violentas in clericos iuxta Canonem si quis suadente Diabolo, ac iuris dispositionem. Sexto, Simoniæ scienter contractæ, atque etiam confidentiæ beneficialis. Septimo, exceptis item casibus, quos Ordinarij locorum sibi reseruarunt, vel in posterum reseruabunt. Ac propterea declarat Cōgregatio Cardinaliū eos quidē sacerdotes, tàm sæculares, quàm regulares, qui aliquo ex priuilegijs, indultis, & facultatibus in ipsius Congreg. Decreto expressis suffulti fuerint, posse iuxta eorum priuilegia, indulta, & facultates, vsu ante idem Decretum receptas, & quæ sub alijs reuocationibus non cōprehenduntur, tantum, & non aliàs, absoluere à casibus non comprehensis in declaratione, quæ Incipit, *Cum autem.* Alijs vero sacerdotibus huiusmodi priuilegijs non gaudētibus nihil de nouo concedi. *Leon. Duard. in Comment. in Bulla Cœnæ Domini.lib.3.§.2.quæst.1.* Multi tamen Religiosi ordines ex Pontificijs priuilegijs

legijs poſſunt ſuos fratres abſoluere à quibuſcũque peccatis,& cenſuris etiam Sedi Apoſtolicę reſeruatis,illis exceptis, quæ in Bulla Cœnæ Domini continentur,& illis caſibus,qui Superioribus iuxta Decretum Clementis VIII. reſeruantur. Quæ iuriſdictio per priuilegia regularibus conceſſa,morte Pontificis concedentis nõ expirant, donec à ſucceſſoribus reuocẽtur,& hęc reuocatio debet ipſis religioſis intimari, Ignoranti enim iuriſdictio non adimitur. *Sanchez.lib.3.de matrimonio.diſput.30.numer.13. Reg.lib.1.cap.8.num.105.* Addo etiam quod licet priuatorum priuilegium regulariter per non vſum decennij tollatur,ſecus tamen in regularium priuilegijs cenſcẽdum eſt, cum hæc non priuatim ſingulis fratribus,ſed vniuerſo eorum ordini cõceſſa ſint, ideo ipſi regulares neque ei renuntiare poſſunt, neque pet contrarios actus illis præiudicare. *Abb.in c. cum acceſſiſſent.ext.de conſtitut. Confeſſ. de Priuileg.regul.p.1.cap.3.Gallettus.in Marg.caſ.conſcientia.in v.Priuilegiũ. Nald.v.Priuilegium.n.10.arg. Suar.de leg.lib.8.cap.35. Bonac.item de leg.d.1.q.3. p.8.§.6.* Nec obſtat Decretum illud Sacrę Congregationis,cum declaratione, &c. ab ipſa enim viuæ vocis oraculo reſpõſum eſt mentem Summi Pontificis non fuiſſe,per dictum Decretum tollere priuilegia quò ad abſolutiones regularium, ſed tantum quò ad ſeculares. Non etiam obſtat d. Decretũ,quò ad abſolutiones nuitiorum ante profeſſionem,quia abſolui poſſunt ab omnibus peccatis,& cenſuris ante vel poſt ingreſſum commiſſis,exceptis illis,quę in Bulla Cœnæ Domini continentur, qui tamen ſi ab ordine receſſerint,in eaſdẽ reincidunt D D.infra citãdi. Porro ex Clemen. VIII. Decreto pro religioſis edito, tyronum confeſſiones audiendi cura ſoli eorum magiſtro committi debet,ſed ſemel vel bis in anno Superiori,vel alteri delegato id licebit,qui tñ ſemper à caſibus in eadem religione reſeruatis eximuntur. *Miranda.tom.2.quæſt.34.artic.16. Molfeſ. tract.7.cap.14.numer.9. Alex.Pereg.in ſcholijs ad Comp.Priuileg.Congreg.cler.regul.in v.abſolutio.* quò ad fratres, *& in tract.de Duello.q.37.num.13. & ſeq. idem Molfeſ.l.c.cap.21. num.19.*

QVAESTIO XXXI.

VTRVM EPISCOPI, ET EORVM VICARII à caſibus Papalibus occultis,vel etiam manifeſtis ex cauſa abſoluere valeant, &c.

AN Epiſcopi,& eorum Vicatij, & etiam Pęnitẽtiarij, & alij cõfeſſarij delegati,poſſint abſoluere à caſibus reſeruatis Summo Pontifici,quando ſunt occulti per *c.liceat.de refor.ſeſſ.24.* vel quãdo ex iuſto impedimento ad Apoſtolicam Sedẽ facilis nõ patet aditus, vt ſi pęnitentes ſint ſenes, pueri,mulieres, valetudinarij, pauperes,& hmõi, iuxta *cap.de cætero.c.noſcitur.ext.de ſent.excõicationis?* R. Quò ad primã partem dubitationis dico *ex d. c. liceat,* licere Epis in foro conſcientiæ, in irregularitatibus, & ſuſpenſionibus, ex delicto occulto prouenientibus, excepca ea, quæ oritur ex homicidio voluntario,& exceptis alijs deductis ad forum contentioſum,diſpenſare,& in quibuſcunque caſib.occultis etiã Apoſtolicæ Sedi reſeruatis, delinquentes quoſcunque ſubditos,in ſua diœceſi per ſe ipſos, aut Vicariũ ad id ſpecialiter deputãdum abſoluere. Idẽ,& in hæreſis crimine, in eodẽ foro conſcientiæ, eis tantum,& non eorum Vicarijs permitti.hæc ibi.

Pro cuius capitis intelligentia,nonnulla breuiter notanda ſunt.

Primo, S. Card. Congregationẽ cẽſuiſſe,ab Epo poſſe non tantum Vicario Generali, ſed etiam Pœnitentiario,aut alij confeſſario ad id ſpecialiter deputato abſolutionem dicti *cap.6.* committi. *Sayr.l.4 de cenſ.cap.17.num.19. Suar.tom.5.diſp.41.ſect.2. num.8.Reg.lib.30.tract.2.n.29.Gen.in praxi Neap. cap 67.num.15.Gutier.de matrim.c.99.n.21.*

Secundo,dictam facultatem competere capitulo ſede vacante, Item Archiepiſcopo dum viſitat,& Prelatis exemptis,Epiſcopali iuriſdictione fungentibus, Item Superiorib. religionum erga religioſos ſibi ſubditos: Imò ijſdem Epiſcopis,ſi à ſuo Prælato eis in hunc finem ſubijciantur. *Sayr.l.c.lib.7.cap.7. num.23. Sanchez.lib.8.de matrimonię.diſp.2.n.13. Rod.tom.1.quæſt.01.art.9.Beia.p.4.reſponſ.caſ 37. Barboſa.in d.cap.6.Reginal.d.num.29.*

Tertio,cum ibi ſit mẽtio de delictis occultis,non eſſe intelligendum de criminibus mentalibus, cum irregularitas,& cẽſuræ pro peccato pure interno ſta tui nequeant. Vnde loquitur primo de caſibus occultis, qui ſua natura probabiles ſunt, ſed probari non poſſunt, cum nemine aſtãte ſint perpetrati. At *Sot.in 4.diſt.12.q.1.art.6.& Henriq.de excommunicatione.cap 5.* quodnam dicatur occultũ,vel publicum iudicio boni viri relinquendum aſſerunt.

Secundo, de his delictis, quæ non ſunt publica, vel notoria,&t ſi per multos teſtes,vt quimq; vel ſex probari poſſint, ſufficit enim non eſſe diuulgatum. Tertio, licet publice conſtet de actu,qui eſt delictũ, tamen non cõſtat publice actum illum eſſe delicto affectum:& ex aliquorum ſententia,licet in ſe ſit publicum, tamen vt cenſuræ ſubiectum eſt, dicitur occultũ,vt quia nõ publice ſcitur ob tale facinus cenſuram cõtrahi,etiam ſi duo, vel tres id notint. *vt ex Sanchez.Reginal.& alij,ait Bonacin.d.1. de legibus. q.2.p.2.num.7.Nau.cap.27.num.255.Nald.in ver. cenſura.num.11.* Quarto,occultum dicitur,quod & ſi in iudicium ſit deductũ,nõ tamen eſt probatum, vel &t deductum, & probatum, ſed ipſum iudicium eſt finitum, & punitum eſt delictum. Quinto,& ſi

constet de corpore delicti, non tamen de eo qui delictum commisit. Sexto, Delictum occultum dicitur etiam si socius criminis sit ibi tractus. Septimo, si coram legitimo Iudice non sit facta citatio, vel delatio. Octauo, secundum aliquos, & si delictũ sit alicubi publicum, vbi vero absolutio petitur, sit occultum. *Sanchez. lib. 2. de precept. cap. 11. num. 20. Auila. de censf. p. 2. cap. 7. disp. 1. dub. 11. Duardus in Bulla Cœna Domini. lib. 3. §. 2. q. 11. num. 10.*

Quarto, notãdum, Episcopum non posse dispensare in irregularitate, quæ prouenit ex defectu natalium, sed bene vt in ordinibus bona fide susceptis ministrare possit is, qui ob occultum crimen matris coniugatæ, legitimus filius habebatur. Non etiam in ea, quæ ex defectu perfectæ lenitatis, vel ex homicidio iusto descendit. *vt ex Nau. Caiet. & Henriq. ait Gen. num. 7. Reginal. nume. 29.*

Quinto, quod licet irregularitas ex homicidio, & mutilatione nascens, æquiparentur, quò tamen ad dispensationem discrepant, nam in oriente ex mutilatione, Episcopo dispensare integrum est, nõ autem in ea, quæ ex homicidio voluntario cõtrahitur idest ex eo quod per se, & directe est initum, seu ex proposito fit. *Suar. tom. 5. d. 44. sect. 1. & d. 45. sect. 2. Sayr. lib. 7. cap. 7. num. 5. Vasquez. 1. 2. d. 10. n. 39. Garzias. de benef. p. 7. cap. 11. num. 29.*

Sexto, nomine subditorum Episcopo cõprehendi peregrinos, vagos, Scholasticos, mercatores, &c, idque ex cõi vsu, & si nõ expressa, saltem tacita suorum Superiorum licentia, cum scilicet id vident, & non reclamant, sed tolerant. Item religiosos exemptos, si ex Prælati licentia, vt dixi, subdãtur pro aliquo casu Episcopo. *Garzias. p. 1. 1. cap. 10. num. 139.*

Septimo, per illa verba in diæcesi, non restringi facultatem Episcopis concessam, quin quò ad irregularitates, & suspẽsiones, eã extra diæcesim exercere nõ valeãt; Sed illa limitatio quò ad absolutionem à casibus reseruatis adhibita est; & si nihil obstet, quin excommunicationem etiam in absentia Episcopus ipse tollere possit. *Nald. in v. absolutio. à peccatis. num. 9. Barbosa. in d. c. 6. num. 18.*

Octauo, dum per Concilium cõceditur facultas in foro conscientiæ, per illud nõ intelligi forum sacramentale audita .s. confessione, sed id tantum denotari, vt absolutio pro foro externo non prosit, si contingat casum iu iudicium deduci. *Sanchez. l. c. c. 11. num. 13. Lazar. de monit. sect. 4. quæst. 15. Suar. libr. 8. de leg. cap 6. num. 16.*

Nono, authoritatẽ à Concilio concessam ad absoluendam hæresim, esse per Bullam Cœnæ Domini reuocatã, adeo vt nec virtute Iubilei, vel Cruciatæ concedentis vnicuique confessario casus in d. Bulla Cenæ Domini, nec hæresim exprimentis, absolui valeat. *vt infra cap. 6. quæst. 35. Garzias. l. c. n. 115. idem Sanchez. l. c. num. 27. & cap. 121. nu. 10. Regna. 3. par. Direct. 9. quæst. 2. Comment. 141. Azor. p. 1. lib. 8. cap. 19. quæst. 3. cap. 10. quæst. 10. Suarez. tom. 4. d. 30. sect. 2. Leonar. Duard. l. c. numer. 43. Franc. Leo in Thes. fori. eccles. p. 3 c. 37. n. 47.* Vt tamẽ ipse ibi notat, suspectos de hæresi, vt sunt blasphemias hæreticales euomẽtes, & alia per petrantes, quæ læuem, vehementem, aut violentam suspicionem inducunt, poterit Episcopus, & eius Vicarius Generalis legitima facultate suffultus, in foro cõscientię tantum absoluere, ex dispositione d. Concil. Trid. *cap. 6. de refor. sess. 14.*

QVAESTIO XXXII.

AN A' CASIBVS PAPALIBVS MANIFEstis, & publicis absoluere Episcopus valeat, quando excommunicatus est impeditus, quominus Apostolicam Sedem adire possit.

QVod attinet ad alterum supra firmatæ quæstionis caput, quæritur, an sit vsquaque verum, Episcopum, & ab eo authoritatẽ habentem, posse absoluere à casibus Summo Pontifici reseruatis, etiam si publici sint, & in Bulla Cœnæ Domini cõtenti, vt si v. g. quis sciẽter legisset libros prohibitos, ex professo de religione tractantes? R. Huiusmodi excõmunicatione irretitum, si ita impedimẽto aliquo iusto detentus est, quominus Sedem Apostolicã adire possit, vltra Inquisitorẽ, à proprio Epõ, vel ab eo deputato absolui posse. Quam facultatẽ habet Eps tãquã delegatus à lege, vel potius ea potestate ordinatia, à lege ipsa sibi concessa *cap. ea noscitur. cap. de cætero. ext. de sent. excommunicationis. Sanchez. lib. 2. de matrimonio. disp. 40. nu. 3.* Imò *Alterius in explicat. Bulla, & Duard. lib. 3. §. 2. q. 8. num. 53.* tenent, hanc eandem facultatem habere, quemlibet simplicẽ sacerdotem, si causa necessitatis vrgeat, nec pœnitens possit ad obtinendum absolutionis beneficium, Romam petere *ex cap. nuper. de sent. excommunicationis.* Quod duabus conditionibus appositis verum esse intelligitur. Primo, vbi ab Episcopo talis absolutio peti nõ posset, secus si posset, quia tunc nulla necessitas subesset, vt à proprio sacerdote, vel confessario absoluatur, &c. Secundo, vt sit extra Italiam, quoniã facultas absoluendi impeditos est sublata sacerdotib. intra Italiam, extra vrbem degentibus, etiam in casu necessitatis, & impedimenti. Addunt alij, prędictæ primę assertioni locum esse, quando absolutio à Legato à latere Summi Pontificis obtineri nõ valet, aliàs si à Legato impendi absolutio posset, hac facultate non gauderet Episcopus. Quod tamen nõ necessarium esse extra casum sacrilegæ percussionis Clerici probabiliter. *ait Duard. num. 56.*

Quæ pariter supra firmata positio locum habet, etiam

etiam si in reseruatione excõmunicationis dicatur, quod ab alio absolui non possit, nisi in mortis articulo; nam non obstante tali verborum tenore, communi vsu Episcopis concessum fuit, posse excommunicatione papali illaqueatum absoluere, siue in illam excommunicationem, ob enormem Clerici percussionẽ, seu aliam ob causam quis inciderit, &c. nam si in tàm graui casu, vbi Dei ministri offenduntur, ab alijs permissum est, vt absoluantur, ergo multo magis in alijs casib. id concessum esse debet, ne isti pœnitentes Episcopo subditi spirituali remedio destituti remaneant. *Sanchez.l.c.Henriq.lib.6.de pœnit. cap.16.num.1. Duard.l.c.num.9. Bonac.de cens.disput.2.quaest.6.nu.15.Vinal.de absol.num.14.Nald. infra citandi.* Pereg. *de Duello.quaest.37.num.7.contra* Reginald.*p.1.lib.1.num.*260. Addunt multi, ex euidenti, & necessaria causa, quæ merito Superiorẽ moueret, Episcopum in iure Canonico, & Decretis Põtificijs dispẽsare posse, vt in impedimẽtis matrimonij, tàm ante coniugiũ, quàm post ipsum cõtractum, dum ad Summum Pontificem ob paupertatem, vel scandalum, vel ob alia legitima impedimenta aditus non patet. *vt per Rebuffum. in sua Praxi.benef. tit.Dispensatio.ad plura beneficia.num.*26. *Nald.v. Dispensatio.nume.*12. *Salas.de legibus.d.*20.*sect.*3. *num.*27. *Sanchez.lib.*2. *de matrimonio.d.*40. *& l.*4. *de præcept.cap.*40. Molfes.tract.4.capit.12 *num.*32. Menochius.*cõs.*597.*Tusch. v.Episcopus. concl.*276.

Prædicta assertio ampliatur etiam si excommunicatus procuratorẽ mittere, vel literas scribere possit, cum ad id lege non astringatur. Nau.*cap.*27.*numer.*90.*Vgol.de cens.* Tab.1.*cap.*4.§.5.*num.*13.*Sayr. de cens.lib.*3.*cap.*28.*num.*38. *Henriq.l.c.cap.*9.*num.*7.*Pereg.num.*9. *Sà in v.absolutio. ab excommunicatione.num.*8. *Roder.in summa.p.*1.*capit.*80.*num.*18. *Nald.v.excommunicatio.num.*34.

Excipitur tamen ex nonnullorũ sententia, quando excõmunicatione irretitus, qui ad Apostolicam Sedem accedere nequit, Legatũ à latere, vel alium, qui absoluendi ab huiusmodi excommunicatione priuilegio muniretur, adire facile posset. *Nau.num.* 89.*Sanchez.num.*8.*Sayr.num.*39.*& alij.* Aliquibus tñ, vt dixi, & hoc rigorosum videtur; cum ex cõi regula, quoties absolutio excõicationis Papę reseruatæ ppter occurrentem necessitatẽ inferiori cõceditur, hoc regulariter ad Episcopum pertineat, &c. *Henriq.d.c.* 10,*n.*1.*Duard.q.*8.*num.*57.*& alij.*

Verum quia impedimẽtum põt esse perpetuũ, & tẽporale, si erit tẽporale impediti sub iuramẽti cautione spõdere debent, vt cessante impedimẽto, Romanam curiam petant, ipsius mandatum humiliter suscepturi; quod si arbitrio boni viri, temporis spatio interposito, adimplere neglexerint, in eandẽ excõmunicationem reincident. *iuxta.cap.eos.de sent. excom.lib.*6.*Sayr.num.*36. Excõmunicatus tamen si absoluatur, eo quia perpetuo, & incurabili morbo laboret, qui ab itinere ad Romanam curiam suscipiendo excuset, si postea, vt dicunt, miraculosè post absolutionem conualescat, Romam petere non tenetur, vt sentit. *Syl.ab omnibus receptus.v.absolutio.* 4. *numer.* 3. *casu.* 6.

Porro Canonica impedimenta propter quę diœcesanus Episcopus à casibus Papæ reseruatis etiã in Bulla Cœnæ Domini contentis absoluere valet, est Senectus, cum.s.senex ratione ætatis arbitrio maxime Epi, periculosè tale iter aggrederetur. Infirmitas non solũ incurabilis, vel periculosa, sed etiam leuis, at molesta, vt podagra, febris quartana, &c. Paupertas, vt in eo, qui ex suo artificio vitam transigit, qui si iter ageret, sibi, & suę familiæ cõsulere nequiret, Inimicitia capitalis, si videlicet Romam sine vitæ periculo adire pœnitens non potest. Subiectio, vt filij familias, vel famuli, qui alterius potestati subduntur. Mulieres, etiã si diuites sint, quas vagari non conuenit, & huiusmodi alia impedimenta, quæ Episcopus in casu cõtingenti, an legitima sint diiudicare debet. *Sayr.d.cap.*28 *num.*9.*Bonac.disput.*2. *quaest.*4.*puncto.*5.*Pereg.d.quaest.*37.*num.*12.*Duard. quaest.*10.*Reginal.lib.*1 *cap.*19.*num.*239.*Sà in verbo.absolutio.ab excommunicatione.num.*8.

QVAESTIO XXXIII.

QVAM FACVLTATEM HABEAT confessarius in excommunicationibus non reseruatis, &c.

QVam potestatẽ habet confessarius in excommunicationibus etiam Papalibus, si nemini reseruatæ reperiantur, vel etiam si reseruatę fiot, attamen ignotæ sunt, vel consuetudine abrogatæ? R. Dico ex cõi opinione, quemlibet confessarium ab excommunicatione iuris nemini reseruata absoluere posse, *ex cap.nuper.extr.de sent.excommunicationis.* Vbi illa regula desumitur, quod cum conditor Canonis excõmunicationis absolutionem sibi non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem alijs relaxandi, vt v. g. inter alia constat ex excommunicatione lata contra raptores in *Concil.Trid.sess.*24. *cap.*6. Et contra docentes, non esse necessariã sacerdotalem confessionem mortalium culparum ante cõionem *sess.*13.*can.*11. In quib. locis cũ non appareat ex verbis, cõditorem Canonis absolutionẽ sibi asciscere, liberandi ab his facultatẽ cuilibet confessario concessisse censetur. *Nau.cap* 27.*num.* 39.*Tol. lib.*1.*cap.*16.*Suarez.tom.*5.*disp.*7.*sect.*7. *Auila.p.*2. *cap.*7.*dub.*4. *Reg.lib.*9.*num.*13. Idemque dicẽdum est de generali excommunicatione ab homine lata; nam latæ à Canone nemini reseruatæ æquiparatur. *Sayrus, de cens.libr.*2.*cap.*19.*numer.*5. *Lazarius.de*

monit.sect.4.q.13.n.2.Mar.Ant.lib.1.var.resol.resol. vlt.casu.37. Idem quoque statuendū est de sententijs generalibus latis ab Episcopis. Vicarijs, Inquisitoribus, & alijs Prælatis regularibus, vt sunt Generales, vel Prouinciales Præfecti, Abbates, Priores, Præpositi, Custodes, & alij huiusmodi monasteriorum, vel collegiorum totam curam, & administrationem, cum iurisdictione gerētes; nam si huiusmodi Prælati censuras latas sibi non reseruant, earum absolutio cunctis confessarijs animarum Iudicibus cōmunis est, modo in foro pœnitentiali, hoc est audita cōfessione, hoc agant; nam in foro conscietiæ, vel contentioso non potest simplex sacerdos ab excommunicatione non reseruata absoluere, cum hoc ad proprium Prælatum spectet. s. Papam, Episcopum, capitulum Sede vacāte, & quemcunq; alium Prælatum exemptum ecclesiæ secularis, vel regularis, qui iurisdictionē quasi Episcopalem habere dicitur. Lazar.l.c. Duard.num.6.

Ad 2.q. dico, integrū esse cuilibet cōfessario, absoluere ab illa excōmunicatione, etiam Papali, quæ cum admodū vetus sit, vel à paucis cognoscitur, vel vsu abrogata est, qualis est illa Greg. XIII. constit. 38. lata contra quoscunque sal exterum in vrbes, & oppida, locaq; Sedi Apostolicæ subiecta importantes, &c. cuius meminit Gambarupta. de cas. reser. c. 7. nu. 38. Nec enim dubium est, multas leges etiam canonicas, vtentium moribus non esse receptas, ac proinde non obligare. Syl. in v. lex. num. 6. Azor. p. 1. lib. 5. cap. 18. & 19. Vsual. in cand. aur. p. 4. cap. 5. Zerul. in praxi. pœnit. cap. 8. q. 5. Nau. conf. 1. de constitut. q. 5. & 6. Suarez. in tract. de legibus. l. 4. cap. 26. Carbo. pariter. de legib. lib. 3. disp. 10. Alciat. de Præsump reg. 3. præsump. 31. Menoch. l. 2. præsump. 3. n. 11.

QVAESTIO XXXIV.

VTRVM CONFESSARIVS ABSOLVERE possit pœnitentem, qui cum deliquit, casum esse reseruatum ignorauit.

AN cum pœnitens ignorauit casum esse reseruatum, vel super delictum quod admisit, latam esse excommunicationem, fas sit cōfessario ipsum absoluere? R. Omissis varijs ignorātiæ diuisionibus, de quib. postea suo loco, dicimus, Habentem casum reseruatum, quem actum, cum perpetrauit, non mortalē esse credebat, vt si v.g. quis bona fide, & recta intentione, accessit ad monialium monasterium, & aliquam affinem, vel consaguineam honeste alloquutus est, credens se per hoc non peccare, tunc cum solum mortale peccatū reseruetur, & iste ob bonam fidem ab illo sit immunis, à quolibet exposito cōfessario absolui poterit. Est namq; verior, ac communior illa generalis assertio, Ignorantiam legum humanarum, modo non sit crassa, vel supina, & adsit bona fides, à lethali culpa excusare; & ratio ab ipsarum legum benignitate desumitur, quæ non adeo strictam, & rigorosam obligationem inducere intendunt. Imò ignorans non solum non peccat, sed neq; etiam (vt infra dicam) regulariter in excōmunicationem, & in alias censuras incurrit. Cou. in 1. p. §. 10. num. 10. de sent. excom lib. 6. Lorca. de peccatis disp. 33. Possevinus. de officio. Cur. c. 7. num. 49. Sanchez. lib. 9. de matrimonio. disp. 32. nu. 18. & in summa. lib. 1. capit. 17. num. 20. Reginal. lib. 11. num. 30. Bonac. de leg. d. 2. q. 8. p. 3. num. 22. Et ignorantia iuris, & facti si sit inuincibilis, iusta & non affectata, vel crassa, in foro conscientiæ, & externo excusat; siquidem nō oēs humanas leges, & statuta scire possunt, ac tenētur. Hinc qui ignorat legē prohibētem frumentum vendi vltra pretium à lege definitū, nec peccat, nec restituere tenetur. Vasquez. 1. 2. disp. 123. cap. 2. Sayrus. in claui reg. lib. 2. cap. 9. numer. 20. Et statutū iubens, eum cui delata est hæreditas, debere intra sex menses adire, vel repudiare, aliàs pro hærede non habeatur, non habet locū in eo, qui delatam sibi hæreditatem ignorat. Et hæres grauatus aliquid implere sub pœna priuationis à die mortis testatoris, non priuatur, si ignorat, cum ignorantia iustum impedimentum præbeat. Baldus. lib. 4. consf. 145. Rom. cōs. 409. Tusch. v. ignorātia. concl. 17. & 20. Secus vero dicendum videtur, quando quis cōmisit actū à iure naturali, & diuina lege interdictum, vt quia impie atroces, vel hæreticales blasphemias in Deum, vel Sanctos coniecisset, incestum, vel nefandum crimē perpetrasset, &c. tunc enim reseruationis ignorantia illi non suffragaretur: Sicut ignorantia iuris naturalis, & diuini fornicationem v. g. prohibentis, à mortali peccato excusationē non parit; in quo etiam rusticitati non parcitur. Sanchez. l. c. cap. 16. num. 10. Tiraq. de temp. pœnis. causa 11. Farinac. eodem. tract. q. 98. causa. 11. Tusch. v. rusticitas. concl. 372. Atque sic intelligi debet, quod ait Vgol. de officio. Episcopi. p. 2. cap. 39. num. 1. cum tenet, reseruationem ignorātem afficere, quidquid sit de excōmunicatione, eo quod ipsa reseruatio pœna non est, & idcirco non odiosa, cum per eam quis ecclesiæ suffragijs non priuetur, sed solum superiorem Iudicē adire cogatur, qui & ordinarius eius Parochus est. Insuper per reseruationē Parochi, & confessarij iurisdictio adimitur, idcirco nihil interest; an pœnitens sciat nec ne, hæc ille.

Quò vero ad excōmunicationem, dico regulariter eum, qui ex ignorantia, bona fide, obliuione, incogitātia, inaduertētia, aut ex imperfectione actus, vt ex primo, vel secūdo motu, in actum prohibitum sub excommunicationis pœna ipso facto incurrendæ incidit, excōicationis vinculo nō ligari, qđ procedit etiā si quis scienter ageret aliquid iure diuino,

vel

vel naturali vetitum, ignorans ius cõmune Canonicum illum sub pœna anathematis prohibere, vt de magis recepta, æquiori, & mitiori opinione concludit. *Azor. p. 1. lib. 1. cap. 15. quæst. 3. Sayr. lib. 1. de censur. cap. 18. & lib. 3. cap. 27. nu. 34. Val. tom. 4. d. 7. q. 17. p. 7. Bonac. d. 1. quæst. 2. p. 1. num. 6. Carbo. lib. 8. de legibus. disp. 13. Reginald. lib. 13. num. 270. Graffius. l. 4. decis. aur. cap. 9. num. 14. Lazarius. de Monit. sect. 4. quæst. 16. num. 11. Coninch. de censur. disp. 13. dub. 11. Zerula in praxi pœnit. c. 8. quæst. 5. Suar. tom. 5. disp. 22. sect. 1. Pereg. de Duello. quæst. 8. num. 33. Duard. in Bulla Cœna Domini. lib. 1. cap. 5. quæst. 2.* Secus vero dicendum de legibus positiuis, quæ frequentissime omnib. notæ sunt, vt v. g. est lex excommunicationis lata cõtra percutientem Clericum, & præceptum non comedendi carnes, vel lacticinia tempore quadragesimę, &c. Cum enim hæc iura omnibus innotescãt, ideo nemo inuincibilem eorum ignorãtiam prætendere potest. *Sot. in 4. dist. 22. quæst. 1. artic. 2. Sayr. in cler. reg. d. num. 20. Graffius. l. c. nu. 22. & alij.* Ignorãtia vero, quæ non sit affectata, & crassa non præsumitur. *cap. præsumitur. de reg. iur. in 6. Menoch. libr. 6. de Præsumpt. præsumpt. 23. Mascard. de Probat. concl.* 881. Quæ postmodum in foro interiori per simplicem assertionem probatur, cum dicto pœnitentis pro se, & contra se fides habeatur. At in foro externo probatur. Primo per iuramentũ. Secũdo ex facto, cui necessario coniuncta est ignorantia, vt si erat infans, &c. Tertio à verisimili, vt in absente, & huiusmodi. *Tusch. v. ignorantia concl. 22. Molfes. tract. 8. cap. 8. num. 35.*

CAP. VI.

QVÆSTIO XXXV.

QVAM FACVLTATEM HABEANT confessarij in extraordinaria Iurisdictione, quæ in Iubileis datur, præsertim circa hæresim, &c.

Quæritur quam facultatem habeant confessarij in extraordinaria iurisdictione, quę in Iubileis à Papa illis cõmittitur, v. g. An Papa in Iubileis, & huiusmodi gratijs, cõcedens facultatem absoluendi ab omnibus casibus, etiam in Bulla Cœnæ Domini reseruatis, censeatur etiam hæresis absolutionem impertiri? R. Non censeri, nam in generali concessione omnium Pontificiarum censurarũ, quæ vel in Bulla Cœnæ Domini continentur, non intelligitur comprehensa absolutio excommunicationis propter hæresis labem contractæ, nisi id specialiter, & clare exprimatur. Atq; multi referunt, Pium V. sic declarasse, & sic ex stylo curiæ seruari. *Simancas. in Instit. Cath. tit. 3. nume. 2. Cou. in cap. alma mater. p. 1. §. 11. num. 15. de sent. excommunicationis. in 6. Nau. cap. 27. num. 275. Azor. p. 1. lib. 8. c. 10. quæst. 12. Suar. tom. 5. de censur. disp. 7. sect. 5. num. 12. Sanchez. lib. 2. de præceptis. capit. 12. num. 10. Farinac. de hæresi. quæst. 192. num. 63. 10. à Chap. de cas. reser. cap. 4. diff. 4. Auila de censur. p. 2. disp. 1. dubit. 7. Duard. in Bulla Cœnæ Domini. lib. 3. §. 2. quæst. 8. numer. 6. & 7. & dixi in Comment. de cas. reser. p. 1. c. 5.* Licet etiam probabilem contrariam sententiam esse aliqui afferant, quando hæreticus esset occultus, & emendatus, & præcipue, dum hæresis alijs perniciosa non sit, de qua necesse foret Summum Pontificem ad ecclesiæ ædificationem informari, si salua sacramentalis sigilli religione fieri posset, &c. *Molfes. tract. 7. cap. 21. n. 62.* Conueniunt etiam omnes, confessarium vi Iubilei extra Sacramentum pœnitentiæ non posse à censuris Papæ reseruatis absoluere, sed solum audita pœnitentis cõfessione id facere posse si id exprimatur, vt infra dicam, & de cõmuni testatur. *Vasq. de excom. dub. 20. Suarez. de censur. d. 7. sect. 5. num. 31. & Molfes. l. c. num. 59.* Et quò ad vota *Bonac. de voto. d. 4. q. 2. p. 7. §. 3. num. 16.*

QVÆSTIO XXXVI.

AN VIRTVTE IVBILEI IN QVO conceditur facultas absoluendi ab omnibus censuris, confessarius possit dispensare in irregularitate.

An si in Bulla Iubilei tribuatur facultas absoluendi ab omnibus casibus, & censuris, & pœnis Summo Pontifici reseruatis, possit confessarius dispensare in irregularitate, tã ex homicidio, quàm ex alia causa prouenienti? R. Quotiescunque in Iubileis, & Apostolicis cõcessionibus apponitur, quod per illas possit quis absolui ab omnibus censuris, & pœnis, numquam sub tali concessione intelligitur cõmissa dispẽsatio irregularitatis, nisi Bulla id clare exprimat, & est communis opinio, cui Romanæ Curiæ stylus, & praxis fauet, cui in moralib. innitendũ est. Quod etiam illa ratione comprobatur, quod irregularitas non est neque casus, neque censura, nec pœna, sed potius quoddam Canonicũ impedimentum, ex facto, vel defectu proueniens, quo quis ad ecclesiasticos ordines promoueri, & in eis iam promotus ministrare prohibetur. Cui quoq; illa additur ratio, quod dispensatio in irregularitatibus non est in foro pœnitentiæ necessaria, cum ab omnibus quis possit absolui peccatis, etiã si irregularitas minime tollatur. *Caiet. in v. irregularitas. Nau. cap. 27 num. 254. Maiol. lib. 5. de irregularitate. cap. 51. Sot. lib. 5. de Iust. & Iu. quæst. 1. artic. 4. Vgual. in Cand. aur. de dispens. quo ad fratres. num. 6. & 7. Sayrus. in claui reg. lib. 1. cap. 1. num. 6. & lib. 6. de censur. cap. 14.*

Eadem ratione, quidquid aliqui dixerint, &

si à casu incestus Episcopo reseruato eodem tempore Iubilei absolui e liceat, non tam n subinde concedendum est, licere dispensare super iure petendi debitũ, quo alter coniugum ob fornicariã, & adulterinam copulam se priuauit, &c. *Sanchez. libr. 8. de matrimonio. disp. 15. num. 13.* Vbi tamen nõ est consuetudo, vt dispensatio petatur, non opus est illa, sicut nec in eo, qui ecclesiæ prohibitionem nescit. *Io. Chap. de cas. reser. cap. 14. q. 3. Sà in v. debitum. n. 13.*

Vbi vero dispẽsandi cõsuetudo viget, pręter Episcopum, & eius authoritate fungẽtes, religiosi confessarij virtute suorũ priuilegiorũ super illud dispẽsare possunt. Atq; idem in foro conscientiæ ad eundem effectum eis facere licet cum ijs, qui post simplex castitatis votum, matrimonium cõtraxerint, vt per eundem *Sanchez. l. c. d. 16. & Molfes. tract. 4. capit. 12. num. 41.* Item clausula illa in Iubileis poni solita, vt confessarius à pœnis ecclesiasticis absoluere valeat, de illis intelligitur, quę illã indulgentiã consequi impediunt, cuiusmodi sunt illæ, quę per pęnitẽtiales Canones præscriptæ sunt, secus de pecuniarij, &c. *Reg. lib. 8. nu. 54. Molfes. tract. 7. cap. 21. num. 64.* Obseruat etiam *Suarez. tom. 2. de relig. l. 6. c. 20. nu. 19. & Bonac. de leg. d. 4. q. 11. p. 7. §. 4. nu. 18. contra Nau. de voto. cons. 31.* Habentes facultatem commutandi votum posse etiam commutare pœnam, quam vouens ob voti violationem subijt.

Secũdo dico, qđ si in aliqua Bulla, vel Iubileo facultas dispẽsandi in irregularitate tribuatur, nõ intelligitur cõcessa irregularitas homicidij volũtarij, & bigamię, quia in generali cõcessione ea nõ cõprehenduntur, quæ S. Põtifex solet sibi speciali iure reseruare. *cap. in generali. de reg. Iu. in 6.* Vt de eodem stylo curiæ testatur. *Viual. de irregularit. n. 332. Reginal. l. 30. tract. 2. num. 24. Molfes. l. c. n. 58. & alij.*

QVAESTIO XXXVII.

AN PECCATVM OBLITVM RESERVATVM per absolutionem ab alijs peccatis, reseruati naturam exuat, &c.

Quid si quis confiteretur tempore Iubilei, animo illud consequendi, & obtinendi absolutionem ab omnibus casibus, & dispensationem super irregularitatibus, votis, &c. an si ob obliuionem aliquod horum exprimere omittat, & postmodum transacto Iubileo, hoc in eius mentẽ reuocetur, possit à quolibet confessario absolui, & dispẽsari? R. Vtique, quia hęc per prædictã confessionem reseruatorum naturam exuerunt. Quod ex multorum sententia, quidquid quò ad votorum dispensationem aliqui senserint, procedit etiam si post confessionem nõ sit Iubileum adeptus, quippe qui alia requisita non perfecerit. *Graffius. lib. 4. decis. aur. c. 15. num. 3. & 35. Sanchez. lib. 8. de matrimonio disp. 15. num 16. & 21. Beia p. 3. casu. 22. Coriol. de cas. reser. p. 1. sect. 3. ar 17. Molf. tr. 7. c. 16. n. 11. Bonac. d. 5. q. 7. p. 5. vt etiam dixi infra q. 37.* Quę sanè doctrina deseruit etiam pro religiosis, qui in visitationibus, & generalib. comitijs, à suis Prælatis à Censuris absolui, & super irregularitatib. dispensari solent, quia cum prædicta ad memoriam venerint, iam ea confiteri nõ tenentur, nisi quò ad peccata, si quæ interfuerint, quæ tamen iam reseruata non sunt. *Sayrus. lib. 7. de cens. cap. 14. numer. 9. & in claui regia. lib. 6. cap. 12. dub. 3. Henriq. de Indulg. d. cap. 11. num. 4. & de Irregularitate. cap. 17. Suar. tom. 4. disp. 31. sect. 4. & to. 5. de cens. disp. 7. sect. 5. Nau. c. 26. nu. 13. & alij.* Atque idem eadem ratione dicẽdum videtur, cum pœnitens aliquod mortale peccatũ reseruatũ subticuit, ex cuius confessione aliquod malum, vel scandalũ probabiliter secuturũ timebat (quatuor enim ab ipso pœnitente metui possunt, vel certi peccati reuelatio, vel confessoris ruina, vel mors aliena, vel cõplicis infamia) vt scilicet si coram Superiore v. g. Pœnitentiario, animã suam expiando aliquod peccatum reseruatũ ob vnam ex his causis celauit, inferiori postea sacerdoti confitendo, possit ab ipso casu reseruato absolui, cum reseruationis tunc naturam exuisse videatur. Cum vbi eadem est ratio, idem ius sit constituendũ; & lege vel Doctore aliquo occurrentem non decidẽte casum, ab aliquo simili resolutio sumenda sit. *l. non possunt. ff. de legibus. Euerard. top. legal. in loco à simili. Nald. verbo lex. nu. 4.*

QVAESTIO XXXVIII.

AN NOMINATIM EXCOMMVNICATVS virtute Iubilei à quolibet confessario absolui possit, &c.

AN si quis vi literarum monitorialium, vel alia de causa à Iudice ecclesiastico fuerit anathemate perculsus, & nominatim denuntiatus, absolui possit à confessario in foro pœnitentiali, virtute Iubilei, quo datur potestas absoluendi à peccari, & censutis Apostolicæ Sedi reseruatis? Et an talis absolutio possit extra actum sacramentalis cõfessionis dari? R. Posse, modo prius ea adimpleat, & seruet, quæ ipsum Iubileũ pręscribit, ita vt postea nec ecclesiæ suffragijs, nec Sacramentorum participatione priuetur. Quæ tamen absolutio solum in foro interiori, seu pœnitentiæ prodest, ideo in foro exteriori, vt nõ absolutus, & vitandus habẽdus erit (si res manifesta, & notoria sit) donec ab excommunicatore, vel ab alio eadẽ authoritate suffulto, beneficio absolutionis donatus sit: cum absolutio in pœnitentiali iudicio impensa solum quò ad Deum, & pœnã ęternam, non quò ad temporalem operetur; vt proinde

etiam

etiã vt aliàs à nobis repetitũ est, in foro externo puniri valeat. *Sayrus.l.2. de cens.cap.20.n.29. Lazar. de monit.sect.9.quæst.15. Molfes.tract.7.capit.21. Duard.lib.3.§.2.quæst.1.numer.48.Graffius.lib.4. decis.aur.cap.15.num.18. Gutierez.l.1.can.qq.c.2.* Sic literę, quę à Sacra Rom. Pœnitentiaria emanãt, cum pro foro tantum conscientiæ prosint, post illarum executionem lacerari iubētur, si autem res secreta non sit, apud Datariam in foro quoq; externo conceduntur. *Nau.cons.2.de temp.ord. Graff.cons.1. eodem tit.* Ad secũdam q. dico, aliquib. vider, huiusmodi absolutiones extra sacramentale forum impendi posse, eo qd Principis beneficia latissime sint interpretanda. Imò sæpe expedit, vt ita fiat, vt si reus non sit paratus, vt statim confiteatur, & adsint causæ, ob quas expediat, eum statim absolui. Idemque dici posset, quando ei qui virtute Iubilei, vel alterius Bullæ, vel Priuilegij haberet authoritatẽ absoluendi à censuris reseruatis, non vacaret totã confessionẽ audire; tunc enim ei fas esset, solos casus excipere, qui annexam excommunicationẽ haberent, & tunc ab hac absoluere, & pœnitentem ad alium mittere, qui audita confessione à peccatis absoluerer. Si tamen pœnitens à Superiore, vel à cõfessario Inferiori, vi Iubileiã censuris tantum liberatur, nec postmodum à peccatis absolueretur, valeret absolutio, sed tamen ipse pœnitẽs nõ nisi post absolutionem à peccatis, Iubileum consequeretur. *Auila.2.par.cap.7.disp.3.dub.13. Coninch.de excommunicat.disput.14.dubit.16.num.251. Bonac. de cens. quæst.3. part.6. disput.1. numer.7.& 8.* Quæ sententia admitti posset, nisi ex subiecta materia constet, aliam fuisse concedentis mentẽ, vt si hæc facultas tribuatur auditis confessionibus, siquidem tunc ex communi praxi, censetur solum in sacramentalis confessionis actu concedi. *Duard.l.c. Molfes.tract.7 cap.21.num.59.* Quidquid dicat *Sanchez.in d.disp.34.num.30.* Vbi vero cõcessa facultas expresse non exigat, vt absolutio in foro sacramentali impendatur, vel saltem ex coniecturis id innotescat, potest etiam extra sacramentum absolutio dari, præuia tamen semper satisfactione, si fieri põt, etiam si in ipso Iubileo de ea mentio non fiat, cùm Papa in suis Bullis quemquam lædere non intendat. Quæ absolutio in foro interiori impensa ad hoc proderit, quod si excommunicatio occulta erit, nec ad forum contentiosum deducta, ex vi illius in omnibus actibus seu occultis, seu publicis, vt omnino censura carens homo se gerere potest. Quod si post dictam absolutionem, casum in iudicium deferri contingat, & ex ea constaret, censuram illam contractam fuisse, oportebit, vt in eodem foro de eadem absolutione constet, tùm vt ille tãquam absolutus in iudicio audiatur, & ad aliam absolutionem petendam non cogatur; tùm etiam vt ab alijs pœnis excusetur, quæ propter illos actus infligi possent, si eos post lapsum in censuram non absolutus exercuisset. *Lazarius.Gutierez.& Duard.l.c. Sayr.num.31. Nau cons.51.de sent.excom. & cons.26.eodem tit. Roder.in summa. p.1.cap.83.num.9.& in qq.regul.tom.1.q.61.ar 10.*

Illud insuper hic annotãdum nobis videtur, Per quodcunque amplissimum Iubileum contra ius alterius quemquã absolui posse: & si cum promissione soluendi, ab aliqua cẽsura liberetur, & posteaquàm citius potest, non satisfaciat, in eandem excommunicationem iterũ incidere: sic enim declarauit Pius V. & Greg. XIII. peculiaribus editis Bullis. Propterea cõfessarij in hoc casu magnam diligentiã adhibere debẽt, & etiam aduertere, si totum debitor restituere nequit, ad partem saltem restituendam teneri, vt commune DD. placitum, & recepta praxis comprobat. *Io.Corrad.p.1. quæst.172. Berarduc.in summa.p.3.tit.de excommunicatione.nume.27. Lazar.l.c.sect.4.quæst.4.n.6. Gutierez.l.1.can.qq.c.2.*

QVAESTIO XXXIX.

VTRVM QVI SPE IVBILEI DELIQVIT, absolui possit, & sub qua forma, & vtrum pœnitens à censuris & casibus reseruatis absolutus remaneat, etiam si præcepta in Iubileo nõ adimpleat.

VTrum cõfessarius absoluere queat pœnitentẽ, qui spe Iubilei deliquit. v.g. Antonius audiẽs publicari Bullam, qua cõfessarijs datur facultas absoluendi in foro conscientiæ, seruata consueta ecclesiæ forma, & alijs de iure seruãdis, illos qui extra statum ecclesiasticum frumentũ deferentes, in excommunicationem Sedi Apostolicę reseruatam incidetunt, hoc crimen antea cum nõ admiserit, nunc prætextu Bullæ, & sub spe obtinendæ statim absolutionis, non modo frumentum, sed etiam alia prohibita extra ecclesiasticam ditionẽ vendenda detulit, quęritur, vtrũ vigore dictæ Bullæ absolui debeat, & sub qua ecclesiæ forma, & an remaneat absolutus à reseruatis, etiam si post absolutionem, reliqua nõ præstet, quæ ad Iubilei consecutionem necessaria sunt? R. Supponendo, pœnitentẽ teneri omnia adimplere, quę pro Iubileo cõsequendo in Bulla pręcipiuntur, quæ regulariter tria esse solent. Primo ieiunium quarta, sexta, & sabbatho perficiendum. Secundo, visitatio ecclesiarũ per loci Ordinarium præscriptarũ. Tertio eleemosyna proprio arbitrio iuxta cuiusque vires eroganda. Quæ quidem opera præcepta, si in Põtificio Diplomate in alia opera pia cõmutandi facultas non cõcedatur, in forma specifica adimplenda sunt, nec impossibilitas excusare solet, iuxta illud vulgatũ axioma, Iubileum, & Indulgẽtia tantum valent, quantum sonant. *Reginald. libr.7.num. 176.& seq. Molfes.tract.7.cap.16.n.37.* his inquam

suppo-

suppositis, ad 1. dub. Respondetur, eum qui ex confidentia Bullę, vel alterius priuilegij consequēdi, in casum reseruatum se præcipitauit, posse rite confessum per Iubileum absolui. Quod confirmari potest eodem argumento quo *Caiet. 2. 2. quæst. 21. art. 2.* quem penè omnes recētiores sequuntur, probat, illum non aggrauare suum peccatū, sed minuere, qui sub prætextu peccat, qđ postea confitebitur, & pœnitentiam aget, nempe quia id voluntatis est transitoriæ, & non in malo pertinacis. Vnde ēt religiosis, qui cum spe absolutionem obtinēdi, in censuras, & irregularitates incidunt, absolutio ab eorum Prelatis passim nō denegatur; & multi Clerici admittentes aliqua delicta, sub spe certa, quod à Iudice Laico non punientur, & suis priuilegijs gaudebunt, valide absoluūtur, &c. vt omnes DD. asstruunt. Vbi tamen nonnulli valde probabiliter negant, si cōcedatur Iubileū in vna ex duab. hebdomadis obtinēdū, qui illud in prima consecutus est, nō posse in secūda à casibus reseruatis absolui, si interim in eos inciderit, cum in Iubileis, quæ hōc tēpore emanare solent, facultas illa lucrādi in forma disiunctiua scilicet in prima, vel secunda hebdomada concedatur. *contra Molfes. tract. 7 capit. 16. num. 45. & alios relatos per Bonac. l. infra citand. §. 3 nu. 17.* Multi quoq; DD. eam limitationem huic doctrinæ adhibent, vt semper vera sit, nisi in Diplomate exprimatur, ne spe Iubilei deliquentes eo ad huiusmodi peccata vti possint, quod si nihil excipiatur, in re fauorabili gratia est late interpretanda. Quod ēt in dispēsatione irregularitatū, si circa has facultas detur, procedit, & in absolutione censurarum, & votorū dispēsatione, nisi contrarium, vt dixi, in Indulto declaretur. *Nau. de Iub. notab. 34. & cons. 10. de Priuileg. Graffius l. 1. decis. aur. cap. 13. num. 59. Zerula de Iub. cap. 13. q. 2. Berzon. de anno Iub. lib. 5. cap. 14. dub. 24. Beia. p. 2 respons. casu. 2. Regnald p. 1. lib. 8. num. 34. Molfes. tract. 7. cap. 16. num. 48.*

Ad secundam dubitationem respondetur. Hanc absolutionem extra confessionem dari posse, iuxta tradita in præcedenti quæstione. In qua quidē pręstanda, illa quatuor de iure sunt seruanda. Primo, vt tali excommunicato iuramentū detur, quod ecclesiæ mandatis parebit. Secūdo, si pro culpa, & offensione publica est in eum gladio excōmunicationis animaduersum, astringēdus est, vt prius satisfaciat, si potest, aliàs cautio pignoratitia, vel fideiussoria, vel etiam iuratoria sufficiet. Et quādo absolutio petitur pro solo foro conscientiæ, credendū est reo dicenti, se impotentem esse ad soluendum, in foro vero externo id necessario probare debet, &c. *Tusch. in v. asserēti. cōcl. 536.* Tertio, vt fiat cū ritu, & cæremonia Psalmi pœnitentialis, & humerorum leuis verberationis. Quarto, quando excōmunicatio fuit cōtracta propter enorme aliquod crimen, vt incendium, sacrilegam Clerici percussionem, aut propter ea crimina, quæ in Bulla Cœnæ Domini continentur, tunc ab absoluendo iuramentum exigendū est, quod in posterum huiusmodi crimen non perpetrabit, vt colligitur ex *cap. ex tenore. c. à nobis. el. 2. ext. de sent. excommunicat. cap. pessimam. 23. quæst. 8. & communiter DD. docent.* Quas solemnitates multi graues DD. intelligi volunt de absolutione, quæ in foro externo, ex locorum consuetudine impendi solet: quando tamen absolutio secreto, & in foro pœnitentiali præstanda est, tunc in confessione dicere sufficit, Ego te absoluo à vinculo excommunicationis, quod incurristi propter tale factum, & restituo te Sacramentis ecclesię, &c. Quamuis cum commodum est, & vacat, cōsultius est, pluribus cæremonijs vti, vt reus sui vinculi grauitatem magis apprehendat, cum illarum vsus valeat ad terrēdum, ad pudefaciendum, confundendum, atq; ad augendū ipsius patientiæ meritum, *Beia p. 2. respons. casu. 2. Hēriq. de excommunicatione. cap. 29. num. 4. Auila. de cens. p. 2. capit. 7. disp. 2. dub. 2. & 3. Coninch. de excommunicatione. disp. 14. dub. 16. n. 203. Reg. l. 9 n. 74. et seq.*

Ad Tertiam quæstionē dico, rite absolutum remanere, si tunc præscripta opera adimplere intēdebat, nam dum initio hebdomadæ confessus est animo præstandi cætera ad Iubilei consecutionem necessaria, & ab electo confessario casuum reseruatorum, & excommunicationum absolutionem, votorumq; dispensationem, vel commutationem obtinuit, vtique absolutione completa, & à peccatis absolutus remanet, & ipsorum votorum commutatio effectum suum sortitur, nec per nouum lethale peccatum remissa reuiuiscunt; nec sic agendo mortaliter peccauit, quia nulli grauem iniuriam intulit, sed sibi tantum nocuit, Iubilei fructu se priuando. *Sanchez. lib. 8. de matr. d. 15. & de precept. lib. 4. cap. 54. Bonac. de pœnit. d. 5. quæst. 7. p. 5. §. 5. Io. Bap. Corrad. respons. cas. quæst. 207. Molfes. tract. 7. cap. 16. n. 11. Coriol. de cas. reser. p. 1. sect. 3. ar. 17. & omnes cōiter.*

QVAESTIO XL.

NVNQVID CONFESSARIVS VIRTVTE Iubilei teneatur vota pœnitentis commutare, vel super his dispensare, &c.

VTrum cōfessarius virtute Iubilei electus possit, & teneatur, vota pœnitentis dispensare, vel cōmutare, etiam si nō tàm iustam causam subesse videat, v. g. quis votum emisit de non nubendo, vel de non ducēda vxore, nunc cum videat per Bullam Iubilei, cuilibet confessario approbato concedi facultatem dispēsandi in votis Papæ reseruatis (exceptis castitatis, & religionis votis) & eadem commutandi, dispensationem petit, &c.? R. Præsupposita illa

illa veriori sententia, cui datur dispensandi facultas, censeri etiam ad commutandum impendi, quia cui committitur quod plus est, conceditur etiam quod est minus, Et odia restringi, fauores vero conuenit ampliari. *cap. cui licet. cap. odia. de reg. Iu. in 6.* Non è contra, cui tribuitur commutandi facultas, quod minus est, censetur data ad dispensandũ, qđ maius est. Supposita etiã veritate illius Pliniani proloquij, Votis tunc maxime locum esse, cum spei vitæ nullus est; multi enim ob magna impedentia mortis pericula, turbidis animi perturbationib. acti, Deum ad opem implorandam inuocant, & ei vota nuncupãt, quæ postea se emisisse eos pœnitet, & ideò dispensationem etiam sine causa petunt, &c. Cum tamen legamus veteres Ethnicos (quod christianis ingentem pudorem, ac timorem incutere deberet) non solum frequenter vota nuncupasse, sed etiam summa eorum religione, ac cura reddidisse. Vnde est illud *Marc. Tull. libr. 2. de legibus.* Caute vota reddunto. Et eos qui vota facerẽt, reos voti, eorumq; cõpotes factos, quoad promissa soluissent, damnatos voti appellatos, testis est *Macrob. lib. 3. Satur. capit. 2. & Anast. Germ. de sacr. immunit. lib. 1. cap. 17.* His inquam præsuppositis, dico confessarium vi Bullę, vel Iubilei electum, teneri commutare, vel dispensare vota, quæ ipse pęnitens vouens præceptis Iubilei ad vnguem adimpletis, rationabiliter commutari, vel dispensari postulauerit; nam cum confessarius sit Iudex delegatus in fauorem pœnitentis, ad gratias, & indulgẽtias Romani Pontificis ei administrandas, & exequẽdas assignatus, profectò debet pœnitenti ius suum tribuere, & charismata, gratiasque, ea meliori forma qua potest, indulgere, &c.

Quod à simili sic explicatur, quia si Episcopus, cum causa subest, dispensare nolit, dispensator infidelis dicitur; ergo si confessarius rationabilem causam adesse sibi persuadeat, dispẽsare tenetur, si parua causa subsit, debet cõmutare in æquale, si grauis ratio, & occasio vrgeat, in aliud aliquanto minus, (licet vt ait *Sanchez. lib. 4. de precept. cap. 54 nu. 12.* Per priuilegia regularibus concessa, nulla sit culpa non commutare, quia suis priuilegijs vti nõ astringuntur.) Vnde cum apud omnes Doctores exploratum sit, hoc votum non nubendi non esse votum castitatis, ac proinde vi Iubilei posse à confessario electo commutari, dicendum est, causam subesse debere, quæ pęnitentem moueat ad huiusmodi commutationem petendam, vt si v.g. ita carnis stimulis vrgeatur, vt facile se continere posse desperet: deinde conari debet, vt quò ad fieri potest, commutatio in ęquale bonũ fiat. Quamuis vbi virtute Priuilegij, Bullæ, vel Iubilei vota commutãda sunt, in aliquid mitius, & parum minus transferri possunt, vt priuilegium, vel Pontificia Indulgentia aliquid operetur, vt ex communi ait *Sayrut. libr. 6. clauis regia. c. 12. num. 19. Graff. l. 2. Decis. aur. cap. 30. n. 7.* quidquid incontrarium sentire videatur. *Suarez. tom. 2. de relig. lib 6. cap. 7. & 19. & idem Sanchez. d. libr. 4. de præcept. cap. 50. num. 19. & Reginal. lib. 18. n. 352.* Et ex veriori DD. placito vota tẽpore Iubilei possunt extra Sacramentum confessionis commutari; tùm quia nullo iure contrarium præscribitur, tùm quia hoc materia Sacramenti pœnitentiæ necessaria non censetur; & ipsa vota commutari poterunt etiã si pœnitens immemor sit speciei, seu obiecti, vel ipsorum numeri, vt per eundem *Sanchez. l. c. cap. 54. num. 15. & 30 & Bonac. tract. de legibus d. 4 q. 2. p. 7. §. 3. num. 16.* Notandum est aũt vnum particulare pro tẽpore Iubilei, qđ si confessarius compluribus audiendis confessionibus occupatus dicat, commuto tibi nunc hoc votum in id, quod quidam uir doctus commutandum iudicauerit, poterit confessarius transacto Iubileo, materiam determinare, quia vir doctus non commutat, sed tãtum declarat materiam, in quam confessarius uere commutauit. Et aliquando sapientiæ actus est ita facere, quãdoquidem, qui hoc onus cõmutandi vota suscipit, peritus, & in animarum regimine versatus esse debet. *Vival. in cand. aur. cap. 14. num. 40. Sayr. l. c. num. 21. Sanchez. lib. 8. de matrim. d. 15. num. 15.*

Porro qui ab aliquo uoto Sũmo Pontifici reseruato absoluere, uel super his dispensare præsumpserit absque speciali facultate, Papali excommunicatione irretitur, &c. *cap. Et si dominici. el. 2. in Extrauag. de pœnit. & remiss.*

QVAESTIO XLI.

NVM MORTVO RESERVANTE POSSIT confessarius à casibus reseruatis absoluere.

Quæritur pro fine materię iurisdictionis in cõfessario requisitæ, an extra tempus Iubilei, periculi mortis, & scandali uitandi, liceat eidem ministro Sacramenti pœnitentiæ absoluere, non solum à casibus Episcopo reseruatis, sed etiam ab illis, qui in Bulla Cœnæ Domini Pontifici reseruari solẽt, ut si v.g. Episcopus sit mortuus, uel ab officio remotus, uel etiam Papa sit uita functus, &c. R. Defuncto Episcopo, uel à munere abdicato, casus ab eo reseruatos, nisi à Vicario aliud caueatur, expirare, non tamen qui per modum legis in synodalibus constitutionibus continẽtur, tunc enim nisi à successore reuocentur, instar legis perpetuo durãt. Atque idem met cenlendum est, cum Episcopus ad supremum Pontificatus apicem euectus est, donec enim aliud à successore Episcopo statuatur, eosdem casus durare, & reseruationi subijci, existimare debemus, si à Iure, sed non ab homine reseruari conspiciantur, ut quia in synodalibus Decretis sint inserti.

Idem

Idem de casibus regularibus Prælatis reseruatis dicendum est. *Vgol. de officio. Episcopi. p. 2. capit. 40. & de cens. tab. 1. cap. 9. §. 4. Barthol. Metina. lib. Instit. confess. cap. 10. Piasecius. in praxi Episcopali. p. 2. tit. de casibus. reser. num. 17. Megalus. in Instit. confess. par. 1. cap. 12. num. 4.*

Vbi etiam illud obseruãdum, quod cum Episcopus, uel Prælatus regularis aliquos casus in tabella proponit, quos publicat, vultque esse reseruatos, nisi aliud exprimat, illi exclusi censeri debent, qui in synodi sanctionibus, & religionis constitutionibus insiri reperiuntur. *Comitulus. in responsl. l. 1. q. 25.*

Quò ad Bullam Cœnæ Domini. i. illum processum, Papales excommunicationes continentem, sic nuncupatum, eo quod in die Iouis sancta legatur, & multa delinquentium genera graui excommunicationis gladio feriantur, statuendum est, quod cum perpetuitas ei sit attributa, ita ut merito à iure simpliciter, & non ab homine lata esse dicatur, mortuo ipso Summo pontifice nõ expirat, sed perdurat, donec alia promulgetur, ut proinde Sede uacãte, confessarijs integrum non sit, à casibus in illa contentis absque alia facultate absoluere, nec hęc lex per non vsum tolli possit; singulis enim annis Summus Pontifex processum hunc Romæ publicat, & omnia in d. Bulla disposita renouat, ut sic constet, eum nolle actus contrarios tolerare, &c. *Viual. in eius explicat. num. 289. Vgol. p. 3. Comment. cap. 1. §. 1. Auila p. 2. c. 1. disp. 1. Duard. lib. 1. cap. 3. quæst. 7. concl. 3. Reginal. lib. 9. cap. 13. num. 230. Molfes. tr. 9. c. 8. nu. 51.*

Addo etiam, quod licet ucrum sit, casus reseruatos duob. potissimum modis tolli, uidelicet per absolutionem legitimi ministri, & per mortẽ reseruantis, quando reseruatio est ab homine tantum, ut diximus; si tamen aliquis, etiã circunscripta Bulla Cęnæ Domini, in casum aliquem censuram excõmunicationis habentem, ante mortem Prælati incidisset, utiq; reseruatio quò ad ipsum nõ tollitur, & per consequẽs, uel à Successore, uel à capitulo Sede uacante absolutio impẽdi debet, siquidem reseruatio morte Prælati aufertur, quando eo uiuente, quis ipsomet casu reseruato censura carente esset affectus, etiam si ante illius obitum deliquisset. *Graffius. l. 1. cas. reser. cap. 4. n. 47.* quidquid indistinctè loquens dicat idem *Molfes. tract. 7. cap. 17. num. 45.*

INTERROGATIONES, QVAE INSTITVI possunt super scientia confessarij. Cap. VII.

QVÆSTIO XLII.

CVR SCIENTIA IN CONFESSARIO requiratur, & quanta hac esse debeat, &c.

AD quid sciẽtia in confessario requiritur, & quanta hæc esse debet ad hoc ut rectè munere suo fungatur? R. Cum primarium cõfessarij munus in pœnitentiali foro sit subditos sibi confitẽtes ligare, & soluere, cuius muneris executionem esse actum iudiciarium, ex Cõc. Trid. *sess. 14. can. 9.* supra insinuauimus, hinc fit, ut præter potestatem, de qua dictum est, debitam scientiam requirat, quę uicem lucis suppleat, qua ipse confessarius ad talem actum peragendũ maxime indiget, sicut materiale lumen ad usum clauis clauigero necessarium est, ut habetur in *cap. quia quorundam. in Extrauag. communi. tit. de verb. signif.* Apertaq; ratione probatur. *in cap. 1. §. caueat. de pænit. dist. 6.* Caueat, inquit, spiritualis Iudex, ut sicut non commisit crimen nequitię, ita nõ careat munere scientiæ, oportet enim, ut sciat cognoscere, quidquid debet iudicare. Et inter alia quibus Iudex ad iudicandum muniri debet, hoc unum ex omnium sententia præcipue necessarium est, nimirum scientia, & rerum peritia, qua officium suum rectè obire sciat, & possit; lex namque, tàm naturalis, quàm humana prohibet, ne quis artem, quã ignorat, exerceat, Hinc *Vates Regius. Psal. 2.* Erudimini, qui iudicatis terram, & *Sapiens Salomon. sap. cap. 6.* Diligite lumen sapientiæ, qui iudicatis orbem. Et ut ait ille, Vbi nõ est sciẽtia, animæ nõ est bonum. Et sane ita res se habet, nam ubi confessarij ignari sunt, nil boni animis Christi sanguine redẽptis euenire potest, nec ecclesia pacis bono florere. Et certũ est literarũ studia esse nobis in tẽpore aduersitatis solatio, ut ait *Cicero pro Archia Poeta.* Vnde, & *Plinius Iunior. lib. 1. Epist.* dixit, Dulce otium, & regale, oẽm negotiorũ curam excedẽs. Sic per cõsolationem scripturarum potissimum diu inarum spem habemus *ait Apost. ad Rom. 15.* Et cum maris imperium Mitylinenses tenerent, socijs qui desciuerant, hanc pœnã imposuerũt, vt liberos suos literas non docerent, omniũ suppliciorũ hoc grauissimum iudicantes, in ignorantia vitam transigere. *Roder. in qq. regul. tom. 3. quæst. 34. art. 3. Sayrus. in claui reg. lib. 12. cap. 13 numer. 1. Ghisler. de Iud. regul. cap. 5. Tusch. in v. scientia. concl. 58. Tholos. p. 3. syntag. Iu. lib. 31. cap. 37.*

Porro quæ & quanta scientia cõfessario opus sit, vt ad absoluendum à peccatis idoneus cẽseatur, dico quod ad hoc vt licite pœnitentiæ Sacramentum ministret, necesse est, vt tanta sciẽtia muniatur, vt in his, quæ communiter occurrũt, discernere possit inter lepram, & lepram, quę sint venialia, & quę mortalia peccata, quænam censuram annexam habeãt, & quæ non; quæ circunstantiæ mutent speciem, aggrauent, ac alleuient; qui casus sint reseruati, à quibus absoluere nequit; quibus conditionibus confessarius prçditus esse debeat, & quibusnam confessio. Quænam partes sacramenti pęnitentiæ, quomodo peccetur cõtra præcepta decalogi, & ecclesiæ. Quomodo in cõtractibus, & humanis commercijs iniustitia,

stitia, & vsuræ labes contrahatur; quando pœnitens ad restitutionem obligetur, &c. Quid differat cēsura ab iniustitia, & quomodo violatio charitatis differat à transgressione iustitiæ. Patet, quia sine tali scientia non potest prudenter de statu pœnitentis iudicare, aut eum in viā salutis dirigere; quod tamē ad ipsius officiū est necessarium, & aliàs metuēdum est illa Christi Dñi nostri *Matth. c. 15.* comminatio Cęcus autē si cæco ducatū præstat, ambo in foueam cadunt. Qua preceptione regularium etiam confessarij astringuntur: Vnde Clemens VIII. in Decreto pro reseruatione casuum à Superiorib. religiosorum facienda, ait, Superiores in singulis domibus deputent duos, tres, aut plures confessarios, pro subditorum numero, maiori, vel minori, iiq; sint docti, prudentes, & charitate prædití, &c. Et Conc. *Colon. 3. p. 10. cap. 8.* loquens de confessarijs monialium, sic pręcipit, Debēt autem ij, qui huiusmodi munere in monasterijs monialiū funguntur, esse homines vitę probatissimæ, ac morum quàm maxime inculpatorum, eruditi, ac singularis iudicij. Nec abludit *D. Ant. in 3. par tit. 20. cap. 2. §. 3.* cum dicit, Monialibus tribuatur Confessor, qui nō solum sit honestus, sed etiam sciat, quæ spectāt ad vitam religiosam, vt valeat eis facere cōscientiā de trāsgressionibus, &c. Sed cum hic certa regula cōstitui nequeat, arbitrio, & prudētię Episcopi, & Examinatorum relinquendum est: nam sicut in grauioribus causis, & maioribus tribunalibus doctiores Iudices, & in sæuioribus morbis peritiores medici necessarij sunt, ita ēt Confessariorū peritia maior, & minor, iuxta eorū qualitates, & modum cōscientiarum, quarum confessiones excipiunt, requiritur. *vt dixi supra tract. 1. c. 9. q. 47.* Vbi tamen illud obseruandum est, Confessarium, cui à pœnitente mandatum Apostolicum, vel Pontificiæ literæ exhibentur, vt ab eo dispensationem aliquam, seu absolutionē obtineat, præter notam scientiam, necessario etiam ad Doctoratus laureā in Sacra Theologia, vel iure Canonico promotum esse debere, nisi Pontificio aliquo priuilegio quò ad hanc conditionem suffultus sit, quo quidem multi regulares confessarij gaudent. At plerique dispensationem, vel absolutionem non fore inualidam asserunt, si ab eo conferatur, qui Doctoratus gradum consecutus est, quamuis Theologię, vel Iuris Canonici pręcepta non calleat: atq; idem statuunt, si dispensatio, vel absolutio ab eo impleatur, qui cōmuni errore, & colorato titulo verus Doctor existimatur, ex axiomate. *l. Barbarius ff. de officio. Prat. ita Sanchez lib. 8. de matrimonio, d. 34. nu. 11. Salas de legibus, disp. 20. sect. 17. Bonac. eodem tract. disp. 1. quæst. 1. par. 2. num. 3. & aly.*

QVAESTIO XLIII.

AN MVNVS AVDIENDARVM CONFESsionum appetere, & procurare liceat.

VTrum, tàm sęculari, quàm regulari liceat, munus audiendarum cōfessionum appetere, & procurare? R. Si loquamur de sæculari sacerdote, qui se probabili, & morali quadā ratione idoneum iudicat, dico licere posse, modo bono fine hoc faciat, non vt præsit, sed vt prosit, & iudicio, beneplacitoque Episcopi, & Examinatorum se submittat, & medijs honestis, ac licitis hoc procuret: et si minus principaliter illum honorē, gradum, & altitudinem ministerij, aliquodq; temporale emolumentū consecutiue intendat. *Graffius lib. 1. decis. aur. capit. 15. num. 10. arg. Nau. in Miscell. de oratione. Miscell. 42. Pet. Nau. l. 2. de restit. ablat. c. 4. §. 2. dubitatio. n. 20.*

Nec se dignum aliquo officio ecclesiastico reputare superbiæ, ac temeritatis culpā arguit; aliàs magna mortalium pars in ancipiti, & lubrico salutis periculo versaretur. Quis enim hominū reperitur, qui muneribus obeundis nō se idoneum existimet? Siquidē vt scite dixit Aeneas Syluius, qui postea Pius II. dictus est in *hist. Boem. cap. 6. & Roder. tom. 3. qq. regul. quæst. 34. art. 2.* Agrum colere, gregem pascere, nauim regere, texere, suere, ædificare, se ignorare homines multi fatētur. Magistratum in vrbibus gerere, gētibus, ac nationibus imperare, quod difficillimum est, nemo sibi à natura negatum dicit.

Sed quod attinet ad regularem in obseruantiori religione degentem, non leui pœna multaretur, qui hoc officium cupere, aut etiam honesto in speciem prætextu affectare deprehēderetur, cum in bene institutis religiosis ordinibus, Illa Imperatorum sanctio seruetur; Indignus est sacerdotio, qui non fuerit initiatus inuitus. *l. quemquam C. de Episcopis. & cler.* Admonent tamen *Suarez. tom. 4. d. 28. sect. 2. nu. 7. & Reg. lib. 1. cap. 12. num. 139. Henriq. de pœnitētia. l. 3. cap. 26. num. 2.* Quod religiosi obedientia illud tātum efficere potest, vt subditus excusetur à culpa, si de sua capacitate dubitās, tali dubio scrupuloque deposito, suo Superiori credat dicēti, eum idoneum esse ad hoc sacramentum administrādum, dummodo aliud sibi euidenter non cōstet. Addunt etiam hi authores, approbationē Episcopi bona fide factam posse idem efficere respectu sacerdotū sæcularium, sua sponte hoc munus assumētium; quia Episcopus quoq; Superior eorum est, cuius iudicio illi acquiescere possunt, quādo contrariū aperte non constat. Quo tamē in negotio Episcopi ipsi, & Examinatores oculati esse debēt; hic enim locum habere videtur quod de medicis aliqui sapientes tradunt, cum aiunt, Vsus docet, nullam esse artem, in qua vel frequentiori, vel maiori audacia, & impunitate peccetur,

constet de corpore delicti, non tamen de eo qui delictum commisit. Sexto, Delictum occultum dicitur etiam si socius criminis sit ibi tractus. Septimo, si coram legitimo Iudice non sit facta citatio, vel delatio. Octauo, secundum aliquos, & si delictũ sit alicubi publicum, vbi vero absolutio petitur, sit occultum. *Sanchez. lib. 2. de precept. cap. 11. num. 20. Auila. de censf. p. 2. cap. 7. disp. 1. dub. 11. Duardus in Bulla Cœnæ Domini lib. 3. §. 2. q. 11. num. 10.*

Quarto, notãdum, Episcopum non posse dispensare in irregularitate, quæ prouenit ex defectu natalium, sed bene vt in ordinibus bona fide susceptis ministrare possit is, qui ob occultum crimen matris coniugatæ, legitimus filius habebatur. Non etiam in ea, quæ ex defectu perfectæ lenitatis, vel ex homicidio iusto descendit. *vt ex Nau. Caiet. & Henriq. ait Gen. num. 7. Reginal. nume. 29.*

Quinto, quod licet irregularitas ex homicidio, & mutilatione nascens, æquiparentur, quò tamen ad dispensationem discrepant, nam in oriente ex mutilatione, Episcopo dispensare integrum est, nõ autem in ea, quæ ex homicidio voluntario cõtrahitur idest ex eo quod per se, & directè est intẽtum, seu ex proposito fit. *Suar. tom. 5. d. 44. sect. 1. & d. 45. sect. 2. Sayr. lib. 7. cap. 7. num. 5. Vasquez. 1. 2. d. 10. n. 39. Garzias. de benef. p. 7. cap. 11. num. 29.*

Sexto, nomine subditorum Episcopo cõprehendi peregrinos, vagos, Scholasticos, mercatores, &c. idque ex cõi vsu, & si nõ expressa, saltem tacita suorum Superiorum licentia, cum scilicet id vident, & non reclamant, sed tolerant. Item religiosos exemptos, si ex Prælati licentia, vt dixi, subdãtur pro aliquo casu Episcopo. *Garzias. p. 11. cap. 10. num. 139.*

Septimo, per illa verba in diæcesi, non restringi facultatem Episcopis concessam, quin quò ad irregularitates, & suspẽsiones, eã extra diæcesim exercere nõ valeãt; Sed illa limitatio quò ad absolutionem à casibus reseruatis adhibita est; & si nihil obstet, quin excommunicationem etiam in absentia Episcopus ipse tollere possit. *Nald. in v. absolutio. à peccatis. num. 9. Barbosa in d. c. 6. num. 18.*

Octauo, dum per Concilium cõceditur facultas in foro conscientiæ, per illud nõ intelligi forum sacramentale audita .s. confessione, sed id tantum denotari, vt absolutio pro foro externo non prosit, si contingat casum iu iudicium deduci. *Sanchez. l. c. c. 11. num. 13. Lazar. de monit. sect. 4. quæst. 15. Suar. libr. 8. de leg. cap. 6. num. 16.*

Nono, authoritatẽ à Concilio concessam ad absoluendam hæresim, esse per Bullam Cœnæ Domini reuocatã, adeo vt nec virtute Iubilei, vel Cruciatæ concedentis vnicuique confessario casus in d. Bulla Cœnæ Domini, nec hæresim exprimentis, absolui valeat. *vt infra cap. 6. quæst. 35. Garzias. l. c. n. 115. idem Sanchez. l. c. num. 27. & cap. 121. nu. 10. Pegna. 3. par. Direct. 9. quæst. 2. Comment. 141. Azor. p. 1. lib. 8. cap. 19. quæst. 3. cap. 10. quæst. 10. Suarez. tom. 4. d. 30. sect. 2. Leonar. Duard. l. c. numer. 43. Franc. Leo in Thes. fori. eccles. p. 3. c. 37. n. 47.* Vt tamẽ ipse ibi notat, suspectos de hæresi, vt sunt blasphemias hæreticales euomẽtes, & alia pertractantes, quæ leuem, vehementem, aut violentam suspicionem inducunt, poterit Episcopus, & eius Vicarius Generalis legitima facultate suffultus, in foro cõscientię tantum absoluere, ex dispositione d. Concil. Trid. *cap. 6. de refor. sess. 14.*

QVAESTIO XXXII.

AN A' CASIBVS PAPALIBVS MANIFEstis, & publicis absoluere Episcopus valeat, quando excommunicatus est impeditus, quominus Apostolicam Sedem adire possit.

Quod attinet ad alterum supra firmatæ quæstionis caput, quæritur, an sit vsquaque verum, Episcopum, & ab eo authoritatẽ habentem, posse absoluere à casibus Summo Pontifici reseruatis, etiam si publici sint, & in Bulla Cœnæ Domini cõtenti, vt si v. g. quis sciẽter legisset libros prohibitos, ex professo de religione tractantes? R. Huiusmodi excõmunicatione irretitum, si ita impedimẽto aliquo iusto detentus est, quominus Sedem Apostolicã adire possit, vltra Inquisitorẽ, à proprio Epõ, vel ab eo deputato absolui posse. Quam facultatẽ habet Eps tãquã delegatus à lege, vel potius ea potestate ordinaria, à lege ipsa sibi concessa *cap. ea noscitur. cap. de cætero. ext. de sent. excommunicationis. Sanchez. lib. 2. de matrimonio. disp. 40. nu. 3.* Imò *Alterius in explicat. Bulla, & Duard. lib. 3. §. 2. q. 8. num. 53.* tenent, hanc eandem facultatem habere, quemlibet simplicẽ sacerdotem, si causa necessitatis vrgeat, nec pœnitens possit ad obtinendum absolutionis beneficium, Romam petere *ex cap. nuper. de sent. excommunicationis.* Quod duabus conditionibus appositis verum esse intelligitur. Primo, vbi ab Episcopo talis absolutio peti nõ posset, secus si posset, quia tunc nulla necessitas subesset, vt à proprio sacerdote, vel confessario absoluatur, &c. Secundo, vt sit extra Italiam, quoniã facultas absoluendi impeditos est sublata sacerdotib. intra Italiam, extra vrbem degentibus, etiam in casu necessitatis, & impedimenti. Addunt alij, prędictæ primę assertioni locum esse, quando absolutio à Legato à latere Summi Pontificis obtineri nõ valet, aliàs si à Legato impendi absolutio posset, hac facultate non gauderet Episcopus. Quod tamen nõ necessarium esse extra casum sacrilegæ percussionis Clerici probabiliter. *ait Duard. num. 56.*

Quæ pariter supra firmata positio locum habet, etiam

etiam si in reseruatione excōmunicationis dicatur, qđ ab alio absolui non possit, nisi in mortis articulo; nam non obstante tali verborum tenore, communi vsu Episcopis concessum fuit, posse excommunicatione papali illaqueatum absoluere, siue in illam excommunicationem, ob enormem Clerici percussionē, seu aliam ob causam quis inciderit, &c. nam si in tàm graui casu, vbi Dei minstri offenduntur, ab alijs permissum est, vt absoluantur, ergo multo magis in alijs casib. id concessum esse debet, ne isti pœnitentes Episcopo subditi spirituali remedio destituti remaneant. *Sanchez.l.c.Henriq.lib.6.de pœnit. cap.16.num.1. Duard.l.c.num.9.* Bonac.*de cens.disput.2.quæst.6.nu.15.Vidal.de absol.num.14.Nald. infra citandi.Pereg.de Duello.quæst.37.num.7.contra* Reginald.*p.1.lib.1.num.*260. Addunt multi, ex euidenti, & necessaria causa, quæ merito Superiorē moueret, Episcopum in iure Canonico, & Decretis Pōtificijs dispēsare posse, vt in impedimētis matrimonij, tàm ante coniugiū, q̄ post ipsum cōtractum, dum ad Summum Pontificem ob paupertatem, vel scandalum, vel ob alia legitima impedimenta aditus non patet, *vt per Rebuffum. in sua* Praxi.*benef. tit.Dispensatio.ad plura beneficia.num.26. Nald.v. Dispensatio.nume.12. Salas.de legibus.d.20.sect.3. num.27. Sanchez.lib.2. de matrimonio.d.40. & l.4. de præcept.cap.40.Molfes.tract.4.capit.12.num.32.* Menochius.*cōs.597.Tusch. v.Episcopus. concl.*276.

Prædicta assertio ampliatur etiam si excommunicatus procuratorē mittere, vel literas scribere possit, cum ad id lege non astringatur. Nau.*cap.27.nu mer.90.Vgol.de cens.*Tab.1.*cap.4.§.5.num.13.Sayr. de cens.lib.3.cap.28.num.38. Henriq.l.c.cap.9.num. 7.Pereg.num.9. Sà in v.absolutio. ab excommunicatione.num.8.Roder.in summa.p.1.capit.80.num.18. Nald.v.excommunicatio.num.34.*

Excipitur tamen ex nonnullorū sententia, quando excōmunicatione irretitus, qui ad Apostolicam Sedem accedere nequit, Legatū à latere, vel alium, qui absoluendi ab huiusmodi excommunicatione priuilegio muniretur, adire facile posset. *Nau.num. 89.Sanchez.num.8.Sayr.num.39.& alij.* Aliquibus tñ, vt dixi, & hoc rigorosum videtur; cum ex cōi regula, quoties absolutio excōicationis Papę reseruatæ pp occurrentem necessitatē inferiori cōceditur, hoc regulariter ad Episcopum pertineat, &c. *Henriq.d.c.10,n.1.Duard.q.8.num.57.& alij.*

Verum quia impedimētum pōt esse perpetuū, & tēporale, si erit tēporale impediti sub iuramēti cautione spōdere debent, vt cessante impedimēto, Romanam curiam petant, ipsius mandatum humiliter suscepturi; quod si arbitrio boni viri, temporis spatio interposito, adimplere neglexerint, in eandē excōmunicationem reincident. *iuxta.cap.eos.de sent. excom.lib.6.Sayr.num.36.* Excommunicatus tamen si absoluatur, eo quia perpetuo, & incurabili morbo laboret, qui ab itinere ad Romanam curiam suscipiendo excuset, si postea, vt dicunt, miraculosè post absolutionem conualescat, Romam petere non tenetur, vt sentit. *Syl.ab omnibus receptus.v.absolutio. 4. numer. 3. casu. 6.*

Porro Canonica impedimenta propter quę diœcesanus Episcopus à casibus Papæ reseruatis etiā in Bulla Cœnæ Domini contentis absoluere valet, est Senectus, cum.s.senex ratione ætatis arbitrio maxime Epi, periculosè tale iter aggrederetur. Infirmitas non solū incurabilis, vel periculosa, sed etiam leuis, at molesta, vt podagra, febris quartana, &c. Paupertas, vt in eo, qui ex suo artificio vitam transigit, qui si iter ageret, sibi, & suę familiæ cōsulere nequiret, Inimicitia capitalis, si videlicet Romam sine vitæ periculo adire pœnitens non potest. Subiectio, vt filij familias, vel famuli, qui alterius potestati subduntur. Mulieres, etiā si diuites sint, quas vagari non conuenit, & huiusmodi alia impedimenta, quæ Episcopus in casu cōtingenti, an legitima sint dijudicare debet. *Sayr.d.cap.28 num.9. Bonac.disput.2. quæst.4.puncto.5.Pereg.d.quæst.37.num.12.Duard. quæst.10.Reginal.lib.1 cap.19.num.239.Sà in verbo.absolutio.ab excommunicatione.num.8.*

QVAESTIO XXXIII.

QVAM FACVLTATEM HABEAT confessarius in excommunicationibus non reseruatis, &c.

QVam potestatē habet confessarius in excommunicationibus etiam Papalibus, si nemini reseruatæ reperiantur, vel etiam si reseruatę sint, attamen ignotæ sunt, vel consuetudine abrogatæ? R. Dico ex cōi opinione, quemlibet confessarium ab excommunicatione iuris nemini reseruata absoluere posse. *ex cap.nuper.extr.de sent.excommunicationis.* Vbi illa regula desumitur, quod cum conditor Canonis excōmunicationis absolutionem sibi non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem alijs relaxandi, vt v. g. inter alia constat ex excommunicatione lata contra raptores in *Concil.Trid. sess.24. cap.6.* Et contra docentes, non esse necessariā sacerdotalem confessionem mortalium culparum ante cōionem *sess.13.can.11.* In quib. locis cū non appareat ex verbis, cōditorem Canonis absolutionē sibi asciscere, liberandi ab his facultatē cuilibet confessario concessisse censetur. *Nau.cap 27.num.39.Tol. lib.1.cap.16.Suarez.tom.5.disp.7.sect.7. Auila.p.2. cap.7.dub.4. Reg.lib.9.num.13.* Idemque dicēdum est de generali excommunicatione ab homine lata; nam latæ à Canone nemini reseruatæ æquiparatur. *Sayrus. de cens.libr.2.cap.19.numer.5. Lazarius.de*

vel naturali vetitum, ignorans ius cõmune Canonicum illum sub pœna anathematis prohibere, vt de magis recepta, æquiori, & minori opinione concludit. *Azor. p. 1. lib. 1. cap. 15. quæst. 3. Sayr. lib. 1. de cens. cap. 18. & lib. 3. cap. 27. nu. 34. Val. tom. 4. d 7. q. 17. p. 7. Bonac. d. 1. quæst. 2. p. 1. num. 6. Carbo. lib. 8. de legibus. disp. 13. Reginald. lib. 13. num. 270 Graffius. l. 4. decis. aur. cap. 9. num. 14. Lazarius. de Monit. sect. 4. quæst. 16. num. 11. Coninch. de cens. disp. 13. dub. 11. Zerula in praxi pœnit. c. 8. quæst. 5. Suar. tom. 5. disp. 22. sect. 1. Pereg. de Duello. quæst. 8. num. 33. Duard. in Bulla Cœna Domini. lib. 1. cap. 5. quæst. 2.* Secus vero dicendum de legibus positiuis, quæ frequentissime omnib. notæ sunt, vt v. g. est lex excommunicationis lata cõtra percutientem Clericum, & præceptum non comedendi carnes, vel lacticinia tempore quadragesimę, &c. Cum enim hæc iura omnibus innotescãt, ideo nemo inuincibilem eorum ignorãtiam prætendere potest. *Sot. in 4. dist. 22 quæst. 1. artic. 2. Sayr. in cler. reg. d. num. 20. Graffius. l. c. nu. 22. & alij.* Ignorãtia vero, quæ non sit affectata, & crassa non præsumitur. *cap. præsumitur. de reg. iur. in 6. Menoch. lib. 6. de Præsumpt. præsumpt. 23. Mascard. de Probat. concl.* 881. Quæ postmodum in foro interiori per simplicem assertionem probatur, cum dicto pœnitentis pro se, & contra se fides habeatur. At in foro externo probatur. Primo per iuramentũ. Secũdo ex facto, cui necessario coniuncta est ignorantia, vt si erat infans, &c. Tertio à verisimili, vt in absente, & huiusmodi. *Tusch. v. ignorantia concl. 22. Molfes. tract. 8. cap. 8. num. 35.*

CAP. VI.

QVAESTIO XXXV.

QVAM FACVLTATEM HABEANT confessarij in extraordinaria Iurisdictione, quæ in Iubileis datur, præsertim circa hæresim, &c.

QVæritur quam facultatem habeant confessarij in extraordinaria iurisdictione, quę in Iubileis à Papa illis cõmittitut, v. g. An Papa in Iubileis, & huiusmodi gratiis, cõcedens facultatem absoluendi ab omnibus casibus, etiam in Bulla Cœnæ Domini reseruaris, censeatur etiam hæresis absolutionem impertiri? R. Non censeri, nam in generali concessione omnium Pontificiarum censurarũ, quæ vel in Bulla Cœnæ Domini continentur, non intelligitur comprehensa absolutio excommunicationis propter hæresis labem contractæ, nisi id specialiter, & clare exprimatur. Atq; multi referunt, Pium V. sic declarasse, & sic ex stylo curiæ seruari. *Simancas. in Instit. Cath. tit. 3. nume. 2. Con. in cap. alma matcr. p. 1. §. 11. num. 15. de sent. excommunicationis. in 6. Nau. cap. 27. num. 275. Azor. p. 1. lib. 8. c. 10. quæst. 12. Suar tom. 5. de cens. disp. 7. sect. 5. num. 12. San. de Z. lib. 2. de præceptis. capit. 12. num. 10. Fariuac. de hæresi. quæst. 192. num. 63. 10. à Chap. de cas. reser cap. 4. diff. 4. Aula de cens. p. 2. disp. 1. dubit. 7. Duard. in Bulla Cœna Domini. lib. 3. §. 2. quæst. 8. numer 6. & 7. & dixi in Comment. de cas. reser. p. 1. c. 5.* Licet etiam probabilem contrariam sententiam esse aliqui asserant, quando hæreticus esset occultus, & emendatus, & præcipue, dum hæresis alijs perniciosa non sit, de qua necesse foret Summum Pontificem ad ecclesiæ ædificationem informari, si salua sacramentalis sigilli religione fieri posset, &c. *Molfes. tract. 7. cap. 21. n. 62.* Conueniunt etiam omnes, confessarium vi Iubilei extra Sacramentum pœnitentiæ non posse à censuris Papæ reseruatis absoluere, sed solum audita pœnitentis cõfessione id facere posse si id exprimatur, vt infra dicam, & de cõmuni testatur. *Vasq. de excom dub. 20. Suarez. de cens. d. 7. sect. 5. num. 31. & Molfes. l. c. num. 59.* Et quò ad vota *Bonac. de voto. d. 4. q. 2. p. 7. §. 3. num. 16.*

QVAESTIO XXXVI.

AN VIRTVTE IVBILEI IN QVO conceditur facultas absoluendi ab omnibus censuris, confessarius possit dispensare in irregularitate.

AN si in Bulla Iubilei tribuatur facultas absoluendi ab omnibus casibus, & censuris, & pœnis Summo Pontifici reseruatis, possit confessarius dispensare in irregularitate, tã ex homicidio, quàm ex alia causa prouenientc? R. Quotiescunque in Iubileis, & Apostolicis cõcessionibus apponitur, quod per illas possit quis absolui ab omnibus censuris, & pœnis, numquam sub tali concessione intelligitur cõmissa dispẽsatio irregularitatis, nisi Bulla id clare exprimat, & est communis opinio, cui Romanæ Curiæ stylus, & praxis fauet, cui in moralib. innitendũ est. Quod etiam illa ratione comprobatur, quod irregularitas non est neque casus, neque censura, nec pœna, sed potius quoddam Canonicũ impedimentum, ex facto, vel defectu proueniens, quo quis ad ecclesiasticos ordines promoueri, & in eis iam promotus ministrare prohibetur. Cui quoq; illa additur ratio, quod dispensatio in irregularitatibus non est in foro pœnitentiæ necessaria, cum ab omnibus quis possit absolui peccatis, etiã si irregularitas minime tollatur. *Caiet. in v. irregularitas. Nau. cap. 27 num. 254. Maiol. lib. 5. de irregularitate. cap. 51. Sot. lib. 5. de Iust. & Iu. quæst. 1. artic. 4. Vigual. in Cand. aur. de dispens. quo ad fratres. num. 6. & 7. Sayrus. in claui reg. lib. 1. cap. 1. num. 6. & lib. 6. de cens. cap. 14.*

Eadem ratione, quidquid aliqui dixerint, &

si à casu incestus Episcopo reseruato eodem tempore Iubilei absoluere liceat, non tamen inde concedendum est, licere dispensare super iure petendi debitũ, quo alter coniugum ob fornicariã, & adulterinam copulam se priuauit, &c. *Sanchez. libr. 8. de matrimonio. disp. 15. num. 13.* Vbi tamen nõ est consuetudo, vt dispensatio petatur, non opus est illa, sicut nec in eo, qui ecclesiæ prohibitionem nescit. *Io. Chap. de cas. reser. cap. 14. q. 3. Sà in v. debitum. n. 13.*

Vbi vero dispẽsandi cõsuetudo viget, preter Episcopum, & eius authoritate fungẽtes, religiosi confessarij virtute suorũ priuilegiorũ super illud dispẽsare possunt. Atq; idem in foro conscientiæ ad eundem effectum eis facere licet eum ijs, qui post simplex castitatis votum, matrimonium cõtraxerint, vt per eundem *Sanchez. l. c. d. 16. & Molfes. tract. 4. capit. 12. num. 41.* Item clausula illa in Iubileis poni solita, vt confessarius à pœnis ecclesiasticis absoluere valeat, de illis intelligitur, quę illã indulgentiã consequi impediunt, cuiusmodi sunt illæ, quę per penitẽtiales Canones præscriptæ sunt, secus de pecuniarij, &c. *Reg. lib. 8. nu. 54. Molfes. tract. 7. cap. 21. num. 64.* Obseruat etiam *Suarez. tom. 2. de relig. l. 6. c. 20. nu. 19. & Bonac. de leg. d. 4. q. 11. p. 7. §. 4. nu. 18. contra Nau. de voto. cons. 31.* Habentes facultatem commutandi votum posse etiam commutare pœnam, quam vouens ob voti violationem subijt.

Secũdo dico, qđ si in aliqua Bulla, vel Iubileo facultas dispẽsandi in irregularitate tribuatur, nõ intelligitur cõcessa irregularitas homicidij volũtarij, & bigamię, quia in generali cõcessione ea nõ cõprehenduntur, quæ S. Põtifex solet sibi speciali iure reseruare. *cap. in generali. de reg. Iu. in 6.* Vt de eodem stylo curiæ testatur. *Vinal. de irregularit. n. 332. Reginal. l. 30. tract. 2. num. 24. Molfes. l. c. n. 58. & alij.*

QVAESTIO XXXVII.

AN PECCATVM OBLITVM RESERVATVM per absolutionem ab alijs peccatis, reseruati naturam exuat, &c.

Qvid siquis confiteretur tempore Iubilei, animo illud consequendi, & obtinendi absolutionem ab omnibus casibus, & dispensationem super irregularitatibus, votis, &c. an si ob obliuionem aliquod horum exprimere omittat, & postmodum transacto Iubileo, hoc in eius mentẽ reuocetur, possit à quolibet confessario absolui, & dispẽsari? R. Vtique, quia hęc per prædictã confessionem reseruatorum naturam exuerunt. Quod ex multorum sententia, quidquid quò ad votorum dispensationem aliqui senserint, procedit etiam si post confessionem nõ sit Iubileum adeptus, quippe qui alia requisita non perfecerit. *Graffius. lib. 4. decis. aur. c. 15. num. 3. & 35. Sanchez. lib. 8. de matrimonio disp. 15. num. 16. & 21. Beia p. 3. casu. 22. Coriol. de cas. reser. p. 1. sect. 3. ar. 17. Molf. tr. 7. c. 16. n. 11. Bonac. d. 5. q. 7. p. 5. vt etiam dixi infra q. 37.* Quę sanè doctrina deseruit etiam pro religiosis, qui in visitationibus, & generalib. comitijs, a suis Prælatis à Censuris absolui, & super irregularitatib. dispensari solent, quia cum prædicta ad memoriam venerint, iam ea confiteri nõ tenentur, nisi quò ad peccata, si quæ interfuerint, quæ tamen iam reseruata non sunt. *Sayrus. lib. 7. de cens. cap. 14. numer. 9. & in claui regia. lib. 6. cap. 12. dub. 3. Henriq. de Indulg. d. cap. 11. num. 4. & de Irregularitate. cap. 17. Suar. tom. 4. disp. 31. sect. 4. & to. 5. de cens. disp. 7. sect. 5. Nau. c. 26. nu. 13. & alij.* Atque idem eadem ratione dicẽdum videtur, cum pœnitens aliquod mortale peccatũ reseruatũ subticuit, ex cuius confessione aliquod malum, vel scandalũ probabiliter secuturũ timebat (quatuor enim ab ipso pœnitente metui possunt, vel certi peccati reuelatio, vel confessoris ruina, vel mors aliena, vel cõplicis infamia) vt scilicet si coram Superiore v. g. Pœnitentiario, animã suam expiando aliquod peccatum reseruatũ ob vnam ex his causis celauit, inferiori postea sacerdoti confitendo, possit ab ipso casu reseruato absolui, cum reseruationis tunc naturam exuisse videatur. Cum vbi eadem est ratio, idem ius sit constituendũ, & lege vel Doctore aliquo occurrentem non decidẽte casum, ab aliquo simili resolutio sumenda sit. *l. non possunt. ff. de legibus. Enerard. top. legal. in loco à simili. Nald. verbo lex. nu. 4.*

QVAESTIO XXXVIII.

AN NOMINATIM EXCOMMVNICATVS virtute Iubilei à quolibet confessario absolui possit, &c.

AN siquis vi literarum monitorialium, vel alia de causa à Iudice ecclesiastico fuerit anathemare perculsus, & nominatim denuntiatus, absolui possit à confessario in foro pœnitentiali, virtute Iubilei, quo datur potestas absoluendi à peccati, & censuris Apostolicæ Sedi reseruatis? Et an talis absolutio possit extra actum sacramentalis cõfessionis dari? R. Posse, modo prius ea adimpleat, & seruet, quæ ipsum Iubileũ perscribit, ita vt postea nec ecclesiæ suffragijs, nec Sacramentorum participatione priuetur. Quæ tamen absolutio solum in foro interiori, seu pœnitentiæ prodest, ideo in foro exteriori, vt nõ absolutus, & vitandus habẽdus erit (si res manifesta, & notoria sit) donec ab excommunicatore, vel ab alio eadẽ authoritate suffulto, beneficio absolutionis donatus sit: cum absolutio in pœnitentiali iudicio impensa solum quò ad Deum, & pœnã ęternam, non quò ad temporalem operetur; vt proinde

etiam

etiã vt aliàs à nobis repetitũ est, in foro externo puniri valeat. *Sayrus.l.2. de cens.cap.20.n.29. Lazar. de monit.sect.9.quæst.15. Molfes.tract.7.capit.21. Duard.lib.3.§.2.quæst.1.numer.48.Graffius.lib.4. decis.aur.cap.15.num.18. Gutierez.l.1.can.qq.c.2.* Sic literę, quę à Sacra Rom. Pœnitentiaria emanãt, cum pro foro tantum conscientiæ prosint, post illarum executionem lacerari iubẽtur; si autem res secreta non sit, apud Datariam in foro quoq; externo conceduntur. *Nau.cons.2.de temp.ord. Graff.cons.1. eodem tit.* Ad secũdam q.dico, aliquib.videri, huiusmodi absolutiones extra sacramentale forum impendi posse, eo qd Principis beneficia latissime sint interpretanda. Imò sæpe expedit, vt ita fiat, vt si reus non sit paratus, vt statim confiteatur, & adsint causæ, ob quas expediat, eum statim absolui. Idemque dici posset, quando ei qui virtute Iubilei, vel alterius Bullæ, vel Priuilegij haberet authoritatẽ absoluendi à censuris reseruatis, non vacaret totã confessionẽ audire; tunc enim ei fas esset, solos casus excipere, qui annexam excommunicationẽ haberent, & tunc ab hac absoluere, & pœnitentem ad alium mittere, qui audita confessione à peccatis absolueret. Si tamen pœnitens à Superiore, vel à cõfessario inferiori, vi Iubilei à censuris tantum liberaretur, nec postmodum à peccatis absolueretur, valeret absolutio, sed tamen ipse pœnitẽs nõ nisi post absolutionem à peccatis, Iubileum consequeretur. *Auila.2.par.cap.7.disp.3.dub.13.Coninch.de excommunicat.disput.14.dubit.16.num.251.Bonac.de cens. quæst.3. part.6.disput.1. numer.7.& 8.* Quæ sententia admitti posset, nisi ex subiecta materia constet, aliam fuisse concedentis mentẽ, vt si hæc facultas tribuatur auditis confessionibus, siquidem tunc ex communi praxi, censetur solum in sacramentalis confessionis actu concedi. *Duard.l.c.Molfes.tract.7 cap.21.num.59.* Quidquid dicat *Sanchez.in d.disp. 34.num.30.* Vbi vero cõcessa facultas expresse non exigat, vt absolutio in foro sacramentali impendatur, vel saltem ex coniecturis id innotescat, potest etiam extra sacramentum absolutio dari, præuia tamen semper satisfactione, si fieri põt, etiam si in ipso Iubileo de ea mentio non fiat, cum Papa in suis Bullis quemquam lædere non intendat. Quæ absolutio in foro interiori impensa ad hoc proderit, quod si excommunicatio occulta erit, nec ad forum cõtentiosum deducta, ex vi illius in omnibus actibus seu occultis, seu publicis, vt omnino censura carens homo se gerere potest. Quod si post dictam absolutionem, casum in iudicium deferri contingat, & ex ea constaret, censuram illam contractam fuisse, oportebit, vt in eodem foro de eadem absolutione constet, tùm vt illic tãquam absolutus in iudicio audiatur, & ad aliam absolutionem petendam non cogatur; tùm etiam vt ab alijs pœnis excusetur, quæ propter illos actus infligi possent, si eos post lapsum in censuram non absolutus exercuisset. *Lazarius.Gutierez.& Duard.l.c. Sayr.num.31. Nau.cons.51.de sent.excom. & cons.26.eodem tit. Roder.in summa. p.1.cap.83.num.9.& in qq.regul.tom.1.q.61.ar 10.*

Illud insuper hic annotãdum nobis videtur, Per quodcunque amplissimum Iubileum contra ius alterius quemquã absolui posse: & si cum promissione soluendi, ab aliqua cẽsura liberetur, & posteaquàm citius potest, non satisfaciat, in eandem excommunicationem iterũ incidere: sic enim declarauit Pius V. & Greg. XIII. peculiaribus editis Bullis. Propterea cõfessarij in hoc casu magnam diligentiã adhibere debẽt, & etiam aduertere, si totum debitor restituere nequit, ad partem saltem restituendam teneri, vt commune DD. placitum, & recepta praxis comprobat. *Io.Corrad.p.1. quæst.172. Berarduc.in summa.p.3.tit.de excommunicatione. nume.27. Lazar.l.c.sect.4.quæst.4.n.6. Gutierez.l.1.can.qq.c.2.*

QVAESTIO XXXIX.

VTRVM QVI SPE IVBILEI DELIQVIT, absolui possit, & sub qua forma, & vtrum pœnitens à censuris & casibus reseruatis absolutus remaneat, etiam si pręcepta in Iubileo nõ adimpleat.

VTrum cõfessarius absoluere queat pęnitentẽ, qui spe Iubilei deliquit. v.g. Antonius audiẽs publicari Bullam, qua cõfessarijs datur facultas absoluendi in foro conscientiæ, seruata consueta ecclesia forma, & alijs de iure seruãdis, illos qui extra statum ecclesiasticum frumentũ deferentes, in excommunicationem Sedi Apostolicę reseruatam inciderunt, hoc crimen antea cum nõ admisisset, nunc prętextu Bullæ, & sub spe obtinendæ statim absolutionis, non modo frumentum, sed etiam alia prohibita extra ecclesiasticam ditionẽ vendenda detulit, quęritur, vtrũ vigore dictæ Bullæ absolui debeat, & sub qua ecclesiæ forma, & an remaneat absolutus à reseruatis, etiam si post absolutionem, reliqua nõ pręstet, quæ ad Iubilei consecutionem necessaria sunt? R. Supponendo, pœnitentẽ teneri omnia adimplete, quę pro Iubileo cõsequendo in Bulla pręcipiuntur, quæ regulariter tria esse solent. Primo ieiunium quarta, sexta, & sabbatho perficiendum. Secundo, visitatio ecclesiarũ per loci Ordinarium præscriptarũ. Tertio eleemosyna proprio arbitrio iuxta cuiusque vires eroganda. Quæ quidem opera pręcepta, si in Põtificio Diplomate in alia opera pia cõmutandi facultas non cõcedatur, in forma specifica adimplenda sunt, nec impossibilitas excusare solet, iuxta illud vulgatũ axioma, Iubileum, & Indulgẽtia tantum valent, quantum sonant. *Reginald.libr.7.num. 176.& seq. Molfes.tract.7.cap.16.n.37.* his inquam

suppo-

suppositis, ad 1. dub. Respondetur, eum qui ex confidentia Bullę, vel alterius priuilegij consequendi, in casum reseruatum se præcipitauit, posse tite confessum per Iubileum absolui. Quod confirmari potest eodem argumento quo *Caiet. 22. quæst. 21. art. 2.* quem penè omnes recentiores sequuntur, probat, illum non aggrauare suum peccatū, sed minuere, qui sub prætextu peccat, qđ postea confitebitur, & pœnitentiam aget, nempe quia id voluntatis est transitoriæ, & non in malo pertinacis. Vnde ēt religiosis, qui cum spe absolutionem obtinēdi, in censuras, & irregularitates incidunt, absolutio ab eorum Prælatis passim nō denegatur: & multi Clerici admittentes aliqua delicta, sub spe certa, quod à Iudice Laico non punientur, & suis priuilegijs gaudebunt, valide absoluūtur, &c. vt omnes DD. astruunt. Vbi tamen nonnulli valde probabiliter negant, si cōcedatur Iubileū in vna ex duab. hebdomadis obtinēdū, qui illud in prima consecutus est, nō posse in secūda à casibus reseruatis absolui, si interim in eos inciderit, cum in Iubileis, quæ hoc tēpore emanare solent, facultas illa lucrādi in forma disiunctiua scilicet in prima, vel secunda hebdomada concedatur. *contra Molfes. tract. 7 capit. 16. num. 45. & alios relatos per Bonac. l. infra citand. §. 3. nu. 17.* Multi quoq; DD. eam limitationem huic doctrinæ adhibent, vt semper vera sit, nisi in Diplomate exprimatur, ne spe Iubilei delinquentes eo ad huiusmodi peccata vti possint, quod si nihil excipiatur, in re fauorabili gratia est late interpretanda. Quod ēt in dispēsatione irregularitatū, si circa has facultas detur, procedit, & in absolutione censurarum, & votorū dispēsatione, nisi contrarium, vt dixi, in Indulto declaretur. *Nau. de Iub. notab. 34. & cons. 10. de Priuileg. Graffius l. 1. decis. aur. cap. 13. num. 59. Zerula de Iub. cap. 13. q. 2. Berzon. de anno Iub. lib. 5. cap. 14. dub. 24. Beia. p. 2. respons. casu. 2. Reginald p. 1. lib. 8. num. 34. Molfes. tract. 7. cap. 16. num. 48.*

Ad secundam dubitationem respondetur. Hanc absolutionem extra confessionem dari posse, iuxta tradita in præcedenti quæstione. In qua quidē præstar da, illa quatuor de iure sunt seruanda. Primo, vt tali excommunicato iuramentū detur, quod ecclesiæ mandatis parebit. Secūdo, si pro culpa, & offensione publica est in eum gladio excōmunicationis animaduersum, astringēdus est, vt prius satisfaciat, si potest, aliàs cautio pignoratitia, vel fideiussoria, vel etiam iuratoria sufficiet. Et quādo absolutio petitur pro solo foro conscientiæ, credendū est reo dicenti, se impotentem esse ad soluendum, in foro vero externo id necessario probare debet, &c. *Tusch. in v. asserēti. cōcl. 536.* Tertio, vt fiat cū ritu, & cæremonia Psalmi pœnitentialis, & humerorum leuis verberationis. Quarto, quando excōmunicatio fuit cōtracta propter enorme aliquod crimen, vt incendium, sacrilegam Clerici percussionem, aut propter ea crimina, quæ in Bulla Cœnæ Domini continentur, tunc ab absoluendo iuramentum exigendū est, quod in posterum huiusmodi crimen non perpetrabit, vt colligitur ex *cap. ex tenore. c. à nobis. el. 2. ext. de sent. excommunicat. cap. pessimam. 23. quæst. 8. & communiter DD. docent.* Quas solemnitates multi graues DD. intelligi volunt de absolutione, quæ in foro externo, ex locorum consuetudine impendi solet: quando tamen absolutio secreto, & in foro pœnitentiali præstanda est, tunc in confessione dicere sufficit, Ego te absoluo à vinculo excommunicationis, quod incurristi propter tale factum, & restituo te Sacramentis ecclesię, &c. Quamuis cum commodum est, & vacat, cōsultius est, pluribus cæremonijs vti, vt reus sui vinculi grauitatem magis apprehendat, cum illarum vsus valeat ad terrēdum, ad pudefaciendum, confundendum, atq; ad augendū ipsius patientiæ meritum, *Beia p. 2. respons. casu. 2. Henriq. de excommunicatione. cap. 29. num. 4. Auila. de cens. p. 2. capit. 7. disp 2. dub. 2. & 3. Coninch. de excommunicatione. disp. 14. dub. 16. n. 203. Reg. l. 9 n. 74. et seq.*

Ad Tertiam quæstionē dico, rite absolutum remanere, si tunc præscripta opera adimplere intēdebat, nam dum initio hebdomadæ confessus est animo præstandi cætera ad Iubilei consecutionem necessaria, & ab electo confessario casuum reseruatorum, & excommunicationum absolutionem, votorumq; dispensationem, vel commutationem obtinuit, vtique absolutione completa, & à peccatis absolutus remanet, & ipsorum votorum commutatio effectum suum sortitur, nec per nouum lethale peccatum temissa reuiuiscunt, nec sic agendo mortaliter peccauit, quia nulli grauem iniuriam intulit, sed sibi tantum nocuit, Iubilei fructu se priuando. *Sanchez. lib. 8. de matr. d. 15. & de pręcept. lib. 4. cap. 54. Bonac. de pœnit. d. 5. quæst. 7. p. 5. §. 5. Io. Bap. Corrad. respons. cas. quæst. 207. Molfes. tract. 7. cap. 16. n. 11. Coriol. de cas. reser. p. 1. sect. 3. ar. 17. & omnes cōiter.*

QVAESTIO XL.

NVNQVID CONFESSARIVS VIRTVTE Iubilei teneatur vota pœnitentis commutare, vel super his dispensare, &c.

VTrum cōfessarius virtute Iubilei electus possit, & teneatur, vota pœnitentis dispensare, vel cōmutare, etiam si nō tàm iustam causam subesse videat, v. g. quis votum emisit de non nubendo, vel de non ducēda vxore, nunc cum videat per Bullam Iubilei, cuilibet confessario approbato concedi facultatem dispēsandi in votis Papæ reseruatis (exceptis castitatis, & religionis votis) & eadem commutandi, dispensationem petit, &c? R. Præsupposita

illa

illa veriori sententia, cui datur dispensandi facultas, censeri etiam ad commutandum impendi, quia cui committitur quod plus est, conceditur etiam quod est minus, Et odia restringi, fauores vero conuenit ampliari. *cap. cui licet. cap. odia. de reg. Iu. in 6.* Non è contra, cui tribuitur commutandi facultas, quod minus est, censetur data ad dispensandū, qđ maius est. Supposita etiā veritate illius Pliniani proloquij, Votis tunc maxime locum esse, cum spei vitæ nullus est; multi enim ob magna impedentia mortis pericula, turbidis animi perturbationib. acti, Deum ad opem implorandam inuocant, & ei vota nuncupāt, quæ postea se emisisse eos pœnitet, & ideò dispensationem etiam sine causa petunt, &c. Cum tamen legamus veteres Ethnicos (quod christianis ingentem pudorem, ac timorem incutere deberet) non solum frequenter vota nuncupasse, sed etiam summa eorum religione, ac cura reddidisse. Vnde est illud *Marc. Tull. libr. 2. de legibus.* Caute vota reddunto. Et eos qui vota facerēt, reos voti, eorumq; cōpotes factos, quoad promissa soluissent, damnatos voti appellatos, testis est *Macrob. lib. 3. Satur. capit. 2. & Anast. Germ. de sacr. immunit. lib. 1. cap. 17.* His inquam præsuppositis, dico confessarium vi Bullæ, vel Iubilei electum, teneri commutare, vel dispensare vota, quæ ipse pœnitens vouens præceptis Iubilei ad vnguem adimpletis, rationabiliter commutari, vel dispensari postulauerit; nam cum confessarius sit Iudex delegatus in fauorem pœnitentis, ad gratias, & indulgētias Romani Pontificis ei administrandas, & exequēdas assignatus, profectò debet pœnitenti ius suum ttibuere, & charismata, gratiasque, ea meliori forma qua potest, indulgere, &c.

Quod à simili sic explicatur, quia si Episcopus, cum causa subest, dispensare nolit, dispensator infidelis dicitur, ergo si confessarius rationabilem causam adesse sibi persuadeat, dispēsare tenetur, si parua causa subsit, debet cōmutare in æquale, si grauis ratio, & occasio vrgeat, in aliud aliquanto minus, (licet vt ait *Sanchez. lib. 4. de precept. cap. 54 nu. 12.* Per priuilegia regularibus concessa, nulla sit culpa non commutare, quia suis priuilegijs vti nō astringuntur.) Vnde cum apud omnes Doctores exploratum sit, hoc votum non nubendi non esse votum castitatis, ac proinde vi Iubilei posse à confessario electo commutari, dicendum est, causam subesse debere, quæ pœnitentem moueat ad huiusmodi commutationem petendam, vt si v.g. ira carnis stimulis vrgeatur, vt facile se continere posse desperet: deinde conari debet, vt quò ad fieri potest, commutatio in æquale bonū fiat. Quamuis vbi virtute Priuilegij, Bullæ, vel Iubilei vota commutāda sunt, in aliquid mitius, & parum minus transferri possunt, vt priuilegium, vel Pontificia Indulgentia aliquid operetur, vt ex communi ait *Sayrus. libr. 6. clauis regia. c. 12. num. 19. Graff. l. 2. Decis. aur. cap. 30. n. 7.* quidquid incontrarium sentire videatur. *Suarez. tom. 2. de relig. lib 6. cap. 7. & 19. & idem Sanchez. d. libr. 4. de precept. cap. 50. num. 19. & Reginal. lib. 18. n. 352.* Et ex veriori DD. placito vota tēpore Iubilei possunt extra Sacramentum confessionis commutari; tùm quia nullo iure contrarium præscribitur, tùm quia hoc materia Sacramenti pœnitentiæ necessaria non censetur; & ipsa vota commutari poterunt etiā si pœnitens immemor sit speciei, seu obiecti, vel ipsorum numeri, vt per eundem *Sanchez. l. c. cap. 54. num. 15. & 30 & Bonac. tract. de legibus d. 4 q. 2. p. 7. §. 3. num. 16.* Notandum est āūt vnum particulare pro tēpore Iubilei, qđ si confessarius compluribus audiendis confessionibus occupatus dicat, commuto tibi nunc hoc votum in id, quod quidam uir doctus commutandum iudicauerit, poterit confessarius transacto Iubileo, materiam determinare, quia vir doctus non commutat, sed tātum declarat materiam, in quam confessarius uere commutauit. Et aliquando sapientiæ actus est ita facere, quādoquidem, qui hoc onus cōmutandi vota suscipit, peritus, & in animarum regimine versatus esse debet. *Viual. in cand. aur. cap. 14. num. 40. Sayr. l. c. num. 21. Sanchez. lib. 8. de matrim. d. 15. num. 15.*

Porro qui ab aliquo uoto Sūmo Pontifici reseruato absoluere, uel super his dispensare præsumpserit absque speciali facultate, Papali excommunicatione irretitur, &c. *cap. Et si dominici. el. 2. in Extrauag. de pœnit. & remiss.*

QVAESTIO XLI.

NVM MORTVO RESERVANTE POSSIT confessarius à casibus reseruatis absoluere.

Quæritur pro fine materiæ iurisdictionis in cōfessario requisitæ, an extra tempus Iubilei, periculi mortis, & scandali uitandi, liceat eidem ministro Sacramenti pœnitentiæ absoluere, non solum à casibus Episcopo reseruatis, sed etiam ab illis, qui in Bulla Cœnæ Domini Pontifici reseruari solēt, ut si v.g. Episcopus sit mortuus, uel ab officio remotus, uel etiam Papa sit uita functus, &c? R. Defuncto Episcopo, uel à munere abdicato, casus ab eo reseruatos, nisi à Vicario aliud caueatur, expirare, non tamen qui per modum legis in synodalibus constitutionibus continētur, tunc enim nisi à successore reuocentur, instar legis perpetuo durāt. Atque idemmet censendum est, cum Episcopus ad supremum Pontificatus apicem euectus est, donec enim aliud à successore Episcopo statuatur, eosdem casus durare, & reseruationi subijci, existimare debemus, si à Iure, sed non ab homine reseruari conspiciantur, ut quia in synodalibus Decretis sint inserti.

Idem

Idem de casibus regularibus Prælatis reseruatis dicendum est. *Vgol. de officio. Episcopi. p. 2. capit. 40. & de cens. tab. 1. cap. 9. §. 4. Barthol. Metina. lib. Instit. confess. cap. 10. Piasecius. in praxi Episcopali. p. 2. tit. de casibus. reser. num. 17. Megalus. in Instit. confess. par. 1. cap. 12. num. 4.*

Vbi etiam illud obseruãdum, quod cum Episcopus, uel Prælatus regularis aliquos casus in tabella proponit, quos publicat, vultque esse reseruatos, nisi aliud exprimat, illi exclusi censeri debent, qui in synodi sanctionibus, & religionis constitutionibus insiti reperiuntur. *Comitulus. in respons. l. 1. q. 25.*

Quò ad Bullam Cœnæ Domini. i. illum processum, Papales excommunicationes continentem, sic nuncupatum, eo quod in die Iouis sancta legatur, & multa delinquentium genera graui excommunicationis gladio feriantur, statuendum est, quod cum perpetuitas ei sit attributa, ita ut merito à iure simpliciter, & non ab homine lata esse dicatur, mortuo ipso Summo pontifice nõ expirat, sed perdurat, donec alia promulgetur, ut proinde Sede uacãte, confessarijs integrum non sit, à casibus in illa contentis absque alia facultate absoluere, nec hęc lex per non vsum tolli possit; singulis enim annis Summus Pontifex processum hunc Romæ publicat, & omnia in d. Bulla disposita renouat, ut sic constet, eum nolle actus contrarios tolerare, &c. *Vinal. in eius explicat. num. 289. Vgol. p. 3. Comment. cap. 1. §. 1. Auila p. 2. c. 1. disp. 1. Duard. lib. 1. cap. 3. quæst. 7. concl. 3. Reginal. lib. 9. cap. 13. num. 230. Molfes. tr. 9. c. 8. nu. 5 1.*

Addo etiam, quod licet uerum sit, casus reseruatos duob. potissimum modis tolli, uidelicet per absolutionem legitimi ministri, & per mortẽ reseruantis, quando reseruatio est ab homine tantum, ut diximus; si tamen aliquis, etiã circunscripta Bulla Cœnæ Domini, in casum aliquem censuram excõmunicationis habentem, ante mortem Prælati inciderit, utiq; reseruatio quò ad ipsum nõ tollitur, & per consequẽs, uel à Successore, uel à capitulo Sede uacante absolutio impẽdi debet, siquidem reseruatio morte Prælati aufertur, quando eo uiuente, quis ipsomet casu reseruato censura carente esset affectus, etiam si ante illius obitum deliquisset. *Graffius. l. 1. cas. reser. cap. 4. n. 47.* quidquid indistinctè loquens dicat idem *Molfes. tract. 7. cap. 17. num. 45.*

INTERROGATIONES, QVAE INSTITVI possunt super scientia confessarij. Cap. VII.

QVÆSTIO XLII.

CVR SCIENTIA IN CONFESSARIO requiratur, & quanta hæc esse debeat, &c.

AD quid scientia in confessario requiritur, & quanta hæc esse debet ad hoc ut rectè munere suo fungatur? R. Cum primarium cõfessarij munus in pœnitentiali foro sit subditos sibi cõfitẽtes ligare, & soluere, cuius muneris executionem esse actum iudiciarium, ex Cõc. Trid. *sess. 14. can. 9.* supra insinuauimus, hinc fit, ut præter potestatem, de qua dictum est, debitam scientiam requirat, quę uicem lucis suppleat, qua ipse confessarius ad talem actum peragendũ maxime indiget, sicut materiale lumen ad usum clauis clauigero necessarium est, ut habetur in *cap. quia quorundam. in Extrauag. communi. tit. de verb. signif.* Apertaq; ratione probatur. *in cap. 1. §. caueat. de pœnit. dist. 6.* Caueat, inquit, spiritualis Iudex, ut sicut non commisit crimen nequitię, ita nõ careat munere scientiæ, oportet enim, ut sciat cognoscere, quidquid debet iudicare. Et inter alia quibus Iudex ad iudicandum muniri debet, hoc unum ex omnium sententia præcipue necessarium est, nimirum scientia, & rerum peritia, qua officium suum rectè obire sciat, & possit; lex namque, tàm naturalis, quàm humana prohibet, ne quis artem, quã ignorat, exerceat, Hinc *Vates Regius. Psal. 2.* Erudimini, qui iudicatis terram, & *Sapiens Salomon. sap. cap. 6.* Diligite lumen sapientiæ, qui iudicatis orbem. Et ut ait ille, Vbi nõ est sciẽtia, animæ nõ est bonum. Et sane ita res se habet, nam ubi confessarij ignari sunt, nil boni animis Christi sanguine redẽptis euenire potest, nec ecclesia pacis bono florere. Et certũ est literarũ studia esse nobis in tẽpore aduersitatis solatio, ut ait *Cicero pro Archia Poeta.* Vnde, & *Plinius Iunior. lib. 1. Epist.* dixit, Dulce otium, & regale, oẽm negotiorũ curam excedẽs. Sic per cõsolationem scripturarum potissimum diuinarum spem habemus *ait Apost. ad Rom. 15.* Et cum maris imperium Mitylinenses tenerent, socijs qui desciuerant, hanc pœnã imposuerũt, vt liberos suos literas non docerent, omniũ suppliciorũ hoc grauissimum iudicantes, in ignorantia vitam transigere. *Roder. in qq. regul. tom. 3. quæst. 34. art. 3. Sayrus. in claui reg. lib. 12. cap. 13 numer. 1. Ghisler. de Iud. regul. cap. 5. Tusch. in v. scientia. concl. 58. Tholos. p. 3. syntag. Iu. lib. 31. cap. 37.*

Porro quæ & quanta scientia cõfessario opus sit, vt ad absoluendum à peccatis idoneus cẽseatur, dico quod ad hoc vt licite pœnitentiæ Sacramentum ministret, necesse est, vt tanta sciẽtia muniatur, vt in his, quæ communiter occurrũt, discernere possit inter lepram, & lepram, quę sint venialia, & quę mortalia peccata, quænam censuram annexam habeãt, & quæ non; quæ circunstantiæ mutent speciem, aggrauent, ac alleuient; qui casus sint reseruati, à quibus absoluere nequit; quibus conditionibus confessarius prẹditus esse debeat, & quibusnam confessio. Quænam partes sacramenti pęnitentiæ, quomodo peccetur cõtra præcepta decalogi, & ecclesiæ. Quomodo in cõtractibus, & humanis commercijs iniustitia,

stitia, & vsuræ labes contrahatur, quando pœnitens ad restitutionem obligetur, &c. Quid differat cẽsura ab iniustitia, & quomodo violatio charitatis differat à transgressione iustitiæ. Patet, quia sine tali scientia non potest prudenter de statu pœnitentis iudicare, aut eum in viã salutis dirigere, quod tamẽ ad ipsius officiũ est necessarium, & aliàs metuẽdum est illa Christi Dñi nostri *Matth. c. 15.* comminatio Cęcus autẽ si cæco ducatũ præstat, ambo in foueam cadunt. Qua preceptione regulatium etiam confessarij astringuntur: Vnde Clemens VIII. in Decreto pro reseruatione casuum à Superiorib. religiosorum facienda, ait, Superiores in singulis domibus deputent duos, tres, aut plures confessarios, pro subditorum numero, maiori, vel minori, iiq; sint docti, prudentes, & charitate prædìti, &c. Et Conc. *Colon. 3. p. 10. cap. 8.* loquens de confessarijs monialium, sic pręcipit, Debẽt autem ij, qui huiusmodi munere in monasterijs moniaiiũ funguntur, esse homines vitę probatissimæ, ac morum quàm maxime inculpatorum, eruditi, ac singularis iudicij. Nec abludit *D. Ant. in 3. par tit. 20. cap. 2. §. 3.* cum dicit, Monialibus tribuatur Confessor, qui nõ solum sit honestus, sed etiam sciat, quæ spectãt ad vitam religiosam, vt valeat eis facere cõscientiã de trãsgressionibus, &c. Sed cum hic certa regula cõstitui nequeat, arbitrio, & prudẽtię Episcopi, & Examinatorum relinquendum est; nam sicut in grauioribus causis, & maioribus tribunalibus doctiores Iudices, & in sæuioribus morbis peritiores medici necessarij sunt, ita ẽt Confessariorũ peritia maior, & minor, iuxta eorũ qualitates, & modum cõscientiarum, quarum confessiones excipiunt, requiritur. *vt dixi supra tract. 1. c. 9. q. 47.* Vbi tamen illud obseruandum est, Confessarium, cui à pœnitente mandatum Apostolicum, vel Pontificiæ literæ exhibentur, vt ab eo dispensationem aliquam, seu absolutionẽ obtineat, præter notam scientiam, necessario etiam ad Doctoratus laurea in Sacra Theologia, vel iure Canonico promotum esse debere, nisi Pontificio aliquo priuilegio quò ad hanc conditionem suffultus sit, quo quidem multi regulares confessarij gaudent. At plerique dispensationem, vel absolutionem non fore inualidam asserunt, si ab eo conferatur, qui Doctoratus gradum consecutus est, quamuis Theologię, vel Iuris Canonici pręcepta non calleat: atq; idem statuunt, si dispensatio, vel absolutio ab eo impleatur, qui cõmuni errore, & colorato titulo verus Doctor existimatur, ex axiomate. *l. Barbarius ff. de officio. Prat. ita Sanchez lib. 8. de matrimonio. d. 34. nu. 11. Salas de legibus, disp. 20. sect. 17. Bonac. eodem tract. disp. 1. quæst. 2. par. 2. num. 3. & aly.*

QVAESTIO XLIII.

AN MVNVS AVDIENDARVM CONFESsionum appetere, & procurare liceat.

VTrum, tàm sęculari, quàm regulari liceat, munus audiendarum cõfessionum appetere, & procurare? R. Si loquamur de sæculari sacerdote, qui se probabili, & morali quadã ratione idoneum iudicat, dico licere posse, modo bono fine hoc faciat, non vt præsit, sed vt prosit, & iudicio, beneplacitoque Episcopi, & Examinatorum se submittat, & medijs honestis, ac licitis hoc procuret: et si minus principaliter illum honorẽ, gradum, & altitudinem ministerij, aliquodq; temporale emolumentũ consecutiue intendat. *Graffius lib. 1. decis. aur. capit. 15. num. 10. arg. Nau. in Miscell. de oratione. Miscell. 42. Pet. Nau. l. 2. de restit. ablat. c. 4. §. 2. dubitatio. n. 20.*

Nec se dignum aliquo officio ecclesiastico reputare superbiæ, ac temeritatis culpã arguit; aliàs magna mortalium pars in ancipiti, & lubrico salutis periculo versaretur. Quis enim hominũ reperitur, qui muneribus obeundis nõ se idoneum existimet? Siquidẽ vt scite dixit Aeneas Syluius, qui postea Pius II. dictus est in *hist. Boem. cap. 6. & Roder. tom. 3. qq. regul. quæst. 34. art. 2.* Agrum colere, gregem pascere, nauim regere, texere, suere, ædificare, se ignorare homines multi fatẽtur. Magistratum in vrbibus gerere, gẽtibus, ac nationibus imperare, quod difficillimum est, nemo sibi à natura negatum dicit.

Sed quod attinet ad regularem in obseruantiori religione degentem, non leui pœna multaretur, qui hoc officium cupere, aut etiam honesto in speciem prætextu affectare deprehẽderetur, cum in bene institutis religiosis ordinibus. Illa Imperatorum sanctio seruetur; Indignus est sacerdotio, qui non fuerit initiatus inuitus. *l. quemquam C. de Episcopis. & cler.* Admonent tamen *Suarez. tom. 4. d. 28. sect. 2. nu. 7. & Reg. lib. 1. cap. 12. num. 139. Henriq. de pænitẽtia. l. 3. cap. 26. num. 2.* Quod religiosi obedientia illud tãtum efficere potest, vt subditus excusetur à culpa, si de sua capacitate dubitãs, tali dubio scrupuloque deposito, suo Superiori credat dicẽti, eum idoneum esse ad hoc sacramentum administrãdum, dummodo aliud sibi euidenter non cõstet. Addunt etiam hi authores, approbationẽ Episcopi bona fide factam posse idem efficere respectu sacerdotũ sæcularium, sua sponte hoc munus assumẽtium; quia Episcopus quoq; Superior eorum est, cuius iudicio illi acquiescere possunt, quãdo contrariũ aperte non constat. Quo tamẽ in negotio Episcopi ipsi, & Examinatores oculati esse debẽt; hic enim locum habere videtur quod de medicis aliqui sapientes tradunt, cum aiunt, Vsus docet, nullam esse artem, in qua vel frequentiori, vel maiori audacia, & impunitate peccetur,

tur, quàm in medicina, cuius peritiam quiuis impostores, & ignari nullo pœnę metu iactant, & profitentur. Sol felices eorum sucessus intuetur, errores tellus tegit, &c. *Ann. Robert. l. 1. rerum iud. cap. 5.*

QVAESTIO XLIV.

AN SATIVS SIT CONFESSARIVM iuuenem, vel potius senem esse.

Quaeritur an præstet, ac satius sit confessarium esse senem, vel iuuenem? R. Cum confessarij officium exposcat, conscientias extricare, & aperire quid in illis lateat, vt absolutionis sententiam ferre, aut negare possit, prout in Domino expedire, & pęnitentis saluti cōducere videbitur, multum refert, cōfessarium esse senem, vt pote peritum, & ob multos euentus expertum: senectus namq; nos ab impudentissimis dominis liberat voluptatibus, gulæ imponit modum, libidinis frāgit impetus, auget sapientiam, maturiora dat consilia, liberius cum opus est loquitur, hinc quidam sapiens cum libere repręhēderet, dixit, Duę res mihi licentiam præbēt, orbitas, & senectus. Quod significare voluit Sapiēs *Prouerb. cap. 6.* asserēs, Corona dignitatis senectus, quæ reperitur in vijs iustitiæ. Hinc etiam Scriptores nouimus sparsim huic ætati multum detulisse. Et *Quintilianus inter alios l. 12. cap. 4.* Senibus inquit, auctoritas maior est, quod plura nosse, & vidisse credūtur, ita vt ipsa auctoritas merito senectutis apex à Catone fuerit appellata. Cuius exemplum, *S. Iobus cap. 29.* retulit, qui quamuis nōdum annis esset effœtus, quia tamen morib. erat senex, cum in aliorum cōspectum prodibat, omnes relictis leuioribus rebus, adeo illum reuerebantur, vt iuuenes ab eius vultu absconderentur, maturiores assurgerent, alij à loquendo cessarent, atque in eum vnum omnium ora conuerterentur. *Roder. in qq. reg. to. 3. q. 34. ar. 2.* vt etiam annotauimus supra *tract. 1. cap. 2. quæst. 9.* Hæc scientia regēdarum animarum, atque in viam salutis dirigendarū omnium est difficillima; ex vna enim parte humanæ conscientiæ adeò varię sunt, ac diuersę, ac quæ sunt naturales hominum vultus. Imò adhuc in his maior diuersitas agnoscitur; nā facies raro non nisi post multos annos, aut extraordinarijs morbis mutantur: In cōscientijs vero magnę solent esse immutationes, eo quod à varijs spiritib. & multis passionibus, quæ fluctuum instar diuersas alterationes efficiunt, acriter oppugnentur. Quas probe nosse ad senē magis, quàm ad iuuenem spectat, cum senectus animæ vita sit nūcupata, eo quod vt ait *D. Hieronymus Epist. 2. ad Nep.* In senibus crescat sapiētia. Vnde Sunamitidem illā, quę perquisita fuit, vt Dauidem annos natum septuaginta calefaceret, mystico sensu exponit, indicare sapientiā, quæ Dauidē senē fouebat; ac refert itidem Themistoclem, cum expletis cētum, & septem annis, se mori cerneret, dixisse, se dolere, quod tunc è vita egrederetur, quando sapere cœpisset. Quod & veteres Poetæ tradiderunt, dicentes:

Sapiētia ætas condimentū est, sapiens ætati cib. est. *Alexander conf. 4. l. 4. Tusch. v. Senectus. concl. 102.* Et certum est ad aliquid agendum opus esse id bene nosse, in quo versandum est, duplicemque hanc sciētiam dici, alteram, quam speculatiuam vocant, q̄ moralis Philosophiæ præceptis, historiarū cognitione, bonarumque artium peritia constar, alteram, quam practicam dicunt, quæ ex solo fere aspectu, & rerum, quæ quotidie in magno hoc mundi theatro accidūt obseruatione, & ex multis memorijs, & experimentis comparatur. Cui tantum nonnulli tribuerunt, vt non minus ipsi, quàm demonstrationibus cōcedendum censuerint, & vsum omnium magistrorum præcepta superare pronuntiarint: hinc. n. vulgo effertur, experiētiam esse rerum magistram. *Arist. 6. Eth. capit. 11. cap. quam sit. de elect. in 6.* Et merito Aphranius dixerit,

Vsus me genuit, mater peperit memoria,

Accumerata omnia, quæ in Deum, vel homines committuntur, ex triplici præcipue fonte oriuntur, scil. ex ignorantia, infirmitate, & malitia, quis non videt hæc leuiora, ac minora in senectute, quàm in alijs ætatib. se ostēdere? Vt dixi supra *tr. 1 c. 10. q. 59.*

Quibus omnibus pręsidijs senex munitus, in animarum cura, quæ ars artium dicitur, plus prospicit, melius consulit, minus decipitur, certius iudicat, ac se ipsum, ac alios cautius regere nouit, &c. Vnde est illud adagium, Eum ausculta, cui quatuor sunt aures, quod monet, audiendos esse illos, qui diuturno cōplurium rerum vsu præ cęteris sapiunt, vt faciunt senes, sic enim apud Homerum laudatur Nestoris oratio, tanquā omnium auditu dignissima, & Ægyptium senem primo loco loquentem introducit.

Qui iam curuus erat senio, sed plurima norat.

Quò etiam illud spectat, Prospectandum, vetulo latrante cane, hoc est nequaquam negligēdum, quoties senes periculū cauendū admonent, canes enim vetuli non temere latrant, &c. Quia tamen cani indices sunt ætatis, haud prudentiæ, & indignum est vt ait ille, officio, & muneri non eum tempestiuū videri, qui iam virtuti maturus est, Iuuenes quoque eligi in confessarios poterunt, si probitas, & scientia eis non desit. Eorum postmodū partes erunt, in occurrentibus dubijs presertim difficiliorib. seniorum, expertorum, ac prudentum consilium exquirere: sicut enim medici studium in experimento, & praxi duos saltem annos, antequam ipsam artē exerceāt, ponere solent, multo magis iuuenes, qui à cōfessionibus sunt, cum senibus agere, & ab ijs alienas conscientias regendi, & quæ suboriuntur controuersias expli-

explicandi documenta percipere oportet: nam & Aristoteles dicebat, medicum magis experiētia fieri, quàm aut studio, aut erudita medicorum lectione. *Tiraq. de Iure primogen. in Præfat. num. 94. Pal. de bono. senect. p. 2. Roder. l. c.*

QVAESTIO XLV.

AN CONFESSARIVS IN SVO TRIBVNALI teneatur omnia dubia ad conscientiam pertinentia resoluere.

TEnetur ne confessarius etiam si peritus sit, & in arte audiendarum cōfessionum expertus, omnia dubia, quæ ad suum tribunal deferuntur, in omnibus casibus occurrētibus, ex tēpore resoluere? R. Cum duplex in confessatio cōsiderari possit scientia, scilicet eminens, qua quis obscurissimas, & difficillimas quæstiones prompte, & expedite explicare, & definire nouit; & mediocris, qua determinate potest quæ in suo officio frequēter, & passim occurrunt, cum deliberatione, & librorū reuolutione veritatem inuestigando, vel doctos cōsulendo, seu peritiores interrogando, hæc secunda scientia confessario in suo munere obeūdo sufficere videtur, vt per Doctores in *c. cū in cunctis. ext. de elect. & Graffium lib. 1. Decis. aur. cap. 15. num. 1.* Quippe in rebus dubijs, & grauib. sapientis est, sustinere assensum, cum optimi consilij sit inimica celeritas. Ideo super rem seriam, & magni ponderis dormire oportet, lectuli enim culcitra (vt aiunt) cōsilium præbet. Propterea Demosthenes dicere solebat, Improbum ciuem iudico eum, qui nō paratus respondet. Et quidā Gruis collum habere cupiebat, quò non nisi bene discussa verba, & consilia depromeret. Hinc & sapiens *Prouerb. cap. 20.* Sicut aqua profunda, sic consilium in corde viri, sed homo sapiens exhauriet illud: Quo significatur, verum consilium nō facile inueniri, nisi diù, & attēte cogitando, siquidem illi qui statim ad interrogata respōdent, facile decipiuntur. Et hic est ordo Hierarchicus à Deo in Ecclesia institutus, vt minores per maiores, & sapientiores illuminentur, sicut inter Angelos fieri solet. *Roder. tom. 3. qq. reg. quæst. 66. art. 2.* Vide quæ diximus in *Comment. de hum. vita stat. p. 1. cap. 16.*

QVAESTIO XLVI.

AN CONFESSARIVS POENITENTI falsum consilium præbens restituere teneatur.

QVid si Confessarius alicui pœnitenti malum, vel falsum dedit cōsilium, vt quia v. g. ei pœnitenti, an ex tali inito contractu teneretur restituere, respondit, non teneri, cum tamen ex læsa iustitia ad id obligaretur, an ipse peccauit mortaliter, & restituere astringitur? R. Si ex lata culpa dixisset, pœnitentem ad restitutionem non teneri, tunc restituendi obligationem subiret, quia ex lata culpa verā damni causam dedisset, quo creditor afficitur. Si tñ in ea resolutione, quia bona fide putabat se bene dicere, lethaliter non peccauerit, si pœnitentem admonere non possit, per se restituere nō tenebitur; quandoquidē nisi ex lata culpa ad damni reparationem non obligamur. Sicut etiam excusatur ab onere restitutionis, si ob obliuionem non monuit pœnitentem de aliqua re restituēda; quia non obligatur ad hanc monitionem in commodum creditoris, sed in spirituale bonum ipsius pœnitentis. Quando vero confessarius non est ita versatus in contractuum, vsuræ, simoniæ, & similium cognitione, debet vt dictum est, pœnitentē ad aliquem virum doctū à quo instruatur remittere, vel ipse peritiores, seu proprios libros consulere, si enim desint homines, vt sæpe accidit, qui ei consilium dent, non deerunt magistri muti libri, quos euoluat, & in quibus hærens à mortuis, qui eos ediderūt ad hominum vtilitatem, quæ cupit hauriat. *Suarez. disp. 32. sect. 6. numer. 9. Lessius. de iustitia. dub. 13. & cap. 13. dub. 10. nu. 77. & cap. 7. dub. 7. nume. 32. Coninch. de pœnitentia. disput. 8. dub. 17. num. 144. Sayrus. libr. 10. clauis reg. tract. 2. cap. 8. num. 11. Reg. lib. 10. cap. 9. numer. 90. Pet. Nau. lib. 3. rerum ablat. cap. 4. num. 125. Molina de Iustitia. & Iu. tract. 2. d. 730. Rossignol. de discip. christ. perfect. lib. 3. cap. 22.*

QVAESTIO XLVII.

QVOMODO CONFESSARIVS LEPRAM à lepra idest peccatum à peccato discernat.

CVm, vt supra animaduertimus, confessarij officiū exposcat, conscientias extricare, & aperire, quid in illis lateat, vt absolutionis sententiam ferre, aut negare possit, nullus enim Iudex apte causam iudicare potest, cuius factū non satis intelligit; sicut nec medicus morbo bene mederi potest, quem prius non bene cognouerit, quæritur, quō ipse confessarius lepram à lepra, & peccatum mortale à veniali discernet: & quæ regula ad hoc dignoscēdum assumenda sit? R. *D. August. lib. 21. de ciuit. cap. 27.* fatetur, difficillimum esse diffinire, & inuenire, quæ ista peccata sint, quæ aditum ad Dei regnum impediunt, & verissimum est eius iudicium, præsertim in affectionum quantitate, diuitiarū appetitu, aut honorum cupiditate; additq; ob hanc causam, Deum voluisse multa peccata venialia ita occulta esse, vt periculosum sit, de his determinare, ne studiū proficiendi ad omnia peccata cauēda pigrescat, &c. Et *D. Thomas. Quolib. 9. art. 1.* grauiter pronunciauit,

omnem moralem quæstionē, in qua de lethali culpa queritur, periculose determinari, nisi expressa veritas habeatur. Veruntamen quantum ex Theologorum placitis colligere licet, hæc potissima regula tradi solet. Quæ directe, & grauiter charitati Dei, & proximi repugnant, mortalia censenda sunt. Hincque à Doctorib. approbatur illud *Richardi à S. Victore sub finem tract. de differentia peccati mortalis, & venialis.* dum asserit, mortale esse, qđ non potest à quoquam cōmitti, sine graui corruptione sui, aut cōtemptu Dei, aut grandi læsione proximi: reliqua vero omnia esse venialia; quę parum à ratione aliena sunt, & leuiter charitatem Deo & proximo debitam lædunt, ita vt non contra, sed præter legē esse dicantur, nec principium vitæ spiritualis, idest charitatem auferant, sed tantum debilitent. *cap. vnum orarium. dist. 25. gloss. in cap. ille Rex. de pænit. dist. 3. D. Thomas. 1. 2. quæst. 71. art. 6. Tol. lib. 3. capit. 1. Iauellus. de septem peccatis mort cap. 2. Rod. p. 1. capit. 61. num. 2. Sayr. lib. 2. cap. 14. Molfes. tract. 1. cap. 18. Sanchez. lib. 1. de precept. cap. 1. num. 4.* Confessarius tamen nō tenetur semper audito quouis peccato iudicare vtrum mortale, an veniale sit, quia sic vix alioqui vnus idoneus in toto mūdo reperiretur, sed satis est, vt ad peccata attēdat, quò de illis iudicium ferat, licet omnino determinatum nō sit. Vnde in grauioribus peccatis, modo reseruata nō sint, à quibus absoluere nequeat, potest iudicium suspēdere, dato pœnitenti opportuno remedio, ne reincidat. *Reg. libr. 1. num. 146. & Bonac. de pænitentia. d. 5. quæst. 7. p. 4. §. 2. num. 12. & omnes communiter.*

QVAESTIO XLVIII.

AN DEFECTV SCIENTIAE CONFESSARII irrita pænitentis confessio reddatur.

VTrum defectu huius sciētiæ irrita sit pęnitētis confessio, vt si cōfessarius nouerit quidē proferre absolutionis formā, sed omnino sit imperitus, putans venialia, quę ex suo genere sunt mortalia, & è contra? R. Quod non, nisi sit crassa, & supina ignorantia eorum peccatorum, quæ communiter sciuntur mortalem deformitatē secum afferre, quæ sunt elementa quædam, & principia, quæ de necessitate scire oportet, vt homicidium, fornicationem, furtum, &c. Item si nesciret peccata mentalia à lege diuina prohiberi, cum certū sit, cogitationis, & operis peccata specie nō differre, ita vt in foro poli praua voluntas etiā si non sequatur effectus, à Deo puniatur. Quod & Ethnici solo naturæ lumine cognouerunt. Hinc *Iuuenal. Sat. 10.*

Has patitur pœnas peccandi sola voluntas, &c. Gloss. in cap. qui viderit. 32. q. 5. Sed cum de necessitate huius sacramenti non sit, vt sacerdos & pœnitens totam culpæ grauitatem cognoscant, probabile est, quod confessio sit valida, quantumuis pœnitens aliquod peccatum, vt veniale cōfiteatur, quod reuera est mortale, & confessarius eadem ignorantia, & inscitia laboret. Si tàm confessarius, quàm pœnitens de quibusdam, an mortalia sint, dubitat, confessarius ab omni grauitate absoluere in tendere debet, quam re ipsa peccata secum inuoluunt; sciēntia, namq; cōfessario necessaria est illa, quę, vt supra innuimus, arbitrio boni viri, ut sufficienter munus suū exerceat, loci cōsuetudine, & pęnitentiū qualitate perpensa diffinitur, modo noscat vniuersales modos, per quos maior hominum pars contra singula præcepta peccare solet, & in alijs peccatis cōiter nō notis dubitare sciat, & doctiores cōsulere, &c. Vnde quando se ei offert pœnitens grauibus negotijs, & difficultatibus, simoniæ, vsuræ, censuum, cābiorum, testamentorū, aut similium implicatus, debet illum ad aliquem doctum virum remittere, à quo plenius instruatur de eo quod licite, aut illicite factum fuerit, ea. n. omnia ex se scire nō tenetur Confessarius, sicut non esse Doctor in Theologia, vel Iure, sed sufficit, vt nesciens pro huiusmodi difficultatum resolutione ad peritiores recurrat, quib. acquiescere debebit. Hinc prudēter se gessit quidam religiosus ad confessiones audiendas recens admissus, ad quem cum Maleficiorum, vt dicūt, Iudex accederet, cuius conscientiæ discussioni se sufficere non posse putabat, dixit se huiusmodi farinæ hominum confessiones minime excipere. *teste Lazar. de Monit. sect. 2. quæst. 16. Nugnus. in 3 par. D. Thoma. quæst. 8. ar. 5. & Syluius. ibi dub. 7. Suarez. tom. 4. d. 28. sect. 2. numer. 17. Reginal. libr. 1. cap. 13. numer. 146. Henriq. libr. 3. de pænis capit. 26. numer. 7.*

QVAESTIO XLIX.

QVOMODO PECCATVM VENIALE possit fieri mortale, &c.

POtest ne idem numero veniale peccatum fieri mortale, & è contra mortalis culpa venialis euadere? R. Ratione obiecti, vt Theologi loquuntur, non potest, quia, vt dixi, non contra, sed præter legem esse dicitur, prohibitum tñ est, & malum, vt propterea. *D. Bernardus, in l. de præcepto, & dispens.* dixerit, omne peccatum contra Dei mandatū præsumi tametsi, nō raro venialia peccata ad mortalia disponunt, siquidem, qui modica spernit paulatim decidit. *Eccles. cap. 19.* Atque ita illud proloquium intelligitur, Nullum peccatum est adeò veniale, qđ non fiat mortale, si placet. Vnde SS. Patres hanc esse causam aiunt, quamobrem atrocioribus peccatis aditus ad nos pateat, quod in minoribus non eam quàm par sit, correctionem adhibeamus. *d. c. vnum orarium.*

trarium.d.25.Nau.in cap.tres.de pœnit.d.1.Azor.p.1.lib.4.cap.9.quæst.11.Viual.in Cand.aur.p.3.cap.22.Rossignol.de christiana perfect.l.2.cap.6. Billius.in Anthol.Sacra Car.46. Io.Dauid.in Verid.christ.capit.24.Daur.tom.3.capit.6.tit.3.Nigron.de Cur.min.par.2.arg.3.

Ex accidenti tamen,& dispositione agētis, quod ex suo genere veniale tantum est,mortale efficitur, vltimū finem in aliqua re constituendo,vt si ludendo in die festo, esset paratus rem sacram omittere. *Sanchez.lib.1.de præcept.cap.5.num.14.*

Secundo, si quis venialem culpam ad mortalem ordinaret, ac deflecteret,vt si v.g. verbum otiosum proferret, quò aliquam mulierē ad turpem actum induceret, vel laruarū ludum ad aliquod flagitium perpetrandum assumeret: siquidem cuius finis malus est,ipsum quoque malum est. *Nau.in tract.de finibus.hum.actuum. in princip. Viual. in supp.cand. cap.18. num. 29.*

Tertio ex contēptu,cum scilicet quis præceptum violat, quia præceptum est, ac ipsi Superiori præcipienti subijci renuit,quia Superior est;qui quidem, cum formalis est, in quibusuis minimis trāsgressionibus etiam regularium legum, quæ natura sua ad suam culpam non obligant, grauissimā culpā parit.

Item ex conscientia erronea dictante aliquid esse lethale crimen, vt rusticis contingit, qui putant se grauiter delinquere, si ante rem sacram in die festo auditam ientaculum sumant; propterea docendi, ac instruendi sunt,ne ex erronea cōscientia in mortale peccatum se præcipitent. *Henriq.lib.3.de pœnit.cap.28.Tol.lib.3.cap.18.Sayrus.libr.1.cl.reg.cap.4.Sanchez.de Præcep.lib.1.cap.11.Bonacin.de legibus.disp.2.quæst.6.puncto.5.& 6.*

QVAESTIO L.

QVOT MODIS PECCATVM MORTALE possit fieri veniale.

QVot modis peccatum ex suo genere mortale potest ex accidenti veniale fieri? R. Tribus modis.Primo,ex subreptione propter deliberationis defectum,vt contingere in primis solet infidelitatis motibus, cum quasi inopinanter aduenit nobis quædam tentans cogitatio circa credibilia,vt de immortalitate aīæ,de perpetua B. M.V. Dei genitricis virginitate, Christi Domini in Eucharistiæ Sacramento reali præsentia, & similibus, qua cogitatione subitanea animus rapitur,cogitando, quomodo hæc esse possint,&c. Ac de huiusmodi tentationib. quæ animum interdum pulsant, vere illud vulgatum dicitur,& cōmuniter enuntiatur; Primos motus nō esse in hominis potestate.Propterea *D. Bernardinus Senensis*, vt est apud *Sur. in eius vita.c.23.die 20. Maij.* dicere solebat, Nullum in hanc vita reperiri, etiam si eximia sit sanctitate, ac perfectione,cui non impuræ quædam cogitationes incidant,sed vel respuere,vel assentiri,nostri arbitrij esse. Et Abbas Apollò vt est apud *Cass.coll.2. capit.13.*quendam adolescentem consolans,qui ob libidinis stimulos,quib. vrgebatur, erat à quodam sene in desperationem compulsus,dixit nō esse malum fœda cogitatione impugnari,sed vinci, nam se quoque idem sæpe passum, Deo tamen adiuuante, numquam succubuisse. Vnde quantumcunque infideles, aut turpes subrepant cogitationes,vel potius repræsentationes,motus et carnis vsq;ad seminis effussionē insurgāt,nisi volūtas assentiat,culpa caret, cum hic non adsit recessus voluntarius à lege diuina, Doctores in *cap. dubius.ext.de heret.Tol.l.3.p.1.* Idem dicendum de blasphemijs,quæ empio ore ex subito mentis impetu in Deum proijciuntur. *Graff. lib.2.decis.cas.consc.cap.19.numer.9. Sayrus.lib.6. clauis reg.capit.13.numer.6.*

Secūdo ob paruitatē,& exiguitatē materię mortale peccatū in veniale mutatur, vt furari tres obolos,cum res sit modica,venialem tantum culpam in voluit, modo magnam quātitatem surripiendi non adsit intentio.At alteri rem paruam auferens etiam si animum magna surripiendi habuerit,si monitorij excommunicatio feratur, ea non ligabitur. Idem *Sayrus.lib.1. de cens.cap.9.num.9. Lazar.de monit. sect.1.quæst.12.* Excipitur Primo, iuramentū assertorium cum mendacio. Secundo, sigillum cōfessionis, nam in volūtaria reuelatione etiam in peccato veniali sacrilegium committitur. Tertio,delictum carnis, vt in morosa delectatione, vel osculo libidinoso. Quarto, hæresis labes, etiam in modico articulo fidei. Quinto,materia,vel forma sacramētorum, vt qui scienter omitteret infundere aquam in vino consecrando, vel illud verbum enim in panis consecratione.Sexto, materia simoniæ,nam si quis rem spiritualem licet valde modicam,& paruā vendat,lethali obstringitur culpa, siquidē rem spiritualem pretio æstimat, ac illi grauem iniuriam infert. *Bonac.de leg.& pecc.d.2.quæst.3.p.3.numer.11.&c.* In his enim, & similibus cōmunis illa regula locum non habet,Paruitas materiæ excusat à mortali.

Tertio, ex defectu iudicij,vt contingit in pueris, nondum perfecte ratione vtentibus, semiebrijs,vel semi dormientibus;hinc pollutio in semi experrecto nō est mortalis, quia nō est plenū, seu integrum iudicium; ideò religiosus sic eam patiens à casu in religione reseruato excusatur, cum non sit lapsus carnis voluntarius. *Sot.in 4.dist.12.quæst.1.art.7.Tol. lib.5.cap.13.Tiraq.de temp.pœnis.causa.5.numer.9. Bonac.de matr.d.4.p.10.n.4.Molfes.tr.7.c.20.n.102.*

CAP. VIII.

QVÆSTIO LI.

Quaenam sint causae, quae à transgressione legis, tàm diuina, quàm humana excusant.

QVænam sunt causæ excusantes à transgressione legis, tàm diuinæ, quàm humanæ, & consequenter à peccato? R. Sunt multæ, sed præcipue sunt istæ quatuor. Primo, probabilis ignorantia, vel iuris, vel facti, puta si quis excommunicationis pœnam appositã ignorans, Clericũ percuteret, quæ est iuris ignorantia. Quam tamen excusationẽ tantum in homine rudi, agresti, & inter pecora, vel armenta in syluis educato, admittendam esse censemus, cum vt supra *cap. 5. quæst.* 34. significatum est, Canon ille si quis suadente *Diabolo*. 17. *quæst.* 4. lippis, atq; tonsoribus sit notus, ita vix quisquam eius inscitia laborare præsumatur. Vel etiam si quis existimans Andream Laicum percutere, in Lucium Clericum manus violentas injiciat; vel debita diligẽtia adhibita hominẽ interficiat, credens se feram ferire, quę est facti ignorantia. *c. si vero. el. 2. ext. de sent. excom. Graff. lib. 4. decis. aur. c. 9. nu. 41. Sayrus, l. 1. de cens. cap. 18. num. 11. & 18.* Vt etiam si sciret, excommunicationis pœnam' monialium monasteria sine facultate ingredientibus inflictam esse, sed nesciret illum locum clausuræ suppositum, & obnoxium esse, vel ibi post peracta negotia, comœdiæ interesse non licere, Pęna namq; cẽsurę à lege ecclesiastica in Bullis, & Apostolicis cõstitutionib, imposita, ab ijs non incurritur, qui absque dolo, contemptu, & præsumptione, sed bona fide aliquid admittunt. *Roder. tom. 1. qq. regul. quæst. 47. art. 11. Miranda. de Monial. q. 2. art. 20. Suarez. lib. 5. de legibus. cap. 12. Salas. etiam de legibus. d. 15. sect. 9. Riccius. resol. 19. Vasquez. 1. 2. D. Thom. d. 107. cap. 3.*

Secundo, excusat metus in cõstantem hominem cadens, vt à culpa saltem mortali immunis est mulier, quæ metu mariti, verbera minitantis diebus indictis non ieiunat, diebus festis seruilibus operibus vacat, vel sacrũ non audit, modo in dei, vel christianæ religionis contemptum, illum hoc facere nõ credat. Eadem ratione excusatur à peccato Parochus, si probabili mortis metu, eos ad Episcopum non deferat, qui tempore ab ecclesia pręscripto pœnitẽtiæ, vel Eucharistiæ Sacramentum non susceperunt. Et hoc idem in his valet, qui S. Inquisitionis officio, aut legitimo Superiori eos non denũtiant, quos ex edictis, & monitorijs literis sub excommunicationis pœna deferre debere præcipiuntur. *Sot. in 4. dist. 22. q. 1. ar. 4. Corrad. in resp. cas. consc. q. 2. Bonac. de legibus. d. 2. q. 8. p. 2. nu. 10. vt infra dicam q. 54.*

Tertio, necessitas, vt qui extrema inopia cõflictatus aliquid surripit, vel cum alius nõ suppetit cibus, carnes diebus vetitis comedit, seu etiam cum voto astrictus eisdem vescitur, si non habeat alios cibos, & euidenter constet, carnes ad tuendam vitã necessarias esse. *cap. 2. ext. de furtis. Decius, & Cagnol. in l. qua propter. ff. de reg. Iu. Vasquez. par. 2. disp. 162. Tusch. verbo. necessitas concl. 19.*

Quarto, dispensatio, vt cum quis lege soluitur, vt nõ teneatur ieiunare, vel vt in gradu prohibito matrimonium contrahere ualeat. Idem dicendum est de epicheia. i. pia interpretatione, cum scilicet quis ex iusta causa agit contra legem, quam si legislator adesset, approbaret, & trãsgressorem excusaret. *Medina. 1. 2. quæst. 96. ar. 6. Roder. tom. 3. qq. regul. quæst. 64. artic. 2. Syl. in verbo scrupulus. num. 4. & in verbo dispensatio. Carbo lib. 7. de legibus. disput. 12. Sayrus lib. 3. clauis regia, cap. 10. Tolet. lib. 8. capit. 20. Suar. lib. de legibus. cap. 22. Reginal. libr. 13. cap. 16. & lib. 15. num. 39. Graffius. lib. 2. decis. aur. cap. 57. Molfes. tract. 9. c. 13. n. 22. Bonac. de legib. d. 1. q. 1. p. vlt. §. 2.*

QVAESTIO LII.

An leges humanae possint in foro conscientiæ obligare, & quibus verbis id dignoscatur.

LEges humanę possunt ne in foro interno obligare, & quibus signis hoc dignoscitur? R. Leges, tàm sæculares, quàm ecclesiasticas, cõscientias obstringere, eumq; mortaliter peccare, qui illas iustas, promulgatas, receptas, nec abrogatas elapso tempore in his apposito, & ad obligationẽ requisito, sine causa excusante, in re graui transgreditur; Hinc *Apost. ad Rom.* 13. Qui inquit, potestati resistit, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt; ut merito sub diffinitione illa peccati, quod sit recessus à regula diuina uoluntarius, per regulam diuinã, non solum naturale, uel supernaturale præceptum, sed etiam humanæ sanctiones, & præceptiones intelligantur, quandoquidem omnis lex Dei authoritate edita censenda est, iuxta illud Sapientis. *Prou. cap.* 8. Per me Reges regnant, & legum cõditores iusta decernunt. *D. Thomas. 1. 2. q. 96. art. 4. Doct. in cap. 1. ext. de constitut.* Et lex, & statutum in dubio promulgatum, & usu receptum præsumitur, ita ut qui hoc negat, probare debeat. *Roland. à Valle. lib. 1. cons. 90. Tusch. in verbo. lex concl. 257.* Et licet lex Cononica quò ad res fidei, & mores, & ea quæ materiam peccati concernunt, omnes fideles obliget, ac lex itidẽ ciuilis cunctos seculares tàm ciues, qàm incolas locorum, & multoties etiam peregrinos, qui in illo loco morantur astringat, non tamen ipsa secularis lex ecclesia-

sticos

sticos ex sua coactiua vi ligare potest, vt late per *Surdum. cons.* 301. *Martam. de Iurisd. p.* 4. *cent.* 1. *casu.* 1. *&* 2. *Genuens. in Praxi. Cur. Neap. cap.* 92. *Molfes. tract.* 9. *cap.* 8. *num.* 22. *Bonac. de leg. d.* 1. *quaest.* 1. *p.* 6. *n.* 29. Communior vero videtur esse DD. sententia, imperatiua, vel praeceptiua verba, vt mandamus, praecipimus, supposita materiae grauitate, ad lethalem culpam transgredientes obligare, nisi aliud de legislatoris voluntate constet, &c.

Itidem Doctores cõiter istam regulam statuunt, Quod quando adest materiae grauitas, & notabilis poena constituitur, puta à Ciuili Principe, poena capitis, aut amissio bonorum, aut perpetui exilij, vel ab ecclesiastico Iudice poena excommunicationis, suspẽsionis, interdicti, irregularitatis ex delicto, ad mortalem culpam astringere, vt post alios citatos authores, *& Sayrum. lib.* 3. *cl. reg. cap.* 7. *num.* 14. *Coninch. d.* 7. *dub.* 5. *num.* 36. nouissime tradit *Duar. in exposit. Bulla Caena Domin. lib.* 3. *§.* 7. *&* 8. *quaest.* 1. Idem dicendum si haec vel similia apponantur verba, In virtute S. obedientiae, & sub poena praestricti iuramenti, vel sub incursu indignationis Dei, &c. Vbi illud obseruandum est, Superiorẽ rem grauem sub peccato veniali praecipere posse, nõ tamen rem leuem sub mortali, cum authoritate sua abuti non debeat, vt velit leges suas pro leuibus rebus ad mortalem culpam obligare. Vnde multi DD. eos Superiores reprehendendos docent, qui circa leuissima, & parui ponderis, sub poena censurae, aut sub merito obedientiae aliquid praecipiunt. Quibus proinde illud. *Ezechiel. cap.* 34. obijci possit, cum austeritate imperabatis eis, &c. Et illud Saluatoris. *Matth. c.* 23. Imponunt onera grauia, &c.

QVAESTIO LIII.

AN LEX FVNDATA IN PRAESVMptione obliget.

Qvid si lex fundetur in praesumptione, lethali, ne culpa aĩas afficiet? R. Dico humanã legẽ cum se super praesumptione fundat, nec veritati ex parte rei innititur, in foro cõscientię non obligare, quia in eo casu veritas attenditur prout illam confitetur poenitens, cui propterea creditur, qđ de praeiudicio tantum ipsius animae agatur. Quare si lex eum qui matrimonium per verba de praesenti contraxit, compellat in tali coniugio manere, quoniam illa praesumeret cum interiori cõsensu inijsse, quem huiusmodi verba significant, illũ in foro poli non ligabit, qui sine interiori assensu contraxit. *cap. tua nos. ext. de sponsal. & ibi DD.*

Sic etiam siquis iniuste condemnatus fuisset iuxta tamen allegata, & probata, sententiae latae stare non teneretur, licet ratione scandali, leges & censurae iniustae interdum seruandae sint; neque statim à subditis lex iniqua, vel inutilis iudicanda est, cũ saepe ignorentur iustitiae, & vtilitatis causae. *Carbon. d.* 7. *disp.* 3. Hinc si mulier cõtra municipale aliquod statutũ bona sua alienaret, vel cõtraheret absq; affiniũ vel cognatorũ cõsensu, idque sine vllo dolo, fraude, aut laesione, huiusmodi contractũ in foro conscientiae impugnare nõ poterit, in quo, vt dictum est, lex positiua non attenditur, quae super praesumptione fundatur, quando veritas repugnat. Sicut & haeres in testamento minus solemni institutus, si de libera testatoris voluntate constet, potest in foro poli haereditatem sibi asciscere, licet in iudicio illã obtinere nequeat, cum legislatorum mens non sit impedire ne ex huiusmodi testamentis naturalis obligatio oriatur. Eadem ratione quamuis filius familias qui mutuo pecuniam sumpsit, possit se tueri exceptione Senatus Cõs. Macedon. à lege ciuili introducta, ne malis hominib. peccandi materia praebeatur, &c. Si tamen nummi mutuo dati reuera in vtilitatem filij conuersi fuerint, absque culpa praedicta exceptio proponi nequit. *Decian. in tract. crim. tom.* 1. *lib.* 2. *tit. de confes. & eius potest. numer.* 8. *&* 9. *Ala. de adu. p.* 2. *quaest.* 26. *& seq.* Vbi idem resoluunt in causa alicuius virginis defloratę, nam & si puellarum querelae iuris praesumptione foeantur, de qua in *l.* 1. *C. de rapt. virg. & per Abb. in cap.* 1. *de adult.* Si tamen Causidici certi sint, puellam non deceptam, mutuo amore consensisse, non debent suo patrocinio virum compellere, vt (& si paris conditionis sit) cum ea matrimoniũ cõtrahat, vel illam dotet, cum in foro conscientiae praesumptiones veritati cedant. *idem Ala. l. c. part.* 1. *quaest.* 66. *& quaest.* 67. quam satis probabilem sententiam ait *Lessius. lib.* 2. *c.* 19. *dub.* 3. *& Salon.* 22. *quaest.* 5. *de dominio. ar.* 4. *Duard. in Comment. in Bulla Caena Domini. l.* 3. *§.* 8. *quaest.* 2. *Molfes. tract.* 9. *capit.* 8. *num.* 61. *Campan. in Diuers. Iur. can. Rubr.* 12. *cap.* 7. *n.* 10. *Corn. cons.* 10. *Tusch. in verbo. forus conscientia. concl.* 447. *Sanchez. lib.* 6. *de matr. disput.* 33. *Lazar. de monit. sect.* 3. *q.* 6. *Sayr. lib.* 3. *clauis regia. cap.* 7. *num.* 8. *Molin. tract.* 2. *de iustitia. & iure disp.* 81. *& alij communiter.*

Insuper Decretum Concilij Trid. *sess.* 25. *de reg. cap.* 19. denegans audientiam professis, qui translacto quinquennio, reclamare volunt, allegantes nullam fuisse professionem, cum innitatur praesumptioni ratificationis inductae per illud quinquennium prioris irritę professionis, verum in foro conscientiae dispositionem non inducit, Sicut etiam Bulla, & Constitutio Sixti V. Incip. *cum de omnibus*, quò ad annullationem professionis ob illum Iuris defectum, quod de professi vita, & moribus Iuridica inquisitio non sit antea facta, ipsi praesumptioni innititur, ita vt in foro interiori non liget, si ex parte rei nullum subsit vitium, &c. *Sanchez lib.* 7. *de matrim. disp.* 37.

disp.37.num.9.Beiap.4.cusu.18. Gratian. in Discept. forens. cap.413. Roder. in qq.reg. quæst.54.art.4. Atque hinc colligere licet, quantum intersit, cõfessarium vim, ac differentiam fori externi, ac interni, nosse, cum multa in 1. concedantur, quæ in secundo nõ licent, nam v.g. leges ciuiles præscriptionẽ mala fide inceptam; & in contractibus læsionem vsq; ad dimidiũ, & huiusmodi concedunt, quę absq; dubio in foro poli reprobantur. *Ala. l. c. p.1. quæst.87. & p.2. quæst.18. Nald. in v. Canones. nu.1.* Ideo dicit *Ang. de Pernſ. conſ.59.* quod cognitio eorum, quæ forum cõſcientię respiciunt, ad Theologos, & Confessarios spectat, quia eorum messis est, vt ex infra dicendis magis constabit.

QVAESTIO LIV.

QVOMODO COGNOSCATVR ALIQVAM legem fundari in præsumptione, &c.

Quæritur quomodo cognoscatur aliquam legem fundari in præsumptione? R. Suppono Primo, legem duob. modis præsumptione niti. Primo, vt ex huiusmodi præsumptione mota actui non assistat, actus tamen valeat, vt patet in multis impedimentis, quæ contrahendo matrimonio obstant, non tamen iam contractum dirimunt. Secundo, vt etiam lex resistat, & ex tali actu ortum tàm ciuilis, quàm naturalis obligationis impediat, vt patet in matrimonijs clandestinis, & in regulari professione ante 16. annum expletum emissa. Conc. Trid. *seſſ. 24. de reformat. capit.1. & seſſ.25. de regul. capit.15.* Tertio, vt veritati, & naturali æquitati adhęreat, & hęc semper in conscientia ante oẽm sententiã ligat, nullo facto discrimine inter forum internum, & externum. Tales sunt leges statuentes in contractibus, qui in gratiam vtriusque celebrantur, solam leuem culpam venire, in his vero, qui in bonũ solius recipientis fiunt, leuissimam tantum considerari. *Abbas, & Innocent. in cap. quia plerique; de immunit. eccleſ. Dec. & Cagnol. in l. contractus ff. de reg. Iu.*

Porro signa quibus cognosci possit, aliquam legem haud præsumptione niti, hæc sunt potissima, Primo, si lex diceret, ex huiusmodi cõtractu, nec in iudicio, nec extra, posse debitũ peti, vel vt ex eo nulla actio, vel Iudicis officium, neque in foro cõſcientiæ competat, vel cum ex eodemet contractu acquisita ad restituendum astringeret. Quibus clausulis vsus est *Greg. XIV.* in constitut. contra ineuntes sponsiones. Vel cum quis ad dandum, vel accipiendum inhabilis, & incapax redditur, vt facit Clemẽs VIII. In largitione munerum à religiosis facta, In Constitut. Incip. *Religioſa Congregationes.* Secundo, cum lex statuit contractum etiam iuramẽto firmatum irritum esse, vt sanxit. Conc. Trid. de renuntiatione nouitiorum loquens. *seſſ.25. de regul. c.16.* Itẽ cum à lege aliquid pro forma requiritur, vt cum ipsum *Cõc. l. c. c.15.* vt dictũ est, decernit, professionẽ factã anno probationis non expleto, vel ante 16. annũ inualidã esse, cũ regulariter defectus formę à iure requisitę vitiet actũ. *Euer. in loco à defectu formæ.*

Tertio, si constaret legislatori, nullam à parte rei interuenisse fraudem, & tamen vellet, vt cõtractus, nullus, & inualidus haberetur, vt patet in lege, quæ spurios, & incestuosos ad paternam hæreditatem adeundam inhabiles reddit. *Mol. tract. 2. de iuſtitia, & iure diſp.169. Graff. lib.2. cap.11. nume.47. Duard. lib.2. quæſt.27. nu.42.* hoc enim signum est legem præsumptionem à se excludere, quæ probationem in contrarium admittit, vt quod filius constante matrimonio natus legitimus habeatur, &c. *Maſcardus. de probat. vol.2. concl.1288. Viual. in cand. aur. p.3. c.21.* vt dixi in *Commen. de hum. vit. ſtat. p.2. c.20.* Ex his hauritur multarũ quęstionũ solutio, quę in vtroq; foro agitàtur, an ualidi sint contractus, dispositiones, testamenta, electiones ad officia, & beneficia, in quibus solemnitates à iure ciuili, uel canonico requisitæ non interuenerunt, &c. Atqui ualde probabilis illa uidetur esse sententia, quoties leges ciuiles humanis actibus formã præbent, & ea nõ adhibita illos infringunt; in foro et cõſcientię seruãdas esse, ut patet quoq; in lege statuẽte debere obseruari certas solemnitates in alienatione bonorũ, ut pupillorum, & minorũ, & hoc ob suspicionem fraudis, etiam si cõstet nullum dolum interuenisse. ut per *Lazar. de Monit. ſect.3. quæſt.6. num.9. Suar. lib.5. de legibus. cap.20. Molfeſ. tract.9. cap.7. nu.46.*

QVAESTIO LV.

VTRVM LEX POENALIS TRANSGRESSOrem ad culpam liget, & reum ad ſubeundam pœnam cogat, &c.

Vtrum lex pœnalis transgressorem in cõſcientia ad culpam liget, & eum ad ipsam pęnam subeundam astringat? R. Legem pœnalem, siue sæcularem, siue ecclesiasticam, in foro conscientiæ ad culpam obligare; impositio enim pęnę (exceptis aliquarum religionum regulis) obligationem ad culpam non tollit, & humana lex ideo pœnam infligit, nõ ut per eam lex imbecillior reddatur, sed ut obseruantius custodiatur. Et pœna semper relationẽ habet ad culpam, quam necessario supponit, culpa uero oritur ex lege, uel naturali, uel diuina, uel humana, ac proinde omnis culpa, uel à cruciatu conscientiæ, uel à Deo, uel ab humana potestate punitur. Et ex grauitate materiæ, & iniunctæ pęnæ, legis obligatio ad mortalem culpam astringit. *Azor. p.1. libr.5. cap.6. quæſt.4. Salas de legibus. d.15. Sot. de Iuſtitia, & Iu.*

& Iu.lib.1.quæſt.6.artic.5.Io. Medina C.de ieiunio, quæſt.7.Cou in reg.peccatum.p.2.§.5.Syl.in v.inobedientia.Carbo de legibus.lib.8.diſput.5. Arrag.22.q.62.art.3.Decius.in capit.nam concupiſcentiam.ext. de conſtit.Graffius.lib.2.Deciſ.aur.cap.57.numer.6. Sayrus.lib.3.clauis.reg.cap.9.numer.8.Azor.l.c.

Quare cauendus eſt vulgarium error putantium, pœnalem legem uiolari poſſe, modo impoſita pœna ſoluatur, ut inter alios. *Beia.in p.1.reſp.caſu.conſciētiæ.caſu.* 13.de uectigaliũ ſolutione male ſenſit.

Porro communior eſt, & magis in praxi recepta ſententia, legem pœnalẽ etiam ſi ipſo facto, uel ipſo iure feratur, uel etiam ſi dicatur, nulla expectata declaratione, ante Iudicis condemnationẽ nõ obligare, ſiquidem pœna idem eſt quod paſſio, naturæ autem repugnat, ut idem ſit agens, & patiens. Præterea leges humanę faciles, & tolerabiles eſſe debẽt, & humanę imbecillitati accommodare, ſed ſi lex ad ipſam pœnam ſubeundam ſtatim obligaret, grauis admodũ, & pene impoſſibilis haberetur, cum illud quod obſeruatu ualde difficile eſt, in iure impoſſibile reputetur. *cap.erit autem lex.diſt.* 4. Hinc & adulter ſecretus, interim quod alrer coniux nihil de adulterio nouit, ab innocente abſque peccato debitũ petere poteſt, cum ante Iudicis, uel alterius coniugis ſententiam, pœnam ſubire non teneatur, nec extra ſacramentalem confeſſionem, ſui ipſius accuſator, & proditot eſſe cogatur. Et modo ſponſalia ualida ſint, ſponſus aliquo uitio occulto laborans ob quod ſponſa, ſi illud noſſet, poſſet à ſpõſalibus reſilire, poſſet eam illius uitij ignaram cogere, ut inita ſponſalia obſeruet. *Sanchez.libr.1.de ſponſ.d.68.Bonac, de mat.quæſt.4.p.5.nu.*20. Ex qua doctrina aliarum multarum quæſtionũ ad utrumque forum ſpectantium ſolutio dependet, & nonnullarum Pontificiarum conſtitutionum intellectus, & declaratio deſumitur, ut Bullæ Pij V. contra Clericos ſodomitas, Sixti V. contra ipſos Clericos non deferentes habitum. Clementis VIII. cõtra religioſas perſonas mu nera largientes. Nam quamuis per expreſſa uerba dicatur, ipſo facto, ipſo iure, abſq; alia ſententia, beneficijs, uoceque actiua, & paſſiua ſint reſpectiuè priuati, numquã tamen intelligitur, ut ipſemet reus ante declarationem factam, cogatur ſubire pęnam, cum nemo contra ſe ipſum teneatur ſentẽtiam executioni mandare. Ex quo ſequitur, acta prædicti beneficiarij criminoſi facta ante ipſius criminis declarationẽ ualere, nam ſaltẽ, ut DD. aiunt, adeſt coloratus titulus, & communis ſubeſt error. Item legem aliquem bonis ſuis ob delictum priuantem ipſo iure, poſt ipſum crimen admiſſum, ad donãdum ante condemnationem, inhabilem nõ reddere, & donatarium uſque ad ſententiam declaratoriã retinere poſſe, illa autem bona tali uitio affecta id ignoranti uendere nõ licere, niſi delictũ adeò occultũ eſſet, ut illud non detectum iri ueriſimiliter credaturi; in primo enim caſu, contractus de nullius præiudicio agitur, at in ſecundo nempe contractu oneroſo alteri damnum infertur. *Felyn.cap.1.numer.13.ext.de conſtit. D.Thom.Arrag & Salon.22 quæſt.62.ar.3. Nau.cap.23.num.67.Graff.lib.2. Deciſ.aur.cap.11. num.41.Cou.tit.de ſponſ p.2.capit 6.verſ.octauo, infertur. Zerula in praxi Epiſcopali.in v.priuatio.Sorbus.in annot.ad compend. priuileg. Mend. in v.dare. Sayr.lib.3.cl.regul.cap.10.num.35.Rod.in qq regul. tom.1.quæſt.6.art.16.Suar.libr.5.de legibus.capit.7. Sanchez.l.2.de præcep.cap.14.& de mat.lib.7.d.90. num.11.Salas.l.c.d.15.sect.3.nuu.40. Molfeſ.tr.9. cap.9.nu.44. Bonac.de leg.d.1.quæſt.1.p.7.§.2.Nald. in verbo.lex.& verbo.pæna.*

Excipiuntur tamen eccleſiaſticæ cenſuræ, & irregularitas, quæ ſecum executionẽ paratam trahunt; ſiquidem omnis ſpiritualis pęna ſtatim abſque alia ſentẽtia declaratoria ſuum effectum ſortitur. *Caiet. in verbo.pæna. Arrag.& Salon.in d.artic.3.& DD. ſupra citati.*

Secundo excipitur, quando pœna non proprie, vt pęna imponitur, ſed vt cõditio, & modus rei traditæ, vt cum teſtator aliquid faciendum relinquit, aliàs legatũ amittatur, &c. Vt etiã cum in Clericum beneficium confertur, quò horas Canonicas recitet, tunc enim pœna abſque vlla ſententia, vel in foro conſcientiæ debetur. *Antonnuc.in Catech. Neap.tit.de recit.hor.cap.4.Graffius.lib.2.deciſ.aur. cap.11.num.57. Sanchez.lib.7.de matrimonio.d.91. numer.2.Carbo.lib.8.de legibus.d.9.Corrad.in reſp. caſ.conſc.quæſt.19.& alij.* Talis etiã eſt lex, quæ aliquem incapacem ad aliquod miniſterium, vel officium reddit, vt patet in filio ſpurio, qui patris hæreditatem accipiens, eam ante Iudicis ſententiam, legitimis hæredibus etiam in foro conſcientiæ reſtituere tenetur; licet quò ad hæredẽ, vel donatarium aliter dicendũ ſit, nempe ipſum met cui relicta ſunt bona, vel per teſtamentum, vel per donationẽ, data fide de eis filio ſpurio reſtituendis, in animæ iudicio poſſe ſibi hæreditatem, vel donationem retinere ante Iudicis ſentẽtiam, qua fiſco illa addicatur; nam per inſtitutionẽ ſibi factam, in illa dominium acquiſiuit, licet in criminis pœnam illa priuari poſſit, &c. vt ex cõi tradit *Azor.p.2.l.2.c.10.q.4.& Lazar.in can.qq.sect.3.q.5.Natta conſ.302.Salon.22. q.5.de dom.ar.5.Beia p.2.reſp.caſ.3.Incip.Ioannes.*

QVAESTIO LVI.

NVM LEX HVMANA CVM PROBABILI mortis periculo obliget.

AN lex humana obliget in conſcientiæ foro, cũ probabili vitæ diſcrimine? R. Ante huius quæ-

quęstionis resolutionem, suppono Primo, magnum esse discrimen inter metum, & violentiã, violẽtum enim dicimus, quod fit ab extrinseco, nullam cõferente vim passo, neque etiam cooperãte, vt si virgo manibus, ac pedib. constricta, propria renitente volũtate violetur. Ex metu autem fit, quod habet quidem ab extrinseco impulsionem, is tamen cui metus infertur, cooperatur: vt si tyrannus virgini mortem minetur, nisi se violari patiatur, si se ad violationem offert, vt mortem euadat, ex metu, & nõ ex violentia corrũpi, ac labefactari dicitur. Secundo, metum diuidi in cadentem in constantem virum, & in inconstantem, Primus est quo uir fortis, & constans perturbari solet, & quo sibi, aut suis graue malum timet; secundus est quo Iudicis arbitrio homo meticulosus concutitur. Tertio, quæ metu fiunt, ut DD. loquuntur, mixta sunt ex uoluntario, & inuoluntario; & simpliciter sunt uoluntaria, & secundum quid inuoluntaria, & sic totaliter peccati ratione non tollunt, sed diminuunt; ut si quis metu mortis fidem abiuret, &c. *Pegna in 2. par. ad Direct. Inq. ad quæst. 41. Sayr. in cl. reg. lib. 2. cap. 2. Sanchez. lib. 1. de precep. cap. 18. Duard. in Bulla Cœna Domini. libr. 1. q. 2. Calder. conf. 108. Tusch. v. metus. concl. 215. Nald. in v. metus.* Addunt etiam communiter scribentes, metum iniuste illatum, etiam si non sit iustus idest grauis, seu cadens in constantem uirum, modo sit causa actus, qui alias sine eo non fieret, in foro cõscientiæ actum inficere, per *text. in c. cum dilectus. ext. qd met. causæ & gloss. in c. presens. 20. q. 3.*

His sic positis, dico humanam legem, cum probabili mortis periculo, non obligare, nam metus instus cadens in constantem uirum, quo probabiliter quis sibi, aut suis graue damnum timet, à peccato mortali in humana lege excusat; ut si quis mortem alicui minetur, nisi ieiunium transgrediatur, aut in festo laboret, sacrumue omittat, uel aliunde ex horum obseruãtia aliquod graue damnum immineat. Communis est sentẽtia, quam illa confirmat ratio, quod lex, ut dixi, debet esse honesta, iusta, possibilis, & humanæ conditioni accomodata.

Excipitur, quãdo lex materiam bono communi, reipub. necessariã contineret, uel quãdo legis transgressio in detrimentũ christianæ fidei uergeret, uel quando populus inde scandalum sumeret, suspicãs ecclesiasticas leges nullius uirtutis, ac ualoris esse, & huiusmodi. *Sot. lib. 1. de Iust. & Iu. q. 6. ar. 4. Sayr. libr. 3. clauis. regul. cap. 7. numer. 31. Val. tom. 2. d. 7. quæst. 5. par. 6. Carbo. libr. 7. disput. 6. de legibus. Medina. 1. 2. quæst. 6. ar. 6. Mol. tract. 2. de Iustitia. disp. 115. Azor. par. 1. lib. 7. capit. 29. quæst. 7. Corrad. loco citato. quæst. 2. Duard. & Sanchez. loco citato. Reginald. lib. 11. cap. 8. num. 69. Suar. l. 3. de legibus. c. 30.*

QVAESTIO LVII.

AN VIS A TRANSGRESSIONE legis excuset.

QVid dicendum de ui, an & ipsa à transgressione humanę legis excusat? R. Vis quò ad actus imperatos, siue exteriores, si uoluntati inferatur, omnino tollit uoluntarium, & peccatum. Absolute. n. coacti, qui. s. nihil secũdum proprium motum conferunt, non peccant, nec etiam in foro exteriori puniuntur, ut qui potius pati, quam agere dicantur, sicut ẽt lex Mosaica sanxit. *Deut. c. 22.* Vnde & *Ouid. lib. 1. Fast.* Iunonem increpat, quod Callistonem à Ioue uim passam in Vrsam mutauerit, quasi nil ob id pati debuerit. Hinc & D. Lucia scite tyranno dixit, Si me inuitam feceris uiolari, castitas mihi ad coronã duplicabitur. Ideo actus humanus, siue moralis diffinitur, ut sit actus uoluntarius, uel omissio eius. *ex D. Thoma. 1. 2. quæst. 6. art. 1. 2. & 3. Tiraq. de temp. pœnis. causa. 36. Farinac. eodem tit. q. 97. casu. 1.* Proinde dicitur uoluntarius, ad excludendum actus hominis uiolentos, qui ab extrinseco inferuntur, nullam conferente uim passo: voluntariũ enim est, quod ab intrinseco principio cum finis cognitione procedit. Qua ratione etiam fit, ut actus puerorum ante rationis usum, amentium, & aliorũ, qui sine deliberatione agunt, uoluntarij non sint, cũ debiti finis notitia careant, ut propterea etiam carnes, uel alios uetitos cibos tempore Quadragesimæ eis porrigentes, à peccato excusentur, ut ex communi ait *Bonac. de leg. d. 1. q. 1. p. 6.* Dicitur quoque uel omissio eius, quia uoluntarium sine actu omissione inesse potest. Vt autem omissio uoluntaria sit, & ad culpã imputetur, tres conditiones requirũtur, nempe ut possit quis facere, & teneatur, & non agat, siue omittat. Quę omnia diligenter à Confessoribus annotãda sunt, cũ moraliũ resolutionũ clauis existant.

QVAESTIO LVIII.

AN METVS SCANDALI FVTVRI excuset, &c.

AN metus scandali futuri excuset ab obligatione legis humanæ? R. Scientia scãdali est maxime Confessario necessaria, siquidem ex ea cognitione, quando propter scandalum bona spiritualia, uel temporalia dimittenda sint, multarum rerum emergentium, & magnam perplexitatem afferentium decisio, & resolutio deriuatur: nam ut euitetur scandalum, multa contra ius fieri permittuntur, & *Felyn in cap. 2. de præscript.* 33. casus enumerat, in quibus ad scandalum auertendum, à iuris communis regulis recedimus; siquidẽ vt ait *Innocẽt. IV. in cap. 1.*

cap. 1. de officio. leg. l. 6. Officij nostri debitum remedijs inuigilat subditorum, quia dum eorum excutimus onera, dum scādala remouemus, nos in eorum quiete quiescimus, & fouemur in pace. Et sic omnes fatentur, delinquentium pęnas posse aliquando differri, quotiescumque ex illarum executione scandalum, uel tumultus in populo exoriretur. *Tusch. in v. scandalum. concl. 52. Molfes. tract. 8. cap. 10. nu. 38. Syl. Ang. & Tab. in v. scandalum. Nald. eodem. nu. 4.* Quò fit etiam, ut (quod & aliàs animaduertimus) irretito aliqua censura, uel irregularitate affecto integrū sit celebrare, ne alioqui infamia notetur, aut inde alij scandalum sumant. Sicut & monialis pariter occulte in Pontificiam cēsuram prolapsa pōt ad euitandam propriam infamiam, uel monasterij existimationē, uel graue scandalū, pręmissa cōtritione, Eucharistiā sumere, uel saltē si casus occultus est, ab Episcopo absolutionem, si tempus patitur, petere; siquidem naturalis lex de tuenda fama, & scandalo uitando omni humana lege potior est *Sayr. lib. 2. de cens. cap. 3. num. 27. Graffius lib. 2. Decis. aur. cap. 63 num. 36. Lazar. de monit. quaest. 4. sect. 18. Duard. l. 1. in Cœnam Domini. cap. 2. q. 3.* Quemadmodum ēt absoluta necessitas à lege positiua excusat, quando de eo lata est, quod rectæ rationi nō repugnat, & intrinsece malum non est. Imò non solum quò ad ius positiuum, sed etiam quò ad ius diuinū culpæ immunē reddit, ut in præcepto furti, qđ licet intrinsecam malitiam inuoluat, quando tamen quis ob famis urgentem necessitatem, aut uestium defectum aliena bona subtrahit, nō furtum admittere, sed potius bona propria, quæ iure naturali sibi debentur, uendicare censetur: eo quod necessitatis tēpore omnia sunt communia. Quod nō solum in extrema necessitate, sed ēt in graui, arbitrio boni uiri procedit, ut quia propter morbum tali necessitate prematur, secus si tantum communis esset, alioqui omnia furtis plena essent, nec inter homines pax conseruari posset, &c. Atque hinc patet, cur necessitatis tēpore furari, non autem fornicari licitum sit, cum tamen, utrumque negatiuum præceptū includat; siquidem tempore necessitatis furtum nō committitur, at fornicatio, cum à iure naturali, & diuino prohibeatur, numquam etiam pro propria uita conseruāda licita erit, cum potius millies mors perferenda sit, *capit. si quis extra de furtis. Decius, & Cagnol. in l. qua propter. ff. de regul. Iu. Syl. in verbo necessitas. Clarus. in §. furtum. vbi Baiard Todocus in Thes. Theol. in verbo. furtum. Sayrus. lib. 9. clauis reg. cap. 14. num. 21. Molfes. tract. 11. cap. 21. num 64. Tuschus. in verbo. necessitas. concl. 18. 19. & 21. Menochius. libr. 2. de arbit. Iud. casu. 182. & dixi in Comment. de casi reser. part. 1. capit. 6. & capit. 7.*

CAP. IX.

QVAESTIO LIX.

AN CONFESSARIVS TENEATVR habere notitiam consuetudinis loci vbi confessiones audit.

TEnetur ne confessarius habere notitiam consuetudinum locorum, ubi confessiones excipit? R. Vtique, cum consuetudo sit altera lex, & in foro poli sicut & ipsa lex obliget. *capit. consuetudinis. d. 11. D. Ant. p. 1. tit. 16. §. 1. ci.* Et propter scandalum uitandum regionū cōsuetudines, modo animarum saluti non aduersentur, semper sint seruandæ. *c. illa. distinctione duodecima.* Vnde est illud adagium. Mos, & regio, quo admonemur, licitis moribus loci, inquo uersamur, inseruiendū, & obsecūdandum esse, siquidem unicuique genti quædam sunt leges, & instituta uiuendi. Hinc dicit *Grat. tom. 1. Discept. For. ca. 171.* Consuetudinem ualere, ut mercatorum libri uim instrumenti habeant, cum hypotheca, & executione, modo alia requisita habeant, nam aliàs consuetudo indiscreta non ualeret, ut omni scripturę mercatorum fides prestaretur, quorū natura prona est ad malum, & falsum committendum; & certum sit, formam medullarem consuetudinis debere esse rationabilem. *c. erit autem lex. dist. 3.* De quare scripsit etiam *Viual. p. 4. cand. de consuet. capit. 5. & Nicolaus. Genua de script. priuata. tit. de libris mercat. Rolan. à Valle. cōs. 92. vol. 3. Mascard. vol. 2. cōcl. 974. Riccius. p. 1. Decis. Cur. Neap. Decis. 106.* Atqui iustæ consuetudini, siue iuri nō scripto morib. instituto, tria præcipue attribui solent.

Primo, q̄ uim legis obtineat, & obliget, quod *D. Th. 1. 2. q. 97. a. 3.* ex eo cōfirmat, qđ uis legis ex legislatoris uoluntate depēdeat, & duob. modis ostendi possit, uno per uerba, aut scripta; altero per facta Principis: atque ut eiusdē Principis uoluntate priori modo ostensa lex constituitur, quæ ius scriptū dicitur; sic ex posteriori modo manifestata, (ut ostenditur, cum uidet aliquid passim fieri, nec cum possit prohibet, siquidem tunc tacens consentire uidetur) instituitur consuetudo, quę ius est non scriptū. Quæ quidem per se, & ex natura rei nullam legalē obligationē inducit, sed eatenus obligat, quatenus est legis argumentum. Vnde quando non extat lex, uel si extat, non obseruatur, in duobus potissimum casibus ipsam legem inducit. Primus est, cum ita se res habet, ut qui cōsuetudinem uiolant, puniantur. Alter est, quando omnes docti, & probi uiri unanimi. consensu iudicant illos peccare, qui ipsam cōsuetudinem, uel ius non scriptum transgrediuntur; nam talium hominum sensus publici iudicij idoneum, & sufficiens est indicium. *Arrag. 22. quaest. 83. art. 12.*

Molfes.

Molfes. tract. 9. cap. 8. num. 48. & cap. 11. numer. 56.
Secundum legis non scriptæ seu consuetudinis attributum est, esse optimum cuiuscũque legis scriptæ interpretem, quando nobis de vero sensu non constat, cum ille qui legis condendæ potestatẽ habet, ipsam publicam cõsuetudinem expresse, vel tacite approbat. Hac ratione communis consuetudo videtur rectè interpretari legẽ de ieiunio, qua præceptum est de semel comedendo, vt non sit contra legem, si quid vesperi sumatur. Itẽ ut gabellæ constitutæ super rebus, quæ ad proprium usum, uel familiæ emuntur, aut uenduntur, sint iustæ, & licitè ex causa exigantur. *Nau. cap. 27. num. 186. Reg. libr. 13. cap. 245. Sayrus. lib. 3. clauis regul. cap. 11. n. 12. Carbo. lib. 9. de legibus. disput 4. Faust. de rest. d. 34. quest. 25. Azor. p. 1. lib. 5. cap. 17. quæst. 8.*

Tertia consuetudinis proprietas est, contrariam legem abrogare, modo tamen sit rationabilis, legi naturali, vel diuinæ, seu etiam bonis morib. non repugnans, & ẽt sit legitime præscripta; nam quamuis in aliquibus casibus consuetudo ius naturale, & diuinum declarare, ac interpretari valeat, vt patet in homicidio, furto, voto, &c. illi tamen absolute nullatenus derogare potest, vt merito. *Conc. Trid. sess. 24. cap. 1.* Corruptelam potius quã consuetudinem vocet, qua se excusari à personali residẽtia dicũt aliqui Episcopi, vel Parochi, cum diuino, ac naturali præcepto eis mãdatum sit, oues suas agnoscere, &c. Sicut nec illa consuetudo à peccato, & restitutione excusare potest, quę alicubi inualuit, vt impune vsuræ exerceantur, si in eis certum taxatum pretiũ non excedatur. *cap. 4. ext. de vsuris. Reginal. l. 13. n. 251. Vival. p. 4. cand. aur. de consuet. cap. 2.* Decem vero annorum consuetudinem legem ciuilẽ tollere multi affirmãt: De ecclesiastica nonnulli asserũt, si Pontifex sciat, nec contradicat. Sed plures alij de lege ciuili hoc concedunt, non de Canone, ad quem abrogandum, contrariam 40. annorũ consuetudinem sciente etiam & tolerãte Papa, requiri astruunt; sed consuetudinem præter legem, siue sit materia ciuilis, siue canonica, decem annorũ spatio induci docet. *Gloss. communiter recepta in c. fin. de consuet. l. 6. vt per Reginal. l. c. nu. 247. Suar. de leg. l. 7. c. 15. Salas. d. 19 sect. 4. Sà in v. lex. nu. 17.* Quæ tamen consuetudo cũ sit quid facti, ac mutabilis, neque præsumatur, probari debet. Imò maiori parti Doctorũ de consuetudine attestantiũ non creditur, tum quia non iurati id testantur, tum quia per scripturam deponere nõ licet. *vt per Mascar. de Probat. vol. 1. cõcl. 423. Nau. in cap. fin. de pœnit. dist. 6. in fine. Naldus. in v. consuetudo. num. 14. Tusch. v. lex. concl. 257.*

Porro hæc materia consuetudinis vtilissima est, maximeque necessaria tàm confessarijs, quàm omnibus alijs Iudicibus, in contractibus, matrimonijs, censuris, beneficijs, ciuitatum statutis, collegiorum, hospitalium domorum, religionumq; Decretis, & alijs huiusmodi; nam consuetudo est origo, principium, & forma omnium iurisdictionum, & veritati æquiparatur. Et semper consuetudo, & praxis si de ea constet, obseruanda est, & contra communẽ opinionem aliquãdo sequenda: & stylus tribunalium, curiarumque vsus pro lege habẽdus est. Imò quando à communi stylo receditur, falsitatis præsumptio insurgit, maxime quãdo obseruantia est immemorabilis, vel saltem per decem annos probata, ac præscripta. *vt per Vival. p. 4. Cand. aur. c. 5. & Crauettã. cons. 238. Arism. Tepatum. in Iuris. sent. tit. 56. cum dem. Tusch um. in concl. Pract. tom. 2. in v. consuetudo & verbo. stylus. Euerard. in Top. leg. in loco à solitis. & in loco à stylo curiæ. Molfes. loco citato. num. 55. & in Comment. ad consuet. Neap. p. 1. capit. 5. nume. 19. Gutierez. libr. 2. cau. quæst. capit. 21.*

QVAESTIO LX.

QVAM OPINIONEM CONFESSARIVS in foro conscientiæ, & in praxi sequi debet, &c.

Quia in hoc spatioso campo Theologię positiuæ, seu casuum conscientiæ, raro admodum datur moralis quæstio, quæ varijs opinionibus non subiaceat, & magnũ pondus habet sententiarum delectus, ideò quero, quam opinionẽ in foro animæ, & in praxi confessarius eligere teneatur? R. Sanè ad ea tempora peruẽtum est, in quibus magis authoritatibus, quam legibus, & canonib. fides habeatur; & opiniones, sententiæque ita creuerunt, vt fere nihil in vtroque iure, & in morali Theologia existat, quod varijs altercationibus non agitetur, vt spirituali etiam Iudici, & animarum curatori difficile admodum sit, veritatem in puteo latitãtem inuenire. Cuius rei potissima est causa primi hominis lapsus, ob quem quilibet homo ignorantiæ tenebris offusus, & cæco amore sui, naturaliq; ad dissentiendum facilitate ductus, propriam plus æquo opinionem diligit, & ueram esse totis uiribus contendit. Vnde & *Salon. 22. quæst. 63. art. 4.* Nec mirandum est, inquit, quod in rebus etiam moralibus tot sunt opiniones, quia ueritas maxime post peccatum abscondita est, habitatque lucem inaccessibilem. Hoc tamẽ superest solatij in tanta opinionum uarietate, ut si quis omni affectu humano secluso, & simplici, ac nudo, desiderio attingendæ ueritatis diligenti studio, & oratione ad Deum, qui est fons omnis lucis, & ueritatis utatur, & his medijs adhibitis hanc, uel illam opinionem probabilem, quæ sibi uera uidebitur, amplectatur, manet tutus in cõscientia, hęc ille. Ideo pro fori pœnitẽtialis praxi hæ positiones annotandæ sunt; nam Supposito in his, quę ad practicam Theologiam, & moralẽ Philosophiam spectant,

stant, & conscientiæ forum concernunt, Canonistis potius quam Theologis standum esse, quandoquidem Ius Canonicum nihil aliud est, quã diuini, humanique iuris epitome, & christianæ philosophiæ compendium, nec ex solo rationis discursu in quem maxime Theologus incumbit, intelligi potest, quid circa quamplurimos, ac varios casus pro foro conscientiæ, & christiani officij rationib. iura disponût, quorum Decreta à libera legislatoris voluntate dependent; de quibus vt plurimum iuris canonici peritus instructus esse dignoscitur. *Parisius.vol.4 consl. 6. Alex.consl.1.lib.1. Euerard.in Top.legali. in loco ab authorit. Tuseh.in v.Theologi.concl.297. Lazar.de blasph.quæst.13.numer.42.& alij.* Hoc inquam præsupposito, hę positiones à nobis firmantur, quarum. Prima est, Quotiescunque in aliqua quæstione Canon aliquis, vel Pontificia constitutio inuenitur, si consuetudo in contrariũ militans non adsit, omnes aduersæ opiniones nullius sunt pôderis: scribenti enim tantum credendum, quantum legis, vel rationis munimine loquitur. V.g. viget Bulla Sixti V. quod eunuchus vtroque teste carens non sit ad matrimonium contrahendum habilis, quidquid inter se DD. altercentur, illud inualidum, & nullum est, quia hæc gentium morib. & vsu recepta est, & inter duas opiniones illa est præferenda, quæ legis sensui magis innititur, aut cômuni consuetudine comprobatur. Sic cum vsus vbiq; ferè receptus interpretetur, ingrediẽtes septa monialium, vel fęminas virorum monasteria absque licentia, violare cõstitutiones Pij V. & Greg. XIII. ac proinde in Papalem excommunicationem Sedi Apostolicæ reseruatam incidere (etiam si ex verborũ cõtextu illis ligari tantum videantur, qui prætextu licentiatũ ingrediuntur) hanc opinionem vt tutiorẽ, & cõsuetudine magis confirmatam, confessarius amplecti debet. *Beia. p.1. respons.cas.consc.casu.30. Afflictus. Decis.173.* Sicuti etiam iuris sensui, & intelligentiæ, ac cômuni vsui illa opinio magis adhæret, quæ tenet eum qui voto est astrictus ad ieiunium feriæ sextæ, vel diei sabbathi, lethaliter peccare, si in festo Natalis Domini occurrenti in illo die, carnes comedat, nisi ab authoritatem habente dispenseretur. *cap fin. vbi DD. ext. de obseruat. Ieiunij. idẽ Beia p.2. resp. casu.3. Sanchez.lib.4.de præcept.cap.12.num.61.* Atq; de similibus idem est iudicium faciendum. *vt per Lazar. in qq.canon.p.2.quæst.13.num.22.& Gutierez.libr.1.c. 11. Azor.p.1.lib.2.cap.9.& cap.12. Possen.de officio. Cur.capit.15.num.6. Molfes.tract.8.cap.9.num.89. Tuseh.verbo opinio.concl.153.*

Secunda positio est, Quotiescunque res est, quæ apud ciuilis, seu canonici iuris interpretes dicitur pęnalis, vel quæ ad odia, nõ ad fauores spectat, tunc inter duas plures ve opiniones, ea est amplectenda, quæ mitior, & benignior dignoscitur. *iuxta cap. pe-nal. de reg. Iu. in 6.* Siquidem confessarius cum præter Iudicis officium, patris spiritualis, & pij aduocati partes sustineat, in gratiam pœnitentis debet in dubijs benigniorem sententiam sequi. *Henriq.l.3. de pœnit.cap.26.* Sic dicimus ob animæ fauorem absolui posse pœnitentem, qui in mortis articulo, nil exprimere valens, tantũ signum contritionis ostendit. *Rituale Rom. de sacr pænit. Sà in v. absolutio. nu. 10.& alij communiter.* Sic si confessarius dubitet, an pęnitens in vano corporis ornatu mortaliter peccet, nec adhibita morali diligẽtia, dubiũ vincere possit, tunc illum hortari debet, vt ab eo abstineat, sed nolenti absolutionem negare non debet, cum in fauorem pœnitentis inclinandum sit. *Graff.l.2.cap 77.* Hinc dicimus receptiorem esse & illam sentẽtiam, quę tenet membrum alicuius debilitatem, irregularitatem nõ contrahere, cum hæc res sit pœnalis, nec in iure sit expressa. *clem. 1. vbi Conar. p.3. nume.8. de homic. Nau. cap.27.num.206.* Sicut ẽt mitior cõprobatur illa sententia, quę tenet clericos esse dominos ecclesiasticorum bonorum, quamuis negãs sit securior. *Bisfel. in Theol. Past.c.13. Mol.tr.2. de iust. disp. 542. Garz.p.2. de benef.c.1.n.5. Molf.tr.6.c.10.n.7.*

Tertia, quando duæ opiniones vel quò ad numerum, vel quo ad authoritatẽ pares sunt, illa semper est præferenda, quæ tutior est, & magis animarum saluti fauet. Vt v.g. tutior est illorum sententia, & amplectenda, qui tenent, circunstantias speciem non mutantes, deformitatem tamẽ grauiter augentes, in sacramentali confessione exprimendas esse. *Sot. in 4. dist.18.quæst.2.art.4. Graffius.libr.1.decis. aur.c.20. Vict.de confess quæst.175. Suarez.disp.22. sect.3. Henriq.lib.2.de pœnit.capit.7. Reginal.libr.6. numer.133. Coninch.de integ.confessionis.disput.7. dubit.3. Azor.l.c. cap.12.& alij.*

Quarta, in omni materia, tàm ciuili, quàm canonica in iudicando, & consulendo, vbi casus non est à Canone, vel lege decisus, cômunis opinio sequenda est, neq; ab ea temere recedẽdum est, iuxta illud.

Iudicium populi nunquam contempseris vnus.

Abbas, & alij in cap. Capellanus. extr. de ferijs. Quæ tamen vt plurimum ex pondere, ratione, & authoritate opinantium, non ex numero tantum metienda est; siquidem multi aliquẽ sine ratione more ouium sequuntur. *Neuizan. in silua nupt. tit. quomodo iudicandum sit. numer.5. Azor. l.c. capit.13. Lazarius. de blasph.quæst.13.num.12. Nau.cap.27. num. 287. Tol. lib.4.cap.2. Mascard. de probat. vol.3. concl.1138. Reginal.lib.13.cap.10.num.102. Tusch.in v.opinio.cõcl. 149.& seq. Geuuens.in Praxi Neap.cap.61. in addit.* Vbi etiam excipiunt à communi recedendum esse, quando contraria sententia fauet testamento, matrimonio, pię causæ, & huiusmodi laudibilib. factis. Vnde admonet idem *Salon. 22.quæst.63.artic.3.& Sayr.lib.1.clauis reg.cap.8.n.4.* In rebus dubijs ma-

x mi

ximi ponderis, & momenti, Confessarios, imò & Doctores, qui minus exercitati sunt, nō posse tuta conscientia, quamcūque opinionem sequi, forsan enim in aliquo auctore aliquam sententiam legent, quæ sibi probabilis, & vera videatur, quę tamen in scholis, & apud peritos falsa, & communi opinioni contraria sit deprehensa, vt patet in ea opinione, quæ tenet uectigal et iustum destaudari posse. Propterea non suis summulis fidere, sed peritiores cōsulere debēt; Sapiente suadente, Ne innitaris prudētię tuę. *Prouerb.cap.3.& eccles.cap.13.& cap.32. Roder.in qq.reg.tom.3.quæst.66.art.2.* Hoc enim est esse docilem, qđ uirtutis amatori apprime necessarium est, *D.Thomas.22.quæst.49.art.3.* Potest tamen cōfessarius sequi pœnitentis probabilē sententiam, probabiliori relicta, ut de celebrante non recitatis matutinis, uel non soluēte diuinum officium ob tenuissimos beneficij redditus, & huiusmodi. *Sanchez.l.1.de præcep.cap.9.nu.28.Sayrus.libr.1.clauis regul. cap.8.numer.3.Molfes.tract.5.cap.4.nume.19.*

Illud etiam à confessario Primo obseruandū est, quod cū aliquis Doctor, uel Scriptor, plures opiniones refert, si nullam expresse probet, ultimam approbare censetur, nisi tamen illa ultimo loco relata cōiter sit damnata, quia ut delictum euitetur, postremæ sententiæ adhærere non præsumitur. Est.n. præcipue triplex opinio, nempe improbabilis, uel temeraria, quæ in quacūque disciplina nulla solida ratione, uel authoritate nititur, dequa dicitur, Illud hoc gratis asserit, & gratis negatur. Secunda est hæretica, quæ christianis, ac catholicis ueritatibus aduersatur, ut si quis diceret Indulgentias à Papa concessas nō prodesse. Tertia, scandalosa, quæ licet aliquando posset esse uera, ruinæ tamen, & erroris occasio esse potest, prout si quis in genere assereret, ut supra innui, uectigalia in foro conscientiæ non esse soluēda, & id genus alia. Quę omnes opiniones non sequendæ, sed reprobandæ sunt.

Secundo, quando Doctorum opiniones ita sunt dubiæ, ut ueritas discerni nequeat, neq; quæ sit communis opinio dignosci, & rationes, authoritatesque hinc inde urgeant, media uia eligenda est, rusticos in hac parte imitando, qui medietatem reo, & alteram mediam partem actori dantes, omnem controuersiam dirimunt: vel ut alijs placet, in dubio reo potius quàm actori fauendum est. *Boer.Decis.149. Alex.l.6.cōs.227.Tusch.v.opiniones.cōcl.155.et seq.*

QVAESTIO LXI.

QVID SIT CONSCIENTIA, quotuplex sit, &c.

CVm supra dixerimus confessariū, & medicum animarum, debere cōscientiarum notitiam, & peritiam habere, quæritur, quid sit conscientia, & quotuplex, & quomodo cū vnaquaque agendū? R. Conscientia est scientiæ applicatio ad actiones in particulari, seu particulare iudicium, quo mens nostra secūdum ea, quæ per synderesim, idest habituale lumen, menti nostræ à natura insitum nouit, in re singulari aliquid agendum, vel non agendum esse statuit. Vel vt ait *Bald.in Auth.ad hæc.C.de usur.& cons.352.* est sensus animæ cognoscentis bonum, & malum rerum agendarum speculum, & lucerna. Et dicitur conscientia à conscio, quasi homo per eam se ipsum cognoscat, & quid agendum sit sciat; hine forum cōscientiæ deriuatur, quod iuris apices, & præsumptiones non admittit, sed puram rei veritatem expendit. *D.Anton.p.1.tit.3.cap.10. Nau capit.27. num.280.Sayrus.lib.1.clauis reg.cap.5. Reginal.lib.13.cap.6.num.48.* Cuius quidem conscientiæ multę sunt species; nam omissa conscientia recta, & bona, quæ rectæ rationis lumē, & ductum sequitur, de qua *Psalmes regius. Psal.4.* Signatū est super nos lumen tuum Domine, & quæ remedio non indiget, dico quod Prima est ignorās, idest nesciens id, quod scire pōtest, ac tenetur in rebus, quæ ad fidem, animæ salutem, & proprij status obligationes spectant. Secūda est huic affinis erronea, qua quis ad aliquid faciendum, vel non faciendū se teneri per errorem existimat. Tertia est dubia, & est illa, quæ in quæstione de qua agitur, neutri parti assentitur, vt cum quis dubitat, an talem contractum sine labe vsuræ inire liceat. Quarta est scrupulosa, quę in re ad actionem pertinenti, vni parti ex leuibus rantū coniecturis, & argumentis adhæret. Quinta demum additur lata, ac libertina, vel cauteriata, & est corū, qui post concupiscentias suas euntes, nullis non modo scrupulis, sed nec Dei timore à sua praua volūtate auertuntur. Hæ sunt præcipue conscientiæ, quæ sunt tanquam libri clausi, & obsignati, quos reserare, aperire, & extricare ad officiū confessarij pertinet, ut propterea earum sufficiētem scientiam, & peritiam habere debeat, ut ad singulas curandas opportuna, & salubria remedia adhibere possit.

QVAESTIO LXII.

QVOMODO SE GERERE DEBEAT confessarius cum pęnitente ignara conscientia laborante.

QVomodo cum pęnitente conscientia ignarā laborāte se gerere debet cōfessarius? R. Præter ea quæ alibi me dixisse memini, hāc positionem statuo. Si pœnitens ipse qui aliquid parat facere, uel iam fecit, quod culpam esse, uel diuinæ legi, seu etiam positiuæ aduersari ignorat, à cōfessario, quia Doctoris etiam personā sustinet, docendus est. Vt si rusticus,

rusticus, uel rudis homo nesciat fornicationem, uel pollutionem voluntariam esse peccatum mortale, seu Curatus se teneri ad residendum. Vel si pœnitens ipse res necessarias ignoret, vt articulos fidei, decalogi præcepta, & ecclesiæ mandata, obligationes, quæ eius statum, & officium cócernunt, ad confessarium spectat, ignarum pœnitentem informare, accomodate ad ipsius captum iuuare, & in viam salutis dirigere, nisi ob pœnitétium multitudinem in piscinam mitti expectantium, expediat huiusmodi rudem ad alium, vt propriũ Parochũ mittere, quò ab eo instruatur, cum editus iussu Tridentinorũ Patrum Catechismus ad Parochos, sufficienter ea suppeditet, quæ eorum sunt partes, & quæ huc spectare possunt, siue quò ad res de quibus erudire oportet, siue quò ad modum erudiendi. *Henriq. lib. 3. de pœnit. cap. 28. Bannes. 22. quæst. 2. art. 8. Azor. p. 1. l. 8. cap. 8. quæst. fin. Sanchez. lib. 2. de præcept. cap. 3. n. 21. Tol. lib. 3. cap. 17.* De qua materia egimus etiam nos per modũ Catechismi. *sup. tr. 3. per septem capita.*

Idem dicendum, si animaduertat pœnitétem in aliquo statu manere, quem si nosset, peccaret, quia, tamen id ignorat, excusatur, v.g. si nouit inter maritum, & vxorẽ, impedimentum aliquod dirimens subesse, certiores enim eos facere debet, si se profuturum speret, nec aliquod scandalum secuturum timeatur. Quod etiam locũ habet in vsura, & detentione rei alienæ, vbi alterius damnum versatur, &c. Idem *Bannes. l. c. quæst. 33. art. 2. Val. ibi d. 3. quæst. 10. p. 3. & 5. Suarez. tom 4. d. 32. sect. 4. Sot. in 4. d. 18. quæst. 2. art. 4. Graffius lib. 1. decis. aur. cap. 16. numer. 20. Vgol. de officio Episcopi. p. 1. cap 15. §. 8. n. 7. Sanchez. lib. 2. de matrimonio. d. 38. nume. 10. Lazarius. de monit. sect. 2. quæst. 17. num. 10. Reginal. l. 2. num. 47. & lib. 13. num. 72.* Huc etiam pertinet, pœnitentem ad rite cõfessionem instituendã instruere, & in his, in quib. errat, dirigere, v.g. vt in explanandis peccatis sit breuis, superflua resecet, complices in delicto non pandat, non se excuset, & huiusmodi vt dixi in *Comment. de statibus vitæ hum. p. 1. c. 17.*

QVAESTIO LXIII.

QVID AGERE CVM EO DEBEAT, QVI conscientiæ erroneæ tenebris obducitur, &c.

QVid aget circa eum, qui tenebris erroneæ cõscientiæ inuoluitur? R. Instruendum esse pœnitentem, quando ob conscientiæ errorem, putat aliquid esse peccatum mortale, quod non est, propter quod damnationis periculo exponitur, vt rustici, qui se grauem culpam contrahere existimant, si ante rem sacram in die festo ientaculum sumant, & similia. Siquidẽ cõscientia obligat ne contra illam fiat, nisi rationabiliter per se, vel per alium deponatur; stante enim conscientię dictamine, contra formalem præcepti rationem, quod falso concipit, operatur: cum teste *D. Ambrosio. lib. de Paradiso.* Opinio nostra nobis legẽ faciat; & ille fit læsæ maestatis reus, nõ modo qui Regẽ uerũ, sed & eum quẽ Regem esse existimat percutit, iuxta illud proloquiũ, Voluntate, & proposito maleficia distinguuntur. *cap. cum voluntate ext. de sent. excom. D. Thom. quodlib. 8. art. 15.* Hinc turpiter cognoscens aliquã fœminam, quam falsè voto castitatis astrictam, aut consanguineam esse putat, contra votum, ac peccato incestus delinquit, ac proinde hanc circunstantiam in confessione aperire tenetur, dicẽdo cum ea peccasse, quam voto ligatã, aut cõsanguineam credebat. Et qui alicui peccato quod perpetrat, annexam esse excommunicationem falso putat, duplici malitia peccat, non tamen propter conscientiam in excommunicationem incurrit. At quamdiù illa erronea conscientia laborat, in omnibus, ac si vere excommunicatus esset, se habere debet, &c. *Vid. de excommunicatione. num. 9. Henriq. lib. 2. de pœnit. cap. 7. num. 2.* Vnde *Syl. in v. præscriptio. 1. nume. 13.* ait, quod qui conscientiam ad contrarium ligatam deponere non potest, tenetur rem, quam possidet, restituere, & hoc quidem per accidens, ratione scilicet conscientiæ ita vrgentis: quid enim acquiri putatur, vbi bona cõscientia perditur? *ait Cassiad. l. 4. Epist. 8. Bald. cons. 295. & 298. Tuschus. in v. conscientia. concl. 7 12. Finus. de reg. Iu. hom. 7.* Cœterũ contra conscientiam agere, tale est peccatum, quale ipsa conscientia dictat: ut si conscientia suadeat culpã esse lethalem in Templo spuere, spuẽdo m. p. sin esse veniale, p.v. Nisi materia fuerit mortalis, & error culpabilis, tanquam ex ignorantia rei prouenieus, quam potest, & scire tenetur. Vnde qui fornicatur, culpabiliter credens, simplicẽ fornicationem culpam tantum venialem inuoluere, nõ venialiter, sed mortaliter peccat, ut omnes fatentur.

Item nihil interest, ob quã causam quis cõscientiam erroneam deponat, aut eam non admittat, vt à peccato excusetur. Sic enim illa mulier, quæ audiuit concionatorem dicentem, peccatum esse mortale alienis capillis vti, & nihilominus ad formam augendam, vel turpitudinem tegẽdam, illos adhibet; nihil illius rationibus persuasa, adeòque putans se non male facere, nõn mortaliter ex hac causa delinquit, &c. *Caiet. 2. 2. quæst. 19. art. 5. & 6. Nau. capit. si quis. num. 62. de pœnit. dist. 7. Azor. libr. 2. cap 19. in fine. Sayrus. lib. 1. clauis regul. lib. 4. num. 18. Tol. l. 3. cap. 2. Sanchez. lib. 1. de præcep cap. 11. num 9. Reginald. lib. 13. numer. 75.* Vbi etiam *ex D. Anton. in 3. par. tit. 3. cap. 10. §. 3.* septem causas refert, ob quas cõscientię error prouenire solet. Quod si cui tantum in genere cõscientia erronea dictet, aliquid esse peccatum, non diffiniendo mortale ne sit, an veniale, in

dubio veniale iudicandum erit. Idem *Reginald. loco citato numer. 70. contra Sanchez. libr. 1. de praecept. capit. 10. numer. 6.*

QVAESTIO LXIV.

QVOMODO CONSCIENTIA DVBIA sedanda sit.

QVomodo cõſcientia dubia ſedanda eſt, & ad propriæ voluntatis æqualitatem reducẽda? R. Pœnitenti perſuadendum, numquam cõtra conſcientiam dubiam practice agere licere, tùm quia quod non eſt ex fide, peccatum eſt, qui autem dubitat, ex fide non operatur. *c. fin. ext. de praescript.* tum quia dubius animus, ſi quippiam agat, ſe ſe peccãdi periculo exponit: & contra amicitiæ legem agit, qui id facit, de quo ambigit, an ſit amico gratum. *Ang. & Syl. in v. dubium. Sayr. lib. 1. clauis regul. cap. 13. & dixi supra cap. 2. quaest. 23.* Hinc quamuis quis ſpeculatiue certus ſit, aliquid eſſe licitum, ſi tamen practicè dubius ſit, an hic & nunc id ſibi liceat, vt vſu venit ei, qui abſolute ſcit licitum eſſe in die feſto docere, ſed anceps eſt, an id ſibi in hoc feſto liceat, id ipſum agendo peccat. Et qui dubitat, an aliqua lex excommunicationem, ſuſpenſionem, irregularitatem ve imponens, ſit vſu recepta, non eſt pœnitenti integrũ reputare ab ea nõ obligari, quia cum cõſtet de ipſa lege, extat pro ea præſumptio, ac proinde alleganti non eſſe vſu receptam, vt ab eius obligatione eximatur, probandi onus incũmbit. *Sanchez. l. 1. de praecept. cap. 10. num. 35. Bonac. de legibus. d. 2. q. 4 p. 7.* Sic quando pœnitens dubius eſt de confeſſione, vt ſi anceps ſit, an aliqđ mortale faſſus ſit, tenetur iterũ id fateri, dum dubiũ illud non deponit, co qđ ſit certus de præcepti obligatione, dubius autem an illi ſatisfecerit; ſicut etiam exploratum eſt, certũ de voto à ſe emiſſo, dubium tamen an illi ſatisfecerit, ad id adimplendũ teneri, ſecus ſi dubitet an votum, vel iuramentum emiſerit, quod tunc melior ſit conditio libertatem poſſidentis. *Rebellus. de Iustitia p. 2 lib. 1. q. quaest. 3. sect. 2. num. 13. Sanchez. l. c. num. 12. & 36. & alij.* Item ſi dubium vertatur an aliquod ſit mortale nec ne, tutiorẽ partem tàm pœnitẽs quàm cõfeſſarius eligere debet. *Tusch. in v. forus. cõcl. 47.* Et reſoluit idem *Sanchez. in l. c. lib. 4. cap. 15. n. 46. & Bonac. d. tract. de legibus. d. 4. quaest. 2. p. 5. §. 2 numer. 17.* Hæredem certum de voto reali à defuncto emiſſo, ſed dubiũ de eiuſdem voti adimpletione, illud exequi teneri: tùm quia poſſeſſio ſtat pro voto, & ſecuriori animæ electione; tùm quia in foro exter no ſoluere cogeretur, cum non conſtet votum à defuncto eſſe perſolutum: & certum ſit, idem eſſe iudiciũ fori interni, & externi, quando hoc falſæ præſump tioni non nititur. Quod idem eſt dicendum, ſi ambiguum ſit, an de facto in aliquam cenſuram, vel irregularitatem inciderit, ſed cum dubitatur, an pœnitens dare, facere, vel pati aliqđ deat, in mitiorẽ, & benigniorem ſententiam, ne ad id teneatur, inclinandum eſt. Sic etiam fœmina, quæ maritum mortuum eſſe conijciens vult alteri nubere, debet ſibi perſuadere illum eſſe vita functum; de eo enim dubitans peccaret; deinde iuſta de cauſa, & certis argumentis id credere oportet. *Sayr. lib. 1. cap. 13. numer. 23. Reginald. lib. 31. num. 68. Molfes. tract. 4. cap. 10. num. 55. Graffius. lib. 1. decis. aur. cap. 15. nu. 25. Sà in v. restitutio numer. 34. Lessius. lib. 2. capit. 15. dub. 1. Arrag. 22. quaest. 62. art. 7. idem Sayrus. l. 10. c. 12. dub. 2. Sanchez. l. 2. de matrimonio. disp. 41. n. 10.*

Quæ quidem regulæ generales diligẽter notandæ ſunt, inde enim ſi ad vſum traducãtur, multi caſus contingentes reſoluẽtur, eſt namque regula generale axioma, ſeu pronuntiatum, ex cuius notitia, & veritate, multas facti ſpecies definire licet. Vel eſt breuis doctrina, ſeu ſententia, cuius notitia ad iudicium de multis rebus ferẽdum confert: Cum ſit regulæ officium, & proprietas, pluriũ caſuum eandem rationem habentium vnam numero generalem ordinationem facere. *Cagnol. & Dec. in lib. 1 ff. de reg. Iu. Lud. Carbo. lib. 9. de legibus. disput. 15. Schard. in lexicon. Iurid. v. regula. Tusch. v. regula. concl. 94.*

QVAESTIO LXV.

QVOMODO CONSCIENTIA SCRVPVLOSA sananda sit.

QVomodo conſcientia ſcrupuloſa ſananda eſt, & ad rectam rationem conformãda? R. Statuere primum oprtet, ſcrupulum eſſe motionem ad vnam partem cõtradictionis, ex leuibus coniecturis, & quadam apparentia; dictum à lapillo, qui in calceo pedem pungens remoratur, & moleſtia ambulantem afficit, ſiquidem ſcrupulus dicit animi (poſtquam firmam de aliqua re opinionem concepit) motionem in contrariam partem, quæ ipſum promptum, & alacrem in agendo eſſe nõ ſinit, ſed angit, pertur bat, anguſtijſq; quibuſdam premit, & hærentẽ, cunctabundumque reddit. Secũdo ſupponendum eſt, ſcrupulos ex uarijs cauſis oriri poſſe. Primo, ex timida corporis conſtitutione, qualis eſt in fœminis, & in melãcholicis, frigoris enim eſt conſtringere, cordiſque conſtrictio, quæ ad timorẽ vergit, imaginationem ad facilem apprehenſionem futuri mali diſponit, atque, vt timidi milites in corporali bello hoſtium incurſus vbiq; timent, ſic iſti in ſpirituali militia Dæmonis inſidias vbiq; metuunt, repræſentationes cum conſenſu confundẽtes, & putantes ſe peccato conſentire, cũ vere non aſſentiant. Atque huic affinis eſt mania anteriorẽ cerebri cellulam

lulam insiciens,ob quam infectionem plerumque fit,vt intellectui repræsentetur tanquã malũ, quod tale non est. Idemque dici potest de alijs vitiosis humoribus,quibus cum cerebrũ, in quo est sedes imaginationis,repletur, mentis actiones impediuntur, & iudicium corrumpitur. Secundo ex Dæmonum tentatione, qui Deo permittente tantas rixarũ interiorum molestias afferũt,vt animi pacem, & suauem cordis consolationem eripiant, atque ita scrupulorum importunitate hominem vrgent,vt vitam acerbam, & grauem agat, & eousque improbitatis progrediatur, vt de inferẽda sibi morte cogitare incipiat,& ad desperationem extremam malorũ tendat,seq; reprobũ, & æternæ damnationi addictum existimet. Quippe vt ait. *D.Greg.super Iob.cap.38.* Diabolus prius complexionẽ vniuscuiusque perspicit,& tunc tentationis laqueos apponit,singulisque hominibus conuenientibus vitijs insidiatur; quod communis hostis studium illud exemplum illustrat quod refert. *Marc. Marul.lib. 5.de ratione bene. beateque viuendi.c.7.* Cum scilicet B.Machario in specie medici apparuit malignus,multas ampullas circum se pendentes habens, & interrogatus quò pergeret,quidq; sibi vascula illa vellent,ad proximum monasteriũ iter se habere respondit, vt singulis fratribus potiones pro eorum palato offerret, quas si haurirẽt,sibi obnoxios redderet,&c. Tertio,ex malo corporis regimine scrupuli procedunt, hoc est ex immoderata abstinẽtia,aut vigilia,& id genus alijs indiscretis corporis macerationib.cerebrum debilitantibus, quæ improbantur in *cap. non mediocriter. de consec.dist.* 5. Quarto, ex consuetudine scrupulis laborantium,aut lectione librorum scrupulosorũ,qua vtentes his similes efficiuntur,& eorum mores induunt, iuxta illud Pindari,

Claudo vel vni si propinquus manseris,
Disces & ipse claudicare protinus.

Quippe ea est rerum humanarum infelicitas, vt facilius vitia,quàm virtutes transiliant. Quare in delectu spiritualium librorum,& confessariorũ cauendi sunt, qui nodum in scirpo quærunt, & æquitate in definiendis fori conscientiæ controuersijs vti nesciunt. Ac cum viri simplices,& imperiti, qui pietatis operibus, ac vitæ spirituali vacare incipiunt, ex imperitia omnium errorum matre in multos scrupulos incidant,prudẽtes, ac doctos confessarios eligere debent, quorum consilijs in salutis viam dirigantur,&c. Nam vt ait. *Alex.4. in cap. non solum,& ibi.notant DD.tit.de regul.* Puritati cõscientiæ non debet deesse iudiciũ rationis. Vnde ex tenui cõsciẽtia,& scrupulosa, non est quis commendandus,sed potius reprehendendus, cum teneatur eam ex iudicio rationis, & periti viri consilio informare. Sane oculo similis est cõscientia recta, testimonio Saluatoris nostri inclamantis *Matth. c. 6.* Si oculus tuus fuerit simplex, totũ corpus tuum lucidũ erit: quod *D. Ambros.tract.14. in Psal.*110. de conscientia interpretatur,quæ sana, & munda totam animam lucidam idest mundam, & diuinis oculis splendẽtem reddit. De qua etiam sic loquitur *D. Bonauent. p.1. spec.par.2.cap.3.* cum ait, In domo quam subintrãs solis radius illuminat, quantumque licet fuerit præmundata, atomi nihilominus diligentius intuentĩ apparent. Sic & cor radijs gratiæ illustratum etiam minima videt,ac vitiorum laqueos subtili examinatione discernit. Quinto,scrupuli permittũtur à Deo, vt homo præteritas culpas ipsis scrupulis tãquã purgatorijs pœnis abstergat, *vt per Io.Nid.l.2.Formic. cap.12.& D.Ant.p.1.tit.3.cap.10.Sayr.libr.1. clauis regul.cap.14. Reginald.lib.13.cap.11.nu.108. Azor. p.1.lib.2.cap.20.Roder.tom.3.qq.regul.quæst.66.ar.3.Daur.tom.3.exempl.cap.5.tit.48. Graffius.de arbitr.confess.l.1.cap.6. Bonac.de legibus.d.2.q.4.p.8.*

QVAESTIO LXVI.

QVAE REMEDIA A CONFESSARIO scrupulosis adhibenda sint.

QVænam antidota ijs præbere debet confessarius,qui scrupulosa conscientia torquentur? R. Porro quò ad præcipua remedia,quę maxime ad tollẽdos scrupulos prodesse possunt. Primum est ad Deum confugere, & proprijs, alienisque precibus ad eius gratiam impetrandam se disponere, postea corporalé antidotũ per humana medicamina adhibere. Secũdo, à scrupulis cogitationem auertere,& contra eos frequenter agere, siquidem mille surgũt apud aliquos scrupuli more canũ oblatrãtes, & eos lacerare minantes, qui per Dei viam ire volunt, qui compesci melius quàm per cõtemptum nequeunt. Et dum cogitatio non auertitur à re,de qua scrupulus inijcitur,ex illo multi sequuntur(non secus ac in lateribus ordinate hærẽtibus, moto vno alij cadendo comitantur) ita vt animũ in quem cadunt facile obruant. Et euidentis iuris est, non esse peccatũ,deposito scrupulo, aut etiam ipso permanẽte, aliquid agere, & omnes DD. docent, contra scrupulos pugnandum esse; tunc autẽ illis obsistimus, & eos paruipendimus, cum ipsis etiam vt catulis latrantibus aliquid operamur. Tertio,aliorũ iudicio se submittere: præsertim suo confessario fidem præstare, nec eius cõsilio aliquid mortale esse existimare, nisi qd' tale esse possit iure iurando affirmare: illudq; in propria causa agere, quod ipse maxime si doctus sit, in simili negotio consuleret. *Nau. cons.17.de pœnit.& remiss.Roder. l.c.* Quarto,vt confessarius scrupulosi dubia non admittat, nec se adeuntem interrogandi gratia excipiat, & si opus fuerit, illum verbis ad id appositis, & accomodatis exterreat, explicando

 graue

graue præceptum agendi contra scrupulos, quando ex huiusmodi anxietatibus aliquod notabile detrimentum pateretur, *Val. 1.2.d.2 q.14.p.4. Vasquez. q.19. artic.6.d.67. & alij coiter.* Quinto, vt tàm confessarius, quàm pœnitens hoc morbo laborans dubia in mitiorem partem interpretetur, sentiendo de Deo in bonitate, nec illum vt captiosum Iudicē existimādo, ac leges, & sacras scripturas secundū equitatē, & epicheiam sapiēter interpretando. Est enim epicheia iustitia pensatis omnibus particularib. circunstantijs dulcore misericordiæ temperata; cuius proprium est officium, in particulari actu, à generalibus verbis legis, seruata eius mente, discedere, habita ratione ad illud, quod Deus ipse, qui suum iugum suaue, & onus leue dixit, determinaret, ac definiret, & quilibet legislator, qui æquitatē præ oculis semper habere debet, in tali casu cōsultus responderet. *Roder. in qq. regul. tom. 2. quæst. 46. art. 2. Miranda. in Man. Præl. reg. tom. 2. quæst. 31. ar. 12. Carbo. de legibus. lib. 7. d. 12. Molfes. tract. 9. capit. 13. & auctores supra citati.* Vbi tradūt, quintuplicem esse interpretationē. Prima est authētica, quæ à legislatore fit. Secunda est vsualis, quæ à cōsuetudine desumitur. Tertia doctrinalis, quæ per Interpretū authoritatem hauritur. Quarta Iudicialis, quę per Iudicis sentētiam profertur. Quinta Interpretatio est quæ per epicheiam efficitur, quæ vt dixi est æquitas vel benigna iuris interpretatio, in ipsa naturali ratione fundata, & ad publicam, priuatamque vtilitatem inuenta. Vnde communis est DD. sententia, illum non peccare, qui non ex cōtemptu, sed per epicheiam ratione alicuius perpensæ circunstantiæ legis verba transgreditur. Sic dicimus ea quæ sunt de apicib. iuris de iure Canonico nō attendi, cū æquitatem, & simplicitatem semper ob oculos habeat. *Tusch. ver. Canones. concl. 26. & v. Ius Canonicum. concl. 578.* Atque his antidotis generalibus confessarius mederi poterit particularib. scrupulorū morbis, qui insurgere solēt circa præteritas cōfessiones, res fidei, & spiritum blasphemiæ, turpes cogitationes, motus iræ, odij, vel inuidiæ, recitationē horarū canonicarum, vel aliarum precum, distractiones in missa, vota, vel iuramenta, anxium timorem salutis, vel prædistinationis, & huiusmodi, quibus miseri scrupulosi vexari, ac torqueri solent. De qua materia preter allegatos Doctores videndi sunt. *D. Anton. loco citato, Nau. capit. 27. numer. 283. & sequenti. Syluest. in verbo scrupulus. Bisseldius. in tract. de tentat. capit. 6. Reginald. libr. 2. capit. 10. numer. 119. & libr. 13. capit. 12. Bonacin. de legibus. disp. 2. quæst. 4. puncto octauo.*

QVAESTIO LXVII.

QVID AGERE DEBEAT CONFESSARIVS cum eis, qui libertinam, vel cauteriatam conscientiam gerunt?

QVid agere debet confessarius erga eos, qui libertinam, & cauteriatam conscientiam gerunt, &c? R. Sicut scrupuli his, qui arcta cōstringuntur conscientia, & puritati insistunt, omni studio annitentes, vt Deo placeant, vehementer obsunt, cum faciant, vt sæpius peccēt, quàm alioqui peccarent; ita his, qui laxioris sunt conscientiæ, nec perniciosam Deum offendendi libertatem, aut potius seruitutē adhuc à se depulerūt, vtiles sunt scrupuli, vt tandem ad mediocritatē, & bonam frugem traducantur. Et eorum conscientia cauteriata ab *Apostolo* dicitur *1. ad Tim. 4.* idest corrupta, praua cogitatione, & malę concupiscentiæ igne adusta, siquidem cauterium est carnis corruptio ex igne, vel per ignē effecta. His enim simile quiddam accidit, quod moribundis hominibus, quos pleuritis excruciat, euenire solet, qui iam rupto apostemate, sensum amittentes, existimant se in summa pace, ac securitate valetudinis esse; cum tamen deficiente sensu, eos quoque sensim extingui necesse sit: nam, vt scite D. Bernardus dicebat, Quis magis mortuus, quàm qui portat ignem in sinu, peccatū in cōscientia, nec sentit, nec excutit, nec expauescit? Aliquando appellatur perturbata cōscientia, de qua sapientiæ *cap. 17.* Semper enim præsumit sæua perturbata conscientia, &c. Nam ipsa met nequitia pœnam secum affert. Vnde *Boet. 4. de consol. Philosophia. prosa 3.* Sicut probis probitas ipsa est præmiū, ita improbis nequitia ipsa est supplicium. Et *D. August. lib. 1. confess.* Iussisti Domine, & sic est, vt pęna sit sibi omnis inordinatus animus. Cui illud Iuuenalis concinit,

Extemplo quodcunque malum committitur, ipsi
Displicet authori, prima est hæc vltio, quod se
Iudice nemo nocens absoluitur, &c.

Pithagoras, *vt Stob.* refert. *ser. 24.* neminē tàm audacem esse dicebat, quē mala conscientia timidissimum non faciat, eo quod animus male sibi cōscius non quiescat, sed vltricibus curis crucietur. Quare impium Caligulam Deorum cōtemptorem tradit Suetonius, ad minima tonitrua, & fulgura, caput obuoluere, & ad maiora sub lectum se condere solitum fuisse, vt proinde verissimū appareat, quod est in Adagijs, muros clamare, & cōscientiā mille testes esse; nā vt morales Philosophi docent, cū peccare sit deficere à bono, quod secundum humanā naturam nobis competit, inde fit, vt suapte natura ex peccati tristitia conscientiæ aculeus oriatur. *D. Anton. in 1. par. summa. tit. 3. capit. 10. §. 5. Holchot. super sap. c. 17. lect. 191. Nau. de pœnit. dist. 5. in principio. Iustin. in Tob. capit. 3. versic. 16. docum. 1.*

Sic

Sic igitur isti liberas vitijs relinquentes habenas non proponunt Deum ante conspectũ suum, atque à facie eorum iudicia auferuntur, & ideo inquinatę sunt viæ illorum in omni tempore *Psal. 9.* Quippe cum summa bene viuendi circa tres virtutes versetur, in quibus christianæ legis perfectio consistit, scilicet charitas ex corde puro, spes ex conscientia bona, & fides non ficta, vt ait *Apost. 1. ad Tim. 1.* Fides autem ficta dicitur, vel quia reuera aliquis non credit, sed se credere fingit, vel credit quidem, sed non viuit, vt credit esse viuendum, ad christianæ scilicet legis præscriptum, &c.

QVAESTIO LXVIII.

QVAE REMEDIA CONTRA LIBERTINAM conscientiam adhibenda sint.

AD curandam libertinam conscientiam quæ remedia exhibenda sunt? R. Ad curandum hunc morbũ assumendus est Dei timor ex consideratione pœnæ inferni conceptus, tanquam efficax remedium, tùm aduersus peccandi licentiam, nam

Oderunt peccare mali formidine pœna.

tùm opportunum ad peccatorem ad Deum traducendũ, iuxta illud *Psal. 77.* Cum occideret eos, quęrebant eum, & reuertebantur, & diluculo veniebant ad eum. Quamuis enim talis timor per se ad peccatoris iustificationem nõ sufficiat, vtiliter tñ ad conuersionẽ incutitur. *ex Cõc. Trid. de pęnit. sess. 14. c. 4.* Ideo Diabolus humani generis hostis Inferni fidẽ omni studio extinguere nititur, vt sic hominem excæcatum facilius per vitiorum anfractus deducat, dùm quam non credit, pœnam non refugit, iuxta quem modum fur uelatis oculis ad patibulum duci solet. Qua catena adolescentes potissimum cõstringere solet, quos ardor quidam excipit ætatis, ita vt nec prudentiæ, nec iudicij sint compotes, ac verum bonum ignorent, nulla m futuri temporis curam suscipiant, voluptates, ac turpitudine appetant, ac concupiscentię facibus accensi, toti in contentiones, contumelias, ac obscœnitates præcipites ruant. Nec opus est vtique multiplices adolescentiæ impetus, ac potius furores recẽsere, quia in prouerbium transierunt, Via viri in adolescentia. *Prouerb. c. 30.* Quibus etiam præter natura lubricã ætatem astutus Dęmon persuadere conatur, vt omnem corporis voluptatem experiantur, & adolescentię tempora in varijs delitijs insumant, & pęnitentialia opera, corporisq; mortificationes, in senectam reseruẽt, vt apud *Sur. in vita. D. Vicentij Ferrerij. 5. Aprilis.*

A quo quidem peccaminoso statu vindicatur senectus; nam cũ omnia flagitia, quę aduersus Deum committuntur, nosque ab illius gratia separant, ex triplici, vt aliàs dixi, præcipue fonte oriantur, quæ sunt ignorantia, infirmitas, & malitia, quis non videt, si singulæ ætates considerentur, longe hæc minora, ac leuiora in senectute, quàm in alijs superioribus ætatibus se ostendere? Siquidem religio, quæ nil aliud agit, quàm vt homo singulari quodam cultu Deum prosequatur, totumque se illi tradat, senibus corporis viribus confractis, & mundi solicitudinibus prorsus à se abdicatis, præcipuo quodam modo conuenire videtur. Vnde *D. Cyprianus. de 12. abus. sęculi. c. 2.* Plus omnibus religioni operam dare senibus cõpetit, quos pręsentis sęculi florida ætas transacta deseruit.

Et si aliquando secus accidat, cũ sępe videamus, Susannę senes vsq; ad guttur in cęno misere demergi, ita vt de limo profundi difficile admodũ à cõfessario extrahi queant: cum vt ait *D. Anton. 4. part. tit. 14. capit. 6. §. 3.* Peccata iuuenum pędicentur in quale, quia facile per pœnitẽtiam delentur, senum vero vitia prædicentur in quid, eo qđ eis quasi substãtialiter adhereant. Hinc dicimus, Mortuo mederi, & senẽ admonere, idem esse; & circumfertur adagium, senis mutare linguam, de frustra, & intempestiue laborantibus: senem psitacum ferulam negligere, & setum esse, canes vetulos loris assuefacere. *Grat. in Forens. Discep. cap. 328.* Ita vt etiam merito in repub. tàm sęculari, quàm ecclesiastica, & regulari in electione ad honores, & dignitates iuuenes aliqui interdum senibus præferãtur, nam in *Cant. c. 7.* ait sponsus, Statura tua similis est palmæ, ubera tua quasi botrus; palma siquidem ducentorũ annorum tempus ad ascẽsum, & sui incrementum postulat, seroque valde suos fructus profert; vitis autẽ quatuor annorum spatio succrescit, vuasq; producit: Iuuenes ergo viti cõparati, sicut annosæ palmę, cui senes similes sunt, eleuari interdum merentur. *Finus. de reg. Iur. can. homel. 5.* Nõ desunt vero tàm iuuenes, quàm senes libertini, qui eò dementiæ deueniunt, vt quamuis vera credãt, quæ de hominis nouissimis iuxta catholicã fidem dicuntur, nihil tamen eorum timore moueantur, hoc Diabolico adeoque falso præsidio fulti, quod nihil sit, cur se priuare debeant huius vitæ iucunditatibus, nec proprij genij indulgẽtia, cum nesciant, an post toleratos multos labores, & spreta huius vitæ commoda, felicem exitum sint habituri, id. n. pẽdere ex solius Dei beneplacito.

Quibus occurrẽdum est, æquum esse vt sibi persuadeant, Deum pro infinita sua bonitate, nihil de ipsis decreturum, nisi qđ iustissimum est, ideò quod suarum partium est, exequantur, satagendo iuxta *D. Petrum. Epist. 2. cap. 1.* vt per bona opera, certam suam vocationem faciant; cum ad æternę vitæ consecutionem, quam Deus omnib. pie viuentibus parauit, oporteat nos à malis abstinere, & bona agere. *cap. de forma. 22. quæst. 5. & clem. vlt. de pœnis. gloss. in l. iustitia. § iuris. præcepta in verbo. cuique ff. de institia.*

iustitia, & iure D. Hieronym. libr. 1. contra Iouin. capit. 7. Tiraq. de temp. pœnis. causa. 44. numer. 57. Reginald. libr. 2. capit. 11. numer. 141.

INTERROGATIONES, QVAE FORMARI poterunt super Prudentia Confessarij. Cap. XI.

QVAESTIO LXIX.

QVAENAM SIT PRVDENTIA, QVAE in confessario requiritur.

QVænam est ista prudentia, quam superius dictum est, necessario in ministro sacramenti pœnitentiæ requiri? R. Non sine causa aliàs à nobis significatum est, scientiam, & prudentiam esse duos confessarij oculos, quibus quæcunque ad proprium officium spectāt, perspicit, & agnoscit; scientia enim eorum cognitionem, & notitiam suppeditat, quę ad recte obeundum Iudicis, Medici, & Magistri munus necessaria sunt, & vt ipsum pœnitentiæ sacramentum rite, iuste, & decore administretur, & nil eorum desit, quæ contritio, confessio, satisfactio, & absolutionis sententia exigunt. Prudentia vero generales scientiæ regulas, ad cuiuscunque pœnitentis particularia, omnibus occurrentibus circunstantijs perspectis, applicat, & accōmodat. Siquidem prudētia est illa, quæ hominē in humanis actionib. peragendis ne labatur oculate regit, iuxta illud,

Non de ponte cadit, qui cum prudentia vadit.

Quinimo plus in Iudice valere prudentiam, quàm doctrinam prodidit. *Quintil. libr. 6. Instit. orat. cap. vlt.* Et vt itidem *Arist.* inquit. *lib. 3. Polit. cap. 3.* Virtutum sola prudentia est imperium obtinentis propria. Quam quidē præter naturæ donum auget frequens librorum lectio, consuetudo cum doctis viris, & casuū qui in dies succedunt, accurata obseruatio. Vnde nō solū cōfessarius nota habere debet omnia quæcunque ad suum munus pertinēt, sed ēt in actu practico, magna dexteritate vti eum oportet; cum enim, vt diximus, sit pater quidam spiritualis, medicus, & Iudex, in patris officio cauēdum, ne sit vel indulgētior, vel seuerior, quàm res postulet, ne quem consolari debet, cum verborum acerbitate affligat, In officio medici, ne medicamenta minus ad morbi & ægri naturam accomodata præbeat, quibus malum non curetur, sed potius augeatur. Denique in Iudicis officio, ne absoluendos condemnet, & condemnandos absoluat, sed iustam, ęquam, & tempestiuam sententiam ferat. Vt etiam illud omittam, quod cum omnes casus ad conscientiam spectantes à Legibus, Canonibus, & Doctorib. diffiniri nō potuerint, multa eius arbitrio determināda relinquūtur; nam vbi determinatio deficit, ibi arbitrium locum habet, quod quidem rationi, æquitati, & recto iudicio consonum esse debet. *Graffius de arbor. Confess. in proemio.* De qua practica scientia seu prudentia, quod ad rem nostram attinet, sic ait *Innocētius III. in capit. omnis. ext. de pænit. & remiss.* Sacerdos autem sit discretus, & cautus, vt more periti medici superinfundat vinum, & oleum vulneribus sauciatis diligenter inquirens, & peccatoris circunstātias, & peccati, quibus prudēter intelligat, quale debeat ei præbere cōsilium, & cuiusmodi remedium adhibere, diuersis experimētis vtendo ad saluandū ęgrotum. Hincque magis constat, nullam confessarij intentionē cohonestari posse, vbi eius actio in suo ministerio prudentia caret, nec excusari, si dicat se putasse ita agēdum esse, nam vicissim ei obijcietur, Sapientis non esse dicere nō putaueram. Et *D. Paulus. ad Rom. cap. 10.* illum arguet dicens ipsum quidem Dei zelum habere, sed non secundum scientiam. *c. non solum. de regul. in 6.* Cum ergo Cōfessario, & vt Iudici, & vt medico prudētia virtutum parens opus sit, à spiritu sancto petat ea sibi dona infundi, quibus intellectus illustratur; & postulet, vt illuminet faciem super seruū suum, itaq; dirigat gressus eius in semitis suis, vt non moueantur vestigia eius. Incassum enim recidunt studia, & diligentiæ, ac cætera, quæ ad humanam prudentiam ducunt, nisi diuinæ sapientiæ duce regantur. Neque sibi adeò fidat etiam post diligentem operam positam in comparanda necessaria scientia, vt antequam cōfitentem audiat, oratione nō se præmuniat, per illud *Psalm.* 50. Cor mundum crea in me Deus. Vel illud, Veni sancte Spiritus, aliud ue simile. Hinc Codex Pœnitentialis, Cum uenerit, inquit, aliquis ad sacerdotē confiteri peccata sua, mandet ei sacerdos, ut modicum expectet, donec intret in cubiculum ad orationem. *Baron. in notis. ad Martyr. 3. Idus Iunij.*

Implorare autem debet Spiritus sancti assistentiam tùm sibi, ut ex eo intelligitur, quod Dominus hoc munus discipulis demandans ante dixit, Accipite Spiritum sanctum. *Io. 20.* tùm etiam confitenti, cuius actus ab interiori saltem attritione procedere debet, quæ Dei donū est, & Spiritus sancti impulsus. Vnde eleuata per orationem in Deum mente, humiliter gratiā petere eum par est sibi quidē, ut recte officio suo fungatur, nec ob ullam occasionem ueritatē deserat, nec sua negligentia efficaciā Christi sanguinis impediat; Pœnitenti uero, ut uere ad Deum redeat, sacramentique finem consequatur. *Ludou. de Ponte, tom. 4. tract. 5. capit. 4. §. 2. Gisbertus de vita. ecclesi. capit. 52. Henriq. libr. 3. de pænitentia. capit. 27. Barthol. Medina. in Instruct. Confess. lib. 2. cap. 3. & 6. Reginald. libr. 2. cap. 1. num. 1.*

QVAE

QVAESTIO LXX.

CIRCA, QVAE POTISSIMVM CONFESSArij prudentia versetur.

CIrca, quæ versatur potissimum cõfessarij prudentia? R. Circa quatuor, Primo, vt pœnitens ad pedes prouolutus ad aperiendam fidenter conscientiã inducatur, quò confessionis integritas saluetur, & omnia peccata lethalia nullo excepto tàm quò ad numerũ, quàm quò ad circũstantias mutantes speciẽ, vel etiam multũ aggrauantes pandãtur. Hinc *Franc. Zauerius. apud Tursell. lib. 6. capit.* 17. Confitentes benigne, & comiter excipe, grauissimis etiam, innumerisque criminibus corruptos, dum virus euomant, ne pudore victi scelera supprimentes, inde perniciem hauriant, vnde remedium, & vitam haurire debent. Peracta confessione, grauitas, & flagitiorum turpitudo est illis aperienda, cõmemoratisque supplicijs, animi ad odium, & dolorem criminum impellendi; obstinatis animis æterna supplicia proponenda, grauesque illæ pœnę, quibus vel in hac vita facinorosi plectuntur, &c. Pro cuius rei fundamento, & basi est aduertendum, prudentem confessarium debere primum generales interrogationes præmittere, quę cõscientiæ pœnitentis antea sibi ignoti lucẽ afferre possunt, quæ pariter ad quatuor reducuntur.

Prima est à quò tempore ille non sit cõfessus, vt hinc noscat, an ecclesiæ mandatis paruerit, & quo affectu ille ad sacramentum accedat, & quia id ad facilius dignoscendum numerũ, quem sępe ex tempore metimur, multum confert.

Secunda, an pœnitentiam sibi iniunctam expleuerit, & reliqua perfecerit, quæ in præcedẽti confessione imperata fuerunt, vt ex hac inobedientia admissum peccatum percipiatur, indeque confessarius conijciat, quid pœnitens in præsenti confessione sit facturus, nam

Præteriti ratio scire futura facit.

Tertia, est an ex qualitate personæ propriæ conscientię sinus excusserit, & sibi in pręteritis cõfessionibus satisfecerit, vt ex hoc intelligatur, quale auxilium ei impendi possit, & an illæ vt illegitimę, & inualidæ reficiendæ sint, &c.

Quarta interrogatio est de statu, & instituto, eiusque vitæ ratione, ex quo multa oriuntur peccatorum circunstãtiæ. Hac generali Inquisitione pręhabita, subinde ad patricularem fit progressus, illo prius discrimine animaduerso, inter sacramẽtalem confessionem, & eam quæ in foro externo à reo fieri solet; quæ non voluntaria, sed coacta est, vt quæ nõ ad ipsius rei proprium bonum, sed ad pœnam in cõe commodum dirigitur. Quare Iudicis partes sunt, reum de eius delicto examinare, qui nisi nõ interrogetur, illud confiteri nõ tenetur. At sacramentalis confessio est spontanea, quia in bonum pœnitentis refertur, vt scilicet culpæ liberatio, & errati venia condonetur, vt aiunt. Tridentini Patres in *Cathechis. Rom. tit. de confessione, & Sotus in 4. sent. dist. 18. quæst. 2. art. 4. Syl. in verbo confessio. 1. quæst. 17. Graffius lib. 1. decis. aur. cap. 25. numer. 4. Lud. de Ponte. de perfect. christiana. tom. 4. capit. 8. tract. 5.* Quare pœnitẽtis partes sunt, etiam non interrogatum omnia fateri, ad confessarium autem inquirere nõ pertinet, nisi in casu, quo aliquod peccatũ omittere prudenter animaduerteret, qđ ex aliqua quatuor radicum prouenire potest, scilicet ex ignorantia, aut quod se sufficienter non examinauerit, aut ex obliuione, vel denique ex malitia, qua pudore victus sponte aliquid reticet. *cap. consideret. de pænit. dist.* 5. Sicut & ex quatuor radicibus licite aliquod peccatum in confessione subticeri, ac omitti potest, vt cum probabiliter certi peccati reuelatio timetur, vel ruina cõfessoris, vt si puella turpes cogitationes taceat, ne sacerdoti illã solicitãti sacrilegij occasionem præbeat, vel aliena mors, vt si pœnitens accessit ad confessarij sororẽ, pęnitentis consanguineam, ex cuius circunstantiæ manifestatione timet, ne soror agnoscatur, & mortis periculũ subeat: uel quarto loco infamia participãtis in delicto, vt si pœnitẽs rem habuisset cum sorore confessario notam. *Angles. q. de confess. diff.* 7.

Porro ad hoc exactius cognoscẽdum, vt infra dicemus, solet esse aptum medium, permittere pœnitentem quidquid cogitauerit cõfiteri, ob hoc enim hoc sacramentum dicitur confessio, & non interrogatio, quia ille qui deliquit, se accusando sua peccata sponte prodere debet, & inde eius quod omittit notitiam haurire licebit, & rerum de quib. postmodum eum interrogare oportet; cum ea tamẽ cautela, ne quid interrogãs, oculos ei apetiat in lubricis, qui eos bene clausos habebat, &c. Interdum tamen breuem interrogationem subijcere expediet, & cõfessionem interrumpere, puta si pœnitens ex ignorantia, quod vt plurimum contingit, numerum, speciem, & circunstantias omittat, ne culpas, quas vix præ rubore reus semel expressit, noua postea inquisitione pulsatus repetere cogatur, ex quo odiosa reddi solet confessio. Excipiuntur etiam idiotæ homines, & rustici, qui cum admissa peccata ad memoriã reuocare nesciant, vel si quid vltro confitentur, vt pote generale, & confusum, absolutionem non mereatur, ne tempus frustra consumatur, interrogationib. in principio, medio, & fine cõfessionis adiuuãdi sunt. Vnde cum facilius, & expeditius excipiãtur confessiones interrogando pœnitentem, quàm expectãdo, vt sponte dicat, hanc etiam doctrinam ad praxim confessarius traducere poterit, quando multis cõfessionibus vrgetur, vt in Paschate, & tempore Iubilei

Iubilei contingere solet. *Philiarch. libr. 2. de officio. sacerd. de pœnit. capit. 31. Hier. Lamas. in summa. eccles. p. 1. cap. 3. §. 1. Bernard. Possen. de officio. cur. cap. 7. nu 23. Bonac. de sacr. d. 5. q. 5. sect. 2. p. 2. §. 1. n. 6.*

Ad prudentiæ quoque huius actum spectat, ut in confessario initio confessionis paterna, & spiritualis grauitas eluceat, ita ut in vultu, & gestib. uel motibus corporis nil toruum, uel terrificum præseferat, sed pœnitentem benigne suscipiat, paratus ipsum iuuare, secumque onus portare, habẽs dulcedinem in affectione, pietatem in alterius discrimine, discretionem in uarietate, ut habetur in *c. 1. §. quibus vbi Nau. de pœnit. dist. 6.* Hinc Hippocrates *in libro qui de Medico* inscribitur, Conuenit, inquit, ut medicus comitatem quandam adiunctã habeat; asperitas enim sanis, & ægris difficilẽ præbet accessum. Vt ex anima pœnitentis peccatorum serpentes extrahantur, lacte mansuetudinis opus est, ut locũ habeat, quod ait *Iob. cap. 26.* Obstetricante manu, eductus est coluber tortuosus: siquidem Ouis quam Pastor absterruit, parata fit lupis præda. Quia enim eo tẽpore pœnitẽs quasi parturiens est, cum illo agendum est sicut cum fœmina in partu laborante, cum qua nihil attentatur, quo uel turbetur, uel impediri possit partus. *Philipp. Cancell. in Psalm. 6. serm. 18. D. Bonauent. in suo Confess. part. 1. Bassus. de Cur. anim. part. 4. capit. 11. & alij communiter.*

QVAESTIO LXXI.

QVOMODO AGENDVM CVM EO, QVI cunctatur in confessione loqui, &c.

QVid agere debet cũ eo, qui genuflexus capite aperto, signo Crucis se muniuit, & generalẽ confessionem vsque ad illa verba mea culpa recitauit, heret tamen cunctabundus, nihil valens aut volens dicere? R. Debere talem admonere, vt omnia sua peccata quotũ memoriam habet, & de quibus conscientia magis ipsum remordet, quæque sibi in extremis constituto à Dæmone obijci coram Celesti Iudice maxime timeret, statim exponat, quãdoquidẽ Deus, qui præcipuus est huius tribunalis Iudex, omnia peccata optime nouit, & videt, quæ pęnitens studet in confessione reticere. Et cum Deus ipsam confessionem integre fieri iusserit, ut pęnitẽs à peccatis sanetur, iustissimum est, ei parere; & maxima ignorantia esset uelle ei resistere, cum non sit aliud remedium remissionem, & sanitatẽ recipiendi quàm confessario sub adeo seuero secreto morbos pandẽdo, vt in nullo casu, qui occurrere possit, illud frangere liceat. Vnde qui paruam confusionem coram uno homine refugit, illam coram omnibus hominum in die nouissimo Deo pudorẽ suum punientẽ sustinebit. Non te pudeat dicebat D. Augustinus corã uno dicere, quod te non puduit forsitan coram multis facere: nam Humanum est peccare, Angelicum emendare, sed Diabolicum perseuerare. Vnde in ipsa confessione deprehendens pœnitentẽ aliquod crimen sine iusta causa reticere, tãquam sacrilegum, & sacramento iniurium non absoluet, antequam de fictione doleat, & ipsam confessionem integret. *Suar. to. 4. d. 32. sect. 3.* Admonẽt etiam DD. sacerdotem nõ debere cursim confessiones audire, muta enim Dæmonia non facile expelli, sed cura, deligentia, ac mora quadam opus esse. Præclarũ est *D. Hier. super Oseã. c. 6.* consiliũ, Artis medicorũ est grauia vulnera longo curare tempore, & per dolorem reddere sanitatem. *Ioseph. à Costa. in domen. 3. Quadrag.* Huc accedit, quod unum peccatũ in confessione occultatum, quasi serpens, aut uermis æternus futurus est, qui pœnitentem eum quadam irreparabili ignominia in Inferno torquebit; ac proinde qui sacrilegium admisit, ut pudorem euitaret, ingenti pudore cruciabitur; cum æternus pudor temporalis uerecundiæ fit carnifex: & quod magis est, etiam in hac uita peccatum in confessione suppressum crudelissimus est conscientiæ lictor, & tortor. Et sicut è cõtra, apertovlcere, cruciatus cessare solet, & eiecto noxio, & superfluo cibo, stomachus exoneratur, & quietus manet; ita manifestato peccato, cõscientia exhilarescit, & interna quiete pœnitens fruitur, beneque collocatum laborem reputat, quem in confitendo sustinuit: *Conc. Trid. sess. 14. cap. 5.*

Quę ab usu sacramẽti pœnitentẽ auertere solent. Sũt Primo, pudor de peccatis cõmissis. Secũdo, horror pęnitẽtiæ agendæ. Tertio, metus incurrẽdę infamiæ. Quarto, difficultas restituẽdi, quod iniuste detinetur. Quinto, desperatio uitãdi aliquod peccatũ. Sexto, labor subeundus in facienda ut par est confessione. Quorum primo impedimẽto obuiam itur, opponendo confessionem fieri Deo omnia cognoscenti. Ob oculos ponendo Christi, & Sanctorũ cruciatus, memoriã status Damnatorũ ignominiosissimi; iacturam bonorum æternorum; spem ponendo in auxilio diuinæ gratiæ, B. M. V. & Angeli Custodis; laborẽ cõsiderando, qui pro caducis rebus comparandis sustinetur, &c. O nimia hominum insania, exclamãt Sãcti Patres, Pudet ablui, & nõ pudet inquinari, pudet sordes abstergere, & non pudet contrahere abstergitur caliga, & dimittitur aĩa. *Reg. de officio pœnitent. capit. 2. sectione 5.* Exempla aliqua memorãda adducere expedict eorum, qui peccata in sacramentali confessione reticentes, in Infernale barathrum detrusi horrendas, ac perpetuas sustinent miserias. De quib. in Magno speculo exemplorum *in v. confessio. exemplo. 22. & seq. Lud. de P. tom. 4. tract. 5. cap. 7. §. 2. Duar. tom. 3 exempl. cap. 5. tit. 38. Bustus. p. 2. serm. 35.* Proponere quoque maxime interert, maligni spiritus ingenium, qui con-

fessionem

fessionem ob pudorem ex ea prouenientem, impedire conatur, sicut cuidam ex SS. Patrib. reuelatum fuit, dum eum per confessionalia discurrentem in Spiritu uidit, quod scilicet pœnitentibus tempore confessionis restitueret, quod in occasione peccandi abstulerat.

Addat confessarius, admissas culpas sibi soli saltem principaliter imputandas esse, nō Dæmoni, uel sodalibus, uel naturali corporis constitutioni, sicq; eas proponat, ut per ipsum non stet, quin à confessario sicut à semetipso animæ suæ status intelligatur. *Caiet. in v. confessio. cond.* 15. Cauere tamen debebit ipse animarū medicus, ne nimius, ac concionabundus in his sit; una enim de conditionibus confessionis est breuitas cum perspicuitate coniuncta, excludens ab ea quæ superflua sunt, tàm ex parte cōfessarij, quàm ex parte pœnitētis. Huc spectat, vt confessarius prout supra innui, non nimis festinet, vt cito se expediat, nā pœnitēs turbatur, & angitur, cū ita properare cogitur, & aliqua omittit, quæ dicere cogitauerat, & inde oriuntur scrupuli, & sacrilegæ confessiones; & cum multa subticeant pœnitentes, ne confessario sint molesti, lineis filis pœnitentis sanies exugenda est: non ergo properanter, sed tarde modo tuto, non aspere, non ad speciem, sed diligenter, & caute conscientiæ morbi ab eo curandi sunt.

QVAESTIO LXXII.

QVID IN INTERROGANDO pœnitente obseruandum.

QVæ ratio ex secundo prudētię actu obseruanda in interrogando pœnitētem? R. Cum interrogādi necessitas, & obligatio ex quatuor, vt supra diximus, causis oriri soleat, scilicet ex ignorantia, defectu examinis, obliuione, & pudore pœnitentis; in quibus casib. si id facere omittat, cum eius conscientia probabiliter ei dictat interrogationes esse de necessitate faciendas, lethalem cōtrahit culpam. Duo namque sunt ex parte pœnitentis necessaria, vt sit absolutione dignus, integra confessio, & debitus dolor, ideo vtriusq; sufficiētem notitiam habere debet, vt iustam ferre possit sententiam. Id enim coniunctum esse cum ipso confessarij munere patet tùm *ex capit. 1. §. diligens. de pœnit. dist. 9. & ex cap. omnis. extr. de pœnit. & remiss.* tùm ex eo quod confessarius medici officio fungatur, qui infideliter ageret, si cernens ægrum aliquas morbi pestilentes circunstātias ex inscitia tacere, nihil inquireret. Itē Iudicis muneri aduersaretur, qui similiter perfide se gereret, si animaduertēs teste aliquid tacere, de quo ius hēt interrogādi, id sciēter omitteret, ac dissimularet; siquidē Iudex in his, quę rei causam respiciūt, vbicunq; & quomodocunq; illum æquitas moueat, interrogare debet, & reus respondere tenetur. *Tuschus. in verbo Interrogare. concl.* 321. Quare quando aduerrit hac in re defectum, quod sæpius in magna hominum parte cōtingere solet, qui sunt rudes, aut ignari, aut valde neglīgētes in examināda conscientia, aut non norunt species, numerum, vel peccatorum circunstantias exprimere, tenetur eum emendare pœnitentē, circa ea peccata examinando, quæ ipsum verisimiliter commisisse credit, quę prudens ex pœnitentis statu, & lapsu temporis, ex quo vltimo est confessus, ex negotijs, quę interim gessit, & ex his, quæ per se cōfitetur, conijcere poterit. Vbi autem ex confitendi modo cōfessarius aduertit pœnitentem peritum esse in explanando numero, & peccatorum speciebus, seu illum spiritualem vitam agere solitum, & venialibus tantum culpis aspergi, non est interrogationibus vexandus.

QVAESTIO LXXIII.

QVID IN INTERROGATIONIBVS cauendum.

QVid circa interrogationes faciēdas à confessario cauendum? R. Porro in interrogationibus faciendis quatuor obseruanda sunt. Primo, vt fiant circa peccata, & non circa fabulas, vel alias res mundanas, quæ ad rem non pertinent, regulariter non fiant interrogationes de materia non necessaria, vt de peccatis venialibus, nec de peccatis aliàs rite confessis, nec de complice, nam est etiam ciuilis regula, quod reus de socijs criminis interrogari nō potest: vt de communi testatur idem *Tuschus. in d. verbo. Interrogare concl.* 323. *Henriq. lib. 2. de pœnit. cap. 4. num. 2. & lib. 3. cap. 25. num. 7. Coninch. disp. 7 dub. 9. num.* 88. Et in genere primum formentur, & inde si necesse est ad species descendatur, v. g. interrogando artificem, an in sua arte aliquam fraudem admiserit, Iudicem, Parochum, & Principem, an recte officio suo functi sint; religiosum, an vota, religiosique ordinis constitutiones seruet, coniugatum an in matrimonio sancte versetur: siquidē ex huiusmodi inquisitionibus in genere colligere poterit confessarius, an vlterius procedendum sit.

Secundo, vt de peccatis consuetis, & communiter notis inquiratur, nę modos aliquos peccādi nesciēti insinuet, quod maxime cum pueris, & puellis animaduertendū est. Nam qui inuestigator est malorum opprimetur ab eis *Prouerb.* 11. Propterea si suspicatur eos aliquo turpi peccato inquinari, à cōmunioribus & non statim aperte interroget, sed quærat, cogitasti ne aliquando turpia? Si hoc fateatur, vlterius inquirat, cōsensisti ne? Si dicat sic, procedat dicēs fecistine, vel consummasti, &c. *Vict. de confess. n.* 193. *Lopez. p. 1. c.* 28. Idē *Henriq. l. 3. de pœnit. c.* 27.

Tertio,

Tertio, vt ad nimis particulares peccatorum carnaliũ circunstantias non descẽdat, quia vt ait *Arist. in 3. Eth.* Delectabilia quanto magis considerãtur, tanto magis apta sunt mouere. Curet honestis verbis cuncta explicari, nec extricari permittat, quæ principalem actum comitantur, vt oscula, tactus, & alios minutulos peccandi modos, qui sibi vel pœnitenti tentationem excitare possint: vt nonnulli faciunt, quos Angelus à Clauasio contaminatores potius confessionis, quàm cõfessarios appellat, atque sæpissime lethaliter peccare huiusmodi interrogationibus consultò se oblectantes. Proinde præstat sacerdotem minus perfecte peccatum pœnitẽtis intelligere, quàm vel illi, vel sibi aliquod scandali periculum creare. *Coninch.d.7.de confessione.dubit.7. num.56. Nau.in d.cap.1.§.diligens.de pœnit.dist.6.* Ipse tamẽ cõfessarius pro munere suo in circũstantijs peccatorum carnis necessarias interrogationes, omittere non debet, vt si cõtracturus matrimonium cum Lucretia se accusarit, quod cum eius sorore, vel cõsobrina rem habuit, interrogari poterit, an intus, vel extra uas semen effuderit, vt sciatur, an cõtracta sit affinitas; vel si aliquo coniugio inito mulier conquereretur illud consummare non posse, cõfessarius inquirere debet, an defectus ex parte sua proueniat, vt quia arctam naturã habeat, vel causa viri, vt quia virgam erigere nequeat, &c. vt ipse animarum medicus norit, si ob maleficium, naturale impedimentum, vel aliunde id eueniat, quò diuortium fiat, & peccata euitentur. *Molfes.tract.7.capit.24.num.43. & alij communiter.* Et quia lubricum est negotium cum fœminis, citius quàm fieri potest, ab his se expedire debet, & seuerum potius, quàm nimis mollem, & familiarem in earum confessionibus excipiendis exhibere. *D.Thom.opusc.64. D. Anton.in summula. de bonis confess.cap.11. Henriq.l.c. Philiar.de officio. sacer.libr.2.capit.31. Gallon.in vita B.Philip.Nery. Tursell.in vita B. Franc. Zauer. lib.4.cap.23.*

Quarto, vt ordinate procedat, habeatque in memoria breuẽ, & ordine bene dispositam interrogãdi formulã de speciebus, & circunstãtijs, quæ in singulis Decalogi preceptis contingunt, ita vt sub sexto, & septimo mandato nonum etiam, & decimum comprehendat, ad quæ facile ecclesiæ præcepta, & cuiusque status obligationes reduci possunt. Si tamen pœnitenti mors, vel phrenesis, vel linguæ impedimentum timeretur, summus ordo est, non alium ordinem seruare, quàm quem discretio dictauerit. *Reginald.lib.2.cap.2.num.16. Graffius.l.1.decis.aur. cap 26.num.6.* Huc pertinet, vt cõfessarius cum vacat, velit potius duos audire bene quàm viginti perfunctorie, quandoquidem hoc quàm illud melius est. Et cum omnes audire nequit, libentius, & potius eorũ confessiones excipiat, qui plus indigẽt, & quorum spiritualis profectus ad maiorem Dei gloriam, & auctius commune bonum redundat. *D. Anton.p.3.tit.17.capit.19. Caiet.in verbo confessor. Graffius.loco citato.cap.22.num.3. Reginald.nu.12.*

CAP. XII.

QVAESTIO LXXIV.

QVAENAM CIRCVNSTANTIAE PRO confessionis integritate exprimendæ sint.

QVia principalis cõfessarij obligatio est, vt det operam, quantam pro tẽporis ratione commode potest, quò pœnitens integre cõfiteatur, confessio autẽ integra, vt sæpius diximus, dicatur quando omnia peccata cum numero, & necessarijs circũstantijs exprimuntur, quæro quænã sint istæ necessariæ circunstantiæ, quæ in sacramentali cõfessione manifestandæ sunt? R. Circunstantiarum notitiam maxime quidem sacramenti pœnitentiæ minister callere debet, vt considerando qualitatem criminis in loco, in tempore, in perseuerãtia personarum, rectum præbere consilium, & conueniens, præsentaneumque remedium adhibere queat. Nam ex sententia Philosophi in 2. *Priorum.* Accidẽtia multum conferunt ad cognoscendum quod quid est; & ideò sicut prudẽs medicus non solum tempus febris, sed etiam multa alia inquirit, vt quamdiu calor, vel frigus in ægro perdurauit, an stomachi, vel capitis dolorem senserit, an vomitum passus fuerit, pulsum tãgit, vrinam respicit, &c. sic confessarius spiritualis medicus peccatorum circunstantias diligẽter examinare debet. Quod præceptum à iure diuino, & humano descendit, nam qua præceptione confiteri tenemur, eadem etiam integre cum circunstãtijs id officij obire nos oportet. Sic in simili Iuristæ dicunt, Testes in causa criminali examinatos non probare delictum, nisi necessarias circunstãtias exprimant, v.g. deponendo de loco, tempore, & alijs, cum loci, temporis, & aliarum circunstantiarũ diuersitas delicti etiam varietatem inducat. *Bald.lib.4.conf.420 Castr.libr.2.conf.132. Tuschus.in v.libellus.concl. 320.& v testes.concl.262.arg.c sicut dignũ el.1.ext. de homicidio.c.consideret.de pœnit.dist.5.Conc.Trid. sess.14 capit.5.& can.7.*

Pro clariori ergo cognitione suppono, circũstantiam nihil aliud esse, quàm accidens humanæ actioni adiacens, quod eius qualitatem augendo, aut diminuendo in genere variat. *D.Thom.1.2.quæst.7. art.1.* Sunt vero septẽ circunstantiæ positæ ab *Arist. in 3.Eth.cap.1.quas. D.Thom.l.c.art.2.& Theologi in 4.sent.dist.16.* ad rem nostram adducunt, hoc carmine comprehensas.

Quis, qd, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quãdo. Quarum aliæ actui malitiam speciẽ distinctam addunt,

dunt, v. g. si homicidium in ecclesia perpetretur, loci circumstantia efficit, vt præter homicidij iniquitatem, aliam deformitatē ratione sacrilegij inuoluat. Aliæ sunt, quæ efficiunt, vt id quod solum esset venialis culpa mortalis fiat, vt si quis in re leui alterius famæ detrahat, aduertens tamen hic & nunc ei inde graue damnum oriturum. Aut è contra quod ex genere est mortale, in veniale mutet, aut etiā omnino nullum. Vt si quis ex ignorantia, aut leuiter, aut nullo modo culpabili alteri graue detrimentum inferat. Et vtriusque huius generis circunstantias in confessione aperiendas esse communiter omnes fatentur *ex Conc. Trid. sess. 14. cap. 5.* Tertio demum quædam ita peccati deformitatem augent, vt neq; speciem mutent, neque à veniali ad mortale, aut è contra à mortali ad veniale transferant, atque has satis constat non esse explicandas, quādo augmentum illud valde notabile non est. *vt per Coninch. disput. 7. de integ. confess. dub. 3. Vasquez. tom. 4. in 3. par. quæst. 91. art. 1. dub. 2. & 4. Bonac. d. 5. quæst. 5. sect. 2 p. 2. num. 5. Molfes. tract. 7. cap. 12. numer. 58. Garzias. de benef. p. 3. cap. 1. numer. 141.*

QVAESTIO LXXV.

Qvid importet circunstantia quis.

Qvid importat circunstantia Quis? R. Statum personæ deliquentis inquirit, in quo secundum oēs tunc est in sacramentali iudicio pādēda, quando voto, aut ordini sacro ipsius peccātis repugnat, teneturq. dicere se esse in sacris constitutum, vel religiosum, nisi pœnitens ipse sit aliàs cōfessario notus. *Sanchez. libr. 7. de matrimonio. d. 27. numer. 26. Molfes. tract. 7. cap. 12. num. 66. & seq.* Vel quando quis obligationem, quam ex officio, vel contractu suscipit, temere transgreditur, vt si Prætor bonū cōe, aut priuatum aliorum non tueatur; aut si quis ad rei alterius custodiam cōductus id negligat, Aut si aliquis peccatum admisit statim post acceptum à Deo insigne aliquod beneficium, vt post ex voto emisso donatam corporis sanitatem, vel post sumptam subinde Eucharistiam, ob magnam quā tunc prodit ingratitudinem. Huc spectat complicis circunstantia in turpi delicto; nam in materia sensualitatis multum hinc culpæ grauitas excrescit, nō est tamen eius nomen exprimēdum, si ex hoc eius peccatum panderetur, & à confessario dignosci posset. Sic propriæ personæ circunstantia aliquando auget delictū, vt propterea necessario exprimenda sit, tùm quia quò maioribus quis fungitur donis, eò maior notatur ingratitudo, tùm quia delicta magis nota fiunt, quia pluribus patent, atque ideò perniciosius alijs exemplum, & scandalum præbetur; siquidem vt ait Gloss. *in c. inter corporalia. ext. de trāslat. Epis.*

Omne animi vitium tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto qui peccat, maior habetur.

Et teste Plinio in Paneg. Traiani, Vita Principis cēsura est, eaque perpetua, ad hanc dirigimur, ad hanc conuertimur, nec tam imperio nobis opus est, quam exemplo; vt enim in corporib. sic in imperio grauissimus est morbus, qui à capite diffunditur; vt merito dixerit Cicero, Peccata Principum plus exēplo, quàm peccato nocere. Sic *D. Thomas. 22. quæst. 186 art. 10* docet, peccatū religiosi cæteris paribus grauius esse posse secularis hominis peccato eiusdē speciei, triplici ex capite. Primo, ratione vototum, vt si peccat in ea re, quam voto spopondit. Secundo, ob ingratitudinē, quæ maior apparet, cum ex contemptu peccat. Tertio propter scandalum, quia plures, inquit, ad eius vitam respiciunt. Ex quò fundamento *Io. Gerson. tom. 3. lib. de vita spirit.* definiuit, silentij violationem, & similes leues trāsgressiones in senioribus religiosis interdū esse grauia delicta, quia ratione mali exempli, in iunioribus scandalum generatur, ac regularis disciplinæ relaxationi via aperitur. Vt proinde etiam circunstantia scandali sit in confessione pandenda, quando coram talibus peccando, verisimiliter sit præsumēdum, illos postmodum lethaliter delinquēdi occasionem arrepturos, licet Præses, vel Superior peccans id non intēderet. *Vigal. in Cand. aur. de Confessione. num. 48. Nau. in cap. consideret. §. animaduertere. de pœnit. d. 5. Zerula. in praxi pœnit. cap. 12. quæst. 6. Reginald libr. 14. num. 28. Molfes. tract. 8. cap. 7. nnmer. 54. & cap. 16. nnm. 45. Bonac. l. c. nu. 20.* Hinc multo magis sequitur, fatendam copulam confessarij cum filia spirituali, non solum tanquam notabiliter aggrauārem, sed etiam mutantē speciem, & speciale sacrilegium, ratione particularis prohibitionis ecclesiæ constituentem. Quinimo si eam in confessione, vel prope eam, seu in loco cōfessioni destinato sollicitauit, hic casus censuræ violatæ religionis Iudicum subditur. *Corrad. in resp. cas. consc. quæst. 13. Roder. tom. 2. qq. reg. q. 27. art. 1.* Idem *Molfes. tract. 7. capit. 24. n. 26. Sanchez. libr. 7. de matrimonio. d. 55. numer. 4. Marc. Anton. Gen. in praxi Neap. capit. 81. & dixi in Comment. de stat. vita hum. part. 1. capit. 16. obligat. 1. & capit. 17. obligat. 13.* Hinc etiam colligitur praxis pro Iudicibus, Ciuitatum Rectoribus, & Episcopis, quod vbi sunt multi in vrbe delinquentes, non debent statim in omnes simul animaduertere, sed à principalioribus, & potentioribus (si expedire videbitur,) pœnas sumere, vt alij eorum exemplo perterriti à criminibus arceantur. *Abb. in cap. 3 tit. de cohab. cler. & mul. arg. D. Thomas. 22 quæst. 43. art. 7. & D. Benedictus. p. 2. sua regula. cap. 64.*

QVAE-

QVAESTIO LXXVI.

QVID SIGNIFICET CIRCVNSTANTIA quid.

QVid innuit circūstantia Quid? R. Denotat, Primo, substantiā facti, an. s. pœnitēs furtum, an fornicationem, an aliud peccatum admiserit. Secūdo, si alteri iniuriam intulit, & an famam, honorem, bona externa, aut corporis læserit, & quàm grauiter offenderit; vt si artifici instrumētum, quo ille vitam sustentabat, abstulerit, nisi enim quantitas huius læsionis explicetur, cum vna altera multo grauior sit, peccatum satis non intelligi potest, vt supra perpendimus. Et cum ex determinatione. *Conc. Trid. sess. 14. can. 7.* quodcūque mortale peccatum internum ecclesiæ clauibus subijciendum sit, & contingere possit, vt externus actus qui de se tantum est veniale peccatum, ab agente mortale putetur, aut is ex mortali intētione proueniat, de aliquo huiusmodi confitens, vt de furto rei leuis, interrogandus est, nùm rem magni pretij furari ex erronea conscientia putauerit, an grauiter lædēdi animum habuerit, nùm quem vel leuiter percussit, sit Clericus, quia ob personæ circunstantiam, in excommunicationem incidisset. *cap. si quis. 17. quæst 4* Num percutiendo habuerit animum occidendi, quia homicidium etiam mentale foret. Sicut etiam cōfitens cum aliqua muliere rem habuisse, interrogādus est, an sit cōsanguinea, affinis, & quo gradu, num virgo sacra, hæc enim circunstantia exprimēda est, cum nouam malitiam actui superaddat. *Bonac. de sac. d. 5. quæst. 5. sect. 2. p. 2.* Addo ad eruendam veritatem, si v. g. Ioannes rem habuit cum Antonia sua consanguinea, & ille suum peccatum fatetur, hæc posse interrogare tunc confessarium non solum in genere, nùm aliquando fornicata fuerit, sed ēt cum dexteritate in specie, an incestum aliquando commiserit, quod si illa in negando institerit, cauendū est, ne quidquam de Ioāne, vel de aliqua circūstantia inquirat, ob quam suspicio oriatur, quod ille sit tale confessus, vel quod secundum id interroget, qđ in confessione audiuit, vt resoluit *Beia p. 3. casu. 12. & Vinald. in Cand. aur. de sigillo num. 35.* Sic vxorem alienam extra uas cognoscens non satisfacit confitendo se cum fœmina extra vas concubuisse, nisi etiam illam fuisse coniugio iunctam fateatur, cum per illam tàm fœdā carnalem copulam non leuis iniuria matrimonio inferatur, ac proinde si in hac re pœnitēs deficiat, à confessario interrogandus est, vt post alios obseruat *Lopez. tom. 1. Inst. consc. c. 5. & Nald. v. vxor. n. 24.*

Item si quis fregit ieiuniū, inquirēdum erit, qua de causa, an sæpius in die, an oua, vel carnes comederit, &c. Vel si sacrum in die festo omisit, scrutandum ex probabili multorum sentētia, an in festo in eidente in dominica; siquidem quando aliquod festum in die dominico occurrit, non audiens sacrum, aut non ieiunans, cum vigilia in quatuor tempora incidit, duplici culpa ex multorum placito se contaminat, cum duplex præceptum ob distinctas rationes latum violet; licet contraria sententia magis in praxi sit recepta. Velut etiā ex probabiliori Doctorū opinione, vouens cōfiteri tali mēse, vel ob dispensationem aliquam à Summo Pontifice obtentam, obligatus tali mense animam suam expiare, si in eundem mensem præcepti ecclesiastici obligatio incidat, non tenetur eodem mense duplicem cōfessionem instituere, est enim verisimile, vouentem ad ecclesię obligationem se cōformare voluisse, cui per vnicam actionē satisfacimus. Ac pie eadem ratione dicendum est, deferentem secum plura, ac diuersa grana benedicta, seu numismata, alicuius sancti, per quæ sigillatim recitanti aliquam precem, variæ, ac multæ indulgentiæ concedūtur, per vnicam orationem recitatam, multiplicatam indulgentiam acquirere, cum gratiam gratia auferre non censeatur, neque hic de alterius preiudicio agatur, & præsumpta S. Pontificis mens cōcurrere videatur, vt scilicet pia fidelium deuotio augeatur, &c. *Vasquez. 1. 2. q. 98. num. 8. Suarez. tom. 4. d. 22. sect. 4. nu. 22. Sanchez. libr. 9. de matrimonio. d. 15. numer. 6. Coninch. d. 7. de confessione. dub. 6. idem Vasq. quæst. 91. art. 1. & Bonac. quæst. 5. sect. 2. p. 2. §. 3. num. 24. Nald. in verbo. satisfacere. numer. 6. & verbo votum. num. 19.*

QVAESTIO LXXVII.

QVID INNVAT CIRCVNSTANTIA VBI.

QVid indicat circunstantia Vbi? R. Specialem malitiam, quādo aliquid fit eo loco, qui Papæ, vel Episcopi authoritate ad diuinū cultum deputatus est, propterea enim peccatū aggrauat mutando speciem, quod peccare in loco sacro rectę rationi specialiter repugnet, dictanti loca sacra nō esse contaminanda, sed debito cultu prosequenda. Inter quas conditiones præcipue, & Primo numeratur furtum in tali loco commissum, non modo rei sacræ, sed etiam non sacræ, ut multi uolunt, dummodo securitatis causa ibi deposita sit, ut ob Deo dicati loci reuerentiam tuta foret. *Val. tom. 3. d. 6. quæst. 15. p. 1. Lessius. lib. 2. cap. 45. dub. 3. num. 14. Reginald. lib. 14. num. 42. Coninch. d. 7. dub. 9. num. 22.*

Secūdo, extractiō eius, qui ad ecclesiā tanquam ad asylum confugit. *l. præsenti. C. de his, qui ad ecclesias confug. capit. inter alia. extr. de immunit. eccles. Ceu. libr. 2. var. resol. cap. 20. Clarus in praxi crim. q. 30. Germ. de sac. imm. libr. 1. cap. 15.* Vnde Iudex sic reum extrahens extra casus à iure concessos excommunicatione Episcopo reseruata innodatur, & si

contra

contra eum sacrilege usque ad condemnationem processit, omnia illata damna illi, aut hæredibus restituere tenetur. *cap. fin.* 17. *quæst.* 4. *Val. l. c. Nau. de immunit. eccl conf.* 3. *Graff. eod. tit. p.* 2. *conf.* 2. *Praxis. eccles. Neap. c.* 22. *Marc. Aut. l.* 3. *var. resol. resol.* 15. *Farinac. de delict. quæst.* 103. Constat enim templa, vt à profanis ædificijs distinguerẽtur, varijs immunitatum beneficijs esse decorata, & munita, quæ quãtaue essent, pręter Leoninam Constitutionẽ docet Tranio seruus apud Plautum, qui nè à suo hero puniretur, ad aram confugiens, in Mustellaria dicit,

Ego interim hanc aram occupabo, &c.

Et Pausan. *in Achaic.* scribit, apud maiores tantæ obseruantiæ, ac reuerentiæ templa fuisse, vt si quis supplex ad aras Deorum cõfugisset, eum inde euellere per religionẽ haud licuisset. Hinc pro praxi dicẽdum videtur, Constitutionẽ Greg. XIIII. disponentem, delinquentem in ecclesia non debere eius immunitate gaudere; procedere etiã in delinquente in ostio eiusdem ecclesiæ, siquidẽ extans in ostio, cẽsetur esse in domo, & cadit in pęnam domum ipsam ingredientis. *Riccius. in Praxi var. resol. resol.* 4. *Zecchius. de cas. reser. casu.* 10. *contra Nald. in verbo delictum. nu.* 5. Circa quam immunitatẽ multa satis large concessit Sixtus V. quæ ipse Greg. XIIII. ad terminos iuris cõmunis reduxit in d. Constit. Incip. Cum aliàs nonnulli, de qua in *Compend. Priuileg. Mend. in verbo Ecclesia, & ibi Capp. Sayr. lib.* 9. *clauis regia. cap.* 15. *num.* 36. *Leonius. in thes. fori eccles. p.* 1. *cap.* 13. *nu.* 15. *Lezar. de blasphemia. quæst.* 5. *numer.* 70. *Alex. Ambros. in Comment. ad d. Bullã Gregor. XIIII. Farinac. in Comment. pariter de Immunit. eccles. Bonac. de legibus. d.* 3. *q.* 7. §. 2.

Tertio, huc pertinet notoria, & criminosa humani seminis, aut sanguinis effusio, & sepultura excommunicati non tolerati, aut infidelis, quibus sacer locus polluitur. *cap. proposuisti. ext. de conf. ecclesiæ. c.* 1. *eodem tit. in* 6. *Sayr. de cens. l.* 5. *c.* 16. *Nald. verbo sacrilegium. nu.* 12. Hinc sequitur, eum qui semen, aut sanguinem in loco sacro voluntarie effundit, plura peccata admittere, vnum contra castitatem semen consulto effundendo, aut contra iustitiam sanguinem eliciendo; alterum contra reuerẽtiam loco sacro speciatim debitam. *Idem Bonac. de legibus. d.* 2. *quæst.* 4. *p.* 3. *num.* 9. Atque ex his patet alia peccata in loco sacro cõmissa, vt detractionẽ, blasphemiam, inuidiam, periurium, & cętera huiusmodi in loco sacro perpetrata sacrilegij naturã nõ induere, nec speciem assumere necessario confitendã, eo quod cum eodem loco sacro peculiarem repugnantiam non habeat, nec ecclesia Deo cultum per immunitatem loci ab huiusmodi tribui iusserit, vt DD. citati ex Caietani doctrina. *in verbo sacrilegium, & Nau. in cap. consideres. num.* 20. *de pænit. dist.* 5. communiter tradunt. Sed vt obseruat. *Bellar. de gem. Columb. lib.* 2. *cap.* 12. Quis tolerandum putet, quod non desunt, qui in ipsa sacra æde dum tremenda mysteria celebrantur, vel dum sacra concio habetur ad populum, laqueos oculis quærunt, oculis loquuntur, & iuxta Domini sentẽtiam oculis, & corde mœchantur? S. Io. Chrysostomus, cũ aliqñ apud Anthiochiã quosdam de populo inter sacrorum solemnia collocutos inter se, & subrisisse cognouisset, ita excãduit, vt diceret, mirari se quod fulmine de Cœlo cadentẽ, omnes qui in illo templo erant, non interijssent. At si fulmine digni sunt, qui tempore sacrorum colloquuntur, aut ridẽt, quo supplicio digni erunt, qui tempore eodẽ oculis, & corde fornicando, vel mœcando templum violant. hæc ille. Videantur etiam DD. in *fer.* 2. *post dom.* 4. *Quad.*

Posset hic addi, si quis publice peccet, sed hęc circunstantia nõ est mortalis, nisi ratione scandali, aut infamiæ, quæ alijs inde sequitur. Hinc fit, vt percussio clerici, à qua subinde Episcopo absoluere liceat, leuis dicatur etiam si in loco publico facta sit, modo in se notabilis non fuerit, & magnum aliquod scandalum non generet. *Nau. cap.* 27. *n.* 91. *& seq. Marc. Aut. Gen. in Praxi. Neap. c.* 98. *Riccius. p.* 2. *decis.* 194.

Addunt aliqui, loci circunstantiam in confessione detegẽdam esse, quoties quis sola cogitatione in eo mortaliter peccat. Sed hoc nimis durũ est, & sine fundamẽto iactatur, nisi in ecclesia prauã illam libidinem exequi appetat. Imò probabilius est, turpem quoque tactum in ea habitum, non habere sacrilegij circunstantiam necessario in sacramentali foro aperiendam, modo pollutionis periculum absit, vt cum multis tenet. *Sanchez. libr.* 7. *de matrimonio. d.* 15. *n.* 21 *& Coninch. d.* 7. *n.* 22. His adijcio pro praxi, in foro externo laicum delinquẽtem in ecclesia, quò ad pœnam ipsi ecclesiæ illatę, ab ecclesiastico Iudice puniri posse: quin ẽt secularem Iudicẽ in huiusmodi sacrilegium, cum sit crimẽ mixti fori, temporaliter animaduertere posse; siquidem vt communiter DD. asserunt, punitus ab ecclesiastico Iudice pęna canonica pœnitẽtiali, potest iterum per laicum Iudicẽ pœna seculari plecti, si crimen illud ad mixtum forum, & tribunal spectet, cuiusmodi est sacrilegium, adulterium, sodomia, sortilegium, diuinatio, crimen vsurarum, violatio diei festi, &c. *Gutierez. lib.* 3. *pract. quæst. Ciuil. quæst.* 1. *num.* 15. *Leo in Thes. for. eccles. p.* 2. *cap.* 16. *nume.* 29. *Tusch. in v. mixti fori. concl.* 393. *Nald. in ver. delictum nume.* 4. *Clarus. l.* 5. *Prax. crim. q.* 37. Quinimo agrorum depopulatores, proditorie occidentes, viarum grassatores, læsæ Maestatis rei, & huiusmodi possunt vt puniãtur, de licentia Epi, & nonnullis alijs obseruatis, ab ecclesia à seculari Iudice extrahi: *ex pradicta Bulla Gregor. XIIII. Incip.* Cum aliàs nonnulli.

X QVAE.

QVAESTIO LXXVIII.

QVID SIGNIFICET CIRCVNSTANTIA quibus auxilijs.

CIrcunſtantia quibus auxilijs quid ſignificat? R. Primo inſtrumenta, quibus ſcelus aliquod perpetratur, quando illorum vſus, aut ſingulariter prohibitus eſt, aut hic & nunc grauioris mali inferendi coniunctum periculum habet, vt ſi manuarij tormenti ictu quis hominem in mortali peccato forte exiſtentem, cum animæ, & corporis iactura de medio ſuſtulerit, aut ueneno cibis immixto, cum periculo alios lædẽdi aliquem necauerit: aut ſi ſingularem erudelitatem, & immanitatem coniunctam habet, ut ſi ex propoſito cum domus incendio eum interemit, &c. uel aliquod aliud tormenti genus ab humanitate omnino alienum exercuerit, ſicut de crudeli Mexentio refert. *Virg. lib.* 8. *Aeneid.* canens.

Quid memorẽ infandas cædes? quid facta Tyrãni Efferaꝭ &c. In quod uitium inuehitur. *Seneca l. de clementia. ad Neronem. D. Thom.* 22. *quaſt.* 157. *art.* 1. *& quæſt.* 159. *art.* 1. *&* 2.

Secundo, cum quibus ſocijs, & audiutoribus delictum admiſſum ſit, nam peccatum hoc multũ aggrauatur, tùm ratione ſcandali, ut cum quis cauſa, uel occaſio efficax fuit, ut aliqui hic & nunc peccauerint, qui aliàs nõ peccaſſent, tùm ratione iniuſtitiæ, quando aliquis per uim in perpetratione alicuius peccati alterum ad ferendam ſibi opem cogit, ut ad hominem occidendum, uel furandum, mollitiem procurandam, &c. hoc enim cæteris parib. magis aggrauat. *Nau. cap.* 16 *nu.* 6. Quinimò ſpeciem aliquando immutat, vt patet in rapina, quæ ob apertam vim, quam includit, multo grauior eſt furto, & ab eo ſpecie differt. *D. Thomas.* 22. *quaſt.* 66. *art.* 4. *Leſſius lib.* 2. *cap.* 12. *dub.* 2. *Sayrus. in clauis regulis. lib.* 9. *cap.* 13. *num.* 9. *Salon.* 22. *in d. art.* 4. *Mald. tr.* 4. *c.* 1. *dub.* 2. Et etiam conſtat in raptu, in quo præter fornicationis turpitudinem caſtitati aduerſam, violentiæ illatæ contra iuſtitiã malitia neceſſario aperienda eſt, vt docet idem Doctor. *quæſt.* 154. *artic.* 7. *& Turrecrem. in c. raptus.* 36. *quaſt.* 1. & ex communi ſententia tradit *Sanchez l. c. d.* 12. *num.* 31.

QVAESTIO LXXIX.

QVID DENOTET PARTICVLA CVR.

QVid denotat particula cur? R. Circunſtantiã finis, ſiue cauſæ cur peccatum committatur, quæ ex intentione operi adiungitur: cum intentio actioni nomen imponat, & ex Philoſophico axiomate, Qui furatur, vt mœchetur, magis dicatur mœchus, quàm fur, ſiquidem animus, & intẽtio, tàm in diuino, quàm in humano tribunali attenditur. *Feder. de Senis. conſ.* 13. *Gemin. conſ.* 7. *Tuſch. in verbo. intẽtio. cõcl.* 268. Vnde *& Seneca. Epiſt.* 95. Nõ in facto, ita, laus eſt, ſed in eo, quemadmodũ fiat. Amico ægro aſſidet quis, probamus; at ſi hereditatis cauſa hoc facit, vulture eſt, cadauer expectat. Eadem & turpia, & honeſta ſunt, refert, quare & quomodo fiant, &c. Sic grauior admittitur culpa, ſi qs de proximo detrahat, ut iudictam ſumat, quàm ſi familiaris colloquij cauſam obmurmuret. Huc pertinet quærere, ſi quis ieiunium ſoluit, an gula illectus, an neceſſitate coactus, &c. ſi occidit, an conſulto, uel potius in eodem conflictu ob propriam defenſionem, &c. Ad hanc circunſtãtiam finis reducitur aggrauatio peccati per uitioſum, & inordinatum affectũ, quo cõmittitur, ut ſi quis (quod ſæpe accidit) propriam uxorem occidat, ut aliam mulierẽ, quàm deperit, ducat, quod delictum ſi illa cõſentiente patretur, impedimẽtum parit matrimoniũ dirimens. *c. laudabilem. extr. de cõuerſ. Infid. & omnes docent.*

QVÆSTIO LXXX.

QVID PER VERBVM QVOMODO inſinuetur.

QVid ſignificat illud uerbũ quomodo? R. Inſinuat circunſtantiam modi, quo quis peccat, cum multum referat, an fraude per inſidias, an in rixa aperto Marte occiderit. Inſuper ſi turpitudinẽ cum fœmina commiſit, an naturali, uel innaturali, modo cum mare agendo, uel patiendo, &c. Siquidem modus quo quis peccat, nonnumquam ipſius peccatum auget tantum aliquãdo ſpeciem mutat. Modi uero aggrauantes peccatũ intra eandem ſpeciem ſunt præcipue mentis intenſio, & deliberata uolũtas, nam quò pleniori libertate peccatum perpetratur, eo ipſo grauius eſſe cenſetur. Hinc infirmitas ſiue animi, vt cum quis ex ignorantia peccat, ſiue corporis, vt cum ex concupiſcentia, ira, & metu delinquit, peccatum minuere dicitur. *D. Thomas.* 1. 2. *quaſtione.* 73. *artic. ſexto.* Vnde de primo, Delictum eorum, qui caſu, aut imprudentia, ſiue etiam facti ignorantia non de induſtria, aut doloſe quidquam admiſerunt, vel in foro exteriori aut non punitur, aut certe leuius. Qua ratione Solon in ſuis legibus Areopagitas Iudices admonebat, vt perpenderent, num cædes, vulnus, incendium, prouidentia commiſſum ſit, id eſt conſulto, & præmeditate. Et apud Græcos eadẽ ferme lex erat, vel authore Thucidide, qui *lib.* 4. belli Peloponẽſis introducit quoſdam Athenienſes ita loquẽtes: Etenim delictis non voluntarijs refugium eſſe aras, &c. In qua m ſententiam moribundus quidam apud *Xenophontem l.* 3. Pædiæ Cyri Tygranem alloquens, Noli Tygranes inquir,

inquit, quidquam succésere patri de morte mea, nō enim vlla maleuolentia hoc fecit, sed imprudentia, quęcunque vero per imprudētiam, vel ignorantiam ab hominibus delinquuntur, hæc omnia arbitror esse inuita. *Tiraq. de temp. pœnis. causa.* 12. *Farinac. q.* 90. *in spect.* 2. *Tholos. in Synt. Iul.* 30. *cap.* 3.

Quò ad concupiscentiam certum est, prænimio, ardentiorique amore deliquentem leuius, puniendum, cum non ex animi sententia, sed furore quodam concitatus id admisisse videatur. *capit. illud in Authen. quibus. mod. nat. eff. leg.* Vnde *Cicero. libr.* 4. *Tus. qq.* Admonēdus est, ait, quantus sit furor amoris, omnib. enim ex animi perturbationibus est profecto nulla vehementior. Et *Baldus. in l. precibus. C. de impub. & alijs substit.* scribit, Philosophicum esse, non muliebre, huiusmodi affectum intra debitos limites coercere. Et quod amor suadet, libido exprimit, fruēdi desiderium extorquet, id omne per vim cogi videtur. Magni. n. affectus iura non spectāt, ait *Quint. Declam.* 296. *Et Calphurnius Flaccus. Declam.* 2. Ex pers iudicij, est amor, non rationem, nec sanitatē habet. In qua sententia fuit *Oldradus conf.* 210. Vbi aliquem quodammodo excusat, tanquam furiosum, qui vt quadam muliere potiretur, quam deperdite adamabat, magicas imagines ad eamrem, vt ipse putabat, accōmodatas, confecerat, Dæmonesque inuocarat, quod grauissimum esse delictum notatur in *cap.* 2. *ext. de sortileg.* citatque testimonium *Arist. qui in* 7. *Eth. libro cap.* 2. scribit, hos venereorum apetitus nonnullos ad furorem, atque insaniam adigere. *Menoch. libr.* 2. *de arbit. Iud. cent.* 4. *casu.* 327. *Tiraq. l. c. causa.* 4. *Farinac. quast.* 98. *causa.* 13. *Clarus. §. fin. quast.* 60. *nume.* 10. *Tuschus. in verbo amor. concl.* 327. *Alciatus. embl.* 108. *Masc. vol.* 1. *concl.* 89. Vbi etiam ait, quod quia amans in alieno corpore viuit, & amatæ faciem in animo suo sculpit, ideo amasius pro amasia testis esse non potest, & è contra.

Quo ad tertium patiter apud omnes cōstitutum est, nō solum in foro iudiciali, sed & in foro cōscientiæ minus peccare, qui ira calore delinquit, quàm si nulla perturbatione commotus id faceret: cuius rei in promptu causa est, quod is quē ira, aut dolor occupat, prope est vt sit furore correptus, siquidem teste Horatio,

Ira furor breuis est.

Quod in se ipsi spiciens Geta Terentianus in Adelphis, vix, inquit, sum cōpos animi, ita ardeo iracundia. *Abbas. in c. sicut ex literis. extr. de iure Iu.* Item in eos, qui inuiti, ac coacti peccant, vt pote vi metu ve cōpulsi, ne vitam, aut bona amittant, leuius animaduertendū esse Canonica iura decernūt. *c. sacris. vbi DD. extr. de his, qua vi metu ve causa. Tiraq. causa.* 1. *&* 37. Quibus vero casibus vis, vel metus præsumatur, tradit Idem *Masc ard. vol.* 2. *de Probat. concl.* 1053. *& seq. & vol.* 3. *concl.* 1409. *Tusch. verbo. deliquentes. concl.* 188.

Nec solum quo ad circunstantiam modi intēsio peccatum intra eandem speciem aggrauat, vt diximus, sed etiam ipsa cōtinuatio, seu continua extensio, cum vt habetur in *cap. fin. extr. de consuet.* Tanto grauiora sint peccata, quanto diutius infelicem animam alligatam detinent, quod adeo verum est, vt quò ad Deum, & forum animæ, temporis diuturnitas illa augeant, etiā si iteratione multiplicata non sint, quandoquidem peccator non pœnitendo, diuinum iudicium, & ecclesiæ præceptum cōtempsisse videtur. Hinc qui vt aliū occideret, huc illueque sine intermissione per annum, vel aliquot mēses captando occasionem obambulauit, & tandem occidit, magis proculdubio peccauit, quàm qui temporis momento illum de medio sustulit. Et in materia turpi hæc temporis circunstantia perpendenda est, fere enim fit, vt lōgo tempore virginis, vel alicuius matronę pudicitiā quis sollicitet, antequā ea potiatur, & vetitis interdū artibus ad Dæmonis opē confugiat. Quippe turpis amoris cæcitas rationis vsum impedit, adeo vt eo captus non aduertat, quò tendat, sed sola passione ducatur, & præceps ruat, donec quod improuido affectu cupit, obtineat, &c. Quo durante tēpore, prēter interpollatas stupri, vel adulterij volitiones, quæ singulæ si per actum contrarium interumpantur, sunt peccata mortalia, singulatim hæc omnia, quo ad fieri potest, confitenda sunt. *Tursell. in hist. laur. lib.* 4. *cap.* 33. *Melchior. Canus. relect. de pœnit. Lopez. in instruct. consc. p.* 1. *c.* 31. *Nau. in cap. consideret de pœnit. dist.* 5. *Reginald l.* 14. *cap* 8. *num.* 53. *contra Azor. p.* 1. *lib.* 4. *cap.* 4. *quast.* 4. Vide & *Graffium. lib.* 1. *Decis. aur. cap.* 20. *num.* 11.

QVAESTIO LXXXI.

QVID INDICETVR PER CIRCVNSTANtiam quando.

Quid insinuatur per circunstantiam quando, seu temporis? R. Indicatur omne peccatū in die festo commissum in cōtemptum temporis sacri inde mutando speciem aggrauari, quia tunc additur posituus, & actualis contēptus habens specialem, & à cęteris distinctam peccati rationem. Item illud peccatum ex temporis circunstantia, ex speciei mutatione augeri, cum id perpettatur, quod in eo fieri speciali precepto prohibitum est, vt in die festo inimici domum euertere, & ipsius segetes furandi causa metere, nam hæc peccata contra iustitiam commissa pro materiali, vt DD. loquūtur, habēt opus seruile, qđ speciali ecclesiæ precepto in die festo fieri prohibetur. Immoderato esu ob castrimargiam carnes in die ieiunij comedere, volunta-

rię, & consultò tempore missæ impertinentia cogitare, & confabulari, ob quæ attentio, & mentis eleuatio in Deũ, quam tempus exigit, omittitur. Extra quos casus communis est sententia, circunstantiam temporis sacri non esse necessario in confessione exprimendam, cum nec mutet speciem, nec notabiliter aggrauet. Nam præceptum de die festo colendo ad opus corporale nõ ad spirituale refertur, non peccare vero finis est in ipsum præceptum non cadens. *D. Thomas. 22. quæst. 122. ar. 4. Con. lib. 4. var. resol. cap. 19. num. 11. Sayrus. in claui reg. lib. 7. cap. 3. num. 5. Reginald. lib. 14. num. 58. Bonac. l. c. n. 29. Henriq. lib. 2. de pœnit. cap. 6. Metina in Instruct. confess. lib. 1. c. 9.* Aliqui Doctores prædictam assertionem limitando asserunt, hanc circunstantiam confitendam esse. Primo, si enorme crimen die Veneris sancti pœnitẽs perpetrauit. Secundo, si dũ ad explendam pœnitentiã pergebat. Tertio, si die cõionis fornicetur. Attamen cum cõmuni sententia dicendum est, nõ ita delicta aggrauare, vt illam necessariò exprimere teneatur, nisi ex intentione violandi festi, aut in illius cõtemptũ hoc fiat. Cõfessarij nihilominus partes sunt, populum docere, festos dies institutos esse nõ solum, vt Christi fideles sacro intersint, & à seruilibus operib. abstineãt, sed ut spiritualibus rebus præcipue vacent, sancta pietatis officia exerceant, & tàm interno, quàm externo cultu Deum, & sanctos venerentur, *D D. in cap. 1. extr. de ferijs.*

Magna siquidem est festorum dierum commendatio, & publicæ honestati conueniens videtur, vt pie ac religiose celebrẽtur. Vnde & *Greg. Nazianz. l. de paup. amore*, ait martyrũ, ac diuorũ memoriam ideo festis dieb. merito celebrari, vt quorũ certamina veneramur, eorum actiones imitemur. Vide quæ supra *c. 2. q. 2.* insinuauimus, *& infra tr. 15. c. 9. q. 13.*

CAP. XIII.

QVAESTIO LXXXII.

NVMERVS PECCATORVM, AN EXPRImendus, & quomodo.

NVmerus peccatorum est ne tanquam circunstantia in confessione exprimendus? R. Et si numerus circunstantia non sit, sed additio peccati ad peccatũ, circunstantia enim circa eũdem actum versatur, at numerus diuersas operationes cõstituit, & multiplicat, de iure tamẽ diuino homo illũ confiteri tenetur, *vt concilium Florentin. de sacramento pœnit.* his verbis insinuat. Secũda pars sacramenti pœnitentiæ est hominis confessio, ad quam pertinet, vt peccator omnia sua peccata, quorum memoriam habet, integraliter confiteatur. Requiritur ergo etiam iure diuino ante confessionem examen, & inquisitio, vt homo in confessione peccatorũ memor esse possit. Debet autem homo in hoc negotio tantũ diligentiæ, & temporis impendere, quantum vir bonus, & prudens in re magni momenti collocare solet. A quo non discrepat. *Concil. Trid. sess. 14. cap. 5. & can. 7.* Vnde *Nau. in Man. cap. 5. numer. 2.* obseruat, se experientia didicisse, interrogationes necessarias esse potissimum quò ad numerũ, & speciem, eo quod multi putent se sufficiẽter numerum exprimere, si dicant, multoties in hoc, vel in illo deliqui, quos fallit errũ est, cum peccata numero tantum distincta, non minus multa sint, quàm quæ specie distinguũtur, totaque peccatorum admissorum multitudo in confessione aperienda sit. Quò fit, vt etiam sacerdos, vel Parochus, qui plurium cõfessiones excepit, vel pluribus alia sacramenta in peccato mortali, vel dubio de mortali existẽs successiue administrauit, teneatur numerũ personarũ, seu actuũ quantum potest explicare, quandoquidem tot sunt numero peccata, quot actus intercedunt, quando actio ipsa circa terminum definitum versatur, & in eo consumatur. *Syl. in uerbo clericus. 2. num. 2. in fine. Possev. de officio. Cur. cap. 5. numer. 43. Bonac. de sacr. disp. 5. quæst. 5. sect. 2. part. 2. § 3. numer. 7. Molfes. tract. 7. capit. 24. numer. 26.*

In quẽ scopulũ numerũ non exprimendi impingere potissimum solent rustici, qui numquã quoties peccauerint, aperire solẽt, & cũ à sacerdote de eodẽ numero interrogantur, respondent, ponas quãtum vis, quorum confessarij detecto errore, quò ad præteritas confessiones verisimilem numerũ inquirere debẽt, in quibus interrogationibus, rudiori loquendi modo, ex prudentiæ actu, nõ politiori, & elegantiori, vt recte ab eisdẽ intelligãtur, vti debent. *Nau. cons. 11. & seq. tit. de pœnit. Zerola in praxi pœnit. c. 18. Hẽriq. l. 5. c. 8. num. 2. Reg. l. 7. num. 140.* Quando vero pœnitens ita rudis confessarij pedibus accidit, qui se ipsum discutere, ac præparare nescit, & confessarius aliorum cõfessionibus vacare debet, ex prudentiæ præscripto, põt ipsum humaniter dimittere, si peccatis multis sit grauatus, vt ijs accidit, qui raro vt semel in anno confitentur: & ei congruũ tempus assignare, vt integram eius confessionẽ, quo ad numerum, & speciem peccatorum excipiat. *Vinald. de confess. num. 19. Molfes. tr. 7. cap. 32. num. 21.*

Porro peccatis in memoriam reuocatis, pœnitẽs singula singulatim, cum diuersæ sunt speciei, confiteri tenetur, cum in *c. omnis. extra. de pœnit. & remiss. Conc. Florent. & Trid.* præcipiatur, vt peccator omnia, & singula peccata cõfiteatur. Quãdo vero peccata ad eandem speciem spectant, potest pœnitens vnico actu plura exprimere, putà qđ toties in hebdomada, vel mẽse in impias blasphemias proruperit, toties sacrũ neglexerit, toties fornicatus fuerit, nec opus est, vt pœnitens exprimat tot fornicationes

cum

cum tot fœminis admisisse. *Azor. p. 1. lib. 4. capit. 9. quæst. 6.* Sicuti etiam necessarium non est, vt actus qui principalem peccaminosam actionem comitātur, explicetur, v. g. tactus, & oscula delictum ipsum præcedentia: secus si principalis actus (nempe fornicatio) non fuerit secutus, nam tunc oscula, tactus, & cætera quò ad numerum aperienda sunt. *Bonacin. l. infra cit.* Qđ si pœnitēs de præciso numero certus nō est, satis est, vt probabilem explicet, v. g. Decies plus minus ve ieiuniū in Quadragesima violani, nec cum tædio tēpus deterat, qui si postea duodecies se deliquisse deprehēderet, illum paruum numeri excessum iterum fateri non tenebitur. *Coninch. d. 7. dub. 7 num. 62. Camerot. de sacr. tract. 7. de confessione. dubit. 11. vbi de communi testatur.* Nec confessarius tanquam nimius exactor debet subtilem, sed verisimiliter æstimatum numerum in singulis exquirere, cum in hac vita nō cū tāto rigore, sed ex bono, & æquo procedendum sit. *Sot. in 4. d. 18. quæst. 2. art. 4 Henriq. lib. 2. cap. 5 num. 9. Medina. C. de confessione quæst. 8. & seq. Graffius. lib. 1. decis. cap. 25. num. 4. & 16. Vict. de confessione. numer. 178.* Et ne pœnitenti mentiendi occasio detur, non est plus nimio cogengendus ad certi numeri explicationem, quādo propter ruditatem, & insolitam consuetudinem, vix numerare potest; quia consilium & remedium in hoc medicinali foro satis adhiberi potest, dum rusticus q; acta ad memoriam reuocare nescit, facta mediocri diligētia, de uniformi vita crasso modo dicit, Passim id feci, vel multoties per mensem. Sic enim satis esse videtur ad prudens iudicium ferendū, & aptum remedium adhibendum. Quinimo quando aliquis per longum tēpus in statu alicuius flagitij insorduit, & toties illud frequentauit, vt difficillimum sit, imò moraliter loquendo, fieri non possit, vt peccatorum numerus recolatur, tunc tempus, conditionē, & animi propensionem in huiusmodi peccaminoso statu indicare sufficit, v. g. meretrix per trienniū eius voluntatis in publico loco fuit, vt omnib. cupientibus pro quæstu sui copiam faceret; post illud tempus resipiscit, & pœnitentia ducitur, confitetur: non tenetur peccatorum suorum numerum recensere, sed sat est, statum suum in communi exponere, dicendo per tot annos tui omnibus exposita, &c. Atque hinc, ait *Angles. q. de cōfessione. 4. diff. concl. 2.* Dei misericordia erga nos innotescit, q; vel deterioribus hominibus tàm facilem salutis viam tradiderit, & hæc est communis DD. sententia. Sed ego tàm generali confessione in praxi contentus non sum, nam meretrix tenetur principales operum species, quas potest, enumerare, vt si cum clericis, vel religiosis sibi notis, coniugatis, solutis, rem habuit, si contra naturā cognita, quoties in die uel hebdomada, non mathematica, sed morali explicatione. De interno uero consensu satis exponit dicēs, se paratam, & expositam fuisse, quoties occasio per totum illud tempus se obtulit. Atque idem est de usurario, consueto peierare, fure latrocinijs assueto, actuario, uel tabellione ultra pretium præscriptum accipiente, artifice, uel mercatore, in mercibus defraudāte; dummodo damna proximo illata recolāt, quoniam ob læsam iustitiam restituēdi obligationem subeunt, & ei Cum præsertim cōfessarij munus sit, potius totis neruis incumbere, ut pœnitentem firmissimo proposito confirmet, ut in futurum caueat, quàm se ipsum, & pœnitentem in exacto numero perscrutando, frustra fatigare. *Sot. in d. 4. sent. d. 18. q. 2. ar. 4. Angles. l. c. Graff. l. 1. Decis. aur. cap. 25. nu. 5. Bonac. d. 5. q. 5. sect. 2. p. 2. §. 3. Zerola in praxi pœnit. c. 12. q. 40.* Praxis vero, quàm confessarius circa meretrices obseruare debet, (ut obiter hoc dicam) est ut eas nō statim absoluat, sed per aliquot dies de continentia periculum faciat, & ut ante absolutionem peccata, & eorum occasiones uitare proponāt, ac efficaciter spondeant, habitu, ac conuersatione ita se habeant, ut qui eas in peccatorum luto inuolutas cognouit, emendatas agnoscat. Et si aliquid ultra prostitutionis mercedē ab ijs acceperint, qui dare nō poterāt, ut à seruis, filijs familias, à religiosis si fieri potest, quod tū admodū difficile est, ad restituendum obligentur. *Meg. p. 1. Instit. confess. libr. 6. in append. Molfes. tract. 7. cap. 22. numer. 7. Viual. de confess. numer. 59. & vide infra tract. 7. capit. 23. quæst. 102.*

Et si autem aliqui DD. velint, carentem mortalibus peccatis, confessionis legi satisfacere, dicendo, uel se accusando, uenialiter peccasse, nullam specie, uel numero peccatorum explicato, cum communiori tamen, ac ueriori sententia dicēdum est, aliquod peccatum in specie, supposito quod confiteri uelit, exprimendū esse, & certam materiam exhibēdam, quamuis ipsas ueniales culpas quò ad numerū explicare nō teneatur, atque hoc cōmuni praxi etiam recipitur. *Bonacin. de sacramentis. disput. 5. quæst. 5. sect. 2. §. 3. num. 15. & seq. Coninch. d. 7. dub. 1. nu. 6.*

QVAESTIO LXXXIII.

QVOMODO COGITATIONEM, CVI QVIS diu inhæsit, confiteri teneatur.

QVando quis longo tempore, v. g. integro die malæ cogitationi inhæsit, ita tamen ut eam sępius interruperit, qua ratione quò ad numerū debet pœnitens eam cōfiteri? R. quotiescunque actus malus interior, uel exterior per actum contrarium pœnitendo renouatur, tunc numerum explicare necesse est; nam si uerbi g. quis cū aliqua muliere delinquere cogitat, uel alterū in corpore, honore, uel fama, seu rebus lædere proponit, & postea pœnitet, deinde ad eandem prauam uoluntatem reuertitur,

tunc quoties interrumpit, toties peccat, ut proinde numerum & vices exprimere eum oporteat: quod quidem proiectæ conscientiæ indicium est, & ad deliberate peccandum pronæ, ideoque fatendũ est eum graui morbo laborare, & magna curatione egere. Secus est quando interruptio fieret ratione alicuius negotij cum circũdantis, aut alterius cogitationis occurrentis, vt cum quis v. g. statuit fœminam, vt ea potiatur, alloqui, sed naturaliter ab alijs reb. distractus, & peregrina cogitatione absorptus, illius propositi obliuiscitur, tũc cum se negotijs vacuum videns, pristinam illam iniquam voluntatem repetat, pandere vices, quibus illam renouauit, non tenetur pœnitens, cum vnicum tantum peccatũ admittatur. Vnde credo communiter in praxi sufficere, si dicat, se per diem, hebdomadã, vel mensem inhonestam, & turpem cogitationem, aut vindictę cupiditatẽ, aut odij fouisse, quia hoc in dubio cum pœnitens difficile admodũ se explicare sciat, secũdum communem agendi modum intelligendum est, qui solet esse, vt huiusmodi cogitationes somno, ciborũ sumptione, aliorum allocutione, alijsq; negotijs intercidantur. *Coninch.d.7.de integ.conf.dub.7.n.52. Reginald.libr.6.numer.118. Zerula in praxi pænit. capit.12. numer.36.& alij.*

QVAESTIO LXXXIV.

QVOMODO CIRCA PRAVAS COGITATIONES peccare contingat.

QVomodo hominem in prauis cogitationibus quæ sibi obijciuntur, peccare contingit? R. Quatuor modis. Primo, vt statim cogitationem repellat, in quo non culpa, sed meritũ agnoscitur, cum ex D. Hieronymi sentẽtia ad Eustochiũ scribentis, Beatus ille prædicetur, qui paruulos suos idest malæ cogitationis initia ad petrã idest Christum alliserit. Primi enim motus qui rationem præueniunt, siue ex imaginatione, siue ex corporali alteratione insurgant, omni culpa carent. Vnde est illud *D. Aug.lib.3.de lib.arb.cap.25.* Fieri non potest, quin visis non tangamur. *Sayr.lib.8.clau.reg.cap.6. num.8.* Hinc, vt in vitis Patrum legitur, Querebatur apud Abbatem frater quidam, se prauis cogitationibus pulsari, ac subinde turbari, cum Abbas secum sub dium eductũ iubet, vt sinu aperto ventos capiat, Respondet frater, hoc sibi neutiquam esse possibile. Ad quem Abbas, hoc si nequis, nec cogitationes ita coercere poteris, quò minus tibi incidãt, &c. Secundo, vt non statim resistar, sed paululum sine plena deliberatione immoretur, & tũc venialis culpa admiscetur, & dicitur motus secundo primus. Tertio, vt cogitatio placeat, & re ipsa eam explere cupiat, & tunc peccatum mortale eiusdem cum opere speciei committitur. Quarto, vt cogitatum peccatum exequi nolit, consulto tamen, & deliberate in animi sensu delectetur, & dicitur delectatio morosa; & in omnib. & in alijs peccatis quæ in turpibus locum hẽt, & lethalis noxa pariter perpetratur, si quatuor concurrant: Primo, vt actus de quo delectatio percipitur, sit mortalis v.g. de fornicationis, homicidii, vel vindictæ actu. Secundo, vt animaduertat se in huiusmodi cogitatione delectari. Tertio, vt resistendo non reluctetur. Quarto, vt absque rationabili causa illam reijcere omittat, siquidem à culpa mortali excusatur confessarius, si turpem cogitationem speculatiue susceptam non repellat, ne vtilem occupationem confessionis audiendæ, vel studij pretermittat. *Nau.cap.11.numer.9.& in cap.cogitationis.de pœnitentia.dist.1. Vasquez.1.2.tom.1.d.108.c.2. Azor. p.1.lib.4.cap.6.quæst.5. Roder.p.1.cap.210. Sayrus. in claui reg.lib.8.cap.7.num.11. Syl. Armilla.Tab. & alij.Summularij in verbo delectatio morosa. Bonacin.de matrimonio.quæst.4.puncto 8. Sanchez.lib.1. de præcept.cap.2.* Proinde cum mortalis est delectatio in confessione aperienda est personæ circunstantia in quam illam habuit. Hoc vero peccati genus accidere solet in hominibus proiectæ, & deprauatæ vitę, qui vt loquitur Iob. iniquitatem, vt aquam bibere solent, & in sensus delitijs volutãtur. Et etiam in senibus, qui in iuuentute genio indulserunt, sicut enim non vescentes carnibus, iure delectãtur, sic illi qui opere priuantur, imaginatione fruuntur; iuxta illud adagium; Si in taberna non poto, tamen in ea commorari gaudeo. *Holchot.super sap. lect.48.*

Notãdum tñ peccatum nõ habitibus, sed actibus admitti, vnde qui eo est habitu, vt propria authoritate si ei inferretur, iniuriã vindicaret, vel rem turpem cum aliqua fœmina haberet, si ab ea rogaretur, non peccat, si nullum alium actum super hoc produxerit, alioqui etiam dormientes delinqueremus, &c. *Nau.de finibus hum.act.numer.22. Nald.in verbo peccatum.nu.1. Bisfeldius in tr.de tentat.c.4.*

Item obseruandum de iure ciuili, & apud secularia tribunalia solum delicti cogitatum non puniri, si voluntas cogitationis fines non exierit, quia lex ciuilis, & eius administri, actus tãtum externos, sua politia dirigunt, & emendant, & quæ probata sunt iudicant, nec nisi probationibus luce meridiana clarioribus crimina colligunt; neque cordis cogitationes secularium Magistratuũ Iurisdictionis, ac fori sunt, sed Dei, qui illud solus scrutatur, quique secretam mentis intentionem punit, vel præmio afficit. Hinc Lucianus, Homines, inquit, celabis aliqd insolens faciendo, at nõ celabis Deum etiam cogitans. Propterea cogitatio per solam confessionem, & signa probatur. *Clarus in Praxi crim.§.fin.quæst. 91. Nau.in capit.cogitationis.de pœnit.d.1. Tholos in Syntag.Iu.l.30.c.2. Tusch.in v cogitatio.concl.409.*

QVAE.

QVAESTIO LXXXV.

Quae remedia ad repellendas cogitationes prauas adhibenda sint.

QVæ remedia præbere posset confessarius pęnitenti contra prauas cogitationes, quibus impetitur? R. Tria potissimum exhiberi possunt.

Primo, vt suggestionis caput initio tentationis conteratur; salutaris .n. æque ac vulgatus est aphorismus ille medicorum, à medicis quoque spiritualibus in animi morbis curandis vsurpatus, principijs esse occurrēdū, ne morb. augeatur, & robustior euadat, & frustra postea medicina quæratur. Hinc ille;

Principijs obsta, serò medicina paratur,
Cum mala per longas conualuere moras.

Ideo Apollo Abbas suos comites de ratione Diabolo resistēdi anzios adhortabatur, vt eiusdem machinationes in principio cogitationū propulsarent; dicebat enim contrito, ac secto capite serpentis, totum corpus extinguitur, &c. Cogitatio mala in anima est primogenita Diaboli, & eius domiciliū, quæ statim est interficiēda, quia ad Infernum catenam parat; proindevbi primum homo mane experrectus fuerit, de Deo, & rebus ad diuinum cultum spectātibus cogitare debet, vt bonæ, ac salutares sint omnes quæcūnque subinde post alias ingerentur tota die cogitationes: qui enim nullum habet cogitatus delectum, velut vrbs patens est, nullis cincta mœnibus, quam hostes nullo negotio inuadunt, ac depopulantur. Propterea ad malos cogitatus expellēdos maxime proderit, Crucis signum in frōte, vel pectore imprimere: Veteres namq; ad hoc præsidiū confugerunt, cum vel spectra viderent, vel noxię animā subirent. Ideo *Io. Tritemius. hom. 8. ad nouit.* scribit, Si turpis cogitatio animo tuo per Demones immissa fuerit, impresso fronti signo Crucis, dicito, Salua me Iesu Christe, mediator Dei, & hominum, & per tuam acerbissimam Passionem, cunctam hostis antiqui à me repelle nequitiam. Qua oratione, ait deuote prolata, omnis iniquitatis machina statim dissoluitur. *Gretserus. lib. 3. de Cruce cap. 13. Malonius. de sacra sendone. cap. 4. num. 4.*

Secundū est vitatio otij, siquidem variam dant semper otia mentem, & in prauis desiderijs est omnis otiosus. *cap. numquam. de consf. dist. 5.* Hinc uetus illa monastica disciplina otium vt Diaboli puluinar summa cura vetabat, Et apud SS. Patres celebre erat hoc dictum, laborans ab vno, otiosus ab infinitis oppugnatur Dæmonibus.

Tertiū remedium erit, extremorum consideratio, iuxta illud, Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis. *Eccl. c. 7. vbi Dionys. Carthus. & Holchot l. c. lect. 6.* Quia ut ait quidā sapiens, ad depellendas importunas cogitationum malarum muscas illud pium monitū commēdatum esse opórtet,

Mors tua, mors Christi, fraus mundi, gloria Cæli;
Et dolor Inferni sunt meditanda tibi.

Porro pęnitenti uarijs illicitis cogitationib. ut odij, luxuriæ, infidelitatis, & huiusmodi obnoxio dicet, semper à mortali culpa excusari, nisi in eis deliberate complacuerit, id quod existimandum non est de homine conscientię Deum timentis illas auersante, sicque abhorrente, ut mori malit, quàm turpitudines à se cogitatas opere complere, id enim signū est, ualde probabile, non adhibiti eis consensus saltem plene deliberati, qui ex communi sententia ad mortale requiritur; nec enim nocet sensus, nisi adsit consensus. Hinc Dominus noster aliquando D. Brigitæ dixit, Certissime scire debes, malas cogitationes quibus mens reluctatur, & quas detestatur, esse purgationē animæ, atque coronam, &c. *Blasius in Mon. spir. cap. 4.* Dominum etiam Iesum Christū his pręsentem esse, qui inuite & præter uoluntatem, animi molestijs diuexantur, tradit *Sur. in vita. D. Cath. Senēs. to. 1. 29. Apr. arg. Caiet. in v. delectatio morosa.*

QVAESTIO LXXXVI.

Quomodo confessarius ex tertio prudentiæ actu teneatur pœnitentem ad contritionem inducere.

QVi nam est ille præcipuus actus, circa quem, ut supra insinuauimus, Confessarij prudentia versatur? R. Est ille, quo pęnitens ipsius confessarij monitis, adhortationibus, documentis, & obiurgationibus, ad bonā frugem, & cor reducitur, & ad concipiendam peccatorum suorum contritionē inducitur, uno animi dolore omnia manifestata peccara, quorum meminit, uel non meminit, in genere detestando, ad mendationis propositum serio excitatur. Nam siue confessarius ex iustitiæ lege hoc sacramentum administret, ut facit Parochus, & Pœnitentiarius, siue ex propria uoluntate, & charitatis impulsu, ut alij delegati siue seculares, seu regulares confessarii, tenetur religionē, & iustitiam in eius administratione seruare, cum spirituale iudicium, & sacram actionem exerceat, iuxta illud adagium; Salē apponito, quo admonemur, iustitiā, & æquitatem omni negotio adhibendam; sal enim quidquid occupauerit, seruat, & ex purissimis reb. cōstat, &c. Præcipue autem ad eum spectat, priùs quam sententiam absolutionis proferat, pœnitentis dispositionem sufficiēter dignoscere, quæ quidem ex duabus rebus consurgit. Primo scilicet ex dolore, & præteritorum peccatorum displicentia.

Secundo, ex proposito in futurum; cum confessarii munus sit, totis uiribus incumbere, ut pœnitentem firmissimo proposito confirmet, ut in posterum

peccata

peccata caueat, siquidem confessionis finis est pœnitentis salus, quæ præuia diuina ope, in illa cautela consistit, vt summam det operā, ne amplius recidat. Hæc autē diligentia bene cognoscendi propositum quod pœnitentes afferunt, exactius circa tria capita adhibēda est, in quibus salutis perditio, & spiritualis iactura frequentius euenire solet. Primum est in materia iræ, vel inimicitiæ, quādo in penitente manet propositum illaram iniuriam vlciscendi, aut eos non alloquendi, qui eam intulerunt, signa odij, & rancoris præbendo. Secundum est in vitio luxuriæ, cum occasio eius durat, nec pœnitēs ad eam euitandam animi robur, & pectus habet. Tertiū caput circa æsalienum versatur, cum restituete nō statuit, qđ ipsius non est, sed illud absq; legitima causa differt, nam hoc est indicium, quod peccatum non deseratur. *cap. peccatum. de reg. Iu. in 6. Lud. de Ponte tract. 5. cap. 8. tom. 4. Tusch. v. restituere. concl. 303.*

Hic confessarij scopus, & fructus esse dēt, vt iuxta *Danielem. c. 9.* præteritū peccatum auferatur, & futurum impediatur, qui & fuit finis, & fructus Christi Passionis, dum per salutaria sacramēta, & per bona opera nostra, sua merita nobis applicat, ac communicat. Hinc contritio scite duas facies habere depingitur, sicut Antiqui Iano tribuebant, Alteram à parte exteriori, qua præterita respicit peccata, vt ea detestetur, & doleat: alteram à fronte, qua in posterum prospicit, ea omnia vitare proponēdo, quæ diuinam lædere possunt Maestatem. *Concil. Trid. sess. 14. capit. 4. Suarez. tom. 4. d. 32. sect. 2. Sot. in 4. d. 18. quæst. 2. art. 4. Henriq. lib. 3. de sacr. pœnit. capit. 28. num. 3. Medina. in Inst. confess. lib. 3. c. 3. vers. quinta regula. Coninch de minist. confess. d. 8. dub. 17. n. 132.*

Et quidē quod ad animi dolorem pertinet, hunc facile sibi confessarius persuadere potest, quia si pœnitens in ipso cōfessionis modo, cōtritionis ob Deū offensum signa, seu attritionis argumentū ob Inferni pœnas præbuerit, vel certe si est homo non valde rudis, sed satis moratus, & integræ fidei, nullā diligentiam in hoc adhibere tenetur; bene tamen semper faciet, si peccati detestationem pro pœnitentis conditione proponet, & quando sufficientia doloris indicia eum non habere sentiet, interrogare poterit, ac debebit, an ei Deum offendisse displiceat, cui affirmanti fidem præstare tenetur, cum pœnitenti, vt accusatori, reo, & testi, in illo interno tribunali credendum sit, *Nau. cap. 17. num. 59. Syl. in v. confessor. 1. §. 17. Pet. Sot. de cōfess. lect. 10. Henriq. l. c. c. 26. n. 4.*

Hoc idem dicēdum est de proposito in futurum, quando ex confessione, vt dixi, non oritur aliqua specialis obligatio restituendi, vel relinquēdi aliquam proximam peccandi occasionem, sed solum cōmune & generale ius in posterum non delinquendi, vt scilicet ei credendum sit, quandoquidem etiam in foro externo ea quæ in conscientia nostra cōsistunt (quando de alterius damno, vel præiudicio nō agitur) per propriam assertionem probantur. *Gloss. in clem. 1. in verbo habita. tit. de priuileg. & in cap. qui humanis. 12. quæst. 2. Abbas. in cap. accedens. extr. de crim. falsi. Graffius. cons. 9. de regul. num. 10. Mascardus. vol. 1. de probat. concl. 45. nu. 48. Cephalus. cons. 95. Tuschus. in verbo asserenti. concl. 136. Tholes. in Syntag. Iu. lib. 30. cap. 2. num. 7.*

Est tamen valde necessaria confessarij prudētia, cum penitens nō est omnino cæcus, nec mutus, quia sua peccata agnoscit, & confitetur, deest tamen illi verum, & efficax ea deserendi propositum, quamuis hoc se habere lingua asserat, cum aliquando mētiatur iniquitas sibi. Quod euenire solet, quando ipse pœnitens in peccatis callum obduxit, & quod aliàs promisit, re ipsa non præstitit, & ob solam cæremoniam ecclesiasticam præceptum obseruandi, se confessario præsentare solet, nam sine absolutione dimittendus est, & de ingēti salutis discrimine in quo versatur, serio admonendus. *Lud. de Ponte part. 4. tract. 5. cap. 8. Reginald. lib. 2. num. 99.*

CAP. XIV.

QVAESTIO LXXXVII.

QVID AGENDVM A CONFESSARIO CVM pœnitentem de peccatis non satis dolere videt.

Quid faciet confessarius cum peracta confessione, videt pœnitentem non satis dolere de peccatis, & in multa mala se præcipitasse? R. Pertinet primo ad confessarij prudētiam, vt sicut adhortationem, cum necessaria nō fuerit, omittere debet; sic longiori, ac breuiori vtatur, prout pœnitentis necessitas, dispositioque exegerit. Qui enim paucioribus, aut leuioribus grauati peccatis frequētius confitentur, & bona conscientia præditi videntur, aut pluribus quidem, ac grauioribus peccatis onerati sunt, sed discretione, & intellectu pollēt, & cum sufficienti dolore vitam emendandi firmū propositum conceperunt, non sunt prolixioribus adhortationibus fatigandi. E contra vero duriores, & obstinati, qui grauissimis onusti culpis, exiguū admodū compunctionis, & pœnitentiæ specimen exhibent, acriter arguendi, & increpandi sunt, iuxta illud, Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine. *Psal. 83.* Eius namque officium est obduratos vitiorum multitudine, atque asperos mores emollire, malitiæque æruginem abstergere, & ad bonam frugem reducere, vt notū est ex verbis. *Apost. 2. ad Timoth. 4.* Vera, & amica libertas teste *Plutarch. l. de amic. & adult. discr.* peccatis aduersatur, ac salutarem, & medicam affert molestiam, non secus atque mel, quod vlcerosa mordet, atque repurgat,

gat, alioqui iucundum, & vtile. Hinc *D. Anton. 3. p. tit. 17. cap. 19.* Confessarius, inquit, viros graues, & sapientes dulcius, & vrbanius reprehẽdere oportet, rusticos, rudes, ac idiotas durius, nè primi ex verborum asperitate dedignentur, & secundi ex sermonis lenitate peccata paruipendant; dolore, & desperatione stimulatos, & concussos, quantumcunq; commissa peccata grauia sint, confortare, erigere, ac animare expedit, exempla inducendo Dauid, ac Magdalenæ, Pauli, Latronis, ac huiusmodi; induratos vero ac se excusantes, eorum mala aggrauãdo, deprimere, & emollire, proponendo exempla Adami, Saulis, Iudæ, & huiusmodi, hæc ille.

Instrumenta, quibus ex prudentiæ directione, ad suum officium exercendũ vti debet, quod est veram Dei cognitionem, & amorem humanis mentibus inserere, multiplicia, ac fere innumerabilia sunt; idque propter varietatem, instabilitatemque humanę naturæ, cum humana vitia pro ingenioiũ discrimine, consuetudinis, prauorumque habituum diuersitate variam curationem desiderent. Siquidem, ut dixi, & admonet. *D. Greg. in Past. p. 3. admonit. 3.* Erga nonnullos adhibẽda est obiurgatio, erga alios mansuetudo, cum scribat. *D. Greg. Nazianz. in Apolog.* Vtendum aliquoties pedo, ut plurimum autem fistula, quod Elias Cretensis ibi exponit, sæpe doctrina, raro acribus reprehẽsionibus agendum. Imò eidem homini nunc facilitate, & clementia plus proficitur, nunc acerbitate, ac terrore. Cum tamen cor hominis superbum natura contumax, ac nobile sit, contra potẽtiam recalcitrans, duci magis, quàm trahi cupiens, hortando potius, & monendo, quàm obiurgãdo tractãdũ est. Cum sæpe erga corrigendos plus proficiat beneuolentia, quàm austeritas, plus exhortatio, quàm comminatio, plus charitas, quàm potestas, vt vere ille dixerit,

Plene rogans blande vis latet imperio.

Sicq; instar Samaritani uinum, & oleum in plagas sauciati infundentis, pro pœnitentis conditione, increpatio, aut consolatio usurpanda est; cauendo, ne nimia facilitate, peccãdi licẽtiæ sacerdotes faueant; ita tamen, ut semper misericordiæ Domini nostri Iesu Christi memores sint, qui non uenit mactare, sed saluare, proinde fumigantia ligna nõ extinguãt, sed cũ aliquos peccatores desperationi proximos uideãnt, si quę in eis deuotionis, ac pietatis scintillę supersunt, benigne foueant. *D. Ant. Patau. serm. 3. post domin. Quad.* super illa uerba *Hier. Tr. 3* Magna est uelut mare cõtritio tua; obseruat, mare plura habere, in quibus pœnitẽtia conuenire debet; mare namque capitis dolore nauigantem afficit, stomachum conturbat, uomitum prouocat, & appetitũ prosternit. Pœnitenti dolore capitis opus est, ut præteritas sentẽtias circa mores detestetur, & uoluptates auersetur; conscientiæ stomachus reuolui debet, in cuius libertate uitam peccans ducebat; per confessionem culpas euomere eum oportet; ac tandem inordinati affectus ab ipso paulatim euellẽdi sunt. Sicque magna uelut mare ei it pœnitentis contritio. Ac sicut unda maris in superficie quidem amara est, in imò uero dulcis, ita sane pœnitentia, & si in specie, & primo aspectu amara, morosa, & insuauis uideatur, in progressu tamen, ac exitu, pœnitens eam gratissimã, dulcissimam, ac iucũdissimam experitur, per quam priora merita redeunt, ac ueteres iustitię reuiuiscũt, ut patet in filio prodigo. *Luc. cap. 15. vbi D. Ambros.* per stolam sapiẽtiam intelligit, quam uirtutes tàm morales, quàm supernaturales consequuntur. *Zerula in praxi pęniten. capit. 2. Finus de regulis Iuris. Canon. homel. 12.*

QVAESTIO LXXXVIII.

QVIBVS MEDIIS INDVCENDVS est pęnitens ad contritionem.

QVa prudentia, uel quibus medijs utendum confessario, ut pœnitentem ad cõtritionem, seu detestationem suorum peccatorũ disponat? R. Præcipui momenti est hic prudentiæ actus, siquidẽ ut supra perpendimus, cõtritio in primis illa est, per quam mortuus peccator spirituali uitæ restituitur, & cui tanquã solido fundamẽto cętera superstruuntur, quæ ad legitimum sacramẽti pœnitentiæ usum spectant. Si ergo confessarius uideat pœnitentẽ dolore, ac sensu suorum peccatorum carere, aut non satis propriũ, uiuumque cõceptum, ac æstimationem peccati lethalis sibi format, nec mẽte supplicia, quę illud meretur, assequitur, nec bona, quę destruit, neque iniuriam, quam Deo infert, apprehendit, coq; eius cor uehementi aliqua passione, aut inordinata affectione uinctum tenetur; & quamuis se ab illa abdicare uellet, ut cum fructu confiteretur, inde tamen inefficaciter statuens nõ se satis expedit, poterit ut ipsi pęnitẽti aquã cõtritionis eliciat, duas petras percutere, sicut Moyses virga, quã mare rubrũ diuisit, mãdante Deo, petram durissimã ferijt, & ex ea aquæ largissimæ manarunt. *Num. cap. 20.* Loquimini, inquit Deus, ad petram, & illa dabit uobis aquam. Primum ut uori compos fiat confessarius, ad petram uiuam Christũ loqui debet, humiliter supplicans, ut illud cordurum emollire, gratiæque suæ aquam largiri dignetur. Erecta in Saluatorem spe, dura peccatoris petra alloquenda est, & bis uirga percutienda, duplex scilicet rationum genus timoris, & amoris adhibens; timoris, si ad eius memoriã reuocet mortem, iudicium, Infernũ, æterna, ac temporalia supplicia, quæ rebellib. durisq; cordib. parata sunt, & manifestũ periculum, in quo uersatur, ne in illa misertime incidat; propterea enim Sapiẽs

eccles.

ecclef.cap.3. admonuit, Cor durum male habebit in nouissimo,& qui amat periculū,in eo peribit. Nec confessarius pœnitentem quauis authoritate pollentem contristare, vel molestia afficere formidet. quandoquidē tristitia, quę secundum Deū est, pęnitentiam in salutem stabilem operatur, vt ait *Apost. 2.ad Corinth.cap.7.* Nam & *D. August.libr. 50.hom. hom. 11.* Similitudinem à probo filio ducit, qui parentem lethargia laborare, ac proinde nihil aliud quàm somno indulgere velle conspiciens, eum subinde excitat, ac quamlibet pium huiusmodi officiū acerbo animo pater ferat, non tamen eum in mortiferum somnum ruentem vellicare desinit. Et si medicæ artis professoribus credimus, Remedia nulla tàm sunt salutaria, quàm quæ dolorem faciunt.

Amoris rōnes erunt, si ęterna præmia, diuina beneficia, spiritualia, ac tēporalia bona, quib. Deus pater amicos suos,& charissimos filios cumulat, & auget, ob oculos ponat, momentaneam voluptatē, turpitudinem, & malitiam peccati, cuius desormitas quanta sit, ex eo maxime cōstat, quod pro remedio sanguine filij Dei opus fuerit, &c. De S. Alberto legitur, quod cum aliquando sacrum faceret, Dominum rogauit, vt inter hominum opera, quæ ei grauiora forent reuelaret, cui Dominus respondens dixit, Inter alia eleemosynā etiā modicā, quam quis pietatis intuitu viuens impertit, ei acceptiorem esse quàm si post mortem aureos montes erogaret. Addiditque magis acceptū ei esse, si peccator cōtritione,& confessione animæ sordes eluat,& peccata dimittat, quàm si denudatus,& columnæ vinctus, acriter à quatuor carnificibus vsq; ad diem iudicij flagellis cæderetur. *Finus de reg.Iur.cau.hom.12.* Super omnia virga Crucis Christi percutiet, memorādo, quanta pro nostris delictis, vt dixi, expiandis sit perpessus. Passionis enim Christi memoria terram mouet, petras scindit, monumenta aperit, quia terrena, ac dura corda emollescere facit, vt iudicia Dei timeant, contritione scindātur, cōfessione recludantur, vt ad nouam vitam resurgant. *D. Bernar.in ser. 4.maior.heb & serm.3. de Nat.Dom. Lud.de Ponte. de christ.hom.perfect.tom.1. tract.3.cap.8.*

Quod si Confessarius videat se nō posse animum pœnitentis ad tàm excelsum contritionis gradū attollere, conetur saltem ad hoc inducere, vt ipse vere propter Deum se talem contritionem non habere doleat, quia id sufficiet saltem quò ad eam imperfectam attritionem, cum qua absolui possit, tanquam valens illud vatis regij. *Psal.118.* licite vsurpare, Cōcupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tempore. *Syl. in verbo contritio.1.quæst.1. Nau.cap.1.num.21. Reginal.lib.2.num.52. Sà in v. contritio.num.5.* Siquidem hæc displicentia sicut & dolor minus perfectus ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarū metu communiter conceptus, voluntatē peccandi excludens, & cum spe veniæ coniunctus est, donum Dei, & Spiritus sancti impulsus, adhuc quidem non inhabitantis, sed tantum mouentis, cuius virtute, accedente sacramento, ex magis probata Doctorum sentētia, homo ex attrito contritus fit. *Conc.Trid.de pœn.sess. 14.c.4. Canus.de pœnit.p.5. Azor.p.1.l.2.c.12. Bisfel. in theol.mor.de pœnit.cap.9. Suarez.tom.4. de pœnit. d.20.sect.1.assert.3. Sayr.l.1.cl.reg.c.7.n.7. & alij.*

QVAESTIO LXXXIX.

AN SIT SVFFICIENS ATTRITIO QVAE ob naturale motiuum, & temporales causas concipitur.

Esset ne sufficiens attritio, propter quam beneficium absolutionis impendi posset, si pœnitens in inferiori ratione propter temporales causas, & naturale motiuū doleat, vt si v.g. ob perpetratum homicidium dolorem sentiat, timens ne detrudatur in carcerem,& mortem à Iudice inflictam subeat,& desornicatione doleat, eo quod morbum gallicum ex ea contraxerit, quo sæue cruciatur, ac torquetur; vere enim Aristoteles dicere solebat, fędas voluptates, non venientes, sed abeuntes, hoc est non earum initium, sed finem inspici debere; siquidē dum veniunt, animos nostros falsa suauitatis specie demulceant; at cum abeunt, acerbum pœnitentiæ aculeum in animis,& corporibus nostris relinquunt? R. Non esse aptam,& idoneam attritionē, cùm quis de peccato timore huius sæculi potius, quā ob Deū offensum, vel vt Theologi loquuntur, ob supernaturale motiuum Inferni, vel Purgatorij, tristatur, ac dolet. Idem est dicendum, quando quis dolorem de furto concipit, non prout est peccatum, sed vt quędam infamia, vel ebrieratem detestatur, non quia est gulæ vitium, christianæ tēperantiæ,& diuinæ legi contrariū, sed quatenus corporis officit sanitati. Et hoc attritionis genus ipsius naturæ lumine haberi potest; quandoquidem peccato naturale est ob suam fœditatem famam lædere, iuxta illud,

Qui sequitur Bacchum, taxillos, & meretrices,
Semper infamis, semper egenus erit.

Hinc Seneca, Et si scirem Deos ignoscituros, homines autem nesciturος, adhuc peccare dedignarer. Prima & maxima peccantium pœna est peccasse: *Gloss.in cap.merito.15.quæst.1. Alphonsus.de Castro. l.8.aduer.hæreses.in verbo.Infernus.* Item insitum est peccato, quatenus propriæ rationis ordinem offendit, ad pœnam remorsus obligare, cum omnis inordinatus animus sibi ipsi sit pœna. Et vt ait Plautus, Ita Dijs placitum, vt voluptatē semper mœror consequatur. Vnde stimulus cōscientiæ appellatur vermis, quia eius instar animū mordet, ac corrodit, & ita

& ita eum vocat *Baldus cons. 297.* Vt proinde peccator in quacunque felicitate ob conscientiæ stimulos sit miser; sic. n. David huius mũdi bonis licet abundans, post commissum tamen peccatum, se ipsum inquietum testatur dicens *Psal. 37.* Cor meum conturbatum est, &c. At in quantum humanam legem violat, ad pœnam ab ipsa præscriptam astringere. *Nau. prælud. 7. nume. 26.* Atque ita detestationem peccati principaliter cõmodi temporalis, aut humanæ pœnæ causa, seu propter metum infamiæ, non esse sufficientem dispositionem ad Sacramentum pœnitẽtiæ suscipiendum, vel gratiam obtinendam tenet. *Suarez. tom. 4. disp. 20. sect. 2. & Megal. libr 4. Instit. Confess. cap. 4. numer. 7. Henriq. libr. 1. de pœniten. cap. 26. & alij communiter.*

QVAESTIO LXXXX.

AN HOMO DE PECCATIS VENIALIBVS conteri, vel atteri debeat.

TEnetur ne pœnitens de culpis venialibus contritionem, vel attritionem habere? R. Quod licet aliqui, vt inter alios. *Sylvester. in verbo confessio. 1. n. 14. & Tol. lib. 3. c. 5. nu. 1. & alij.* senserint non teneri, cum venialia peccata non dicantur necessaria sacramẽti pœnitentię materia, mihi tamen hæc quæstio his assertionibus definienda videtur: Primo, de omnibus venialibus vnum dolorem in communi sufficere, vel vt dicunt, virtualem, seu implicitam quãdam displicẽtiam ad obtinendã absolutionem satis esse. Secundo, de quibusdam venialibus manentibus põt dolor concipi, non sic de mortalibus, sicut etiam detestatio venialium omnium subinde mortalium detestationẽ includit, qui. n. dolet de veniali culpa, ob quã solum in charitate Dei tepescit, non tamen à Dei gratia excidit, eò fortius de lethali pęnitet, ob quam ipsam diuinam gratiam amisit, & pœnam æternam incurrit; sed non semper qui de mortalibus dolet, venialia peccata detestatur, nisi lethalis culpæ detestatio à perfecta charitate, & absoluto amore omne vel leue peccatum auersante procederet. Hincque sequitur, quod infectus mortalibus, & venialib. culpis aspersus de illis conteri, tenetur, licet ista non displiceant. Quarto, habens venialia, & illa pro materia ad cõfessionem assumẽs, de aliquo saltem dolere, & propositum in futurum vitandi habere oportet, alias non aptam absolutionis materiã præbere videretur. Siquidem homo in gratia Dei constitutus potest quidem ab omnibus, & singulis peccatis mortalibus abstinere, sed non ab omnibus, & singulis venialibus; proinde sufficit voluntas singula vitandi, sed non omnia collectiue (cum humanæ vitę infirmitas hoc non patiatur) & cum ecclesię clauibus ea subijcit aliquem dolorem vel displicentiã concipiat, vel saltem doleat, se ad hoc sacramentum cum debito dolore, & conuenienti præparatione non accedere. Cæterum qui dubitat, an aliquid sit mortale, vel veniale peccatũ, ita illius pœnitere debet, ac si lethalem culpam inuolueret, vel saltem sub conditione, si & quatenus esset mortale, iuxta illud. *D. August.* Consilium, Tene certum, & dimitte incertum. *cap. si quis de pænit. dist. 7. Sot. in 4. d. 15. quæst. 1. art. 1. Nau. cap. 1. num. 23. Graffius. libr. 1. decis. aur. cap. 6. num. 5. Vival. in Cand aur. de pænitentia. num. 9. & de confess. nu. 58. Henriq. lib. 1. de pænit. cap. 26. num. 7. Roder. in summa. p. 1. cap. 54. num. 5. Suar. tom. 4. disput. 20. sect. 6. num. 6. Arias. p. 2. profect. spirit. cap. 2. Megal. l. c. l. 2. c. 2. n. 7. Molfes. tr. 7. c. 8. n. 31. Reginal. l. 5. n. 46.*

Propterea consulunt DD. vt Confessatij inuigilent, pœnitentesque doceant, quàm necessarium sit formale propositum ad peccatorum mortalium remissionem obtinendam; non tamen opus esse, vt certo credant, se in posterum in peccatum nõ lapsuros, nam cum hoc non à voluntate, sed à futuro euentu dependeat, quandam præsumptionẽ, & superbiam saperet, sed sufficit hoc diuinæ potentiæ, & misericordiæ ope sperare. Attamen pro venialium culparum expiatione, cum circa tale obiectũ absolutum propositum haberi nequeat, Confessarius pœnitẽti suadeat, vt ad illas euitandas diligẽtiam adhibeat, quatenus humana ratione hoc fieri poterit; qui si ex corde ipsius met pœnitentis, qui tãtum peccata venialia confitetur, aliquod horum vitandi animum non ferre eum aduertat, sacrilegium absoluẽdo admitteret, cum ibi applicet formam, vbi debita non adest materia: si vero alicuius attritionem habeat, & ab eo in futurũ cauere proponat, illum absoluere sibi integrum erit, quandoquidem sufficiens ecclesię clauibus subijcitur materia. *Innocent. Abb. & alij in c. omnis. ext. de pænit. & remiss. Vinal. de contrit. tit. 5. n. 9. Bonac. q. 6. sect. 2. p. 3. n. 4. & DD. sup. citati.*

CAP. XV.

QVAESTIO LXXXXI.

QVARTVS PRVDENTIAE ACTVS confessarij, & in quonam consistat, &c.

QVodnam est quartũ caput, in quo præcipuus prudentiæ Confessarij actus consistit? R. In hoc quoq; maxime eius elucebit prudentia, & sapientia, si pęnitẽti conuenientẽ, congruamque satisfactionem iniungat, & salutaria, opportunaque remedia adhibeat, quæ & spiritualibus morbis, & ægri conditioni sint accomodata, & quæ cum penitentia vindicãte, & præseruante, capita & principales peccatorũ radices exscindat, caute cauendo, ne dum

ne dum quod disruptum est, scissuram deteriorem faciat, ac dum eum qui lapsus est, erigere, & emendare cupit, casus ipse per eum grauior non reddatur; nam si verbi gratia, ægrotus spiritualis debilis sit, timidus, ac tepidus, expedit eius curationem à pœnitentijs, & remedijs facilioribus inchoare, vt sensim, ac paulatim cum rubustiorem in spiritu reddendo, ad Deum trahat: sicut & corporum medici syrupum præmittunt, ad vehementiorem purgationem disponentes; nam regulariter non esset prudentis, vitio gulæ deditum, & delicationibus cibis assuetum, seueris ieiunijs in pane & aqua exigẽdis, statim vno quasi ictu curare velle, sed paulatim in qualitate, ac quãtitate ciborum est admendũ, adhibita mortificatione in eo, quod minus est, ut inde ad maiora progrediatur; nisi forte aliquis tàm feruenti, ac magno sit munitus animo, vt uehementi Dei impulsu in eo gradu abstinẽtiam auspicetur, in quo alij sistunt, & segniter morantur. Quod in multis rebus, his euenire solet, qui religiosum statum suscipiunt, in quibus repentinæ, & miræ mutationes cernuntur, &c.

Admonendusque est pœnitens, ut paruam sibi iniunctam pœnitentiam cum Christi, Beatæ Mariæ Virginis, ac Sanctorum aliorum meritis, ac satisfactionibus coniungat, ac uniat, simulque eam in statu gratię perficere studeat; nam & si extra illam quò ad ecclesiæ & confessarij præceptũ satisfaciat, apud Deum tamẽ nullius uirtutis ac ualoris existit; Licet valde probabilis ẽt sit opinio, si hęc sacramẽtalis satisfactio in peccato mortali impleatur, reuiuiscere, pristinum effectum consequi, ac omni modo restaurari, cum pristinam gratiam recuperauerit. *Beiap. 3. casu. 2. Bisfeld. in Theol. Past. cap. 13. Reginald. l. 7. num. 9. Molf. tract. 7. cap. 25. num. 78 & post Caiet. Vict. Nau. & alios probat. Suarez. tom. 4. d. 38. sect. 8. & Coninch dispur. 10. numer. 96.*

Equidem alacris pœnitentiæ impositæ susceptio præcipuũ & efficax est contritionis ad obtinendam absolutionem signum, cum interior de peccato admisso dolor peccatorẽ omnia libenter sufferre compellat, ut subinde etiam libentissime præscripta antidota aduersus peccandi occasiones admittat, paratus sanis Confessarij consilijs acquiescere, & strenue se gerere in pugna ineunda aduersus Dæmones, propriam carnem, & sanguinem, malas inclinationes, prauos habitus, ac diutinam peccandi cõsuetudinem; cauẽdo ne inanes excusationes peccatis suis attexat, ad quas per tres gradus aliqui ascendunt. Primo, per contemptũ, cum instar ægroti medicum, & eius pręscripta renuentis nihil faciant qđ dicitur, Secundo, per impatientiam in recte monentem insurgẽdo, ut phrenetici qui manum chirurgi eorum lethali vulneri medẽris mordẽt. Tertio ꝑ impudentiam, cũ excusationes suas iustas prætexũt, peccatũ suum quasi sodoma prædicãtes. *Is. c. 3. D. Ber. serm. 42. in cant.* Hos D. Gregorius. *in Past. p. 5. adm. 12. & lib. 35. mor. cap. 24.* ait similes esse Erynacijs, qui antequam pulsentur, caput, pedesque detectos habent, sed statim atque tangũtur, se totos includunt, & cõtingentis manus pungunt, &c. Et certe qui nõ facit pro uitanda animę morte, quod ageret pro declinãdo corporis interitu, plus uitam carnalẽ, quàm spiritualem, plus rem creatam, quam creatorem se diligere ostendit. Quis enim apertæ necis discrimini, & periculo expositus, si ei enũtiet medicus, Absque dubio morieris, nisi v. g. in Quadragesima ieiunes, id facere recuset? At ęterna mors à Christo pręclictas pœnitentias respuentibus denuntiatur, Nisi pœnitentiam habueritis, oẽs similiter peribitis. *Luc. cap. 13.* Cum gaudio ergo facere debet immortalis futurus, quæ pro differenda morte moriturus expleret. *Reginald. libr. 2. numer. 56.*

QVAESTIO LXXXII.

AN POENITENS TENEATVR IMPOSItam sibi pœnitentiam admittere?

Tenetur ne pœnitens iniunctam sibi à Confessario pœnitentiam admittere? R. Sicut Confessarius vt Iudex, & ut medicus de præcepto debet pœnitenti satisfactionem imponere. Primo, quia tenetur integrum, & perfectum sacramentum facere, cum satisfactio, vt Theologi loquuntur, sit eius integralis pars (non tamen essentialis, ita ut sacramentum ualeat, in quo sacerdos nullam satisfactionem iniungit, modo pœnitens ad omissionem ipsius pœnitentiæ iniungendæ malitiose non concurrat) Quæ obligatio procul dubio grauis esse censetur, cum ad Religionem Deo debitam pertineat. Secundo, quia ut medicus debet vulnera pœnitentis curare, oleum & uinum ulceribus sauciati infundẽs. Tertio, vt tanquam Iudex Iustitiã, & æquitatẽ seruet; cum .n. inter Deum, & hominem iudicet, sicut bene dispositum absoluere tenetur; ita curare eum oportet, ut ex debito iustitiæ homo Deo satisfaciat, cum satisfactio sit quædam recompensatio ipsi Deo facta, cum proposito eum amplius non offendendi. *d. c. omnis. de pœnit. & remiss. Conc. Trid. sess. 14. cap. 8 c. satisfactio. vbi Nau. de pœnit. dist. 3.* Sicut inquam hac obligatione pœnitentiam imponendi in sacramentali iudicio ligatur confessarius, ita etiam pœnitens ut reus pęnã sibi ab eo inflictã subire tenetur: idque sub reatu culpę mortalis, si materia sit grauis, multo magis acceptatam implere tenetur, &c. Siquidem indubitata est catholica assertio, quam aliqui putãt esse de fide, alij sine temeritate non posse negari asserunt, quando in Sacramento pœnitentiæ remittitur peccatorum mortalium culpa, non deleri sem-

per

per ſicut in baptiſmo totam pœnā eidem debitam, ſed æterna demiſſa, temporalē aliquam plerumque manere, delendam per dignos fructus pœnitentiæ, pro vindicādo peccato à nobis ſponte ſuſceptæ, aut ſacerdotis arbitrio per opera pœnalia ſenſui repugnantia pro menſura delicti impoſitæ, aut per temporalia flagella, æquo animo propter Deū tolerata.

Ad quā etiam tollēdam in hac vita ſtatutæ ſunt indulgentiæ; Doctores tamen obſeruant ex multis capitibus accidere poſſe, vt indulgentiæ ipſæ ſuum effectum non cōſequantur, inter quæ illud præcipue ponunt, qd' in operibus quæ iniuncta ſunt, exequendis, multū negligentia & incuria peccari ſoleat. *Platus lib. 1. de bono ſtat. relig. cap. 13. Suar. tom. 4. d. 52 ſect. 6.* Quod autē per eas, qui in charitate decedūt, præuia confeſſione à peccatis, & à pœnis ſoluantur, reuelatione cognouit. D. Brigitta *lib. 9. reuel. c. 102. Daur. tom. 3. cap. 5. tit. 43. exemp.* 10. Sed in alio ſæculo ſi aliqua ſuperſit pęna, animæ in gratia Dei decedenti purgatorius decretus eſt carcer. *Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 14. & can. 30. & ſeſſ. 14. cap 8. & can. 12. Sot. lib. 3. de natura, & gratia. cap. 6. Andreas Vega. de iuſtificat. libr. 13. à cap. 36. Bellarm. tom. 2. libr. 4. de pœnit.* Idem *Suarez. tom. 4. d. 37. ſect. 1. Val d. 7. quęſt. 19. p. 2. Coninch. d. 10. dubit. 3. Reginald. lib. 7. cap. 1. num. 2. Henriq. lib. 2. de pœnit. capit. 18. Viual. de ſatisfactione. num. 7. Vict. nu. 209. Zerula in praxi pœnit. cap. 25. quæſt. 9. Tolet. lib. 3. cap. 11. & alij.* Hinc inferunt etiam cōiter Scribentes, quod licet differre implementum pœnitentiæ ad aliquod tempus cum cauſa nullum ſit peccatum, & ſine cauſa regulariter ſit veniale, attamen ſi diutius abſque cauſa differatur, & pœnitentia ſit grauis & arbitrio boni viri mora ſit notabilis, mortalem culpam ſecum trahit. Quod procedit etiam ſi ex rationabili cauſa pro venialibus peccatis periculoſis, & ad mortale diſponētib. ſit impoſita, vt patet in religioſo viro cui ad euitādum aliqd' graue malū alioqui ſecuturū tali remedio opus ſit; licet etiam verum ſit numquam ob omiſſam pœnitentiam confeſſionē repetendam eſſe, ſed ſufficere de negligentia ſe in alia accuſare.

QVAESTIO LXXXIII.

AN DENTVR ALIQVI CASVS IN quibus paruam, vel nullam pœnitentiam imponere liceat.

DAntur ne aliqui caſus in quibus confeſſarius poteſt licite nullam pœnitentiam confitenti imponere, & in quibus ipſi pœnitenti nullam integrum eſt acceptare? R. Dari aliquos caſus. Primus eſt quando pœnitens nullam omnino implere poteſt, vt in articulo mortis contingit, impotētia enim tunc excuſat, ſi ſaltem nomen Ieſus mente pronuntiare nequiret nam non ſolum per actus externos, ſed etiam internos Deo ſatisfacere poſſumus. Imò ex cōmuni ſententia. Infirmus, ac quilibet ærumnis vexatus, vt ęgritudinem aduerſaq; omnia æquo animo ferat ſuadēdus eſt, per opera .n. pęnalia, ac calamitates oēs huius vitæ, ſatisfacimus, ſi tū adſit actus poſitiuus illas acceptandi, vt etiam diffiniuit *Conc. Trid. ſeſſ. 14. de ref. cap. 9.* Nec enim dubium eſt, tribulationem ſpiritualem eſſe mercatutā, qua homo ſi velit, facile diteſcere poſſit. Et vt ait. *D. Aug. ſuper Pſal. 41.* Deus huic vitæ multas amaritudines miſcet, vt alia vita quæ ſalubriter dulcis eſt, requiratur, ne viator ad patriam tendens ſtabulum pro domo eligat. Priſci Iouem inter duo vaſa bonorum, ac malorum cum hac nota pingebant, Neque proſpera ſine aduerſis. Quale etiam eſt quod ait. *Pſal. 74.* Calix in manu Domini vini meri plenus mixto. Vnde eſt etiam illud, Deus res mortalium aceto, & oleo permiſcet, &

Nullus vbique poteſt felici ludere dextra.

Hinc patientiæ etiā admonendi ſunt rei, qui ordine iuris extremo afficiūtur ſupplicio, quia ſi huiuſmodi mors reſignato corde ab eis ſubeatur, mirum in modum pro expiandis culpis ſatisfaciunt. *Pet. Sot. de Inſtit. ſacerd. de ſatisfact. lect. 2. Viuald. in Cand. aur. tit. de degrad. num. 39.*

Secūdus, eſt quādo cōfeſſario ex pęnitentis confeſſione, qui ſua peccata pluries clauib. eccleſię ſubdit, cōſtat plene eū ſatisfeciſſe. Verū quia valde difficile eſt hoc dignoſcere, conſultū eſt ſaltem ad ſacramēti integritatem, ſemper aliquid in ſatisfactionem imponere. Certum eſt tamen pœnitētem cum Confeſſarij licentia poſſe per alium pœnitentiā implere ſi vterq; ſit in gratia, cum ex Thologorū placitis, vnus pro alio nonquidem mereri, ſed ſatisfacere poſſit. *Tol. lib. 3. c. 11. Coninch. q. 10. dub. 7. & alij.*

Tertius eſt cū pęnitens nil vult in ſatisfactionem ſuſcipere, ſed omnem in Purgatorio luēdam differre, vt tenuit. *Caiet. in v. ſatisfactio, & nonnulli alij DD.* quibus tamen communis uſus eccleſiæ, & praxis aduerſatur, quę aliqualem, & paruam pœnitentiam reſpuentibus, tanquam non contritis & impęnitentibus abſolutionem denegare ſolet, præſertim quod nullus inueniri debet adeò ſaxeus, & ſibi ipſi inimicus, qui bona fide confitens, uel tantillam pęnitentiam admittere nolit, &c. *vt ait Nau. capit. 26. num. 20. Reginald. lib. 7. cap. 2. num. 12. Molfeſ. tr. 7. capit. 25. num. 57.* Maxime ſi acerbiſſimas Purgatorij pœnas ad memoriam reuocet. Vnde & B. Aloyſius Bertrandus Ord. Præd. cum eſſet nouitiorū magiſter charitate plenus, vel leuibus eorū erratis non leues diſciplinas imponebat, ne pro illis in Purgatorio grauiores pœnas ſoluere cogerentur.

Quartus, quando manifeſte conſtaret, confeſſarium in illa imponenda erraſſe, excedendo pœnam

 in pœ-

in pœnitentiali foro iniungendam, cōsiderata qualitate personæ, ac commodo eam peragendi, & reliquis circunstantijs, quarũ in præscribendis pęnitentijs habenda est ratio; vt si valde melancholico, & importunis scrupulis vexato, seu mulieri nuptæ apud maritũ de adulterio suspectę, ieiunium in pane, & aqua iniungeretur, aut viro occupatissimo, & maximis publicis negotijs detēto, multæ preces quotidie recitādę imponerētur, & viro paupertate oppresso eleemosynę, &c. Hinc in re nō absimili *Tusch. in v. Indulgentiarũ concessio*, ait, Indulgentia concessa ijs, qui iuxta suas facultates eleemosynam donauerint pro aliquo pio opere, debet intelligi ciuiliter, & cum moderamine, ut non plus donet, quàm sua facultas patiatur; quia primo sibi ipsi, & familiæ suæ debet esse prouisum, & consultum; quia omnis ordinata charitas incipit à se ipso, & à suis de familia incipere debet. *Rom. cons.* 364. vbi Apost. dat cōcord. & plura ponit exempla, presertim D. Augustini, qui nō admisit exclusionem filij, vt succederet ecclesia, Item de procuratione Episcopi, quæ debet esse modesta, ne subtrahat necessaria Rectori; & de filia dotāda iuxta vires patrimonij, & qualitates personarum. Extēde quia vbique honestas requiritur, quia illud possumus, quod commode, & cum honestate possumus, *Rom. l. c.* hæc ille.

Quintus casus ab aliquibus additur Iubilei tempus, vel aliarum plenarum Indulgentiarum Pontificia concessio, ad quas lucrandas inducēdus est pęnitens: tunc enim ecclesiastici thesauri ære pęnarum debitum soluitur; qui quidē bonis, ac pijs fidelium operibus in dies augetur. *Extrauag. comm. incip. Vnigenitus. tit. de pęnit. & remiss. Anglesi. de Indulg. diff. 3. Tol. libr. 6. capit. 23. Suar d. 38. sect. 10. & d. 50. sect. 2. Beia prima parte. respons. casu. 38. Menochius. lib. 2 de arb. Iud. cent. 4. casu. 391. & omnes Doctores communiter.* Ne tamen sacramentum sua parte quæ ipsum perficit careat, aliqua leuis subcūda præscribi debet. Sicuti Doctores dicunt de valde contrito, tanta enim potest esse peccatoris contritio, vt pro magno crimine leuissimam pœnitentiam indicere sacerdos possit. Consulendum tamen est pœnitenti, vt per opera propria pœnalia satisfacere conetur, cũ per ea homo melior reddatur, ad alia bona disponatur, à recidiuo pręseruetur, & maioris meriti augmentum assequatur, &c. Hinc, & *Gulielmus Parisiens. l. de sacramento ord.* adhortans christianos ad pœnitentiam, quamuis Indulgentiarum valorē admittat, sed incertum earum fructum, ob suscipientium incertam, & negligentem præparationem, sic ait, Quare certum est, neminem debere propter huiusmodi indulgentias ab agenda pœnitentia cessare, ne committat se periculo, & inęstimabilem acerbitatem ignis Purgatorij incurrat, & reliqua.

QVAESTIO LXXXXIV.

QVOMODO IN IMPONENDA POENITENtia confessarius se gerere debeat.

QVomodo in imponenda pœnitentia confessarius se gerere debet, &c. R. Profecto in hoc negotio plus eius prudentia, quàm certa regula valet. Siquidē Primo considerare debet peccatorum grauitatem, vt non leues pœnitentias pro grauissimis sceleribus iniungat, ne forte indulgentius cum pœnitentibus agens incentiuum in futurum delinquendi tribuat, & alienorũ peccatorum particeps efficiatur, vt admonent. *Tridentini Patres. sess. 14. cap. 8. Vict. de clauibus. numer. 12. Nau. in cap. falsas. de pœnit. dist. 5. & cap. 26. num. 15. Vinal. de satisfact. num. 21.*

Secūdo, ipsorũ qualitatē perpēdere dēt, vt pęnitentiæ quoad fieri potest, (quò contraria contrarijs curentur) ipsis peccatis opponantur, vt carnis delictum corporis etiam maceratione castigetur, auaritia eleemosynis, blasphemia diuinis laudibus recitandis, & humiliatione puniatur, & iterum peccandi radices euellantur; in omnibus curādo, vt sint potius remedium præseruans à recidiuo, quàm expiatio pęnæ præteritis peccatis debitę, sed cauendo, nę pro occulto peccato quantumcunq; graui publicam pœnitentiam imponat. *cap. quæsitum. ext. de pœnit. & remiss.* Et ne missas celebrandas, vel eleemosynas erogādas iniungat, quas postea sibi attribuat, siquidem indirecta sacramēti venditio videretur. *Barth. ab Ang. dial. 5. de missa. §. 520. Zerula. in praxi pęniten. cap. 25. quæst. 29. Graff. cons. 2. de pœnis. & libr. 1. decis. aur. cap. 31. n. 29.* Cauere etiam debet, ne opera aliàs debita sine causa imponat, nam licet de omnibus operibus etiam ab ecclesia præceptis satisfactio iniungi possit, communiter tamen de his, quæ aliàs iussa sunt pęnitentia infligi nō debet, & in dubio sic semper à cōfessario factũ præsumitur. Quando autem actus aliàs debitos exprimere debeat, ipsius prudentiæ relinquitur, *Suar. d. 37. sect. 4. Henriquez. lib. 5. cap. 21. §. 3. Vasquez. d. 94. art. 1. dub. 4 Sanchez. lib. 1. de precept. cap. 14. num. 6. Bonac. d. 5. quæst. 5. sect. 3. p. 2. nume. 11. Coninch. de pœnitentia. d. 10. num. 69. D. Ant. 3. p. tit. 17. c. 20. §. 1. Graff. l. 1 decis. aur. c. 31. Reginald. l. 7. num. 28.*

Tertio, persona pęnitētis inspiciēda est, vt aīaduertatur, quātum eius humeri ferre possint, nec. n. pauperibus eleemosynas, nec famulis peregrinationes, nec quæ pœnitentis statui, ac conditioni repugnant imponere debet. Quinimo cum pauperibus, & præsertim rusticis, qui ad fodiendam terram, & ad multos labores perferendos à Deo præscripti sunt, cum difficile admodum orationes, ieiunia, & eleemosyna sustinere queant, labor, vt dixi, cruciatus, & paupertas

pertas iniungenda sunt, cum operibus aliàs debitis Deo satisfacere possimus. Quippe curandū est Cōfessario, vt eas pœnitentias imponat, quas penitentem verosimiliter impleturū credit, ne obsint quæ prodesse debent; quandoquidem per illarum violationem ipsius status deterior futurus esset. Imò vt obseruat. *Vasq.3.par.quæst.94.art.2.numer.* 14. In praxi receptum est, vt mitior pœna iniungatur, ne pœnitens pœnæ grauitate deterreatur, sed potius pœnitentiæ leuitate ad sacramentorū frequentiam alliciatur, præstat.n. de misericordia potius quàm de seueritate rationem reddere, & pęnitentiæ sacramentum debilibus graue, quatenus fieri potest, alleuare. *cap. alligant.26. quæst.7. Lud.de Ponte.tom. 4.tit.5.cap.*11. Qua ratione etiam dicendū est, quò ad forum externum, in dispensatione matrimoniali pœnitentiam viro incestuoso à Papa iniunctam, vt operas suas in fabricam ecclesiæ cōferat, posse in aliud opus pium ex causa à delegato commutari, vt si vir sit persona nobilis, ac delicata, &c. *Mar. Anton.Gen. in Praxi cur.Neap.cap.*25. Proinde etiam si pœnitens non se difficilem ostendat, ne propositam pœnitentiā admittat, nisi se illam perfecturum firmiter proponat, (& si pęnæ peccatis suis debitæ in hac vita non satisfaciens debeat illam in Purgatorio luere, vbi longe grauior, & multo minus ad satisfaciendum efficax erit,) & si dicat hic paruam pęnitentiam soluere velle, illi morem gerere debet, ea qua solet medicus prudentia vtens, qui non semper medicaminum rigore vtitur, quæ morbi grauitas exigit, sed ad ægri debilitatē attendit, qui si acrē medicinā ferre nequit, remissius cum eo agir. Quo nomine non videtur improbanda eorum sententia, qui volunt pœnitentiam per modum cōsilij, vel sub veniali culpa iniungi posse, cum pœnitentis conditioni sic imponi magis expediat. Propterea prudenter faciet cōfessarius si pęnitenti recusanti, vel grauē conquerenti pęnitentiam, aliqua referet exempla, quibus ad illam libenter amplectendam inducatur, vt apud *Bedam libr.5.hist.Anglic.capit.19.& Daur. tom.3.cap.5.tit.*40. Et cum satius sit pęnitentem ad Purgatorium, quàm ad Infernum mittere, & magis expediat de misericordia, quam de seueritate rationem reddere, confessarius in dubio in mitiorem partem inclinet. *d.cap.alligant.26.quæst.7.* Inter cōditiones quib. prędirus esse debet confessarius est pietas, vt in alterius discrimine una cum pęnitente paratus sit peccatorū onus portare, & ut illū in spiritu sensim infirmū lucretur, leues pęnitētias imponere, promittendo se pro eo grauiores subiturum, & hortando ut ad ipsum confessariū sæpe reuertatur. Profectò difficillima est confessoribus, nec non periculosa est hæc prudens pęnitentiæ præscriptio: difficillima inquam, quod pęnitentes difficile admodum grauiores pęnitentias admittunt, eo quod refriguit charitas, quę olim in fidelibus, cum ecclesiastica uigebat disciplina, feruebat: periculosa uero, ne confessarij peccatis nimium conniuendo, & idcirco leuiores imponendo, quàm peccata expostulant, culparum alienarum participes fiant. *Concil.Trid.sess. 14.cap.*8. In omni autem casu admonent DD. confessarium debere pęnitenti iniungere, ut quidquid boni fecerit, & mali sustinuerit, in suam satisfactionem cedat. Qua clausula excusari uidētur confessarij, si uel pro magnis peccatis paruas pęnitentias iniungāt, &c. *Bonac.d.5.quęst.5.sect.3.p.2.Ant.Liter. in summa.p.1.cap.35.num.*24. Vbi etiam exemplo Clementis Papæ IV. qui mulieri cuidam incestuosæ ob magnam cōtritionem quam in ea deprehendit, tantum orationem dominicā semel recitandam pro pęnitentia iniunxit, admonet sacerdotem in satisfactionibus imponendis, ad confitentis cōtritionem, dolorem, & uerecundiā attendere debere, &c. *Caiet.in verbo satisfactio.Sot.in 4.d.20.quæst.2.artic.3.Suarez.d.38.sect.7.Coninch.d.10.dub.8. Reginald.libr.7.cap.4.num.37.Bonacin.disp.5.quæst.5. sect.3.par.2.numer.17.& seq.*

QVAESTIO LXXXXV.

QVOMODO SE GERERE DEBEAT Confessarius cum pœnitente, qui præseruantem pœnitentiam admittere non vult, &c.

QVomodo se geret in praxi confessarius cum pœnitente, qui admittere non vult præseruantē pęnitentiam, v.g. si alicui concubinario iniungat, ne ad domum concubinæ accedat, ne talem domum frequentet, vel cum tali fœmina loquatur, ne ludat; quam præceptionē quotiescunque transgressus fuerit, ieiunet vel tantam eleemosynam soluat, &c. R. Certum equidē est pęnitentis propositum, vt absolutionis sit capax, non tantū debere esse peccatum mortale vitandi, sed etiam occasionem, ex qua illud secuturum probabiliter credatur, quod si satis firmum eum habere non deprehenderit, conari debet quacunque poterit accomodata ratione, vrgendo peccati indignitatem, & perniciem, ipsius animā Christo lucrifacere, sique nihil efficere potest, non absoluat, sed eum dimittat ad imitationem dicentium. *Ierem.*51. Curauimus Babylonem, & non est sanata, derelinquamus eam. Siquidem occasio propinqua ex aqua pœnitens, si animam suam saluam fieri cupit, necessario abstinere debet, non tantum est ea, quæ in se est mortale peccatum, sed etiam illa, ex qua bene perpensis occurrentibus circunstantijs, Cōfessarius credit, aut credere debet, pœnitentem numquam sine culpa mortali illa vsurum; inter quas circunstantias, si quæ ad id persuadēdum valeat, hæc maxime efficax est, qd

sæpe expertus sit, semper, aut quasi semper labi solere. Quò vero ad illam pœnam, vt quotiescunque pœnitens tale crimen admiserit, talem eleemosynā largiatur, &c. aliquibus visum est, pœnitentem ipsum in iuris rigore illam admittere non teneri, modo in futurum non recidendi, & occasiones deuitādi propositum teneat; quandoquidē confessarius non nisi illorum peccatorum cōstitutus est Iudex, quæ nunc secundum præsentem iustitiam ipse pœnitens confitetur, non vero futurorum, quæ in posterum committet, nam pro illis pœnitentias imponere, illius spiritualis Iudicis erit, qui alteram cōfessionem excipiet. *Pet. ab Ocha. tract. 2. de confess. quæst. 41. num. 16. Leonard. Nouel. in instruct. christiana de sacr. pœnit. Sanchez. lib. 3. de precept. cap. 5. num. 17.* Hæc tamen opinio eadem ratione refellitur, quod cum fragili homini ad præcauendum in futurum peccata hæc pœnitentia iniungatur, si non virtutis amore, saltem timore pœnæ à relapsu cohibeatur, &c.

CAP. XVI.

QVAESTIO LXXXXVI.

QVOMODO SE GERERE DEBEAT CONFESSarius cum pœnitente in aliqua proxima delinquendi occasione inuoluto, &c.

QVid faciet Confessarius, qui absoluta confessione vel ante, inuenit pœnitentem occasionibus peccandi inuolutum, vt pote adolescēres, qui inter mulieres versantur, emēdo, vendēdo, & absq; cohabitatione in eadē domo cōuersando, cum quibus tamen sæpius voluntate, verbis & tactibus impudicis, & ēt cum copula delinquere solent. Vel in eadē domo cum ancillis, vel etiam cognatis & consanguineis, eisdē modis peccant, &c. Et quid dicendum de Cōfessarijs, qui dum alicuius mulieris confessionem audiunt, in turpes & morosas cogitationes incidunt, & sæpe pollutionibus contaminantur, & cætera huiusmodi? R. Pro harum quæstionū congrua responsione, suppono duplicē esse occasionem, nempe remotam, & proximam. Prima est illa, quæ non ex natura sua, sed tantum per accidens ad peccandum inducit, vt sunt omnes artes, & officia, & vt vno verbo dicam, omnes res creatæ, quib. homines licite vti possunt, insipientibus tamen muscipulæ factæ sunt. *Sap. cap. 14. c. de occidendis. 23. quæst. 5.* Propinqua vero, vt supra insinuaui, est illa, quę in se est peccatū mortale, vel talis, quæ arbitrio suo, & iudicio perpensis circunstantijs cōfessarius credit pœnitentem numquam, aut raro sine lethali culpa vsurum, etiam si in eadem domo non cohabitet. Nam & in iure illud certum habetur, quod communiter, & vt plurimum accidere solet, cum iura ad ea, quæ frequenter fiunt adaptentur, & verba prolata secundum verisimilia accidentia intelligantur; & actus humani ex eo iudicentur, quod vt plurimum inuenitur, vt exemplum est in pictura amasię, quā amās, & perditus homo domi tenet, in ludis, & turpib. comœdijs, & huiusmodi, quæ merito illicita, & proximæ occasiones censebuntur, si frequenter, & sæpius in earum rerum vsu peccata admittentur. Idem dicendum est de amasia, vel concubina, etiam si vetula sit edentula, nec vt ait Comicus apud Terentium, valens sit, & succi plena. Nam vera pœnitentia, vel hominis reformatio numquam fiet, nisi omnimoda peccati occasio prorsus auferatur; cum fieri possit, vt homo præteritarum voluptarum memor, si non opere, saltem morosa cogitatione ruat. Amor pictor est, si deformē mulierem amas, amor tibi formosam repræsentat, & si annosa apparet, ipsam iuuenē tibi refert. *Finus. de reg. in. hom. 4.* Atq; huc tendit illa D. Augustini admonitio. *in tr. de singul. cler.* Non despecta, non vetula, absque affinitate peculiariter suscipienda est ad domesticum obsequium; quia magis cito delinquitur, vbi sine suspicione securum potest esse delictum, maxime quia libidinū nulla deformitas, nulla despectio obsistit, cui Diabolus pingēs speciosum facit quidquid fœdum, vel horridum fuerit. *Nau. cap. 3. num. 5. Grafsius. lib. 1. decis. cap. 28. Sayr. libr. 4. clau. reg. cap. 17. nume. 2. Corrad. in resp. quæst. 15. Beia p. 1. casu. 39. Nald. ver. certus. Molfes. de conf. Neap. p. 5. quæst. 2.* Vnde fit hæc prima assertio, hanc secūdam occasionem necessario relinquēdam esse, cum non sufficiat hirundines expellere, nisi nidus destruatur. Nec vsquequaque vera est illa doctrina Nauarri, ex qua nonnulli liberius peccādi ansam atripuerunt, nempe absolui posse, qui peccandi mortaliter occasionē relinquere nolit, quādo hæc quatuor interueniunt. Primo, vera pœnitudo peccatorum. Secūdo, verum propositum numquam ad ea redeundi. Tertio, fiducia, quod Deo iuuante occurrēte illa occasione non peccabunt. Quarto, quod aliqua rationabilis causa subsit, illā occasionē non declinandi, v.g. pro subleuanda inopia, uitādo scandalo, aut alio huiusmodi, nam hęc adesse, & pręcipue secundū & tertium non facile sibi prudens confessarius persuadebit, si cum lubricis, & fragilibus sit sibi negotium, qui sæpius cecidisse experti sunt, & numquā in præteritis confessionibus se correxerunt. Hinc annotat *Caiet. in v. periculum,* nullam necessitatem utendi tali occasione uincere obligationem ab illa abstinēdi, nam qui amat periculum, peribit in illo *Eccles. c. 3.* Vt quid enim periculo se adhuc cōmittet, qui è malo in quo est emergere contendit? Quid de ægrotāte homine sperandum esset, qui baculo innixus, uix pedibus consistere posset, si quis illum externa ui impellere, atque prosternere conaretur? Eodem modo anima

nostra

nostra spirituali ægritudine laborans, cum ob ingenitam infirmitatem, longamque peccandi consuetudinem quasi alteram naturam frequentissime labatur, quo loco secura consistet, aut quãdo sanabitur, si uoluptatis conspectus, peccãdi opportunitas, occasiones mali ad peccandum adhuc alliciant, &c. Quò uero ad eos, qui in eadem domo cohabitant, qui ex frequenti usu in hac parte summam confessarijs afferre solent difficultatem, & eorum ingenia torquent; sit hæc secunda assertio; Qui sunt sui iuris, quibus integrum est à domo abdicare personã, cum qua turpem rem habent, cum teste experientia uideant se continere non posse, eas expellere tenẽtur, etiam si ex hoc aliqua sui, uel aliorum sequi iactura uideatur, cum secundum ordinem charitatis potius honorem, famam, opes, atque ipsam uitam periclitari pati debeamus, quàm Deum mortali culpa offendere, & animæ propriæ salutem perdere, ex doctrina. *D. Thomæ. Quodlib.* 11. *art.* 12. Sed qui alienæ potestati subsunt, ut sunt filij familias, puellæ, mancipia, & huiusmodi, resistere debent, occasiones tollere, numquam in eodem cubiculo soli cum sola manere, clamorib. se adiuuare, se defendere, & nullo pacto etiam quocunque metu incusso, nefariæ rei consentire; christiano animo ei, cum quo male uersantur dicere, sibi absolutionem denegari, nisi separentur, &c. Quippe ita temperãda est misericordia, & compassio, ut ecclesiastica disciplina non eneruetur, ita condolendum, & compatiendum peccatoribus, ut sanguis Christi non conculcetur, & animæ ab eo redẽptę nõ perdãtur. Hinc tã rarę uitę emẽdationes hinc tanta recidẽdi in eadẽ peccata facilitas.

Eadem prudentia in re simili uti debet confessarius erga reum, qui legitime interrogatus nempe à competenti Iudice, quando factum est notorium, uel est de eo infamatus, uel semiplene probatum per unum testem omni exceptione maiorem, uel per ęquipollentia indicia, cõfiteri non vult, aut contra se ueritatem prodere; uel etiam à iusta sententia appellat; cum enim impœnitens sit, & tanquam in proxima delinquẽdi occasione persistere uelit, non est absoluendus; tùm quia nemini iuste, ac iuridice condemnato licet se à legitimo Iudice defendere; tùm quia sic appellans iustitię, ac reipub. detrimentum infert, eo quod sæpissime illis prolatationibus iustitię leges violãtur, & scelera impunita remanẽt. *arg. Conc. Trid. sess.* 13. *de ref. c.* 1. Qua ratione Pius V. *In constit. incip. Cum remedium* Iudicibus ecclesiastici status mandauit, ut appellationes in causis criminalibus infra sex mẽses expediant, ne alias ex diuturnæ pœnæ mora delictorum impunitas exoriatur. Et ita ex communi sententia tenet. *Salon.* 22. *quæst.* 69. *art.* 2. *&* 3. *Gutierez. l.* 1 *can. qq. num.* 38. *Beia. in resp. cas. consc. p.* 1. *casu.* 32. *&* 65. *Sanchez. lib.* 3. *de precept. cap.* 6. *&* 7. Et si etiam ut alias animaduerti, multi probabiliter teneant, quamdiù sit euadẽdi spes, etiam si reus iuridice interrogetur, nõ teneri criminis ueritatem fateri: ut per *Pet. Nau. lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 136. *Lessium. lib.* 2. *cap.* 31. *num.* 16. *Roder. in qq. regul. tom.* 2. *quæst.* 19. *art.* 4. *Molfes. tr.* 11. *cap.* 11. *num.* 77. *& alios.*

Quod attinet ad Confessarium, illa sit tertia assertio, posse illum absolui, quia audire confessiones, non est occasio per se mala, etiam si dum fœminarum confessiones excipit, per accidens pollutio subsequatur, nisi probabile cõsensus in impuritatis delectationem periculum subsit; licet si se fragilẽ sentiat, tutius esset, si abstineret, ne se periculo exponat, Quid enim, ait summa veritas, prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ vero suę detrimentum patiatur. *Caiet. tom.* 1. *tract.* 22. *de pollut. ex aud. confess. art.* 2. *Sanchez. libr.* 9. *de matrimonio. disput.* 45. *num.* 6. *Corrad. l. c. quæst.* 297. *Zerul. c.* 25. *quæst.* 15. *Nau. cap* 16. *num.* 6. *Graff. lib.* 2. *decis. aur. cap.* 87 *in fine. Lud. de Ponte. tom.* 4. *tract.* 5. *cap.* 3. §. 1. Vbi tñ subdit, non tam abiecto animo eum esse debere, vt excelsum adeo ministerium effugiat, vel ab eo se subtrahat, eo quod tentationibus oppugnetur, si enim illis non succumbat, certamen ipsum coronam auget, vt D. Thomę Cãtapritani exemplo hoc comprobat. Vide infra *capit.* 17. *quæst.* 117. *& tr.* 7. *cap.* 27. *quæst.* 113. Idem eadem ratione dicendum est de his, qui choreas ducunt, uel comœdijs intersunt, prout supra innui, vt sub pœna peccati mortalis ea cauere teneantur, si ex propria fragilitate, seruere animaduertant, sicuti etiam dixi in *Cõment. de hum. vit. stat. p.* 2. *cap.* 14.

QVAESTIO LXXXXVII.

QVA PRVDENTIA IN ADIVVANDO relapsum vtendum sit?

QVa prudentia, & cautela vti debet confessarius in adiuuando relapsum in peccatum? R. Si quis in idem peccatũ reciderit, nõ est illi eo solo nomine neganda absolutio tãquam impœnitenti, quia in idem crimen relapsum esse, non est necessarium argumentum defectus veræ pœnitentiæ, sed infirmitatis signum: sicut non admittere grauem, & difficilem pœnitentiam sibi à confessario iniungendam, vel iniunctam nõ impleuisse, indicium potius est humanæ imbecillitatis, ac desuetudinis opera pœnalia exercendi. Vnde semel in anno confitentes communiter absoluuntur, si nullum aliud impedimentum offerant, quantumuis in peccata, de quibus confessi erant, recidisse deprehendantur. Quod procedit etiam si confitens nolit ab eo abstinere, quod fuit ei occasio relabẽdi; vt conuersatio cum aliqua persona, aut aliud simile, dummodo non sit proxi-

ma occasio peccati mortalis, seu qua data statim aut quasi statim in mortale cadatur, interueniantq; quatuor illæ circunstantiæ, quas supra memorauimus. Locum quoque habet in eo, qui bis ter aut sæpius relapsus est, argumento eius, quod non tātum semel, aut septies, sed septuagies septies in nos peccanti fratri parcendum sit *Matth. cap. 18. & Luc. c. 17. cap septies. de pœnit. dist. 3.* Hinc *Lopez. in Instru. ctic. conscientiæ. p. 1. c. 21.* Quamuis, inquit, rigidus non debeat esse Confessor, vbi Dominus tàm pius est, & largus; sit tamen fidelis, & prudēs, ne sua dissimulatione animas perdat, in occasionibus illas relinquendo, bene autem dispositos, & tollentes occasiones, absoluat, nō solum septies, sed etiam septuagies septies, hæc ille. Attamen non uideretur absoluendus pœnitens ille recidiuus, tanquam non præbens sufficiens signum propositi firmi non peccandi de cætero, si nulla correctio, neque emēdationis inchoatio præteritis uicibus in eo extitisse obseruaretur, aut si illius imbecillitas, aut ingens ad peccandum propensio, aut externæ recidendi occasiones nullam secuturam emendationem persuaderēt. Siquidem in eos qui iterum in eadem re delinquunt, extat prouerbialis Senarius,

Iterum ad eundem turpe lapidem impingere.

Ad quod alludit. *Ouidius. lib. 2. Trist.*

At nunc tanta meo comes est insania morbo,
Saxa memor refero rursus ad ista pedem.

Quo quidem adagio plane significatur, sæpius iteranti culpam non esse ueniam tàm facile dandam; nam ita frequenter peccās uix eam meretur. Quandoquidē omnis recidiuus dicitur peior sua radice, & quia illum non contritum esse apparet, ideo ueniam mereri non censetur. Et licet ecclesia redeuntibus gremium non claudat, quò tamen ad pœnam temporalem in hæretico post abiurationem relapso non procedit, quia grauissime contra Deum, & ecclesiam semel, & iterum peccauit, & incorrigibilis à iure habetur, nulla constantiæ spes in eo affulget, & reipub. interest ne talia crimina impunita remaneāt. Quò etiam fit, ut quia delictum iteratum grauius est, ideo gratiam de eo à Principe nō mereatur si aliud delictum commisit, de quò mentionem non fecit, vt per *Tuschum in verbo relapsus. cōcl. 120. & verbo hæreticus. concl. 3.* Vnde non parum etiam refert de ægro pęnitente perfectam notitiam habere, tùm quia ex quorundam DD. sententia, explicāda est circunstantia consuetudinis, & frequentis relapsus in peccatū, cum infirmum emendationis propositū arguat, tùm quia aliter curādum est uitium, in quo quis callum ab infantia uel pueritia obduxit, ut pene illud sibi cōnaturale fecerit, aliter in eo, qui iam adultus pluries ipsum peccatum commisit. Quod Christus D. N. significare voluit, cum *Marci cap. 9.* parentē lunatici, ac obsessi interrogauit, quātum temporis esset, quo ei id acciderat, & respōdit ab infantia, ut sic spirituales medicos doceret de morbi tempore sciscitari, cum inueteratus difficile curetur, nam ut ait *Sap. eccles. cap. 10.* Languor prolixus grauat medicum, breuem languorem præcidit medicus. *c. adhuc. de pœnit. dist. 3. Tiraq. de temp. pœnis. causa. 10. Loartes in Instruct. conf. p. 2. cap. 12. Reginald. lib. 2. num. 101. Henriq. lib. 1. de pœnit. cap. 24. Vinal. de absolut. in fine. Beia. par. 1. respons. casu. 39. Graffius. lib. 2. decis. aur cap. 20. num. 7. & de Arbit. conf. lib. 1. cap. 18. Henriq. lib. 2. de pœnit. capit. 8. n. 1. L. de. P. p. 4. tr. 5. c. 12. §. 1. Staplet. dom. 3. Quad.*

QVAESTIO LXXXXVIII.

QVAE REMEDIA ADVERSVS RECIDIVA danda sint, &c.

CVm ad medici corporalis officium non tātum spectet, ægrum corporali sanitati restituere, sed etiam eidem in futurum consulere, pro eadem sanitate, & conseruanda, & augenda: & pariter ad confessarij munus pertineat, pœnitentem antidotis munire, quibus spiritualis sanitas comparari possit, & adiumētis, quibus incrementū capiat, ideò quæritur, quæ remedia danda sint aduersus recidiuum, & prauas propēsiones? R. Suppono, Hominis in peccatum relapsi nouissima tribus de causis peiora prioribus esse. Primo, ex parte Diaboli, qui hominem à graui peccato liberatum, in quo captiuum antea tenuerat, tanto acrius inuadit tāquam predam è manibus ereptam. Secundo, ex parte Dei, quia magis à Deo peccator derelinquitur, qui velut canis ad vomitum, vel sus ad volutabrū redit: nam vt languor prolixior grauat medicū, qui longo tædio affectus, & irrito labore fatigatus, illum tandem deserit: ita Dei indulgentia sæpius eius misericordia abutenē derelinquit, hinc enim illa scripturæ vox. *Hier. 51.* Curauimus Babylonem & nō est sanata, relinquamus eam. Tertio, ex capite peccatoris eius partes ob recidiuū deteriores fiunt, quia per peccādi consuetudinē praui habitus generantur, qui difficilē ad Deum conuersionem reddunt, vt de se ipso. *D. August. lib. 8. confess. capit. 5.* fatebatur. Cur vero peccator cito in peccata recidat, tres pariter sunt causę. Primo, quia nō sibi cauet, nec medici præcepta seruat. Secundo, quia non bonis, & salubribus animæ cibis vtitur, vt deperditas vires recuperet. Tertio, quia spiritualibus exercitijs, vt Confessione, Communione, lectione, oratione non vtitur. *Staplet. in dominica 3. Quadrag.* Hoc supposito dico,

Primo, contra tentationem peccati, in quod recidere contingit, debere per preces alicuius sancti, qui virtute contraria plurimum enituit, diuinū auxilium implorare, ac firmiter proponere, & interdū

saltem

saltem ad tempus vouere, se illam vel illam peniten tiam subiturum, si adhuc relabatur, tãquam sibi legem imponens, qua se ipsum coerceat; non tamen vouere debet, se numquam tale peccatum admissurum, ne sibi nouum laqueum injciat. *Abbas. in c. clericos ext. de cohabit. cler. & mul.*

Secundo, cum relabi contigerit, ieiunare in pane, & aqua, certum psalmorum numerum recitare; & aliquam pecuniam in eleemosynam erogare, & intra triduum, post admissum peccatum, animam apud Cõfessarium expiare. Et prꝛterea alia remedia cõtra recidiuum, hoc vnum tanquã singulare adhibere conetur, vt per annum integrum, vel per sex menses, pœnitens peccata sua confiteatur, & si fieri potest, sacram Eucharistiam sumat: sic enim ad bene viuendũ prõptior, ac firmior euadet. *Tol. l. 6. c. 11.*

Tertio, considerare, quod cum turpitudo, & pernicies peccati omnẽ aliam superet, quiddam tamẽ vilius, & peius, vt dixi, quàm in peccatis primo perpetratis inesse censetur.

Quarto, omnes animi neruos adhibere, ut prauos superioris uitæ, & naturæ corruptæ habitus euellat, Confessarij siquidem munus utramque iustitiæ partem complectitur, docere scilicet declinare à malo, & facere bonum; cum debeat operam dare, vt pęnitens ab omni malo declinet, ab eius radice omnia eius peccata extirpando, & simul eundem ad omne bonũ extimulare, vt in eo perfectionis turris extruatur, & omnium virtutum plantę ferantur. Et quamuis vitiosi animi mores inueterati sint, numquã tamen cõfessarius, & pęnitẽtens animum abijcere debent, si enim medicus, & æger desperẽt, de re actum erit. Etenim nihil tàm arduum est, tàm firmum, tàm inueteratum, quod homo Dei gratia & ope suffultus non deprimat, generosus animus non comminuat constantia non labefactet.

Gutta cauat lapidem non bis, sed sæpe cadendo.

Arbores altissimæ euelluntur, rudia metalla leuigantur, complanantur, expoliuntur. Quodcũque imperauerit sibi animus, obtinebit, &c. Tandem proponet Dei iram erga reciduantẽ exemplo aliquo confirmatam, illo pręsertim quod cum Canonicus quidam lubricus graui morbo correptus, à D. Francisco facto super eum signo Crucis sanatus esset, admonitus ab eodem, ne ad vomitum rediret, ille postea corpus impudicitiæ reddens, cum in domo cuiusdã amici cęnasset, tota domo corruente, & cæteris illęsis, solus repẽtina morte extinctus est *D. Bonauent. in vita. D. Francisci cap. 11. Daur. tom. 3. c. 5 tit. 45. exemplo. 2.* Et cum opus esse uideret, acribus obiurgationibus cum eo aget, nam vbi spiritus, ibi libertas. Vnde & Labeo I. C. cum sententiã contra Augustum Imp. protulisset, ab eodem interrogatus, vnde tantam libertatem assumeret? respondit, quod naturæ beneficio esset senex, nec filios haberet, &c. *Alciat. de Præsumpt. regul. 1. Præsumpt.* Prout attigi *supra tract. 5. capit. 7. quæst. 44.*

ARTICVLI SVPER BONITATE Confessarij. Cap. XVII.

QVAESTIO LXXXXIX.

AD QVID BONITAS IN CONFESSARIO requiratur, & quid ea sit, &c.

AD quid bonitas in ministro sacramẽti pœnitentiæ requiritur? R. Non tãtum exigitur, ut pœnitenti bonus sit, instructus virtutibus ad munus suum rite obeundũ necessarijs, sed etiam ut sibi ipsi proficuus sit, diuina auctus gratia, ab anima omne mortale peccatum eliminante. Ipse enim cuius genibus humiliter aduoluitur peccator, ei suos lãguores expon ẽs ita dispositus esse debet, ut in nullo eorum in quo iudicare paratus est, sit iudicãdus, ne in quo alium censet, se ipsum codemnet; & ne dum alteri expurgãdo incumbit, semetipsum inquinatum contemnens, merito illud sapientis audiat, Qui sibi nequam est, cui alij bonus erit? *Eccles. c. 14.* Quamuis enim absoluendi à peccatis potestas non ex sacerdotis bonitate, uel improbitate depẽdeat, ut docet *Conc. Trid. sess. 7. can. 12. & D. Aug. cap. dominus 1. quæst. 1.* attamen vis maxima est in eiusdem ministri sanctimonia, & coniunctione cum diuina uoluntate, ad inducendum aliquem ad ueram peccatorũ pęnitentiam, & in uirtute promouendũ; vt plurimum enim pater similes sibi gignit filios, &c. Vnde & *D. Ambros. Epist. 8.* ait, qđ solus uiri iusti aspectus nos ad pœnitentiam inducit. Tanta est probitatis uis, ut sola sanctorum externa specie peccatores conuersos legamus, ut de S. Malachia, & S. Romualdo refertur, ut uerum sit etiam quod *D. Greg. Nyssen.* pronuntiauit. *teste Ant. in Melissa. p. 2. serm. 31.* Vt fragrantia aromata suo odore circumfusum cõplent aerẽ, sic boni uiri pręsentia proximos iuuat.

Ad hanc porro bonitatem

Primo spectat, ut ad huiusmodi ministeriũ subeundum interius recta feratur intentione, ut nõ pecuniæ, non honoris, nõ libidinis, non captandæ gloriæ cupido, non alia parũ iusta cogitatio illũ ad cõfessiones audiẽdas alliciat, sed Dei honor, flagrans salutis animarum zelus, illum ad hoc munus obeundum impellat. Et secum reputans cuius uices gerat, tanquam in eius oculis constitutus, cum reuerentia, & timore munus suum obeat, ac humiliter de se sentiens, pœnitentes sibi præferat, & se meliores existimet, agnoscendo quod licet eius officium ex authoritate à Deo tributa, nobilissimum sit, ex usu tamen humillimũ est, ut pote ei simile, quo chirurgus, uel tonsor saniem ex ulceribus abstergit, & cuique pro

sua

sua conditione unguenta applicat, satagendo eos sanare, ac Christi Sanguine redemptas animas ad salutis portum deducere, &c. Vnde promptitudo, paratusque in Christi animas feruor, diuinam in se ipso promptitudinem excitabit, ut qua ille in pœnitentibus adiuuandis, ea in se Dei experiatur facilitatem in auxilio ferendo, malis auertendis, pectora roborãdo, labẽtes erigendo, &c. Verum. n. illud. *D. Greg. 2. p. Past. c. 5.* Tãto faciliusà sua eripitur, quanto misericordius ex aliena tentatione fatigatur.

Secundo, ad ipsam bonitatem pertinet, ut exterius nihil in Confessarij vultu, & gestibus; uel corporis motibus, uel etiam in uestitu uideatur, nec in uoce audiatur, quod maturum uitum non deceat, qui meminit se Christi Dei locum tenere, cuius uiscera ac stygmata animo, & exteriori corporis modestia gestare debet. Vnde illud in primis tanquam diram pestem refugiat, ne supra modũ affectato, & exquisito non solum cultus, atque habitus (animi leuitatis, ac uanitatis argumentum) sed faciei etiam, & manuũ nitori studeat, illud D. Hieronymi pronuntiatum memoria repetens, Nitens cutis sordidum ostendit animũ. Sit uerbis affabilis, & benigno vultu pœnitentes excipiat. Nam & Hippocrates in libro *Medicus* inscripto, ut alias aduerti, ait, Maxime ad opinionem, & authoritatem comparãdam conducit, bonis, & honestis moribus præditũ esse, nam cum talis fuerit, omnibus uenerandus, & humanus iudicabitur; ideo conuenit, ut medicus comitatem quandam adiunctam habeat, asperitas enim sanis, & ægris difficilem præbet accessum. Animaduertat etiam an pœnitens quem sibi subiectum habet, decenter & modeste se habeat, nempe an utrumque genu flectat, an caput aperiat, an ita se cõponat, ut non sacerdotis faciem, sed Crucifixi Imaginem intueri uideatur. Præcipue uero dum fœminas audit, ne vultum, uel pectus aspiciat, memor continentiæ, quam solemni uoto in sacri ordinis susceptione spopondit. Atque in hac parte D. Hugonem Episcopum Gratianopolitanum imitetur, de quo *Surius in eius vita. tom. 2. 1. Apr.* sic scribit,

Porro mulierum confessiones non minus caute, quàm benigne suscipiebat, non enim in angulis, aut obscuris, aut secretis locis eas audire solitus erat; sed potius ubi à pluribus conspici posset; & aurem quidem satis familiariter applicabat, oculorum autem in alteram partem uertebat aspectum, auditum solum propter Diaboli insidias huiusmodi negotijs afferens applicandũ. Atq; huc spectant illa Gisberti uerba *de vita ecclesi. cap. 52.* cum ait, Necesse est antequã ad sedem suam (quæ publica sit, & cancellis interclusa, quia Angelus est lucis nõ tenebrarũ) accedat, animum diligenter muniat, & præparet, præcipue ad patiẽtiam; est enim difficile hoc negotium, tàm propter fœda peccata, quæ audiuntur, quàm propter implicatos casus, qui accidunt, & periculum in re graui grauiter errãdi; tùm ẽt propter diuersa hominũ ingenia difficilia, ac morosa, cum quibus agendum est, &c.

Linteo etiam cilicino se munire debet, nedum aliorum pedes lauat, ipse fœdetur, & antidotum integræ mentis hic animarum medicus secum feret, ne dum contagiosos ægrotos curat, pestilenti halitu inficiatur. Siquidem de co antidoto nihil ad sui conseruationem solicitis sæpe accidit, ut quam in alijs spiritualem pestem sanare uolunt, ipsis adhærescat, quasi insiliente in eos Dæmonio, & ita cõtra eos inualescente, ut nudi, & vulnerati instar filiorum Scæuæ Iudei relinquantur. *Act. cap. 19.*

Qui si infirmus, præceps, & temerarius sit, id officiũ assumere nõ debet, ne dũ pueros, uel fragiles fœminas audit, tentatione uictus succumbat, dignas daturus pœnas, quod uenenũ pharmaco, & lutum fonti puro admiscere tẽtauerit. Qui ẽt si in loco cõfessioni destinato filias spirituales sollicitare ausus fuerit, ut sacrilegus & de fide suspectus Iudicũ uiolatæ religionis censurã subit; hic enim morbus contra cõmune bonum serpit, & uix uafer confessarius priuata admonitione emendari solet, &c. Mulier autem sollicitata potest imò tenetur huiusmodi scelestum uirũ denuntiare, quia cum nullus alius præter ipsam interueniat, talis delatio admittitur. Et licet silentio comprimenda sint, quæ in sacramentali confessione tractantur, attamen quia crimen hoc reuerentiam, & puritatem huius sacramenti violat, sacrilegum confessarium ad S. Inquisitionis Tribunal deferre astringitur, nisi quia v. g. cũ illo mulier ipsa deliquisset, per ipsam denuntiationem turpitudinem suam proderet. Est autem eiusdem Tribunalis communis praxis, mitius cum sponte comparentibus, & se ipsos prodentibus procedi, quia secrete, sine tortura cum iuramento examinãtur, & si suspecti reperti fuerint, priuatim de vehementi, vel leui, prout eorum patitur error, abiurant; sed si libidinis ardore concitati peccata patrassent, vel ad turpia sollicitassent, ex excessus qualitate, sine abiuratione salutaris iniungitur pœnitentia, & ad tempus, prout expedire Iudices iudicauerint, ab audiendis confessionibus, si rei saltem per duos testes probentur, suspenduntur. *Molfesius tract. 7. cap. 34. nu. 45. Vide infra fol. 174. Henriq. l. 3. de pœnit. cap. 17. n. 4. Lud. de P. tom. 4. tract. 5. c. 3. §. 1. Gisbertus. d. c. 52.*

QVAESTIO C.

QVAENAM SINT CERTAMINA QVAE in suo munere obeundo subit confessarius, & quinam scopuli in quos impingit.

Qvænam præcipua certamina quæ in suo munere obeundo subire debet Confessarius, & occasio-

occasiones, vel scopuli, in quos sæpius impingere contingit? R. Quatuor sunt magis consueta. Primum est contra castitatem; cum enim Confessarij multa turpia, & nefanda peccata audire cogantur, caro autem sit ad malum propẽsa, & facile impugnetur, nisi castitatis forte præsidium adsit, prosterńctur. Propterea iure optimo sancta ecclesia statuit, vt sacerdotes voto se castitatis obstringerent, non solum ob summam puritatem, quam primum eorum officiũ offerendi Christi Corpus, & Sanguinem exigit; sed etiam ob secundum excipiendi. f. fidelium confessiones, & dandi operam, vt alij etiam purificentur, iuxta illud. *D. Dionysij. cap.* 13. *de Cælesti Hier.* Purgatores oportet magnitudinẽ purgationis alijs tradere propria castitate. Quamobrẽ in multis diæcesibus, & religiosis ordinibus constitutum est, ne fœminarum confessiones excipiant, qui quadragesimum annum non agant; nam vicina est lapsibus adolescentia, eo quod variarum æstus cupiditatum feruore calentis inflammatur ætatis; duo autem hostes vno tantum valetiores sunt. Qui quidem etiam maiores vires sumunt ex frequenti, & prolixa fœminarum confessione, quod solet esse in aliquibus qui excipiendis confessionibus occupantur, ingentium malorum origo, è qua prope quidquid excogitari potest vitiorum nascitur, maxime cum eædem frequentius audiuntur, plurimumque in ijs temporis impenditur. Crescit enim è cõsuetudine familiaritas, è familiaritate libertas, & qui prius ad mulieris vocem erubescebat, nunc pudore sepofito, etiam intueri, & arridere non reformidat; & ad liberiora etiam verba, risum, iocosque prouocare: sequũtur dictorum, factorum narrationes, prolixioresque sermones sæcularibus rebus permixti. Confessionum sedes fabularum sedilia fiunt, vt tales videas ab his sedibus redire nouarum rerum plenos, dictorum, factorumq; aliorum; sicque quæ spiritualis videbatur affectio, in sensualẽ, & carnalem conuertitur, ita ut incautus ante cadat, quàm hæc præcipitia prospexerit. Plurimorũ tàm externorum, quàm domesticorum suboriuntur offensiones, qui tàm crebra, ac diuturna intuentur colloquia, & deteriora cogitant, & res ipsa grauem non bonarũ cogitationum materiam suggerit. Remedia à Superiorum vigilantia, & solerti industria petenda sunt: qui si in omnem partem excubauerint, non magno negotio mala hæc discutient, maxime si seria accesserint monita, atque in delinquentes pœnitentię. Si post secundam tertiamque monitionem emendatio non successerit, tentanda erit loci mutatio, quod si nec mutatione mores mutauerit confessarius, ab omni fœminarum confessione arcendus erit. *Scrib. in Medic. relig. libr.* 3. *cap.* 39.

Secunda pugna est contra impatientiã, eo quod innumeræ sint molestiæ, quas aliquorum pœnitentium ingenia afferre solent, qui valde importuni sunt, scrupulis vexati, & melancholici, rudes, ineptã & confusam cõfessionem instituentes; alij laxam, & libertinam habentes conscientiam, pertinaces, ac duri corde. Quod si huc accedat, quod ipse cõfessarius atra bili agatur, sit angusti cordis, & in his quæ agit, nimiũ morosus, & delicatus: hæc (inquã) omnia ad iram, impatientiam, & tędium impellent, ita vt iram zeli pallio contegendo, contumeliosis verbis indicium detur, &c. Quare necesse est Confessarios magna patientia, & mansuetudine se munire, vt licet oppugnentur, non succumbant, memores eius quod *D. Io. Bap. Io. cap.* 1. de Christo Seruatore nostro dixit, Ecce agnus Dei, &c. Nam qui aliorum peccata vult tollere, mitis esse debet sicut agnus, vt lupos sua patientia vincat.

Item memoria recolentes claues, quas habẽt, nõ esse sibi à Deo datas, vt ad cingulum eas appẽdant, sed super humeros illas gestent, sunt etenim graues, robustis humeris patientia & lenitate muniris indigentes. Item Pastorem, qui perditam ouem quęrebat, cum eam inuenit, nõ illam baculo percussisse, quasi indignabundum ob laborem ei conquirendę impensum, sed gaudentem quod inuenisset, in humeros suos imposuisse, vt inde intelligeremus, peccatorum onera esse patienter ferenda. Quippe diuturna patientia, & longanimitate ad curãdos ægrotos in spiritu indigent Confessarij, ita vt non defatigentur, opportunitatem expectantes, eademque remedia rẽpetẽtes, aut noua alia applicãtes, quamuis exiguum aduertant laborum suorum fructum. Patiẽtia, & longa spe, etiam res valde difficiles obtinentur. Nemo repẽte fit summus, nec annosa passio momentaneo remedio curatur.

Perfer, & obdura dolor hic tibi proderit olim,
Sape tulit lassis succus amarus opem.

Lud. de Ponte. tom. 4. *de perfect. hominis. tract.* 5. *cap.* 12. §. 2. *Roder. de exercit. virtut. relig. par.* 3. *tract.* 1. *cap.* 18. *Molfes. tract.* 7. *cap.* 14. *num.* 106.

Ad eandem patientiam spectat tranquillitas, & mora quò rectum iudicium feratur, ita vt sufficiens tempus ei tribuatur, nec nimium festinetur, vt cito se expediat. Siquidem Confessario integrum non est, ita pœnitentem vrgere, vt non sinat eum suam conscientiam detegere, vel vt ipse necessarijs interrogationibus iuuare omittat, cum confessionis integritas in præcepto posita sit, à quo pœnitentiũ concursus nõ excusat, nisi cum graui necessitate sit coniunctus, qualis in belli conflictu, aut naufragio contingere solet.

Tertium Confessarij bellum est superbię contra humilitatem, qui quidẽ spiritus duos præcipue detestandos affectus producere solet, contemptus scilicet pœnitentis, & inanis gloriæ, quod ab eis quas audit culpis sit immunis; proinde cõsideraie debet pœni-

pœnitentem ob suam humilitatē, dum se ipsum accusat, potius esse magnifaciendum, quàm quod in ea peccata inciderit, contemnendum: adeò insignis est virtutis in suis manifestandis culpis se ipsum vincere. Vnde D. Hieronymus. *relatus in c. importuna. de pœn. d. 1.* Vbi peccator, inquit, intelligens vulnus suum tradidit medico se curandum, ibi non est virga necessaria, sed spiritus lenitatis, &c. Et in huiusmodi occurentibus casibus illud *Apost. ad Rom. 12.* recolēdum. Qui existimat se stare, videat ne cadat. Et qui in Tribunali tanquam Iudex sedet, attēdat, si in superbiam efferatur, ipsius ruinam fore maiorem, & incertum esse, an ab ea subleuabitur. Et quod ipse aliquando erat insipiens, incredulus, errans, seruiens desiderijs, & varijs voluptatibus iuxta illud,

Multorum cum facta senex & dicta recenses,
Fac tibi succurrant iuuenis quæ feceris ipse.

Apost. ad Tit. 2. D. Hieronym. relatus in cap. recedite dist. 50. Greg. Nyssen. in eos qui alios durius iudicant. Imò ipse fortasse innumeris scatet culparum sordibus, scientia, & prudentia, & quod caput est, diuina gratia, animarumq; curandarum zelo, vitio suo dēstitutus, omnia suis cōmodis metiens, sciti illius dicti immemor, Nosce te ipsum. Et licet (vt dixi) eius munus excellentissimum sit, nec Angelis, vt loquitur Clemens III. nec B. Mariæ Virg. cōcessum, cum debita tamen reuerentia, & timore Deo se submittere debet, qui in eum talem potestatem cōtulit, & tanto humilior ex munere esse debet, quāto se obligatiorem in reddenda ratione conspicit, &c.

Quartum Confessarij certamen est curiositatis, ut si plura scire cupiar, quàm sit opus ad absolutionis finem, v. g. si à pœnitente complicis nomen scire velit, & quæ ad pęnitētis domus occonomiam spectant, vel alia occulta, ad quæ interrogandi ius non habet, nec ipsi expedit manifestari. Quę omnia euitanda sunt, admonente. *Apostolo ad Rom. 12.* Non plus sapere, quā oportet sapere. *Henriq. l. 3. c. 17. n. 6. Vide sup. tr. 1. c. 8. q. 37. & infra tr. 6. c. 5. q. 22.*

Quintus huic additur perniciosus conflictus, timiditatis scilicet, ac pusillanimitatis ad ea quæ in suo munere exequi oportet, vt est absolutionem negare, aut differre, asperius aliquod vitium reprehēdere, cogere ad remouendam aliquam delinquendi occasionem, vel restitutionem faciendam, & alia huiusmodi, ad quæ vt opus est præstāda, animi fortitudo, & loquendi libertas necessaria sunt. Hinc *D. Aug. lib. 1. de Ciuit. Dei cap. 9.* Quisquis metu cuiuslibet potestatis, vel lucri cupiditate ductus veritatē occultat, iram Dei super se prouocat, quia magis timet hominē, vel caducas res magis amat, quā Deum. *Regivald. lib. 1. num. 160.* Perpendat Confessarius quāta libertate Isaias Ezechiam Regē ægrotum cōpellauerit, Dispone domui tuæ, quia morieris, &c. etiam si non ignoraret tale nuntium grauissime laturum. *Lud. de Ponte. tom. 4. tract. 5. cap. 15 §. 2.* Antisthenes dicere solebat, Diogenē eo quod veridicus erat, vespis esse similē, vespi enim nō magnus alarum strepitus, sed acer aculeus inest; ita sane christianus Philosophus, non palpare, sed cum opus est pungere debet.

Sextum bellum, in quo Confessarium pugnare oportet, est acceptio personarū, cū in suo Tribunali attendit, vt Gersonis verbis vtar, non solum discretionem formarum, sed etiam sexuum, nec ita iudicat paruum, sicut magnū. Sane sicut sol nō est alius pauperi, alius diuiti, sed omnibus communis; ita Iudices & Confessarij personam spectare non debent sed rem. Non defuit Diuina prouidentia Lazaro vlceribus pleno, & ab hominibus deserto. *Luc. c. 16.* prospexit enim vt canes venirent, & vlcera eius lingerent, vt desolatus, & afflictus aliquod inde leuamen acciperet. Canes domus Dei ait *S. Greg. hom. 4 in Euang.* sunt Pędicatores, & Confessarij, qui pauperum, & desertorum vulneribus medentur, suis linguis ea lingentes, blandis. s. ac beneuolis verbis, & rationibus quas eis proponunt ipsos extimulando ad confessionem, & pęnitentiam peragēdam, & ad patientiam in aduersis seruādam: atq; absolutionis verbis illos à culparum putredine mundant, imò etiam vt eos mundos reddant, proprio ore, & lingua abstergūt; scriptum est enim *Osea. cap. 4.* Peccata populi comedent sacerdotes. Peccata diuitum, ac potentum multi sacerdotes sunt qui comedūt, eo quod simul cum peccatis, & eadē opera, honorē, lucrum, authoritatem, & alios humanos fauores edunt; at pauperum, ac abiectorum peccata sunt cibus valde aridus, & absque alio temporali condimento, insipidus, & iniucundus, & ideo pauci Confessarij ad eum comedendum inclinant, nisi Dei zelus famem illis excitet: & si enim cum pauperibus agere insulsum ac insipidum sit, est tamē securius, Magnatum vero esca & si sapidior, est nihilominus periculosior, per quam viam nō perrexisse Christum docet idem *D. Greg. hom. 28. in Euang.*

Propterea ipsos sacramēti pęnitētię ministros suffultos esse oportet charitate, lata, lōga, sublimi, valdeq; psunda, ex eaq; linteū vas cōficere illi simile, qđ D. Petrus vidit. *Act. 10.* quo oēs peccatores etiā abiectissimos & subulcos excipiāt, cū lōganimitate eorum recidiuos casus ferant, vt tandem iteratis curationibus ad Cęlum deducant. *cap. importuna. de pœnit. d. 1. Lud. de Ponte. tom. 4. tract. 5. cap. 4.* Ab acceptione tamen personarum excusari poterit Confessarius, si prius, & libētius audiat eos, q in maiori dignitate constituti sunt, vel quorum Confessione spiritualis profectus ad maiorem Dei gloriam, & cōmune bonum redundat. Præsertim quod ipsi diuites, & nobiles magis sæpe spirituali ope quā pauperes

peres indigent, eo quod grauius aduersa ferant, & impatientiæ morbo laborent, & grauioribus peccatis, aut negotijs implicati, &c. Nã licet propter Magnates pauperes relinquendi non sint, hoc enim in aliorum scandalum, & in grauem Dei, & huius sacramenti iniuriam vergeret, quia tamen nobiles se postponi ægre admodum ferunt, & maior Dei gloria ex hoc resultat, cum alij inferiores eorum exemplo ad pietatem excitentur, in pari causa præferendi videntur. *vt per D. Ant. 3. par. tit. 17. capit. 19. & D. Bonauent. super reg. fratrum Minor. quæst. 23. & supra animaduerti. tract. 5. cap. 11. quæst. 73.*

Confessarius ergo charitate, & vitæ integritate fulgere debet; Vnde *Horat. Tursell. in vita D. Francis. Zauerij. lib. 6. cap.* 18. In dominicæ, inquit, vineç operarijs, prudentiam magis ac sanctitatem, quàm scientiam, ac doctrinam expetebat Zauerius, ratus ad tot, tantasque difficultates superandas, quæ in animarum conuersione contingunt, plus momenti habere sanctimoniam, quàm doctrinã, & sciẽtiam.

QVAESTIO CI.

CVI MAGIS CONFITENDVM SIT PROBOne an docto confessario?

SI non inuenitur Confessarius idoneus scientia, & conscientia, sed vnus deficit in scientia, & alius in conscientia, quid tunc faciendum? Aliqui dicunt tutius esse scientia prædito confitẽdum, cum illa ad sui muneris executionem necessaria sit. Alij vero oppositum melius sentiunt, quia peritia destitutus modo absolutionis verba calleat, in casu necessitatis potest inculpate confessiones audire, sed improb. sacerdos sine peccato se immiscere, & exhibere nõ põt, nisi in statu gratię saltẽ per contritionẽ se constituat. Cui peccato illius ẽt culpa annectitur, qui cũ possit sibi aliter consulere, peccãdi occasionẽ ei præbet, vt infra dicemus. Ideo *Eccles. cap.* 19. scriptum est, Melior est homo, qui minuitur sapientia, deficiens sensu in timore Dñi, quàm qui abũdat sensu, & transgreditur legẽ altissimi. Præterea imperfectionẽ, & defectum sciẽtiæ perfectio charitatis supplere potest; sed innocentiæ imperfectionem scientia tollere non valet: imò quod peius est, quãto est scientia maior, tanto periculosior, sicut gladius in manu furiosi, vt patet in Dęmone, qui à scientia denominatus est. Quippe scientia inflat, charitas ædificat *1. ad Corinth. 8. cap nisi cum pridem. extr. de renunt.* Ac sicut vinum aquæ admixtione non temperatum mentem alienat; ita scientia superbũ, & elatum reddit, nisi charitati coniuncta fuerit: sic enim & Propheta precabatur, Bonitatem, disciplinam, & scientiam doce me *Psalm.* 118. Perfectus Confessarius non instar Cyclopis vno scientiæ, sed vtroque, & doctrinæ, & virtutis oculo præditus esse debet; siquidẽ ex Euripidis enuntiato, & vt aliàs admonui, *Mores docẽtis sunt, q cogũt & persuadẽt, nõ oratio.* Sic D. Ambrosius singulare confessariorum exemplum igne charitatis accensus quoticscunq; ob percipiendam pœnitentiam, lapsus suos illi quis cõfessus esset, ita in lachrymas se effundebat, vt & illum præ contritione flere compelleret. *Sur. in eius vita. tom. 2. 4. Apr. Card. Bellarm. lib. de pœnit. cap.* 8.

Francisci quoque Brixiensis ordinis S. Francisci tanta extitit in Deum, & proximum amor, & charitas, vt si alicuius intius uere pœnitentis confessionem excipere contigisset, lachrymis obrueretur, vt ipsum ad iustam erratorũ compũctionem adigeret; & cum à quodam socio suo interrogaretur, cur tantopere fleret? respondit, Cuiusque ueri fidelis esse in Deum offensiones deflere, atque cuique maxime Minoritæ, qui peccata populi comederet, de proximo suo mãdatũ esse. *Duar. to. 3. c. 5. tit. 44. exẽplo 4.*

CAP. XVIII.

QVAESTIO CII.

AN BONITAS CONFESSARII AD sacramenti essentiam requiratur, &c.

BOnitas Confessarij requiriturne necessario ad absolutionis siue sacramenti pœnitentiæ ualorem? R. Malitia Confessarij mortali culpa contaminati sacramenti pœnitentiæ ualiditatem nõ impedit, si consideretur tanquam Dei instrumentum, quo ipse ad infusionẽ gratiæ in animam utitur, nec enim per malum ministrum ex opere, ut aiunt operato Christi donum contaminatur, quod per illum sicut purus fluuius transit & ad fertilẽ terram meat, ad modum quo per lapideos canales aqua in areolas transit. *cap. si iustus 1. quæst. 1. Conc. Trid. sess. 14. cap. 6. & canon. 10. Catechis. Rom. de sacramento pœnit. Suar. d. 28. sect. 1. Reg l. 1. num. 154. & alij.*

Si uero sacramenti exhibitio ex opere operantis spectet. i. vt est actio humana à Dei ministro exiẽs ministri bonitatem, ac probitatẽ postulat, nam quò melior, & in omnibus uirtutibus eminentior fuerit, eo aptius instrumẽtum diuinæ bonitatis erit, ut per ipsum pœnitenti plenius gratiæ, & uirtutum incrementum largiri dignetur. *D. Thomas. 3. part. q. 64. art. 5. & 6.* Propterea sicut in ualetudinis periculo nemo à perito & probo medico curati nõ optat, ita de æterna salute solicitis in magno negotio esse debet, animi sui morbis non nisi à docto & bono medendi artifice manum admoueri, nam ut ait *D. Ambros. lib. 2. off. c.* 12. Quis in cœno fontem requirat? quis de turbida aqua potum petat? quis futilẽ iudicet causæ alienæ, quem inutilem uidet uitę suæ? &c. Proinde par est ut spiritualis medicus non solum sit

ab omni culpa mortali, & ecclesiastica censura alienus, sed ita bonis moribus polleat, ut pœnitentes ad Deum conuertere ualeat. Nam licet Deus sit gratiæ principalis causa, minister tamen ad eam tum assequendam, tum conseruandam ut ministerialis causa concurrit, ut proinde boni Confessarij opera sacramentum suscipienti multum prodesse ualeat. *Zerula in Praxi pœnit. cap. 19. quæst. 2. Reginald. libr. 1. cap. 14. num. 154.* Hucque spectat aliquorũ pulchra consideratio, Cur scilicet D. Petro Apostolo carcere incluso catenæ de manibus ceciderint, cum enim ipse aliorum uincula soluturus esset, à ratione alienum erat, eius manus eisdem astringi: cui dictũ erat, Quæcunque solueris super terram, &c. *Matth. c. 16. Pet. Besseus dom. 16. post Pent.*

QVAESTIO CIII.

AN SACERDOS IN MORTALI PECCATO existens nouum peccatum committat, &c.

CVlpam ne mortalem contrahit sacerdos, qui in mortali existẽs cõfessiones audit? R. Certum est ad idem officium digne obeundum, eam uitæ sanctitatem esse necessariam, quæ in Dei gratia, & charitate consistit, ita ut grauissime Confessarius peccet, qui conscius sibi alicuius lethalis noxæ confessiones excipit, nisi veram cõtritionem elicere studeat, & facere quod in se est, ut prius Dei ipsius gratiam sibi conciliet: sacrilegium namque committit, & magnã iniuriam sacramento infert, si antequam illud administret, non conteratur ex amore Dei super omnia dilecti, aut saltem si ex timore illius, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam addita sacramentali confessione nõ atteratur, sine qua attritionẽ minime sufficere ad mortale peccatum eliminandum habetur, in *Cõc. Trid. sess. 14. cap. 4.* Neque refert probabilem esse sententiam, quod ad sacramenti susceptionem possit quis per solam attritionem disponi; nam ipsa sacramenti sumptio cum ex attrito contritum faciat, secũ gratiam affert, & animæ immunditiem, maculamque tollit; administratio vero sacramenti non item, vt proinde necessaria sit cõtritio, quã tamen cum quis difficile admodum excitet, tutius est vt si Confessarij copia datur, sacra confessione animam expiet.

Quæ assertio in eo procedit, qui credit se in statu peccati mortalis manere, non autem in eo, qui probabiliter se contritum esse putans, esset tantum attritus; aut qui facta conscientiæ suæ discussione, lethalis culpæ sibi conscius non esset, nã & si in malo statu iaceret, per inuicibilem nihilominus ignorantiam excusaretur; & si à peccato non eximeretur, si aduertens se mortali culpa contaminatum, nesciret contrahi tale peccatum, in eodem statu administrare, cum crassa, & vincibili ignorantia laborare dicatur, vt propterea illud *Apostoli. 1. de ad Corinth. 14.* locum habeat; Ignorans ignorabitur. *Zerula in Praxi pœniten. capit. 19. quæst. 5. & 6. Reginald. libr. 1. numer. 161.*

Addo sacerdotem mortali culpa inquinatũ, non solum toties peccare, quot confessiones in illa die audit, sed etiam si deturpatæ sit famę, & male apud populum audiat ob improbam suam vitam, præter aliud peccatũ, quod vt dixi, confessiones excipiendo admittit, aliud quoque scandali peccatum sibi conflare: nullus enim qui grauiter non offendatur, qui eũ tale munus obire uidet, vt propter hoc ei Deus suo tempore dicturus sit, Existimasti inique quod ero tui similis: arguam te, & statuam cõtra faciem tuam; & exprobaturus sit, quod cum sit medicus, se ipsum nõ curauerit, adeò stulte agens, vt alios sanitati restituens ipse in grauissimum morbum inciderit, & vitam mortuis reddens, magis ob sua piacula mortuus sit, ita quod quando ad Tartareas pœnas descẽderit, indelebilis illum character comitabitur, vt sibi sit perpetuus carnifex sibi obijciens, O' insensate, qui potestatem habens, vt alios ab Inferno eriperes, eis peccata dimittens, huc tamen es detrusus, eò qđ non curaueris, vt tua peccata dimitterẽtur: ita vt in eum merito ẽt objici possit, qđ ex Ennio in Astrologos *Cicero libr. 1. de diuinat.* protulit, Qui sibi metipsis non sapiunt, alteri mõstrant viam, quibus diuitias pollicentur, ab ijs drachmas ipsi petunt. Hinc à sacra Card. Congreg. declaratum fuit, quamuis sacerdos qui de leui suspicione abiurauit, vt quia per annum (non in causis fidei) in excõmunicatione persliterit, &c. in posterũ post peractam pœnitentiam non sit impeditus ordines exercere, sacramenta ministrare, ac fidelium cõfessiones audire: si tamen vehementem suspicionem expurgauit, vt quia sacramenta vel sacramentalia in sortilegijs admiscuit, ad leuem animi motũ plures hæreticales blasphemias protulit, & huiusmodi, ab audiendis confessionibus tanquam infamia notatus arceri debet. *Gen. in Praxi Neap. cap. 53. Riccius. p. 2 Decis. 218. Lud. de Ponte. tom. 4. tract. 5. cap. 3.*

QVAESTIO CIV.

AN ABSOLVTIONES AB EXCOMMVNIcato impensæ validæ sint, &c.

QVid si Confessarius non solũ esset culpa mortali fœdatus, sed etiam ecclesiastica cẽsura, vt excommunicatione innodatus, valerent ne absolutiones per eum impensæ? Et vtrũ eum in tam malo statu iacentem pœnitenti ad audiendas confessiones inducere liceat? R. Ad primam quæstionẽ dico, validas esse, modo Cõfessarius non sit nomina-

tim

tim denunciatus, vel publicus Clerici percussor, & communis error, iustusque titulus accedat. *ex l. Barbarius ff. de officio Praet. Henriq. lib. 2. de poenit. c. 14. Less. lib. 2. cap. 29. dub. 8. Nal. v. confessor. nu. 17. Rod. tom. 1. qq. reg. quaest. 60. art. 2.* Ad secundã q. pariter assero ex communi, ab existentibus in peccato & ab excommunicatis toleratis, si Parochi sint, subditis licere sacramenta petere, etiam si sciatur, alterũ administrando peccaturum, quãdo aliqua necessitas, aut notabilis vtilitas id exigit. Imò valde probabile esse licere ab alio nõ Parocho iurisdictione fungente parato, & exposito recipere. Sic. n. vt ait Nicolaus Papa, isti sunt sicut fax accensa, q̃ alios illuminat, & se ipsam cõsumit, & vnde alijs cõmodum exhibent, sibi mortis dispendium praebent. *cap. sciscitantibus. 15. quaest. 8. Suarez. tom 3. d. 18. sect. 2. & d. 72. sect. 4. in fine & tom. 5. d. 11. sect. 4. Viual. in Cand. aur. de sacr. in genere num. 19. Coninch quaest. 64. art. 6. dubit. 2. Reginald. libr. 1. numer. 163. Tolet. libr. 1. capit. 92.* Idem *Henriq. lib. 3. capit. 17. numer. 3.*

QVAESTIO CV.

QVANDO NAM CONFESSARIVS TENEAtur poenitentia Sacramentum administrare.

QVandonam Confessor tenetur sacramentum poenitentibus postulantibus administrare? R. Communis est sententia, Parochum teneri ad hoc munus exercendũ quoties prudenter subdito expedire iudicauerit; siquidem Pastor non debet solum extremae necessitatis tẽpore, vel in Paschate cũ praeceptum vrget, ouibus deseruire, sed etiam earũ vtilitati quocunque tempore consulere. Ob hoc quia alia via ad charitatẽ, & christianam perfectionem assequendam certior non est quàm confessio, quoties subditi per annum animas suas expiare voluerent, illos Curatus audire tenebitur. Nõ solum enim id spectare debet Cõfessarius, vt hominẽ à peccatis grauibus absoluat, & ab iterũ admittendis reuocet, verum etiam vt magis magisque ad sanctitatẽ proueh at, & in suo statu vnumquemq; perficiat. Quare frequenter de natura, ingenioque eorum cum quibus agit, cogitare debet, quid cuique aptissimũ esse videatur; qua quisq; via facile possit ad maximam virtutem traduci, &c. *Suarez. tom. 4. disp. 32. sect. 1. Angles. in flor. Theol. q. de confessione. Val. tom. 4. disput. 7. quaest. 10. puncto. 3. Coninch. de minist. poenit. d. 8. num. 124. Molfes. tract. 7. cap. 22. num. 36.*

Alij vero Confessarij animarũ cura carẽtes tempore tantum necessitatis extremae, vt in mortis articulo, & vt aliqui volunt, tẽpore Iubilei cum in Confessarios pro illo tempore eligantur saltem ex praescripto charitatis ad id muneris obeundum astringuntur, vt est etiam à nobis animaduersum in *Comment. de hum. vita stat. p. 1. c. 16.* Addo existimandũ nõ esse Confessariorum munus in eo tantum consistere, vt confessiones, tàm sanorum, quàm aegrotorum, pauperum, & aliqua calamitate oppressorum excipiant, sed etiam par esse in aliquibus misericordiae operibus eisdem fauere, quibus valde disponuntur vt spiritualium bonorum magis participes fiãt; sic enim eis licet & ex charitatis lege expedit, in eorum vexationibus, litibus, & negotijs, ac alijs rebus, quas iure praetendunt, apud Iudices, & potentes intercedere, modo cum debita moderatione, & in bonum animarum eorum fiat. *Ind. de Ponte, tract. 5. cap. 13. de perfect. christiana. tom. 4.*

QVAESTIO CVI.

NVM CONFESSARIO INTEGRVM SIT munera accipere, & an poenitens aliquid dare teneatur.

POtest ne Confessarius salua religione, & integra bonitate, à poenitente munera accipere, & nũ ipse confitens tenetur ei aliquid dare? R. Quamuis Confessarij mens in munere suo obeundo rectà ferri ad Deum debeat, vt nihil nisi diuinã gloriam, & proximorum salutem spectet, non suum commodum, & emolumentum respiciat (Gratis accepistis, gratis date. *Matth. cap. 10.*) non voluptatẽ, quam ex confitẽtium nobilitate, potestate, diuitijs, & numero, &c. ne quae tanti sacramenti fiat profanatio: Fuscinulam enim in manu tenere non debet Sacerdos *1. Reg. 2.* quam profectò tenet, qui non animarum, sed terrenarum rerum desiderio flagrat: siquidem tridenti fuscinula triplex cupiditas significatur, auri. s. honoris, & voluptatis. Dubitandum tamen non est, Confessarium posse sibi ex liberalitate, & sponte datum accipere; quamuis enim (vt dictum est) sacerdos spirituale illud audiendi cõfessiones munus ea mẽte exercere non debeat, vt aliquid temporale à pęnitẽte recipiat; gratis nihilominus oblatũ sumere sibi integrum est, quoniã multa honestè accipiuntur, quae inhonestè petuntur: & prohibitus petere, potest sponte oblatum eleemosynae causa recipere; Et valde inhumanũ est à nemine accipere, sed passim vilissimum, & omnia auarissimum. *l. solet ff. de officio. Proconf. c. Iudices. 1. quaest. 1. Hostiensis in summa. tit. de immunit. eccles. §. à quibus. arg. Graffius. conf. 1. & 3. de reg. tom. 2. Riccius in Praxi. resol resol. 25.* Quod & ea ratione fulcitur; nam Primo, id offertur, vel vt poenitens sacramentũ veneretur, vel quò ob acceptũ beneficium gratus appareat. Hinc *Seneca l. de benef.* Vir bonus omnia rectè facit, si omnia rectè facit, ingratus esse non potest. Vel quò ipse sacerdos ad preces pro pęnitente ad Deum fundendas excitetur. Imò confessionem huius libentius

audiẽs sacerdos, quod ab illo eleemosynam, vel grati animi pignus expectat, haud peccat, cum naturalis legis ductum sequatur, qua beneficia lubentiori animo apud gratos collocamus. Secũdo, quia alias deuotio, pietas, ac fidelium meritum impediretur, est enim illud eleemosynæ opus meritorium, & ex charitate procedit, & satisfactoriũ, prout tanquam opus pœnale assumitur. Tertio, in praxi compertum est, pœnitentes mistoties potius offendi, quàm ædificari, cogitantes Cõfessarium maius præmium, vel mercedem expetere. Nisi tamen Superioris, vel Episcopi præceptum obster: cui parendum est; Quamquam Episcopi non adeo rem hanc restringere debẽãt, præsertim quò ad regulares, quib. an in hac re Epi & locorum Ordinarij præcipere possint, iure ab aliquib. doctis viris ambigitur. Sẽper nihilominus à Confessarijs cauendum est, ne munera (præter pecuniã) esculenta vel poculenta in ipso actu vel loco confessionis accipiantur, cum hoc deprauati sit moris; & ne hæc eulogia, vel dona, quæ demulcere solent, eius animum à recto, & æquo deducant, & eius integritatem labefactẽt. Vnde cum appareat eò tendere, eòque inclinare, quò non decet, cõstantissime repudianda sunt, etiam si auri montes offerrentur. *Vgol. de simonia. tab. 1. capit 9. §. 2. num. 4. & cap. 40. num. 4. Zerula in praxi pœnit. c. 25. num. 19. Zanardus. in Direct. theol. de pœnitentia. c. 28. in fine. Graffius. de cas. reser. libr. 2. capit. 11. num. 20. Plat. de dignit. Card. capit. 11.*

Quò ad secundam quæstionem dico, pœnitentem nullo iure cogi Cõfessario aliquid tribuere, siue pecuniam, siue quid aliud, quod pecunia æstimari valeat: congruum tamen esset, si sacerdoti præsertim pauperi pietatis studio aliquid daret: Apostolicis enim viris, & Euangelizatoribus Christi in necessarijs vsibus nolle tribuere, sterilitatis se ipsum esse conuincere. *cap. Apostolicis. 16. quæst. 1. Host. in cap. licet. extr. de pœnis, & in cap. irrefragabili. ext. de officio ordin.* Sic leprosus ille à lepra, & morbo liberatus, iuxta ritum in lege veteri præscriptum, iubetur duos passeres viuos offerre, quam oblationem Christus *Matth. cap. 8.* munus vocat idest donũ pro gratiarum actione, ob munditiem, & valetudinem acceptam, spõte & liberali animo oblatum. Nam & Iudex peracto Iudicio, & lata sententia, potest licite, & tuta consciẽtia sponte, & liberaliter datum accipere; cum hæc dona seu munuscula dicantur eulogia, ab eu, quod est bonum, & logos quod est sermo, quia cum bono sermone recipiuntur, nuntius benedicendo salutatur, & mittenti vberes gratiæ referuntur. *vt ait Archidiaconus, & Turrecrem. in c. de eulogys. d. 18.* Et hæc vt dicit Leo III. ad Episcopos Britanniæ, sicut non sunt turpiter quærenda, ita vltro oblata non sunt respuenda. Qua etiam ratione dicendũ videtur, non esse ei illicitum, circumscripta Episcopi prohibitione pecuniam pro missis celebrandis in pœnitentiam à se iniunctam posse sibi retinere, si absit scandalum, & à sponte dante peracto confessionis negotio bona fide à pœnitente offeratur. Atque has positiones tenent. *Graffius. cons. 2. de pœnis. lib. 2. de cas. reser. cap. 11. & lib. 1. Decis. aur. cap. 3 t. n. 29. Barth. ab Ang. dial. 5. de missa. §. 20. & 523. Vgol. de simonia. tab. 1. cap. 40. §. 5. & aly. & dixi in Comment. de stat. p. 1. capit. 16.*

Proinde si pœnitentes deuotionis, vel gratitudinis gratia, spõte aliquid largiti fuerint, Cõfessarius illa statim Deo accepta referat, tanquam noua beneficia, quibus ad eum magis, ac promptius colendum impelli, & ei inseruiendũ vrgeri debeat. Si verò eos quodammodo ingratos experiatur, sublata in Deum mente cogitet, quanta patientia animi nostri ingrati duritiem perferat; mercedemque à Deo ipso maiorem expectet, sufficere enim debet iustis ab eo videri, à quo expectant remunerari, simulque est eis timendum, ne consequẽtis vitæ gloriam præsentis honor imminuat, & ne personarum acceptionem habendo, iniustitiæ labem contrahãt, & à diuina gratia miserabiliter excidant: est enim acceptio personarum iniustitia, qua quis ob indebitam causam, alteri prefertur, & ni materię paruitas, vel indeliberatio excuset, mortiferam culpam secum trahit, & Deo maxime displicet, vt dixi supra hoc capite *quæst. 100.* Quippe peccaminose personas, ac munera respiciunt, qui pauperem fastidiunt, qui abiectos in iudicio negligunt; quod nihil commodi, aut lucri ad se redire conspiciunt. At vt ait sapiẽs. *Prou. cap. 22.* Diues & pauper obuiauerunt sibi, vtriusque operator est Dominus. Carolus V. dicebat, sicut sol tam egenis, quàm diuitibus æquali modo, ac mensura se dispẽsat, sic Principum, ac Iudicum est, subditorum causas examinare, & æquali iustitiæ temperatione iudicare. *Tympius in spec. Magistrat. signo 554.* Mali Confessarij, & Concionatores diuiti epuloni comparantur, ille enim apud Inferos torquetur, quod cum diues esset, & opulẽtus, & quotidie parasitos aletet, pauperes tamen à mensa excluderet sua, quod magnates ad mensam adhiberet, Lazaro autem ne loqui quidem dignaretur; sic illi & si scientiæ omni genere abundent, solis tamen diuitibus, nobilibus, ac optimatibus se vendunt, & offerunt, pauperibus, ac plebeis ab illorum mensa exclusis. *Besseus Dom. 2. Aduentus. D. Basil. in constit. monast. cap. 24. Vasq. de benef. cap. 2. dubit. 5. §. 3 & Ala. de Aduoc. christiano. p. 2. exerc. 5.*

Verũ meminerint, quod D. Bartholomęus Polymio Indiarũ Regi Camelos auro, argẽtoq; onustos sibi offerenti, quod eius filiam ab immundo spiritu oppressam liberasset. Nequaquã, dicebat, his mihi opus est, neque. n. ad te veni munera accepturus, sed vt cũctis in Christũ credẽtibus viã salutis pandam.

Quem

Quem pari cōstantia, & animi integritate imitatus est S. Leonardus, cum oblatā à Regina Galliæ mercedem, quod eam precibus ob partus difficultatem, à mortis faucibus vindicasset, & renuit, & ei enixè offerenti respondit, Haud ijs egeo, nam nihil defuturum est ei, qui omnium opifici libēter seruit, cum ipsa veritas dicat, Quærite primū regnum Dei, &c. *Beyer. in apoph. christ. in verbo. merces. verbo. & munus, Daur. tom. 2. capit. 3. titu.* 116.

DE ARTICVLIS SVPER SIGILLO SEV taciturnitate Confessarij. Cap. XIX.

QVAESTIO CVII.

CVR CONFESSARIVS IN CONFESSIONE audita silentio comprimere debeat, &c.

CVr Confessarius secreto sigilli ea tegere debet quæ in sacramentali iudicio excepit? R. Pro euidētiori, & vberiori huius rei notitia, & quæstionis elucidatione supponendum est, sicut sigillū rem obsignatam occultā tenet: sic obligationē aliquod secretum tegendi impedire ne ipsum prodatur; & per metaphoram huiusmodi debitū, vel obligationem sigillum dici; & in duas diuidi species, nempe in sigillum cōfessionis, & in sigillum secreti. De primo ergo aliqua perpendemus, postea de secundo. Post ergo sacramentalem cōfessionem sibi factam hoc onus. s. sacerrimū secretum circa res sui tribunalis seruandi apud confessarium manet. Quod dubiū non est à triplici iure manare,

Primo, à lege naturali, quæ dictat non esse alteri faciēdum, quod tibi factum nolis, nemo autem vellet secretum pādi quod alteri commisit. §. 1. *dist.* 1. Natura quoque ipsa docet, vt secreta proximi peccata contegantur, cum peccata tenebræ, virtutis vero opera lux dicantur. *Apost. ad Romanos. c.* 13. Hinc Agesilaus Rex à suis subditis sæpius spectari gaudebat, degenti turpiter tenebras conuenire existimans, sed honestæ vitæ plus ornamenti lucē afferre. Vnde & Seneca. *epist.* 97. Bona conscientia, inquir, prodire vult, ipsas nequitia tenebras timet, & *Horat. lib.* 1. *epist.* 16.

Noctem peccatis, & fraudibus obijce nubem.

Accedit, quod nisi id obseruetur, amicitia, societas, & commercium inter homines periret. Quippe Arcana, & secreta nostra intimorum amicorū rimosa nō bene deponūtur in aure, vt eiusdē Horatij verbis vtar. Quid dulcius inquit *Cicero lib. de amicitia*, quā habere quo cum omnia audeas sic loqui, vt tecum? Inter amicos siquidē oportet omnium rerum, consiliorum, voluntatum, sine vlla exceptione vt sit cōitas. Idcirco suis Apostolis Chrs dicebat: *Io. cap.* 15. Iam non dicam vos seruos, quia seruus nescit, quid faciat dominus eius, vos autem dixi amicos, quia oīa quæcunque audiui à patre meo, nota feci vobis.

Secundo, à Iure diuino hæc obligatio descendit, etenim Dominus noster confessionem peccatorum omnium etiam occultorum instituendo, tacite saltem, & per quandam consecutionem ea instituisse censetur, sine quibus ipsa confessio non nisi incommode fieri potest, inter quæ certum est ponendum esse secretum, quandoquidem nisi summe secreta seruaretur, certe omnibus grauis, & exosa redderetur, cuius difficultatem minui obligatione secretum tegendi, suauitas iugi, & oneris Domini leuitas expolcit. Hæ namque quinque conditiones in confessario requiruntur, siquidem sine potestate peccata demittere nequit, sine scientia nescit quid agat, sine prudentia & bonitate pœnitentibus prodesse non potest, & denique absque sigillo sacramentum hoc omnibus exosum, & onerosum foret. Rursus si non teneamur peccata nostra alicui homini nisi sacramentaliter cōfiteri, nulla fuit causa quascunq; alias confessiones eo sigillo muniendi, sed sat erat illas iuri naturæ relinquere, quod audientem ad secretum seruandum obligat. Hinc enim idem Dominus noster cuius actio est nostra instructio, noluit Iudæ proditoris delictum pandere, nobis insinuans, secreta hominum crimina non esse manifestanda. *cap.* 2. *ext. de officio. ordin. cap. si peccauerit.* 2. *quæst.* 1. Ideò admonet & Sapiens *Prouerb. cap.* 11. Qui ambulat fraudulenter, reuelat arcana, qui autem fidelis est, retuat amici commissum. Quò fit vt confessarius de his, quæ in confessione nouit interrogatus iure merito se de his nihil scire iurare possit, cum ea nota habeat vt Deus non vt homo. Vnde *Carocius in tract. de reuelat. confess. quæst.* 6. dubitat, quam fidem in externo foro faciat sacerdos, qui de licentia pœnitentis aliquid in confessione auditum in iudicio reuelauerit: sæpe enim in praxi occurrit, vt mortirei addicti propria delicta confiteantur, postea Confessor pro condemnati salute Iudici innocentiam suam aperit, vtrique nullam fidem facit, quia ipse sacerdos illud vt Dei minister sciuit, sicut etiam resoluit. *Riccius in Decis. Cur. Neapol p.* 1. *Decis.* 172. *vt dixi etiam infra quæst.* 110.

Tertio, à iuris humani fonte onus hoc oritur, passim namque Cæsareæ, ac Pontificiæ leges enuntiāt, nihil esse tàm naturale, quàm fidem seruare. *l.* 1. *ff. de pactis. l.* 1. *ff. de constit. peccun. cap.* 2. *extr. de pactis. & cap. de forma.* 22. *quæst.* 5. Vbi inter sex fidelitatis officia, quæ vasallus Domino suo iurare debet, secundum est, de arcanis cōmissis silentio comprimendis. Qua ratione *Baldus. in l. vlt. C. de suis, & leg.* inter cæteras rationes, quas adducit, cur fœminæ in feudis succedere nequeant, hanc etiam addit, quod mulier plena sit rimarum, & secreta retinere nesciat; quod omnino à natura feudi discrepat.

Hinc scite Cato ob tria se pœnituisse dicebat. Primo, cum aliquod arcanum fœminæ credidisset. Secundo, si per aquam iter egisset, cum per terram ire potuisset. Tertio, si aliquem diem per incuriã sine studio transegisset. *Iason.in lib.1.ff.si quis.caut. Tiraq. leg.12.connub.num.15.* Et tàm arcte & sub tàm graui pœna confessionis sigilli violatio præcipitur. *in c. sacerdos.de pœnit.dist.6.& in cap.omnis.extr. de pœnit.& remiss.* (quæ est depositio ab officio, & perpetua in aliquod monasterium reclusio) vt satis subinde indicetur, eius effractorẽ grauissimi criminis nẽpe sacrilegij reum constitui, vt infra dicemus, & inter alios tradit. *Menoch. de arbit.Iud.casu.414.& Onuph.de sacrosigillo.sect.5.q.2. Farinac.de Indit.& Tort.q.51.n.107. Masc.vol.3. de probat.concl.1286.*

QVAESTIO CVIII.

AN CONFESSARIVS SIGILLVM reserans. m. p.

PEccat ne semper mortaliter sacerdos, qui hoc confessionis secretum violat, & præscriptas pœnas subire ipso iure tenetur? R. Semper sacrilegium perpetrat sacerdos, cum ius naturale, diuinum, & positiuum transgrediatur in maximum christianæ religionis, & totius ecclesiæ detrimẽtum vergens, ita vt hæc circunstantia necessario in confessione exprimenda sit. Addunt cõmuniter scribentes, peccatum violationis sigilli esse mortale, non solum si consulto, & scienter lethalis noxa detegatur, verum etiam si culpa venialis cum sufficienti deliberatione in specie manifestetur, etiam si audientes non intelligãt, illud peccatum veniale in confessione auditũ fuisse; quandoquidem per manifestationem peccati ẽt venialis in confessione excepti sigillum violatur, & grauis iniuria sacramento infertur; ita vt in hoc negotio illud vulgatum axioma locum non habeat, Paruitas materiæ à mortali excusat, &c. Veruntamen inaduertentia, & primus motus, vel subreptio in hoc excusare potest sicut in alijs materijs etiam grauissimis euenire solet. *Sot.in 4.d.18.quæst.4.art. 5.& in relect.de secreto.quæst.4.membro.2. Suar.d. 33.sect.1.num.12. Reginald.libr.3.num.4. Henriq. lib.3.cap.19.num.3. Bonac.d.5.quæst.6.sect.5.p.1. num.5. Onuph.sect.5.quæst.1. Molfes.tract.7.cap.23. num.56.* Quanquam quia de necessitate, & substantia sacramẽti non est vt confessio celetur, sacramentalis sigilli violatio non ponitur in eorum numero, quæ confessionẽ inualidam reddunt. Quidquid autem sit, in vniuersum plurimum refert, vt Confessarius cautissimus sit, & valde silentij tenax in omnibus quæ ad ipsius officium spectant, strenue mortificans appetitum, & propensionem ad aliqua efferenda, quæ illi directe, vel indirecte contigerunt. Hæc enim vt plurimũ ab animo inaniter gloriandi, aut se iactãdi, cupido, aut ex leui, & prona ad garriendum, & inania solatia quærenda mente proueniunt. *Barthol. Medinal.2.Instruct.confess.cap.4. Io.Bapt. Corrad in resp.cas.consc. quæst.332.* Sicut olim vas quod non habebat operculum immundum cẽsebatur, & ineptum ad Sanctuarij vsum, ita sacerdos qui linguam suam compescere non nouit, cõfessarij muneri ineptus est. Maxime vero in cõuiuijs, in quibus maxime lubrico libertatis peccari solet, se continere debet, memor præcepti Biantis, Audi multa, pauca loquere. Ideo & Chilõ Lacedæmonius cũ alijs semper, tùm in comessationibus ori signum injiciendum præcipiebat, quod illic cib. & potus ad intemperantiã inuitet, nam onerati mero sicut non continent cibum vino redũdante, ita ne secretũ quidem, quod suum, alienumq; est, pariter effundunt. *ait Seneca Epist.84.* Hinc *Conc.Colon.3.cap.33.& seq.*

Primum, inquit, magnopere necessariũ iudicamus, vt sacerdos qui à confessionibus est, sit integer, eruditus, ac silentij tenax; alioqui si ad quæstum intentus sit, si ad malum solicitet, si curiosior explorator sit, si pertinacibus blandiatur, si conscientiam intricatam extricare nesciat, si denique vel ebriosus, iracundus, vel leuis, vel secreti minime tenax, dissipandis magis, quàm pascendis ouibus videtur idoneus. Inter reliqua immunda animalia in *Leuit.c. 11.* Mustella, mus, & Crocodilus recensentur, Mustella, vt alia omittamus, vt Scriptorum testimonio constat, per aurem cõcipere solet, & ore parere. Mysterium docet, sacerdotes, & religiosos, qui ore detegunt, quæ auribus exceperunt, mustellam esse, & immundos apud Deũ censeri, secreta vero reuelare diuinæ reprobationis esse signum.

Ægyptij quoque inani superstitione Crocodilũ lingua carentem vt silentij symbolum adorabãt, ac colebant, vt innuerent, sacerdotes taciturnos, secreta non reuelantes veneratione dignos esse, ac diuinum prope honorem promereri. *Besseus. de sacerd. lib.2.cap.22. Hector. Pintus.in 2.par. Dialog.cap.14.* Vnde ex cõmuni praxi etiam in foro externo si Cõfessarius ex lubrico linguæ, vel naturali inaduertentia, vel ex ignorantia, hoc sigillum violauerit, huius rei cognitio ad ecclesiasticum Iudicem spectat, qui coram ex dicta reuelatione offensis hominibus, vel alijs, ipsum sacerdotem vocat, increpat, ac debitam ab eo ob excessum pœnam exigit, vt in posterum in locutione sit magis cautus, & fidelis, & populo sit in ædificationem, & salutem, non autem in ruinam, & scandalum. *Oldrad.cons.183. Molf.tr.7.c.23.n.69.*

Ad secundam quæstionem dico, quod licet sacerdos sigilli confessionis infractor ipso iure in eã pœnam incidat, illam tamen subire non tenetur, quousque iuridice fuerit condemnatus, cum nemo se prodere cogatur, nec arma sint sumenda de domo sua;

alioqui

alioqui vt est in adagijs Bis interimitur qui suo gladio perit. *cap.1.de Probat. Menoch. de arbit. Iud. casu. 499.* Et ex communi doctrina de lege pœnali satis constat, & inter alios tradit. *Coninch. d. 9. nume. 70. Onuph. sect. 5. quæst. 2.* vt supra et animaduertimus.

Falsum est autem quod ait *Maiolus. libr. 5. de irregularitate. capit. 19. num. 6.* Sacerdotem qui ex reuelatione per sententiam Iudicis illas pœnas subit irregularitatem etiam contrahere cum hoc nullo iure sit expressum, &c.

QVAESTIO CIX.

AN DE POENITENTIS LICENTIA possit sigillum reserari.

DAtur ne casus in quo sacerdos audita in sacramentali iudicio reuelare possit? R. Hoc sigillum adeo ad illud seuere obseruandũ confessarium obligat, vt Christus Dominus noster illud in nullo casu dispensandi facultatẽ dederit. Solus pœnitẽs ex causa pôt ex parte illud recludere potestatẽ cõfessario tribuens, vt peccata, quę cõfessus est manifestet; quæ tamen licentia non tacita, sed expressa esse debet, siquidem in re tanti momenti non pręsumptione de præsenti, & eo minus ratihabitione de futuro vtendum est. Qua etiam facultate nisi cum summa cautela, prudentia, & grano salis vti debet, Et si enim pęnitens possit proprio iuri cedere, propriæ vtilitatis, & commodi causa consensum omnino sponte, ac libere præbens; non tamen ei integrum est iuri ipsius sacramenti, & debitæ ei reuerentiæ renunciare. Quare si in detrimẽtum, & iniuriam huius sacri Tribunalis aliquod scandalum, aut incõmodum timeatur, quidquid in eo actum est, prorsus reticendum est. Ob quam rationem si Cõfessarius à pœnitente reo in carcere detento rogaretur, vt innocentiam, quàm ex sua confessione cognoscit, Iudici testificetur, quidquã reuelare non debet; nam & inde sumi potest occasio in confessione mẽtiendi, nec talis testificationis vsus in iudicio esse potest, in quo reo crimen suum neganti à Iudice secundum allegata, & probata iudicante, fides non præstatur. *Pegna. in schol. ad Direct. Inq. p. 3. comment. 25. Lopez. in schol. ad Diax. cap. 110.* Hinc si v.g. Petrus Ioannẽ occidit, ob quod homicidium, Antonius falso condemnatur, si nihil illi imposuit, non tenetur se prodere vt ipsum Ant. iniuste morti addictum liberet, nec in foro externo credendum est sacerdoti de Antonij innocentia testificanti, cum de vniuersali præiudicio agatur, si nẽpe delicta impunita remaneãt, vt resoluit. *Graff. conf. 3. de homicidio. diff. 4. tom. 2.*

Nihilominus Superiori, vel Pœnitentiario per schedulam testificanti se aliquem à casu reseruato, vel excommunicatione absoluisse, sicut & cuilibet sacerdoti quò ad alia peccata confessa fides pręstatur. *Mascard. de Probat. vol. 1. concl. 12.* Vbi ramẽ pro praxi duo alia annotanda sunt. Primũ Cõfessarium non posse cõfessionem reserare, nisi illis coram quibus reuelatur, de licentia à confitente data constet, cum alioqui periculum scandali, & odium cõfessionis subsit. Secundo, non sufficere talem licentiam vt supra dixi, præsumptam esse, sed requiri, vt actu data sit, quia audita in confessione ex sola præsumpta licentia pandẽs, de se illam odiosam reddit. Quamquam necessarium non videtur, vt actu expresse sit concessa, sed sufficere, vt actu tacite sit impẽsa. Hinc Cõfessario integrum est hæredibus reuelare confessionem illius, qui sibi mãdauit, vt post eius obitum illis diceret, vt illud restituerent, quod ipse alijs debebat; quia huiusmodi licentia omnem rationem scandali, & odij confessionis tollit; siquidem illud mandatum dans, tacite saltem ex iusta & vtili sibi causa facultatem tribuit detegendi fraudẽ, propter quam obnoxius restitutioni fuit, in cuius notitiam vel suspicionẽ ex eiusdem mandati executione deuenire possent. *Nau. in cap. sacerdos. numer. 116. de pænit. dist. 6. Lapus alleg. 95. Tusch. verbo confessio. concl. 1186. Roder. p. 1. cap. 59. num. 17. Graffius lib. 1. decis. aur. cap. 23. num. 14. Reginald. lib. 3. num. 59 Suarez. tom. 4. disp. 33. sect. 5. Onuph. de sacro sigillo. sect. 2. q. 5. Bonac. d. 5. q. 6. sect. 5. p. 4. n. 12.*

QVAESTIO CX.

QVID AGENDVM SACERDOTI, CVI obijcitur quod sigillum violauerit, &c.

QVid agendum sacerdoti cui objicitur, quod confessionem auditam sacrilige aperuerit? R. Quidquid aliqui dixerint, ab ecclesiastico Iudice standum esse ipsius sacerdotis iuramento, maxime si sit probus, ac bonæ famæ; cum de nullo maxime de sacerdote malum sine probatione præsumendum sit; atque reuerentia sacramenti, ne scilicet temere sigillum illius fractum credatur, exigat, vt in dubio in fauorem Confessarij declinetur, nisi id qđ obiectum est, sit dictum, vel factum, qđ in pęnitẽtis, vel alterius graue detrimentũ vergat. Nũquam tamen dictum sacerdotis confessionem quoquo modo reuelãtis indicium, aut probationem in iudicio facit, ita vt vi illius ad torturã, seu ad alios iudiciales actus Iudices contra reum procedere valeant; siquidem talis confessio tanquam Deo, non vt homini facta fuit. Sicut etiam Doctores asserũt, ex schedula peccatorum penes aliquẽ delinquentem reperta, contra ipsam ad pœnam infligendam indicium desumi non posse, ita vt tãquam in diuerso iudicio emanata in foro exteriori nil probet, &c. *Farinac. Decis. 19. Riccius in Decis. Cur. Archiep. Neap.*

*Neap. Decis.*172. *Bonac.d.*5.*quaest.*6.*sect.*5.*p.*3.*n.*8. vt etiam aduerti supra quaest.107. *Mascar.vol.*1.*de probat. concl.*377. *Menoch.libr.*6. *de praesumpt. praesumpt.*95. & *de arbit. Iud.casu.*414. *Graffius.libr.*1. *decis.aur.cap.*23.*num.*16.& 44. *Viual.in cand.aur. de sigillo.num.*39. *Reginald.l.c.numer.*68. *Lazar.de monit.sect.*2.*quaest.*17.*num.*3. *Mart. Delrius.libr.*4. *disq.mag.cap.*1.*sect.*2. *Henriq.lib.*3.*cap.*19.*num.*10. *Suarez.loco citato in fine.*

CAP. XX.

QVAESTIO CXI.

QVAENAM SVB SIGILLVM CADANT.

QVænam sunt, quæ proprie sub sigillũ cadunt? R. Ea omnia sub sacramentale sigillum cadunt, quorum detectione sacramentalis confessio fidelibus odiosa redderetur; sacramentalem vero eam solam vocamus, quam pœnitens facit ei, quem bona fide sacerdotem esse credit in ordine ad absolutionẽ percipiendam, etiam si postea eam non recipiat, eo quod sit indispositus, nec vere pœniteat, aut qđ sacerdos eum absoluere nequeat, aut ob alias causas. *Sot.de secret.memb.*3.*q.*4.*Suar. d.*33.*sect.*2. *Nau.cap.*18.*n.*55.*Simancas.in Cathol. Instit.tit.*42.*nu.*15. *Beia.p.*2.*respons.casu.*2.*incip. Martha.* Quò sit eum quis defectu sacerdotis sciens Laico confitetur, etiam si dicat ea quæ ei aperit sub sigillo enuntiare, & alter promittat se ita accipere per talem confessionem vt pote non sacramẽtalem sigilli obligationem non induci, sed naturalis tantum secreti onus inde exsurgere. Idẽ dicendũ de ea, quã quis facit sacerdoti, sine vllo tamen animo obtinendi absolutionem, aut subijciẽdi se clauibus ecclesiæ, sed solum consilij petendi causa. Potiori ratione idem asserendum est de ea, quam quis ea sola intentione instituit, vt alium ad scelus aliquod perpetrandum trahat; proinde Confessarius ita crimen auditũ aperire teneretur, quando hoc ad graue malum innocentis, & præsertim reipublicæ auertendũ necessarium foret, ẽt si secretum iurasset, qñquidem ius iurandum criminis fouens irritum est, vt omnes fatentur. Hinc Tertio sequitur, eum qui peccata in confessione sacramentali audita, etiam alia via cognouit, posse eodem modo reuelare, ac si ea in confessione nota non haberet, sicut etiam à fractione sigilli excusatur, si extra confessionem pœnitens illud adhuc ei detexerit. Cauendum tamen omni modo est scãdalum, & ne vlla ratione aliquid amplius, aut certius affirmet, quàm extra confessionis sacramentum hauserit, nam sic sigillum frangeret, vt est communis DD. sententia de qua *Coninch. de sigillo. Confess.disp.*9.*dub.*1.*Reginald.libr.*3.*cap.*5.*num.*63.*Io. Medina.C.de confessione.quaest.*49. *Henriq.cap.*20. & *alij. Sot.in* 4.*dist.*18.*art.*5.*quaest.*4.& *Graff.lib.*1. *Decis.aur.c.*23.*num.*30. Vbi etiam aduertunt, male agere Superiores illos, qui zelum habentes non secundum scientiam, aliquando extra confessionẽ scire quærunt, quæ subditi in animæ, & sacramenti iudicio dixerunt.

Secundo dico sigillum non solum peccata mortalia, & venialia, sed etiam eorum circunstantias comprehendere differenter tamen, mortalia enim nec in genere, nec in specie vel indiuiduo manifestanda sunt, siquidem sacerdos dicere nequit, ille mihi confessus est mortalia; venialia vero in specie aperiri non possunt, at in genere ea prodere sigillo non aduersatur, quandoquidem qui confitetur clare ostendit, se uenialibus culpis aspergi, alioqui confessio nõ esset. Item ea omnia, quę pœnitentẽ rationabiliter tegi uelle credendum est, ut defectus, qui ad eius famam pertinent, ut si diceretur quod deficiat in natalibus, aut ex infami familia progenitus sit, scrupulosus, timidus, pusillanimis, præceps, illiberalis, quod tentationes patiatur, Zelotopia laboret, &c. ita cõiter Scribentes. Et ratio aperta id probat, quia ex reuelatione illius rei, quæ per se, vel per accidens directe, vel indirecte verecundiam, vel cõfusionem, vel aliquod damnum pœnitenti afferre posset, confessio grauis, & odiosa redderetur, &c.

Qua ratione inferunt etiam DD. quod licet Prędicator, & publicus Prælector, & etiã Parochus, ex confessionibus instructus, possit in generali grauia carpere peccata, cauere tamen debet, ne pusilli, & suspicionibus obnoxij (quales sunt rustici, & fœminæ) inde offensionem, & scandalum sumant qui eisdem confessi fuerant. Ob quod decet vt vbi communiter quis prædicat, cõfessiones non audiat. Nec è re est, vt monialibus sacras conciones Cõfessarius habeat, nisi sit summa eorũ inopia, qui Dei verbum illis enuntient. *Henriq.lib.*3.*de pœnit.cap.*23.*num.*3 *Barch.in Instruct.pro confess. monial.pag.*40.

QVAESTIO CXII.

AN SACERDOS AVDITA IN CONFESSIONE detegere possit, si persona non per hoc prodatur.

AN Confessarius salua sigilli religione possit peccata in cõfessione detecta detegere, dummodo persona nullo modo prodatur? R. Licitũ esse peccata in confessione cognita manifestare, directe, vel indirecte personam non prodẽdo, nec vllo subsequente scandalo; vt si Confessarius casum quem in confessione excepit, alicui docto viro, vt Pœnitentiario, qui ad hoc etiam institui solet, cõmunicet ad finem sciendi, an sit casus reseruatus vel non, an sit peccatum mortale, an annexam habeat censuram,

vel

vel restituendi obligationem, aut sciendi, quæ nam pro illo pœnitentia iniungenda sit, &c. Quod à perte probatur ex *cap. officij. ext. de pœn. & remiss.* Quoniam ex veteri enuntiato. Qui se sibi magistrum con stituit, stultum se discipulum subdit.

Non vadit peritum, qui vult audire peritum.

Gloss. in ext. super Cathedram tit. de sepult. Et verum est quod dici solet, Qui bonũ cõsilium respuit, eum sibi perniciem accersere, ac proinde si ex malo consilio pęnitentem ad debitam restitutionẽ non obligauit, præter culpam ipse Confessarius restituendi obligationem subit. *Cominch. d. 8. dub. 17. nu. 144 Bonac. de restit. d. 1. quæst. 1 1. p. 8. num. 22.* Et cum nulla res tam inimica sit cõsilij quàm celeritas, cogitatus non sunt præcipitandi, neque statim ad primos animi impetus quippiam agendum, qd' in magnas sæpe ruinas, & ingentia pericula nos conijcere solet: fugiẽdumque est iuxta Ciceronis pręceptum, ne sine ingenti causa, quo nil stultius, nos temere discriminibus objiciamus. Et quidem necessarium esse consilium homini cui administratio aliqua commissa est, ex eo perspicuum est, quod nullus quamuis doctissimus, & maxime expertus inuentus aliquando est, qui ad omnia præstanda, quæ prudẽtia præcipit, se parem afferre posse vim ingenij, atque industriam affirmarit. Imò quòquisque sapientior, eo magis indiguit. Augustum Cæsarem cum quippiam fecisset cuius deinde pœniteret, exclamasse ferunt, Horũ mihi nihil accidisset, si aut Agrippa, aut Mæcenas vixisset, istorũ enim cõsilijs vtebatur. Qđ si desint homines, qui nobis consilia præbeant, non desunt libri, quos, quatenus ex captu licet, euoluamus, à quibus quæ cupimus, sine metu & sine gratia hauriamus. *Rossignol. de discip. christ. perf. l. 3. c. 22.*

Propterea Confessario expedit multos apud se libros habere, qui de christiani officij ratione & morali Theologia tractent, & quorũ lectio numquam ab eo deseratur; experiẽtia enim docuit, casuũ conscientiæ peritos sed studium intermittentes, in multos postea errores impegisse: nam vt ait *Oldrad. conf.* 84. Multos libros habere interest, & qui vult scire multa, multum legere debet. Hinc Ludouicus X I. Galliæ Rex audiens indoctum quendam instructissima bibliotheca munitũ esse, dicebat, eum similem esse gibboso, qui molem in dorso portãs, eam numquam aspiceret. Alius item sapiens eos qui diuite librorum gaudent suppellectile, atque illorum magis spectaculo, quàm studio fruuntur, pueris comparabat, quibus totas noctes lampades ardent, sed parũ aduigilant.

Addunt porro Doctores, si confitens nollet Confessarium tale Consilium capere, eum non posse vlterius procedere, sed illũ sine absolutione dimittere debere. Item maxime cautum esse oportere in petendis consilijs super peccata audita in confessione, & in apetiendis in propria confessione culpis, quas ipse met audiendo, vel absoluendo pœnitentes admiserit, ne incautus peccatorem de aliquo peccato sibi confesso detegat. *Syl. in verbo Confessor. 3. q. 5. Sot. in 4. dist. 18. quæst. 4. art. 6. Nau. in Man. capit. 8. num. 91. & in cap. sacerdos. numer. 83. de pœnit. dist. 6. Philiarcus. de officio sacerd. p. 1. lib. 2. c. 30. Graffius. lib. 1. cap. 23. num. 20. & alij Doctores communiter.*

QVAESTIO CXIII.

AN CONFESSARIVS HAERETICVM, VEL patriæ proditorem reuelare possit, &c.

FRangit ne sigillum Confessarius, qui prodit illum, qui confessus est se cum alijs de prodenda Ciuitate, vel eam hæresis lue inficienda tractasse, si non possit eum ab ea mẽte deducere, & quomodo in tali casu se gerere debet? R. Non licere absque sigilli violatione crimina illa detegere, quia nullũ bonum procurare, aut malum auertere per media illicita fas est, cum non sint facienda mala, vt eueniant bona; reuelatio autem confessionis sicut mendacium, & fornicatio est intrinsece mala; & certum sit, confessionis sigillum in omni crimine læsæ Maestatis humanæ, & diuinæ, vt hæresis, æqualem vim habere, vt proinde falsus sit versiculus ille;

Hæresis est crimen, quod nec confessio celat.

Nau. in d. cap. sacerdos. num. 116. Delrius. l. c. Simancas. tit. 42. num. 15. Farinac. de haresi. quæst. 197. §. 2. n. 46. Gutier. in can. qq. l. 1. cap. 11. Item dico confessionem, quæ fit causa accusandi se & subijciendi clauibus ecclesiæ sub sigillo claudi, siue sit præsens peccatum, siue futurum, siue qui confitetur, iure pęniteat, siue non; nam S. Mater Ecclesia præcipit, ut & ille qui incontritus, & indispositus accedit, in confessione audiatur & salubribus monitis adiuuetur, quod argumentum est illam uelle ut sub sigillo tegatur. Quò fit, ut quandó aliqui v. g. scholastici, & studiosi, uel famuli alicuius Principis tenẽtur suæ confessionis testimonium afferre, Confessarius debeat hoc etiã his dare, quos propter indispositionẽ, aut similem causam non absoluit, ne schedulam negando, hoc aliquo modo prodat, nec propterea illã dando mentitur, quia tantum eos esse confessos testatur, quod verum est. Admonent tamen probabilius plerique, si pœnitens hæresi, vel alio vitio contaminatus, qui sine absolutione tanquam non contritus, & nõ dispositus dimissus fuit, schedulam administrati sacramenti pœnitentiæ impudenter exigat, esse illi denegãdam, siquidem illi succurrendum non est, qui se in necessitatem sponte coniecit; ideo namque absolutionis beneficium non recepit, quia ad illud debite se disponere non vult, &c. *Henriq. l. 3. de pœnit. cap. 22. num. 4. Nald. inv scriptura. num 11.*

num.11. Bonac.disp.5.quaest.6.sect.5.p.4.num.7.contra Medinam lib.2. Instruct.confess.cap.4.& alios.

Vnde in his casib. prudẽtis Cõfessarij erit generalib. verbis Magistratũ, Principẽ, vel Christianæ fidei Cẽsorẽ admonere, vt ciuitati prospiciat, super gregem inuigilet, eo quod graue periculum immineat. Idemque dicendum de Monasterij Confessario, qui per confessionem scit grauia ibi delicta admitti, vt quia turpes fœminæ in illud introducantur,&c. Eademque ratione de priuata persona hoc asserendum, quã nouit periclitari, ne occidatur. Sed tamẽ quia hæc valde periculosa sunt, maxima cautione, Deo prius recommẽdata, hoc faciendum est. *Graffius.l.c.n.6.& 9. Coninch.d.9.dubit.1.num.17. Nau.in d.sacerdos.num.124.& cons.11. de pœnit.& remiss. Lazar.de monit.sect.2.quaest.17. num.22. Reginald.num.14. Delrius.lib.4.cap.1.sect.2.Sanchez. lib.3.de matrimonio.disp.16.quaest.1.& alij.*

QVAESTIO CXIV.

AN CONFESSIO POENITENTIS IAM defuncti reuelari possit.

QVid dicendum quãdo pœnitens est iam mortuus, & reuelatio cõfessionis in specie ad impediendum graue aliquod damnum necessaria est? R. Et si nonnulli Canonistæ apud *Couar. in 4. Decret.2.par.cap.8.§.12.num.9.* id predete licere affirment, id tamẽ falsum est, & ab omnibus alijs explosum, quandoquidem cum quis etiam post mortem infamia notari valeat, & homines soliciti sint, vt ẽt defuncti bene audiant, hoc cum aperta sigilli violatione fieret. Nam sacramentale sigillum vim ad sui obseruationẽ perpetuam habet, hoc est quę (vt dixi) etiam post pœnitẽtis mortem duret, qui tunc quoque honoris capax est: ea enim vt Theologi loquuntur, ex præcepto negatiuo nascitur, quod ad semper & pro semper obligat. Tanta vero est ea vis, vt neq; sponte narrando, neque ad alterius interrogationẽ respondendo, liceat in confessione audita alijs propalare, ita vt semper interrogatus etiam cum iusiurandi religione asserere possit, se nihil scire, cum nõ vt homo, sed vt Deus id norit. Et quamuis alia secreta, quæ ordinarie celãda esse natura lex præscribit, sæpe manifestari possint, ac debeãt, vt pote cum Superior iubet, vel quãdo talis secreti occultatio proximo detrimentum afferret; confessionis tamen sigillũ nulla de causa, vt supra perpendimus, nisi cum pœnitentis consensu pandendum est, ergo nec post mortẽ violari poterit, cum primo & per se in ipsius fauorem institutum sit, vt de communi sententia testatur. *Onuph.de sac.sig.sect.2.quaest.6. Reginald.numer.9. Coninch.num.20.* Addo sacerdotem in sua peccata confitentem non posse peccatum alicuius pœnitentis etiam mortui nominatim reuelare, vt confessionem suam integram faciat, puta si aliquem à casu à quo non poterat absoluisset, cũ maior vrgeat obligatio sigilli seruandi, quam integre confitendi. *Pet.de Ocha.in tract.de sacr.tr.3.de confess.q.4.*

CAP. XXI.

QVAESTIO CXV.

VTRVM ALII PRAETER CONFESSARIVM ad sigillum seruandum teneantur?

SVnt ne alij qui præter Cõfessarium, sacramentale sigillum seruare tenentur? R. Vtique multi alij hac lege astringuntur.

Primo, interpres, per quem linguæ ignarus sacerdoti confitetur, cũ quo ille in hac re vna persona reputatur; nam si ad confessionem faciẽdam se offerat aliquis, cuius idioma Confessarius intelligere nequit, si detur interpres per quẽ defectus suppleatur, illius opera, vti consultum esse recepta in ecclesia consuetudo ostendit, & si ad id non obligetur, vt argumento est, quod vna ex conditionibus confessionis sit secretã esse, nec ea omnino quò ad essentiam (ut aiunt) necessaria sit. *Conc.Trid.sess.14.cap.5.*

Secundo, is qui seu casu, seu dolose alicuius confessionem audiuit. Et qui inuenit chartam, in qua pœnitens confessurus memoriæ causa peccata sua scripsisset, &c. Itẽ ille, cui Confessarius ex pœnitentis venia audita in confessione legitime reuelauit, nam cõmuniter huiusmodi manifestatio alicui docto viro fit, vt ipsemet Confessarius circa dubia in confessione emergentia instruatur.

Tertio, Prælati, vel Superiores Iudices, & Pœnitentiatij, à quib. facultas absoluendi ab aliquo casu reseruato petitur, quando pœnitens hanc per se postulat, vt ab eo absolui valeat, aut quando ipse Confessario dixit, vt extra confessionẽ illam veniam peteret. Hæc enim omnia ad confessionem ordinantur, & cum suo onere transeunt; & pro ratione sufficit supra positum fundamentum, quod reuerentia sacramenti exigat, ab omnibus seruari secretum, sine quo vsus illius odiosus, & difficilior redditur. *Henriq.l.3.c.20.§ 1. Suarez.d.33.sect.4.& 5. Tol. lib.3.cap.16. Nau.capit.8.num.7.& seq. Vinal.num.10. Reginald.& Coninch.l.c.& alij communiter.*

QVAESTIO CXVI.

NVNQVID SIGILLVM VIOLET POENITENS, qui sibi dicta à Confessario pandit, &c.

PEccat ne contra hanc sigilli religionẽ pęnitens, qui alijs pandit pœnitẽtiam sibi iniunctã, aut moni-

monitiones, vel consilia sibi à Confessario data? R. Confitentem teneri saltem iure naturali, & sub sigillo secreti silentio sepelire, quæ Confessarius ei dixerit, quoniam sacramētale sigillum est quidem solius confessionis, quæ à solo pœnitēte fit attamen dicta à Confessario ad Dei forum spectant, ac proinde peccat, qui consilium, vel pœnitentiam, vel alia sibi à Confessario iniuncta detegit, propter quę imprudēs, ridiculus, scrupulosus, seuerus habeatur, vel aliquorum odium subeat, aut ipsemet pœnitēs reuelans iacturā suæ famæ sine vlla vtilitate faciat. Idem dicendum est de omnibus alijs, quæ Confessarius ea mente aperuit, vt inter ipsos secreta manerent. Nau. in c. sacerdos. num. 115. & alij. nisi cū pręcipiente Superiore illa proderet, cū res est, quæ vel in cōmune, vel in alicuius priuatū damnum vergit, vt si cognitum est, illum fœminas ad turpia sacrilege solicitare, quia tunc ad violatæ religionis Cēsores deferēdus esset, vt alibi sæpe admonuimus. *Henriq. cap. 22. in fine. Reginald. num. 37. Molfes. tract. 7. cap. 24. numer. 5.* Et dixi in *Comment. de hum. vita stat. part. 1. capit. 17.*

QVAESTIO CXVII.

QVANDO CONFESSARIVS POSSIT complicem interrogare, &c.

Violat ne confessionis sigillum Confessarius, qui ex Petri confessione intelligens Ioannē fuisse alicuius criminis complicem de eo Ioannē ipsum confitentem in particulari interrogat, & quomodo in praxi se geret? R. Nō violare, nam & si Superior per notitiam, quam ex sacramentali confessione hausit, pro corrigendis criminibus, ad particulariter inquirendum moueri non possit, quia hmōi ius ex delicti vel infamia, vel semiplena probatione nascitur, quod autem in sacramentali iudicio notum est, neutrius earum rationem habet, quò tamē ad internum forum ad interrogādum procedere ei integrum est, dummodo ille suspicari nequeat, Petrum idipsum crimen in confessione expressisse, (vt quando tale peccatum est, de quo Cōfessarij inquirere solent) nec vllam omnino Petri mentionem faciat. *Nau. in Man. cap. 8. num. 15. Reginald. nu. 29.* Et quò ad praxim, illud mihi constitutum videtur, absolui posse, qui confitetur, aut negat peccatū, qđ Confessarius ex alterius confessione intellaxit illū commisisse, non enim magis de isto alteri, quàm ipsi credendum, cum iuxta communem sententiam, pœnitenti pro se, & contra se fides præstanda sit, & Iudex secūdū allegata, & probata iudicare debeat. *Tusch. v. Iudex cōcl. 398.* Reputare enim debet, eū fortasse alteri esse confessum, vel primū complicem fuisse mētitum, aut ex causa excusante negare, quia sibi, vel alteri damnū timet; & quamuis nil horum æstimet absoluere debet, nā practice bene agit, vtēs vt Iudex externa tantum illius fori scientia: & quoniam post audita peccata acquisitum est absolutionis ius, &c. Expedit tamen de alterius consensu illū mendacij coarguere, sed id caute, & prudēter agendum, debitis prius diligentijs adhibitis, & pijs precibus super hoc ad Deum fusis. *Viual. in cand. aur. de sigillo. numer. 36. Sà in verbo absolutio. numer. 14. Reginald. loco citato. Henriq. lib. 3. cap. 20. num. 6.*

QVAESTIO CXVIII.

AN DE AVDITIS IN CONFESSIONE extra ipsam confessionem cum ipso pœnitente loqui liceat.

Quæritur an Confessarius dicatur sigilli effractor, ac proinde sacrilegium cōmittat, si extra actum confessionis cum pœnitente ex aliquo bono fine loquatur de peccatis in confessione auditis? R. Si nulla habita facultate ab ipso pœnitente cum ipso loquatur, ut sacri sigilli uiolator delinquere dicitur, cum per hoc maxima uerecundia suffundantur ipsi pœnitentes, atque adeo sacramētum odiosum ac molestū reddatur. Ideò post absolutionem impensam ita cum pœnitente se gerere debet, ac si numquam illius confessionem audiuisset, & quamuis de secreto naturali cum eo qui illud commisit, cum occasio postulat, loqui liceat; de hoc tamen sacramentali post auditam confessionē, cum ipso pœnitēte sermonem miscere nefas est, nisi petita prius ab eo uenia de re ad ipsius pœnitētis salutē verba faciat. Hinc Confessarius qui pœnitētem de restitutione aliqua facienda non admonuit, uel male consuluit, seu etiam ab aliquo casu reseruato à quo non poterat absoluit, poterit iterum admonere, aut cōsilium reuocare, tum in sequenti cōfessione, tùm extra eandem, postulata prius licentia de auditis in sacramentali iudicio colloquendi. *Coninch. d. 8. dubit. 17. num. 144. Bonac. de sacram. d. 5. quæst. 7. p. 4. num. 22.* Sic quidam sapiens uir meminit se hominem agnouisse, qui cum à quodā imprudenti Confessario de quodam peccato quod in foro pœnitentiali audiuerat extra cōfessionem corriperet, adeo à sacramento confessionis animum eius alienauit, ut cane prius & angue illud declinans, per multos annos in peccatis insorduerit. Hinc sequitur, ut qua ratione Confessarius ea quæ scit in confessione potest interrogatus negare se scire, quia reuera nescit ut homo, uel ut ei dicere teneatur; sic ipse confitens quia nil ei, ut homini manifestauit, etiam cum iuramento inficiari potest, se nemini id dixisse. Quare iure merito. *Sot. in 4. sent. dist. 18. q 4. art 6 vt esta supra quæst. 111. memini* illos Superiores reprehendit,

dit, qui aliquādo bono zelo ducti nō tamen secundum scientiam, imprudenter extra confessionem ea scire quærunt, quæ subditi in sacramentali ipso tribunali aperuerunt; nec enim licet pœnitentem ad ineundum de his sermonem inducere, aut etiam minus benignam faciem quàm prius eidem ostēdere, siquidem illud est quoddam fractionis sigilli, & exprobrationis peccatorum genus, quam pœnitēs negando, quidquam tale à se audiuisse iuste repellere potest. Attamen *Medinal. 2. instruct. confess. capit.* 4. §. 1. censet, quæ à Confessario penitenti post datam absolutionem dicuntur, si nōdum ab ipsius pedibus surrexit, ad eandē confessionē pertinere, contra probabilius sentit. *Sylu. in 3. p. de sacr pœn. q.* 11. *art.* 2. *& Caroc. de reuel. confess. quæst.* 21. *Lazar. sect.* 2 *de monit. quæst.* 17. *num.* 16. Expediri etiam iuris est apud omnes, in actu alterius confessionis integrū esse Confessario, pœnitentem reprehendere, quod pluries in eadem peccata aliàs confessa labi soleat, hæc enim non est reuelatio, vel exprobratio confessionis sed necessaria admonitio, vt pœnites ad Deum adducatur. *Onuph. sect.* 4. *quæst.* 5. *Reginald. num.* 24. *Graffius loco citato. nume.* 22. *& aly.*

QVAESTIO CXIX.

VTRVM CONFESSARIO LICEAT de complicibus interrogare.

LIcet ne Confessario absque sigilli violatione pœnitentem de complicibus interrogare? R. Suppono Prælatum vel Confessariū nō posse à pœnitente exigere, vel per interrogationem, siue præceptum inducere, vt sibi in sacro confessionis tribunali alienam personam manifestet, quādo pro exoneranda ipsius confitentis cōscientia ad præsens iudicium nullo modo necessariū esset, quin potius tāquam Doctor ex proprio munere debet manifestātē admonere, ac prohibere, ne alienas personas nominet, nec historias narret, sed breuiter, simpliciter, ac pure ea tantum exprimat, quæ ad sua pādenda peccata conferunt, nisi forte, vt dicemus, ad se in futurum à peccato protegendum aduersus eandem tertiam personam cōsilio, & auxilio indigeret. Cuius assertionis fundamentū est, quod charitatis legi, & rectę rationi hoc aduersetur, quæ aperte dictat, qd S. Pater Tobias filio suo pręscripsit, Quod odei is ab alio tibi fieri, caue ne tu aliquando facias alteri. *Tob. cap.* 4. Quam sentētiam vt pote saluberrimam, & à qua tàm priuatum, quàm publicum cōmodum dependet, vbique Alexander Seuerus in suo palatio inscribi curauit. A' qua non abludit illud Galbę Cęsaris ad suum successorem monitū, Cogita quid aut nolueris sub alio Principe aut volueris; si nunc priuatus populi vitia detestaris, magis hæc tibi displiceant, vbi rerum summam adeptus eris, &c. Vnde confessiones audiens sibi persuadear, se satis suo munere functum esse, si confitentem Deo concilier, & ad perseuerandum in bono statu quoàd potest disponat, alia autem occulta vniuersali sentētię Christi relinquat inscrutabili interea iudicio multa mala fieri permittentis, &c. *capit. si omnia* 6 *quæst.* 1. *ex Anacleto Pontifice. Epist.* 1. Nec fallere debet rudes & inexpertos in ijciēdo eis scrupulum, vt existiment, se non plene confiteri, nisi complicum peccata etiam occulta cum eorū infamia & existimationis iactura detegant. Atque si talia aliqua per suam aut confitentis imprudentiam cognoscat, debet se perinde habere, ac si ex confessione nihil didicisset, Deo committens remedium malorum, quod afferre non est illi commissum. *Henriq. cap.* 25. *Reginald. n.* 69. *& aly.* apud *Vasquez. tom.* 4. *q.* 91. *ar.* 2. *dub.* 3.

QVAESTIO CXX.

VTRVM POENITENS COMPLICEM in confessione aliquando detegere teneatur.

QVid si pœnitens aliquod peccatum admisit, quod hic & nunc confiteri nequit, nisi peccatum, & personam complicis detegendo, quæ probe à Confessario dignoscitur, vt si v.g. cum sua sorore se turpiter immiscuit, debet ne permitti, vt complicem ipsum prodat? R. Cum hic articulus valde sit inter scribentes controuersus, probabilior tamen mihi videtur eorum sententia qui afferunt, aliquando potius integrandam esse confessionem, complicis personam exprimendo, si id necessitas exigat, & spiritualis vtriusque rei cōmodum postulet, quàm illam diminuendam, eundē in crimine socium reticendo. Et ratio communis est, tùm quia vnusquisque propriam salutem alterius famæ præferre tenetur: tùm quia quilibet potest vti iure suo, etiā si aliquid incommodi alteri sequatur. Sic enim & Confessarius licite denegat absolutionem iacenti in aliqua peccandi occasione, etiam si ex hoc per accidēs suspicio aliqua, vel infamia suboriri queat. *Suar. tom.* 4. *d.* 33. *sect.* 7. *Pet. de Ocba tract.* 3. *quæst.* 7 Tùm etiam quia incommodum hoc parum est respectu complicis, cum eius peccatum sub eadem sigilli claue occludatur. Vt omittā etiam ipsum complicē sibi imputare debere, qui se huic periculo exposuit, cum socius alterius esse voluerit. *cap. damnū. de reg. Iu. in* 6. Vnde etiam in foro externo licet regulariter delinquens de socijs criminis interrogari nequeat, in multis tamen casibus regula fallir præsertim in delictis, quę ad commodum cōmitentium principaliter perpetrantur, prout in furto, falsa moneta, &c. vt per *Tusch. in v. socius. concl.* 315.

Quibus addo, peccatū alterius efferre non esse ita

ita malum, quin sæpe ob aliquas causas non solum quis possit, sed etiam teneatur hoc facere. *Lessius. de Iustitia. l. 2. c. 11. dub. 8. & 9. Salon. 22. q. 75. ar. 2 Gab. in can. missa. lect. 74. Pet. Nau. lib. 2. de restit. capit. 4. dub. 11. num* 248. Hinc sequitur non frangere sigillum Confessarium, qui ex pœnitentis licentia, cum illo, aut tertia persona loquitur, interueniente graui, & rationabili causa, de complicis delicto in confessione cognito. Grauis autem causa ex parte pœnitentis subesse poterit, vt si v. g. complex illum ad peccádum inducat, vel in morali occasione constituat, &c. Ex parte vero complicis esse poterit legitima causa fraterna eius correctio, vt eum ad bonam frugem trahat, in vtriusque namque æternam salutem, quod est bonum maximum, cedit; præsertim si Cōfessarius probus sit, & bonus spiritualium morborum medicus, de quo pœniteus cōfidat, nullam fieri famæ iacturam, quamuis grauissima crimina sua, vel aliorum sub arcto sigillo contegenda ex causa ei aperiat. *Suarez. plures citās. disp. 34. sect. 2. Coninch. disp. 7. dub. 6. num.* 89. *Onuph. sect. 4. q 7. dub. 3. Reginald. numer. 74. & seq. &* 80. *Molfesius. tract. 7. cap. 12. num. 56. Megal. p. 1. Instit. Confess. l. 5. capit 8. Vasq. quæst. 91. artic. 2. dubit. 3. Vid. in notis. ad Tol. libr. 3. cap. 16.*

QVAESTIO CXXI.

AN NOTITIA IN CONFESSIONE HABITA ad externum regimen vti liceat.

Vtrum liceat sacerdoti extra cōfessionem vti scientia in ea comparata ad externā gubernationem, & ciuile, vel ecclesiasticū regimen, vt faciat, vel omittat aliqua, quę aliàs nō esset facturus, uel omissurus? R. Ex veriori sententia nefas esse vti scientia per confessionem habita; sed Cōfessarium se habere debere, ac si nihil in confessione sciret, sibi prorsus persuadendo, sicuti humanarum rerum regimen ab hoc sacramento longissime distat; ita debere nullatenus ab eo pendere. Quò fit, vt qui indignū ex cōfessione cognitū digno omisso eligeret pœnā suspensionis latā. *in c. cū in cūctis. ext. de elect.* non incurreret. vt ex communi resoluit. *Onuph. sect. 2. quæst. 2. dub. 2.* Quinimo si ex sola huius, vel alterius confessione istum de excōmunicatione publice denuntiatum esse nouit, vitare eum nō debet, ne per hoc peccatum sic notum exprobrare videatur, etiam si solus cum isto versaretur, nec ex uitatione scandalum sequeretur. *Henriq. l. 3. de pænit. cap. 20. numer. 7. Lazar. de monit. sect. 2. quæst. 17. nume.* 12. Quamuis non prohibeatur Superior circa crimina in cōfessione audita vigilantior, & attētior fieri, dūmodo de illis auditis non det alijs suspicandi occasionem; nihil enim obstat, quin notitia, quam inde comparat, lumen, & prudentiam in rebus agendis tribuat, &c. Et licet in hac quæstione omnes fere Doctores vti cōfessionis notitia licere sentiāt seruata circumspectione, vt nec directe, nec indirecte ad suspicionem peccati confitētis quisquam deueniat, tutior tamen, ac magis religioni huic sacramento debitæ consentanea est contraria opinio; vt enim illa ad vsum deducatur, tam multiplici cautela est opus, vt difficile admodum sit in sigilli violationem non incidere. Qua ratione Clemēs VIII. Pont. Maxime anno 1592. die 26. Maij in suo quodā Diplomate præcepit regularium Prælatis, vt diligentissime caueant, ne notitia de peccatis in confessione parta ad exteriorem gubernationem vtantur. Quæ quidem sanctio & si duntaxat eos liget, ad quos scripta est; satis tamen indicat, Pontifici sapientissimo magis eam sententiā probari, quæ vult ita prorsus se Confessarios gerere debere, ac si nihil in confessione audiuissent. Atque hinc multorum casuum resolutio dependet, præsertim quid agēdum Parocho, qui ex sola cōfessione nouit aliquos esse affinitatis, vel consanguinitatis vetito gradu coniunctos, qui tamē in facie ecclesiæ se ei sistunt, vt matrimonio coniungantur, & quid si ex confessione sciat ab aliquo ecclesiam esse pollutā. Quid item si ipse Parochus in sacramentali iudicio nouerit aliquē esse excommunicatum, qui tamen cum alijs in ecclesia se præsentat, ut ab eo sacram synaxim recipiat, & huiusmodi. *Guttier. lib. 1. can. qq. cap. 11. numer. 50. Lazar. de Monit. sect. 2. q. 16. n. 7.* Idē *Onuph. sect. 4. q. 7. dub. 4. Reginald. n. 23. Beia. p. 3. casu. 11. Bonac. de sac. d. 5. 6. sect. 5 p. 4. Sanchez. l. 3. de matrimonio. disp. 16. num. 3. Delrius. lib 4. disq. mag. cap. 1. sect. 2. Coninch. disp. 9. dub. 4. Suarez. disp. 33. sect. 7. Sa in v. Confessarius. in fine. Molfez. tract. 7. c. 22. nu. 38. Vide supra tract. 1. cap. 4. quæst. 21.*

QVAESTIO CXXII.

QVOMODO CIRCA SIGILLVM SE GERERE debeat Confessarius, qui de solicitatione ad turpia fuit ab improba fœmina falso accusatus.

Qvid si contingeret impudētem fœminā contra iustum, & fidelem Confessarium falsum aliquod testimonium ferre, ut puta quia illam indignam absoluere noluit, Dęmone acta, & se ab illo ab turpia solicitatam mentiens, ad uiolatæ religionis Cēsores detulit? R. Summum silentium seruare debere ob secretum eorum, quæ in pœnitentiali foro aguntur; fidat Deo, cuius prouidentia in sui dispositione non fallitur, qui ipsum proteget, sicut castum Iosephum tutatus est, eius innocentiam cum magno ipsius honore manifestans; calumnias enim detegens ueritatem diù latere non patietur; siquidem

dem reste Seneca, Magna est vis ueritatis, quæ contra omnium ingenia, calliditatem, solertiam, cōtra fictas hominum insidias, facile se ipsam defendit. *Lact. Firm lib 3. diuin. Institut. c. 1.* Et vera est sententia *D. Chrysost. in serm. decollat. S. Io. Bapt.* dicentis, Innocentiæ inimicis odiosa fit semper libertas, nam virtus contraria est vitiosis, sacrilegis exosa sanctitas, inimica castitas impudicis, corruptis integritas pœna, luxuriosis aduersa frugalitas, crudelibus dura semper misericordia, impijs pietas non ferenda. Attamen, vt dixi, veritas semper bonos propugnat, secundum illud vatis regij *Psal. 90.* Scuto circūdabit te veritas eius, vt patet in eodem Iosepho, & Susanna falsò accusatis. *Genes. c. 29. Daniel. c. 3.* In Marino in vitis Patrum, Narcisso Episcopo Hierosolymitano, & Gregorio Thaumaturgo, apud *Baron. tom. 2. anno Domini 119. & 233. & Daur. tom. 2 cap. 3. tit. 118.* Quippe vt ait *Plinius l. 22 capit. 21.* Adyantē herbam etiam si aqua perfundas, aut immergas, tamen siccæ similis est; ita in virum bonum cōtumelia, aut infamia non hæret, etiam si quis infamare conetur, &c. De tali iusto viro ait idē Vates Regius, Iustus vt palma florebit, vbi in hebreo iuxta peritos loco palmæ aliud habetur nomen, quod nedum palmam significat, sed Phœnicem demōstrat, Sicque Tertullianus legit Iustus vt Phœnix florebit, per quod indicatur, quod dum iustus premitur, vt palma resurget; & nedum hoc sed renouabitur, illustrior, ac clarior, immortalisque fiet vt ipsa Phœnix *Finus. de reg. iu. hom. 3.* Et si n. veritas in hoc mundo assidue oppugnetur, & hodie multis sagittis impetatur; & mali bonos falsis criminationibus insequi studeant, nihilominus, vt supra aduerti, veritas omnia vincēs illos tutatur, iuxta illud grauissimum apophtegma quod *Esdra. cap. 3. & 4.* habetur. Forte quidem vinum, fortis etiam Rex, at fortiores mulieres; super omnia uero vincit veritas, nam Iustitia, uerumque laborat, sed tandem eluctatur, & quamquam prematur, non tamen opprimitur. *Afflict. De cis. 253. Tusch. v. veritas. concl. 166.* Hinc Cicero pro Cluentio, Multorū inquit, improbitate depressa ueritas emergit, & innocentiæ defensio interclusa respirat. Et pro Cælio exclamat ēt ipse magnam esse ueritatis uim, quæ contra hominum ingenia, calliditatem, solertiam, contraque fictas omnium insidias facile se ipsam tutatur. Et per multis quoque profanis exemplis confirmari posset, plerosque Iudicum iniquitate, aut etiam populari rumore, uel alio modo damnatos, ac de honoris gradu decessisse, qui tandem uita functi certissimis argumentis insontes, & ab omni obiecto crimine immunes deprehensi, cōcitatam de se opinionem non modo absterserunt, sed immortali gloria tandem donati sunt. Vere ergo à Liuio dictū est, ueritatem sæpe laborare, extingui numquā. Et cōmuni enunciato effertur. Quidquid dicatur, ueritas non mutatur. Et quia multi iniuste accusantur, ideò ut eorum innocentia defendatur, præcipit Imperator. *in l. singuli. C. de accusat.* ut Iudices re ueritatem inquirāt; nec facile aliorū relationibus credāt. Maxima tamen prudentia, & circumspectione hæreticæ prauitatis Inquisitores in prædictis procedere solēt, inspiciunt si denūtiantes uiles sint mulieres, & inhonestæ, reo infensę, & prius quam ad capturam, uel custodiam, denuntiati procedant, de uita, & moribus tam deferētium, quàm ipsius delati Confessarij plene eruduntur, ac informantur; nam in dubio, & in pari qualitate ac causa, Confessarij conditio præualet, ne in manu, & arbitrio cuiuslibet infamis muliercula sit, quoslibet etiam probatæ, ac commendatæ uitæ sacerdotes hoc modo infamare, nam quis nescit fœminas proprias dolos, fraudes, calumnias suo uelle iure uendicare, quas ideo Apuleius familiares mulierum artes appellat? *Molfes. tract. 7. cap. 24. n. 38. Tiraq. lege. 9. Connub. numer 47.*

CAP. XXII.

QVAESTIO CXXIII.

QVID SIT SIGILLVM SECRETI QVO iure inductum, & cur seruandum.

QVid est sigillūm secreti, & quo iure inductum est, & cur seruandum? R. Nihil aliud esse, quàm debitum celandi quidquid celandum bonæ alicuius fidei committitur, uel (quod in idem recidit,) est obligatio quædā à iure naturali inducta ad occultandum secretū sibi ab altero concreditum; siquidem naturali iure unusquisque pro missis stare tenetur, cum nihil magis humanę naturæ, & conditioni conueniat, quàm pacta seruare, ita ut illud frangens in re graui lethali crimine se obstringat non tantum ob uiolatum naturę ius de seruando secreto, se etiam ob fractam pactionem, quæ ex addita conditione nouum uinculum inducit, & cōmissum tegēdi obligationem auget. Quīquidem promissio, uel fidelitas ut recta sit, duo cōplectitur, ueram scilicet intentionem ea quæ promittuntur, implendi (sine qua ipsum promissum mera fraus, ac mendacium cēleretur, cum aliud lingua loquatur, aliud in mente lateat: de quo uitio falso ab Accursio Bononienses arguuntur, *in l obseruandum ff. de officio. Præsidis.*) Et ipsam suo tēpore promissionis expletionem continet, ita ut firmiter, & constanter qđ quis spopondit, re ipsa præstetur, iuxta illud. *D. Gregor. in capit. qualiter. extr. de pactis.* Studiose agendum est, ut quæ ore promittuntur, opere compleantur. Id quod Fidei est maxime proprium, quæ teste *Marc. Tullio, libr. 1. off.* fundamentum est iustitiæ .i. dicto-

dictorum,conuentorumque constantia, & ueritas, vt totius reipublicæ bonum cōsistere possit,omnesque rectè suis officijs, ac muneribus fungantur, & proprijs obligationibus satisfaciant. *Sot.de ratione. teg.& deteg.secr.membro.1.quæst.1.Reginald.lib.3. num.36.& lib.24 num.106. Iodocus.in v.secretum. Molfes.tr.1 t.c.vlt. n.203. Cagnol.in Epistola de boni Principis,regine.nn.91.Tusch.v.fides.concl.335. & seq.Tholos.in syntag.Iu.p.3. lib.21.cap 2.*

Profectò si quid est, quod cōmunem vitæ societatem stabiliat,quod cōmerciorum inter homines vsum introducat, quod populos amicitiæ fœdere inter se coniungat, quod aditum magna capescentibus præstet, hoc facit fides, Sāctissimum,vt Seneca ait,humani pectoris bonū; vt merito veteres Romani eam in Capitolio Ioui Opt.Max.dicatam esse voluerint,vt homines discerent, eam velut alterum quoddam numen, ac certissimum humanæ salutis pignus colēdam esse. *Io.Choc.lib.2.thes.Polit. cap.12. Lud.de Fonte.p.2.de hum.perfect. tract.3.c.* 8. Scimus quoque secreta pandere grauissimum in omni æuo crimen ab omnibus iudicatum fuisse. Ferunt apud Ethnicos Sisiphū illum, ob id qđ Deorum arcana hominibus patefecit,apud Inferos eam pœnam sustinere, vt ingens saxum ad montis cacumen deferat,ab illoq; illud proijciat,& iterū statim repetat, & in huiusmodi labore perpetuò sit assiduus,teste *Seruio l.6.l. Æneidos Vir.* In cōsilijs,tàm Græcorum quàm Romanorum caute admodum illud obseruatum legimus, vt ea quæ ibi acta essent, arcano silentio comprimerentur, nefasque haberetur,illa diuulgare. Vnde & prouerbium illud effluxit, Areopagita taciturnior. Et Romana ipsa Senatus cōsulta tacita vocabātur, eo qđ taciturnitas cōsiliorū quasi thesaurus censeretur. Apud Ægyptios lex erant iubens illi linguam abscindi, qui reipub. arcana quæ tecta esse debent, alicui aperuisset, & merito,incassum enim sunt consilia, si antequā exequaris; detegantur, vt proinde salubre sit illud D. Bernardi monitum, *in spec. monach.* Antequā verba proferas,bis ad limam veniant,ad limam nimirum cordis, & rationis, nam quo pacto vir sobrius, & temperatus minime cibum,nisi post sufficientem masticationem,deglutit,ita nec vir sapiens verbum nisi post maturam considerationem promit. Quod etiam ipsa nos natura docuit, dum linguā inter dētes & labra reclusam esse voluit, simulque duas in ea vēnas reposuit,quarum vna cor,altera cerebrum in quo intellectus est sedes, petit, vt eā duplici hoc muro munitam non prius laxemus, quàm perpenderimus,an illud quod est à nobis promendum liceat,& expediat. Scimus etiam Harpocratis sigillum à quibusdam ex veteribus gestari solitum,vt silentij fides indicaretur. Qua ratione multi existimant, Alexādrum Magnum cum epistolam quandam matris Olympiadis conuitijs plenam aduersus Antipatri nomē,vna cum Hephæstione legeret, tractum è digito anulum illius ori apposuisse, tacite quidem,& amice,sed re ipsa tamen silentium indicens,&c. *Alciat. emb.11.Hector Pintus in 2.p. Dial.cap.14. Bessens.de sacerd.cap.22.* At licet fidelitatis obligatio de iure naturæ sit, & graue delictū sit fidem frangere,attamen in eo casu cessat, in quo non potest aliter communibus,vel priuatis damnis obuiam iri, nisi secretum reuelando, ita vt perfidus quis simpliciter non dicatur,quod arcanum prodit, sed per hoc,quod temere,& sine cogente causa violat,vt ait *Medina C.de confess.quæst. 50.sub finem & Reginald.libr.3.num.37.vt infra.quæst.142.*

QVAESTIO CXXIV.

AN QVI ALIQVOD SECRETVM SCIT, teneatur vi literarum monitorialium reuelare?

QVæritur an qui sub sigillo secreti rem,aut delictum aliquod scit, teneatur vi monitorialium literarum Superiori præcipienti reuelare? R. Quibus per solam consultationem secretum à delinquente delictum est concreditum, vt ei consilium,vel remedium pro animæ salute,uel corporis, siue honoris, uel bonorū defensione illi adhibeāt,ut Doctoribus,aduocatis,causidicis, medicis, obstetricibus sæpe euenire solet,hi nullo pacto propalare debent,etiam si sub excommunicationis pęna id iubeatur,etiam si sciant delinquentē illum infamia laborare, seu semiplenam probationem,uel indicia adesse, & per testes delictum probari possit, aliàs pandēdo,& mortalem culpam contrahunt, & restituēdi obligationem subeunt,atque adeò in tali casu solum aperire possunt, quod alia uia quā per secretum ratione sui muneris norunt; siquidem seruare secretum à naturali iure descēdit, contra quod humana potestas nil statuere, & præcipere potest. Cum enim ex communi enuntiato, Cōfessario,medico, & aduocato, veritas celanda non sit, si Iudici interroganti prædictæ personę reuelare tenerentur, nemo se eorum fidei committere, & in proprijs necessitatibus ipsorum auxilio uti auderet, & sic mala malis cumularentur. *Holchot.super sap.lect 15. lexicon Theol.in v.secretum. Guttierez.in canon.qq. lib.1.capit.11. Sayrus.in claui reg.lib.12.capit.14. num.29. & cap.20.num.16. Suarez.tom.5.disp.20. num.11.Nau.cap.18.num.12.& cap.25. num.42.& 46.Val.tom.3.disp.5.quæst.14.p.1.Salon.& Arrag. 22.quæst.71.artic.3.Auila.de cens.dispnt.5.dub.2. Azor.p.3.libr.13.capit.28. Lazar.de monit.quæst.2. sect.16. Bonac.de cens.q.6.puncto.1.* Hinc decurio, vel consiliarius Ciuitatis, qui secreta detexit, si ratione sui muneris tacere debuit, grauiter peccat, &

officio, & dignitate priuandus est. Idem dicendum de Canonicis capituli secreta pandētibus, & de cōsultoribus regularibus, qui acta in comitijs temere reuelant. Et de Inquisitoribus, eorumque consiliarijs, & etiam Cardinalibus quò ad ea, quę in cōclaui, uel in consessibus tractata sunt. Nam ut supra innui, interea, quę ad humanā uitam pręcipuum momentum habent, illud nō postremum locum tenet, si pro dignitate perpendamus qua ratione tacere, qua ue proferre debeamus, quæ nostræ fidei secreto concredita sunt. De qua fidelitate, & taciturnitate maxime commēdatur Euripides, cui cum aliquando oris graueolentia objiceretur, respondit, multa secreta in eo cōputruerunt. Et Papyrius ille Romanus, qui ob silētium eorum, quæ in subsellijs cōsultabantur, puer etiam num à Senatu donatus est. Et scite Simonides homines infimæ notæ coscēlebat, qui secreta continere non ualerent, atque adeò illi setuo similes apud Comicum, qui rimarum plenus cuncta effundebat arcana. Socrates suos discipulos admonebat, ut tria pręcipua in uita haberēt, in animo prudentiam, in vultu uerecundiam, & in lingua taciturnitatē. *Sot. de teg. sec. memb. 1. q. 1. Menochius lib. 2. de arbit. Iud. cent. 6. casu. 537. Graffius. de cas. res. lib. 3. capit. 10. Pegna. in 3. p. ad Direct. Inq. Comment. 132. Pal. de sacr. consil. conf membro. 5. §. 9. Thes. in Decis. Pedam. Decis 1. Roder. com. 2. qq. regula. quæst. 36. artic. 3.*

QVAESTIO CXXV.

AN AD AVERTENDVM ALIQVOD damnum secreta pandere liceat.

QVid si iusta & vrgens reuelandi adsit causa, & talis secreti denūtiatio necessaria esset ad auertendum graue reipub. damnum, vel tertiæ personæ, quod aliter impediri nequeat? R. Propalari posse, nam ex communi sentētia, cuiuscunque secreti promissio, excepto sacramentalis confessionis arcano, etiam iuramento firmata non obligat, sed Iudici mandanti prodēdum est (modo absque proprio graui detrimento hoc fieri possit, & correctio fraterna, si emendationis spes affulgeat, præmittatur) quod procedit etiam si quis asserat se dicere in cōfessione; imò etiam si genu flexo, factoque signo Crucis, & dicta cōfessione, secretum detegat, dummodo non vero fatendi animo id dicat; quia adhuc non est sigillum confessionis. Et quamuis de iure naturæ simile secretū seruādum sit, id tñ deficit, quando delicta sub eo arcano cōmissa in damnum communitatis, vel alterius personę in futurum pendent. Siquidem tunc ille meretur, vt sibi fides frangatur, cum à malo desistere nolit, & bonum innocētis reipub. aut tertij præponderet, &c. *D. Thomas 22. quæstio. 70. art. 1. ad 2. Arrag. & Salon. l. c. art. 3. Roder. in sūma. p. 1. c. 3. Carbo. de restit. q. 51. Ala. de aduoc. Christiano. quæst. 27. Lazar. l. c. nume. 10. Reginald. lib. 9. num. 212. Gen. in prax. Neap. cap. 1. & 2. & cap. 23. Bonac. de matrimonio. quæst. 2. puncto. 6. quæst. 20 Gutierez. in can. qq. libr. 1. cap. 11. Farinac. de Indit. & tor. quæst. 51. Menoch de arbit. Iud. l. 2. casu. 355. Sanchez. lib. 3. de matrimonio. d. 13. num. 6 & de præcept. lib. 6. cap. 18. num. 37.* Vnde sicut amici arcana effutire non modo vanitas est, sed iniquitas, atque adeò infidelitas; ita è contra tunc occultum celare crimen, quando Magistratus, vel Superior id debita via, & ratione percūctatur, delictum est. Imò vero si crimen in reipub. perniciem vergat, qui nō vel sua sponte illud statim defert, impius est, & patriæ proditor. Quo circa qui suam astrinxit fidem arcani silentio comprimendi, in Scyllam, & Carybdim se nauigare intelligat. Quod Philippides ille Lysimacho Regi charissimus sapienter admonuit; nam cum à Rege rogaretur, quidnam vellet sibi rerū suarum impartire? respondisse fertur, Quiduis ò Rex modo ne quid arcani. Hinc & si contra secreti obligationem peccet, qui alienas literas sine rationabili causa aperit, nisi id de consensu mitentis, aut eius ad quē mittuntur consensu fiat, cuilibet tamen illas resarare licebit, cū sibi aut alteri aliquod damnum iniuste parari timet, &c. *Syl. in v. falsarius. quæst. 1. Caiet. & Armilla. in v. literas. Nau. in cap. sacerdos. num. 10. de pœnit. dist. 6. Reginald. 24. num. 120.*

Addo qđ si Superiores generaliter subditorū delicta reuelari pręcipiāt, nō sunt cēsendi uelle, ut quęcunq; delicta ipsi subditi nouerint, sēper reuelent; si. n. eos casus includere uellent, in quibus recta ratio pandi non suadet, illud præcipiendo peccarent, nec illis parendum esset; nam si verbi g. ad auctoris emendationem, uel ad impediendum malum proximi, uel ad ei satisfaciendum delictum aliquod sibi aperiri mandarēt; tunc si delinquens iam emendatus est, uel iam malum illud amplius eueuturum non timetur, & tandem iam satisfactum est, non est reuelandum. *Pet. Nau lib. 2. cap. 4. num. 215. Nald. v. Superior. num. 11. Iodoc. in Thesau. Theolog. in v. secretum. Genuens. in d. Praxi Neap. capit. 2. num. 5. Gutierez. in canon. qq. lib. 1. cap. 11. num. 73. & aly.*

QVAESTIO CXXVI.

AN VXOR SCIENS FVRTVM MARITI vel eum blasphemias hæreticales proferentem noscens ob Superioris edictum denuntiare teneatur.

QVid si uxor nō sub sigillo secreti, sed occulte nouit furtū mariti, uel eū hæreticales blasphemias in Deū, & sāctos ex irę furore euomere solitum

litum, tenetur ne ui monitorialium literarum, uel edicti Inquisitoris denuntiare, quæ dubitatio quò ad filium erga patrē proponitur, & ē contra? R. Nō teneri, nam uxor & maritus unum atque idē censentur, cum sint duo in carne una; & pater & filius secūdum iura, una & eadem persona reputatur, & damnum coniugis in alterum coniugē, pariter patris detrimentum, & infortunium in filium redundat; & explorati iuris est, neminem denuntiare teneri quando ex delatione ipsi defetēti magnū damnum imminet, & cōmune bonum reipub. & familiæ exigere, ut rixæ, & discordiæ inter coniunctos, & familiares euitentur, & pax domusque quies inter eos foueatur. Nisi tū quis esset hæreticus alios inficiens, uel contra Principem coniurasset, aut reipub. insidias parasset; tunc enim etiā cum uitæ periculo facienda esset denuntiatio, ex illa regula, q̄d bonum commune priuato præferendum est. *Siman cas. in cathol. Institut. tit. 29. num. 44. Sayrus. l. 12. clauis reg. cap. 28. Molfes. tract. 7. cap. 24. nume. 23. Farinac. de heresi. quast. 197. §. 2. Nald. in v. haresis. nu. 6. Gutierez. in can. qq. l. 1. cap. 11. Pegna. p. 2. ad Direct. Inquisit. Comment. 78. Lazar. de monit. sect. 3. quast. 10. num. 5. & de blasphemia. quast. 12. num. 67. Bonac. de cens. q. 6. puncto. 1. n. 4.* Sed de hac materia suo loco dicemus in articulis super decalogi præcepta, & censuram excommunicationis.

Et hæc sufficiant quò ad sigillum, seu taciturnitatē, & alias conditiones, quibus Confessarius prēditus esse debet. Illud tātum pro coronide admonendū uidetur, in Ecclesia Dei summopere necessarium esse, ut Prædicatores in concionibus habendis, & Confessarij in confessionibus audiendis, maxime rusticorum, puerorum, ac puellarum, uim, ac efficaciam sigilli confessionis declarent; non pauci enim filij familias, famuli, & famulæ inuenti sunt, qui existimauerint, Cōfessarium sibi in sacramentali iudicio detecta peccata, posse parentibus suis, & dominis reuelare, ut proinde mirum haud sit, si inter huiusmodi pœnitentes innumerę falsæ, ac sacrilegæ confessiones inueniantur, &c. Quandoquidem &, si alia secreta quæ regulariter naturæ lex præscribit, sæpe pandi possint, ac debeant, ut quando (ut supra insinuauimus) Superior hoc iubet, uel quando talis secreti occultatio reipub. vel proximi bonis officit; sacramentale tamen sigillum neque directè, nec indirectè, nec uerbis, nec factis, nec signis nutibus ue, uel alio quocūq; modo prodendum est, nisi iusta subsistente causa sponte, & uolens pœnitens facultatem dederit. *c. omnis. vtriusq. sexus extr. de pœnit. & remiss. c. sacerdos. de pœnit. dist. 6.*

Tanti enim momenti, ac ponderis est hoc secretum (quod ad sublimia Dei spectat mysteria) ut sacerdos qui sacrarum harum cōsignationum secretarius est, ne quidem ad saluādum totū mundum, nec Papę iussu sit uiolandum; ita vt pro illo seruando, etiā in minima culpa, sacerdotale munus presbyteros obliget, mortem millies potius oppetere; eo quod nullum adeò graue malū occurrere possit, quin grauius, & maius sit, ac christianæ ecclesiæ perniciosius, exosam, ac abominabilē fidelibus sacramentalem confessionē facere, vt propterea Confessarius linguā ad ipsū reuelandū, vt SS. Patres loquūtur, habere nō dicatur, & de eorū sit numero, de quibus regius vates ait. Os habēt, & nō loquentur. *Ps 113. Barthol. Medin. in inst. Conf. l. 2. c. 3. Viual. in Cand. aur. de sigillo. n. 2. Bessęus de sacerd. cap. 22.* Tandem ad taciturnitatem, tām sigilli cōfessionis, quàm secreti cōferet, si sacerdos, vel laicus has cautiones seruet. Primo, vt à conuiuijs, quò ad potest, se abstineat, cum ibi, vt aiebat. D. Ambrosius, cibus & potus, ad intemperantiam inuitet. Secundo, à fęmineo sexu; hic enim ad elicienda animi arcana vim quādam habet, nec scita, aut commissa retinere valet. Tertio, à muneribus, quæ vim inferunt, & vel mutorum ora aperiunt. *Io. Choc. l. 3. Polit. c. 14.*

Porro ad sciendum quisnam sit cōpetens Iudex in crimine reuelationis sigilli, tàm cōfessionis, quā naturalis secreti, sit hæc breuis positio, quò ad Cōfessarium sacramētalis sigilli violatorē, legitimum Iudicem esse Episcopū, vel eius Vicarium, vel aliam ecclesiasticam personam, nisi adesset error in intellectu reuelantis, vt quia huius sigilli reserationem licitam crederet, quia illius cognitio vt pote de hęresi suspecti ad hęreticę prauitatis Censorē spectat, qui propterea interrogare solet, quid de sacramentis ecclesiæ sentiat, &c.

Quò verò ad sigilli secreti fractionem, sæcularis Magistratus, & potestas competens Iudex cēsetur, qui varijs circunstantijs consideratis, pro suo arbitrio punire potest. *Menochius. libr. 2. de arbit. Iud. cent. 6. casu. 537. Molfes. tract. 7. cap. 23. & alij.*

Finis Tractatus Quinti.

TRACTATVS VI.
DE ARTICVLIS SVPER PECCATA CAPITALIA.

Et primo super Superbia, & eius sobole. Cap. I.

SVPPOSITA, ET PRAENOTIONES.



VONIAM in his nostris Commentarijs, prima nostra intentio est, ea præcipue tradere, quæ ad ecclesiasticos instituendos conferunt, & præsertim quæ ad Confessarij, & pœnitentis instructionem pertinent, ideò post explicationem actuum humanorum, & peccatorum in communi, de quibus in superiorib. tractatib. & post breuem expositionem conditionum, quæ ministro sacramenti pœnitentiæ necessariæ sunt, conuenienti ordine de peccatis capitalibus agendum est; de quibus in iudicio illo arcano confessionis tractatur. Nam quoniam Infernalis Draco septem gestat capita vitia. s. capitalia, quæ reliquorum sunt fontes, prudens spiritualis medicus quod nam illorum capitis vices obeat obseruare debet, cum in quibusdam pœnitentibus gula prædominetur, in alijs ira, in alijs auaritia, aut superbia, & in illud, quod tale esse deprehenderit, omne suum studium, & industriam vt euellatur ponere eum oportet; nam Dæmones infensissimi humani generis hostes, quidquid quocunque colore, vel arte moliuntur, in hominum perniciem per hęc vitia dirigũt. Huius aũt offensionis duę principales sunt causæ, Altera odium Dei, cuius acerrimi sunt inimici, vtpote à summa felicitate, peccatis exigẽtib. in perpetuam miseriam ab eo detrusi, cum vero diuinæ Maestati nihil mali inferre possint, hominem ad Dei imaginem creatum crudeli insectantur odio, non secus ac Pantheræ, vt ait *D. Basilius*, quæ cum immani offensa in homines à natura affectæ sint in eorum simulachra furentes irruunt, nec aliter eorum effigiem, quã homines ipsos dilacerant. Altera causa est; quia eos ad cœlestem beatitudinem, quam ipsi amiserunt, assumendos cognoscũt, ac proinde inuidi omnimodo eos impedire conantur, ne tãtum bonum consequantur. Et sicut secundum christianam philosophiam vnicuique homini ab ortu natiuitatis suæ ad tutelam, & custodiam bonus Angelus deputatus est; ita etiam ad tentationem, exercitium, & agonem, malus spiritus cuilibet destinatus est. *Rhodog. lib. 1. antiq. lect. c. 31. & seq. Bisfel. de confess. malef. prælud. vlt.* Quippe Confessarij munus vtramque iustitiæ partem cõplectitur docere. s. declinare à malo, à radice omnia eius peccata euellendo, eorumque detrimẽta, & pericula spiritualiũq; hostium insidias aduertere, & simul eundem ad omne bonum extimulare, vt in eo perfectionis turris extruatur, & demũ omnium uirtutum semina, & plantæ serantur. Non suas partes explet confessarius, si audita confessione, & iniuncta pœnitentia, confitentem à se dimittat, si ẽt ab eo omne peccatorũ genus, & eorum radices non auferat, id enim quatuor illa uerba significant, quibus Deus ad Ieremiam usus est, Ecce constitui te hodie super gentes, & super regna, ut euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes. *Ierem. c. 1.* siquidem omnia peccata mortalia, & venialia destruere debet, & eorum occasiones euellere, siue sint societates, siue artes, & periculosa officia, siue libri profani, & quidquid exterius est tentationum sementis, disperdere debet, omnes vitiorum habitus amputare, qui in ueteri sua uita ei adhæserunt, & omnes inordinatas passiones, & prauas propensiones dissipare, quas ex natura sua pęnitẽs hausit, ut cõtrariæ uirtutes in eo inseri possint, iuxta illud Boetij,

Qui ingenuum serere volet agrum,
Liberet arua prius fruticibus. Et idẽ Ierem. c. 4.

Nouate uobis nouale, & nolite serere super spinas; Et sicut sanitatem recuperare non potest, qui prius à se morbum non depulerit, nec recalescere, qui prius frigus nõ excusserit, ita nec meritorium opus agere, qui prius à malo non recesserit; nam ut ait *D. Hilar. in Psal.* 144. Solum malum non admittere non habet laudem, nisi mali abstinentiam etiã gloria boni operis consequatur.

Et sicut corporum medici aliqua occultorum morborũ indicia habent, quos ipsimet infirmi non sentiunt, imò sanos se existimant, cum tamen periculose laborẽt, ac propterea fidem medicis adhibere debent, atque eorum iudicio suum submittere, & quæ illi ad ipsorum curationem præscribunt, libenter excipere; ita sapientes spirituales medici signa quædam obseruant, ex quibus morbos ipsimet ęgris occultos deprehendũt: siue quod amor proprius illos ne se ipsos agnoscant excæcet, siue quod proprio suo iudicio à quo decipiuntur, multum tribuant. Hinc oritur quod sapienter ait *D. August. super psal.* 50. Nemo insanabilior eo, qui sibi sanus videtur, cui subscribit Seneca cum ad Lucillum *epist.* 5. inquit, Non est extrinsecum malum nostrum,

nostrum, intra nos est, in visceribus ipsius sedet, ideo ad sanitatem non uenimus, quia nos ægrotare ignoramus. Quò fit, ut cum multi pœnitentes infirmi sint, sanos se reputent, & cū sint debiles, fortes se existiment, iram zelum, & ignauiam mansuetudinem existimantes, & occulta superbia referti se ab illa procul abesse putent. Ipse tamen medicus ab ipsa passione liber, hæc omnia mente assequitur, & cum dexteritate ægro, vt seipsum agnoscat, indicat, quandoquidem in sui ipsius cognitione, sui remedij, & salutis initium consistit. Chilon dicere solebat, Caue tibi, admonens, sibi vnumquēque suspectum esse debere. Omnes sibi ab alijs cauent, & sæpe nemo magis homini hostis est, quàm homo sibi ipsi, dum libidinem, iram, ambitionem, & alios prauos animi affectus in consilium adhibet. &c. Thales philosophus rogatus quid esset difficile? respondit se ipsum nosse, quid facile? alterū admonere. Theophrasti sententia fuit, Amantium cæca esse iudicia, unde quia homo se ipsum præ cęteris amat, circa iudicium suum facilius errat. Et sane sicut medici pniciosiores eos corporis morbos iudicant, quibus ægrotus minime se urgeri, aut affligi sentit, cum tamen assidua febris intimos eius artus exedat, ac uitales humores exhauriat: sic in magno plane salutis discrimine versari eū fatendū est, qui proprias animi ægritudines non agnoscit. *D. Ant. 4. p. tit. 2. c. 3. Beroal. in Heptalogo septem sapientum super illud*, Nosce te ipsum. *Stob. serm. 19. Hilaret. & Stap. in domo Quinq. Granat. conc. 1. in festo S. Catharinæ Senen. Iustin. in Tob. cap. 4. vers. 16. Card. Pal. in Arch. Bonon. p. 2. ser. S. Petri.*

QVAESTIO I.

QVODNAM SIT PRIMVM CAPITALE vitium. &c.

QVod nam est primum capitale uitium, quid est, & quæ eius species? R. Est supbia, ex qua innumera alia peccata pullulant; superbus enim ut in illa conseruetur, multa alia piacula admittit, & ad illam fouendam dirigit. Viriorum regina superbia. ait *D. Greg. lib. 31. moral. c. 17.* cum deuictum plene cor cęperit, mox illud septem principalibus uitijs, quasi quibusdam suis Ducibus deuastandum tradit, quos uidelicet Duces exercitus sequitur, quia ex eis procul dubio importunæ uitiorum multitudines oriuntur. &c. De ea. n. extat illud Ecclesiastici *c. 10.* Initium omnis peccati est superbia, tùm quia fuit primum Diaboli peccatū, tunc etiam quod in omni peccato implicite saltē quædam praua uoluntas non subijciendi se Deo latet *D. Thom. 2. 2. q. 163. art. 2. & 1 2. q. 184. ar. 2.* Quare & Dauid *Psal. 35.* Fundamentum omniū peccatorum superbiam appellat, cum ait, Non ueniat mihi pes superbię. Glossator etiam ordinarius explanans illud *Psal. 18.* Emundabor à delicto maximo, peccatum superbiæ intelligit, vt cæterorum caput, & originem. Et meritò quidem *D. Aug. lib. 14. de Ciuit. Dei. c. 28. & D. Thom. 1. 2. q. 77. art. 4.* aiunt, omnis peccati initiū ex amore proprio manare debito ordine destituto, dum scilicet homo à Dei præcepto se auertēs ea appetit, aut fugit, quæ non congruunt, ac se ipsum tāquam finem rerum, quæ in hoc seculo sunt, diuina lege contempta cōstituit. Vnde dicimus quod superbia est inordinatus amor propriæ excellentiæ, uel appetitus celsitudinis peruersè uoluntarius. nam ipsa peccatum est, per excessum humilitati oppositum, consistens in appetitu gradus altioris, quàm personæ ipsi congruat, spectata ipsius dignitate, atque adeo diuinæ prouidentiæ lege. Dicitur superbia à superuolo quasi superbus velit esse super id, quod est. *D. Isid. lib. 10. Ethim. D. Thom. d. 2. 2. q. 162. a. 1. & 2. Tol. lib. 8. c. 3. Nau. c. 23. nu. 5. Val. tom. 3. disput. 9. q. 3. puncto 1.*

Porro quatuor sunt superbiæ species, Prima cum bonum quod arrogantes habent, non à Deo, sed à se ipsis habere existimant, cum tamen omne donum desursum sit, descendens à patre luminum. &c. Secunda est, cum quis agnoscit quidē bona, quæ habet à Deo se accepisse, sed tanquam suis meritis digna, ac debita. Tertia cum quis se iactat habere quæ non habet, aut saltem maiora, qđ solet esse commune naturæ vitium, s. n. quisqueditiorem reputat quàm sit. Quarta cum quis alios contemnit, aut cuiquam subijci non vult. Hinc *D. Greg. l. 34. mor. c. 18.* Superbia, inquit, aliter Præpositos tentat, aliter subditos. Prælato suggerit, quia uiræ merito super cæteros excreuit, uiles qui subiectos sunt ostendit, ita ut nullum respiciat, cui æquanimiter loquatur, unde & mentis tranquillitas in iram uertitur. Subiectorū cor superbia instigat, ut sua acta considerare funditus negligant, & semper tacitis cogitationibus sui Rectoris Iudices fiant, & dum eius facta despiciunt, dum præcepta contemnunt, ad tantam usq. insaniam deuoluuntur, ut Deum res humanas curare non existiment, quia ei, qui quasi iure reprehenditur, esse se commissos dolent, sicque dum contra Rectorem superbiunt, etiam contra iudicia conditoris intumescunt, & dum Pastoris sui uitam dijudicant, ipsam quoque sapientiam omnia disponentis impugnāt. &c. Ita ut horribilia plane sint, quæ de superbia à Patribus, & scripturis dicuntur. *Azor. par. 1. Institut. moral. l. 4. cap. 12. Rossignol. de disciplina christiana perfect. l. 2. cap. 23.*

QVAESTIO. II.

QVANDO SVPERBIA SIT PECCATVM mortale.

QVæritur quando hic propriæ excellẽtiæ, vel celsitudinis appetitus sit peccatũ mortale? R. Superbia ex suo genere si sit cõsummata & perfecta, per quam scilicet eousque quis progrediatur, vt legi diuinæ, vel Superioribus subijci nolit, mortalem culpam secum affert. Si autẽ circa alia obiecta versabitur, peccatum mortale, vel veniale pro illorum ratione conflabitur. Tunc vero lethalẽ noxam progignet, si homo in excellẽtia, quam expetit, vltimum finem constituat, ita scilicet vt propter huiusmodi excellẽtiam assequendam, præceptum aliquod obligans sub mortali trãsgredi sit paratus. At propter actus imperfectionẽ sicut in cæteris materijs tantum veniale peccatum esse posset, si videlicet non sit plene deliberata, sed imperfecta ob defectum pleni consensus, & materiæ leuitatem, quæ tamen semper spiritualem profectum impedit, ac retardat. Pestis siquidem hęc spirituale peccatũ est ideò corporis oculis non videtur, ne quidem spiritualium, quia primum oculos occupat, ac in his sedem figit, ne videât. Facile Ciuitas occupatur, vbi à vidẽdo, & prospiciẽdo speculator impeditur. Est enim superbia non tantum in voluntaris elatione, ac tumore, sed in intellectu quoque magna ex parte residet, quem opinione virtutis imbuit scientiæ, prudentiæ, magnarumque virium, quas à se haberi, aut certe suis meritis se comparasse arbitratur. Nulla certe tentatio perfectis facilius imminet, quàm superbia, quippe cum ex recte factis oriatur. Alia quæcunque iniquitas in malis operibus exercetur vt fiant, superbia vero bonis operibus insidiatur vt pereãt. Ex quo capite illud dignissimum notatu accedit, Dominum nostrum in hominibus ẽt sanctis næuos aliquos spirituales tanquam in pulchro corpore maculas inesse, diuque eos in erroribus non magni momenti perseuerare permittere, vt cum intelligunt se minimis vrgeri, cognoscant se non suis viribus, sed Dei solius dono à maximis non superari. Adde quosdam ob animi superbiam quamuis latẽtem & ignotam, in graues tentationes labi, vel etiam in turpiora quędam scelera præcipites ruere à Deo permitti, vt proinde locum habeat illud Dauidicum *Psal.* 82. Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuũ Domine.

Ob hãc rationẽ in religiosis ordinibus Deus oẽs fere tyrones varijs tẽtationibus agitari sinit, vt eos hoc modo in diffidentiam sui inducat, & hanc doctrinam sibi quidquam non arrogãdi eorum mentibus imprimat. *Caiet. in v. superbia. Tol. lib. 4. cap. 8. Combrec. de stud. perfect. libr. 2. cap. 37. Rossignol. cit. l. de discipl. christ. perfect. libr. 5. cap. 37. Lessius lib. 4. de iust. & iure cap. 4. dub. 9. & 10. Beraraucius in summa corona. capit. 1. num. 39. Reginald. lib. 17. num. 202. & seq. Molfes. tr. 8. cap. 8. n. 202. & seq.*

QVAESTIO III.

QVAENAM SINT CAVSAE, OB QVAS homo in superbiam efferatur, &c.

QVæ sunt causæ, vel occasiones, ob quas quis in superbiam effertur? R. Esse potissimum quatuor, ex quibus etiam vt plurimũ supradictæ species oriuntur. Prima est potẽtia, diuitibus namque & potentibus quatuor vitia prædominari solent. Primo obliuio, vt in his apparet, qui ex pauperibus diuites fiunt, vel qui ex humili statu ad honores assumuntur, qui præcedẽtis miseriæ, & aliorũ in ea iacentium statim obliuiscuntur. Secundo ingratitudo; obiurgabatur olim Alphonsus Aragonum Rex, quod Aluarum Lunam ingrati animi vitium extulisset, ac tanta beneficia in eum cõtulisset, quorum ne memoriã quidẽ haberet; An ignoras, inquit, magno beneficio non nisi magna etiam ingratitudine satisfieri Et sane?

Obruit ingentes ista procella viros.

Venter nimio sępe cibo grauatur, & animus honoribus, ac diuitijs inflatur. Multo difficilius est tolerare pruritum, quàm dolorem, & maioris virtutis, modeste honores gerere, quàm patienter, & æquo animo contemptum ferre.

Tertiò, contemptus, quandoquidem qui ex vili stercore nati sunt, & proprios parentes, ac cõsaguineos odio habent, nec ex tali domo vel familia vocari volunt, Nam

Asperius nihil est humili cum surgit in altum. Reyer. in apoph. christ. in v. honor.

Quartũ vitiũ dominãs est ipsa dignitas, & honor. Hinc natũ est, vt viri magni dignitates fœcundam fastus materiam fugerẽt, sciebant enim superbiam purpuræ comitem, raramque coniugationẽ dignitatum, & Cœli esse. Quare cum Cœlum cogitarẽt, dignitates plurimum Cœli inimicas auersabãtur. Nam si opes, & beatitudinem non capiat vnũ Cęlum, cum ipsa veritas dicat, Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in Regnum Cœlorum, quomodo honores, & gaudia capiet, cum difficilius sit, modũ in honorib. quàm in opibus tenere? Nullum fere vitium durius in imperio est, & in quod concordibus magis animis insurgant subditi, & inferiores, quàm fastus; barbaries enim aliquid sapit, & mancipia, non filios redolet, quęres ingenuis, magis etiam religiosis grauissima, qui solo Christi sui, Cęlestiumque amore, se Superiori ut filios parenti, non ut seruos Domino subdiderunt.

derunt. *Scriban. de sup. relig. l. 1. cap. 23.* De oue refertur, quod quātumuis stolida, ac misera sit, si tintinnabulum collo eius appēdatur, omnes quasi domina precedere satagit: sic homo quantumcunque sensu debilis & imbecillis, si alijs præficiatur, omnes uirtute antecellere se credit, & se omnibus meliorem esse sibi persuadet. Quem propterea admonet Sapiens *Eccles. cap. 32.* Rectorem te posuerūt? nolli extolli, &c. Ideo Summus Pōtifex electus in humili ac forata sella constitui solet, & stuppa ante eum cōburi, ut admoneatur, quò altior est culmē, ad quem est euectus, eò magis eum de se humiliter sentire debere. Ex quo fit, ut hmōdi homines numquā se ipsos, taro proximos, & ut in pluribus Deum ignorent. Sępe accidit, ut dū quis in humili manet, se ipsū norit, & in illo statu quiescat, dū aūt ad aliqđ dominiū assumitur, statim sui cognitionē amittat, ita ut non modo quis sit, uerum nec gradum ad quē assumptus est, agnoscat, ac multo magis quam cōditio sua patitur, se haberi cupiat, & ad altiorem anhelet, ac continuo metu concutiatur. *D. Bernardus. Epist. 42. ad. Henric. & l. 3. ad Eugeniū Papam.* Sēper enim grandis potestas maiori timori, & vexationi subiecta est; sicut ramum arborū in excelso positarum etiam leuis aura commouet; sic & sublimes in dignitatū culmine existentes uel leuis nuntij fama conturbat, humiles autem sicut in conualle plurima tranquillitate potiuntur. *Horat. libr. 2. Carm. ode. 10.*

Secunda superbię occasio huic affinis est nobilitas, de qua idem Salustius dixit, cōmune malum est ipsis nobilibus superbia. *Et Seneca in Hipp.*

Durus, & veri insolens,
Ad recta flecti regius non vult tumor.

Qui nāque sunt sanguine nobiles ut plurimum ita animis extolluntur, & cæteros spernunt, ut sibi subesse uelint, ac si illorum terrestres Dij essent, nec Deum ut huius doni auctorē agnoscunt. Et reuera talis nobilitas est quid vanū, & inane, cum fundamentum in natura non habeat, sed in hominū opinione, si nuda & sine uirtutibus uestita aspiciatur. Vera nobilitas non ex sanguine, & carne, sed ex uirtute animę formam, & characterem accipit. *Ioānes Alex. apud. Baronium to. 8. anno 620.* Nobilitas, n. quam quis à maioribus sortitur non uera, sed præsumptiua tantum est, at illa quam ex propria uirtute peperit, certa, uera, & cōmendabilis est. Et ex ueteri adagio nobilitatē in astragalis uel talis habere dicitur ille, qui generis præstātia tumēs, nulla ipse propria uirtute nititur. Olim apud Romanos anulus nobilitatis symbolum fuit, ut hoc insigni nobiles admonerēt, quod sicut in anulo finis cum initio coniungitur, & per omnia similis esse debet, ita ipsi qui in prosapia nouissimi sūt, progenitorū suorum naturam referre debēt, qui principium uirtute suæ nobilitati dederunt. *Io. Carthag. de Nauitate B. Virg. l. 2. hom. 1. Alex. cons. 209. & 213. Io Choc. lib. 4. Thes. Polit. cap. 2. Tiraq. de nobilit cap. 5.*

Tertia superbiendi causa est scientia, cum certum sit ex Apostoli sentētia illam inflare, at charitatē ædificare. *1. ad Cor. 7. c. nisi cum pridem. extra. de renunt.* Et sicut ex nimia stomachi repletione oritur obstructio illa, quam medici opilationē uocant, ex qua producitur continuus capitis dolor, & phrænesis ad insaniam perducens; & uinum aqua non dilutum mentem alienat, sic ex nimia scientia nisi cum uirtute coniuncta fuerit, mentis cæcitas, superbia, & Dei obliuio nasci solet, & in reprobū sensum lapsus. Lubricū quippe est felicitatis, & dignitatis solum, in quo uix potest humana non labi fragilitas, cum perdifficile sit, homines in altū sublatos supercillium non tollere, non amplitudinis uoluptate inebriari, ac sui sępe obliuisci, ut rectè à sanctis uiris traditum sit, raram esse scientiam sine tumore, prælationem sine elatione, dignitatem sine uanitate, &c. Propterea scientia ipsa nisi cū uirtute coniungatur, est uelut gladius in manu furiosi, ut prosequitur. *D. Gregor. l. 27. moral. c. 27. Staplet. in dom. 12. post Pent. ac Byllius. in sacra anthol. carm. 88.* Hinc prouenit, vt & religiosi aliquādo tumeāt, ac conquerantur, eo qđ apud se ipsos, & apud alios sapiētes, & eruditi existimati, subditi semper in angulo domus lateant, & eis tāquam spurijs, & infamibus portę dignitatum non pateant, quinimo alij ignari & insipiētes eos in eorū religione in officijs, & honoribus antecellant, &c. Licet fatendū sit, male agere Prælatos, ignaros sapientibus præferentes, cum eruditi apud diuinas literas honore digni reputētur, & illi qui docti sunt, quasi splendor firmamenti fulgere debeant. *Dan. c. 12.* Et vt ait *B. Laur. Iustin. in tract. Instit. & reg. Pral.* Sicut cęci corpore propter incurrentia incommoda ductore indigent: ita qui alijs præesse debēs sapiētia, & scientia opus habent. *Roder. tom. 3. quæst. regul. quæst. 64. art. 4.* Vide infra *quæst. 6.*

Quarta, & vltima in superbiam labendi occasio ex diuitijs prouenit, vt enim cū plena est Luna, Sol eclipsim patitur; ita diuitijs turgidi peccatis obscurantur. Hinc & *D. Ambros. l. 3. off.* ait, meliores esse amicitias inopum, quàm diuitum, eo quod diuites Cardamo similes esse dicantur, cuius vtrique ea natura est, vt herbarum in propinquo nascentium humorē ad se vi quadā intima pelliciendo eas arescere cogat. Superbia duplex agnoscitur, vna est quasi naturalis, quæ vocatur leonina, siquidē natura leo superbus est; huic nobilium fastus respondet. Altera est aduētitia, quæ vocatur canina, canibus namque non est à natura inditum, vt superbia laborent, nisi cum rabie confl ictantur, cui rusticorum insolentia consonans est, qui dum diuites efficiuntur, ita in super-

superbiam efferuntur, vt se ipsos non cognoscāt, & ceteros despiciant, &c. Et difficile admodū esse hominem reperire, qui in prosperis, & diuitijs se modeste contineat, docuit nos Sapiens *Eccles. cap.* 31. dum ait, Beatus vir, seu vt alia habet lectio, Beatus diues, qui inuentus est sine macula. Vnde & *David Psal.* 72. In labore, inquit, hominum non sunt, ideò tenuit eos superbia. Addo quod cū mulieres suapte natura elati tumentisque animi sint, tùm vero maxime earum genuinam superbiam forma, corporis species, & ornatus adaugere solet cui sentētiæ calculum addit *Ouidius*.

Fastus inest pulchris, sequiturq; superbia formā. Tiraq. lib. 2. connub. num. 1. Berarduc. l. c. num. 40. *Bessæus. domen.* 10. *post Pent.* Quod animaduerti, *in Comment. de hum. vit. stat. par.* 2. *cap.* 17.

CAP. II.

QVAESTIO IV.

SVPERBIAE PROLES, ET FILIAE quanam sint.

QVæ sunt peccata, quæ ex superbia tanquā ex radice oriuntur, illiusque proinde soboles, & filiæ dicuntur? R. Quamuis ex *D. Thoma.* 2. 2. *q.* 162. *art.* 2. Omni peccato conueniat, vt ex superbia oriri possit, cum ex *D. Prospero de vita contemp. c.* 2. Nullum peccatum sine superbia, & Dei cōtemptu esse possit, duodecim tamen sunt, quibus appellatio ea specialiter tribuitur; Præsumptio, ambitio, vana gloria, iactantia, hypocrisis, discordia, contentio, pertinacia, curiositas, inobedientia, contemptus, vanus ornatus cū singularitate coniunctus; addunt alij postremo ingratitudinē. Hinc Doctores considerantes vniuersalem eius influentiam, quā in omnia vitia habet, non eam cum alijs peccatis cōmemorāt, sed illā omnium vitiorum reginam, & matrem constituunt, ita vt cum omnibus virtutibus sit cōtraria, vnius extinctione nō sit contēta, sed contra cuncta animæ membra se erigat, ac quasi generalis, ac pestifer morbus omne corpus inficiat, &c. Aquila volucrum regina deprehēsam prædā occisura, & in frustra diuisura, eam quàm potest altissime eleuat, ac inde præcipitem dimittit. Eadē prorsus fallacitate princeps vitiorū superbia hominem in excellum vento præsumptionis subleuat, ac elatum lapsu grauiori perdit, & in æternæ damnationis abyssum demergit, ita vt adimpleatur qđ Vates regius dixit, Deiecisti eos, dum alleuarentur. *Io. à S. Gemin. libr.* 4. *de similit. cap.* 26. *& Bess. l. c.*

QVAESTIO V.

QVID SIT PRAESVMPTIO, ET QVAE eius signa.

QVid est præsumptio? R. Præsumptio dupliciter accipitur, vno modo vt opponitur spei per excessum, in quo sensu egimus supra *tract.* 3. *cap.* 2. *quæst.* 22. Altero modo vt humilitati aduersatur, sicque in præsentiarum spectatur. Et diffinitur, vt sit inordinatus appetitus eorum, quæ vires nostras, vel merita excedunt. Estque peccatū mortale, si quid in notabilem Dei irreuerentiā, aut spirituale, vel corporale proximi damnū ex ea sequatur. Sic peccāt, qui aliquod officium, in quo hospites sunt, & peregrini, exercere præsumūt; vt cum quis sine sufficienti scientia, vult confessiones audire, vel conciones ad populum habere, agere aduocatum, & absque iuris pericia in causis patrocinari, medicum sine arte mederi; &c. Sapientis est nāque priusquā onus aliqđ subeat se ipsum metiri, omnia perpendere, vt procul dispiciat quem sperare exitum possit, &c. *Nazianz. oratione* 26. *& D. Chrisost. ad Philipp. hom.* 12. In eūdem etiam scopulum impingunt medici, cum medendi vim non diuino numini, sed proprijs viribus attribuūt. De qua re etiā reprehēsus est Rex Asa, qui in morbo suo nō quæsiuit Dominum, sed magis in medicorū arte confisus est. vt *lib.* 2. *Paralip. capit.* 16. Sane non oportet sanationis spem in medicis collocare, sed potius in vero medico Saluatore Christo Iesu. Hinc cū quædam cæca mulier. B. Hilarioni exposuisset, teste. D. Hieronymo in eius vita, se omnem substantiam in medicis consumpsisse, ei respondit, Si pauperibus dedisses eā, curasset te verus medicus Chrs. Vnde etiā Phœnix accenso nido alas ad solares radios expandens, cum his tribus literis, Vitam ęternā viuo, symbolum est hominis, omnē suam spem in Christum solem iustitiæ ponentis, à quo vitæ suæ renouationem cupit, vt in æternum viuat. *Diadochus. de perfect. Spir. cap.* 53. *Pet. Dam. Epist.* 107. *Aetius. de Infirm. p.* 1. *cap.* 44. *Aldrou. in tract. de auibus tit. de Phœnice.* Eodē præsumptionis peccato inuoluuntur, qui iurisdictionem, qua carent, in absoluendo, vel dispēsando vsurpant. Item si seculares Iudices de causis ecclesiasticis cognoscerēt, vel ecclesiastici contra prorsus exemptos sententiam proferrēt. Similiter si clerici munus quod non habent, obirent, puta Subdiaconus ex officio solemniter in ecclesia caneret. Diaconus missam celebraret, &c. Ad eandem spectat, si quis in aliorū officijs se immisceat, nisi necessitate vel charitate impellēte, ad supplendum alterius defectum, ex tacito aliorum cōsensu moueretur. *capit. non est sine culpa. ext. de regul. Iu.* Tandem ne plura persequar, præsumptionis peccatum

tum admittit, qui de sua iustitia cõfidens probabili se peccandi periculo exponit. *D. Ant. 2. part. tit. 3. cap. 6. §. 4. Tol. lib. 8. cap. 22. Nau. cap. 23. nume. 11. Caiet. in verbo. periculum.*

Porro tacitæ præsumptionis incognitæ ad res magnas gerendas aditum præcludentis uaria sunt indicia. Primũ in rebus magni momenti conficiendis solo proprio cõsilio niti; nec eas cum Deo conferre, & commẽdare. Et cur mundus tot calamitates patitur, familiæ sæculares, ecclesiasticæ, & religiosæ malè regũtur, tot bella infeliciter geruntur, tot prouinciæ, regna, & urbes non adeò fecũdo successu administrãtur? quia homines suis uiribus, & proprio igenio cõfidentes, suis humeris ea sustentare præsumunt.

Secũdum signũ est è contra, si res quã quis agere cõcepit, ex uoto nõ successit, & spe frustratus est, illico animum abijcere, & nimia absorberi tristitia, & solita pietatis opera deserere. Deus est, qui rerũ exitũ in potestate tenet, proinde non renitendum, sed diuinæ prouidentiæ parendum, à qua cuncta tàm prospera, quàm aduersa proueniunt.

Tertium indicium est, quod homines in his quę agunt, non Dei, sed suam gloriam quærunt, & his quomodocunque peractis extolluntur. Huic quartum tacitæ præsumptionis argumentum attexitur, quod homo sæpe sine causa peccãdi periculo (vt supra perpẽdi;) se exponat, ut si quis castitatem profiteri uelit, & in conuiuijs frequens sit, & in mensarum delitijs familiariter cum mulieribus couersetur, somno, atque otio indulgeat, uestium cultum, ac mollitiem sectetur. Cum tamen ut scitè dicere solebat B. Rutgerus è D. Francisci familia, Merito ille à Deo deseratur, & in peccatum labi permittatur, qui plus æquo sibi præfidẽs, se temere in discrimen conijcit. Huc etiã aliqui licet improprie illam tacitã eorũ præsumptionẽ referũt, qui spe ueniæ pœnitentiam usque ad senectutem, uel uitæ exitũ differũt, cum ualde dubia, & periculosa sit. sicut enim teste Galeno, maxime incurabilia sunt ulcera illa, quæ uetustate iam cancrænã nescio quam, carnem uocabis emortuam, albẽtem primo, deinde nigrescentem inducunt, sic ulcera illa animæ, quæ ad senectam usque quãdo iam pili albescunt, & reliquũ corporis de uetustate nigrescit deueneriũt, difficile admodum curantur. *D. Ant. 4. part. tit. 14. capit. 6. §. 3. Metina, & Bannes apud Sanchez l. 2 de Decal. cap. 33. num. 7. Menoch. l. 6. de præsumpt. præsumpt. 94. Iust in super Tobiam. capit. 4 vers. 6. doc. 4. & de gradibus superbiæ. capit. 5. Comb. de stud. perfect. lib. 2. capit. 38.* Vide à nobis obseruata in *Comment. de hum. vita stat. p. 1. cap. 3.*

QVAESTIO VI.

QVID SIT AMBITIO, ET QVOMODO peccari in ea contingat.

Qvid est ambitio, & quomodo peccatum in ea cõtingit? R. Ambitio est inordinatus appetitus honoris; honor autem excellentiæ testimonium, excellentia vero quam honor respicit, in sapientia, & virtute potissimum consistit, deinde in alijs perfectionibus, & dignitatibus, vel naturalibus, vel moralibus à Deo cõmunicatis. Quod quidem testimoniũ multis modis deferri potest. s. verbis honorifice compellando, vt capitis detectione, corporis inclinatione, genuflexione, honoratioris loci concessione, statuę erectione, officij, vel dignitatis delatione, & huiusmodi; qui enim honore affici cupiunt, nihil aliud optant, quàm talia signa suæ excellentiæ in præmium virtutis sibi exhiberi. *D. Thomas. 22. quæst. 103. & 131. art. 1. & 2. Arist. lib. 1. Rhet. D. Anton. 4. p tit. 5. cap. 10. §. 1. Cassan. in cat. glor. mundi p. 1. consid. 1. & 5. & 42. Nau. in cap. inter verba. concl. 5. num. 63. 11. quæst. 3. Pet. Nau. lib. 2. de restit. capit. 4. numer. 18.*

Iudicabitur vero ambitio mortalis culpa. Primo, si de peccato mortali honor appetatur, vt de eo, qđ tuo Superiori impudenter repugnes. Secundo, si modus quo honor, aut dignitas appetitur, peccarũ sit mortale, vt uelle dignitatem per simoniam, usuram, homicidium, vel per dolum. Tertio, si quis ad consequẽdum honorem aliquem, uel officium, culpam mortalem committere paratus sit. Hoc modo peccat, qui cũ sit Episcopatu, uel aliquo curato beneficio indignus, ut quia improbus sit, & indoctus, ipsum deliberate appetit, &c Quarto, si finem mortalem sibi proponat, ut uindictã de inimico, rapinã alienorum bonorum, aut aliud huiusmodi. *Tol. lib. 8. c. 13. Caiet. in v. ambitio. Card. in clem. 1. de regul.*

Quod quidem uitij, & peccati genus reprehenditur à Domino nostro. *Matth. cap. 23.* illis uerbis, Amant autem primos recubitus in cęnis, & primas Cathedras, &c. A Sapiẽte *Eccles. cap. 7.* Noli quærere ab homine ducatum, neque a Rege Cathedrã honoris. Et à *D Chrisostomo relato. in cap. multi dist. 40 D. Aug. libr 4 de Ciuit. Dei. capit. 11. D. Basilio. in monast. constit. cap. 25. Lud. de Ponte. tom. 2. tract. 2. cap. 10. Tusch. in verbo ambitio. concl. 325. Clemente 8. in Decreto pro refor. regul. n. 35.* Vt proinde verũ sit quod Quicunque desiderauerit primatum in terra, inueniet confusionẽ in Cęlo, &c Ambitio communis est morbus, adeò ut quos nulla uitia delectãt, solus superet ambitus. Vnde & Dionysius tyrannus Syracusis expulsus, Corinthi pueros docebat, usque eò carere imperio non poterat. Et ut ait *D. August. in Psal. 1.* per eum cathedra pestilentiæ recte

recte intelligitur, quia non penè quisquam est, qui dominandi amore careat, & humanam non appetat gloriã; & si fere oẽs hoc titillat vitiũ, quãto magis ecclesiasticos pulsat, quib. ex altiori dignitatis gradu ambitus ansa porrigitur? vt proinde Eugenio suo S. Pontifici. D. Bernard. *l. 2. de consid.* scripserit, Nullum tibi venenum, nullum gladiũ plus formido, quàm dominandi libidinẽ. Ideo hęc pestis omnia iura diuina & humana sursum, deorsumque inuertit; vnde est illud impium Cæsaris ex Euripide dictum.

Si violandũ est ius, regnandi causa violandum est,
Alijs rebus pietatem colas.

Ambitio mater est hæresis, & fidei confessionis necessariæ impedimentũ, vt patet in Nouato, Ærio, Luthero, & alijs. Mundi dignitates multis damnationis causa fuerũt; solet .n. Diabolus ambitiosos extollere, vt præcipitet, exẽplo Aquilæ testudinem eleuantis, iuxta illud,

Tolluntur in altum,
Vt lapsu grauiore ruant.

Gisbert. de vita Eccles. cap. 27. Io. à S. Gemin. libr. 3. de exemp. & similit. cap. 17. & lib 4. capit. 26. & dixi supra cap. 2. quæst. 1. Qua ratione Heronem Eremitam deiicit, vt apud *Cass. l. 5. collat. 2. & Marulum lib. 5. exemp. cap 7.* Et illos religiosos, qui propter ambitionẽ damnati, & ad tartara detrusi fuerunt. vt apud *Ant. Senen. in hist. Dominic. Mart. Delrium tom. 3. disq. mag. l. 6. c. 2. quæst. 3. & sect. 3. & Daur. tom. 3. tit. 6. c. 6. exemplo. 3. & 4.*

Quò fit, vt viri dignissimi officijs, & administrationibus, vix adducantur, vt illa suscipiant. Oliua, vitis, & ficus principatum inter arbores recusarũt, sed Rhamnus vilis frutex regnare voluit. *Iud c. 9.* Christus cum quæreretur, vt Rex cõstitueretur, fugit in montẽ, docens nos à cathedra pestilentiæ cauere. *Ioannis. c. 6.* Labeo homo liber, magnanimus, & ab ambitu semotus, oblatũ ab Augusto Consulatum recusauit. O statius exhibitos sibi à populo honores spreuit, & Dictaturam genuflexus deprecans à se depulit. *Cagnol. in l. 2. vers. fin. ff. de orig. Iu.* Pericles inter Græcos multis nominibus celebratus, cum Atheniẽsibus imperitaret, vanitatem præsentis vitæ, & humanorũ fluctuum incõstantiam considerans, vitæ solitariæ amore affectus, Atheniensiũ Ducatum cõtempsit, & quasi de aliquo naufragio euasisset, ad solitudinis portum se cõtulit, & in humili casa quietam vitam traduxit, cui hũc titulum inscripsit;

Inueni portum, spes, & fortuna valete.

Si principatum temnis, non modo Deorum conuiua, sed etiam collega eris, dicebat. *Epist. Eneb. c. 20.* Vnde & in illius pij viri commẽdationẽ scriptũ est

Renuit oblatum sibi Bruno Pontificatum,
Cernens esse statum Magnatum raro beatum.

Qua ratione in iure etiam officia & Magistratus onus quidem, non autem beneficium nuncupãtur. *l. munerum. ff. de mun. & honor.* Et ut canit Seneca in *Tyeste*.

Rex est, qui posuit metum,
Et diri mala pectoris,
Quem non ambitio impotens,
Et numquam stabilis fauor
Vulgi praecipitis mouet.

Innumerabiles viros religiosos sapientia, & sanctitate illustres extitisse scimus, qui ecclesiasticas dignitates vltro delatas tàm cõstanter repudiarunt, vt nobile huius rei documentum orbi terrarum reliquerint. vt de D. Bernardo. D. Antonino. Thoma Aquinate, Bernardino Senẽsi, inter alios legimus. *Platus. de bono stat. relig. l. 1. c. 38. & de dignit. Card. cap. 50.* Ferunt etiam Ioannem Picum Mirandulanum sæpe oblatas, & sacras, & profanas dignitates magno respuisse animo, Deo, & studijs, se addictũ respondens. Videant superbi nedum in altum euehuntur, inde validius elidãtur. Dauid *Psal. 35.* cum ait, Non veniat mihi pes superbiæ, huic vitio non duos pedes, sed vnum tribuit, vt intelligamus, ambitionem claudam, & instabilẽ esse, qui enim vno pede ambulat, facile ad terrã deijcitur. Cato Maior inanem gloriam, & maiores quosque honores magnanimus spreuit; vnde aliquãdo interrogatus cur statuã inter multos nobiles non haberet? Malo inquit, bonos ambigere, quamobrem id non meruerim, quam qđ est grauius, cur impetrauerim, mussitare. *Grat. in Discept. Foren. tom 2 cap. 284. n. 54.*

Cum ergo ambitionis vitium maximã perniciẽ afferat, à iustis, & bonis viris fugiendum est, illud Pythagoricum seruando, A' Fabis. i. honoribus abstineto. Qui imperium, & Magistratus, vel munia, suscipere non debent, nisi vt Deo inseruiant, & proximis prosint, & nisi à Superioribus necessitas imponatur. *l. quemquam. C. de ep. & cler. capit. nisi cum pridem. ext. de renunt. cap. in scripturis. 8. quæst. 1. Henriq. de sacr. ordinis. libr. 10. cap. 33. Rossign. l. 5. de disciplina christ. perfect. cap. 2.*

Siquidem, vt verum fateamur, licite prudentes Superiores, & Præfecti tàm sæculares, quàm regulares præmia subditis proponunt, vt eos ad virtutum actiones accedant, cum honor alat artes, & virtutẽ velut corpus vmbra sequatur; cuius proinde appetitus si moderationis fines nõ transilit & actu, vel virtute, in Deum, vel alium debitum, & honestum finem referatur, culpa caret. Inordinata enim est reipub. tàm sæcularis, quàm religiosæ compositio, prauum, ac execrandum regimen, ut ignari, ac imperiti efferantur, doctina vero insignes despiciantur, & eis tanquam spurijs, & infamibus dignitatum portæ numquã pateant. Et hoc est illud malum, quod Sapiens sub sole vidit stultũ in dignitate sublimi,

sublimi, & diuites sedere deorsum, idest literatos abiectos, & idiotas ad honores euectos. *Eccles. cap. 10. Io. Carthag. l. 8. homel. 3. Delrius in adagys. sacris. Scholiastes. super Alciat. emb. 7. Garzias. de Magistratibus. p. 1. l. 1. cap. 23. & cap. 30. D. Ant. 2. part. tit. 3. cap. 5. §. 4. Lessius. lib. 3. cap. 2. dub. 3. num. 21. Beyer. in apoph. christ. in v. honor. Val. tom. 3. d. 8. q. 3 p. 2. Syl. in v. Episcopus. num. 3. & in v. superbia. n. 7. Pet. Nau. l. 2. de rest. capit. 4. §. 2. dubitatio. num. 20. Nau. de oratione. miscell. 42.* Quippe natura ipsa animis etiam excellētibus insitum videtur, vt præmijs excitentur, atque ad suscipiendos labores muneribus propositis alacriores reddātur. Quinimo teste *Cicerone. l. 3. de natura Deorū.* Nec domus, nec respublica stare potest, si in ea nec rectè factis prēmia extent vlla, nec supplicia peccatis. Hinc ille Poeta,

Ipse decor rectè facti si præmia desint,
Non mouet, & gratis pœnitet esse probum.

Menochius. libr. 6. de præsumpt. præsumpt. vlt. Reginald. lib. 12. cap. 4. num. 30.

Porro ambitionis uitiū à nobis arceri poterit cōsiderando. Primo, (vt supra dixi) Spiritū sanctū ab eo nos dehortari. Noli quærere à Dño ducatū, neq; à Rege cathedram honoris *Eccles. cap. 7.* Secundo, eius prauitatem perpendendo, cum sit subtile malum, secretum uirus, pestis occulta, doli artifex, mater hypocrisis, liuoris parens, vitiorum origo, &c. *D. Bern. Psal. 90.* Tertio, Christi, & sanctorū exempla sibi ante oculos proponendo, qui heroico spiritu honores respuerunt. *Busens. in Arca medica in verbo ambitio.*

QVAESTIO VII.

QVID SIT VANA GLORIA QVANDO & quomodo peccatum.

QVid est inanis gloria, quando, & quomodo peccatū? R. Est immoderata laudis, famæ, vel sui ipsius existimationis libido, uel appetitus, idq; oque ab ambitione tātum differt, quod famam cum laude coniunctā pro obiecto habeat, ambitio autem honorem, seu reuerētiam, alicui in testimoniū eius excellentię, seu uirtutis exhibitam. Quiquidem laudis appetitus, eatenus non est malus, quatenus uirtuti fauet, & eam succrescere facit; siquidem auctore *Cicerone in Tusc. qq. l. 2.* Honos alit artes, & animū roborat, & ad quæque ardua, ac difficilia fortem reddit, cui subscribit ille, qui dixit;

Denique non paruas animo dat gloria vires,
Et facunda facit pectora laudis amor.

Hinc & Præfecti qui muneribus funguntur, & alijs imperāt, etiam si multos labores sustineant, ob honorem tamē sibi à subditis exhibitum onera leuius ferunt; nam & quadriga, ait ille Sapiēs, admota iumento sarcinulam, quæ ab ipso moueri nō poterat, auget quidem, sed portabiliorem facit onus oneri additur, & minus onerat. Mulo cum clitellæ pōderis incrementum fint, hinc tamen hoc consequitur, ut sarcinas sibi impositas leuius gestet,

Sic auibus leuitas ex pennis nascitur ipsis, &c. Billius. in anthol. sac. car. 37. Vnde Scipio Africanus qui, vt aliàs dictū est, Socraticū Xenophontē in manib. semper habebat, eius in primis illud cōmendabat enuntiatū, qd assereret, eosdē labores nō esse æq; grādes Imperatori, ac militi, qd ipse honor is laborem tolerabiliorem Imperatori redderet. Huc accedit temporalem gloriam naturali inclinatione ab hominibus apperi, cum teste *Valerio Max. l. 8 cap. 15. & Nau. in cap. inter verba concl. 5. 11. q. 3.*

Nulla tanta humilitas, quæ dulcedine gloriæ non tangatur. Et vt ait *D. August. super illud psal. 1.* Beatus vir, qui in cathedra pestilentiæ non sedit, (& etiā supra aduerti.) Non est fere quisquam, qui careat amore dominandi, & humanam non appetat gloriā. *Et l. 6. de Ciuit. Dei. c. 19 & Ep. 64.* ait ei qui uirtutes habeat, magnam uirtutē esse, gloriam cōtemnere. Atque etiā ingenue de se fatetur, quod cum hoc aduersario dimicans, sæpe ab eo vulneratus, exceperit, cum oblatæ laudis delectationem auferre non potuerit. Et sæpe quos vitia nulla delectant, quos nulla potuit mouere luxuria, nulla auaritia, subruere, facit inanis gloria criminosos, ait *D. Amb. l. 4. super Lucam. cap. 4.* Et adeò est insitus aīs claritatis amor, vt eam expetiuisse eos constet, qui de contemnenda gloria disputarunt, cum in suis libris & disputationibus nomina sua inscribi voluerunt, & post mortem etiam ipsa monumēta præclaris titulis decorarunt. Et *D. Anton. 2. par. tit. 4. cap. 1.* ad hanc rem illud adagium citat, Cuilibet placet caro laudenuis. Nec abludit illud *Iuuenal. Satyra. 1.*

Non ego cum scribo si quando quid aptius exit,
Laudari metuam, nec enim mihi cornea fibra est.

Qđ significat, non sunt mihi ita dura præcordia, vt laudis amore nō capiar. Hinc & *Philippus Beroal. in Comment. ad d. l. 3. Tusc. qq. Cicer.* Duplex est inquit gloria, altera adumbrata, & ex vulgo progenita, quæ nec à iudicio prouenit, nec firma perdurat, quam velut vitium sapiens non expetit. Altera est solida, vera, ac durabilis, quæ ex cōsensu bonorum producitur; sicut enim consuetudo sermonis cōsensus est eruditorum, ait Quintilianus; sic cōsentiens laus bonorum, gloria appellatur; & hæc bonis viris non est contemnenda: imò qui eam negligit, crudelis est. *c. non sunt 11. quæst. 3.* siquidem fama, qua inter temporalia nullum pretiosius est bonū, ad spiritualia utilis est, cum multi à peccatis timore infamiæ compescantur, sed cum se illa notatos vident, sine fræno in scelera se prēcipitant. Hinc *gloss. super illud Matth. cap. 18.* Corripe eum inter te, & ipsum solum,

solum addit rationē, ne, ait, publice correctus uerecundiam amittat, qua perdita in peccato permaneat. *Cassan. in catal. gloriæ mundi. p. 1. consid.* 55. *Gisbert. de vita eccl. c.* 63. Vnde cum appetitus laudis ordinatus est, & rectę rationi consentaneus, nō vitij, sed boni actus naturam induit. Vt vero ordinatus, ac bonus sit, tres cōditiones adesse debent; Primo vt ista gloria de eo captetur, quod vere gloria dignum est. i. de bono aliquo & virtutis actione. Secundo vt gloria maior non appetatur, quàm bonum illud meretur. Tertio vt ad bonum finem dirigatur, nimirum ad Dei gloriam, aut in proximi vtilitatem, aut in propriam, siue spirituale, siue temporale commodum. Ac huiusmodi appetitū non esse illicitum constat. ex *D. Thom.* 2. 2. *q.* 132. *art.* 1. Et ex his sacræ paginæ testimonijs. *Eccles. c.* 41. Curā habe de bono nomine. & *Matth. c.* 5. Sic luceat lux vestra corā hominibus, &c. Itē *Apost. ad Rom. c.* 12. Prouidentes bona non solum corā Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. *Tol. l.* 8. *c.* 6. *Nauar. c.* 23. *nu.* 9. *Val. tom.* 3. *d* 8 *q.* 3. *par.* 2.

Porro gloriæ appetitus, primò potest esse sine peccato; secūdo cū peccato veniali; tertio cū mortali. Primo inculpate cū quis opus suū cogitat laude dignum, & illud tanquam bonū, & cum virtute cōiunctum approbat, ac id ipsum ad Dei gloriā, & proximi vtilitatem ab alijs commendari cupit; & de hoc supradictæ authoritates intelliguntur. Secundo venialem culpam secum trahit, cum quis laudari appetit de his, quæ laude digna non sunt, vt de diuitijs, pulchritudine, honoribus, & alijs, quæ à Sapiente in *Eccles. c.* 1. vana nuncupantur, nolens tamen propter hanc Deum, vel proximum offendere. venialiter quoque tantum peccat, quando non deliberate, sed ex subreptione desideratur: sæpe enim irrepunt in animum subiti quidam motus, quibus humanam gloriam auide concupiscimus, quos subinde reprimere negligimus. Quæ quidē significatur per puluerē, de quo Dominus Apostolis dixit *Matth. c.* 10. Excutite puluerem de pedibus, vbi *D. Greg.* ait, Prædicatio vix sine aliqua pulueris immixtione transit, nam prædicans aut ad indignationem trahitur si contemnatur, aut ad quantulamcunque gloriam si ab auditoribus honoratur. Hinc etiam *Gisbert. de vita eccles. cap.* 73. Cautio inquit est adhibenda, ne bonum opus vitio, aut culpa deprauetur, ne quis voce ad ostentationem, aut uanam gloriam abutatur. Sic B. Lyduuina cuidam religioso vane, & superbe canenti suis precib. raucedinem impetrauit. vt apud *Sur. in eius vita.* 14. *Apr.*

Casus vero in quibus vana gloria mortalem noxam gignit, cum proxime præcedētibus ambitionis coincidunt, ut si Primo de peccato mortali gloria appetatur, vt de magia, adulterio, homicidio, & alijs, secus si de modo animoso, & industrioso perpetrationis facti malitiā detestādo quis glorietur.

Secundo. cum medium quo illa quæritur, est mortale peccatum, vt duellum, &c.

Tertio, cum quis lethaliter delinquere paratus est, vt cum v. g. Prędicator, uel Doctor perniciosum errorē quē docuit, reuocare nō vult, ne clara sui nominis fama obscuretur. In quo casu homo iure araneę cōparatur, quę vt muscas capiat viscera sibi adimit; sic ille pro humana laude aīam suā perdit, &c.

Quarto, cum quis gloriam ad finem mortalem appetit, vt ad habendam occasionē fornicandi; vel in damnum proximi notabile, vt si medicus ne populi laudē amittat, nolit socium in periculoso morbo adhibere; uel si Confessarius in magni momenti dubitationibus, ne indoctus videatur, peritiorem consulere negligat, &c. *Reginald. lib.* 17. *nu.* 212. *Summa Coronae. c.* 1. *n.* 45. & *DD. supra citati.*

QVAESTIO VIII.

AN MORTALE PECCATVM SIT EA qua ad Dei gloriam ordinata sunt, ob inanem gloriam facere, &c.

QVæritur an mortalis sit culpa, ea quæ ad Dei gloriam ordinata sunt, propter inanem gloriam agere, vt sacrum facere, audire confessiones, concionari, & huiusmodi, & an hic finis bona nostra opera inficiat? R. Quidquid aliqui senserint, aio non esse mortale, nisi in his vltimus finis constituatur: hoc est cum quis ita ad humanā gloriam opera illa dirigit, vt Dei præceptis aducersentur & ob eādem immoderatam laudem, famam, vel gloriam assequendam, ea violare non omittat (quod tamē raro accidere solet.) Neque refert, quod actu alium sibi finem, quàm humanū nō præfigat, nam habitu illum Deo non præfert, aliàs permulti imò fere totus clerus damnaretur, &c. vt ait *Pet. Nau. l.* 2. *de restit. cap.* 4. *num.* 60. *Nau. in Man. cap.* 23. *n.* 13. *Henriq. lib.* 1. *de pœnit. cap.* 36. *num.* 3.

Ad Secundam quæstionem respōdens dico, qđ licet inanis gloria ex se & genere suo venialis tantum culpa cēseatur, quia per hoc vitium intra suos terminos contentum non grauis Deo, aut proximo irrogatur iniuria: si tamē sit, vt aiunt, totalis & principalis actus causa, quia scilicet quis ob illū finem mouetur, quo deficiente, tale opus non agereretur, opera bona vitiat, & quò ad meritū sterilia reddit, iuxta illud D. Isidori pronūtiatum, Si causa iactantiæ pauper pascitur, etiam ipsum misericordię opus in peccatum vertitur. Qua ratione hominis intentio radici comparatur. Primo, quia radix est totius arboris, vel herbæ principiū, sic intentio totius verbi, vel operis fundamentum, & finis; qui licet sit vltimus in opere, est tamen in intentione primus.

Secun-

Secundò, quia radix latibulū experit, quamdiù n. sub terra latuerit, nutritur, ac pficit, sed si aulsa fuerit, moritur, & arescit: ita intentio si cum humilitate in occulto fuerit, opus bonum nutrit, sed si per ostētationē exposita fit, extinguitur, & deficit.

Tertio, ratione effectus radici intentio assimilatur, quia sicut radix bonitatis, & malitiæ arboris initium, & efficax causa est; sic qualitas operis ex intētione procedit, iuxta illa pronūtiata, Si radix sancti, & rami sancti; & si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus lucidum erit, &c. Ad *Rom. c. 11. & Luc. c. 12.* Vnde scite etiam aliqui vanā gloriam pauoni comparant, qui ouum gallinæ, vt illud inuolet, inquirit, si post illud in lucem editū cantat. Sic enim vanagloria fructum bonorum operum deperdit, si de illis homo vane glorietur. Et *D. Basilius in const. Monast. cap. 10.* scribit inanē gloriam esse dulcem spiritualium operum expoliatricem, iucūdum animatum nostrarum hostem, blādissimam bonorum nostrorum depredatricem, eandemque mellis illitu fraudis suæ coloratricem, & mortiferi hominum mētibus poculi porrectricem. Diabolus quippe latroni similisq; mercatores insequitur, cū merces in via secum ferre cognoscit, quos ideo comitatur, & eis se adiungit, vt expoliet, sic enim Cacodæmon superbos per iactantiam, & vanam gloriam depredatur, ac spiritualibus mercibus euacuat. *Io. à Gemitiano. lib. 5. de similitud. cap. 17. & l. 3. c. 31. Lud. Granat. de Annuntiat. B. Mariæ Virg. conc. 1. Sarius. in vita S. Homob. tom. 6. die 13. Nou. Rossignol. libr. 2. de discip. christ. perfect. cap. 24. Pet. Bian. lib. 2. de rectis. cap. 4. num. 47. Iustin. in Tob. c. 4. vers. 7. doc. 2. Benzon. de Iubileo l. 5. c. 15. dub. 8.*

Cauenda est proinde inanis glorię cupiditas, vt ait *Cicero. libr. 1. offic.* eripit enim libertatem, pro qua magnanimis viris omnis debet esse contentio, quoniam etiam vt sapiens ait.

Quid valet hic mūdus, quid gloria, qd ve triūphus?
Post miserum funus, puluis & umbra sumus.

Solus qui gloriam spernit, verā habet, nam Cocodrili more fugientem sequitur. Ioannes Picus Mirand. qui humanā gloriam pro nihilo semper habuit, aiebat, famam viuis nō nihil, mortuis nil prodesse, tātumque propriam æstimauit doctrinam, & eruditionem, quātum ecclesiæ vtilitati, & christianæ reipub. conduceret. *Io. Franc. in eius vita. Tympius. in speculo boni Magist. signo. 73.*

Illud præclare dictū uidetur à Pausania, hominem nimis reipub. administrationi deditum, & populari aura delectantem, haud vmquam feliciter diem extremū claudere. Mos erat apud Antiquos Ethnicos, in morte magnorū virorum, uili eos ueste, nēpe abiecto sacco uestire, sicque sepulturæ tradere, ut ostēderent, quàm uilis, & abiecta sit hominum uita, & si opibus abundēt, nobilitate generis, scientiæ laude, & externorum bonorum gloria excellant, quandoquidem una cum morte omnia extinguuntur, & euanescunt, &c. *Monach. de execut. in vestibus. capit. 9. numer. 5.*

CAP. III.

QVAESTIO IX.

Vitium vanae gloriae quomodo à nobis ablegari possit.

Qvomodo uitiū vanę gloriæ à nobis ablegari pōt? R. Hoc uitium multiplex & uariū est undiq; bellator, & ex omni parte uictori occurrēs, nam & in habitu, & in forma, in incessu, in uoce, in opere, in uigilijs, in ieiunijs, in oratione, lectione, in scientia, taciturnitate, in obedientia, prælatione, in humilitate militem Christi vulnerare conatur, teste *Cass. l. 10. c. 3.* Inanis gloria ex triplici causa difficile uincitur. Primo, quia de bono opere nascitur: sicut n. ex uestimento tinea generatur, quæ uestimētum corrodit, & ex ligno uermis, & ex oleribus eruca, illud ex quo gignitur corrumpēs; sic ex bonis operibus aliquando uana gloria producitur, ipsa bona inficiens, &c. Secundo, quia cætera uitia superata marcescunt, hoc uero deiectum acrius ad luctam insurgit, & cum putatur extinctū, sua morte uiuacius cōualescit. Tertio, alia uitia uel locorum, uel temporis beneficio deficiunt; hoc uero minime, nam omni loco, & tempore, uirtutum eius quem impetit successibus animatur, clam aggreditur, & quasi nocte dimicat, non solum in parte carnali, sed et in spirituali insidias instruens, est namque adeò subtile uitium, ut etiam in uiris perfectis influat. Vnde legimus D. Bernardum cum Diabolum in specie medici multa secum uasa afferrētem uidisset, inter quę magnum quoddam uas aliorum mensuram excedens cernebatur, illum interrogasse, quid illa significarent, & inter alia illud tàm ingens? illumque respondisse, Vasa hæc sunt genera peccatorū, in quibus multi bibunt, sed hoc magnū est uana gloria, de quo fere omnes gustāt. *Berard. in Summa Corona. cap. 1. num. 46.* Remedia contra inanē glorā pręter supra dicta, & ea quę infra contra superbiā in genere afferemus, hæc esse poterūt.

Primo, intelligere eius damna, cum, ut diximus, hominem fructu laborū suorum, & Deum sua laude priuet, & impedimentum præstet, ne Deus ipse in animam influat, eamq; suis spiritualibus donis cumulet. Hinc *August. Tortura. in vita Hyeronimi Æmiliani. lib. 4. cap. 9.* de eo sic scribit, Erat unū illud familiare fuit infra omnes sese dimittere, præ omnibus se cōtemnere, maxime solicitus, ne magna uirtutū mercibus referta nauis ad cæcos elationis

scopulos illis à miseræ aliquādo superbiæ fluctibus absorberetur.

Secundo, considerate opera nostra, siue etiā dicta, & cogitata plerumq; in Dei oculis non esse talia, qualia hominibus uidentur. Sæpe enim, ait. *D. Greg. lib. 5. mor. c. 8.* Ipsa nostra iustitia ad examen diuinæ iustitiæ deducta, iniustitia est, & sordet in districtione Iudicis, quę in æstimatione fulget operantis, &c.

Tertio, exēplū Chri, qui opere professus est toto uitæ tēpore, quod verbis dixit. Ego non quæro gloriam meam. *Io. c. 8.* Ne uestis à tinea corrumpatur, & corrodatur, amaris, & odoriferis herbis aspergitur; sic inanem gloriam amaritudo tribulationis & Christi bonus odor expellit. Cuius exempla sancti etiā recto calle secuti sunt, inter alios S. Gregorius Turonensis Episcopus succurrit, qui cum multa per se ipsū Deū miracula facere, & uirtutes operari uideret, reliquias semper sanctorum collo circumferebat, eo fine, ut quoties diuina uirtus aliquid per eū gessisset, non suis meritis, sed reliquiarum vi & beneficio, quas circūferebat, tribueretur, ut apud *Sur. in eius vita. tom. 6. die 17. Nou. Stap: dominica 3. Aduent. text. 2. & dominica 3. post Epiphan. textu. 3. Bessæus. in arca medica in v. vana gloria. 4. remed.* Pręclare D. Bernardus. *ser. 13. in Cant.* Magna ait, & rara uirtus profecto est, ut magna licet operantem magnū te nescias, & manifestā omnibus, tuam te solum latere sanctitatem, mirabilem apparere, & contemptibilem te reputare, hoc ego ipsis uirtutibus mirabilius iudico, &c. Sed è contra quod corrupti animi maius, clariusque argumentum, quàm cū id usu uenit qđ scribit Idē *D. Ber. l. de grad. humilit. gradu. 6.* nempe ut homo qui de omnia alia re plus sibi credit, quàm alijs, de se solo plus alijs credat, quàm sibi. Quod quidē quàm periculosum esset, intelligens Horat. ad quendam ita scribebat,

Sed vereor ne cui de te plusquam tibi credas.

Vnde beati illi dicēdi sunt, qui cū Ieremia *c. 17.* dicere possunt, Diem hominis nō desideraui; hoc est humanam gloriam non quæsiui.

QVAESTIO X.

INDICIA EXPVGNATAE VANAE gloriæ quænam sint.

QVænā sunt indicia, & signa, quibus cognoscimus aliquem uanam gloriam expugnasse? R. Tria præcipua, Primum diuinæ gloriæ in omnibus actionibus inspectio, & scopus. Et sane si opera nobis salutifera, & meritoria esse uelimus, in Deum eiusque gloriā referenda sunt. Et si non desint opinantes, omne opus bonum hominis iusti æternam uitam promereri; uerisimilior tamen est illorū sententia, ad meritum exigi, ut bonum opus iusti, uel tunc cū fit actu à charitate imperetur, & in Dei obsequium, cultumque referatur, uel certe ex actu à charitate imperato, atque in Deum directo; quod est uirtute, non actu in Deum referri; quo sane modo uel eius indifferentia opera ut māducare, bibere, dormire, &c. uirtutis, ac meriti rationem consequuntur. Et quia id nō modo rudes, & imperiti, ut milites, opifices, agricolæ, &c. sed etiam plerique uiri docti, ut Iureconsulti, medici, & alij nonnulli ex ecclesiasticorū numero, prætermittunt, & solum ad finem naturalem labores etiam ingentes exantlant, v. g. ut se suosque enutriant, omni se merito priuant, illis similes, qui aerem uerberant, hic enim cum ictum non admittat, frustra se defatigat. *Gisbert. de vita. Eccles. cap. 1. & 2.* Adde etiam pro signo glorię uanę auulsę, animi dolorem à proficiente conceptum cum ipse laudatur. Laus sua inquit. *D. Gregor. l. 26. mor. cap. 23.* Iustos cruciat, iniquos exaltat, sed iustos cū cruciat, purgat, iniquos dum lætificat, reprobos monstrat.

Alterum est si, ut supra dixi, delecteris quidem aliquantulum laudibus tuis, plus tamen ipsa ueritate teste. *D. Augus. libr. 10. Confess. capit. 37.* Hinc Cato.

Cum te aliquis laudat, Iudex tuus esse memento.
Plus alijs de te, quàm tu tibi credere noli.

Quippe sapiens non fruitur laude per blanditias adulterata, sed per ueritate stabilita, nihil ad ostentationē, omnia ad conscientiam refert, recteq; facti, non ex populi sermone, & honore mercedē, sed ex facto petit.

Qui fauoris gloriam veri petit,
Aīo magis, quā voce laudari volet. Sen. in Thyest.

Tertium signum est si gaudeas, uel certe optes gaudere cū Apostolis, in cōtumelijs, & iniurijs pro Christo; quod altissimum est genus, Dominū nostrum imitandi, qui propterea opprobrijs saturatus dicitur, ut non puderet, aut tæderet nos ignominiā aliquā pro eius amore subire. Ad quod etiam prodesit cogitare quod admonet. *D. Chrisost. hom. 23. in Gen.* Fieri nō posse, ut qui uirtutibus dediti sunt, ab omnibus semper bene audiāt: & illud pręterea, ne uirtutis curam agentibus uiris multi ubique detractores insurgant; bona enim apud omnes fama signum certe uel maximum est, haud multam verę uirtutis rationē haberi. Vt igitur amatur sine peccato gloria, quę recte facta comitatur, sic ęquo animo feratur, & ametur ignominia, quæ eandem hominum culpa, uitio ue aliquādo consequitur. *Bussæus l. c. remed. 11. Rossignol. d. c. 24.* Antiquitas per pauonem surrecta in orbem cauda hominem uanę gloriæ plenum exprimebat, pauo enim pretiosam eam caudæ suppellectilem, tùm plurimum ostētat,

cum

cum plurimos ad se spectandum aduenisse conspexerit, quod si nullum admirari, adesse ve cognouetit, eam veluti indignatus recondit. Hinc *Ouidius*,

Laudata pauone superbior,

De valde sibi placenre dixit. Quoniam vero fœminarum est, qualibet in re sibi applausum quærere, gloriosasque esse, inter pauonem & fœminam mirus quidam naturæ consensus est, vt mirum non sit virginem in Leucadia sic adeò à pauone adamatam, quę ipsa aluerat, vt ea defuncta ipse etiam commori voluerit. *Pierius in Hierogl. lib. 24.*

QVAESTIO XI.

QVID SIT IACTANTIA, QVANDO peccatum, &c.

QVid est iactantia, & quando peccatum per eam committitur? R. Est ostentatio proprię laudis, cum veritas non suadet, & dicitur iactantia, quia cum quis vult à longe aliquid iactare, manum in altum eleuat; ita qui se laudare cupit, verbis in altum se extollit. Quo vitio vt plurimum Iuuenes laborare cōspiciuntur, cum cupiant super omnes excellere, & singulares videri, hinc fit, vt et in sermonibus, & disceptationibus suis, vt opinionem & famam comparent, assertiue loquantur, nec vmquam assensum sustineāt. teste *Arist. in 2. Rhet.* Vbi notandū, aliquem se laudare tribus modis contingere. Primo meritorie. Secundo venialiter peccando. Tertio mortaliter. Meritorie tribus etiam modis. Primo, ob zelum, & pietatem, vel charitatem, gratias sibi à Deo concessas non ad se, sed ad Dei honorem referēdo; sicut fecit B. M. Virgo quę *Luc. 1.* dixit, Magnificat anima mea Dominū, &c. Secundo, ob proximi dilectionē, scilicet ne propter verba alicui publicæ personæ detrahentium, populus scādalum sumat, vel offendatur; cum reipub. intersit, Animarum Rectores integro nomine, & existimatione fulgere. *cap. sunt plurimi. 6. quæst. 1.* Sic inculpata est illa propria laus, cū ad auditorū commodum refertur, vt si concionator aliqua laudabilia de se narret, ut eius doctrina efficacius recipiatur, & ve audientes ad virtutum, præclararumque actionum imitationem excitentur. Sic Hector suas pugnas, & egregia facinora apud Patroclum narrat, ut illū ad prælium, inflāmet, &c. Vnde & Iactabundis etiam illud vitium familiare est, multa promittere, quæ non prestant, & obseruant, iuxta illud *Ouidij*,

Pollicitis diues quilibet esse potest.

Hinc *Vlp. in l. sciēdum. §. dictum ff. de adilit. edict. & Menoch. de arbit. Iud. l. 2. casu* 470. aiunt, Ea solum dicta, aut promissa admittenda sunt, quæcunque sic dicuntur, vt præstentur, nō ut iactētur. Sunt etiā, qui splēdidis, & magnificis pollicitationibus, quæ suo tū effectu carent, officium suum quod nullum est, & simulatam apud Principē gratiam pretio se iactantes vendunt, quos fumi uenditores dixerunt. *Tholos. p. 3. synt. Iu. l. 39. cap. 15.* Propterea his in rebus multa prudentia opus est, cum semper iactantia qualibet res sit periculosa, ut. n. ait *Cicero in off. lib.* Deforme est de se ipso prędicare falsa prę ferrim, & cum irrisione audiētium, imitari militem gloriosum. Vnde & Cato

Nec te collaudes, nec te culpaueris ipse,

Hoc faciunt stulti, quos gloria vexat inanis.

Laus illa suauissima auditu est, quæ ab alijs proficiscitur, molestissima alijs est, quam quis sibi ipsi tribuit. Notum est illud, Multa de re, pauca de te. Gallus uictor illico cantu superiorem se testatur: Ita quidam sua facinora iactāt ipsi, & suarum laudum ridiculi sunt tibicines, ergo

Vincat opus verbum, minuit iactantia famam,

Siquidem laus in ore proprio sordescit, & ut ait *Quint. l. 8. orat. Instit.* Vitiosa est iactantia, infertq; audientibus non modo fastidium, sed plerumque odium. Et ex Valerij Max. sentētia, Nihil est, quod magis laudis præconiū minuat, quàm suos assidue iactare successus, & singulis diebus anni uendere diem unū. A quo uitio uel inter alios Sixtus V. Pōt. Max. maxime abhorrebat, qui nedum egregia sua facinora, & gesta non iactabat, sed etiam parētum, cognatorum suorum humilitatem non erubescens per iocum ex illustrissima domo originem se ducere aiebat, eam enim in qua ipse natus erat (in Monte alto humili oppidulo) per mille rimas, & scissuras solis lumine admisso, uno momēto collustrari. Quinimo oēs cordati uiri non solum se ipsos, genusque suum non iactant, sed nec illis collaudatoribus credunt, qui eos ex quib. se feruntur facere arbitrātur, temere laudāt, ut ex Euripide tradit. Idē *Tholos. in d. synt. Iu. p. 3. l. 39. c. 9.* Hinc Cicero non omnibus placuit, cum post oppressam Catilinam vbique siue in Senatu, siue in concione, siue in iudicijs, in ore Catilinam, ac Lentulum habuit. Laudantur cōtra Aristides, & Cato Maior, quod modestiæ in hac re studuerint; & tamen interdum opus est, ut nos nostraque laudemus, cum uel defendere nos contra aliorum calumnias cogimur, uel in calamitates, & miserias incidimus, ubi commiseratio friget, &c. Hinc tertio loco dicimus, ob sui charitatem licere se ipsum commendare, quando scilicet quis est tribulationibus oppressus, uel criminationibus impetitus, ne deijciatur, & in desperationem incidat; & sua bene acta ad sui solationem ad memoriam reducere, ac alijs quoque commemorare. Quibus nominibus teste. D. Gregorio Iobus in suis miserijs se erigens dicebat, Oculus fui cæco, pes claudo, pater eram pauperum, &c. *Iob. cap. 29. D. Anton. p. 2 tit. 4 cap. 4.*

cap.4.§.2.Bull.in suo rosp.2.serm.9.Cassan.in cat. glor.mund.p.1.conf.59.

Secundo cõtingit aliquem cum ueniali culpa se commendare, cum scilicet quis cum aliqua inanis gloriæ titillatione aliquid uerum in sui laudẽ profert, quod tamẽ nec Dei, nec proximi charitati aduersatur. *D.Thomas.22.quæst.112 art.2.* Talis trapeti assimilatur, q nõ molit, nisi vento agitetur, ita homo hoc morbo laborãs ex bono opere uanæ gloriæ uẽtum quærit. Chamæleonti etiam comparatur, qui uento & aura pascitur.

Tertio, cum peccato mortali iactantia consistit est, atq; in his potissimum quatuor casibus. Primo cum quis se iactat cum Dei iniuria, sibi attribuẽdo, quod Dei est, ut Rex ille Tyri. *Ezech.c.18.* Secundo, cum iniuria proximi, ut Phariseus ille *Luc.c.18.* Tertio, cum de crimine lethali se laudat, glorians cum malefecerit, & exultans in rebus pessimis, *Prouerb. capit. 2.* Vel etiam si quis adeo iactantia delectetur, ut tanquã in ea finem constituens, nihil de præceptis Dei curet. Et hæc est Diabolica gloriatio, de qua Sapiens. *Ecclesi.cap.19* Qui peccat in animam suam pœnitebit. & qui iucundatur in malitia denotabitur, idest de notitia Christi delebitur. In quod peccatum etiam teste. *Ala.de aduoc.christ.p.2 q.49.* aliqui causidici impingere solẽt, qui gloriantur, se Iudicibus falsum pro uero, & nigrũ pro albo persuasisse, & multos reos in criminali iudicio liberasse, per multum temporis iniustam litem pro suis clientibus sustinuisse. Et huius delicti grauitatem detestatur quoq; *Innocent.III.in cap.quãm sit graue.ext de excess.Prælat.* atque inibi iubet, suspendi quendam Clericum, qui gloriabatur, se quandam mulierem turpiter cognouisse. Iure itidem Ciuili huiusmodi iactantia delictum gloriationis appelatur, arbitraria pœna punibile, ut per *Pet.Caballum. casu.crim.8 t.* Sane peccatoribus illud fere euenire solet, quod aliquibus contingit, dẽ quibus Cõmentator super 3. *Physicorum*. refert, ita ueneni comestioni assuetos esse, ut ipsum uenenum ipsis sit cibus, ac eo nutriantur; sic, inquam, perditis hominibus ex peccandi usu, qui pene in naturam conuertitur, euenit, ut peccatum licet ex se mortiferum, non tñ ut perniciosum caueant, sed ex ipso, ac si quid uitale esset, exultẽt, ac se iactent. Quarto, in hoc uitio lethaliter peccatur, cum quis se iactat cum probabili periculo proximo damnum inferendi, ut pura dicendo se magnum aduocatum, aut insignem medicum, ut pecunias emungat, qui tamẽ ignarus sit; quo casu nedum à culpa mortali, sed nec à restituẽdi obligatione excusatur. *D. Ant.l.c.§.3.Caiet. in d.quæst.112.art.2.Tol.l.8.capit.8.Cass.conf.59. Reginald lib.12.num.34.*

Vbi illud obiter non silendum uidetur, ostentationem, arrogantiamque reprimere non paruã laudem esse, eaq; Leonem X. claruisse accepimus. Venerat ad eum nescio quis empyricus, summam peritiam, & præsentem podagræ curãdæ medicinam penes se iactitãs, at ille homini illusori illudere etiã volens, rogat num habeat aliquot nummorum, vel aureorum millia, quæ ad paucos menses mutuo sibi det, eoque negãte, Næ tu ait, homo vafer, & subdolus es, si enim eam quam prædicas experientiam haberes, crede me longe diuitijs præcelleres; ecquis enim in orbe Princeps hoc morbo liberari nollet? *Beyer.in apoph.christ.in v.ostẽtatio.* Profecto vt sol quò magis in alto est, hoc minores facit vmbras; quò terræ propinquior, hoc maiores; ita virtus quò excelsior est, hoc minus videri cupit, minusque se ostentat. Contra qui minus ipsa re valent, magis se ostentatione dilatant; Ergo

Qui sapit in tacito gaudeat ille sinu.

Complacentia, & iactantia efficax ad ruinã instrumentũ est, Vñ statuto die Herodes regia veste indutus pro tribunali sedit, & concionabatur; populus autem acclamabat, Dei voces, & nõ hominis. Confestim autem percussit eum Angelus Dñi, eo quod Deo gloriam nõ dedisset, sed à populo tributã sibi arrogasset, & consumptus à vermibus expirauit; sic qui vana gloria grauidantur, nil serium pariũt, sed vt tumidi vtres quò magis distenduntur, eò diruptioni viciniores sunt.

QVAESTIO XII.

QVID SIT HYPOCRISIS, ET QVANDO nam peccatum per eam committatur, &c.

QVid est hypocrisis, & quando peccatum per eam committitur, &cẽ R. Est simulatio virtutis, quam quis nõ habet, hypocrita namque græce latine simulator dicitur, & hoc nomine ille proprie censetur, qui in theatris, & comœdijs alterius personam refert apparendo quod nõ est; hinc dum quis malus, & vitiosus existens, bonus videri vult, hypocrita vocatur, & mendacij naturam induit; siquidem mendacium tripliciter accipitur.

Primo, pro peccato, iuxta illud *Psal.115.* Omnis homo mendax: est enim homo sicut ad omnẽ falsitatem, ita ad omnem prauitatem ex vitiatæ naturæ miseria ab infantia, & adolescentia pronus. *cap. omnis.12.quæst.1.* Hinc & D. Ambrosius. *relatus in c.cauete.22.quæst.5.* Cauete fratres mendacium, quia omnes, qui amant mendacium, filij sunt Diaboli, non solum in falsis verbis, sed etiam in simulatis operibus mendacium est, mendacium est nãque christianum se dicere, & opera Christi non facere; Mendacium est Episcopum, Sacerdotem, vel Clericum se profiteri, & contraria huic ordini operari. Et Scribanus *de anim.morbis l.3.cap.24.* Quæ paulatim,

latim, inquit, animos ad se rapiunt, auocant ab instituti, & perfectionis amore. Irrepunt hæc mala à leuibus primum initijs ad summa, vt nihil iam præter nomen, ac togam in Religioso viro videas; mores sæculum non redolent, sed exprimunt. Et sane qualē externo cōuictu, & cōuersatione, religiosum videris, talē interius cogita; respondēt interioribus externa, cum hæc ab illis proficiscantur, vt merito mentiri habitu religiosum dixeris, qui sæculū moribus, veste tñ religiosum præfert. In quē sensum. *Boetius de cōs. phil. l. 4. pros. 3.* Euenit inquit, vt quē transformatum vitijs videas, hominem æstimare non possis, cum peccatores per vitia in belluas quō ad mores se cōmutent. Et *D. Bernar. in festo. Apost. Petri, & Pauli serm. 1.* Non vt homo viuit, inquit, qui superbia inflatur, qui luxuria sordidatur, qui cæteris inficitur pestibus; quoniam non est hoc viuere, sed vitā confundere, & appropinquare vsque ad portas mortis.

Secūdo, hypocrisis capitur pro verborū iniquitate, quatenus scilicet est falsa vocis significatio cū intentione fallendi; quod vsque adeò iuri naturę, & diuinæ legi aduersatur, vt nulla ratione quantumcunq; graui mentiri liceat. *c. super eo. ext. de vsuris.*

Tertio, pro factorum peruersitate, vt sunt hypocritarum acta, qui aliud in publico, & aliud in occulto faciunt: aliud intus existunt, aliud foris ostendunt, sicut de Cumano asino legimus quod se reperta leonis pelle amicuerit, vt cum nec fortis, nec generosus esset, tali saltem amictu esse videretur. Cum etiam ex nonnullorum sententia, hypocrita dicatur ab ipo, quod est super, & crisis qđ aurū significat, quia intus est malus, licet foris & extrinsecus bonus videatur, iuxta illud Sapientis. *Eccles. cap. 19.* Est qui nequiter se humiliat, & interiora eius plena sunt dolo. Et illud aliud monitum,

Non teneas aurum, totū quod splendet vt aurum,
Nec pulchrum pomum quodlibet esse bonum.

Bald. l. 1. cons. 9. Tuschus. verbo religio. concl. 136. Qua etiam ratione hypocrita Cygno assimilatur, qui licet exterius, & ad speciem candidissimis pennis sit ornatus, interius tamen carnem nigram habet, & ad digerendum difficilem, & duram. Comparatur etiam astutæ & dolosæ vulpi, quæ vt aues decipiat, se mortuam simulat. *Io. à S. Gemin. l. 4. de similes. capit. 44. Hilar. Fer. 4. cinerum. Hap. in domin. 5 post Pent.*

Porro quō ad peccatum dicendum est, hypocrisim sicut & mēdacium, ac iactantiam, veniale culpam esse, posse tamen esse mortalem. Primo, ratione finis, vt si quis simulet se iustum, sanctum, doctorem veritatis, quō falsam doctrinam seminet; vt faciunt hæretici, pessimi hypocritæ, interius lupi, exterius oues, quos in primis cauendos Dominus monuit. *Matth. cap. 7.* Item Secundo cum in finem mortaliter malum refertur, vt cum quis se castū, & pudicum simulat, vt ei puella, qua abuti possit, committatur; vel vt Episcopatum, seu aliud beneficium curatum quo est indignus, consequatur. Vel etiam cum coniunctū habet notabile proximi damnum, vt cum medicus, vel causidicus se doctū prædicat, cum notabili eorum damno, qui ipsorū opera vsuri sunt. *D. Anton. p. 2. tit. 4. cap. 7. Tol. l. 8. cap. 9. Syl. & in v. hypocrisis. Caiet. 2. 2. quæst. 1 11. art. 4. Holchot. super Eccles. lect. 52. Graffius. libr. 2. decis. cap. 144. Nau. cap. 18. num. 8. Lessius. lib. 2. de Iustitia. cap. 47 dub. 6. num. 46. summa Cor. cap. 1. nume. 48. Iodocus in v. hypocrisis. Molfes. tract. 8. cap. 8. num. 114.*

Hinc etiā culpa nō excusatur Laicus, vel Clericus q ex hypocrisi, quō bonus videatur, ordinariū Cōfessariū mutat, vt alteri grauia crimina cōfiteatur, præsertim si ex consuetudine hoc faciat, eo quod in ea re notabilis Dei irreuerētia cōmittatur, dum sacramentum ab ipso institutum, in quoddam falsitatis, ac mendacij testimonium assumitur. *Syl. in v. confessio. 1. num. 8. Vict. de sacramento. pænit. nu. 196. Reginald. lib. 6. num. 149. Zerula. in Praxi pænit. cap. 19 quæst. 6. Suarez. tom. 4. d. 22. sect. 1. n. 12. Coninch. d. 6. dub. 4. Molfes. tract 7. cap. 12. n. 27.*

QVAESTIO XIII.

AN SIT HYPOCRITA QVI ALIQVOD bonum facit, vt Deus colatur, maiorem tamen sanctitatem, & bonitatem fingit, &c.

An si quis aliquod bonum faciat, vt Deus honoretur, & colatur, & proximus ædificetur, hypocritæ nomē mereatur, & peccatum admittat? ut si Religiosus coram Laicis maiora sanctitatis signa ostēdat, &c. Item an peccet hypocrisis uitio, si sanctitatem fingat, ut eleemosynas sibi comparet, & corradat? R. Ad primam quæstionem dico, non peccare, si reuera bonus sit, & recta intentione ad proximi ædificationem hoc agat, cum non mendacium, sed cautelæ, & prudentiæ actus dicatur.

Vnde de B. Dominico legitur, quod cū grauius siti laboraret, prius ipsam sitim ad fontē extinguebat, & postea in hospitio parum uini hauriebat, & hoc ne aspicientes sæculares, si ibi siti prorsus satisfacere, & genio indulgere uoluisset, illum bibosum existimarent, sed sobrium, & abstinentem: & sic etiam fratres suos, alumnosque docebat, ut coram populis sanctitatis exempla præberent, ut eos conuerrerent, & ad Deum adducerent, &c. *D. Anton. d p. 2. tit. 4. cap. 7.*

Ad secundam quæstionem dico, necessaria habentem ad sustētandam vitam mortiferè peccare, si pauperiem fingat, ut eleemosynas extorqueat; si uero ad uitæ subsidium necessarijs indigeat, lethaliter

liter haud peccat, si uitæ bonitatẽ simulet, vt eleemolynas lucretur, nec ad ullam restitutionẽ tenetur. *Pet. Nau. libr. 3. de restit. cap. 1. num. 304. Nau. cap. 17. num. 107. Azor. p. 3. libr. 13. cap. 4. Carbo de restit. quæst. 44. Nald. in v. dare. in fine. Lessius. de Iustitia. l. 2. cap. 18. dub 17.* Vt animaduerti. *in Comment. de humana. vita. statibus, & eorum oblig. p. 2. cap. 18. oblig. 3.*

Et ad hãc rẽ nõ omittã recẽsere iucundũ exemplum relatũ à *Surio in vita D. Antonini. to. 2. die 2. Maij.* Florentino ciui pauperi complures erant filię iam nubiles, natu grandes. Is S. Antonini monitis ad Annunciatæ Templum in urbe atque adeò tota in Italia celebratũ, periturus opem puellis à Deipara Virgine, ante lucem plerumque properabat. Dum quotidie in officio perduraret, duos forte luminibus captos, qui de more ad vestibulum templi stipem perituri accubabant, de quæstu colloquentes, dum se latere putant, audiuit, uter uberiora lucra reportasset. Cũ uero alter in capitio assutos sibi esse ducentos nummos aureos, alter in galero trecentos affirmaret, bonus ille uir vtroque arrepto ad D. Antoninum Archiepiscopum statim cõuolauit. Is illico aduocatos cæcos, ut mendaces, ac fures, & hypocritas increpauit, quod inopes se esse simulantes, eas pecunias egentioribus abstulissent: non posse eam summam tuto retinere. Ita factum est, ut tota consentientibus cæcis, ad Præsulis arbitriũ causa uerteretur: qui uiginti, & quimque uni, triginti alginti alteri nũmos aureos, qđ reliquũ erat, pauperi ciui ad filiarum dotes fidelis dispẽsator assignauit.

Merito *Concil. Triden. sess. 21. de refor capit. vlt.* Falsos eleemosynarum quæstores eliminandos, ac abolendos præcipit. Imò Mendicantes, quifucatis coloribus se infirmos simulant, pœna falsi puniri debent. Ad hæc pœna furti, ac rapinæ tenentur ob exactas eleemosynas sub palliata lepra, uel ficto morbo, nam quæsitus color non prodest, quãdo rei substantia repugnat, & locum habet dictum Baldi, quod uelata pietas duplex est iniquitas. Propter hoc Carolus V. Religiosissimus Imp. legem tulit, ut quilibet Magistratus in sua Iurisdictione prospiceret, ne cuiquam mendicare liceret, qui re uera sanus esset, nec indigeret, & ut mendicorum liberi ad laborem apri parentibus adimerentur, & opificijs, aut artibus addicerentur. Proinde merito omnis respub. liberaliter instituta segnes, & laborum osores expellit, & execratur, & multis in locis hæc lex obseruatur, ut extet mendicantium domus, in qua ualidi ad uitandum otium, malorum lernam, uarijs in ministerijs exercentur. Videatur *Lapus alleg. 18. Anchar cons. 25. Tusch v. mendicantes. concl. 192. Riccius. in Decis. Cur. Neap. Decis. 285. p. 2. Roder. tom. 2. qq. regul. quæst. 57. art. 7. & 9. q. 8. art. 1. Zerula. in Praxi. Episcopali p. 1. in v. Quæstores.*

QVAESTIO XIV.

QVOMODO IN PRAXI CVM HYPOCRITA se gerere debeat Confessarius?

Qvomodo quò ad actum practicum se geret Confessarius cum pęnitente hypocrita? R. Si pœnitens sanctitatem fingens, aliquam prauam doctrinam docuit, ad canẽdam palinodiam coger, ut ẽt cum quis ignarus, & imperitus se pro doctore & medico gessit, si simulata sanctitate, vel paupertate, pinguem eleemosynam obtinuit, ipsi qui dedit, vel alijs vere pauperib. ex præsumpta eius mente restituere eum astringer si potest, sin minus, cum ad pinguiorem fortunam peruenerit, iuxta doctrinam traditam in materia restitutionis. Vnde & in duobus prioribus casibus, ad impediendum graue proximi damnum, liceret priuatæ personæ (si aliter detrimentum caueri nequeat) occultum ipsius pœnitentis crimen manifestare. In posteriori aũt casu id fas nõ esset, vt DD: exemplum ponunt in aliquibus mulierculis, quæ sub sanctitatis specie, eleemosynas corradũt, licet, n. immerito, & per hypocrisis vitium id faciant, non tamen talis simulatio graue reipub. detrimentum inferr, &c. *Molfes. tract. 11. cap. 22. num. 79. Reginald. lib. 24. num. e. 92. Less. l. 2. cap. 18. dubit. 17.*

Deinde detestabile hoc vitium faciat, eo quod mortem animæ inducat, & Diaboli martyrem reddat. Eum similem esse candelæ in mentem redigat, quæ dum alios illuminat, se ipsam consumit, ita ille dũ alijs bonus videri vult, & virtutis exemplũ, qua caret, ostendere studet, sibi ipsi æternam vitam adimit. *D. Ant. l. c. §. 4. Peraldus. in summa virt. ac vit. cap. 40.* Totius iniustitiæ nullam capitaliorem esse, quàm eorum, qui cum maxime fallant, id agunt, vt boni viri esse videantur, vt ait *Cicero lib. 1. off.* Nam & D. Hier. *in Esaiam. cap 12.* in comparatione duorum malorum leuius esse ait, aperte peccare, quàm cum improbitate sanctitatem simulare In quã sententiam *Plut. in l. de sera num. vind.* refert, Thespesium quendã, qui à morte surrexerat, asserere, apud Inferos, eos qui manifeste peccauerunt, non tãm acerbe plecti, quàm qui clam iniuste vixerant, prætextuq; ex opinione sanctitatis, & virtutis delituerant. *Tiraq. de temp. pœnis. causa. 57. Castrens. l. 2. cons. 467. Tuschus. in ver. Hypocrisis. concl. 110.* Et annotaui, *supr. tr. 3. c. 7. q. 58.* Recolat hypocritam similem esse struthioni, iuxta illud. *Esaia capit. 34.* Erit cubile Draconum, & pascua struthionum: siquidem struthio oua parit, verum neque illa incubatu fouer, neq; pullos nutrit, Ita hypocrita quamuis recte alios admuneat, & bene viuendi viam doceat, nullos tamen filios per vllum bene actæ vitæ exẽplum generat. *Pierius. in hieroglyph. l. 25.* Sicut

in mor-

immortalis est veritas, sic fictionem, ac mẽdacium nõ durare, simulata enim illico patescunt, & nemo sub aquis diu viuit, erũpat oportet, & frontẽ quam celabat aperiat. Simia est simia, & vt est proditur etiam si aureum cultum gestet. Hypocritæ Diaboli esca illecti tandem deposita persona simulatæ sanctitatis deprehenduntur, &c. Multi fictè humilitatem ostendũt in corpore, cum tamen reclusam elationem in corde habeant, quod sane diù occultari nequit; vnde nacta occasione palã proditur, quod impie occultabatur. O quot humilitatẽ foris ostendunt, in tus tumorem superbiæ habentes, dum in minoribus reperiuntur, simulatè cunctis assurgunt, reuerentiam exhibent, omnibus se dimittunt, at si quando nescio qua via ad aliquem gradum ascendunt, qualis eorum fuerat ficta humilitas, mox dignoscitur. De quibus vere. *D. Bernard super Missus est. hom.* 4. Videas, inquit, plerosque de ignobilibus nobiles, de pauperibus diuites subito factos, intumescere, propriæ obliuisci abiectionis, genus quoque suum erubescere, & infimos dedignari parẽtes. Horum symbolum est Bucephalus, Alexandri Magni equus, qui cum stolis, & habenis aureis se niten tem intueretur, nulli prorsus excepto Alexandro per mittebat accessum, his vero spoliatus, à quocũque etiam minimo se calcari patiebatur. *Scalab. in Mor. Pass. Mor.* 8. *cap.* 2. *§.* 5. *Franc. Pet. lib.* 1. *de vita solit.* Illustre est qđ refertur, Cum post Africanam victoriam in Ænariam insulam venisset Alphõsus Aragonum Rex, audiens Antonium Picentem ordinis Eremitarũ magnum, vt omnibus notum fuit, hypocritam vermiculari morbo assumptum, dixisse fertur, Ideò Deus tantopere in hypocritas sæuit, quia dum homines decipiunt, Deũ ipsum tãquam sceleris mediatorem interponunt; ideoque adhuc viuentes vt plurimũ plectuntur, vt intelligant mortales, quanta culpa ea sit, quæ Deum etiam in ipsa vita vltorem habeat indubitatum. *Ant. Panor. l.* 2. *de gestis Alph. cap.* 9. *Anton. Daur. tom.* 3. *exemp. tit.* 39. *cap.* 6. *exemp.* 1. *Beyer. in Apoph. christ. in v. hypocrisis.* Greg. Nyssenus. *in vita S. Greg. Thaumaturgi.* narrat de duobus pauperibus hebræis, quorũ alter se mortuũ in via publica finxerat; alter vero eius mortẽ fictè deplorans necessaria ad funus à Gregorio illic iter habente postulabat, cui pallium suum D. Gregor. illico iniecir, & cæptum iter prosecutus est, at pallij iniectio animam è iacentis corpore eiecit. Sic etiam Cœlius ille apud *Mart. l.* 7. *Epig.* 33. qui podagrã mentiebatur, re ipsa tandem iusto Dei iudicio correptus est, & fingere desijt.

Meminerit Socratem humanæ sapientiæ quasi terrestre oraculum sapienter pronuntiasse, expedita, & cõpendaria via eos ad gloriam peruenire, qui id agerent, vt quales videri vellent, tales ẽt essent. Sicque aperte monebat, vt homines ipsam potius virtutem, quàm eius vmbrã consectarentur, vt proinde Christianorum sapientia sit, re ipsa non solum nomine, se christianum profiteri; hoc qui bonafide quæsierit, hoc qui concupierit, vt malit esse bonus quàm videri, exemplo Catonis ad optatam, iuxta Socratis documẽtum, metam perueniet. *Val. Max. l.* 7. *de sap. dict. c.* 2. *Io. Gerson. tr.* 8. *sup Magnificat.*

CAP. IV.

QVAESTIO XV.

QVID SIT DISCORDIA, ET CONTENTIO, & quomodo in his peccari contingat.

QVid est discordia, & contentio, quãdo in his cõtingit peccatũ? R. Est dissensio volũtatis à volũtate proximi circa bonũ diuinũ, vel proximi, qđ quis ex charitate velle tenetur; cum. n. circa vnũ & idẽ vnus vult, & alter non vult, dicuntur discordes, idest diuersi cordis, & voluntatis. Contentio vero est sermo contrarius veritatem alterius oppugnans; cum namq; vnus verbo, vel scripto alterius veritatem impugnare vult, contendere cum illo dicitur, & vitium amicitiæ contrarium admittere, siquidem amicitiæ adulatio, & litigium opponuntur. Adulatio est excessiua laus, alterius verbis, vel factis in conuersatione ad delectãdum ordinata. Quæ mortalem culpam secum trahit, cum de lethali culpa quis alterum laudat, vel vt eum in re graui decipiat, vel etiam si mortaliter peccãdi occasionem præbet. Et hanc Diogenes mellitum laqueum appellat, Plutarchus patriæ & virtutis hostem, Plato ferã omni humano generi pestilentem, Epicterus coruis illam comparat, nam vt illi mortuorum oculos, sic adulatores viuorũ animos perdunt, ac excæcant. Quibus quidem Principum curiæ abundant. *Caiet. & Armilla. in v. adulatio. Baldus. cons.* 326. *Masc. de Probat. vol.* 1. *concl.* 56. *Tusch. v. adulatio. concl.* 220. *Schol. in emb. alciati.* 35. *Io. Choc. l.* 4. *Polit. c.* 3. Est autẽ discordia peccatum mortale, cum exercetur in graue alterius detrimẽtum, vel magnam Dei irreuerentiam, nam peculiari illi charitatis actui repugnat, qui est pax cum Deo, & concordia cum proximo Aliter aut est tantum peccatum veniale, aut nullum. *D. Thomas.* 22. 37. *art.* 1. *Nau. cap.* 23. *num.* 17. *Tol. l.* 8. *c.* 10. *&* 11. Siquidem ex charitate potissimum in proximũ animos coniungẽte nascitur pax, de qua. *D. Paulus ad Rom. cap.* 12. dat præceptum, dicens. Quod in vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. Et Sapiẽs. *Prouerb.* 6. post sex, quæ odit Dominus, addit, Septimo is, qui seminat inter fratres discordias. In quos inter Iuristas inuehitur. *Ang. cõs.* 179.

Quod quidem præceptum prout affirmatiuum est,

est, primario consensionem voluntatum iniungit, secundario iudiciorum, sermonum, & actionũ coniunctionem præcipit. Prout autem includit negatiuum, discordiam malam vetat, quę non bono, sed malo nititur, tunc contingentem, cum quis voluntate sua ab alterius voluntate discrepat, cui consentire deberet. Ad diuersa vero vitia mala discordia, & contētio pertinere potest, nam quia ex lege obedientiæ subditus tenetur voluntatem suam cum Superioris uoluntate, & iudicio conformare, si discordat, & in his quæ sibi imponuntur, aduersetur, immediate contra obedientiam peccat. Idem dicitur de pœnitente erga patrem spiritualem in his, quæ iuste, & conuenienter præcipiuntur; discipulo erga Magistrum, circa doctrinā quam percipere studet, vulgo enim dicitur, Oportet addiscentem credere. *Et Barbato crede Magistro.*

Similiter debitor quando cum creditore cōsentire tenetur, si dissideat, contra iustitiæ leges peccare dicitur, & sic de similibus. *Berard. in Summa Corons. cap. 1. num. 51. & seq. Reginald. lib. 17. num. 131.* Facilis est autem in discordiā lapsus, quia homines insita natura, & facili negotio inter se dissentiunt, iuxta illud. Quot capita, tot sententiæ.

Velle suum cuique est, nec voto viuitur vno.

Propterea ex multorum. DD. sententia, Improbanda est consuetudo capituli etiā, si iuramento firmata sit, ut ab eo gesta nō ualeāt, nisi omnes, & nemine prorsus discrepante, consentiant: hoc enim contra ecclesiæ commodum militaret, & publicum bonum aliquando impediretur ob facilem, ut dixi, ad discrepandum naturam. Qua etiam ratione inductum est, ne quis in communione semper permanere cogatur, cum ipsa consociatio discordiæ mater dicatur. *Tusch. verbo Discordia concl. 454.*

QVAESTIO XVI.

AN PECCATO CONTENTIONIS PECCET, qui disputandi gratia cognitam veritatem impugnat.

Peccat ne peccato contētionis, qui disputandi gratia agnitam ueritatem impugnat, &c? R. Licere si debito fine, & honesta ratione hoc fiat, nec lege aliqua prohibeatur; nemine. n. reprobante in scholis disputatio usitata est etiam in his, quæ ad christianam fidem spectant, vt veritas agitata elucescat, & quę obscura sunt, ac in tenebris latent, lux manifestat, & errores in priuatis studijs contractos in publicis factæ exercitationes explicant.

Sol reuerberatus fortius calefacit, & clauus repercussus arctius stringit; hinc legimus Socraticorum scholam omnia in iudicium, & disceptationem adducere cōsueuisse, vt eo magis veritas in lucē splendesceret. Et non minus differēdo, quàm elaborando doctrinam parari insinuabat Petrus Aldobrandinus Card. dum cuidā disputantium circulos effugienti dixit, Mineruam armatam pingi, quia doctrina non nisi pro ea certantibus præda fiat, &c.

Et licet in sententijs altercantes dissideant, non tamen pacem, & charitatem violare dicuntur, cum proprie discordia mala in actu voluntatis directe se opponentis, & non in opinionibus intellectus consistat. *Albert. de cathol assert. cognoscen. quæst. 13. Bal. in l. præcibus. C. de impub. & alijs subst. Riminal. Iun. cons. 7. Neuizan. in sylua. nup. in principio.*

Cæterum in disputationibus præsertim circa ea, quæ fidei sunt, tametsi in bonum finem referantur, Illud Primo obseruandum, ne hæreticæ, vel scā dalosæ propositiones etiā exercitationis causa vnquā defendantur; ac ne illa quidem in disputationē adducantur, quæ propter subtilitatem, ac difficultatem populi audientis captum; & vires excedunt, in his enim rudes homines difficultatem aduersi argumenti percipiunt, solutionē vero non apprehendunt, quò fit, vt aliquando dubij, & interdum hæretici inde discedant. *Cast. l. 1. de Iusta. hæret. punit. cap. 19. Caiet. 22. quæst. 10. art. 7.* Et nō esse efferenda in vulgus veritatis dogmata, Plato quoque *in Gorgia.* tradit, cū ait, Caue ne hæc rudibus committas, hi enim derident, quod sapientes admirantur. *Tholos. in syntag. Iul. 32. cap. 9.*

Secūdo, Laici à disputationibus circa fidem instituendis arceri debent, nisi essent valde docti, & publica vtilitas, vel necessitas aliud suaderet. *c. quicunq; §. inhibemus. de hæret. in 6. Pegna. p. 1. Direct. Inq. quæst. 10. Val. to. 3. disp. 1. quæst. 10. p. 4. Sanchez. de præcept. l. 2. cap. 6. Molfes. tract. 1. cap. 2. num. 25. Farinac. de heresi. quæst. 188.*

Tertio, ne scommata, dicteria, iniurię, irrisiones, irreligiose proferantur, sed potius illud qđ admonet. *Apost. ad Ephes. 4.* obseruādū erit, Omnis amaritudo, ita, & indignatio, clamor, & blasphemia tollaturā vobis, cū omni malitia; & omnia in eum finem dirigātur, vt veritas in obscuris inueniatur, & Dei gloria potissimum quæratur. Imò cum in alijs certaminibus laureas referant, qui victores redeūt, in diuinis disceptationibus solis illis corona debetur, qui se rei magnitudine victos ingenue fatētur. Hinc recte dicebat Picus Mirandulanus eas disputationes prodesse, quæ placido aīo ad inuestigandam, perquirēdamque veritatem priuatis in locis, semotisque arbitris exercebātur. At illas obesse plurimum, quæ in propatulo fiebant, ad ostentandam doctrinam, vel captandam vulgi auram, atque imperitorum applausum. Et vix posse fieri cēsebat, vt honoris cupiditati, qua effrenes isti disceptatores exagitantur, inseparabili vinculo anneaum non sit illius, cum quo disputatur, infamiæ, cōfusionisque desi-

desiderium, lethale animæ vulnus, & mortiferum charitatis venenum. *vt dixi in Comment. de hum. vit. stat. p. 2. cap 10. oblig. 5.*

Quarto, illæ ueritates in disceptationē afferendæ nō sunt, quæ à christiana fide alienare possunt, ut quod anima in uia Aristotelis, uel Platonis sit mortalis, &c. Quod B. Virgo sit uel non sit in originali peccato concepta, &c. Cū hęc Pontificijs Constitutionibus sint interdicta: ut habetur in *Bulla Leonis X. Incip. Apostolici regiminis, & in Constitutione Pij V. Incip.* super specula. *Vgol. de off. Episcopi p. 1. c. 21. §. 1. Vtual. de suspens. num. 116. Sayr. de suspens. l. 4. cap. 15. num. 21. Iul. Cæsar. Rayner. in Catalogo censurarum. tit. de excomm. c. 5. & de suspens. c. 2.*

QVAESTIO XVII.

AN IN IVDICIO LITIGARE LICEAT.

AN tuta conscientia liceat fidelibus lites in iudicijs agitare? R. Ex suo genere licere, imò aliquando ad id hominem teneri, quando hoc medium esset ad propria fortunæ bona sibi, & familiæ necessaria tuenda, vel recuperāda; modo adsit puritas intentionis, moderatio cupiditatis, & conseruatio charitatis, in eis se gerendo absque animī perturbatione, & odio, cum libertate Spiritus, pacifice absque iniuria, & fraude, nulla data iræ culpabili occasione, quæ proximo scandalo & offensioni sit, &c. *D. Thomas. super Epist. D. Pauli. 1. ad Corinth. cap. 6. Lopez. p. 2. Instruct. consc. cap. 280. Lud. de Ponte. tom. 2. tract. 3. c. 15.* Vnde quia ex litigijs multa mala produci solent, iuxta illud

Quæstio res minuit, odium creat, incitat iram,
Pro lucro damnum ducere sæpe solet.

Nā inter alia, quæ lites prauas reddunt, est ipse quo geruntur modus, cum dissensione, inquam, & magno pacis, fraternitatisque, quam christiana religio requirit, detrimento, & iustitię violatione; cum sæpe fraus, versutiaque admisceātur. Et hæc est petra scandali, in quam impingunt nō modo litigantes, sed etiā aduocati, & causidici, & notarij. Lites equidem tanquam execrabiles sunt semper fugiendæ maxime à clericis, qui litigiosi esse prohibentur, & inter fratres, coniunctasq; personas, in quibus summa pax vigere deberet. *Gemin. conf. 129. Tusch. in v. lites. cōcl. 384.* prout etiam diximus *in Comment. de stat. p. 2. cap. 5.* Ideò quatenus fieri potest, litigia per transactiones componenda sunt. Vnde & Cicero ad Atticum scribens ait, nihil bono viro, ac quieto magis conuenire, quàm à ciuilibus controuersijs abesse. Et Chilonis tria præcepta Delphis literis aureis consecrata traduntur, Nosce te ipsum, Ne nimium cupias, Et æris alieni, atque litis miseriam effugias. Hinc aliqui dum alicui malum imprecari cupiunt, tria potissimum exoptare solent, nempe vxorem rixosam, fabricationem assiduam, & litem perpetuam. Qui enim litium Labyrinthis implicantur, re ipsa experiūtur, quot incōmodis opprimantur, quot molestijs crucientur, quot curis conficiantur, quot sumptibus exhauriātur. Et si bene perspiciamus, nullum propemodum est delictum, quod ex litigio nō oriatur; nam in eo quasi in officina locupletissima Diabolus habet omnia peccatorū genera, videlicet odia, inimicitias, cōtumelias, rixas, fraudes, periuria, testes falsos, homicidia, quin & adulteria, vendunt. n. aliquando se ipsas mulieres & viduę, ne litibus succumbant: O quàm beatus cui à forensibus procul negotiis datur *carpere securas dapes* ait Seneca. Et cui nō metuendū est à causidico linguato, atque edocto, vt ait *Lact.* nō ad uirtutem, sed ad argutam malitiam. *Iustin. in Tob. c. 9. vers. 6. in docum. 7. holos. in syntag. Iu. lib. 47. cap. 1. Io. Bapt. Magon de rect. patrocin rat. c. 61.* Tollenda quidem est semper occasio litium quòad fieri pōt, maxime si de minimis rebus agatur, vbi maior est expensa, quam rei agendæ vtilitas: nec pati debet Iudex homines pro rebus exiguis magnis attritionibus conflictari. *§. nullus. in Authen. de Consul.* Quæ autem res, vel summa modica dicatur, nō videtur certa regula determinari posse, sed hoc ex subiecta materia & particularibus circunstantijs, quę sub scientia non cadūt, prudētis arbitrio desumendum erit. *Monachus. de Execut. in vestibus. capit. 7. Nald. in v. minimum. num. 3. & v. litigare. num. 8.*

QVAESTIO XVIII.

QVAENAM SINT CONTENTIONIS litigij, ac discordiæ causæ?

QVænā sunt causæ, vel radices, ex quibus contentiones, discordiæ, & litigia oriri solent? R. Præter generalem superbiæ fontē, triplex pręcipua radix est. Prima temporalium rerum cupiditas, quę semper hominē inclinat, ac impellit, vt in negotio bonorum fortunæ, aut alterius tēporalis cōmodi, quod sua magis interest, etiam cum aliena iactura sibi vsurpet: cui malo vix occurri potest, nisi per charitatem, & humilitatem, quæ de temporibus est contenta, & ne pacem amittat, potius vult suo iuri cedere. Sic aliqui Doctores, & Causidici in publicis, & in priuatis disceptationibus solēt tam obstinato, ac pertinaci animo suam vel malam sustinere, ac tueri sentētiam, vt potius, sicut ipsi dicunt, de vita, quàm de sententia decedere sint parati. Quodquidem peccatum à fonte tùm superbię, tùm auaritię fluere manifestum est, cum in sua opinione tantum sibi blandiantur, vt omnes alios diuersa existimantes errare censeant, ac subinde putent,

tent, in proprium compendium ad clientum commendationẽ sibi prodesse. *Tiraq. de nobilit. c. 29. n. 8. Magon. de recta patroc. rat. cap. 41. Ala. de aduoc. p. 2. quaest. 56.* Sic christianam disciplinam & cōcordiam perturbat illa celebris positio, Qđ vnusquisq; potest ad proprium commodum in suo ædificare, etiam si ex ædificio damnum ad vicinum redūder, modo non habeat præcipuum consilium ipsi vicino incommodādi: debemus enim omnem æmulationis materiam præcidere, quā publicæ quietis causa explodit, præsertim quod nulla actio potest esse bona, cuius finis principalis, vel minus principalis est malus. *Ala. l. c. q. 73. Polid. Ripa in singul. obseruat. c. 85. Tusch. in v. adificare. concl. 36. & v. amulatio. concl. 232. S. Vicent. Ferr. de vita spir. cap. 9.*

Secunda, discordiæ radix est ambitio, Cum vt ait Sapiens *Prouerb. cap. 13.* Inter superbos semper iurgia sint, scilicet inter puncta honoris, quia quisq; illorum meliorem, & sublimiorem locum, vel absque iusto titulo quærat. Cum tamen christiana humilitas, & vrbanitas, exigat, vt in titulis, locis, ciuili cōuersatione, vnusquisque ita exactè se exhibeat, vt potius excedat, & largior, quā parcior in honore alijs deferendo existat. Huc enim spectat illud. *D. Chrisostomi* pronūtiatum. *hom. 13. ad pop. Ant.* Vis beneficia capere? confer beneficium alteri. Vis laudari? lauda alium. Vis amari? ama. Vis partibus primis potiri? cede illas prius alteri. Pax præcipue alitur, ait ille, si alter alteri honorem exhibeat, si alter alterū non deludat, eoque loquendi genere vtatur, qui morum rusticitatem non arguat, cum rusticitas humanæ conuersationi apta non sit. E contra cum christianæ magnanimitate aliorum defectus circa honorem sibi debitum quisque ferre debet, dissimulare, nec indignari, quando vel consultò, vel inaduertenter hic sibi denegatur. Hoc enim est pestiferæ superbiæ effectus. *D. T hom. 22. q. 38. art. 2.*

Tertia discordiæ causa est acceptio personarum, vel vitium illud, quo vnum alteri absque sufficienti ratione præponimus, cum scilicet circa mores, titulos, ac nomina, loca, ac sessiones minus dignum indebito honore afficimus, ac reueremur, & magis speciale, & expressius dilectionis signum exhibemus, id quod in repub. familijs, religiosis cætibus, & congregationibus, inuidiarū, odiorum, discordiarum, ac contentionū seminariū esse solet, & fomentum.

Siquidem vbi inæqualitas, ibi liuor, & simultas obrepit, adeò vt subditi pari dolore aliena cōmoda ac suas iniurias metiātur; proinde Superiori cauendū, ne vni q̃ alteri familiatior sit, cum priuatæ hæ necessitudines reliquorū à Superiore animos auertant, murmurationibus causam præbeant, suspicionibus domum repleant, & charitatē euertant: vere .n. dictū est à Philosopho, Cōmunis custodia principatus est, neminem vnum magnum facere, tener omnis amor est in æmulationē, ac indignationem exurgēs. Ac licet meliores in effectu minorib. præferendi sint, & omnes propter spem salutis in Christo amplectendi, in actu tamen exhibitionis ita se ad oēs gerat, vt nullus se contemni suspicetur, &c. Addo gñaliter imparitatē inter homines esse dissensionis causam, sicut e contra æqualitas, & similitudo, amoris cōciliatrix est, iuxta illud, Pares cum paribus facillime congregantur, quā sentētiam velut in testimonium vsurpauit, & citauit. *Bart. in l. si diuortio. ff. solut. matrimonio, & Io. And. in cap. fraternitatis. ext. de frig. & malef.* ad suadendā æqualitatem inter coniuges, & ad probandū pares cum paribus esse in matrimonio collocandos. Qñquidē dissidij, & diuortij inter eos tres potissimū sunt causæ. Prima cupiditatis, cum vir vxorem tantū ob dotem, vel mulier virum propter diuitias accipit. Secunda inordinationis, quādo explēdæ tm̄ libidinis causa nubunt. Tertia, inæqualitatis, quādo scilicet pauper diuiti, obscurus nobili, vel iuuenis seni in matrimonio iungitur. *Tiraq. l. 5. conub. Bustus. p. 1. sui rosar. serm. 24. Lud. de Ponte. tom. 2. tract. 3. cap. 14. Io. C hoc in Politic. l. 2. cap. 10. Ioannes. à Turrecrem. super regul. D. Bened. cap. 37. Bonauent. de sex alis. cap. 6. Scrib. de sup. relig. libr. 1. cap. 19. & lib. 2. c. 2. Tuschus. in v. aqualitas. concl. 304.*

QVAESTIO XIX.

QVÆ REMEDIA ADVERSVS DISCORDIAS & contentiones præbere Confessarius debeat.

QVæ remedia in praxi Confessarius aduersus discordias & contentiones præbere debet, cum officij sui valde proprium sit inter se dissidētes conciliare? R. Præter iam dicta, dico quod cum ex contentionibus & discordijs odij, & inuidiæ ignis accendatur, tribus potissimum modis prudenter illum extinguere debet. Primo enim sicut per lignorum subtractionem ignis opprimi, & restingui solet, sic verbis contentiosis subtractis discordia ipsa cessabit. Secundo, sicut per aquæ frigidę oppositionem deferuescit ignis, sic per responsionis dulcedinem desinit indignatio iuxta illud *Sap. Prouerb. c. 15.* Respōsio mollis frangit iram. Tertio, quemadmodum per cōtinentis vasis subductionem ab igne ebulliens aqua frigescit; sic per discessum hominis à præsentia contendere volentis sedatur ira. Quod qui faciunt, laudem merentur, quādoquidem Gloria est homini, qui se à contentionibus separat. *Prouerb. cap. 20.* Ob quam causam *Plinius 2.* amicum quendam cuidam alteri commēdans, inter cæteras laudes, quas de illo prædicat, vt eum illi conciliet, hanc numerat, scit vinci, his nimirum verbis, ipsius comitatem, & suauitatem aperte declarans. Vnde

Sen.

Sen. l. 2. de ira. cap. 34. Cum pari cõtẽdere malum est, cũ superiore furiosum, & cũ inferiori sordidũ. Secundo, ad euitandum litigium, & contentionem multum illud Epicteti pronuntiatum proderit, Hominem qui cum versaris, tribus modis considera, nẽpe vt te præstãtiorem, & maiorẽ, aut inferiorem, aut æqualẽ. Primo obtẽperare cõuenit, Secũdo ꝑsuadere modeste, Tertio humiliter consentire. Vnde, & *D. Bern. in Festo SS. Pet. & Pauli.* Arbitror inquit, qđ tu qui in cõgregatione es, bene viuis, si ordinabiliter, socialiter, & humiliter viuis ordinabiliter tibi, socialiter, ꝓximo, humiliter Deo, & subdit, sociabiliter, vt studeas amare, & amari, blãdum, & affabilem te exhibere, supportare nõ solum patienter, sed etiam libẽter infirmitates fratrum tuorum, tàm morũ, quàm corporũ. Vbi ex D. Bernardi sentẽtia, Ex prçuẽtione in amãdo, & fraternitatis charitate se inuicẽ honorãdo, & alienos defectus ęquo animo ferendo, in multorum Congregatione maxime inter æquales facile pax, & concordia conciliatur, & seruatur. Nec abludit illud *D. Basilij ser. 2. de Instit. monach.* Æqualis in cunctos charitas tenenda est, vnicuique autem pro cuiusque decoro honor habẽdus est, & turpis contentio abijcienda.

Ac illud quod vulgo dicitur obseruare iuuabit, Audi, vide, & tace, si vis viuere in pace. Debet homo instar Polypi eorum, quibus cum viuit, moribus se accõmodare, & propriam voluntatem frangere. Et *D. August. Epist.* 86. admonet cauendum esse, ne tẽpestate contẽtionis, serenitas charitatis, quę omnibus tã Superioribus, quã inferioribus, & æqualibus debetur, à nobis obnubiletur. Tertio, discordiæ, & cõtentionis mala, & incommoda ad memoriam reuocanda sunt, quomodo namque concordia res paruæ crescunt; sic discordia maximæ dilabuntur. *Tuschus. v. discordiar. concl.* 453. Et sicut dicimus qđ vbi est pax, & cõcordia, ibi est Deus, & Paradisus: Sic è cõtra, vbi est discordia, ibi Diabolus, & Infernus reperitur, &c. Vnde & *D. Hier. super Psal.* 45. Exponens illum versiculum, Laudate eum in tympano, & choro; Quisquis, ait, corpus affligit, sed concordiam deserit, Deum quidem laudat in tympano, sed nõ laudat in choro. i. cordium vnione. *Carbo. de pacificat. Inimicorum. cap.* 14 *Bust. p. 2. serm.* 34. *Turrecrem. super reg. D. Aug. tr.* 49. *c.* 4. Et quamuis ipse Confessarius ad animarũ negotia in sacramẽtali confessione tractanda, & promouẽda, destinatus, negotijs ab eo officio alienis se implicare non debeat; non tamen prohibetur quin id officij in aliquibus casibus obire possit, & debeat, diffidentes scilicet pacificandi, & si in priuatis sęcularium domibus sit agendum: nec negotium sęculare id cẽsendum erit, quod ad conseruandam pacem, & charitatem, aut pręueniendã dissensionem, qua illa læditur inter coniuges, fratres, sanguine coniunctos, vel conciues tẽdit. Et cũ Pęnitentię sacramenti ministri magnam authoritatem ad id habeant, non decet se ab hoc pio munere subtrahere, propterea enim Christus Rex Pacificus Beatos esse pacificos idest pacem componentes pronuntiauit. *Lud. de Ponte. de perfect. tract.* 5. *cap.* 14. *tom.* 4.

QVAESTIO XX.

QVID SIT PERTINACIA, QVALE peccatum, & quæ eius remedia.

QVid est pertinacia, & quale peccatum est, & quæ eius remedia? R. Est animi adhæsio in proprio sententia, plusquam oportet, quando. n. aliqui firmius tenent sententiã contra alios, quàm res ipsæ, & argumenta probant, dicuntur pertinaces, quasi nimis tenaces, & cedere nolentes; & quia hoc faciunt, vt suam virtutem, & excellentiam manifestent, ideo pertinaciæ vitium ex superbiæ fonte oriri dicitur. *D. Thomas. 22. quæst.* 138. *ar.* 2. Vnde *Arist. l. 2. Ethicorum. cap* 9. definit, pertinaces esse tanquam obstinatos in opinione perseuerantes, qui non facile dissuasionem admittunt, incontinẽtibus similes, quos nulla ratio à sẽtẽtia dimouere põt, & subiungit, hoc pertinaciæ vitium in rusticis, atq; ineruditis hominib. reperiri. De quo ẽt genere veteres Sãcti Patres locuti sunt, qui dixerunt, cõtendere proprium esse hęreticorum, atque infidelium, nam ij cum pertinacia contẽdunt, ut quoq; ait *Signor. cons.* 245. *& Anchar. cons.* 75. *Decian. in tract. crim. lib. 5. cap.* 55. *Farinac. de hæresi quæst.* 196. § 1. Esse vero peccatũ mortale in rebus, quæ factæ Diuino honori repugnant, constans est DD. sentẽtia, Qua ratione absque dubio lethaliter delinquit, qui falsam religionem, quam semel suscepit, mutare non vult, ne incõstans videatur. Et Princeps qui perniciosam legem reuocare recusat. Et in rebus fidei, qui in errore persistit, quem sub reatu mortalis culpæ deserere tenetur, qui etiam hęreticus dicitur. Quæ quidem pertinacia hæresim cõstituens nõ est temporis diuturnitate æstimãda, nam si constaret, aliquẽ vna sola hora, aut minus, tenuisse Deũ non esse trinum, aut in S. Eucharistia Christum nõ contineri, is plane hæreticus ab ecclesia iudicaretur. *Tol. lib. 8. cap.* 11. *Nau. cap.* 13. *num.* 31. *Lessius. l.* 3. *cap. 2. num.* 49. *Reginal. libr.* 17. *num.* 115. *Melchior Canus. l. 12. de locis. theol. cap.* 9. *Burs. lib. 1. cons.* 38. *Pegna in 2. par Direct. Inq. cap. 1. Comment.* 1. *Grassius. l. 2. Decis. aur. capit. 8. num.* 11. *Azor. p. 1. lib. 8. cap. 9. quæst.* 2. *Val. tom. 3. disp. 1. quæst.* 11. *puncto.* 1. *Menochius. volum. 1. cons.* 82. *Tuschus. in verbo. hæresis. cocl.* 92. *& seq. Duardus. in Cõment. in Bullam Cœnæ Domini. l. 2. can. 1. quæst.* 25 *Sanchez. lib. 2. de precept. cap.* 7.

Ne igitur quis sit pertinax tria præcipue obseruare debet, Primo, ne propriæ sententiæ innitatur, sed quæ agenda, vel dicenda sunt, seniorum iudicijs subijciat. Sapiens *Prouerb. cap. 3. Felyn. in c. ne innitaris. ext. de constit. Arist. lib. 6. Ethicorum. c. 14. Cassian. collat. 2. cap. 10.*

Secundũ est, vt ab his quę quis cęperat bona esse credens, si postmodũ mala esse cognoscat, subinde se subtrahat, siquidem incauta difinitio laudabiliter soluenda est, nec est præuaricatio, sed temeritatis emendatio, Et magnæ Sapientiæ est reuocare hominem quod male locutus est. *cap. difinitio. cap. magnę. 22. q. 4.* Et teste. *Sen.* vt et aduerti *sup. tr. 5. c. 3. q. 3.* Nõ est leuitas à cognito, & damnato errore discedere; & ingenue fatendũ est, Aliud putaui, deceptus sum: Hæc vero superbę stultitiæ perseuerantia est; Quod semel dixi, qualecũque est, fixum ratumque sit. Non est turpe cum re mutare cõsilium. Item D. Augustinus. *relatus. in cap. videt. 23. q. 6.* Ostendit quod ex aliorum dictis sententiam suam mutauit, illud Salomonis allegans, *Prouerb. cap. 9.* Da occasionem Sapienti, & sapiẽtior fiet. Vere dixit Comicus, Numquã ita quisquã bene subducta ratione ad vitã fuit, quin res, ætas, vsus, semper aliquid apportet noui, aliquid semper moneat, vt qđ numquam te facturum putabas, id postea facias.

Tertium remedium est infortunia, casus, & infelices exitus, proprias volũtates pertinaciter sequentium intueri. Certe *Cass. l. c. coll. 2. c. 11.* nõ solũ internas cogitationes seniorũ examini reseruari iubet, sed vniuersa etiã quæ agẽda sunt; idque fieri oportere demonstrat exemplo cuiusdam monachi, qui quod obstinatione, & peruicacia mentis suæ, in abstinentiæ ratione seruanda, definitionibus potius proprijs, quàm traditionib. seniorum acquieuerit, relicta eremo, rursus ad vanitatem sæculi sit deuolutus, ruina, inquit, sua cunctos docens, neminẽ suo iudicio confidentem, perfectionis culmen aliquando posse conscendere. Idem *ex Eusebio Philosopho.* docet *Stob. serm. 23. & D. Bened. in sua reg. c. 49.*

Porro in hunc contentionis & pertinaciæ scopulum aliqui in Congregationibus, tàm Sæcularibus, quàm ecclesiasticis, & regularibus, impingere solent, vt Iureconsulti in suis collegijs, Laici in sodalitatibus, Canonici in capitulis, regulares & Religiosi in comitijs. In quibus sæpe locum habet, qđ dixit. *D. August. lib. 1. aduers. Crescent. cap. 2.* dum ait. Frequenter accidit, vt habeamus pugnas legis, non ob desiderium virtutis, sed ob iactantiam gloriæ. Et vt obseruat. *D. Chrisost. hom. 5. in 2. ad Tim.* Verbis contendere est non curare, quomodo error veritate vincatur, sed quomodo tua dictio alterius dictioni præferatur. *Bassus. de efficio. Canon. cap. 17. Nigron. in reg. Commun. reg. 28.*

CAP. V.

QVAESTIO XXI.

QVID SIT CVRIOSITAS, ET QVOMODO in ea peccari contingat.

QVid est curiositas & quomodo contingit in ea peccari? R. Præter ea quæ supra *tract. 1. cap. 8. quæst. 37.* apposite adduximus, hec etiam pauca subijcientur. Curiositas est inordinatus appetitus tàm per sensus exteriores, quàm per intellectum. Prima consistit in hoc, quod quis huc, illucque vago aspectu circumspiciat cupidus omnia, videndi, & audiendi. Si videris, inquit *D. Bernardus. de grad. humilit.* monachũ, de quo prius bene confidebas, vbicumque stat, ambulat, sedet, oculis incipientem vagari, caput erectum, aures pottare suspensas, è motibus exterioris hominis interiorem immutatum agnoscas. Quam curiositatem iure optimo vates regis in *Psalm. 117.* appellat vanitatem, cũ orat, Auerte oculos meos, ne videant vanitatem: vt enim duplex est oculus, corporis scilicet, & animæ, qui est intellectus, ita duplex est curiositas, sensitiua, & intellectiua; vident autem oculi, cum hanc hauriunt, & inordinate adhærent. *D. Anton. 2. part. tit. 3. cap. 3. §. 4. D. Bonauent. in pharet. l. 3. cap. 7. tom. 1. opusc. Tol. lib. 8. cap. 11. Forn. in Instit. Confess. tract. 3. c. 11. vt dixi supra d. tract. 1. cap. 8. quæst. 37.* Hinc à mortali non excusatur, qui sciens se multum in libidinem procliuem, & in turpem ac veneream delectationem ruere solitũ, oculos in aliquam pulchram fœminam vel puerum figit, volũtarie sensuali delectatione fruens; Ita vt in confessione aperienda etiam sit circumstantia personæ, circa quam huiusmodi in aspiciẽdo voluptas sit habita, vel animalia secõmiscentia vult cernere, quia probabili lethalis culpæ periculo se exponit. Multo minus est à mortali culpa immunis, qui ex curiositate inspicere vult viri cum, fœmina concubitum, quia est proximum ruinæ periculum, & valde naturali honestati aduersatur, & magis ad luxuriam prouocans, quàm nuda fœminæ conspectus, vel verendorum, quem etiam sola curiositatis gratia mortale peccatum esse, communis est assertio. Idem dicendum de turpes libros legẽtibus, vel obscœnas comœdias, seu spectacula cernentibus, & de duellorũ ex industria inspectorib. in quo ẽt vltimo casu excommunicationem Summo Pontifici reseruatam non effugiunt. *Tolet. lib. 8. cap. 11. Sanchez. lib. 9 de matrim. d. 46. num. 23. & 29. 41. & 45. Fernandes. p. 4. cad. 2. num. 17. Peregr. in Comment. ad Bullam Clem. VIII. contra duellum committentes. q. 4. n. 10.* Idem *Sanchez. l. 2. de præcep. c. 39. n. 31. Bonac. de matr. q. 4. p. 9. Beza. p. 3. casu. 26. & aly.*

QVAE-

QVAESTIO XXII.

QVOMODO CIRCA CVRIOSITATEM intellectus peccetur.

QVomodo ex parte intellectus circa curiositatem peccatur? R. Ex parte intellectiua ex his circunstantijs mortalis fieret curiositas. Primo, si ordinetur ad mortalem finem, vt qui vult scire, quomodo vsuræ palliatæ fiant, vt illas exerceat, vel quomodo conficiatur venenum, vt illo ad aliquem occidendum vtatur; vel etiam cum quis appetit alterius defectus cognoscere, vt illi infamiæ notam inurat. In hunc scopulum impelluntur Confessarij cum nimis curiosi sunt in interrogando, quæ ad rem non pertinēt; vt cum circa venerea minutulos peccandi modos perquirunt cum probabili animam propriam sauciandi, & contaminandi periculo; quos propterea DD. contaminatores merito appellant; aut quæ in alterius, vt complicis infamiam culpabili detractione cedunt, sunt enim Dei adiutores, vt peccata tollāt, nō vt augeāt, &c. *Nau. in cap. 1. §. diligens. de pœnit. dist. 6. Henriq. l. 3. de pœnit. cap. 17. num. 6.*

Secundo, cum hō supra ingenij sui facultatē aliquam veritatē pertinaciter cognoscere studet, cum periculo hæresis labem contrahendi, sicut qui vult diuina cōsilia perscrutari, vel fidei mysteria humanis rationibus inuestigare, cōtra illud Sapiētis. *Eccles. cap. 3.* Altiora te ne quæsieris. Qui merito culicibus comparantur, quę dum minus caute in lucernæ lumen irruūnt, se ipsas comburunt. *Io. à S. Geminian. l. 4. de simili. cap. 21.* Vnde *Simancas. in Instit. tit. 31. num. 26.* superbi, inquit, sunt hæretici, & præ se alios non ducunt homines; & nisi quod ipsi docent, ac credunt, nil rectum putant. Cæterum vt Ecclesiasticus ait, *c. 15.* Sapientia longe est à superbia, quæ authore. *D. Augustino.* mater est hæreticorum. Non animaduertūt perdiri homines, quàm sit fragilis, ac debilis intellectus humanus, & quā pronus ad errores, &c.

Tertio, cū propter studium minus vtile ab exercitio sibi necessario retrahitur, puta si Parochus, vel Confessarius ob studiū poesis, vel Philosophiæ, & huiusmodi, res audiendis confessionibus, vel alijs agēdis, & officio suo necessarias ignorat. Nō prohibetur tamen, quin pij homines etiam religiosè non possint Ethnicorum libros legere, & eorum doctrinas, & veritates haurire, modo in debitum finē referantur, multa enim humanæ vitæ vtilissima præcepta nobis tradiderunt, quæ à fidelibus in vsum proprium traducenda sunt, siquidē nō libros gentilium ob id solum legere debent, vt nota ea habeāt, quæ in ijs continentur, sed vt ad ea afficiantur, quæ legerint, & virtutes in eis comprehēsas veritate colant, & vitia procul abijciant. Sic namque D. Franciscus dicere solebat, Tantum scio, quātum operor. *cap. turbat. dist. 37. D. Basil. hom. de leg. lib. gent.*

Quarto, si discat ab eo, à quo edoceri non licet; nempe à Dæmone, vt solent superstitiosi, qui artes magicas percipere studēt, quas per diuinam, & humanam legē addiscere prohibentur. Vt si ex astrolobij inspectione, aliquod occultum furtum scire quis vellet, uel si ex astrorū, & corporis intuitu, quę ex libero hominis arbitrio, vel ex Diuina prouidentia dependent, scrutari conaretur, vt si aliquem futurū furē, vel inhonestū, seu tali sorte donandum prænuntiare auderet, ēt si hæc non vt certa probabilirer euentura prædicerentur, &c. Secus tamen ex multorum sententia esset, quando non ex astris solis, sed ex alijs ēt circūstantijs, vt ex personæ temperamēto, hæc probabilis coniectura desumeretur, præsertim, cum *Bulla Sixti V.* non in foro conscientiæ, sed in foro externo locum habeat, sed verius videtur, astrologiam iudiciariā in vtroque foro prohiberi, & damnari. *Sixtus V. in Constit. Incip. Cæli, & terra Creator. Perer. in Genes. vt lib. 2. cap. 1. Suarez. p. 1. de virt. relig. lib. 1. cap. 2. & lib. 3. cap. 11. n. 3. Sanchez. de præcept. cap. 38. Tol. l. 8. cap. 12. Nau. 23. num. 23. Reginald. lib. 17. num. 116. Lessius lib. 2 cap. 43. dubit. 6. & libr. 4. dubit. 11. num. 83. Molfes. tract. 11. cap. 7. nu. 120. Iust. in Comment. in Tobiam. de superbiæ grad. cap. 1. vers. 24.*

Quinto, cum quis ea nosse studet, quæ naturali, & diuino iure interdicuntur, vt qui sacramentalem confessionē alteri factā clā audiēdo, aliena peccata vult scire; seu qui ea ab aliquo cognoscere appetit, quæ se secreto regere iusiurandi religione promisit; uel etiam qui tantum curioso sciendi affectu hæreticorū libros legit, in quo casu præter culpam excōmunitione etiam papali afficitur. In his & similibus casib. curiositas solet esse mortalis. In alijs aūt uenialis tantum culpa agnoscitur, ut cum quis aliorum facta, quæ ad se nō pertinent perscrutatur; contra illud Comici præceptum,

Tua quod nihil refert, percunctari desinas.

Et ita curiosus culpa ueniali cēsetur religiosus, qui militaria, aut sęcularia negotia sibi manifestari appetit, nisi Dei honor, aut pximi utilitas tale qd fieri exigat. Vel si quę à Superiorib. circa ordinis administrationem agēda sunt, curiose ab alijs exquirat, cum tamen quilibet subditus sibi ac muneri suo uacare debeat. *D. Basilius in reg. fus. quæst. 48.* Quę certè curiositas quò magis internā cuiusq; pacem turbat, eò religioso magis uitanda: neque .n. potest in illius animo solida pax, tranquillitasque consistere, in quo agendarum, & imperandarum rerum perpetuæ natant sollicitudines, neque in uno hæc inquietudo permanet, sed in plures abit, cum quæ solerti curiositate cognita sunt, alijs aperiūtur, causamque

ſamque ſæpe magnarum turbationum præbet. Sic peccant aliquando filij hæredes, qui de pecunia à patre legata, cuius diſtributio ſacerdoti commiſſa fuit, interrogant, quibus, aut in quos vſus ex mandato defuncti præſtanda ſit: nec enim ipſe ſacerdos cogi poteſt, aut debet, palam declarare, quod pater mortuus ſecreta voluntate mandauit, cui & ob quā cauſam dari pecuniam ipſam voluerit, cum ſatis liqueat, ſacerdotis ſui cōſcientiam elegiſſe, vt ſupremi placiti executio celata, & operta maneret. *Anneus Robert. l. 1. rerum. Iud. cap. 3. Nald in v. teſtamentum. nu.* 11. Huc pertinet, cum res quæ ſciri deſiderantur, inutiles ſunt, ſeu nihil ad propriam, vel proximi vtilitatem, aut Dei honorē faciunt, ex qua curioſitate venialis ſaltem hauritur malitia. Qua ratione cognitio noſtra, quæ in ſola ſpeculatione manet, nec ad vitæ neceſſaria, aut ad virtutem capeſcendam, aut Deum cognoſcendū, vel colendum adhibetur, vitioſæ curioſitatis rationem habet: ad cognitionem enim intellectus accedere debet voluntatis affectus. Multi hodie ſtulte labūtur, qui literarum ſtudijs dant operam, quō ſciant tātum, vt dixi, & ibi conſiſtunt, nec ad ea afficiuntur, quæ diſcunt, vt vitia procul abijciant, & virtutes colant. Multi ſciendi tantum deſiderio tētantur, in primis eo quod ex vi naturæ cōmunis hoſtis ad immoderatam ſitim inducendam multum adiumenti habeat, ſiquidē omnes homines naturaliter ſcire deſiderāt, ex quo fundamēto primos homines aggreſſus eſt, ſuggerens, Eritis ſicut Dij, &c. *Gen. c.* 3. Sed attendēdum eſt, qđ vt pius author admonet, In extremo iudicio non à te requiretur, quid legeris, ſed quid egeris, & quod omnia prætereūt præter amare Deum. Huc ſpectat curioſitas circa viſiones, & reuelationes diuinorum ſecretorum, cum enim hæ ſint periculoſæ Dæmonis tentationes, & vt plurimū à ſuperbiæ ſpiritu procedentes, his non eſt facile fides adhibenda. Quare huiuſmodi viſiones non eſſe deſiderandas, ſed fugiendas multumque fraudis in ipſis latere tradit. *Bisfeld. de tentat. c. 7. tentat.* 19. Hinc & præclare. *D. Bernard. in Cant. ſerm.* 36.

Sunt inquit, qui ſcire volunt eo fine tantum, vt ſciant, & turpis curioſitas eſt, & ſunt qui ſcire volūt, vt ſciantur ipſi, & turpis vanitas eſt, qui profectō nō euadēt ſubſannātem ſatyricum, & ei qui huiuſmodi eſt, decantantem,

Scire tuum nihil eſt, niſi te ſcire hoc ſciat alter.

Et ſunt qui ſcire volunt, vt ſcientiam ſuam vendāt, & turpis quæſtus eſt. Sed ſunt qui ſcire volunt vt ædificent, & charitas eſt, &c. *Hoſtienſ. in proœmio ſumm e. Archid. in cap. nom diſt. 37. Perer. in Daniel. l. 1. capit. 1. Cardin. Paleot. in Archiep. Bonon. in ſerm. ad ſchol.*

QVAESTIO XXIII.

QVAE ADIVMENTA CONTRA CVRIOſitatem à Confeſſario pœnitenti danda ſint.

QVæ adiumenta cōtra curioſitatem pœnitenti à Confeſſario præberi poterūt? R. Rationes aliquæ abnegationis, & curationis morbi huius proponuntur à D. Bernardo. *Serm.* 1. *in Cant.* Prima eſt, vt vitetur incuria ſe ipſum indagandi, anima enim dum à ſui circumſpectione torpeſcit, incuria ſui curioſa fit in alios; quia namq; ſe ipſam ignorat, foras mittitur, vt paſcat hædos, id eſt oculos, & aures. Huc accedit nō ſolum ſenſuum externorum abnegatio, ſed etiam internorum, phantaſiæ præſertim, quæ tantā imaginū turbam menti offert, vt ſi nō compeſcatur, animū vniuerſum ſola per ſe obruiuta videatur. *D. Baſil. hom.* 3. in dictū illud, Attēde tibi ipſi, Qui tranqllē, ait, viuere cupit, alienis ſe nō immiſceat negotijs, de Magiſtratibus non ogganiat, conſilium nemini det niſi rogatus, à vulgi cōſuetudine abſtineat, & ante omnia in ſermone ſit parcus.

Adde volūtatem Dei eſſe, vt intellectum hac in parte abnegemus, cum multa in rerum natura ab eo facta ſint, quorum ratio ab homine reddi nō poteſt, vt propterea in rebus humanis diſcat, non eſſe curioſus. Apes, formicas, cætera animalcula, & ea quæ eorum naturam ſuperare videntur, Deus ipſe operari voluit, quæ tamen ab homine intelligi noluit, vt vanam curioſitatem deuitaret, &c.

Secundo, curioſum etiam in vita ciuili, & politica male audire, nā *Plutarchus in moral. ait.* Vt turpe eſt, alienam domum ingredi, ac introſpicere, ita turpius eſt ſcrutari, quid alij domi ſui faciant. Ex Plauti ſententia,

Curioſus nemo eſt, qui non ſit maleuolus.

Ex Horatio, Quilibet percunctator garrulitatis vitio laborat, ideō monet,

Percunctatorem fugito, nam garrulus idem eſt.

Et *Apoſt. 1. ad Tim.* 5. garrulitatis, & curioſitatis vitium in mulieribus iungit, cum ait, verboſæ, & curioſæ, loquentes, quæ non oportet. Et vt vites quæ folijs plurimis luxuriant, vini haud multum proferunt; ita nec multū virtutis habere poſſunt, qui percunctantes multa loquuntur, ſed magis etiam conuerſando proximum lædunt; vnde eos omnes fugiunt, non ſecus ac teſte *B. Antiocho ſerm.* 16. ruſticum allijs ſaturum, & graueolētiam ſpirantem: nec læſiſſe pœnitere iuuat,

Cum ſemel emiſſum volet irreuocabile verbum.

Vulgo curioſi, qui omnia inueſtigant, & ſagaciter odorantur canes, venatici dicuntur. Vnde Locrēſiū legibus in eos animaduerſum fuiſſe legimus, qui rogaſſent, numquid noui aliquid accidiſſet. *Plutarchus.*

tarchus. de curiosit. Lorinus in cap. 17. Act. Apost.

Tertio, ad retundendam curiositatis libidinem plurimum valet, responsionum meminisse, quas Christus Dominus aliquando Apostolis hoc vitio aspersis dedit, Quid ad te? tu me sequere. Non est vestrum nosse tēpora, vel momenta, quæ pater posuit in sua potestate. *Io. cap. 21. Act. c. 1.* Quippe curiosum est genus humanum ad cognoscēdam alienam vitam, desidiosum ad cognoscendam suam. Hinc ille conqueritur,

Vt nemo in se se tentat descendere, nemo,
Sed præcedenti spectatur mantica tergo.

De S. Benedicto refert *D. Greg. lib. 2. dialog. cap. 3.* quod secum habitare studebat, quia in sua semper custodia circumspectus ante oculos conditoris se semper aspiciens, se semper examinās, extra se mentis suæ oculos nō diuulgauit. Siquidem vt ait *Thomas de Kempis. l. 2. de imit. Christi. c. 5.* Homo internus sui ipsius curam omnibus curis anteponit, & qui sibi ipsi diligenter intendit, faciliter de alijs tacet. Numquā eris internus, & deuotus, nisi de alienis silueris, & ad te ipsum specialiter respexeris.

Porro curiosos & in alienis rebus scrutatores et in hac vita propriæ culpæ pœnas luere tradit. *Mart. Delrius tom. 1. disq. mag. lib. 2. quæst. 16. & quæst. 29. & Duar. tom. 3. flor. exempl. cap. 6. tit. 9.* Hic tamen annotādum est, curiosum, & studiosum inter se differre, quod ille de his quærendis solicitus est, quæ non oportet, aut quando nō decet, aut quæ muneri suo non congruunt, aut alijs modis supra nobis damnatis: studiosus vero ea diligenter inquirit, quæ ad Deum ordinantur, aut animo nutriendo proficere possunt, vt cum quis alios de moribus, vitęque suæ actionibus consulit, ut si quid perperam actum est, corrigatur. Quod est prudentiæ, & humilitatis argumentum. *D. Thom. 22. quæst. 167. art. 2. Card. Pal. in Archiep. in serm. S. Petri.*

CAP. VI.

QVAESTIO XXIV.

QVID SIT INOBEDIENTIA, ET QVALE peccatum sit.

Quid est inobedientia, & quale peccatum? R. Est transgressio mandati Superiorū, siue secularium, siue ecclesiasticorū, seu etiam regularium, quia mandatum est, siquidē, ut Theologi loquuntur, transgredi mādatum materialiter, omnibus est ultijs commune; per ea enim à regula rōnis, & à norma diuina receditur, attamen hoc titulo illud uiolare quia sibi pręceptum est, ad peculiare uitium pertinet; quod inobedientia dicitur. Vbi obseruādum, obedientiam, quæ Superioribus œconomicis, politicis, ecclesiasticis, & religiosis præstari solet, triplici iure deberi.

Primo, iure naturæ, nā naturali ordine inferiora quęque ui quadam diuinitus insita, à Superioribus ad suas actiones peragendas mouentur. Vnde est illud Virgilianum,

Tu maior, tibi me est æquum parere Menalca.

Quippe vt ait *Senec. l. 3. nat. quæst. cap. 30.* Vir difficilis in actu Rectorem, ducemque desiderat. Et *D. Hier. Epist. 22. ad Eustoch.* vbi ipsius uirginis uitam præceptis perfectionis informat, memorabilē illam sententiam protulit, Bonum est obedire maioribus, parere perfectis, & post regulas scripturarum uitæ suę tramitē ab alijs discere, nec pręceptore pessimo, scilicet præsumptione sua (quod rationi & naturę repugnat) temere uti. Quod etiam in animalculis, ut formicis, & apibus rationis expertibus cernere licet; quæ naturæ dictamine Ducibus suis obtemperant. *D. Thom. 22. quæst. 104. artic. 1. & quæst. 186. art. 5. capit. in apibus. 7. quæst. 1. cap. nunquam. de cons. dist. 5. Alb. Mag. de virt. polit. c. de obedientia. Berchor. in verbo obedientia.* Sane tam inter gentes, quām christianos necessarij sunt Principes, & Superiores, qui bonos defendant, malos corripiant, & in officio contineant, & quorum prudentia pax in republica conseruetur. Nam Magistratus inter ea bona, quæ ordinis sunt, connumeratur, ita ut necesse sit humani conuictus ordinem auferre, qui ipsum abstulerit, Quę autem, inquit *Apost. ad Rom. 13.* Ordinata sunt, à Deo sunt. Vnde à ueritatis scopo aberrant hæretici, qui per illa Christi uerba, Principes gentium dominantur eorum, &c. *Matth. c. 20* à christianis principatū, & dominationē submouere nituntur, quia omnes, aiunt, debēt esse æquales, nec alteri quippiam pręcipere; quoniā non ibi Magistratus, & Pręfecturæ damnantur, sed Pręfectorū tyrānis, dominandique libido, ac subditorum concussio, oppressioq; coarguitur. *Gaud. in Expl. cath. Expl. 34.* Vnde etiam dicit *Oldrad. consil. 284. & Tusch. in v. Locustæ. concl. 439.* eos, qui Regem, & Superiorem non habent, & obedientiam non præstant, locustis sine lege & Rege carētibus æquiparari; Ac *D. Hieron. Epist. 4. ad Rust.* probat ex politia apum, & gruū sub unius disciplina patris in monasterio uiuendum esse.

Secundo, à iure diuino descendit, cum Christus Dominus non solum uerbis obedientiam fecio docuerit, sed etiam reipsa, & factis demōstrauerit, cū factus fuerit obediens usque ad mortem. *Io. cap. 6. Luc. c. 2.* Doctores in *Dominica 1. post Epiph.* Certè in omni obediētiæ genere, quam diuina lex, vel ecclesia præcipit, aut cōmendat, nulla personæ hominis ratio quib. obeditur, habēda est, sed ordinationis diuinæ, quæ eos nobis præposuit, seu patres dedit, siue naturales, siue spirituales, seu et ciuiles.

 Tertio,

Tertio, à iure positiuo manat, cum etiam secundum Cæsareas leges milites suis Ducibus non obtemperantes capitali pœna plecti debeant. *l.3.§.in bello, & l.6.§.contumacia.ff.de re milit.* Et *D.Greg. relatus.in cap.si qui sunt. dist.*81. Peccatum est, inquit, ariolandi, & quasi scelus idolatriæ nõ acquiescere. Vbi *D.Bernardus.in tract. de precept.& dispens.* Inobedientiæ crimen, quale, & quantum sit, apud Samuelem aduertite, non ait, nõ acquiescere, sed nolle acquiescere; vt non iussionis ipsa transgressio, sed voluntatis superba contẽptio scelus idolatriæ reputetur. Non enim est idipsum nolle obedire, & non obedire; hoc quippe interdum erroris est, nõnumquã & infirmitatis; illud vero aut odiosæ pertinaciæ, aut cõtumaciæ non ferendæ, hæc ille. Hinc passim Iuristæ asserunt, obedientiæ causa aliquando bonum intermittẽdum: & in dubio, an res aliqua bona sit nec ne, ipsam obedientiam excusare, dummodo exorta dubietas prius expellatur, & licitum credatur, quod à Superiore iubetur. *Nau.c.23.num.37.Tuschus.ver.obedientia.cõcl.2. Feder. de sen. conf.*191. Hinc in his, quæ sunt de genere permissorũ, etiam in foro externo filius, vel seruus aliquid mandato patris, vel Domini faciens excusatur. Velle enim non creditur, qui alterius imperio obsequitur *l.velle.ff.de reg.Iu.reg.quod quis.de reg.Iu.in 6.* Vnde non amittitur legatum relictum v.g. Luciæ, si Ioanni nupserit, nã si ex paterna obedientia alteri in matrimonio coniungatur, nihilominus illi debetur, siquidem id nõ posse fieri dicitur, quod honeste, & salua obedientiæ lege fieri nequit. *Sanchez.lib.1.de matrim.d.33.num.13. Nald.in v. obedientia. num.4.* Sic etiam obediẽtia Maioribus debita Prælatos à residentia excusat, cum S. Pontifex aliquod graue negotium, & publicum onus Episcopi humeris imponit; At summa cautio necessaria est, vt prudẽtum arbitrio iudicandum relinquatur, si talis excusatio dari possit, nam regulariter nõ admittitur, quãdo illud munus per alium, qui Episcopus non sit, æque idonee obiri valet. *Tol.l.5.cap.4. Marc. Ant.Gen.in Man.Past.cap.31. Vasq.de benef.cap.4.§.2.artic.1.dub.2.num.141. Molfe.tract.6.c.11.n.33.& seq.Tuschus.v.præceptum.concl.480.* Atque vt ad rem nostram reuertamur.

Hinc constat, inobedientiam id est transgressionem præcepti ex contẽptu saltem tacito, in re graui mortalem culpam semper secum afferre; peccatum enim, vt sæpe animaduertimus, eatenus mortale est quatenus Dei, & proximi charitatem violat; & scimus, in diuinis præceptis contineri, vt etiam Superiorum scita custodiamus, eorumque iussis pareamus. teste *Apost.ad Rom.cap.*13: Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Et quamuis mortale peccatum diffiniatur, vt sit recessus à regula diuina voluntarius, Dei gratia peccantem priuans, & æternæ morti adiudicans, sub illo verbo diuina etiã humana præcepta comprehẽduntur, quæ homines Dei auctoritate imponũt. Et adeo ex hoc iure obedientia, & subiectio necessaria est, vt is qui nulli subiectus est, dicatur Acephalus, prout locusta, quæ vt supra dictum est, nec legem, nec Regem habet, & ideo nullus contra obedientiam præscribere potest, vt scilicet sibi ipsi imperet, sed bene vt alteri superiori subijciatur. *Oldrad.cõs.254.Cald.cons.453. Tusch.in v.obedientia concl.5. Less.l.2.c.6.dub.12. Itẽ l.2.c.46.dub.6. Val.to.3.disp.7.q.3.p.3.Berard. cap.1.num.53.Reginald.l.17.num.231.Tol.l.8.c.1. Vide quæ de legũ obligatione dixi sup.tr.5.c.8.q.52.*

QVAESTIO XXV.

QVAS CONDITIONES OBEDIENTIA habere debeat.

QVibus conditionibus obedientia vestiri debet, &c. R. Tribus potissimũ, nẽpe cæcitate, promptitudine, & fortitudine, quæ maxime in religiosa obediẽtia cõmendantur. Cæca dupliciter dr̃.

Primo, quò ad imperfectiones, & Superioris vitia, vt hæc hõ non cõsideret, nec ob hoc minus ad obediendum paratus sit, sed solũ eum perpẽdat, cuius locũ tenet. Si enim quacũque alia ratione id facit, vt prudentiæ, potẽtiæ, aut etiam virtutis causa, non iam vt patrem, aut Præpositum, sed vt potentem, prudentem, aut bonum illum colit, & ei obtemperat, siquidẽ cum omnis potestas à Deo sit ex *Apost. ad Rom.cap.*13. vt merito etiã Callimachus dixerit.

Ex Ioue sunt Reges.

Et veteres poetæ conicẽderint, humani generis Rectores Deo vicissim curæ esse, ab eoque singulariter protegi, omni potestati propter eum, qui sic ordinauit, absque personarum respectu subiacere debemus, in quibus aliquid qđ displiceat inuenire facillimum est, & nihil quod offendat, deprehendere difficillimũ. *Stap.dom.1.Epiph.Pet.Mor.in Matth. l.5.tract.9.nu.10. Iustin.in Tob.c.6.vers.10.doc.2.*

Secundo, debet esse cæca ad rationes præcepti scrutandas, nẽpe vt nolit scire causas, cur quid præcipiatur, sed satis sit ei præcipi, vel proponi ab eo, qui Dei vice fungitur, nec per se illicitum esse constat. In dubio vero vtrum causa præcipiẽdi iusta sit, fauendum Superiori, qui imperandi potestatẽ possidet. Hinc *D.Bernar.serm 3.de Aduentu.* Si manifeste, inquit, innotuerit Prælati alicuius vita indigna, nihilque excusationis admittat, propter eum tamẽ à quo est omnis potestas, ipsum quem modo talem nouimus, excelsum reputare debemus, non præsentibus personæ meritis, sed ordinationi diuinæ, & dignitati ipsius officij deferentes, &c. Quam conditionem SS. Patres potissimum in tyronibus

reli-

religiosorum ordinum requirunt. *D. Basil. in Constit. monast. c. 23. Cassian l. 4. Instit. cap. 41. D. Bernardus l. de præcept. & dispensat. Clim. de obed. gradu. 4. Lessius lib. 1. cap. 46. dub. 5. Roder. de perfect. virt. relig p. 3 tract. 5. cap. 6. Rossignol. lib. 4. cap. 24. Lud. de Ponte. tom. 3. tract. 6. cap. 13.*

Secundo, obediẽtia prompta esse debet ad exequendum, nempe vt strictum præceptum non expectet, nõ differat, non tergiuersetur, non excuset, nõ lente, & cum torpore ad opus accedat, obedientia. n. quæ cum mora, & murmure exhibetur, Diabolica dicitur. Gratiæ olim alatæ pedibus pingebantur, ad innuendum, beneficium celer, & promptum esse oportere, alias meritum perdit, iuxta illud. *Gloss. in c. 1. extra. de donat.*

Da lata facie, sine lætitia faciei,
Quod dederis, perdes rem, meritumque rei.

Quò etiam spectat Illud Ausonij,

Si bene quid facias, facias cito, nam cito factum
Gratum erit, ingratum gratia tarda facit.

Insuper Angeli alari in pictura exprimuntur, non tàm Poetarum licentia, quàm diuinę scripturæ authoritate, & vetustissima traditione, propter celerẽ in cũcta discursum. Quod Doctores ad velocissimũ famulatum, & subitam mãdatorum Dei executionem referunt. *Steph. Durantes lib. 1. de rit. ecclesia. cap. 5. §. 5.* Hinc Sapiens. *Prouerb. c. 22.* Vidisti hominem uelocem in opere suo? hic coram Regibus stabit. Nec subdito necessaria est mora ad deliberandum de re facienda, ut humana prudentia procedat; ad illum enim executio, ad imperantem uero consultatio spectat. *Abul. in Genes. cap. 17. in fine.* Vbi etiam tria obseruanda sunt. Primo, Prælatos debere rationem impositi præcepti quãdoque subditis reddere, ut sic stante constanti obedientiæ fine, media suauius disponãtur; hoc namq; humana natura exigit, ut rationabiliter regatur, & ducatur. *Morales. l. c. l. 3. cap. 6. num. 15.* Secũdo, Inferiorem quemque ex rationabili causa denuo superuenienti, quam uel Superior ignorauit, uel ei nõ prouidit, posse F picheia m exercere, idemque facere, quod ipse Prælatus re cognita prudenter, & uerisimiliter esset facturus, cum ille offendere nõ d catur, qui secundum legislatoris mẽtem agit, etiam si uerba ipsa legis interuertere uideatur. *l. nullaſ. de legibus. D. Thom. 22. quæst. 120. art. 1.* Idem *Moral. l. c. l. 5. cap. 7. num. 4. Sayr. l. 12. clau. reg. cap. 9. num. 2. Lorca. de legib. d. 26. & Suar. de legibus. l 6. c. 7. & seq.* Tertio, non in omnibus hanc promptitudinẽ exhibendã esse; sed si de religiosis loquamur, in his tantum, quæ ad regularem disciplinam, aut mortificationem pertinent. Si nãque honorabile munus imponitur, non est regulariter laudabile, se prõptum, & alacrẽ exhibere, sed modeste deprecari expedit, & pręceptũ, quoq; expectare, pręsertim si agatur de præfectura extra ordinẽ suscipienda. Sic etenim uiri doctissimi, & uitæ sanctitate celeberrimi fecerũt, q quantũ potuerũt, hmõdi dignitates recusarũt, nec nisi compulsi humeros submiserũt. *Lessius l. c. n. 33.*

Tertia, obedientiæ conditio est, ut sit fortis in opere præcepto aggrediendo, & in illo perseuerando, ut difficilia exequi non detrectet, & postquam inceperit, ob occurrentes difficultates nõ resiliat. *D. Basil. in monast. constit. cap. 20.*

D. Benedictus in prologo regulæ opus laboriosum obedientiam appellat, quià illa quæ circa difficilia, & sensui repugnãtia uersatur, plurimum habet meriti. In usu quippe obediẽtiæ maxime oportet ut fortiter subditus se gerat aduersus multas, & magnas difficultates, quæ plerũque se offerũt, tùm ex parte rei, quæ imperatur, quæ per se difficilis uidetur, tùm ex ui affectuum, qui quasi contra mandarum arma capiunt, præsertim peruicacis uoluntatis, cuius uim frangere, & superare hoc opus, hic labor est, tùm etiam respectu Superioris cui sępe licet abiecto, indocto, imperfecto, & ætate minori homo se subiicere debet, siquidem ut ille ait, Difficile sub iugum prudens animus cogitur, &

Impertum spernit qui nimis ipse sapit.

Ita ut merito Sapiens. *Prouerb cap 21* dixerit, Vir obediẽs loquetur uictoriam, scilicet sui ipsius, quæ cæteris maior, illustrior, & fortior est; nam

Fortior est qui se se, quàm qui fortissima vincit
Oppida, nec virtus altius ire potest.

Idem *Salomon. Prouerb. capit. 16. Climach. de obed. gradu 4. Rossignol. lib. 4. cap. 24. Pet. Mor. in Matth. l. 5. tract. 9 num. 10. D. Bonauent. in vita D. Franc. cap. 6. Sur. in vita. D. Thom. Aquin. tom. 2. 7. April. Molfes. tract. 1. cap. 5. num. 24.* Aduertat tamen Superior, quod inter alia, quæ hominem subditum ad obediendum mouere possunt, est præcipientis modestia, & discretio, Qui vult enim iumentũ onerare, clitellas supponere cõsueuit, ne impositũ onus ipsum iumẽtum lędat, & dorsum eius excoriet, sed ut facilius & lenius ferat. Sic tu Prælate si onerosum officium iniungis, pieces subdito, non durũ, & asperum præceptum supponere non dedigneris, ut subditus iniunctũ põdus suauius portet; noli quadrigam oneratã iniunctam relinquere, sicut illi, qui quasi Deus cum potentia imperant, &c Quos Dominus per *Ezech c. 34.* arguit, *ut dixi tr. 5. c. 8 q. 50* Si seruus est Prælatus, ut tali nomine à Christo Domino uocatur, cum dixit, Fidelis seruus & prudens; ergo cum austeritate imperare nõ deberet, nam & *B. Laur. Iustin. de Instit. regul. Prælat. capit. 2.* Inter præcipere ac regere discrimẽ assignans, obseruat in sacra pagina non inueniri, Dominum homini alteri homini imperãdi officium tribuisse, sed super pisces maris, uolatilia Cęli, & super bestias terræ imperium concessisse. Quod igitur homo homini dominetur,

minetur, nec à natura, nec à Deo ipsius naturæ authore, sed ab hominis tyrannide, & superbia proficisci, cum humanitate autem & ratione regere, charitatis esse officium ipsi Prælato conueniens. Quærit Plinius, curnam agri nunc infæcundi, deserti, ac steriles sint, cum iam aliàs vberrimos fructus redderent. Idem vero author respondet, steriles modo esse, quoniam indignati sunt, quod vbi prius regia manus eos colebat, modo non nisi ignobiles, & imperiti, agriculturæ vacent. Ita merito dolere posset reipub. tàm secularis, quàm ecclesiasticæ, ac regularis ager, quia vbi olim pene omnes Rectores, & Prælati summi erant in virtute viri, iam tàm pauci sint ad regendũ idonei, ita vt nõ sine causa dixerit. *Cassianus. de Instit. renunt. l. 2. cap. 3.* Bene regere, vel regi, esse Sapientis opus, summumque Sancti spiritus donum. *Finus. de reg. In. Canon. hom. 5.*

QVAESTIO XXVI.

AN SVBDITVS IN OMNIBVS, ET PER omnia Superiori obedire teneatur.

QVæritur an subditus in omnibus & per omnia teneatur Superiori obedire? R. Cum ex *Ang. Sylu. & Tab. in v. obedientia.* triplex sit Superioritas, quædam spiritualis, quæ animæ statum respicit, quædam temporalis politica, quę ad reipub. regimen refertur, & Tertia, temporalis œconomica quæ ad propriæ domus, vel familiæ gubernationem pertinet; hæc triplex obedientia secundũ gradum huiusmodi prælationis limitanda est, vt Pontifici, Episcopo, Parochis, Confessarijs in rebus spiritualibus animæ saluti necessarijs; Superiorib. politicis in temporalibus ad bonum reipub. regimen spectantibus; Patri denique familias in his, quæ rectam domus dispositionem concernunt, obtemperandum sit. Quò fit, vt in his solis subditus Superiori obedire teneatur, de quibus nõ euidẽter constet, aut diuino præcepto, vel alterius maioris potestati repugnare, aut esse talia, quæ suæ facultatis limites excedant. Quam regulam tradit. *D. Thomas 22. quæst. 109. art. 5. Val. tom. 3. disp. 7. quæst. 3. punsto. 2. Canonista. in cap. solitæ. ext. de maior. & obed. Archid. & Turrecrem. in cap. Iulianus. 13. quæst. 1. Feder. de Senis. cons. 191. Genuens. in Pract. eccles. Terc. 8 quæst. 240.* Hincque subinde deducitur.

Primo, in his quæ per se sunt mala, & diuinæ legi aduersantur, non esse Superiori parendum. In dubio autem, vt supra innui, præsumendum est iustum & equũ eius esse preceptũ. Vnde ciuibus nõ licet triticum vendere vltra pretium à Superioribus taxatum, aliàs & culpæ lethali, & restitutioni obnoxij fiũt, nisi pretium manifeste esset iniustũ, vel aliquid exiguum. *cap. quid culpatur. 23. quæst. 1. Sotus de ratione teg. vel deteg. secret. membro. 3. quæst. 2. Graffius. l. 2. Decis. aur. cap. 57. numer. 17. Feder. de Senis. d. cons. 191. Roman. cons. 522.*

Secundo, in rebus ecclesiasticis, & spiritualibus, imò, & in temporalibus ex vi secularis legis, vel statuti non teneri Clericos Politicis Principibus obedire, nam iuxta illud vulgatum,

Diuisum imperium cum Ioue Cæsar habet.

DD in cap. ecclesia. ext. de constit. Marta in tract. de Iurisd. p. 4. cent. 1. casu. 1. & 2. Surdus. cõs. 301. Genuens. in praxi. Cur. Neap. cap. 92. Idem dicendum de regularibus exemptis quò ad Episcoporum iurisdictionem, vt scilicet ex vi præcepti eorum edictis obedire non teneantur, nisi in casibus à iure expressis. vt v. g. cum animarum curã exercent, in quã Episcopis subditi sunt; In publicarũ etiam supplicationum indictione; ad quas accedere sicut & alij Clerici ab ipsis Ordinarijs compelli possunt, & huiusmodi. *Mar. Anton. l. 1. var. resol. resolut. 19. & resol. 103. Gen. l. c. cap. 64. Riccius. resol. 210.*

Tertio, ciues in actibus politicis non teneri Duci exercitus morem gerere, sed tantum in his, quæ ad militarem disciplinã pertinent, filiumfamil. ægrotum nõ patri, sed medico, quò ad corporis valetudinem obtẽperare debere, &c. vt significat. *D. Thomas. l. c. & Codronch. de tuta. ac christiaan. med. ratione. l. 2. cap. 2.* Vbi ex cõmuni tradit, ægrum medico non obtemperantẽ, & aliquid cum graui corporis iactura, uel periculo mortis sumẽtem, lethali peccato se obstringere.

Quarto, in reuelando peccato occulto proximi; nisi quando ad euitãdum aliquod graue damnum reipub. uel alicui tertiæ personæ imminens, id necessarium fuerit.

Quinto, in his, quæ ad corporis naturam, & status electionem spectant. Ideò Superior alicui præcipere nequit, ut penitus alimentum sibi ad uitam necessarium subtrahat, neque ut matrimonium nõ contrahat, uel castitatem seruet.

Sexto, quò ad actus mere internos, ut quod de hoc uel de illo cogitet, uel hunc, uel illum uoluntatis actum eliciat. *Molfes. tract. 11. c. 18. num. 60.*

Septimo, subditos religiosos non teneri Prælatis aliquid supra regulam præcipientibus parere, vt qđ ad Indos ad subeũdum martyrium proficiscantur, quod quater in hebdomada ieiunẽt, &c. nisi ratione pœnæ tàm uindicatiuæ, quã præseruatiuæ, id fiat, iuxta illud pronuntiatum. *D. Bern. l. de dispens. & precept.* Nihil præcipiat mihi Prælatus, quæ non voui, nihil prohibeat eorum, quæ non promisi, non augeat, nec minuat votũ meum. Sicut etiam quãdo regula ex se, & primæua sua institutione sub culpa non obligat, sed ad solam pœnam astringit, nõ potest Superior in vniuersum ad illius obseruantiam, sub lethali culpa obligare. At priuatum sic obstringere

gere ei licetiam, quando ad aliorum exemplum, & illius correctionẽ, qui minus parere consueuit, id expedire iudicaret: sed ob vnius, vel duorum culpã, ei integrum non esset totum conuentum obligare. *D. Thomas in Quolib. 10. art. 10. D. Ant. 3. p. tit. 16. c. 1. §. 9. Felyn. & Decius in cap. ad nostram. ext. de appellat. Anglef. q. de voto. diff. 15. Graffius lib. 3. decis. aur. c. 5. num. 45. Sanchez. de precept. l. 6. c. 2. n. 40. Miranda in Man. Prælat. regul. tom. 1. quæst. 26. art. 10.* Addo Superiorem prohibere non posse, ne subditus ad aliam striciorem religionem transeat, dummodo hic transitus non fiat temeritate, leuitate, odio, vel alia qualibet animi perturbatione, sed studio tutioris, ac melioris vitæ; ob obedientiæ tamen bonum licẽtiam petere tenetur, licet eam non obtineat, aliàs ad primum religiosum ordinem reuocari potest. *D D. in cap. licet. de regul. Abb. cõs. 95. Tusch. v. obed. concl. 2. Azor. p. 1. l. 12. c. 13. q. 3. & 6.*

QVAESTIO XXVII.

AN RELIGIOSVS SVI SVPERIORIS præcepta transgrediens p. m.

AN religiosus sui Superioris, vel religionis scita trãsgrediens, sẽper lethaliter delinquat? R. Quod non nisi Primo, cũ Prælatus aliquid graue imperat cum intentione ad mortale peccatum obligandi, sicut exprimitur, cum in virtute S. obedientiæ, vel sub pœna excommunicationis aliquid præcipitur; quod tamen raro in discretis Prælatis accidere solet, nisi quod iubetur sit aliàs diuinum præceptum, aut ecclesiasticum, ad mortalem culpã ligans. Nec subditus sub culpa mortali tenetur Superioris sui voluntatem adimplere, etiam si coniiciat hoc vel illud velle, nisi expressum præceptũ agnoscat. *Syl. in v. obedientia. §. vlt. & v. præceptum q. 2. Tol. l. 8. cap. 15. Reginald. lib. 17. num. 238. Miranda. tom. 1. quæst. 26. art. 4. Graffius l. 2. Decis. aur. c. 58 num. 18. Sanchez. de precept. tom. 2. lib. 6. cap. 2. n. 5. D. Anton. l. c. Tol. lib. 8. capit. 16. Anglef. l. c. diff. 16. Azor. p. 1. l. 12. c. 13. q. 2. Fernãdes. p. 1. c. 6. §. 2. n. 15.*

Secundo, mortalem noxam cõtrahit religiosus; cum regulam, vel Antistitis præceptum ex cõtemptu violat. Vbi obseruandũ, latius patere peccatum ex contemptu, quàm ex inobedientia, siquidẽ contemptus consistit tùm in his, quæ iussa sunt, tùm in alijs, de quibus nullũ extat præceptũ, cũ quis mortaliter peccet, tùm cõsilia, tùm mãdata contemnẽs. At inobediẽtiæ peccatum circa ea duntaxat versatur, quæ nobis imperata sunt, vt notatur per *DD. in cap. nam concupiscentiam. ext. de constitut. Azor. l. c. quæst. 1.* Item duplicem esse contemptũ scilicet formalem, vel positiuũ, qui est voluntas transgrediendi legem ex hac sola causa, quod ei subijci nõ vult. Et virtualem, seu negatiuum, vt cum quis legẽ, vel præceptum ex cõcupiscentia affectu lucri, odio, vel amore violat, vel quando ex praua cõsuetudine ad mortale peccatum disponente, venialiter peccat.

Porro ille ex cõtẽptu formali legẽ, vel præceptũ violare dicitur, non quando præcipue propter concupiscẽtiam, vt dixi, aut iram, aut fragilitatem, aut aliam rationem transgreditur, sed cõsultò, & dedita opera, vt cõtra legem & præcipientis ordinationem agat, vt explicat. *D. Thomas. 22. quæst. 186. artic. 9. ad 3. Val. tom. 2. 1. 2. disp. 7. quæst. 5. puncto. 6. Lessius. libr. 2. cap. 46. dub. 6. num. 45. Duard. lib. 3. Comment. in Bulla Cœnæ Domini. §. 8. quæst. 1. & 2. Suar. lib. 3. de leg. cap. 28. Nig. de cur. minim. p. 4. c. 7 num. 65. Sanchez. lib. 1. de precept. cap. 5. §. 8. Carbo lib. 7. de legibus. disp. 3. Sayrus. l. 3. clauis reg. cap. 7. num. 16. Cou. in cap. alma. mater. p. 1. §. 7. de sentent. excommunicationis. Graffius lib. 1. decis. aur. cap. 14. num. 9. Caiet. in ver. contemptus. & in v. præceptum.* Quibus etiam in locis asserunt, venialem tantũ culpam in contemptu agnosci posse. Primo, si quis à Superioris prçcepto aberrat, sedulo intelligẽs, rem esse leuem, & propterea quod leuia iubet, non quatenus est absolute prçceptum, sed quia res parui est momenti hac ratione contemnit. Secundo, si nolit Superioris mandatum exequi, non quia illum paruipẽdat, sed ne ipse Prçfectus lætetur, quod à se iussa executioni mandari videat, vel quia vult absolute obedire precepto, ac legi subijci, sed renuit hic, & nunc illud exequi, &c. Tertio, obseruant quoq; cõsuetudinem, seu frequentiam actuum cõtemptum nõ inducere, quamuis ad id disponat, teste Sapiente *Prouerb. cap. 18.* Impius cum in profundum peccatorum venerit cõtemnit. Quamuis in foro externo ad illum met contemptum præsumendum multum operetur, & cum difficilis sit probationis, coniecturis, & indicijs colligitur. *Menoch. l. 2. de arbit. Iud. casu. 416. num. 23. & seq. & lib. 5. de præsumpt. præsumpt. 44. Mascardus. de probat. volum. 1. concl. 433. Tuschus. in v. cõtemnere. concl. 963.* Idemque dicendum est quò ad moniales, nam licet Abbatissa, cũ spirituali iurisdictione, & potestate clauium careat, cẽsuras ferre nequeat, subditis tamen in virtute S. obediẽtię precipere potest, & ipsæ sanctimoniales rõne voti & ex vi professionis emissæ parere coguntur: qđ si in re graui facere renuant, lethali sauciãtur culpa. *Azor. p. 1. l. 13 c. 10. q. 7. Salas. d. 8. de leg. sect. 14. n. 96. Sanchez. l. 6. de precept. c. 1. n. 17.*

QVAESTIO XXVIII.

REMEDIA CONTRA INOBEDIENTIAM quænam sint.

QVæ sunt antidota contra inobedientiam? R. Remedia contra inobedientiam esse poterunt.

runt. Primo, sæpius cogitare illam esse graue delictum,& multis,grauibusq; pœnis plecti solere, nam quò ad Dei optimi Maximi offensam, pœna mortis æternæ ob mortale peccatū afficitur, vt propterea inobediētiæ specialis ratio, si speciē peccati immutet, vel notabiliter aggrauet, in sacramētali cōfessione exprimenda sit. *Val tom 3 disp.7 quæst.3. p.3. Reginald.lib.17.num.241.* Quippe peccatū ex *D. Aug.l.2.contra Faustum.cap.27.* quem omnes Theologi sequūtur, est dictum, vel factum, vel concupitum contra æternam Dei legem. Et quamuis multæ referantur leges, nempe naturales, diuinæ, humanæ, ecclesiasticæ, regulares,& politicę, oēs tamen ab æterna Dei lege dependent, quandoquidē quælibet lex eatenus i..sta dignoscitur, quatenus ipsi diuino iuri consentanea, ac conformis est,& ab illa deriuatur, ac proinde peccatū est (& pro subiecta materia lethale) si filius parentibus nō obediat, seruus Domino, ciuis Magistratui, populus Principi siue ecclesiastico, siue politico,& religiosus suo Antistiti, vel Præfecto. *Bellarm.de gemit.Columb.l.2.cap.1.Lud.de Ponte.tom.3.tract.6.cap.12.*

Quo ad pœnam temporalem huius sæculi, interdum est necis corporis, illud acriter affligens, interdum pecuniaria, eaque pro Iudicis arbitrio imponi solet. Contemptor etiam vt inobediens omni commodo, & beneficio ecclesiæ destituitur, siquidem qui v.g.post suspēsionem in contemptum clauium celebrauit, à Pœnitentiarijs Summi Pōtificis facile dispensari non solet. *Menoc.& Mascar. l.c.*

Secūdo, ex inobediētia quot mala profluxerint, & in dies manent, nam per vnā Adami inobedientiam, quotquot homines ab orbe condito extiterunt, excepto Christo,& B.V.Maria, peccato originali obnoxij, atq; æternæ damnationis rei nati sūt, qui si in eadē labe diem vltimū clauserint, à Regno Cœlorum in perpetuum excluduntur. *Apostol.ad Rom.5.& ad Ephes.2.* Proinde ad expiandum huiusmodi scelus necesse fuit Dei filium humanā carnem induere, & in ea mortem oppetere. Insuper omnia mala pœnæ, ut labores, morbi, famēs, sitis, bella,& mors ipsa atque adeò inobedientia carnis, & Spiritus, quæ carnis concupiscentia dicitur, tota uita nobis inhærens, omnium peccatorū actualium fons ;& radix ex vna Adami inobediētia dimanarunt. *D. Aug.l.14.de ciuit.Dei.cap.15.*

Tertio, Christi cōsiderandū est exemplū, de quo *D.Bernar. super missus est hom.1.* Disce homo obedire, disce terra subdi, disce puluis obtēperare. De Auctore suo loquens Euangelista *Luc.c.2.* Et erat, inquit, subditus illi, haud dubium quin Mariæ,& Iosepho,&c. Vbi *Salmeron.tract.47.§.descendit.cū eis.* ait, Cum sciret Christus in Ecclesia Dei plures sæpe ad gradus supremos esse promouendos, qui nec sanctitate, nec sapiētia cū subditis essent comparādi, docere Doctor ueritatis **intendit, ut pareamus** Superioribus nostris, etiam sapientia, uel charitate, uel ætate minoribus nobis;& quod nostra in hoc sapientia, uirtus, & sanctimonia appareat, si maiorum ordinationes, & præcepta non detrectauerimus. Balenæ marinę ob nimiam pinguedinem caligant oculi, visusque hebescit : illi autem Diuina prouidentia pisciculum quendam dedit oculorum uice fungentem, cuius ductū, ac directionem, in natando bellua sequitur, ne in syrtes, scopulosq; incurrat, & hæc pericula deuitet. Si ergo maximus omniū piscium deficiente uisu, naturę instinctu, pisciculi ductum sequitur, uir sapientia magnus, uel ętate maior,& nobilitate insignior, alterius etiā inferioris, rōne magistra,& Deo sic disponēte, in uia spirituali ducatum non sequetur? *Nigron.in tract. de necess.& vtilit.mag.spir.c.3.* Et vt ait. *Bellarm. de gem.colum.l.3.cap.5.* Illæ uere sunt cogregationes, in quibus vt loquitur. *D.Aug.de mor.eccl.c.30.* Præpositi magna in imperando auctoritate,& subditi magna in obediendo uoluntate sunt præditi. Ita ut locum habeat illud *Isaiæ c.11.* Puer paruulus minabit eos, quod tūc impletur, cum huius mundi magnates humilibus ecclesiæ, uel religionis Pastoribus obediunt.

Addo nobilium cordium esse obedire, quò enim mens generosior est, eò facilius ducitur, ac tractatur. Vnde sæpe Dominus populum Israeliticū durę ceruicis homines appellare solebat. *Exod.c.32.& seq.* Dura uero ceruix nō nobilium, sed agrestium character est, quo significare uoluit, rusticorum hominum, ac barbarorum esse, difficiles se obediētiæ præstare. Quò etiam spectat illud *Taciti 4. Ann.* Principibus summū rerum iudicium Dij dederunt, subditis obsequij gloria relicta est. Nec hic omittā, quod cum ut ait. *Iustin. in Tob.cap.5.vers.2.in doc.* Obedientia sit felicitatis mater, & omnium uirtutum maxima, ad illius meritum assequendum, nullus esse deberet, qui sibi ducē aliquem, nimirū confessarium nō deligeret, cui in omnibus,& præcipue in his, quæ ad spiritualē uitam pertinent, non se subiectū uellet. Nam cū iuxta. *D. Bonauētura.* sententiam, obedientia sit spōtaneum,& rationabile propriæ uoluntatis sacrificium, eius meritum, & spirituale lucrum non tātum religiosi (quod multi perperam arbitrati sunt) sed etiam cæteri omnes fideles assequuntur, dum Cōfessario obtemperant, non in his tantum, quæ Deus ipse præcepit, (nam talia satis constat, præstanda esse, etiam si ille non præciperet, nec omittenda, etiam si prohiberet) verum ēt in ijs, quæ consilij, & supererogationis sunt, ut præstent quidquid ille in bonum animæ suæ iniunxerit, uel consuluerit, etiam si iniucundum,& difficile appareat. Scitū est.n. illud Lęlij, Cuius aures clausę sunt ueritati, ut uerum, & non nisi quod sibi iucundum

dum est, audire nequeant, eius salus desperáda est. *arg. D. Bernard. serm. 1. de conuers. S. Pauli.* Et vt admonuit. *D. Vicent. Ferrer. de vita spir. c. 4.* Nunquam Dominus dabit gratiã suam ei, qui cum habeat à quò in via virtutis duci possit, negligit, vel alterius ducarũ amplecti non curat. Hunc fructum degustatum credibile est à B. Lyduina fuisse, cũ secularibus hominib. hoc modo cõmendabat, Quisquis appetit, vt Dei spiritus in eo operetur, ille S. Matri ecclesiæ obediat, itemque Confessario suo, à quo tanquam Christi Vicario magna ei salus prouenit. Quod si sic fecerit, sentiet animi tranquillitatem, quam hac neglecta obediẽtia, haud quaquam obtinebit. *Nig. de necess. & vtilit. mag. spir. tr. 1. c. 5.*

C A P. VII.

Q V AE S T I O XXIX.

QVID SIT VANVS CORPORIS ORNATVS; & quomodo in eo peccare contingat.

QVid est vanus ornatus, & quomodo in eo peccatũ contingit? R. Est exterior virorum, vel mulierum ornamẽti ad naturalem gratiam ex inani gloria augẽdam adiectio, vt colligitur ex *D. Thom. 2. 2. quæst. 169. art. 1.* Externus enim corporis ornatus, si nimius, & superfluus est, & vltra quàm status conditio, & communis patriæ fert consuetudo, vitium redolet, atque vt bonum finem habere nequit, ita animum vanum, mundanum, voluptuarium, ac delicatum arguit, qui non nisi vanam sui ostentationem, & delicias ambit, &c. Hoc sensu dixit *D. Cypr. l. de habitu virg.* Illas fœminas quæ se bysso, & purpura induunt, syncere Christũ induere non posse, quæq; auro, & gemmis se exornant, animæ decorem, & ornatum amisisse. *D. Gregorius Nazianzenus.* aduersus mulieres ambitiosius se se ornantes, Ferunt, ait, insolentem panonem, cum curuato collo, pennisque gemmantibus circulum efficit, fœminas clangore suo ad Venerem inuitare. Eodẽ modo admodũ mirabor si tu aliã ob causam formam pingas, quàm vt nitidorum, & falacium virorum oculos ad te conuertas.

Tria potissimum D. Magdalenæ exitij causam fuisse compertum est, diuitias nimirum, pulchritudinem, & vestium luxum, quæ tria ad omnem libidinem viam sternunt. Hinc interrogatus olim spartanus quidã quo nam supplicio Spartę adulteri punirentur? respondit, Qomodo Spartæ contingere adulterium potest, vbi nullus luxus, nullæ diuitiæ, nulla denique uoluptas? Cæsar quoque Augustus uestium excessum, & splẽdidiorem ornatum superbiæ uexillum, & luxuriæ nidum appellare consueuerat. Quẽ & *Dauid. Psal. 143.* (ut qui magis templa & eius ministros deceat) improbat dicens; Filię eorũ cõpositæ, circũornatæ ut similitudo tẽpli. Vnde & *D. Paula à D. Hieron.* maxime celebrata, si uidisset aliquam mulierem comptiorem, contractione frõtis, & vultus tristitia, arguebat erranẽ, dicẽs, munditiem corporis, atque uestitus, animi esse immunditiam. *Barrard. in Conc. Euang. lib. 6. capit. 6.* Vtinam lautas uestes, ac splendidas nunc mulieres curiosius cõpræ deponerẽt; propterea nãque Deus offenditur, populus scandalũ sumit, pauper detrau. datur, tempus pretiosissimum, cuius iactura irrecuperabilis est, in uanum teritur, ac deperditur, patrimoniumq; exhauritur. Ideò B. M. Virgo Dei Mater in *lib. 8. reuel. S. Brigittæ. cap. 57.* sic loquitur, Mulieres deponant uestes ostentationis, quas propter superbiam, & uanam gloriam assumpserunt, quia Diabolus dictauit mulieribus contemnẽtibus mores patriæ suæ antiquos, & laudabiles, quãdam nouam abusionem, & ornamenta indecentia in capitibus, & pedibus, & reliquis membris, ad prouocãdam luxuriã, & irritãdum Deũ, hęc illa. Sic *Tholos. in syntag. iu. l. 9. cap. 3. num. 29.* tradit ex Iulio Polluce patrẽ posse filiarũ superbiam deijcere, si monilia, & causam se efferendi illis adimat; veluti, inquit, qui asinos admittunt, facere solent; si .n. e quæ asinorũ congressum aspernantur, eosque lacessunt, equarum iubas radunt, & ad fontes deducunt, hæ uero tanquam in speculo cernentes deformitatem corporis, & iubæ splendorẽ amissum, deterioris postea animalis congressum admittunt, & superbiam deponunt. Eandem ob causam superfluus corporis cultus etiam in viris culpãdus est, quòd à superbia, leuitate, & carnali sensu originem trahit; nisi enim vitium spiraret, & peccatũ inuolueret, sacra pagina tàm studiose non declarasset, diuitẽ illum, qui Tartareos cruciatus postea sustinuit, purpura, & bysso indui solitum, &c. *D. Greg. hom. 4. in Euang.* Idque potiori ratione, qđ ornatus magis viros, quàm fœminas dedecet, teste Ouidio,

Sint procul à nobis iuuenes, vt fœmina compti,
Fine coli modico forma virilis amat.

Hinc cæcus quidã ætate prouectus, Lacedęmonem uenit, & cũ superbia turgeret, canos suos occulere tinctura cõabatur, itaque cum in ipsorum Lacedæmoniorum conspectum venisset, ostenso tali capite exposuit, quorũ gratia venerat, consurgens autem Archidamus eorum Rex, quid inquit, hic sani diceret, cuius non solum animus, verum etiam caput fucis contaminatum est? Explosit eius dicta, hominis ingenium ex vana ostentatione redarguens. *Ælianus de var. hist. l. 7 1.* *Athenæus* etiam *Dipnosphist. lib. 12. cap. 6.* Legem apud Syracusios fuisse scribit, qua cautum erat, ne mulieres auro ornarentur, neque floridas vestes gestarent, nisi quæ publicas esse amicas faterẽtur, atque aliam fuisse legem,

nequis

ne quis vit se auro ornaret, aut comam nutriret, aut superuacaneis vestibus vteretur, nisi se mœchum, aut cinædum esse profiteretur. Quippe ille nimius corporis cultus impudicitiam potius arguit, quàm continentiæ, aut modestiæ sit indicium. Hinc & *Apost.1.ad Corinth.cap.11.* Vir, inquit, si comā nutriat, ignominia est illi. Vnde absq; affectato, & effeminato cultu viri corporis mūditiei studere debēt, id.n ad bonos ciuiles, ac politicos mores pertinet, ita vt nil turpe & sordidū in toto corpore appareat: & vngues suo tempore prout decentia tulerit tergere, & recidere eos conuenit: nonnulli namque cōtra moralem modestiam eas in enormem excrescere magnitudinem sinunt, cōtra illud Ouidij,

Et nihil emineant, & sint sine sordibus vngues.

QVAESTIO XXX.

QVANDO ORNATVS SIT PECCATVM mortale, quando veniale, & quando nullum.

QVæritur quando nā excessus in corporis cultu sit peccatum mortale, quando veniale, & quando nullam inuoluat culpam? R. Licitus & inculpatus erit ornatus, & corporis cultus, si tàm uiri, quàm mulieres, iuxta sui status cōditionem, & patriæ consuetudinem se ornēt. Cum enim exterior apparatus ad tria secundum rectam rationem ordinetur, Primo, ad corporis necessitatem, & fomentū, ut propterea Deus primis parentibus tunicas fecerit, Secundo, ad honestatē, ob quam conseruandam ijdem parentes perizomata sibi cōsuerunt, Tertio, ad ornatū uel honoris, uel pulchritudinis; pretiosas induere uestes ex patriæ usu, & status sui decentia, omni caret culpa. *D.Thomas.22. quæst.169.art.2.* Hinc *D.August. ad Possidiū. Epist. 73.* Nolo, inquit, de ornamentis auri uel uestis præproperam habeas in prohibēdo sententiam; nisi in eos, qui neque coniugati, neque coniugari cupientes cogitare debent, quomodo placeant Deo, & *Epist.196.ad Ediciam*, ait, in superbo cultu posse habitare cor humile, quod exemplo Hester ostendit. Et *D. Anton.2.p.tit.4.cap 5.§.8.* addit, exemplū D. Cæciliæ, & aliarū, quæ pretiosas, & deauratas vestes deferebant. Item *D.Thom.l.c.* præter ornatum necessarium ad status decorē illum etiam permittit, qui ob solam fit pulchritudinem, ut à suis uiris amentur, eosque ab extraneis auertāt, & ad coniugale opus sui aspectu alliciant. Proinde natura pulchritudinē, & mollitiē fęminis indidit, tanquā propriam illius sexus dotē & ueluti amoris incitamentum, & coniugalis officij, delectabilioris q; conuersationis illecebram. Nec tamen interim prętermittenda est grauis Euripidis sententia, qui pronūtiauit, Mulierem quæ absente marito extra domū ad formam uel pulchritudinem se comit, in improbarum album referēdam esse, nihil enim cogere foris ornatam præferre faciem, nisi quid mali quærat. Hinc quoque sequitur, eas, quæ nondū nuptæ sunt, sed nubere cogitant, cultus corporis ornamēta sibi asciscere posse, ut uirorum aspectibus placeant, ad commodas consequendas nuptias. Vnde etiam de lacænis mulieribus omnium laudatissimis illud à *Plut.12.apoph.lacon.* mandatum habetur, uirgines, aperta facie, uiris iunctas mulieres, uelatas prodire solitas, ea nimirum ratione, ut sic illæ maritos inuenirent, istæ ueto uiros habentes alijs placere nō curarent *Lessius.l.4.cap.4 dub.14.num.108. Philiar. de officio.p.1.l.4.cap.5. Sà in v.ornatus.*

Venialis uero cōstabitur in ornatu culpa, si abūdantior cultus adhibeatur, ut mulier pulchrior, ditior, uel superior uideatur, quamuis in eo excessus fiat; hoc enim per se grauem inordinationem non continet, sed solum iactantiam quādam, & uanam gloriam præsefert, quod est fœminarum naturale, & insitum uitium, cum ex cuiusdam Sapientis sententia, Mulieres quatuor maxime cupiant, amari à pulchris iuuenibus, pollere multis filijs, dominari in domibus, & pretiosis ornari uestibus. Et nōnulli quærētes cur mulieres corporis cultu magis, quàm uiri delectētur, illam etiam afferunt causam, quod earum natura sit imperfecta, quò fit, ut suæ conditionis defectū artis beneficio supplere contendant. *Clemens. Alex.l.3. Padag.cap.3.* Nec tamen defuerunt, qui dixerint plures fœminas, quā uiros in Infernis cruciatibus damnari ob quatuor potissimum peccata. Primo, ob superbum ornatum. Secundo, propter superstitiones, & maleficia. Tertio, detractionis causa. Quarto, ob sacrilegas confessiones ab eis factas. *Ioseph. Belar. in Prato exempl. tit. de sacr. alt. exemp.24.*

Sicuti uero Pauo corporis eximiam speciē cum maxima iactitans superbia, uisa pedum suorum deformitate, pennas recondit, ac superbiam deponit; eodem modo mulieres, quæ formæ, & ornatus sui, decore, uel fragilis boni dono efferuntur, cōspectis pedibus suis, hoc est mobilis huiusce uitæ exitu, pallida nempe morte, quæ æquo pede, ut Horatianis uerbis utar, pulsat pauperum tabernas, regumque turres, rectius sapere, rebusque suis melius consulere admonentur. Item sicut pauo dum uario pennarum splendore conspicuus sibi blandiri gaudet, ac se ipsum admiratur, oculatam caudam explicare, & ostendere studens, uerecunda simul; ac pudenda detegit; eodem modo fœminæ quæ pompis, & uana gloria delectantur, corpus pulchrum, & graphice exornatum ostentant, animum uilem, scurrilem, & omni uanitate imbutum detegunt, &c. *Ald. de autbus.l.13. tit.de Pauone.*

Pari ratione non erit mortiferum peccatum in viris

viris ſe ſolum ex ſimili uanitate id fiat, eſt tamen in his maximè reprehẽſibile, ut dixi, quũquidem fœminarum, non uirorũ eſt formã affectare, iuxta illud.

Forma viros neglecta decet.

Hinc Diogenes ad quẽdam iuuenẽ ſupra modum ſeſe ornantem, ſiquidẽ, inquit, ob uiros, infelix es, ſin ob mulieres iniurius. Non ne te pudet, qđ peius tibi uelis, quàm ipſa natura uoluit; nã illa te uirum fecit, tu te ipſum in fœminam refingis. Ideo merito olim cauit Lycurgus, ne iuuenes amplius quã una ueſte uterentur, ne alius alio cultior egrederetur. Qua in re taxaĩ ſuperfluitas, ſtultitia, ac mollities Neronis Claudij, qui nullã ueſtem bis induit. *Caiet. d. art. 2. Syl. v. ornatus. quaſt. 4.* Nau. c. 23. n. 18.

Tandem lethiferi peccati reatum ſubit ille, uel illa, quæ Primo, ut ſuperflue ſe ornet, æs alienũ non ſoluit, uel familiæ neceſſaria non præbet. Secundo, ſi hoc faciat animo impellendi aliquẽ in ſui illicitũ amorem, & concupiſcentiam. Tertio, ſi ea mẽte, & affectu ſe ornat, & colit, ut ab huiuſmodi ornatu deſiſtere non ſit parata quanquumuis ſub pœna peccati mortalis præciperetur. *D.D. citati, & Graffius. l. 2. deciſ. aur. cap. 77. Beia par. 2. reſponſ. caſu. 1. & 3. Leſſius. l. 4. cap. 4. dub. 14. num. 113.*

QVAESTIO XXXI.

AN MONIALES SE ORNARE POSSINT.

QVid dicẽdum de religioſis, præſertim ſanctimonialibus, poſſunt ne ſe ipſas comere? R. Si mala abſit intentio, dicendum eſt à mortali culpa excuſari, etiam ſi notabiliter modum excedant, ſi hoc faciãt ſolum ob uanitatem, pulchritudinem, & corporis elegantiam oſtentando. Quod intelligendum eſt, dũmodo proprio habitu utantur, aliàs illum deferentes, uel temere dimittẽtes excommunicatione irretiuntur. *Caiet. in ſumma de excommunicatione. c. 61. Silneſter. in v. ornatus. q. 5. Graffius. d. l. 2. cap. 77. num. 7.* Verumtamen religioſi, uel religioſæ meminiſſe debent, beatam eſſe uirtutẽ, quę ueſtium uilitate gaudet. Et uero regularem uirum uel fœminam, & paupertatem, humilitatemq; profeſſam, quæ demum ueſtis decet, niſi ea, quæ non pretium, & ornatum, ſed uilitatẽ, ac ſimplicitatem præſeferat? Sic D. Franciſcus ueſtis horrebat mollitiem, aſperitatem amabat, aſſerens propter hoc D. Ioannem Baptiſtam diuino ore commendatũ fuiſſe. Si quando uero in data ſibi tunica lenitatem ſentiret, chordulis eam contexebat interius, quia non in caſulis pauperum, ſed in Palatijs Regũ, iuxta ueritatis uerbum, ueſtimentorum luxum requirẽdum eſſe dicebat. *D. Bonauent. in vita. S. Franciſci. c. 5.* B. Didacus Minorita cum ſe iam moriturum intelligeret, comitis illius, & adiutricis fideliſſimæ, quæ illum in huius uitæ peregrinatione numquam deſeruerat, hoc eſt ſanctæ paupertatis, ſupremo uitæ die nõ oblitus, conuocatis fratrib. eos obnixius rogauit, ut ſibi ueſtem obſoletam, & lacerã, habitumque omnium uiliſſimum in quo moreretur, concederent, &c. *Sixtus. V. in Bulla eius Canonizationis, & Daur. tom. 4. cap. 7. tit. 91.* Quippe etiam ſecundum Iuriſtas, ſtultitia reputatus, cum pretioſa ueſte & ornamentis ſepeliri. Imò diſpoſitio ad hoc ſeruanda non eſſet, ut per *Anchar. in clem. dudum. nu. 30. tit. de ſepult. Monach. de execut. in veſt. c. 9.* Sanè Ornata mulier præſertim Deo dicata eſt Primo, rete Diaboli ad capiendas animas. Secundo, gladius inimici ad animas occidendas. Tertio, glurinum uenatoris ad animas decipiendas. Qui domũ candefecit, ſe eam licitare uelle oſtendit. Sicut & equorum uenditores ut eos uenales eſſe demonſtrent ſuper ipſorum capita ramum imponere ſolent, ſic mulier ſe exornãs uenale corpus, & turpe animum indicat. In ſacra pagina tria ornamentorum genera inueniuntur, uidelicet Primo, neceſſitatis, quod eſt ornamentum uirtutis, ac perfectionis, per quod Deo per charitatis coniugiũ anima copulatur. Secundum, pompoſitatis, ſeu ſuperbæ compoſitionis, ob quod anima de templo Dei fit tẽplum Diaboli, & meretricis: Tertio, honeſtæ conuerſationis, iuxta perſonæ conditionem, & ſtatum, de quo *Apoſt. ad Timoth. cap. 2.* Mulieres cum uerecundia, & ſobrietate ornantes ſe, &c. Hinc *Alex. Alenſ. p. 2. ſummæ. quaſt. 134. membro 1. & ſeq.* dum quęrit, an in ornatu ſit peccatum, reſoluit, licere ex nobilitate perſonę, eius dignitate, & conditione, & patrię more ſe pretioſis ueſtibus ornare, ita tamen ut abſit libido in uoluntate, & ſcãdalum in exteriori opere. Additque etiam Sartores uarias, ac laſciuas conficientes ueſtes, à graui culpa immunes non eſſe, cum eorum artis ſit non ſuperflua, ſed neceſſaria facere. Vera, & tota, & pura uirginitas ait *Tertull. de virg. veland. & Baron. tom. 1. anno Chriſti. 57.* nihil magis timet, quàm ſemet ipſam, etiam fœminarum oculos pati nõ vult, alios ipſa oculos hẽt, confugit ad uelamen capitis quaſi ad galeã, quaſi ad clypeũ, qui bonum ſuũ protegat aduerſus ictus tentationũ, aduerſus iacula ſcandalorum, aduerſus ſuſpiciones, & ſuſurros.

QVAESTIO XXXII.

AN MVLIER POSSIT FVCO SE INFICERE, ſuppoſititiam comam geſtare, nudum pectus exibere, &c.

QVid de exceſſu ornatus fœminarum, per pigmẽta, ſuppoſititiam comã, pectoris nuditatem, &c. R. Quò ad primum, & ſecundũ caput quęſtionis dico, Aliud eſſe pulchritudinẽ nõ habitam fingere,

fingere, & aliud deformitatē ex aliqua causa prouenientē occultare, puta infirmitate, & hmōdi; hoc secūdum culpa & mendacio caret, siquidem iuxta *Apost. doctrinam 1. ad Corinth. 12.* Quæ putamus ignobiliora corporis membra esse, his abundantiorem honorē circundamus. Et ita mulieri ad celandam maculam, vel alienas irrisiones euitandas, integrū est se fucare: & si ex morbo, vel alia de causa decaluescat, seu ab eius capite crines defluxerint, vbi mulieres eiusdem conditionis ex regionis more velatæ non incedunt, ne caput quasi cucurbitā habere videatur, alienos capillos inculpate gestare. At qua caret, pulchritudinem fingere, mendacium officiosum, & venialis est culpa. Ad tertiū dico pariter, fœminas nuda pectora ostētantes, si mala absit intētio, & sic patriæ vsus ferat, lethaliter nō peccare, quamuis hæc cōsuetudo indigna sit, vt obseruetur, & digna, vt in locis vbi viget, paulatim abrogetur. Sāctimoniales si si fuco se inficiāt, mortuos crines gestent, nudū pectus exhibeant, à mortifero flagitio, & sacrilegio non excusantur, cū hæc ab earum statu prorsus aliena sint. *Lessius, & Philiarc. l.c. Lopez. p. 1. Instruct. consc. cap. 57. Graffius. d.l. 2. cap. 77. Caiet. 2. 2. quæst. 169. art. 2. & in v. ornatus. Emanuel. Sà in eodem. v. ornatus. Viguer. in Instit. theol. cap. 7. §. 5. vers. 13. Corrad. in resp. cas. consc. q. 248. Bonac. de matrimonio. quæst. 4. puncto. 9. nu. 25.*

QVAESTIO XXXIII.

QVOMODO CONFESSARIVS CVM fœminis vano ornatu incedentibus se gerere debeat.

QVæritur quomodo in praxi se gerere debeat confessarius cum pœnitentibus fœminis, quæ corpore vane ornato ad cōfessionem accedūt? R. Hæ quidem admittendæ sunt, non tamen absoluendæ, si Primo ab ornatu, cuius casus aperte mortalis est, abstinere nolint: prout censetur si in finē lethalem, vt fornicationem referatur. Aut secundo si tanta sollicitudine curetur, vt ecclesiastico præcepto, vtpote auditioni missæ præferatur. Tertio si in aliorum notabilem perniciem vsurpetur, qualis est cum illicita concupiscentia ab illis aspici. Quarto, si cum impedimento soluendi creditoribus suis, aut quibus debet, vitæ necessaria ministrandi. Quod si clarè videat, nullum aliud in eodem vsu contingere peccatum, quàm nude vanitatis (quod de se est tantum venialis culpa) illas absoluere debet, cum veniale peccatum non sit diuinæ gratiæ obex. Sin vero in huiusmodi ornatu mortale peccatum latere ambigat, neque morali adhibita diligentia, dubitationem vincere possit, tunc suæ partes erunt, pœnitentes hortari, vt ab eo se abstineant, sed nolentib. absolutionis beneficium negare non potest, cum iura magis ad absoluendum, quàm ad ligandum prona sint, *Catechis. Rom. super 6. precept. decalogi. Syl. & Tab. in v. ornatus. Graff. l.c. nu. 9. Ant. Posseu. in biblioth. select. ex D. Carolo Borr. lib. 3. c. 23. Less. d. dub. 14. n. 114.* Videre dēt Confessarius patriæ morem, illatum alijs peccandi periculum, & sic ex circunstantijs absolutionem denegare. Et licet aliquī inter quos est. *Sà in v. ornatus.* sentiant, fœminam pectus nudum gestantem raro à mortali culpa excusari, ac proinde vix absoluendas, ac mulieres ipsas vbera mōstrantes ab ingressu Ecclesiæ interdici debere. ut per *Anch. in c. 1. de constit. & Benedict. in c. Raynutius. de test am.* dicendum tamen est, illis secundum se non esse peccatum mortale, & ex regionis, vel patriæ excusari posse, vt patet ex communi praxi. *Azor. p. 3. lib. 3. c. 30 q. 7. & alij.*

Expedieт tamen cum dexteritate eas admonere, sicut & illas, quæ cerussatæ, & fuco oblitæ in Ecclesiam veniunt, quæ leuibus, & vanis ornamētis, ac lasciuo cultu ad sacramentalem confessionem, & augustissimum eucharistiæ sacramentum accedunt, nec in capite velum aliquod gerunt, quod notabiliter non transpareat. Sic enim horum mysteriorum reuerentiam decet, & ita prorsus cognitioni peccatorum, & de eisdem intimo dolori consentaneum est, cum se cogitare debeant, quod ante tribunal, & iudiciū Domini Dei sui se sistant, ac quasi peccatrices & reæ misericordiā, & veniā suppliciter de eisdem imploraturæ veniāt. Sanè abusus inoleuit, vt mulierum capita tot intortis capillis, tot formis, ac figuris intexantur, ac ornentur, ut illud Horatianum scite adaptari illis possit,

Humano capiti ceruicem pictor equinam
Iungere si velit, & varias inducere formas,
Spectatum admissi risum teneatis amici?

In quæ vana ornamēta, simulque pomposas vestes Parochos inuehi debere iussit. *Carol. Borrom. in Conc. Prouinc. 3. Med. tit. quæ ad eccles. cult. pert. & Conc. ver. tit. quæ ad matrim. vt etiam refert Gamb. rapt. de cas. reser. cas. 25.*

Cū Elisabeth Regis Hungariæ filia quodam die solemni, pretiosis ornata vestibus, aureāque in capite coronam gestans, ac frequenti stipata famulatu more Christiano rem diuinam auditura esset, primo statim contuitu, dominica crux, atq; ex ea Saluatoris imago pendens, eam penitus compunxit, compunctæ lachrymas excussit, & lachrymanti huiusmodi cogitationes ingessit; En Creator, & Redēptor meus, nudo corpore mea causa ignominiosam in cruce oppetijt mortem; ego vero misera gēmis, auro, bysso, purpura contecta, vitam cœlestibus indignam beneficijs perdo magis, quàm ago; ac repente regia mulier his meditationibus perculsa, velut exanimis humi prolapsa est, ac deinceps vilibus vesti-

vestibus induta, capite obsoleto, uelo obtecto, in ecclesias ingressa est. *Surius in eius vita. tom. 6. e. 7. 19. Nouemb.* Vnde & *D. Ant. 3. p. tit. 3. capit. 3. §. 8.* singularitatē, quam superbiæ filiam facit, definiēs, Singularitas est, inquit, facere aliquid ultra cōmunia, & cōsueta ad honorem, & reputationem super cæteros capiādam. Quam amplexari dicit eos, qui nouitates in opinionibus, in uerbis, in uestimentis, uel in alijs rebus etiā spiritualibus inquirunt, quiq; in negotijs gerendis ab aliorum sententia, & ratione discrepant, ut præ cæteris doctiores, subtiliores, & prudētiores uideantur. Quam condemnans. *D. Ber. serm. 6. de Ascens.* Falleris Thoma, inquit, si videre Dominum speras ab Apostolorū collegio separatus, non amat ueritas angulos. non ei diuersoria placēt, in medio stat, id est disciplina communi, communi uita, communibus studijs delectatur, &c.

QVAESTIO XXXIV.

QVAE REMEDIA CONTRA VANVM ornatum à Confessario danda sint.

QVæ remedia contra vanum ornatum, & vestium luxum à Confessario danda sunt? R. Frustra hic allaborabūt Verbi Dei præcones, & eorum, qui à confessionibus sunt, parum proficiet desudans industria, nisi Principum, Magistratuum & ecclesiasticorum etiam Iudicum censura, & authoritas intercedat. Deplorāda quidem est nostrorum tēporum calamitas, ut conqueritur. *Borellus. tract. de Magist. edict. l. 1. cap. 4.* Cum æqualis Principum virorum, ac infimorū sit ornamentorum conditio; vt viri primores, sic caupones, sic artifices, sic plebei, & infamis etiam vitæ homines ornati incedāt, ita vt dicere possimus,

Nos quoque poma natamus.

Hinc videmus plerumque alicui deferri honorem, qui etiam aspectu indignus sit virorum grauium. Alios autem, quibus honor, reuerentia, & circūspectio deberētur, vix discerni. Vtinam ij quibus summa rerum cura incumbit, tot malis prouideāt; quia staret suus cuiq; honor, & respub. mirū in modum prodesset, hæc ille. Vnde etiā ut ait *Bald. in proœmio Greg. & Tiraq. l. 3. connub. num. 14.* Valet statutum Episcopi, quo fulminatur excōmunicatio contra mulieres portātes vestes superuacuas, vel nimis sumptuosas, sive ad libidinē prouocātes. Sed vtcumque sit, Multa sunt sanè, quæ à Confessario afferri possent remedia, at hæc præcipue adhiberi poterunt.

Primo, vt pœnitentes considerent, corporis cultum, & vestitum, inobedientiæ, & præuaricationis nostræ in Adamo protoplasto signum, & monimentum existere; Nullus ergo iure potest in vestitu delectationem, vel voluptatem capere; sicut nemo certè de stigmate ob furtū in fronte inusto gloriari solet. Et vt illud. *Bas. hom. 24. de leg. lib. gent.* adiungam, Omne studiū adhibere, vt quod extra fuerit, bene, pulchreque colatur, & appareat, se se cognoscentis non esse; neq; sapiens illud præceptū intelligentis, nos admonēs, quomodo nō id quod aspicitur est homo, sed corpus, saccus stercorum, cloaca sordium, cibus vermium. Quare Andreas D. Bernardi frater, cum aliquando amborum soror exquisito cultu, & ornatu ad Monasterium Clareuallēse venire ausa fuisset; eam stercus inuolutum appellauit, quo conuitio illa perculsa, vanis ornamentis, & mūdo sanctimonialis facta vale dixit. *Io. Dauid. in Verid. christ. cap. 79.* Pulchre *Seneca Epist. 47* Sicut stultus est, qui equū empturus non ipsum inspicit, sed eius stratum, ac frenos; sic stultissimus est, qui hominem ex vestimentis æstimat. Quò spectat illud adagiū, E' plumis dignoscitur auis. i. è corporis cultu vita & hominis ingenium spectatur.

Secundo, quod vt ait *D. Bernardus l. 3. de cōsid.* Vestium curiositas deformitatis mentium, & peruersorum morum indicium est, in primis superbiæ, vanæ gloriæ, luxuriæ, & scandali aliorum causa. De Pambone fertur, quod cum apud. D. Athanasium Alexandriæ moraretur, fœminā mirum in modum comptam conspicatus, in lachrymas proruperit, Interrogatus vero quid fieret? Duę, ait, me causæ mouent, Prima, huius mulieris perditiō, Altera quod ego non tantum Deo placere coner, quantum hæc mundo. Scite Terentius,

Nosti mores mulierum,

Dum poliuntur, dum comuntur, annus est.

Vnde si quis etiam maritus ita mulierosus sit, vt velit vestibus ab vxore continuo petitis assentiri, certe numquam expensę finem accipient, siquidem vxores, naues, & pistrina semper negotij aliquid ad ornandum & instruendū habent, vt multis prosequitur. *Pet. Greg. Tholos. in syntag. iur. p. 2. l. 9. cap. 19. Tiraq. l. 3. connub. Passim de vitijs mul. dis. 17. Ant. Monachus. de Execut. in vestibus. cap. 19.* Merito, & non vanè B. Ephreem laudabilem hanc protulit sententiam, In sęculari vita qui suum ornat corpus, & subinde vestimenta mutat, humanā obtinet gloriam, at qui in religiosa professione ista cōtemnit, & solum necessario corporis vsui intendit, gloriam sibi in Cœlis acquirit, &c.

Thomas Morus percōnctanti quid de comptulis illis, & ad omniū aspectus expositis sentiret, non minus facete, quàm sapienter; quàm multi, aiebat, in hoc sæculo eo labore Infernum mercantur, cuius vel dimidio Cœlum lucrati fuissent. *Stap. in eius vita. cap. 12.* Ornamenta tamen viro, vel mulieri vendens, quibus ad peccatum abutētur, quæ nihilominus alter ei venderet, excusatur, vt per *Sanchez. l. 1. de præcept. capit. 7. numer. 7. & 26. & Bonacin. de.*

leg.

legibus. dist. 2. quæst. 4. part. 2. §. 1. numer. 36.

Tertio diuina oracula de vestium luxu, simulq; SS. Patrum testimonia, & politicæ vitę leges, ac eorum exempla, qui ob immoderatum ornatū à Deo pœnis sunt affecti. In vestitu, ait Sapiens *Eccles. c. 11.* ne glorieris vnquam, nec in die honoris tui extollaris. Et *D. Pet. 1. c. 3.* Mulieres subditæ sint viris suis, quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circundatio auri, aut indumenti vestimentorū cultus. Tertullianus inter alios duos libros aduersus ornatum mulierum cōscripsit, priorem cui titulum fecit de ornatu mulierum. Alterum de cultu fœminarū, in quibus multa in hanc rem congessit. Ælianus in varia historia auctor est, Lacedæmoniorum Ephoros .i. summos Magistratus, quotidie obire solitos ad vestium inspectionem, ne quid à decēti ornatu alienum vsurparetur. Eosdem laudat *Clemēs Alex. l. 2. Pad. cap. 10.* quod solis meretricibus floridas vestes, & aurum mundum gestare permitterēt. Dionysius tyrannus vsque adeò exosam habuit in vestitu luxuriam, vt furciferis ignosceret, si pretiosarum vestium fures essent, quò facilius Syracusani ab huiusmodi luxu abstinerent. Vnde quoniam boni mores luxu inualescente corrumpūtur, prouidi Principis, & Magistratus est, in tempore prouidere, ne subditi sicut in uictu, sic nec in uestitu sua profundendo, temperantiæ metas excedant. Recte enim, ait *Arist. l. 5. Polit. & Io. Choc. l. 5. Polit. c. 19. Tymp. in spec. boni Magist. signo 28.* Fiunt in republica mutationes, cum homines prodige viuentes sua consumunt. Vere Plautus ait, mulieres esse totis fundis ornatas, idest tot expensis corporis cultui incumbere, vt fundorum prouentus prorsus exhauriantur. Quò etiam Propertius alludit,

Matrona incedit census induta nepotum.

Idest tanto futurorum nepotū damno se exornant, ut nil census eis supersit. *Alciat. emb. 92. Iussanus de Institut. fam. c. 13.* Videat Confessarius morem patriæ, personæ conditionē, illatum alijs damnum, & proximo obiectum peccandi periculum, & consideret, an mortale sit peccatum, vt proinde absolutionis beneficium pœnitenti denegare debeat. *Possev. in Bebliath. select. l. 3. c. 23. Less. l. 4. c. 4. dub. 14.* Illud tantum pro coronide dicam una cum *Tholos. in syntag. la p. 2. l. 15. num. 14.* Omnem luxum, & pompam, & magnificum ornatū esse ab omnibus christianis respuendum, & maxime ab ecclesiasticis hominib exceptis his, quæ ad insignia dignitatis, & officij, uel humanæ naturæ necessitatem pertinent. Et quod dicitur de corporis cultu, idem de superbis, ac uanis ædificijs dicendum est, Vtile est, inquit. *Ioannes Pet. Ferrar. in formula libelli de att. noui oper.* hoc interdictum, maxime in ciuitatibus, ubi diuites uani ædificia magna, & splendida, non habita ratione iuris uicinorum moliuntur, uanissima, & inani gloria tumidi, ita fatui, ac stolidi, ut putent hic perpetuo sibi esse mundum. Neque ædificia ista solent perfici, nisi per homines uanos elatos, ac superbos, quos Augustus uocat animosos. *in l. 2. C. de præd. & alijs rebus. manicul. l. 11.* Qui tanto tenentur ædificādi desiderio, ut numquā non ædificijs ædificijs adijciant, omnemq; curam in architectura ponant; nimirum bene illis, & abunde uidetur esse, si ut ille admonet,

Ædificent auro, sedesque in sydera mittant.

At euenit, quod alter dixit,

Ædificare domos, & pascere corpora multa,

Ad paupertatem protinus est aditus.

Porro exēpla eorū qui ob uestimētorum luxuriē diuinitus sunt puniti, tradit. *D. Hieronymus ad Letā. Petrus Dam. ad Landulphum Epist. 16. Humbertus in reg. D. Aug. cap. 70. Busæus in Arte Medica. in v. vestium luxus.*

CAP. VIII.

QVAESTIO XXXV.

QVID SIT INGRATITVDO, ET QVALE peccatum?

QVid est ingratitudo postrema superbię soboles, & quale peccatū? R. Est vitiū ob qđ homo benefactoribus gratiam non repēdit: formalis namque ingratitudo est qsi beneficium, vel benefactoris animus cōtemnitur, vt qui illud accepit ei obnoxius, seu debitor esse non videatur, vt colligitur ex *D. Thoma. 22. quæst. 107. art. 1. Val. disp. 7. q. 4. puncto 4. Less. l. 2. cap. 47. dub. 3.* Quam quidem omni iuri, tàm naturali, quā diuino & humano repugnare apud omnes exploratum est.

Primo, namque gratitudinem esse de iure naturæ, satis constat; siquidem benefactor habet rationem principij, & cum gratis beneficium cōtulerit, affectus potius quàm donum inspiciendus est, iuxta illud, Munerum animus optimus. Et naturali lege compellente tenemur ad antidora, idest benefacienti benefacere: quod etiam in animalibus ratione carentibus cernere licet, quę benefactoribus suis natura duce vices rependere conantur, Nota est inter alia gratitudo Leonis erga Andronicum, vt apud *Gelliū l. 5. noct. att. cap. 14.* Et merito *D. Ambr. in Exameron.* ingratos homines ad canes ablegat.

Secūdo, à iure diuino damnatur, iuxta illud vulgatum;

Lex, & natura, Cælum, Deus, omnia iura,

Damnant ingratum, tristantur eum fore natum.

Nau. cons. 2. de regul. in antiq. & cons. 4. extr. de renunc. Hinc *Prouerb. cap. 17.* Qui reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo eius. *Et Sapientia. cap. 16.*

Ingrati

Ingrati spes tanquam hyemalis glacies tabescet, & fluet tanquã aqua inutilis, vt merito et Christus Dominus. *Luc. cap. 17.* nouem leprosos ingrati animi insimulans, accurate docuerit, gratitudinem, ad Dei gloriam pertinere, obsequium esse sibi gratissimum, & singularem commẽdationem mereri; ingratos vero, & in hmõdi officio negligẽtes, graui reprehensione dignos esse. *Io. Carthag. l. 6. hom. 3.*

Tertio, ingratitudo humano iuri aduersatur. *l. sed si lege §. consuluit ff. de petit. hæred.* Vbi enũtiatum illud & desumitur, illum in quem beneficium collatum est, naturali obligatione ad remunerandum teneri. *Et in cap. cum in officijs. ext. de testam.* habetur, In officijs charitatis primo loco illis nos obnoxios teneri, à quibus beneficiũ nos cognoscimus recepisse. Insuper *D. Greg. Papa relatus in c. 1. ext. de donat.* Hanc, inquit, sibi quodammodo nobilitas legem imponit, vt debere se quod spunte tribuit, existimet, & nisi in beneficijs suis creuerit, nihil se præstitisse putet. Vbi glossa subijcit veba Martialis Poetæ quendam ingratum accusantis,

Sceuola tu comedis apud omnes, nullus apud te,
Alterius siccas pocula, nemo tuum.
Aut tu redde vices, aut desine velle vocari,
Dedecus est semper sumere, nilque dare.

Et vt ait *Bart. in l. fin. C. de pactis.* Nõ valet pactum vt futura ingratitudo non obsit, licet ingratitudo iam admissa pactione, vel reconciliatione efficaciter remitti possit. *Tholos. l. 44. synt. In. cap. 3. n. 14.* Addo *Innocentium III. relatum in cap. & si Iudæos. extr. de Iudæis.* ad detestandam Iudæorũ ingratitudinem, ait, eos illam nobis retributionem impẽdere, quam iuxta vulgare prouerbium, Mus in pera, serpens in gremio, & ignis in sinu, suis consueuerũt hospitibus exhibere. De qua re videndus est etiam *Anchar. cons. 158. & Oldradus cons. 65. & Tuschus. inv. Ingratitudo. concl. 131. & seq. Grat. tom. 1. for. di sccept. cap. 5. num. 17.* Vbi tradunt, ingratitudinem maximum vitium & delictũ, multa in iure operari, vt quod filius ingratus exhæredetur, & donatio facta extraneo reuocetur, beneficium in alterum collatum amittatur, & legatũ reuocari possit, &c. Vnde *Stob. serm. 42. tit. de legibus. ex lib. 1. Zenoph. de Cyri pædia.* Persæ, inquit, quem cognouerint posse referre gratiam, nec refert, in hunc suis legibus seuerissime animaduertunt, quippe qui arbitrantur eos, qui ingrati sunt, & Deos maiorem in modũ negligere, & parentes, & patriam, & amicos. hæc ille.

QVAESTIO XXXVI.

INGRATITVDO QVANDO LETHALIS & quando venialis culpa sit.

INgratitudo quãdo est mortalis culpa, & quando venialis? R. Si loquamur de ingratitudine formali, cũ s. quis ex contẽptu beneficij, atq; adeo benefactoris, ut benefactor est, ingrati animi exisit, absq; dubio mortalẽ culpã inuoluit, cum per se mutuam charitatem, & amicitiam, notabiliter lædat. Potest tamen esse veniale peccatum, vel ob imperfectũ consensum, vt quando ex repentino animi motu accidit; vel ob materiæ exiguitatem, vt si beneficium sit paruum, contemptus enim parui beneficij modo absit scandalum, grauis benefactoris iniuria non censetur.

Si de materiali ingratitudine sermo fiat, quę est quando absque contemptu, vel debitum gratitudinis ex honesta, & morali obligatione nascẽs omittitur, vel aliquid contra ipsum benefactorẽ admittitur, dico qđ si prætermittatur aliquid de necessitate salutis benefactori exibẽdum, aut qu'd cauendum, ne in eũdem benefactorem fiat, perpetretur, mortale conflatur peccatum; alias veniale, nisi offensa notabilis sit. Et hæc nõ est specialis culpa, sed conditio quædam, seu circunstantia illis peccatis communis, quibus per commissionem, vel omissionem benefiei homines lędi solent. Sicut & in omni peccato ingratitudo erga Deũ inuenitur. Et quauis, vt diximus, ingratitudo graue peccatum sit, & immane uitium, adeò vt numquam in homine, qui nihil humanum à se alienum putare debet, præsumatur, nisi probetur, teste *Menoch. l. 5. de præsumpt. præsumpt. 4 & Mascar. vol. 2. de Probat. concl. 1397.* Nulla tamen actio in republica aduersus ingratos datur, qui lethali etiam crimine ingratitudinẽ committunt, ne tot lites oriantur; his etenim actionibus non sufficerẽt omnia fora, vt ait *Seneca lib. 3. de beneficijs. capit. 7. & Cou in cap. cum in officijs num. 9. ext. de testam. Iustin. sup. Tob. c. 6. vers. 1. in Docum.*

QVAESTIO XXXVII.

QVOT, ET QVAENAM SINT GRATItudinis officia.

QVot sunt officiã gratitudinis? R. Quimque, Primũ Beneficij æstimatio, nempe ut ostẽdamus nos illud æstimate, si non ex rei magnitudine, saltem ex donãtis affectu, uam teste eodem *Senecal. 1. de benef. cap. 6.* Beneficium non in eo quod fit, aut datur cõsistit, sed in ipso dantis, & facientis animo. Secundo, Benigna acceptatio; si enim repudies, vel absq; indicio, quo significes, gratum esse, acceptes, illud parui facere, & quodammodo contemnere uideris, iuxta illud: Qui grate, & benigne accipit, primam eius pensionẽ soluit. Gaudio enim afficitur donator, cum uidet suum beneficium, uel donum aliquid commodi, uel oblectationis donatario afferre, & non se frustra illud collocasse cẽset. Tertio, Gratiarũ actio, idest beneuola protestatio

gratiæ acceptæ, seu beneficij gratis, & absque debito dati. Hinc *Archid. in cap. de eulogijs. dist.* 18. dicit, quod eulogia dicũtur dona, seu munuscula, vel xenia, ab eu, quod est bonũ, & logos, quod est sermo, quia cum bono sermone recipiuntur, dum & inuicem benedicẽdo salutantur, & mittenti vberes gratiæ referuntur, vt *dixi sup. tract.* 5. *c.* 18. *quæst.* 123. Quæ gratiarum actio semper ex morali debito necessaria videtur, ita vt ẽt à Principib. & magnatibus erga subditos, & inferioris sortis homines vsurpanda sit. Hinc rusticus quidam videns ad Regem Artaxerzem varia deferri donaria, nec aliud habens, quod largiretur, utraque caua manu haustã è proximo flumine aquam alacri vultu obtulit: Rex vero lætatus, & gratias agens, iussit illi dari phialã auream, ac mille aureis hominem donauit. Sic Alexander Magnus (cum humanitas, & grati animi significatio, nobilis ac regij animi argumentum sit) prædicare solebat, à nemine se vmquam benignitate superatũ fuisse. Atque idem de Alphõso Aragonũ Rege refert. *Panor. l.* 1. *de eius dictis, & factis.* Quarto, Grata commemoratio, scilicet, vt primo apud nos tempore, & loco, accepti beneficij memores simus; deinde vt apud alios, cũ se occasio offert, libenter referamus, cum hoc sit quædam compensatio; siquidem, vt scribit idemmet. *Seneca l. c. l.* 3. *cap.* 1. Ingratus est, qui beneficium accepisse se negat, quod accepit: Ingratus est, qui dissimulat; Ingratus qui non reddit: Ingratissimus omnium, qui oblitus est. Videbat Thomas Morus insignis Sapientiæ vir, homines in hunc gradum impingere, ideò dicere solebat, Beneficia puluere, si quid mali patimur, marmori insculpimus. Obiurgabatur etiã aliquãdo Alphonsus Araganũ Rex quod in Aluarum Lunam, hominem plane sibi ingratum tanta cõtulisset beneficia, quorũ ne memoriam quidem haberet, at ille, An ignoratis, inquit, ingenti beneficio, non nisi ingenti ingratitudine (quæ etiam beneficij accepti memoriam obruit) satisfieri? At vel ab ingratis liberalis nõ est subtrahenda manus, nã ex sententia. *Nazianzeni. orat. de paup. amor.* Nihil tàm diuinum homo habet, quà m de alijs bene mereri. Fac calamitoso sis Deus, Dei misericordiã imitando; etiam in ingratũ Dei imitatione beneficentia exercenda, quandoquidem diuino beneficio ẽt scelestis sol oritur, & pyratis maria patent, &c. Vnde est etiam illa Ethnici scriptoris Christo tamen digna præceptio, Si Deos imitaris, da etiã ingratis.

Quintum gratitudinis officium est beneficij relatio, quando vicissim beneficium re, vel obsequio redditur. Circa quod tria obseruanda sunt.

Primo, si non suppetit, quod rependas, huius vice bonam precationẽ reddendam esse, vt Deus remuneret, vel in centuplum compẽset, vel pias apud Deum pro benefactoribus preces fundas, hęc enim nemini desunt, & his vtcunque temporalia beneficia compensantur, & interdum ẽt vincuntur. Quod inter religiosos fieri solet, qui & publice, & priuatim gratitudinis ergo pro benefactoribus orãt: cuius rei egregium exemplum in vita S. Antonini Archiepiscopi Florent. legitur, & refertur etiam à *Iustin. in Comment. in Tob. cap.* 12. *versiculo.* 5. Cum enim ei munus esset allatum, nec haberet, quod ei retribueret, Dominus, inquit, donãti tibi retribuat. Verum quia ille nõ sine magni præmij spe (vt multi auari faciunt) obtulerat, cum uacuis manibus discessisset, sanctũ virũ ingrati animi arguebat, quod cum sanctus cognouisset; illum accersens, in lance vna munus quod acceperat, in alia verba à se dicta Dominus retribuat, chartæ descripta posuit, omnibusque miraculose maioris põderis ipso munere illa apparuerunt.

Secundo, si aliquid suppetat, non statim beneficium referendũ est, sed opportunitas expectanda, quandoquidem qui reddere se festinat, non grati animi, sed debitoris animum habet, ita enim soluit, ac si ille non gratis, sed compensationis intuitu dedisset. Quod intellige, nisi alter statim remunerationẽ expectet, vel quando hoc fine cõfertur, vel nisi aliæ circumstantiæ aliud exposcant.

Tertio, in remunerando, vt supra innuimus, magis animus dantis, quàm res data spectanda est, vt proinde si maior, vel etiam æqualis potestas adsit, plus rependendum sit, quam acceptum, imitãdo ex Hesiodi sentẽtia, agros fertiles, qui plus multo adferunt, quàm acceperunt. *Lessius lib.* 2. *cap.* 47. *dub.* 1. *Valentia. tom.* 3. *disput.* 7. *quæst.* 4. *p.* 2. *Mantica de tac. & ambig. l.* 13. *tit.* 15. *num.* 4. *Iustin. super Tob. cap.* 12. *vers.* 2.

QVAESTIO XXXVIII.

QVOMODO CONFESSARIVS erga ingratos in Deum & homines se gerere debeat.

Qvomodo Confessarius erga ingratos erga Deum, & homines se in praxi gerere debet, & quę remedia adhibere? R. Primo, erga Deũ proponere oracula diuini verbi, in quo ingrati arguuntur, dignique pœna pronuntiantur, nam apud. *Isaiam. capit.* 1. de ingratis conqueritur Deus, Filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me. Similes sunt profecto mulo, qui cum materno lacte saturatus est, matrem postea calce premit. Vel etiam lupo, qui postquã creuit, proprio ore quo lac capræ suxerat, nutrici vitam ademit. De qua re extat apud Alciatũ illius emblematis inscriptio,

Mea me post vbera pascet.

Io. Carthag. l. 6. *hom.* 3. Illud profecto admirationẽ parit,

parit; quod cum inter omnes humani cordis affectus, maximus, ac primus, atq; aliorũ omnium origo amor sui sit, nil huic amori vicinius, & coniunctius esse deberet, quàm ut gratus erga eos existat homo, à quo innumera beneficia cõsecutus est? Est hoc quippe, ut quidã pius Author ait, magnum Diaboli miraculum: sicut.n. mire naturę pene vires excedit, Salamandram, ut aliqui volunt, in igne vivere: sic uice uersa inter tot, tantasq; beneficiorum flãmas ingratũ congelari, est plane Diaboli nouum quidem, sed inter homines vsitatum miraculũ, quo diuinæ benignitatis fontẽ obstruere contendit, &c. *Iustin. in Tob. cap. 6. vers. 1. in doc.* Diuinus Psaltes *Psal.* 102. suo exemplo ad gratias Deo agendum inuitat dicẽs: Benedic anima mea Domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius. Sic etiam *Psal.* 48. Oẽs res creatas conuocat, & unit, ut secum Deo gratias reddant, siquidẽ quidquid illæ acceperunt, hominis intuitu (qui est omnium reũ finis) factum est. Omnis creatura, ait quidam Sapiens, tribus uocibus hominẽ alloquitur, Accipe, redde, caue, Accipe beneficium, redde debitũ per gratiarũ actionem, Caue poenam, & suppliciũ si id feceris: quoniam teste *D. Bernar. serm. 2. in Euang. septuan.* Ingratitudo res est peremptoria, hostis gratiæ, inimica salutis, &c. Et *D. Chrisl. serm. de grat. redd.* in hæc uerba conqueritur, Cum Coeli ipsi Dei glóriã prædicent, ipse vero cuius ob gratiam sunt illi effecti, ita te geris, ut tui & fictor, & creator propterea maledictis plerũque audiat, &c. Propterea cõsitentl hoc ingratitudinis uitio laboranti, hæ poenitẽtiæ assignari poterunt, ut genibus flexis ter quotidie pro gratiarum actione, Orationem dominicam, & Salutationem Angelicam recitet, & sæpius illud usurpet, Agimus tibi gratias pro uniuersis beneficijs tuis, &c. Item, Sit laus, honor, benedictio, & gratiarũ actio Sãctissimæ Trinitati. B. M. V. & omnib. Sãctis, &c.

Addo insolitam peccandi, & Deum offendendi consuetudinem esse in sacramentali cõfessione exprimẽdam, quando hominem in morali periculo, & occasione in posterum et delinquẽdi constituit, nisi præsentanea, & opportuniora remedia adhibeantur. Item propter ingratitudinem dimissa peccati dici ab aliquibus Doctoribus redire, in hunc sensum, nempe quod peccatum sequens cæteris paribus grauius est, quàm si aliquod unquã fuisset remissum; iteratum enim vulnus tardius, & difficilius sanatur. Et secundum Galenum, Insanum est, & periculosum, aerem expiratũ iterato attrahere: similiter peccatũ semel emissum, & denuo resumptum, ualde animam aggrauat, &c. *D. Anton. 3. part. tit. 14. cap. 19. condit. 15. Syl. in v. confessio. 1. quæst. 9. Rod. in summa. p. 1. cap. 53. Armilla in v. ingratitudo. Henriq. l. 1. de sac poenit. c. 32. & l. 2. Tiraq. de temp. poenis. causa. 10. Busæus part. 1. serm. 35. §. solent. Suarez. tom. 4. disp. 22. sect. 4.* Proinde in mentem poenitentis redigere debet relapsum ex parte Diaboli periculosum esse, ut aliàs annotaui. *tr. 5. c. 16. q. 97.* Primo, quia maiorem potestatẽ in eo sibi comparat. Secundo, rõne Dei offensi, quoniã magis ab eo derelinquitur; languor. n. prolixior grauat medicum. Et interdum misera morte in eum animaduertit, ut de hoc exemplum tradit. *D. Bonauent. in vita. D. Franc. c. 11.* Tertio, ex parte peccantis, quia qñquidem per usũ delinquẽdi prauus habitus gñatur. Vnde cũ cæteri peccatores cõtra tres tãtum hostes bellum gerãt, scilicet Dæmonem, mundum, & carnem, ille etiam contra quartum pugnare debet, eumque infestissimum, scilicet consuetudinem, quæ est altera natura, ut in se ipso expertus asserit. *D. August. lib. 8. Confess. cap. 11.*

Secundo, quò ad proximum recolendum est, ut ait *Seneca in libris de beneficijs.* nihil æque concordiam humani generis dissociare, atque distrahere, quã hoc ingratitudinis uitium, nam ut est in adagio, Gratia gratiam parit. Et non referre beneficijs gratiam turpe, & agreste apud omnes gẽtes etiam barbaras semper habitum esse.

Quidam hominem rusticum, & agrestem multis beneficijs affecerat, qui tamẽ benefactorẽ suum miris modis lacescere non desinebat, quod intuitus ille, Heu inquit, quàm uerũ est cõmune adagium, *Si vngis pungit, si pungis rusticus vngit;* Sicut hedera, ait Plutarchus, adhæsa arborum ramis aliena ope in altum erigitur; sic uiles & obscuri homines potentiũ cõsuetudine crescũt, deinde eos præfocant, à quibus sunt in altum sublati. Propterea celebre est Publij mimi dictũ, Dixeris maledicta cuncta, si ingratum dixeris.

Tertio, quantum gratiarũ actio pro accepto beneficio naturæ conformis est, tantum ingratitudo, & beneficiorũ obliuio naturæ ipsius principijs aduersatur; unde ingratus naturæ mõstrum, iuris uiolator, legis præuaricator, & debiti naturalis tyrannicus abnegator dicitur. Cuius symbolũ apud Antiquos erat hirundo, quæ postea quã sub nostro tecto pullos educauit, statim abit, nulla hospitij relata gratia; ob idque Pythagoras ingratum cõuictorem, parumque firmum hirundinis exemplo ablegandum monuit. Manut. in Prouerb. Item Mulus eo quod, vt supra dixi, cum materno lacte saturatus est, calcibus matrem ipsam petat. Quo nomine notatus etiam fuit Aristoteles, propterea quod animo in præceptorem Platonẽ fuerit ingrato, vt apud *Schol. ad emb. Alciati. 64. & Hilaret. fer. 2. post 3. dom. Quadr.* Sciendum est tamen, quod licet ingratitudinis uitiũ mereatur, vt beneficia in ingratum non conferantur, si tantum ipsius ingrati meritum spectemus, attamen aliũde propter charitatis obligationem, in casu necessitatis etiam hoc vitio nota-

tis benefaciẽdum eſt, vt optime ait *D. Thomas. 2. 2. quæſt. 107. artic. 4. & Val. diſp. 7. quæſt. 4. puncto 4.* Per quam doctrinam corrigẽdum eſt id quod non ſatis pie, & circumſpecte protulit. *Seneca l. 4. de benef. cap. 27.* Peſſime dare beneficia eum, qui ingratos eligit, in quos peritura cõferat. Atque ca ſtigandum illud commune adagium, Ne quid beneficij colloces neque in ſenes, neque in mulierem, neque in puerũ, quod ſcilicet perire videatur, quod in hos inſumitur, &c. Imò vt *ex Bart. in Extrauag. ad reprim.* ait *Tuſchus in v. beneficiatus. concl. 48.* Quidquid ſit de iure ciuili, de iure diuino magis meritorium eſt ijs benefacere, qui de nobis benemeriti nõ ſunt. Vnde eſt illa pia vox Caroli Vicecomitis Epiſcopi Vigintimillienſis, Ego potius omnibus & indignis benefecero, quã de inimico meo obloquar. Siquidem ex chriſtiana Philoſophia,

Non reddere bona pro malis malum eſt;
Reddere mala pro malis peruerſum eſt;
Reddere mala pro bonis peſſimum eſt;
Reddere bona pro bonis æquum eſt;
Reddere bonum pro malis optimum eſt.

Et merito *Apoſt. ad Rom. c. 12.* admonet, Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum; nam etiã homines inimici calore potius charitatis, quàm violẽtia vindictæ, ſeu alterius damni ſuperantur. Vnde & *Plut. in lib. de præcept. connub.* vt oſtẽdat, virũ obſequio, ac comitate plus apud vxorem efficere, quàm vi, & malo pœnæ, ſic ait, Ferunt quondã ſolẽ Aquilone ſuperiorẽ extitiſſe, nam cum vetus vehementi flatu cuidam pallium extorquere conaretur, arctius illud ſtrinxit, ac compreſſit: poſtea autem ſedato vento, cũ ſol ardentes in eum radios traijcere cæpiſſet; præ nimio æſtu non modo pallium, ſed & tunicam quoque exuit, &c. Et licet fabulæ ad ueritatis confirmationem non conducant, vt tamen *Gregor. Nyſſen.* docet, ad eiuſdem veritatis explanationem non parum inſeruiunt. *Iuſtin in Tob. cap. 5. verſ. 19. doc. 2. Tymp. in ſpec bon Magiſt. ſigno 74.*

Et hæc de ſuperbia, & praua eius ſobole dicta ſufficiant, nũc quærendũ ſupereſt de eius antidotis.

QVAESTIO XXXIX.

SVPPOSITA, ET PRAEVIAE inſpectiones.

Quæritur quæ remedia ſint aduerſus ſuperbiã eliminandam à Confeſſario adhibẽda? R. Prius ſuppono, quod quemadmodum ad medici corporalis officium non ſpectat tantum ægrum morbos pellendo, corporis ſanitati reſtituere, ſed etiam in futurũ conſulere, & pro conſeruãda, augendaque ualetudine, ſanantia, & præſeruantia antidota admouere; ſic præter iam dicta, quę ad reparationem ſpiritualis ſanitatis in Dei gratia conſiſtentis, Confeſſario ex officio incumbit, pœnitentem aduerſus ea munire, quibus talis valetudo labefactari valeat. Et vt aliàs animaduerti, Cõfeſſarij partes ſunt, vtramq; chriſtianæ iuſtitiæ partem docere, ſcilicet declinare à malo, & facere bonũ: debet enim operam dare, ut pœnitens à radice omnia ſua peccata euellat, & damna, ac pericula deuitet, & poſtmodum curare, vt virtutum plantæ ſerantur, & perfectionis turris extruatur. Quapropter in primis conari debet, vt purgata conſcientia, & elutis Chriſti ſanguine peccatorum ſordibus, ipſe pœnitens, Primo in firmo propoſito obſeruandi legẽ diuinam roboretur. Secundo, vt doceatur tentationes ſuperare. Tertio, vitiorum habitus extirpare. Quarto, animi affectus, & paſſiones coercere, ac mortificare. Quinto, chriſtianas virtutes perfecte conſequi. Sexto, in via Domini progredi. Septimo, ſalutaribus monitis, & præceptis inſtitui, qua ratione cum Deo ſummo bono perfecte vniri poſſit: hi etenim ſunt ſeptem gradus, per quos ad chriſtianam perfectionẽ peruenitur, cum vt docet. *D. Dionyſ. de eccleſ. hier. cap. 5. & 6.* triplici uia homo ad Deum ducatur, purgatiua, illuminatiua, & vnitiua.

Porro ne Confeſſarius valde anxius, & zelosus nimium feſtinet, pœnitentemque vrgeat, volens vt vno volatu ad culmen ſanctitatis aſcẽdat, attẽdat, quod vt ait *D. Gregor. lib. 22. mor. cap. 14. & hom. 15 in Ezech.* Vltrò terra fructificat primum herbam, deinde ſpicam, poſtea frumentum in ſpica plenum, id eſt, Terra quæ bonam ſementem verbi Dei accipit, ſiue à Confeſſarijs in ſæculo, ſiue in religioſorũ cœnobijs, vel alijs piarum ſodalitatum cætibus, ſeu à Parochis, & Cõcionatoribus, quibus alios à vitijs deterrẽdi, atque ad virtutis ſtudium priuatim, publiceue cohortandi cura incumbit, virtute cœleſtis auxilij ſponte, & abſque violentia fructum profert, non totum ſimul, ſed per quoſdam gradus, cum ſenſim, & gradatim morum emẽdatio ſuſcipienda ſit, nec derepente, & velut agmine facto in vitia irruendum, ſiquidem haud facile, neque ſine magno motu mutari poteſt, quod longo tempore radices egit. Primo, tellus à ſpirituali magiſtro, & medico colenda herbam teneratum virtutum profert, quæ gradui tyronum ſunt accõmodatæ. Secundo, culmus rectus prodit, quia præſtantioribus operibus corroboratur, ſolidiorq; efficitur. Tertio, ſpica producitur cum operibus proficiẽtium proprijs. Quarto, ſpica granis plena prouenit, qua pleniora, ac excellentiora opera, & ſuauiores fructus proferuntur, qui perfectis viris peculiares ſunt. Er præclarum eſt D. Hieronymi hac de re conſilium cum ait, Artis medicorum eſt grauia vulnera longo tempore curare, & per dolorẽ reddere ſanitatẽ, &c. *in Cõment. ſuper Oſeam. cap. 6.* Quare prudens magiſter, iuxta

cuiuſ-

cuiusque pœnitentis captum gradatim perfectionis exercitia docere debet, à facilioribus, communioribus, & vtilioribus initium sumendo, qualia sunt examen conscientiæ semper ad Vesperam, frequentia sacramenti pœnitentiæ, & eucharistiæ, spiritualium librorum lectio, cui etiam modus aliquis meditationis addatur, deuotio erga sanctos præsertim B. V. Mariã, eius coronam quotidie recitãdo, & in dies sacro interesse; sic enim fiet, ut pœnitens viam Dei mãdatorum facile currat, & ita currat, vt comprehendat, &c.

His suppositis, dico præter adducta supra contra ambitionem, præsumptionem, uanam gloriam, & iactantiam, Confessarium curare debere, vt Primo pœnitens humilitatis uirtutis præstantiam cognoscat, quæ à diametro cũ superbia pugnat, & est remedium efficacissimum ad sanandũ superbiæ morbum, si mente nõ solum pura, sed uerbo quoq; & factis præstetur. Hinc *D. Hier. ad Celãt.* Nihil habeas, inquit, humilitate præstantius, nihil amabilius; hæc est enim præcipua cõseruatrix, & quasi custos quædam uirtutum omnium, nihilque est, quod nos ita Deo, & hominibus gratos faciat, quàm si uitæ merito magni, humilitate infimi simus, &c. Humilitas quippe est generale humanæ uitæ antidotum, & hac omnib. spiritualib. morbis medemur; hac omnia mundi, & Diaboli retia uitamus. Hac omnes lites de præcedẽtia tàm inter sæculares, quàm regulares exortæ, contẽtiones, ambitus, & honorum cupiditas extinguuntur, hæc mentem in bono confirmat, & facit hominem omnibus diuinis iudicijs, & permissionibus acquiescere. *D. Bonauent. de purit. conscientiæ cap. 16. Bellarm. l. 3. de gemitu columbæ. cap. 6. Aluarez de vita spirituali. tom. 2 l. 1. par. 3. capit. 14. & l. 4. par. 4. capit. 7. Roder. in quæst. regul. tom. 3. quæst. 37. artic. 3. Rossignol. de discip. christ. perfect. l. 4. cap. 38.*

Secundo, ut pœnitẽs consideret superbiam esse Deo, & hominib. odiosam, & sibi ipsi perniciosam. Et cum plerũque uitus libidinis de radice elationis deriuetur, optime Tobias filio suo superbiam deuitare præcepit, ut per demissionis custodiam, munditiem seruet castitatis; siquidẽ superbus uel dum castæ uitæ laudem, & propriam excellẽtiam aucupari quærit, sæpe in sceleris pœnam, in prauam effœminatorum luxuriam à Deo cadere permittitur. Cuius rei exemplum in uitis Patrũ habemus de quodam maximæ abstinẽtiæ, & perfectionis monacho, qui in superbiam elatus, à Dæmone sub specie mulieris tentatus, in fornicationis consensum turpiter, ac misere lapsus est, & Dæmonum præda factus, in Infernum demersus est. *Iustinian. in Tob. capit. 4. vers. 14. docum. 1.* Vnde & *Plato in 4. de legibus.* Superbus inquit, à Deo deseritur, desertus autem omnia interturbat, nec multo post pœnas superbiæ soluens sibi ipsi, & familiæ, & rei deniquẽ publicæ pestem, perniciemque accersit. Proponat hominem non debere fieri sicut equum, & mulum. *Psalm. 31.* vbi D. Gregor. & auctor Incognitus tradunt per equum superbum, & per mulum luxuriosum intelligi Salomone attestante, qui *Eccles. capit. 10.* ait Vidi seruos in equis, & Principes ambulantes quasi seruos super terram. Serui in equis sunt superbi, qui honoribus huius uitæ efferuntur. Principes uero qui quasi serui ambulant, sunt multi dignitate uirtutũ pleni, quos nullus honor erigit, sed summa hic aduersitas, uel ut indignos hic deorsum premit.

Tertio, superbiæ uitio laboranti iniungendum est, ut in actibus humilitatis se exerceat, inferiorẽ locum in mensa eligat, hospitalia, uel Zenodochia uisitet, & pauperibus, ægrotisque ministret, &c. Nã ut recte, ait *D. Bernard. Epist. 87.* Humiliatio est uia ad humilitatem, sicut patientia ad pacem, & lectio ad scientiam. Item quando pœnitẽs solus fuerit, humi se prosternat, & humilitatis ergo conuitijs se oneret, quod à B. Francisco factitatum legimus. Insuper insignem Domini nostri Iesu Christi humilitatem cogitet, aduentus enim eius in tanta abiectione inter alia fuit, ut mundi fastum, & arrogantiam cõfunderet. Indicia uero humilitatis, quæ sunt instrumẽta ad eam comparandam aptissima, adducuntur à *Cassian. l. 4. cap. 39. Rossignol. l. c. Fornar. de Inst. confess. l. 2. tom. 2. capit. 32. Reginal. p. 1. praxis pœnit. lib. 7. cap. 6. num. 67. Zecchia. de pœnitentia. cap. 18. Busæo. in arca medica in v. superbia. Lessio l. 4. de Iustitia. cap. 4. dub. 7.*

Porro hic spiritualis morbus sanatu difficilis est, Omnes enim homines ut est in prouerbio, naturaliter tanquam galli bene cristati sunt. Et proprie ea esse solet illorũ, qui aliqua re excellunt, conditio, vt nisi explorate viuẽdo simul magni, & parui esse studeant, facile in superbiam efferãtur. Hinc Doctoris titulus per Papam religioso scribentẽ dari non solet, sed eius vice professorem appellat, dicens: Dilecto filio monacho, sacræ Theologiæ, vel Iuris Canonici professori, & hoc ne, vt aiunt, intumescẽdi ansam arripiat, atque ita meminerit, sicut in sancta humilitate, sic in literis proficere debere. Et ideo literæ sub alio titulo cõscriptæ merito subreptitiæ censentur, vt quæ cõsueto Romanæ Curiæ stylo repugnant. *Rebuffus in sua Praxi benef. tit. de dispensat. cum regul. Nald. in v. Doctor. num. 15.*

Quippe vt ait *Rossig. de perfect. l. 5. cap. 27.* Huic malo ministra est natura hominis deprauata; sensus in primis, qui naturaliter ad malum proni sunt, ita ut nec etiam in sanctis hominibus, quamdiu hic viuunt, aliud appareat, quàm quod Apostolus dicebat ad *Rom. cap. 8.* Vanitati creatura subiecta est non uolens.

ARTI-

ARTICVLI SVPER AVARITIA & eius sobole. Cap. IX.

QVAESTIO XL.

QVID SIT AVARITIA, ET QVALE peccatum sit.

QVid est auaritia, & quale peccatum? R. Auaritia proprie prout hic loquimur, est appetitus diuitiarum voluntarius, & immoderatus. Et dictum est inordinatus, quia si amor iste moderatus sit & ad iustum finem referatur, culpa caret, teste *D. Aug. hom.* 13. *de temp.* ex illo *Apost.* 1. *ad Timoth. capit.* 6. pronũtiato. Qui volunt diuites fieri, &c. vbi non dixit, qui diuites sunt, sed qui diuites fieri volunt, & sic cupiditates, nõ facultates accusauit. *D. Thom.* 22. *quæst.* 118. *art.* 1. *D. Ant.* 2. *par. tit.* 1. *cap.* 1. §. 1. *Nau. cap.* 23. *num.* 69. *Tol. lib.* 5 *cap.* 72. *& l.* 8. *cap.* 24. *Syl. Tab. in v. auaritia. Azor. p.* 1. *lib.* 4. *cap.* 15. *Lessius l.* 2. *de iustitia. cap.* 47. *dub.* 8. *Reginald. lib.* 23. *capit.* 2. *Viguer. de virt. Iustitiæ. cap.* 5. §. 4. *vers.* 1. *Peral. tom.* 2. *c.* 1. *Bustus. p.* 1. *serm.* 30. *Rossig. libr.* 2. *de disciplina christ. perfect. cap.* 16. *Mascardus. de probat. volum.* 1. *concl.* 150.

Porro hoc vitium & si tantum venialem culpam secum inuoluat, vt pote cum sit tãtum inordinatus diuitiarum amor, est tamen valde periculosum, & multis discriminibus circũseptum; facile enim hic amor ita crescit, vt propter diuitias homo diuina, & ecclesiastica præcepta violet, ac paruipendat, paratus quiduis ad eas assequẽdas pattare, in quo casu procul dubio mortiferum esse peccatum dicendum est. Vnde crebro & grauissime in sacris Scripturis reprehenditur, vt *Eccles. cap.* 10. Auaro nihil est scelestius. Qua ratione Isocrates auaritiam, & ambitionem omnium malorũ metropolim dixit, & Philosophi morales honoris, ac diuitiarum cupiditatem duo quasi principia, ac seditionum fontes vocarunt, qui & dixerunt, vt concordia diutius retineatur, necessarium esse vt oẽs vel diuitiatũ, vel cuiuscunque terrenæ rei cupiditates eijciantur, &c. Nec abludit. *D. Chrisost. in orat. de S. Philog.* cum ait, Meum & tuum frigidum illud verbũ quidquid est malorum, in vitam nostram inuehere, & innumera bella gignere. Quippe auatitia ingentem vitiorum segetẽ producit, inter cætera iniustitiam, quæ est vitium, quo non redditur vnicuique quod suum est; & qua in cõmercijs æqualitas rei ad rem non seruatur, & res plus iusto pretio venditur. Secundo vsuram, idest quidquid vltra sortem principalem in contractu mutui veri, vel palliati accipitur. Tertio, simoniã, quę est studiosa volũtas emendi, vel vendendi pretio temporali aliquid spirituale, vel spirituali annexum. *Iul. Clarus in* §. *vsura. &* §. *simonia. Gisbert. de vita. eccles. c.* 39 *& seq.* de qua materia infra dicẽ. Ita ut merito auaritia inter peccata capitalia numeretur, quæ vt aliàs admonuimus, sunt multorum aliorum radices, & origo. Nec poterat. *Apost. ad Colos.* 3. hoc vitium detestabilius reddere, quàm Idolorũ seruitutem nominare, quia vt loquitur. *D. August. lib.* 11. *de Ciuit. Dei. cap.* 25. Peruersi, & auari nummo frui volunt, vti autẽ Deo; quia licet Deum omnium parentẽ agnoscant, immoderato tamen affectu, quo in pecuniæ sordibus adhærescunt, cum vltimum sui finem re ipsa negare videntur. Vnde peccatum mortale erit auaritia, quãdo per eam iustitia violatur, vt cum quis ex pecuniæ affectu alienum retinet, quod restituere tenetur, aut alienum aliqua iniusta via accipit, cum nõ modo liberalitati, sed etiam iustitiæ ipsum auaritiæ uitium aduersetur, sicut pari ratione prodigalitas, tàm iustitiæ, quàm liberalitati repugnat, huic quidem cum per eam propria tãtum cõsumuntur, illi uero cum etiam aliena, ut cũ quis multa debens inutiliter pecunias absumit, ex quo ad soluendum creditorib. fit impotens. *Reginald. l.* 23. *n.* 15. *& seq.* Duobus uero modis auaritiæ tentationibus homines pulsantur, uno uidelicet qui in mundo sunt, nec de nullo terrenis rebus remittendo cogitant; hos enim penè deuictos, quasi ex ratione exhortari solet, cum suggerit, Valde sine culpa est, quod quædam habẽda concupiscis, quia non augeri appetis, sed egere pertimescis, & qđ alius male retinet, ipse melius expendis: siquidẽ tenet captiuum cor sæua cupiditas, & licitum suadet esse malũ, qđ impetrat. *D. Greg. l.* 31. *mor. c.* 17. *& l.* 2. *super Ezech. hom.* 20. Altero uero modo qui Euãgelicam perfectionem propositam habent, quem describit. *D. Bernardus. serm.* 4. *de Aduentu.* Videmus pauperes aliquot, qui si ueram haberent paupertatẽ, non adeò pusillanimes inuenirentur, & tristes, ut pote Reges Cęli, sed hi sunt, qui pauperes esse uolũt, eo tamen pacto, ut nihil eis desit, & sic diligunt paupertatem, ut nullam inopiam patiantur, consentit. *Cassianus lib.* 7. *Institut. cap.* 7.

Multis nomẽ pauperum occasio auaritiæ est, inquiebat. D. Hilariõ. *vt per D. Hier. in eius vita.* Et elegãter. *Saluian. l* 4 *ac eccles. cath.* ait, Sub religionis titulo à religione dissentiũt, & habitu magis reliquere sæculum, quàm sensu. Licet autẽ omnes homines ob diuitiarum commoda auari pręsumantur, maxime tamen senes, & mulieres hoc nomine notantur, ut per *Mascard. volum.* 1. *de Probat. in v. auaritia. concl.* 150 *& Tusch. eodem cõcl.* 561. *Card. Paleot. de bono senect. p.* 2. Sed ut ait *Ann. Robert. l.* 4 *rerum Iud. c.* 2. Mulieres licet ad cætera auarę, piæ tamen, ac religiosæ, & in causas pias munificæ, & liberales habentur. Romanarum matronarum gentilium religio, & liberalitas commendatur, quæ aurum

aurum & ornamenta sua in ærario detulerūt, ut donum Apollini Delphos portaretur. teste *Liuio l.* 5. Post Apostolorum tempora illustres admodum, & pietate præstātes fœminæ claruerunt. Celebres sunt apud D. Hieron. Paula, Eustochium, Blesilla, Melania, Marcella, Læta, & Fabiola, quæ relictis honoribus, & opibus in pauperes, & pia opera erogatis, in Palestina consenuerunt. *Stap. & alij DD. in dominica Pasch. Anneus Robert. l. c.*

QVAESTIO XLI.

QVAENAM SINT AVARITIAE FILIAE.

Quænam sunt filiæ auaritiæ? R. Septem præcipuæ sunt, nempe obduratio, inquietudo, fraus, fallacia, periurium, violentia, proditio, vt ex *D. Gregor.* refert *D. Thomas.* 22. *q.* 118. *art* 8. *& Tol. l.* 8. *cap.* 26. Nam quò ad primam, proprietas peculiaris auaritiæ est inexhausta auiditas plura semper possidendi, quæ nulla copia, diuitijs nullis satiari potest, eamq; sequitur insatiabilis crudelitas, quam auari in alios homines adhibent, vt eorum bonis suas libidines expleant; qua etiam fit, vt semper paupertatē causentur, ne egētibus opem ferant: & tantus est timor ne opes minuantur, vt in humani sint in pauperes, negādo eis stipem etiam in casu, quo ex præcepto ad id tenentur, vt propterea peiores vrsis, & lupis, & Dæmonibus ipsis similimos vocet. *D. Chrisost. hom.* 9. *in Epist.* 1. *ad Corinth.* Et hoc nomine mercatores vix Deo placere posse putet, idē *hom.* 38. *in Matth. vt et tradit. Iosephus. à Costa. Bussens, & alij in fer.* 5. *dom.* 5. *Quad.*

Quando aūt auarus peccet eleemosynam pauperibus non erogando, dixi supra *tract.* 3. *c.* 4. *q.* 47. Porro carni pauonis similis auarus dici potest, nam sicut illa durissima est, & difficulter admodum concoquitur, nec etiam facile putrescit: eodem plane modo auari natura adeo induruit, ac callum obduxit, vt neque aliorum calamitatibus, infortunijsque moueatur, neque miserationes sentiat, suæ scilicet carnis putredinis oblitus: de quo *Iob. cap.* 41. Cor eius indurabitur tanquam lapis, &c. Hinc & Ethnici vita eū indignū ducebāt, qui misericordia careret. Anton. Imperator. dicebat, Inhumanū est, humanis casibus non ingemiscere. Et Martiani Imper. vox erat, eas demū veras esse diuitias, aliena non rapere, & egentibus sua largiri: Idque magis quod amicus amico egenti dans non donat, sed quod debet, reddit.

Secūdo, ex eo qđ auarus immoderato vrgeatur affectu, inquietudo cōsequitur, vt semper solicitus sit, & varijs curis, & anxietatibus distrahatur; nam ex sententia *Philosophi in v. Ethicorum.* cum humana felicitas naturaliter affectetur, & diuitiæ ad illam assequendam iuuare videantur, (siquidē nummo ad omnia comparanda tanquā fideiussore vtimur) homo tùm in acquirendo, tùm in conseruando diuitias torquetur. Vnde & *Bald. in cons.* 301. *ac Tusch. v. auaritia. concl.* 601. dicunt auaritiam esse insatiabilem lupum. At cōiter hoc est venialis culpa, nisi quis rōne talis inquietudinis aliquid omittat, ad quod sub reatu culpæ mortalis obligetur, vt is qui nimis de re temporali solicitus, sacrum in die festo audire prætermittit, &c. *Nau. cap.* 23. *num.* 77. *Tolet. lib.* 8 *cap.* 43. *Molfes. tract.* 8. *cap.* 8. *num.* 143. *Sayrus lib.* 2. *clau. reg. cap.* 12. *num.* 5. *& alij.*

Atque huc spectat immoderata sciendi, ac intellectum rerum notitia complendi sitis; nam vt ait Magister sentētiarum, sicut nimius diuitiarū amor ad auaritiæ vitium pertinet, sic & intemperans addiscēdi libido; & ita eius cupiditate aliqui rapiuntur, vt omnem curam earum rerum, ad quas ratione officij, vel status tenentur, prorsus abijciant. *Bisfeld. de tentat. cap.* 8. *tentat.* 46.

QVAESTIO XLII.

AN HOMINI CHRISTIANO LICEAT circa diuitias acquirendas solicitari.

Licet ne homini christiano solicitū esse ad acquirēdas, vel coaceruandas diuitias? R. Vtique si hoc fiat causa succurrendi futuræ suæ, vel suorum necessitati, maxime filiorum matrimonio collocandorum, vel munere aliquo cohonestādorum, vel reipub. cuius est Princeps, ab inimicis tuandæ; cum boni Principes, ac Magistratus, gregem custodire debeant, non vt lupi, sed vt veri pastores. Imò nō peccat qui id facit, ad suum statum augendum, & se in altiorem ordinem promouēdum, quò præstantioribus virtutibus, iuxta prudētiam à Deo acceptam, Deo, & reipublicæ seruiat. *ex Caiet.* 22. *quæst.* 118. *art.* 1. *& Nau l. c. nu.* 74. *& ex nobis traditis in Comment. de hum. vita stat. p.* 2. *cap.* 12. *&* 13. Siquidem diuitiæ illæsa conscientia partæ, ex bono vsu felicitatis instrumentū esse possunt; vnde etiam nomine honestatis nuncupantur, eo quod honoratum, & splendidum hominem efficiunt, vt ait *Bellarm. de gemit. columba l.* 2. *c.* 8 Non debet tū vt dixi homo ob nimiam solicitudinem iustitiam deserere, vel superfluam curam suscipere; iuxta illud monitum regij vatis *Psalm.* 61. Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere. Quæ quidem acquiri, & ad vitæ necessitatē adhiberi possunt, sed vt elementū terræ, sine qua viuere non possumus, & tamē adeo in pretio nō habetur, vt etiam pedibus teratur, & si quid forte adhæserit, statim excutiatur, &c. Verum est .n. qđ admonet *Chrisost. hom.* 10. *ad Philip.* Terrena omnia pro nihilo habenda esse, neque vllum per se pretium, ac dignitatē habere, sed ex sola opinione nostra;

nostra; idque exemplo gemmarum probat, in quibus nil fit, cur tanti æstimentur, cum communes lapides, & magnitudine, & vsus cõmoditate, interdũ etiã pulchritudine multo superiores sint, &c. *Chanas. de perfect. prud. l. 1. cap. 3. §. 7.* Quomodo etiam intelligitur illud Dominicum *Matth. cap. 6.* Nolite soliciti esse dicentes, &c. Vbi non prohibet Dominus laborem, neque debitam pro cuiusque necessitate solicitudinem, sed anxiam illam, & cum diffidentia coniũctam curã, iuxta illud Pythagoricum, Anulum arctum ne gestato. i. Ne anxie vixeris: homo enim nascitur ad laborẽ, sicut auis ad volatum. Et hæc est communis humani generis sententia, In sudore vultus tui vesceris pane tuo. *Iob. c. 5. & Gen. cap. 3.* Et *Prou. cap. 6.* piger ad formicam mittitur, quæ æstate parat, & congregat, quod in hyeme comedat. Vnde communiter in mẽsis coxa, & pes galli gallinacei, aut alterius pulli viris tradi solet, cum hoc lepido dicto; Viris cura incumbit, alendæ scilicet, & augendæ familię, sicut gallus scalpendo magna solicitudine terrã subigit, victum sibi, gallinisque quæritando. Exanterat se aranea telam conficiendo, in quem vero vsum, vt muscas capiat? cui labori parcit auarus, vt res viles lucretur? Dum alienas quoque res mordendo, & vorando domũ suam erigere, & stabilire nititur, in star tineæ, & bombycis suum ipse exitium quęrit. Hoc autem vitium senes potissimum inuadere solet, quia deficiente sanguine, deserit eos calor, & cũ filios, filias, ac nepotes habeant, quibus non tantum dum ipsi sunt superstites, uerum etiam post obitum, prospicere tenentur, ideo uix unquam tantum æris sibi colligere posse credunt, quod futuris eorum necessitatibus satisfore putẽt, &c. Cui etiam malo sexus uitio deditas esse mulieres passim auctores tradunt. Et Aristoteles in Problem. ubi naturæ arcana reseravit, scribit, auaritiam, & anxiam ditescendi sitim in senibus, & fœmineo sexu debacchari, & inualescere, & huius rei rationem reddit. *Tiraq. libr. 9. connub. numer. 45. Ioannes Dauid. in verid. christiano capit. 71. Tab. 111. in verbo solicitudo. Labata in app. ad Conc. in verbo auaritia. Aldrou. de auibus. l. 14. Iustin. in Tob. cap. 5. vers. 12. Reginald lib. 17. num. 84. & lib. 23. num. 29. D.D. in Matth. cap. 6.*

QVAESTIO XLIII.

QVID SIT VIOLENTIA QVATENVS est auaritiæ filia.

QVid est violentia altera auaritiæ filia? R. Est furtum per vim, vel extorsionem, seu cõcussionem commissum. Quod peccatum constat procul dubio mortale esse, si in re notabili admittatur, cum iustitiæ aduersetur, restituẽdi proinde obligationem secum trahens. *Salon. & Arrag. 22. q. 62. art. 5. Mol. de iustitia. disp. 89. Sayr. in clau. reg. l. 12. c. 13. n. 6. Graffius l. 2. decis. aur. cap. 123.*

In quod crimen potissimum impingunt Principes vel eorum Ministri, & in officio constituti, cum à subditis per vim, vel metũ, aut vltra sibi iusta cõstituta stipendia extorquent. In hunc etiam scopulum incidere dicerentur Episcopi, uel eorũ Officiales, si ob dispensationes, uel absolutiones à censuris, pecuniarias pœnas subditis iniungerent, quas non pijs locis erogarent, sed sibimet ipsis ascriberent, contra dispositionem. *Concil. Trid. sess. 25. de refor. cap. 3. & 18. Sanchez. l. 3. de matrimonio. d. 10. num. 10. Bonac. de legibus. d. 1. quæst. 2. p. 3. num. 23. Riccius in 2. Decis. Cur. Neap. Decis. 2. q. 3. Marc. Ant. Gen. in sua pariter praxi Neap cap. 69. Ioseph. à Costa in fer 2. post dom. 4. Quad.* Item causidici illi, qui ære patrocinium turpiter uendunt, & quibus lites pẽdere diu uindemia quędam est, Coruis crudeliores, qui cũ non nisi extincti funus lacerent, isti uiuis scalpunt, & animam sugunt. Vnde nõ mirum, si mali aduocati, & causidici dicantur socij furum, ac raptorum, alienæ substãtiæ hirudines, odiorum, ac litium satores, &c. *Vinius, in Comment. opin. opin. 38. Molfes. in Comment. ad consuet. Neap. p. 2. q. 24. num. 15. & p. 4. quæst. 15. num. 25.* Ob hoc etiam ipsi DD. magis lecturis, quàm aduocatorum consilijs credendum esse aiunt, siquidem consulentes pecunia, & clientum affectione obcæcantur, & leges, Iurisconsultorumque decisiones quò uolunt, trahunt. *Gregor. Tholos. p. 3. synt. Iu. l. 49. cap. 8.*

Quippe auaritia multo magis in Magistratibus ac Officialibus reprehenditur, cum eorum sit ditare potius, quàm ditescere. Neque turpe duntaxat, sed nefarium est, è repub. quæstum, & pecunias ex officijs quærere. Quæ fides, quæ reipub. amor in eo esse poterit, qui pecunijs semper inhiat, cuius mens cumulãdis thesauris inflammatur, qui publicũ bonum spernit, priuatũ solicite quęrit, & ambit? Auaritię dediti Magistratus subditos perpetuo uexant, bene meritos prætereunt. Hinc *Cicero 2. de offic.* Nullum est uitium tetrius, quàm auaritia, præsertim in Principibus, & rempub. gubernantibus; ut merito sacræ paginæ Magistratus, & officiales non solum Sapientes, sed etiam eos qui auaritiam oderint, eligere iubeant. *Exod. cap. 19. vt annotauimus. tract. 1. cap. 5. quæst. 24.* Hinc *Philo lib. de creatione Principis.* Sunt, inquit, Principes publici ciuitatum, & gentium parẽtes: unde qui in subditorum detrimentum potentia abutuntur, non Principes, sed hostes, cum hostilia agant, appellandi sunt. Quò spectat illud Claudiani.

Nec tibi quid liceat, sed quid fecisse decebit,
Occurrat, mentemque domet respectus honesti;
Tu ciuem, patremque geras, tu consule cunctis,

Nec tibi, nec tua te moueant, sed publica vota.

Sanè omnis uniuersi perditio, & omne malum ex Principum, & Magistratuū auaritia ortum habet; nam ut ait *Fascic. 1. Annal. Tac.* Qua in republica, hæc tria simul conspiciuntur, certamina potentiū, auaritia Magistratuum, inualidū legum auxilium, hæc haud longe abest ab interitu. Infertur quoque violentia, quotiescunq; Principes, vel alij potentes iurisdictionem temporalem habentes, iniusta grauamina, vel iniqua vectigalia subditis imponūt: in quo casu præter immane facinus quod perpetrant, in excommunicationem etiam in Bulla Cœnæ Domini latam aliquando incidunt. *Sayr. l. 3. de censuris cap. 9. V gol. super Bullam p. 2. cap. 5. §. 2.* Ab hac quoque auaritiæ specie ille non excusatur, qui tanquam seruus nequam debitores suos debitum exigendo suffocat, & eos in carcerem detrudi ingenti cum eorum & familiæ iactura procurat. In hoc vero vltimo mortale peccatum nō agnoscitur, quādo iuris ordine seruato, debitores ipsos cum soluere possunt, cogit. *Molfes. tract. 8. cap. 8. num. 153.*

Tandem ad violentiam refertur, cum mercator, vel alius, res venales ad hominum vsum necessarias, præcipue quò ad victum, & vestitum, quantum potuerit, illas vendit: talium enim rerum iusta pretia vendentium arbitrio non relinquuntur, sed ad prędictam violentiam deuitandam, quàm indigentes paterētur, ea lege, aut communi hominum venditorum æstimatione determinantur, nisi taxatum pretium sciente, & tolerante Principe trāgrederetur, &c. *Sot. lib. 6. de Iustitia, & Iu. quæst. 2. ar. 3. in fine. Regnald. l. 25. n. 284. Molf. tr. 12. c. 5. n. 96.*

QVAESTIO XLIV.

QVOMODO SE GERERE DEBEAT CONfessarius cum Officialibus vltra stipendium quid accipientibus, &c.

QVando Confessarius restitutionem exigere debet ab Officialibus aliquid pro executione publici officij supra stipendiū sibi à Principe, aut repub. constitutum accipientibus, vel extorquentibus? R. Debere restituere, quoties illud auctuariū Officialis expresse extorquet, vt cū mendaciter asserit, sibi plus in stipēdium deberi, quàm reuera debeatur. Siue etiā tacite, in duobus potissimum casibus. Primo, quando Magistratum gerens recusat actum sui officij exercere, nisi supra stipendium assignatum aliqua quantitas addatur: tunc enim extorsio, & concussio committitur, & id quod recipitur, ad redimendam vexationem datum censetur, perinde ac cum quis vsuram soluit, quia mutuo gratis dantem nō inueniet. Secundus casus est, cum plus ab eo datur, qui prescriptum pretium, vel taxatam mercedē ignorat, nihilque supra eam daret, si veritatem sciret. Quæ quidem ignorantia obstat, ne liberaliter donatum censeatur, interueniente vi, & coactione, qua commutatiua iustitia violatur, ideoque obligationem ad restituendum inducente. Non desunt tamen quæ à tali onere excusare possint, vt Primo, si post constituta salaria rerum cōditiones sint immutatæ, & annonæ penuria creuerit. Secūdo, labor extraordinarius, ad quem Officialis ex vi sui muneris non tenebatur. Tertio, liberalis donatio, de qua aperte cōstet, non de qua dubitetur. *Mol. l. c. disp. 83. Rebell. de obligat. Iust. l. 10. cap. 20. Sanchez. libr. 3. de precept. cap. 14. num. 14. Reginald. lib. 10. cap. 11. num. 138. Menoch. lib. 2. de arbit. Iud. cent. 6. casu. 514. Syl. in v. medicus. quæst. 6. Graff. l. c. num. 12. Petrus Nau. de restit. lib. 3. c. 3. num. 21. Sá in verbo. officium.* Porro ne in sacrosanctis iudicijs (vbi latissima est ex torquēdæ pecuniæ occasio, sportularum prætextu turpiter concussione peccetur,) constituta est condictitia actio de sportulis, cuius meminit. *Iustin. in §. tripli Instit. de act. videatur. Menoch. l. c. casu. 517. Iason. in d. §. tripli. Natta. consil. 154. Rolan. volum. 2. consil. 87. Tholos. in synt. Iu. lib. 36. cap. 29. num. 11.*

QVAESTIO XLV.

QVID SIT FALLACIA, ET QVID fraus, & periurium, tres aliæ auaritiæ filiæ, & quomodo committantur.

QVid est fallacia, & quid fraus duæ aliæ auaritiæ filiæ, & quid periuriū? R. Ex eo quod auarus immoderate, & iniustè diuitias sibi comparare vult, sequitur, vt sæpe vtatur fallacia in verbis, fraude in factis, & periurio falsum confirmando; cui enim nihil satis est, eidem nihil turpe est. Hinc ille,

Semper auarus amat mendacia furta, rapinas.

Vnde dolus quod est generale nomen, & executio astutiæ, siue verbis, siue factis fiat, erga proximum tantum locum habet; & potissimum in materia iustitiæ, vt in contractibus, & in distributionibus. Et duobus modis ex Iuris peritorum sententia in contractum venit. Primo, dando causam contractui, quando scilicet si dolus abfuisset, alter vllo modo contrahere voluisset. Secundo, non dando quidem causam, sed solum in contractū incidēdo; vt quando contractus fuisset quidem initus, sed non eo pretio, sed minori. Vnde frequētiori Interpretum suffragio receptum est, contractum esse nullū, si dolus ei causam dederit, tollendo voluntatis consensum, in quo substantia illius consistit; vt si quis dolo inducatur ad emendā vnam rem pro alia, v. g. vitrum pro gemma, vel cum fraude, vel fallacia deceptus

item

rem emit inutilem, quam venditor asserit pro tali morbo valere, vel cũ vitia equi, vel domus à spiritibus vexatæ celat, quæ si emptor nosset, nõ emeret, vt proinde uẽditor si emptor uelit, ad ptij restitutionẽ teneatur. Secus si, ut dixi, dolus nõ det causã cõtractui, sed tãtum in illũ incidat, tũ quia si error circa substantiã rei non uersetur, nõ requiritur, ut cõtrahens omnes rei qualitates norit, aut ut in omnes consentiat, tùm quia non habet expresse, uel tacite animum huic contractui repugnantẽ; & si enim rei qualitatem sciret, tamen contrahere vellet, quamuis non eo pretio. Hinc ẽt infertur ex cõmuni eum qui per dolum, uel fraudem impedit aliquem, ne testamentum condat, uel ne iam conditum mutet prohibendo v.g. ne Tabellio, uel testes accedant, & charitatem, ac Iustitiam uiolare, ac proinde ad restitutionem teneri. Idem dicẽdum de eo, qui fraudulenter obstitit, ne alter beneficium, uel officium quo dignus erat, cõsequeretur. Atque in similibus casibus particularib. qui passim in humanis actionibus cõtingunt, eadem resolutio facienda est. *Lessius lib. 2. cap. 17. dub. 5. numer. 28. Reginald. lib. 25. cap. 8. nu. 121. Molina. disp. 352. Comit. in resp. mor. l. 3. quæst. 1. Arrag. 22. quæst. 77. art. 3. Com. in reg. possessor. 2. par. §. 6. num. 6. de reg. Iu. Sanchez lib. 3. de præceptis. cap. 11. num. 42. Bonac. de contract. d. 1. quæst. 2. p. 12. Nald. v. Impedimentum. Molfes. tr. 11. cap. 9. num. 27.* Ex his quoq; deducitur, iuxta commune DD. placitum, uectigalia, uel gabellas iustas etiam si non petantur, defraudantes, & mortaliter peccare, & ad restitutionem subinde reipublicę, uel Principi, uel illi, qui conduxit, faciendam teneri. Quæ assertio ad eas etiam gabellas ab eis extenditur, quæ ex rebus ad proprium, uel familiæ usum necessarijs soluuntur, quãdo alia tributa super mercimonijs imposita ad subleuandas publicas necessitates nõ sufficiunt. Item etiam si dubitetur, an iusta sint, in hoc enim casu subditi Superioris iudicio se conformare debent, ex quo nullam causam habent, cur cõtrarium sentiant, propterea periculo lethaliter peccandi, & iustitiam lædendi se exponerent, &c. Excipitur autẽ quando quis rem aliquam ad solatium suæ extremæ, uel magnæ necessitatis uenderet, uel emeret, tunc enim gabella in cõscientia soluenda non est, siquidem habita ratione talis personæ, immoderata cẽseretur, quod maxime uerum est, quando sic consuetudo uigeret, ut fraus, & corruptela non iudicaretur. Quæ sententia in rebus, ut dixi, comestibilibus, & ad propriũ usum destinatis probabilis cẽsenda est, ut propterea gabellam soluere admonendi sint fideles, sed si in his nõ soluerint, ad restitutionẽ à Confessario cõdemnandi non sint, præcipue dum quantitas est parua, & frequenter non defraudatur. *Reginald. l. 10. n. 382. Lessius. lib. 2. num. 62. Molfes. tract. 12. cap. 22. num. 136. Bonac. de contract. d. 2. q. 9. p. 1. Barth. à Fausto de rest. d. 33. quæst. 26. & alij.*

QVAESTIO XLVI.

AN CONTRAHENTIBVS LICEAT se inuicem decipere, &c.

QVomodo intelligitur illud commune proloquium, quod contrahentibus licet naturaliter se inuicem decipere. *l. in causæ. §. fin. ff. de Minor. & l. item si pretio §. fin. ff. locati.* R. Quidquid sit de lege ciuili, & in foro externo; de iure poli honesto uiro fratrem suum etiam infra dimidium iusti pretij circũuenire fas non esse, siquidem hoc directe commutatiuam iustitiam uiolaret, quæ omnino æqualitatem inter res cõmutatas exigit. Et iuri naturali repugnaret, qd vult, ut alteri faciamus, qd nobis fieri uolumus. *cap. 1. distinct. 1. Decius, & Cagnol. in l. semper in contractibus. ff. de reg. Iu.* Hinc Suidas author est, Hermetem Philosophum Ægyptium, qui sub Adriano Imper. floruit, ea iustitia fuisse, ut si à se quippiam empturo minus iusto pretio peteretur, ipse nihilominus iustũ promittebat, & dabat. Quippe quatuor sunt, quæ magnam pacem, & securitatem afferunt, quę *Thomas de Chempis. l. 2. de imit. Christi. cap. 25.* his uerbis insinuat; Fili nunc docebo, & uiam pacis, & ueræ libertatis; stude alterius potius, quàm tuã facere uoluntatem; elige semper minus, quàm plus habere; quare semper inferiorem locum opta semper, & ora, ut uoluntas Dei in omni actione in te integre fiat, & ecce, talis homo ingreditur fines pacis, & quietis.

Vel Secundo, dico illud dici naturaliter licere, non quod in Dei tribunali approbetur, sed quod ad multas lites euitandas in iure fori non puniatur; est n. cõmune omnium scribentium placitũ, quemcunque excessum iusti pretij in uenditione scienter acceptum, & defectum in emptione collatũ, etiam si sit citra dimidium, ex suo genere lethale esse culpam, cum restituendi uinculo coniunctam. *Reginal. in respons. cas. consc. casu. 13.*

Tertio, respõdetur, naturaliter licere, & concessum esse, scilicet intra latitudinem iusti pretij naturalis à lege non præscripti, quod illis tribus gradibus circũscribi solet, summo, medio, & infimo. *Syl. in v. emptio. quæst. 9. Arrag. 22. quæst. 77. art. 1. Com. l. 2. var. resol. cap. 3. Pet. Nauar. 3. de restit. c. 2. n. 181*

Vel Quarto, quod ualde probabile est, dicendũ; naturaliter licere, quia, ut est apud Comicum, Oẽs uolunt uilitet emere, & care uendere. Et ut habetur etiam in *l. si voluntate. C. de rescind. venditione*; Naturale uotum, & desiderium est omnium emere uolentium uilius emere, & carius uendere; quia quidem affectus cum post deprauatã, & corruptam natu-

naturam malus sit, homo christianus iustitiæ fræno illum moderari debet, pronūtiati illius memor, Qđ alijs vitio vertas, ipse ne feceris, id est quod damnaturus es in aliis, in te nō admiseris, siquidem vt ait *D. Ambr. in officiorum libris.* Regula iustitiæ manifesta est, quod à vero non declinare virū deceat bonum, nec damno quemquam afficere, neq; aliquid rei suæ dolo annectere, &c. *Nau. in cap. qualitas. de penit. dist. 5. Tholos. lib. 25. synt. Iu. p. 3. cap. 15. Tiraq. in l. 9. connub. num. 7. & seq. vt dixi in Comment. de hum. vit. stat. p. 2. cap 12. & 13.* Quando vero in humanis commercijs fraus præsumatur, & quando secus, videndus est. *Tusch. ver. fraus. concl. 478. Menoch. l. 5. de præsump. præsump. 3. Masc. vol. 1. concl. 814*

CAP. X.

QVAESTIO XLVII.

QVID SIT PERIVRIVM ALIA auaritiæ soboles.

Quid est periuriū alia auaritiæ soboles, & quale peccatum? R. Est mendacium iuramento firmatum, auarus namq; in suis commercijs iusiurandi religionem addit, quò dolo aliena acquirat, vel retineat, quod mercatoribus familiare esse solet iuxta illud,

Periurata suo postponit numina lucro
Mercator stygijs non nisi dignus aquis.

Cicero l. 1. offic. Tholos. l. 25. cap. 15. in syntag. Iu. Vt propterea vere dixerit. *Abb. cons. 11.* quod mercatores de facili ære alieno, & illicite acquisitis sunt grauati, & habent cōscientiam læsam. Sanè in auaritia, & augendæ rei cupiditate omnia peccata vires acquirunt, siquidem auarus mendax est, periurus, superbus, impatiens, crudelis & latro, nec peccatum est quod ab ipso non perpetretur, vt merito Sapiens ille dixerit, Laqueus est in auro, viscus in argento, nexus in prædio, clauus in amore. Vnde & Catullus periurij vitiū procacibus, & perfidis amatoribus familiare esse dixit, cum cecinit,

Qui dum aliquid cupiens animus prægestit apisci,
Nil metuunt iurare, nihil promittere parcunt,
Sed simul ac cupidæ mentis satiata libido,
Dicta nihil metuere, nihil periuria curant.

Quippe amor duo habet extrema, ætatem, ac satietatem; ætas formæ detrimentum affert, & ttorem rugis deturpat, satietas ac fruitio tædium, ac tristitiam parit. *Ann. Robert. l. 2. rerum. Iud. cap. 12.*

Et quidem cum inter periuria primum locū teneat illud, cui præsens veritas deest, nēpe quo sciēs, & volens falsum confirmat. Secundo, cum quis fidem iuramento promissam violat. Tertio, quando contra iustitiam iurat. Quarto, quando absque iudicio, & necessitate: dicendum est, assertorium periurium, quo mendaciū iuramento asseritur, falsum scilicet affirmando, aut verum negando, peccatum esse mortale, in quacunque materia, quacunque de causa, & sub quacūque forma iuretur, adeò vt nulla admittatur excusatio, nisi ex actus imperfectione, vt de communi testatur. *Suarez. l. 3. de relig. cap. 4. numer. 2. & Sanchez. de præcept. lib. 3. cap. 4. num. 6. Reginald. lib. 18. cap. 6. num. 79. Arrag. 22 quæst. 98. art 3. Sayrus. lib. 5. clau. reg. cap. 4. num. 8.* Ex communi etiam DD. consensu excipitur, æquiuocationis causa, cum quis scilicet iniuste interrogatur. In iudicio. n. interrogatus an debeat centum sibi mutuo data, quæ vere secreto restituit, respondere potest, se nihil mutui causa debere, intra se intelligendo, quod vere non soluerit: non tamen ei fas est falsum solutionis chirographum, aut instrumentum producere. *Con. l. 1. var. resol. c. 2. n. 3. Nald. in v. Interrogatus, & v. chirographū, vt inf. tr. 7. c. 9. q. 45.*

Secundo, Iuramentū promissoriū lethalem culpam inuoluit, si absq; aio ipsum et inre leui seruādi fiat, & si illud quod iuramento promisit, bonum ex natura sua sit. In hoc tamen iuramento aliquæ generales conditiones intelliguntur, etiam si non exprimantur, v. g. si Superiori placuerit, si diuina voluntas aliter non disposuerit, si res in eodem statu permanserint, &c. *DD. in cap illud autem. extr. de iureiurādo. Feder. de Senis. cons. 191. Tusch. v. periurus. concl. 287.*

Tertio, Iuramentum cui deest iustitia, seu materiæ honestas, si obiectum mortale sit, lethale scelus est, quod si adimpleatur, flagitium flagitio accumulatur. *cap. non est obligatoriū. de reg. Iu. in 6. D. Thomas. d. quæst. 98. art. 2.*

Quarto, Auriartifices, vel mercatores, qui sine vlla deliberatione ex leuitate, vel consuetudine iurant, cōmuniter venialiter peccāt, talis tamen abusus ob periculum periurij eradicandus est, scriptum est enim, Iurationi nō assuescat os tuum, nam multi casus in illa; & vir multum iurans implebitur iniquitate. *Eccles. cap. 23.* Alia est etiam mercatorum fraus, qua emētes decipiunt, illorumque nummos malis artibus surripiunt, nō solū dùm magis quàm deceat, res venales laudant, iuxta illud Horatij,

Laudat venales qui vult extrudere merces.

E contra autem ementes illas damnant, nam vt ait *Sap. Prouerb cap. 20.* Malum est, malum, dicit omnis emptor; sed etiam dum in obscuris locis ita malo dolo constructis vendunt, vt meliores quàm reuera sint videantur. Quam fraudē detestatur. *Tholos. p. 1. synt. Iu. lib. 4. cap. 10. Crotus l. 3. Miscell. cap. 24. num. 9. & 10. Bonif. in tract. de furtis. §. furtum. n. 88.* Pessima ēt illa fraus cēsetur cum Decoctores se fingunt, & cū aliena iactura latitant, vel suos creditores dolose ad secum componendum alliciunt

Ee quos

quos merito *Pius V. in Constit. Incip. Postquam eo vsque.* vltimi supplicij pœna affici iubet. *Bonifac. num. 79. Nald. in verbo mercator. numer. 5. Tusc. in verbo Decoctorum vitia. concl.* 105. *& seq.*

QVAESTIO XLVIII.

QVOMODO MERCATORES IN VENDENdis mercibus iurando peccent.

QVid censendum de artificibus, vel mercatoribus auaritiæ labe infectis, qui cum verbis æquiuocis sponte iurant, se tāti mercem emisse, intelligēdo, non illam solum, sed cum alijs mercibus mixtam, vt sic ementes decipiantur, &c. R. Nō excusari à mortali, si vt res suas conficiant, huiusmodi iuramento contra cōmunem sensum, & intelligendi modū vtantur, cum sponte contra alterius mentem iurent. *Tol. l. 4. cap. 21. Sayrus. l. 5. clau. reg. cap. 4. n. 25.* Alij à peccato mortali eos excusant, quādo ipsi Institores, vel negotiatores dicūt, se alia ratione iustum pretium ab emptore obtinere non posse, nec per hoc velle aliquid iniusti cōmittere: sed tūc tantum culpæ lethalis reatum contrahere, cum hac ratione fallere intendunt, uel extorquere supra iustum, uel pretium summū corradere, quod emptor alioqui dare noluisset, uel aliter ei causa damni existunt. Atque ob eandem rationem, quando pretij taxatio est iniusta, si pluris uendentes, aut fraudantes, in pondere, uel mensura defraudent, ita ut sibi pro pretij iniustitia satisfaciant, & pretio dato correspōdentes merces tradāt, & à Magistratib. interrogentur, an pluris uendiderint, uel in pondere, numero, uel mēsura defecerint, eis fas esse aiunt, id negare, asserereque se pretio taxato, & præscripto uendidisse, & integrum pondus, uel mensuram dedisse, in mente intelligendo, ita ut pluris uendētes, uel in pondere, seu mensura decipientes deliquerint. *Lessius. l. 2. cap. 42. dub. 9. num. 46. Sanchez. l. 3. de precept. cap. 6. num. 29.* Vnde qui præ cæteris cupiditatis, ac auaritiæ morbo laborant. Sunt Primo, mercatores, & artifices, qui ob questū, uel ob res tēporales augendas, mentiri, & peierare non uerentur. Secundo, milites, qui bellum exoptant, ut furari illis liceat. Tertio, medici, qui morbos cupiunt, Quarto, aduocati, & I. C. qui litium copiam eōcupiscunt. *Catechis. Rom. super 10. precep. decalogi.*

QVAESTIO XLIX.

QVOMODO CVM AVARO POENITENTE iurare solito se gerere debeat Confessarius.

QVomodo quò ad praxim se geret Confessarius cum auaro pœnitēte, qui cum peierandi periculo ex praua, & inolita consuetudine iurat, uel etiam auri sacra fame impulsus, periurium frequenter admittit? R. Et si iurandi consuetudo per se sumpta non sit peccatum, cum nil aliud sit, quam frequentatio actionum, quæ tametsi peccaminosæ sint, nullā tamen malitiam habet, quàm eorūdem peccatorū, quorū aggregatione constat; sæpe nihilominus precipitatio ex usu suborta, tàm culpabilis esse potest, ut sæpe iuramentum ex inaduertentia prolatum, ad mortale pertingat, ob periculū, cui se exponit; proinde uidēdum erit, an antea fuerit admonitus, ut eam consuetudinem à se abijciendam curaret, deinde an de ea re admonitus diligentiam in hanc rem contulerit, si enim numquam monitus est, & aliquid laboris ad eam depellendam adhibuerit, absolui poterit, cum promissione habitum illum exuendi, si tamen sæpe de hac re certior factus nihil studij posuerit, absolutio suspēdenda erit, donec emendatio aliqua dignoscatur, nisi iusta alioqui causa subsit, quā arbitrio Confessarij statim à peccatis absolui debeat. *Azor. p. 1. l. 9. cap. 28 quæst. 8. & lib. 11. cap. 3. quæst. 4. Sayrus. l. c. cap. 5. num. 9. Reginald. lib. 18. num. 84. Sanchez. d. l. 3. de precept. cap. 5. num. 16.*

Periurij grauitas pœnitenti proponenda est, quia nimirū qui falsum iurat, quātum in se est, Deū pro uero approbare facit, quæ est grauis iniuria, atq; ideo eius pęnæ apud omnes gētes atroces sunt; nam apud Ægyptios periurus pœna mortis plectebatur, quod eodem facto Deos, & homines offendisset. Humanis legibus periūris lingua mutilatur, ut quo membro peccarunt, eodem pęnam sentiant, & si periurium in aliorum iacturam cedit, infamiæ notam subeunt, repelluntur à testimonio ferēdo, & si ecclesiasticis beneficijs gaudent, eisdem in criminis pœnam priuari possunt. *Con in cap. quamuis p. 1. §. 7. num. 2 de pactis. Lessius. l. 2. cap. 42. dubit. 14. Maioragius Comment. l. 1. rhet. Arist. in fine.* Multa uero exēpla diuinæ ultionis in periuros, uideri possunt apud *Daur. tom 2. cap. 3. tit. 26.*

Eius ostendat amentiā, qui rā uili re & fructu in suæ iām salutis discrimen se conijciat. Si ethnicus esses, inquit, *D. Chrisost. hom 7. in Act. Apost.* & nihil post hanc uitā sperares, difficile forsan esset terrenarum rerum affectionem deponere, nūc aūt Cœlum expectas, &c. Si mihi, dicebat *Seneca libr. 3. de ira.* ex omnibus metallis pecuniam proferas, & in medium proijcias, quidquid thesauri tegunt, omnem istam congeriem dignam non putem, quæ boni uiri frontem contrahat.

QVAESTIO L.

QVID SIT PRODITIO, ET QVALE peccatum.

QVid proditio septima auaritiæ filia, & quale peccatum? R. Ex immoderata habendi siti enascit

nasci solet proditio in personam, ut fecit Iudas Christum ex auaritia prodendo. *Afflict. Decis.* 265 Hunc *Hieron. in Epist. ad Rustic.* Iudas de Apostolatus fastigio in proditionis tartarũ labitur, nec familiaritate cõmuni, nec intinctione buccellæ, nec obsequij gratia frangitur, ne hominẽ tradat, quem Dei filium esse nouerat. Atque huc pertinet homicidium proditorium, quod ab amico sub specie amicitiæ cõmittitur, quod quidem cum admodum graue delictum sit, ecclesiæ immunitate non gaudet, vt per *Ambrosinum de immunit. ecclesia. cap. 6. & Farinacium. cons. 76. & in Append. de Immunit. ecclesiæ. cap. 9. Menoch. de arbit. Iud. casu.* 361. n. 25. Vbi notãdum est, manifestationem occulti aptam alteri damnum inferre, quatuor modis contingere posse. Primo, circa personas, cum ad inferendũ illis nocumẽtum eas ipsas manifestat, prout ut dixi. Iudas Dominum nostrum, & Dadila Sampsonẽ prodidit. *cap. 26. D. Matth. & cap. 16. Iud.* Et hoc modo graue peccatum mortale est. Secũdo, id accidit circa res immobiles, vt cum quis ciuitates, villas, aut castra veterum dominorum perfide tradit, in quo casu proculdubio lethalis admittitur culpa, restituendi coniunctam obligationẽ habens. De qua *Claud. 2. Ruf.*

Heu heu, quàm breuibus pereunt ingentia causis,
Imperium tanto quæsitum sanguine, tanto
Seruatum, quod mille Ducum peperere labores,
Quod tantis Romana manus contexuit annis,
Proditor vnus iners angusto tempore vertit.

Misera ambitio & auaritia, quę tot funestis casibus obnoxię fortunę lusus sũt; ita vt verũ illud sit Quinti Curtij, Magnas arbores diù crescere, hora vna extirpari, ita magnis conatibus quæ parasti, momento rapi. Et hoc nomine etiam Domitianus conditionem Principum miserrimam dicebat, quibus de coniuratione comperta non crederetur, nisi occisis. Secus vero est, si per arrogatum sibi titulũ illa tyrannice possiderent, tunc enim fas esset talia eisdem dominis prodere. *Tol. lib. 8. cap. 45. Reginald. lib. 23. num. 31. Lessius. lib. 2. cap. 9. dub. 4. Armilla in summa. in v. tyrãnus. Tuseh v. proditor. cõcl. 869.*

Tertio loco circa res mobiles proditio cõtingit, vt cũ quis alterius pecunias, aut vestes latroni eas surrepturo ostendit, ex qua subinde actione peccatum mortale cum restituendi obligatione nascitur.

Quarto denique modo proditio circa secreta versatur, vt quando alterius arcanum cum alieno detrimento detegitur, contra illud. *Hor. l. 1. Ep. 19.*

Arcanum neque tu scrutaberis vllius vmquam,
Commissumque teges, & vino tortus & ira.

Si tamen aliquis tyrannus obsessam teneret ciuitatẽ, & eam iniuste inuadere pararet, liceret alicui militi suo tale secretum aperire, non enim secreta præter sacrosanctæ confessionis sigillum, in damnũ multitudinis, vel communitatis, seu etiam alicuius tertiæ personæ seruanda sunt. *D. Thomas. 22 quæst. 70. art. 1. Sot. lib. 5. de iustitia, & iure quæst. 7. art. 1. Alph. de Cast. de iusta hæret. puuit l. 2. cap. 25. Reginald. lib. 24. cap. 6. num. 112. Molfes. tract. 8. cap. 8 num. 147. Vt dixi sup. tr. 5. c. 22. quæst. 140. & seq.*

QVAESTIO LI.

QVID CENSENDVM DE IIS, QVI alienas literas aperiunt, & libellos famosos repertos diuulgant.

QVid dicendum de his, qui alienas literas aperiunt, & ea quæ in his continẽtur, alteri pandunt, & de libellos famosos inuenientibus, eosque diuulgantibus? R. Qui alterius literas sigillo munitas aperiunt, lethali se scelere obstringũt, si res est grauis, cum tàm ex parte mittentis, quã eius ad quem mittutur, iniustitia committatur. Quando vero res est leuis momenti, venialis culpa subesse poterit, sed tamen valde periculosum est, cũ ante apertionem huiusmodi leuitas dignosci nequeat, & si ea nõ cognita referantur, lethalis apparet iniustitiæ, & infidelitatis iniquitas, nisi in aliquibus casibus exceptis. Primus est quãdo qui aperit sibi, vel proximo, seu reipub. aliquod damnum parari iuste, ac probabiliter timet. Secũdus, quando ex ratihabitione, seu ex consensu expresso, vel præsumpto eius, ad quem mittuntur, recludit. Tertius, quando Superiores authoritatẽ habẽtes, vt pater in filium, Pręfectus religionis in subditos, suorum literas aperiunt, ac legunt. Extra quos casus qui inique alicuius literas reserauit, & ea via in notitiam alicuius secreti venit, arctiori vinculo illud seruare tenetur, quàm si esset ei simpliciter indicatum, qui modus cum peccatũ notabiliter noua specie iniustitiæ aggrauet, in confessione exprimendus est. *Syl. Tab. & alij summularij. in v. falsarius. Clarus in §. falsum. Caiet. in ver. literas. Pet. Nau. lib. 3. de restit. cap. 1. num. 341. Menochius. lib. 2. de arbit. Iud cent. 6. casu. 538. Lopez. in schol. ad Diax. c. 104 Roder. tom. 2 qq. regul. quæst. 36. art. 2. Tol. lib. 8. cap. 45. Reginal. lib. 24. num. 120.* Et dixi *in Comment. de cas. reser. p. 3. cap 7. sect. 2.* Addo aperientem obsignatas literas, & aduersatio mittentis ostendentem, pręter lethale peccatũ iniustitię admissum, in foro exteriori pœna falsi plectendum esse, literas tñ alienas deferens, easq; nõ reddẽs ei cui scribuntur, modo animũ non habeat dolose veritatem mutandi, neque alteri nocendi, non crimen falsi, sed stellionatus admisit, ac propterea extraordinaria pęna afficiẽdus est, *Nald. verbo litera. numer. 5.* Religiosum vero vltra peccatum reseruatum in quod incidit, pœna regulari Iudici arbitraria varijs perpensis circunstantijs

puniendum fore. *Roman.cons.346.& 365. Tusc in v.literas.concl.375. Molf.sfract.7.cap.21.nu.122. Coriol.de cas reser.p.2.casu.11.* Et ex his deducitur etiam grauissime peccare, & pęna etiam vltimi supplicij puniri posse, qui libellum, aut famosa scripta in aliquem cōfecta diuulgat; talia enim quis simul ac reperit abscondere, aut lacerare tenetur, alias si publicat, preter culpam, famam quoque restituendi onus subit, &c. Et de iure canonico excommunicationis gladio feriri possunt, si famā, & honorem ablatū non restituant, præsertim si contra ecclesiasticas personas confecti sint. Ampliant DD. easdem pœnas pati debere, qui alienū ostium stercore conspurcant, cornua affigūt, vel aliqua alia inhonesta in aliquem pingūt, hæc enim famoso libello æquiparanrur, ideò quatenus fine rei graui damno fieri potest, à Cōfessario in foro etiam pœnitentiali ad ablatæ famæ restitutionem obligandus est pœnitens. Imò qui hmōdi libellos cōtra Sūmum Pontificem, vel aliquem Cardinalē, aut aliquā ex quatuor religionibus Mendicantibus, vel alias eorum priuilegijs gaudētes confecerint, vel in vulgus sparserint, excōicatione cum Papæ reseruatione irretiuntur, vt per *Caiet. in v. excommunicatio. c.81. Sayrum. in clau. reg. libr.12. cap.4. numer.10. Reginald. libr.24. num.116. Molfes. lib.11. cap.22. num.192. Tuschum in v. libellus famosus. concl.321. Bertaz. cons.237. Graff. consil.1. de iniurijs. Salonem in 22. quæst.72. art.2. Nau. cap.27. num.109. Zerulam in praxi Episcopali. in verbo libellus famosus. Corradum. in respons. cas. consc. quæst.79.*

CAP. XI.

QVAESTIO LII.

QVAE REMEDIA CONTRA AVARITIAM à Confessario danda sint.

QVæ remedia contra auaritiam à Confessario danda sunt? R. Hæc tria præcipua. Primum est considerare pericula animi, & corporis, in quæ auari se conijciūt, de quibus in principio etiam diximus. Nihil enim est iniquius, quàm amare pecuniam. *Eccles. cap.10.* Et vere multos occultos, & arctos laqueos Diabolus suppeditat auaris, adeo siquidem subtiles sunt in cōmercijs, maxime in vsura, & simonia, vt summi etiam Doctores in casibus ad conscientiam spectātibus versati, vix eos agnoscant. Adde quod velati sint, vel naturali necessitate, ne aliquando ipsis, vel liberis vitę necessaria desint, vel spirituali, vt suppetant quæ erogentur in pauperes. Arcti quoque sunt laquei, quia tot vinculis constringitur auarus, quot possessiones habet, & quidem duplici coarctatur amore, sui videlicet, & filiorum, vt dixi, siquidem cum eos sibi non moire amare desinit, in filijs, alijsque hæredibus diligit, ita vt postea locum habeat illud vulgatum.

Quas hominis congessit opes industria auari,
Hæredis sparget prodiga dextra mali.

Quippe auaritia dicitur ab *Apost. 1. ad Timoth. 6.* omnium malorū radix, quia sicut radix toti arbori fomentum præbet; sic auaritia, siue diuitiæ præsertim iniuste acquisitæ infinita peccata committēdi vel posteris ansam præbent. Inter spirituales miserias, & calamitates, quibus genus humanum conflictatur, est paupertas, & mendicitas; durissima enim res est necessitas capiendi cibū, aut nuditatem cooperiendi, & ad eam subleuandam ab aliorū misericordia, & arbitrio pēdere. At hoc, vt tradit. *Cardin Bellar. de gem. columb. l.2. cap.8.* ex tribus oritur causis, nēpe ex vanitate pauperū, dū pōpose se vestiūt, & qd' per hebdomadā lucrātur, diebus festis ludendo, & bibendo in tabernis consumunt; & ex nulla, vel modica fiducia in Dei prouidentia, sed præcipue ex auaritia, & diuitum effusione prouenit, siquidem quæ paupcribus distribuenda fuerant recōdunt, quæ postea eorum mali hæredes in meretricio, comessationibus, & huiusmodi pompis effundunt. Deus namque cuius prouidētia in sui dispositione nō fallitur, ex terra tot & tantos fructus producit, quāti & hominibus, & cunctis bestijs sufficiunt, sed auaritia, vel paucorū effusio facit, vt plu ribus desit, vt de ffeētati, ac viuere cōmode queāt. Hinc *Hierem cap.17.* Perdix inquit, fouit quæ non peperit, fecit diuitias, & non in iudicio, &c. Quem locum tractans, D. Hieron. ex historia naturali refert, perdicis cum esse morē, vt aliena oua furetur, ijsque incubet, & cū ex eis natos pullos aluerit, tunc ab ipsis dignam furaci rependi vicem, commentitiam matrem naturali quodam instinctu deserentibus. Ita diuitias male partas, auaris, rapacibusque dominis derelictis, egregie solere illudere: siquidē hæredes facile dilapidant, quæ alieno sudo e parta, paruo illis cōstitere. Insuper auarus assidua siti torquetur, & continua febri vexatur, itē auaritia, & vsura hominem occidunt, quia ea tollunt, quæ causa vitæ existunt, nēpe cibum, somnum, & quietem. *Eccles. cap.5. & 14.* Auarus nāque auidus æris, quò rem augeat, sibi necessarium cibum & potum subtrahit. Notæ sunt illæ gnomæ; Auaro tām deest, qd' habet, &c. Auarus sibi ipsi nequam est, Immoritur studijs, & amore senescit habendi. Diuitię non modo voluntatis desiderium non satiant, sed acuunt, sicut hydropesis, & caro salsa, quæ sitim non extinguit, sed magis accēdit. Similes sunt illi morbo, quo laborare eum tradunt Philosophi, & medici, qui cū multum ederit, numquā tamen expletur. Et huiusmodi auidos homines. *Seneca Epist.37.* canilus com,

cõparat, qui frusta panis, vel carnis à domino missa aperto ore captant, & integre deuorant, ac mox ad spem futuri inhiant, nec vnquã saturãtur. *Plut. de cupidit. diuit. Alciat. emb.* 86. Thomas Morus rogatus aliquando, cui similem diceret auarum, cani respõdit in præsepi, ille enim, nec fœno vescitur, nec vt equus eo vescatur finit. Olim SS. Patrib. per porcum hieroglyphice auaritia designabatur, qui dũ viuit, eo quod lanam non proferat, ad nihilum vtilis, &c. Tali morbo laborabat ille, de quo proditũ est, quod amorem suum in opibus vsque adeò defixerat, vt aurum item suum, cui tanquam rei sacræ (vt verbis Horatij vtar) pepercerat, cum tunica cõsutum secum humari iusserit. Nec dissimilis erat ille, de quo legimus, quod si quando ei ouum appositum esset, querebatur, qd' pullus esset occisus. Nec absludebat ille negotiator Chius, qui asinina quadã stoliditate obsessus adeò erat excors, & sui parum memor, vt tametsi multum vini, & primæ bonitatis venderet, ipse tñ acidum, vappamque bibebat.

Secundũ remediũ est, ad memoriam redigere, quàm grauibus pœnis diuinitus castigata sit quorundam auaritia. De qua re videndus est. *Cassian. l. 7. cap. 14. D. Gregor. lib. 4. dialog. cap. 55. Baron. tom. 7. Annal. anno 553 ex Cedreno. Daur. tom. 3. c. ip. 6. tit. 12.* Item cogitare, se citò moriturum, & diuitias alienis relicturũ, iuxta. *Dauidem Psal. 48.* Et eiusdem memoriam cum sonitu campanæ perituram; siquidem quotidianà experiẽtia docet, defunctum viliori linteo domus sepulturæ tradi, & propinquos primos esse qui citius quàm fieri potest, mortuum à domo dimittunt, &c. Insuper Deum malos viuere quadrupl ci ratione permittere. Primò, propter hominum peccata, atque ideo improbi, cum quandoque in altum tolluntur, sunt quædã Dei flagella ad populum cui dominantur puniendum. Secũdo, vt mali sic dominantes grauius à Deo iudicium subeant, siquidẽ peccatum est alterius peccati pœna. Tertio, vt praui eò iustius damnentur, quò iniquius bonis sibi concessis abutuntur. Quarto, vt Iusti hæc bona temporalia non magni faciant, quæ, & boni, & mali possidere solent. *Nald. in ver. virt. num. 12. Tusch. in v. malos. concl. 19.*

Tertiũ antidotum est, si abundant diuitiæ, liberalitas, & beneficentia; quandoquidẽ virtutis officijs contrarium paulatim conuellitur, & ipsius liberalitatis virtus comparatur; hæc enim tanquam in medio posita circa moderationem auaritiæ, & pdigalitatis, ac amoris diuitiarũ versatur, sicut hæ dentur, & conseruẽtur quãdo & quomodo oportet. Hinc in pœnitentiã hoc crimine infectis si opulenti sint, imponendum est, vt eleemosynas erogẽt; quod quidem cõtinuato tẽpore fieri potius, etiam si parum detur, quàm simul multũ largiri nõnunquam hoc homine expediet, quod ex assiduo vsu, sæpius stipem tribuendi paulatim liberalitatis habitus succrescet, quæ est ipsius auaritiæ peremptoriũ. Addi potest, vt Zenodochia visitent, vt illorum miseriam, & inopiam cernentes, ad misericordiam flectantur, & eleemosynam largiantur; siquidem per eam auaritia, & omnes eius filiæ extinguuntur: tollitur enim Primò, obduratio cõtra misericordiam: cessat violentia, cum qui sua alijs elargitur, aliena non appetat, nec rapiat; auferuntur periuria, quia auarus veritatẽ amabit, fraudes euitabit, quia verbis & opere verax erit: proditionem fugiet, nam secreta celabit, & officium suum fideliter explebit.

QVAESTIO LIII.

QVAENAM SINT ANTIDOTA AD auaros religiosos adiuuandos.

QVænam sunt antidota, quæ religiosos homines ad hanc pestem fugiendã adiuuare possunt? R. Supposito qd' licet res externæ cum tãto animi periculo, & vexatione retineantur, omnes tñ auaritiæ libello studeant, vt ait. *Ierem. cap. 6.* & quod magis dolendum, ac deplorandum est, nec illi qui spiritualem, ac perfectam vitam profitẽtur, ab hoc studio vacant, ita vt paucos inuenire possimus, vt ait *Iustin. in 1 ob. capit. 4. versic. 17. doc. 2. & Masc. volum. 1. de probat. concl. 150.* qui lydio huic lapidi resistãt, dico, qd' Primum antidotum est cõsideratio turpitudinis, quæ à pecuniæ cõtrectatione oriri potest, nam pecuniæ amor, quem Cassianus græco vocabulo phi largyriam vocat, ingentem notam in Deo dicatis hominibus habet. Hinc Gerardus Abbas, qui diuina ope fretus Arnulphũ Comitem sanitati restituerat, dum eius rei gratia immensum auri pondus offerretur, recusauit dicens, pecuniæ congeries apud Monachos præsertim, sunt velut lepra animæ; frater autem Gerardus non vult esse leprosus, ergo nec pecuniosus. *Surius. in eius vita. Cassian. l. 7. cap. 1.* Nec falsum est illud quod vulgo effertur, Pecuniæ attrectatione manus denigrari, hoc est bonam in religioso existimationem, si sint debita cautela cõtrectetur, splẽdoremque integræ paupertatis non nihil obscurari, etiam si proprietate non fœdetur. Qua ratione D. Franciscus denarios muscas appellare solebat.

Secundũ est proprietatis periculum, quod in pecunia latet, & in omni eo quod pecunia æstimari valet, siquidem teste: *Nau. comment. 2. de regul. n. 2. post D. D. in c. cũ ad monasterium. ext. de stat. monach.* Quidquid sub paupertatis votum stricte sumptum cadit, aut est pecunia, aut pecunia æstimabile. Quare qui nummos, vel quid aliud apud se aut apud alium, siue expresso, vel tacito Superioris consensu tenet, habet id, qd' vi sua proprietatis labẽ inducit.

Hinc vt ingens crimen in bene institutis religionibus reseruari solet; & grauis pœna & infamia religiosos mortuos consequitur, quorum in morte proprietas deprehenditur, nam inter alias pęnas ecclesiastica priuantur sepultura, & vna cum corpore pecunia tumulatur. *d. cap. cum ad monasterium. Danr. in flor exempl. to. 4. tit. 69. cap. 7. & Io. Anton. Flam. in vita Alberti Magni.*

Tertiũ est euangelicæ paupertatis amor, cui comes sit obedientia religiosis legibus, quæ de paupertate constitutæ sunt, propriæ in vnoquoque religiosorum ordine. Et sane monstro similis est religiosus ille, hoc est conflatus ex homine mundano, & religioso, qui quæ se reliquisse profitetur cũ Deo se consecrat, re ipsa & Deo dicatus possidet, & eò deformius, quò forte quis ampliori neglecto patrimonio, nullius momenti rebus quasi aranearũ telis musca irretitus tenetur. Scitum est illud D. Basilij aduersus Senatorem quendam, quem ferunt mundo spreto, quędã sibi de suis facultatibus reseruasse, Et Senatorẽ, inquit, perdidisti, & monachum non fecisti. *Cass. l. c. cap. 19. Rossignol. lib. 2. cap. 16. Roder. de perfect. relig. par. 3. tract. 3. c. 15.* Vide quæ à nobis dicta sunt *in Comment. de cas. reser. p. 3. cap. 3. & de hum. vita stat. & eorum. oblig. p. 1. c. 23. oblig. 10.* Quò vero paupertatis votum in religiosis vitis conseruetur, Prælati debẽt esse in subditos liberales, ac munifici, vt eos in victu, vestitu, cubiculis bene habeant, aliquidque superfit potius, quàm desit, sic enim & fiet, vt eos obsequentes, ac morigeros experiantur, atque omnis murmurandi, ac obloquendi absit occasio, promptoque ad quæcunq; imperata reperient: nec quidquam tàm arduum erit, quod liberalis in suos Superioris animus non extorqueat, iuxta illud, Fortiter qui præmiat, imperare fortiter potest. Prouideant Prælati, ait Mauburnus, facile enim ad oẽm regularum obseruantiam suos compellẽt, dum ea quæ necessaria sunt, prouiderint: O' quot animarum dispendia ob auaritiam Prælatorum, &c. *Vmb. in regul. D. August. c. 6. Scrib. de sup. relig. l. 2. c. 6.* Hinc & *Bellar. de gemit. colũb. l. 3. c. 6.* Præfecti, inquit, religionũ vt peculiare uitium tollatur, omnem operam dare debent, ut Sacrosancti Triden. Concil. Decretum *sess. 25. capit. 3. de regul.* obseruetur, ut non plures ad ordinem admittãtur, quàm qui sustentari possint ex redditibus, uel eleemosynis ordinarijs; tunc enim Præpositi iute cogere poterunt subditos ad omnem proprietatem fugiendã, si ordo ipse singulis ea præbeat omnia, quę singulis necessaria sunt: Ideo enim vt *S. Hieron. ad Eustoch de custod. Virg.* Non licebat monachis antiquis aliquid petere, q̃a Præpositi necessitates singulorũ magna puidẽtia ex charitate præueniebãt.

Porro quomodo etiam in sæcularibus Sacerdotibus hoc vitium detestabile sit, hinc patet, quod plurimum eorũ mẽtes occupat, siquidem consanguinitatis, & amicitiæ, ut aiũt, herculeus nodus est ab auaro Sacerdote vel Parocho cõtemnitur Deus, cum ab eo non Dei gloria, aut animarũ salus quæratur, sed proprium lucrum, & tẽporale emolumentum, & seruiat Deo nõ propter Deum, sed propter nummum. Vnde etiam ipsi sæculares homines ab ipsius cultu auocantur, cum per auaritiam, charitatem in eo extingui cernant, quæ præcipue in Sacramentorum administratione, & sacris functionibus exercendis elucere deberet. Qui quidem auaritiæ, & res augendi affectus consanguineorum causa, ut plurimũ est. *Tiraq. de temp pœn. caus. 51. n. 82.* Hinc licet, vt DD. loquuntur, In dubio fauore piæ causæ maximum sit sequendũ, legato enim calice, magni potius, quàm minimi pretij deberi asserunt, quãdo tamen legatum immediate cedit in utilitatem ministrorum ecclesiæ, ne auaritiæ suspicio oriatur, secus aliquando interpretandum est, vt ait *Abbas. in cap. ex parte. ext. de censibus. Sanchez. de præcept. l. 4. cap. 13. num. 5. Nald. v. minimum. num. 2. Bassus. de cur. anim. p. 4. cap. 14. Annens Robertus. lib. 5. rerum iud. cap. 3. Ludou. de Ponte. de perfect. tom. 4. tract. 1. cap. 9. §. 2. Maschard. de Probat. volum. 1. concl. 150. Tuschus v. auaritia. concl. 551. Gisbert. de vita eccles. cap. 3.*

ARTICVLI SVPER LVXVRIA, & eius speciebus, & sobole. Cap. XII.

QVAESTIO LIV.

QVID SIT LVXVRIA, ET QVALE peccatum.

QVid est luxuria quatenus est capitale vitium, & quale? R. Esse immoderatam rerum libidinosarum cupidinem, quæ in eo consistit, quod fit extra legitimum coniugium. Et luxuriosus dicitur, quasi laxatus, & in uoluptates solutus; maxime enim humanum animum uenereæ uoluptates dissoluunt, & ob delectationis uehementiam magnas menti tenebras offundunt, ac rectam rationem (ut infra dicemus) peruertunt, ex *D. Thom. 2. 2. q. 153. art. 5.* Vnde & Author incognitus in *Psal. 31.* super illa uerba, Nolite fieri sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus, notandũ esse admonet, duo esse peccata, quę hominem à pœnitentia, peccatorumque suorum examine seducunt, superbiam, & luxuriam: superbia enim non vult corrigi, luxuria corporis quærit oblectamenta, illa per equum, hæc per mulum figuratur. Cur uero, quod ad rem nostram attinet, luxuriosi per mulum significẽtur, ratio est, quod cum mulus ex asino, & equa ortum habeat, in eo tamen libido ad alienam quoque speciem intendit,

tendit; & quia hęc duo peccata superbia, & luxuria intellectum nostrum excæcant, ideo Psaltes ait, Nolite fieri sicut equus & mulus. Hinc & Angelus occisos Saræ maritos, qui excluso à sua mente Deo, & prolis fine, libidini vacabant, cum equo, & mulo confert, eoquod hæc animalia etiam apud Ægyptios amentis, lasciui, ac spurci hominis symbolum essent, vt obseruat quoque. *Iustin. super Tob. cap. 6. vers. 17.* Propterea olim lege lectoria, vel propter lasciuiam, vel ob dementiam Curatores dabantur, ex luxuria .n. tàm animi, quã rei familiaris egestas conflatur, vt proinde legamus Tyberium Cæsarem Senatori cuidam luxuriose viuẽti, tutorẽ quasi pupillus esset, adscripsisse *Tholos. lib. 13. syntag. Iu. cap. 6. num. 6.* Blãdum malum est hoc vitium, quod accusare aliquãto facilius est, quàm vitare, ait *Val. Max. lib. 9. cap. 1. arg. D. Gregor. relatus in cap. quia dist. 50.* Hinc *& Sen. in Oct. act. 1.*

Totum per orbem maximum exortum est malum,
Luxuria, pestis blanda, cui dedit vires,
Roburque, longum tempus, atque error grauis.

Omnia alia mala extrinsecus sunt, & quod foris est facile abijcitur; sola libido à Deo insita ob liberorũ procreationem fines suos egreditur, redundat in vitium, & quadam naturæ lege in scelus erumpit. Grandis virtutis est, & solicitæ diligentiæ, superare quod natus sis, in carne nõ carnaliter viuere, tecum quotidie pugnare, & inclusum hostem, Argi, vt Fabulæ ferunt, centum oculis obseruare, ait *D. Hier. Epist. 10.* Consentit *D. Aug. lib. 11. de honest. mul.* cum inquit, Inter omnia certamina christianorum, sola dura sunt prælia castitatis, vbi quotidiana est pugna, & rara victoria, grauem namque sortita est castitas inimicum, cui quotidie resistitur, & semper timetur. Quam vero in ipso suæ conuersionis tempore in hoc vitio difficultatem senserit, ipse tàm lamẽtabiliter in libris confessionũ exponit, vt vel ex horrore capilli lectori erigi possint: maxime cum libido consuetudine longa iam callum quasi obduxisset; vt non sine causa Plautus scite asseruerit, potius cũ excetra idest Hydra Lernæa, aut cũ Antheo pugnam velle, quam cum amore, siquidẽ Excetra, vt Poetæ finxerunt, septem capitibus munita erat, cuius vno cæso capite, tria statim exurgebant, Antheus uero tũc fortior erigebatur, cum prosternebatur. Quod multo magis in carnali cõcupiscentia euenire solet, cui qui indulget, valentiori conatu torquetur. Asserunt Philosophi naturales, Rhinocerotem adeo immite animal esse, ut numquam, uel longissimo tempore ad homines assuescat, cum tamen cætera fere mansuefiant. Et quidẽ hoc ipsum de impuræ carnis uoluptate dici potest, alios enim turbidos animæ nostræ motus longa dies, & uirtutis vsus vel sedare, vel penitus componere solet, hęc autem pestis uix umquam sterpere, & mente, inficere definit. Et licet luxuria nõ sit ex maximis peccatis, nam ut ait *D. Thomas. 1. 2. quæst. 73. art. 5. & ibi Barthol. Medina.* Peccata carnalia sunt minoris culpæ, & malitiæ, quam alia, sunt tamen magis turpia & maiori infamia notanda; & quadam ratione libido maximum peccatum dici potest, quia hominem maxime detinet, & difficillime superatur, idq, propter concupiscentiam homini congenitã, cuius motus ualde importuni sunt, adeò ut *D. Isidorus. l. 2. de summo bono. cap. 39.* quem sequitur. *Lessius. l. 4. de iustitia. cap. 3. dub. 7. nu. 55.* dixerit, Magis per carnis luxuriam humanum genus Diabolo subdi, quàm per aliquod aliud peccatũ. Graues enim Dominæ, ait *Cicero lib. 6. de republica.* cogitationum libidines infinita quædam cogunt, atque imperãt, quę quia expleri, atque satiari nullo modo possunt, ad omne facinus eos impellunt, qui illecebris suis incenduntur. Neque id mirum, nam ubi animus se cupiditate deuinxit, mala necesse est consequi consilia. Itaque Illa est teste Sophocle omnium malorum origo,

Est orcus, illa ferrea est necessitas,
Furensque rabies,
Hoc moneo, vitate malum.

Luxuria est olla succensa, semperque insatiata, iuxta illud *Iuuen. satyra. 6.*

Et lassata viris, numquam satiata recessit.

Vnde & Xerzes eo usque luxuriæ catena detinebatur, ut edicto præmium ei proponeret, qui nouum uoluptatis genus reperisset, teste *Val. Max. l. 9 c. 1. de luxuria. Graffius. cons. 1. de adult. & stupr. nu. 11. Io. Coch. lib. 5. Polit. capit. 12. Symp. de Magist. p. 2. figno. 9. Hilar. Bessens, & Stap. in domen. 2. post Pent. Holchot. super Sapientiam. lect. 6.*

Porro exploratũ iuris est, luxuriã ex genere suo peccatum esse mortale, nam ab *Apost. ad Gal. 5.* ponitur inter opera carnis, quæ qui agunt, Regnũ Dei nõ consequẽtur. Quod & ratio docet, quia est peruersus excessus in re graui, nempe in humana generatione ad speciei cõseruationem ordinata, & ideò maxime ad commune bonum necessaria, si iuxta rectæ rationis normam ordinetur: quandoquidem ex *D. Augustino. in lib. de coniug. bono. cap 16.* Quod est cibus ad hominis salutem, hoc est cõcubitus ad generis salutẽ. *D. Ant. 2. par. tit. 5. cap. 1. Val. 3. tom. disp. 9. quæst. 3. puncto. 3. Lessius. l. c. dub. 5. Reginal. lib. 22 cap. 3. num. 15.*

Et quamuis unum sit peccatum, diuersas tñ species sub se complectitur, & uarias circunstantias in se cõtinet, nempe fornicationem, stuprum, raptum, adulterium, incestum, sacrilegium, & uitium contra naturam. Ideo Confessarius cum pœnitens de luxuriæ peccato se accusat, cuiusnam speciei sit, interrogare dẽt. At vt Rom. Catechismus *super sexto Decal. præcepto.* admonet, In hac materia explicanda

canda cautum, & prudētem esse eum oportet, hocque solicite agere, vt rem tectis verbis commemoret, vt pote quæ moderationem potius, quàm orationis copiam desiderent; nam quia homines cōmuniter magis in peccato carnis, quàm in alio inuoluti reperiuntur, tam Confessario, quam pœnitenti in illius interrogationibus multum immorari periculosissimum est, prout etiam aduerti; *supra tract. 5. cap. 9. quæst. 73. & infra tract. 7. cap. 23. q. 99.*

QVAESTIO LV.

QVAENAM SINT LVXVRIAE SOBOLES.

CVm hoc vitium nō solum mortale, sed etiam capitale dicatur, quoniam ex eo tāquam ex fonte, ob venereæ delectationis tyrānidem, multa alia vitiorum seges oriatur, quæro quæ sit eius soboles, seu quænā, & quot sint eius filiæ? R. Duodecim, videlicet cœcitas mētis, præcipitatio, inconsideratio, inconstantia, amor sui, odium Dei, affectus præsentis sæculi, & horror futuri. His internis, & mortalis militiæ, & grauia salutis consequendæ impedimenta præbentibus, aliæ quatuor externæ adduntur, scilicet turpiloquium, scurrilitas, sermo ludicrus, & stultiloquium. *D. Thom. 22. quæst. 153. art. 5. Azor p. 1. lib. 4. cap. 36. Tol. lib. 8. cap. 55. Sayrus in clau. reg. l. 8. cap. 1. Berard. in summa Corona. p. 1. tit. de luxuria.* Quippe, vt morales Philosophi obseruant, luxuriæ sunt desideria viscosa, quia ex suggestione oritur cogitatio, ex cogitatione affectio, ex affectione delectatio, ex delectatione consensus, ex consensu operatio, ex operatione cōsuetudo, ex consuetudine desperatio, ex desperatione peccati defensio, ex defensione gloriatio, ex gloriatione damnatio. Luxuriæ currus, vt ait *D. Bernar. super cant. serm. 39.* quadriga voluitur vitiorū, ingluuie scilicet ventris, libidine coitus, mollitie vestiū, otij, soporisque resolutione, vt proinde indurandus sit animus, & infœlicem exitum cogitando, ab eius blandimentis procul abstrahendus, &c.

QVAESTIO LVI.

QVID SIT MENTIS CAECITAS & quæ mala inferat.

QVid est cœcitas mētis? vel quid ea importat? R. Intellectus obnubilationem, & recti iudicij perturbationem, iuxta illud *Osea. cap. 4.* Fornicatio, vinum, & ebrietas, auferunt cor; sunt enim omnes luxuriosi excordes, cæci, & amentes, totam mentem ad res carnales applicantes, & à spiritualibus penitus abstrahentes, ita vt nec animæ suæ periculum, & damna, quæ ex hoc vitio procedunt, nō videāt; carnales etenim cupiditates quibus voluntas peccando obsequitur, ad instar stercoris hirundinis, quo obcæcatus est Tobias, sic intellectum obnubilant, vt malum bonum dicat, & bonum malum appellet, & in summam animæ perniciem tenebras lucem ponat. Hucque spectat statua illa Veneris adeò à veteribus celebrata, ex ebore, & auro confecta, quæ testudinem altero pede pressam tenebat; nā & si multi hoc symbolum ad mulierum recollectionem, & silentium, solitudinemque referant; attamen huius picturæ intellectum venari poterimus, si ipsius testudinis naturam attendamus; cum enim in alijs animalibus cor vitæ principium sit, ipsa sine corde viuere traditur. Quid est ergo Venerem pede testudinem calcare, nisi innuere, illos quos Venus vincit, & conculcat, excordes esse, & ab omni sapientia, & intellectu alienos, ac quasi fœdissimas testudines in cœno voluptatum suarum perpetuò vitā degere; sic namq; dictū fuit senibus, qui in Susannā exarserāt; Species decepit te & concupiscentia subuertit cor tuum. *Dan. cap. 13.* Vt propterea etiam facile dignosci possit, hoc uitiū hominibus contemplatiuæ uitæ deditis ualde perniciosum esse, ac Rectoribus, Gubernatoribus, Regibus, Principibus, Iudicibus, Scholasticis, Cōsiliarijs, Doctorib. Parochis, ua de docere, & his, qui maxime intellectu, & prudentia utuntur. Quare non iniuria antiqui vates, & Philosophi Mineruam prudentię, & literarum Deam, atque musas disciplinarū præsides, virgines esse uoluerunt, ut ostenderent, Veneream uoluptatem ingenijs, prudentiæ, & disciplinis impedimento esse. Vnde & *Marsilius Ficinus in tr. de triplici vita.* Venerē inter præcipuos studiosorum hostes annumerat. *Tol. l. c. Didacus Vega super Psalm. 2. pœnit. concl. 6. Lessius d. dub. 5. Aldrouandus de Quadrup. l. 1. tit. de mulo. Iustinell. de Castit. p. 1. cap. 12. & seq. Iustini super Tob. cap. 6. vers. 17. in dot. Tiraq. l. 15. Connub. num. 60. & seq. Gul. à Monte Laud. in Clem. 1. tit. de Magistris. Ioānes Caccialup. in tract. de modo stud. docum. 1. & dixi in Comment. de hum. vit. stat. p. 2. cap. 11.* Propterea admonent, D.D. ut quamquam omnes uirtutes sint dona Dei, ideòque ab ipso poscēdę, pręcipue tamen flagitanda sit continentia, quippe quæ singulari plane Altissimi robore conseruatur; reliquæ enim perturbationes, & si partem quandam humanæ rationis obnubilent, ne uerum discernere possimus, non tamen prorsus, ut libido, excæcant. Et quamquam ad Dei Ti bonum pro huius doni consecutione confugiendum sit, maxime nihilominus in necessitatis articulo, cum in ipsius tentationis conflictu uersamur, ne infeliciter succumbamus, id facere tenemur. *arg. D. Thom. 22. quæst. 147. artic. 3. & Nau. consil. 3. de pœnit. & remiss. Syl. Tab. & Armil. & Sà v. oratio.*

QVAE-

QVAESTIO LVII.

Quid praecipitatio, et inconsideratio significet.

QVid significat præcipitatio, & incõsideratio? R. Sicut luxuria per mentis cæcitatẽ animã ad rerum spiritualium considerationem ineptam reddit; ita etiam ad consultandum de recte uiuendi medijs, præcipitationem, & ad iudicandum de uijs ad æternam salutem conducẽtibus inconsiderationem parit. Sic uidemus eos, qui cæco, & impuro amore capti sunt, de rebus agẽdis, ut eas ad debitum finem dirigant, sibi consulere non ualere, & propter incontinentiam honestis alijs spretis conditionibus, cõcubinas despõsare, animi leuitate se abijciẽtes, ut inhonestũ amorem persequantur. Alios cernere licet ob amoris obcæcationẽ uxores plebeias, & proprio statu indignas ducere, eas dotantes, & proprio nobili sanguini, & familiæ notam inurentes, & propter consilij defectum in multa mala se præcipitare, vt non sine causa dicatur, Amor formæ rationis obliuio. Et quid deceat non videt vllus amans. *Mascard. de probat. vol. 1. concl. 61.* Hinc infinitæ prodeunt blasphemiæ, dum insanus amator sacrilego ore quã amat, uel Deam, vel idolũ cordis sui, cui se totũ dedicat, vocat: additq; nihil ea dignius, aut diuinius inueniri, nihil in terra formosius, in mundo nil optabilius, vt nõ abs re apud Euripidem Ecuba Veneri exprobret, quod amentiæ sit Dea. Sic *D. Thomas. 22. quæst. 53. art. 1. & 2.* dum triplicem imprudentiæ speciem cõstituit, præcipitationem, inconsideratione, & inconstantiam ponit, & ait, præcipitationẽ esse, cum quis per voluntatis, & passionis impetũ, in operationem sine memoria præteritorum, intelligentia præsentium, & futurorum prouidẽtia temere fertur. Quatuor sanè prudentiæ nouercæ in rerum agendarum deliberationibus sunt vitandæ, præcipitatio, affectus animi, pertinacia, & vana ineptia, seu arrogãtia: Præcipitatio namque improuida, & cæca est, & non recte deliberat; siquidem qui cupit, & festinat, male rem absoluit, iuxta illud,

Consilio adde moram, præceps sententia fallit,

Et vt admonet. *Calixtus. I. in cap. ponderet. dist. 50.* Tẽpore egemus, vt aliquid maturius agamus, nec consilia, & opera nostra præcipitemus. Et certũ est, quæ præcipitanter fiunt, infelicem exitum sortiri, Nec enim mentitur adagium, Canis festinus cæcos parit catulos. Affectus excæcat, pertinacia bonis cõsilijs portã occludit, & fumus arrogantiæ quamcunque deliberationẽ ingreditur, eam sine fructu dissoluit, & omnia quã aspirat, inficit. *Tympius in spec. boni Mag. signo 38.*

Ex hac filia alia huic affinis sequitur, scilicet inconsideratio; qui enim hac luxuriæ pice inficiuntur, iudiciũ amittunt, multis periculis, cum lethali animæ reatu se exponentes, vt suas fœdas voluptates assequantur, vt patet in illis senibus luxuriosis, qui Susannã deperibant, nã auerterũt sensum suum, vt non recordarentur iudiciorum iustorum. *Daniel. cap. 13.* Qua ratione Poetæ ipsum Cupidinem cæcum finxerunt, non solum quia libido oculis corporis noceat, sed quia rationis lumen obscuret, & homines cæcos, præcipites, & hallucinantes efficiat. *Tiraq. l. 15. connub. num. 62. & de temp. pœnis. causa 4. Farinac. eodem tract. quæst. 98, causa 13. Clar. S. fin. quæst. 60. vers. est amor.*

QVAESTIO LVIII.

Quid sit inconstantia alia luxuriæ filia.

QVid est incõstantia alia libidinis soboles? R. Est recessus à bono proposito; nã qui rebus uenereis implicãtur, adeò ab impetu bullientis luxuriæ impediuntur, vt sæpe qd proposuerãt, retractẽt, quò fit, vt in omnib. suis decretis incõstantes appareant; & si enim sæpe aliquid boni agere deliberẽt, difficultatis tamen, & asperitatis quadã specie deterriti, quando animus sibi executionem imperare debet, statim retrocedunt, vt satis aperte. D. August. suo exemplo ostẽdit. *lib 8. confess. cap. 5. & 11.* Quatuor sunt, quæ hominem instabilem, & inconstantem reddunt, ita vt facile à virtute desciscat,

Primo, peccati præsertim luxuriæ fœditas, cum eius cor sit sicut pila, quæ de vno ad alium locũ depellitur; & sicut gallus super pinaculum templi, qui cuilibet vento se vertit. Vnde *Iob c. 27.* Tollet eum vẽtus vrens, & auferet, & velut turbo rapiet eum de loco suo. Et fit ẽt sicut auis in cauea, quæ quiescere nõ põt, sed modo huc, modo illuc discurrit. Hinc Seneca, Ecce uagaris, inquit, & de loco ad locum inquietaris. Ægri animi est ista iactatio. Hinc & *Minos in Emb. 83. Alciati.* Qui sunt, inquit, ingenio lubrico, & inconstanti, mentẽ suam ab honesto quodam suo instituto uitæ dimoueri facile sinunt; sic enim cum non leui damno cæptis rebus abstinent, easque penitus deserunt, uel tricis alicuius litis, uel illecebris amasiæ alicuius, uel meretricij amoris; idque refert nauis, quæ remora minutissimo pisciculo sistitur. Hirundines quoque propter leuem uolatum, superbiam, luxuriã, incõstantiamque significant, quorum uitiorum immunditia instar hirundinei stercoris confestim eos, quibus dominatur, execæcat, quasi enim nido hirundinũ suppositus dormit, qui leuitati, lasciuiæ, ac superbiæ mentem incautus subijcit, ut ex Beda ait *Aldr. de auibus lib. 17. tit. de hirund.*

Secundo,

Secũdo, instabilem reddit stultitiæ cæcitas, omnis enim stultus uolubilis est, iuxta illud Sapientis verbum, stultus sicut luna mutatur. *Eccles. cap. 27.* Quid est Sapientia? ait idē Seneca, respondit, idem velle, & no lle, stulto nihil constat, nihil diu placet.

Tertio, impatientiæ feritas, omnis namq; impatiens instabilis est, & vt dicit *Boetius. in lib. de consolat.* Quis est tàm felix, qui cum dederit impatientiæ manus, statum suum non opqrteat mutare?

Quarto, præsumpta securitas, vel defectus timoris, siquidem Dei timor hominem stabilem reddit, sicut anchora nauē tenet, ne mergatur Scite Ioannes Scholasticus hominem qui modo risui indulgeat, modo luctui, modo temperantiæ vacet, modo voluptatibus implicetur, cancro æquiparauit, nūnc retro, nunc in trāsuersum gradiēti, mitaque uitam suam inconstantia traducenti; isque sapiens vit de eiusmodi ingenij profectu nihil sibi pollicetur, qđ ad vllam sit vmquam frugem peruenturum. *Pierius in hieroglyph lib. 28.*

Porro inconstātia, & mutatio boni propositi est peccatum mortale, si quis ex voto, vel præcepto tenebatur, & materia sit grauis, vt tum quis religiosum institutum deserit; si vero sit leuis, veniale. At si nullo præcepto astringebatur, mutatio propositi nulla erit culpa, nisi forte id ex inordinata aliqua passione fiat: in quo casu venialis culpa subesse posset, vt recte ait. *Caiet. in summa. in v. Inconstantia, & Lessius. lib. 3. cap. 2. dub. 49.* Inter miserias autem quas primus noster parens Adamus peccando in humanū genus inuexit, esse etiam inconstātiam ostendit. *Combrec. l. 1. de peafect. c. 19.* cum ait, Quò ad morbos animi, primum locum sibi vendicat inconstantia quædam, instabilitas, & mollities animi, qua fit, vt non possit quispiam in rebus arduis constans persistere, iam vult, iam non vult; vna eademque voluntas, perpetua pugna, ac contentione discinditur. Res cæteræ siue superiores, vt Angeli, siue inferiores, vt pecudes, semper idem volunt, aut nolunt, bonum persequuntur, malū fugiunt, homines vero rem eandē modo volunt, modo nolūt, &c. Quare vt etiam obseruat. *Iustin in Tob. de superbia cap. 11.* Verissimū quoque illud Iob apparet, quod homo numquam in eodē statu permanet, nam quò ad corpus cōtrarijs semper impressionibus, vicissitudini temporis, ętatis, ac cęterarum rerum subiectus manet. Quòad animum vero mirum est, quanta sit eius incōstantia, nunc genuflectit Baal, nunc Deo, nunc pietati, nunc vitio procumbit, passim studia, & actiones mutat, & stare loco nescit, ita vt nemo sua contentus sorte viuat, laudet diuersa sequentes. Perpetua etiam consuetudine his technis aduersus hominē utitur Diabolus, ut homo in assumpto statu non persistat, & in anxias animi augustias redigat. *Bisfeldius. de tentat. cap. 9.*

QVAESTIO LIX.

QVID SIT AMOR SVI, ET ODIVM Dei alia luxuriæ filia.

QVid est amor sui, & odium Dei, aliæ filiæ luxuriæ? R. Est cum homo in delectatione rei venereæ inebriatur, & amore concupiscentię se inordinate diligit, vt etiam propriam vxorem, & filios cōtemnat, quò sibi soli complaceat, & proprio genio indulgeat. Et cum Dæmon hominum species, & simulachra in mentes imprimat, vt voluntates in turpes, & illicitos amores accendatur, illud posse a euenit, quod dici solet,

Quisquis amat ranam, ranā putat esse Dianam. Siquidem vt ait *D. August. de singul cler.* libidini nulla deformitas, nulla despectio obsistit, cui Diabolus pingens speciosum facit, quidquid fœdū, vel horridum fuerit. Et quia homo luxuriosus cognoscit hęc à diuina lege prohiberi, sequitur sexta filia, scilicet odium Dei, nollet enim hæc extare præcepta, vt magis corporis voluptatibus vacet. In vtraque hodie India tàm orientali, quàm occidentali, & Insulis Iaponicis, multi Reges, ac Principes hãc vnam ob causam, ne plures vxores, vel concubinas habere desisterent, ad Christi leges amplectendas, vel nō accesserūt, uel serius accesserunt. *Teste Stap. in 2. dom. post Pent. & Institutio in triumpho Castitatis. p. 1. cap. 32.*

Vt etiam hoc omittam, per hoc vitium libidinis hominem in fide naufragium pati. Quod Lutherus tā multos habuerit sectatores, nō alia est ratio, quā quod ea docuit, quæ carni; & sanguini in primis arrident. Qui relicto animi cultu, voluptati corporis se dedere, grauati vitiorum farcina, non quibus se explicent, vitamque corrigant, sed quæ cœptum iter approbent, ea dogmata facile imbuunt Neque inquinatis mentibus solamen vllum valentius, quàm totum extingui hominē morte opinentur, vna salus desperanti Cœlum Inferos nō timere. *Æneas Syluius, qui postea Pius II. dictus est; in hist. Bohem. cap. 59. Surius in Comment. rerum gest. in orbe fol. 114 Lact. Firm l. 2. de orig. err. Vtius & Pegna in 2. par. Comment ad Direct. Inquisit. cap. 1.* Inter peccata, ex quibus hæresis lucem nasci solet, carnis cōcupiscentiam potissimum locum tenere asserit, ita vt sicut ex ea uitia omnia manāt, sic impietas aduersus Deum insurgat, &c. *D. Ambros. ac Seuer. Sulp.* referunt, In inuentione Sanctæ Crucis marmoream Veneris statuam in Crucis loco à gentibus collocatā, ut Christi Domini Passionis memoriam tollerent, quo significatur, carnis uitium à mortalium mentibus religionem, ac Dei cultum auferre.

QVAE

QVAESTIO LX.

QVOMODO AMOR PRAESENTIS VITAE, horror futuri saeculi, & desperatio ex luxuria nascuntur.

QVomodo amor præsentis uitæ, horror futuri sæculi, & desperatio ex luxuria nascuntur? R. Et si homo luxuriæ deditus nouissima credat, eatamen tanquam sus libidinis immersus, bonum sibi esse censet in huiusmodi uoluptatibus permanere, ideo numquã necsenescere, nec mori nellet, ac proinde amor præsentis sæculi ex ea consequitur. Et quia scit hoc fieri non posse, quandoquidem *Debilis, & fortis ueniunt ad limina mortis,* & certo scit post mortem in malarum nostrarũ actionum nos necessario manere iudicium, horror futuri sæculi eius mentem occupat. Hinc nemo magis mortem horret, quàm uoluptuarij homines, iuxta illud *Sapientis. c. 41.* O' mors, quàm amara est memoria tua homini pacẽ habẽti in substãtijs suis, &c. Vnde etiam cum morbo laborant, magis in medicorum opera, quàm in Deo confidũt, & quia se totos humanis, & sepe illicitis applicãt remedijs, ideo Deus sicut Asæ Regi fecit, mortẽ, quam nimis formidãt, immittit, ita ut & animi, & corporis unus & idem sempiternus sit interitus. Hoc peccatum maximam habet ad creaturam cõuersionem, & à Deo auersionem, cum creaturæ, quam fœde amat, adhęreat. Non sic uisco auiculæ frondibus irretitæ, ut auolare nequeant, sicut libidinis usus hominẽ carni immergit, ne cum Deo, uel spiritualibus rebus aliquid commercij habeat. *D D. in domenica 2. post Pent. Chanasius de perfecta prud. l. 1. cap. 3.* D. Augustinus. *lib. 16. Conf. c. 16.* fatetur, nullum fortius sibi fuisse retinaculum à præcipitio, & gurgite carnalium uoluptatum, quàm mortis, & iudicij recordationem, nam sicut sanguisugæ carni adhærẽtes admoto cinere auelli dicuntur, ita ueras sanguisugas illas, atque hirudines, fœdas, inquam, uoluptates, cineris, ac mortis consideratione homo facile excutit: quam proinde à fideliũ mentibus, ne ad Deum conuertantur, Diabolus abolere nititur. Cum Sanctimoniales sub instituto sanctæ Claræ militantes ab Hæreticis è Ciuitate Gebennensi expulsæ fuissent, in quandam Sabaudiæ urbem, quam Catholici incolebant, sese trãstulerunt, una tamen earum Dei iudiciorum, & nouissimorũ oblita, maluit cum perditissimo quopiam, qui monasticam uitã abiurarat, matrimonium inire, quàm patriæ dulcedine, & fœdi uoluptate priuari; sed perditionis filia digna factis mercedem accepit, sacrilegus enim eius maritus, uotifragus eam postea uiuam decoriauit, diuinæque iustitiæ executor fuit. Ecce ergo in quos laqueos, & in quibus miseri se inuoluantur, qui in hoc ultio callum obducunt. *Io. Bened. in summa peccat. lib. 2. cap. 7. §. 2. Dant. tom. 4. capit. 7. tit. 71. exemplo. 4.*

CAP. XIII.

QVAESTIO LXI.

QVOMODO TVRPILOQVIA, ET SCVRrilia ex luxuria gignantur, &c.

QVomodo ex eadem luxuriæ parente externę illæ soboles oriuntur, turpiloquia, scurrilia, ludicra, stultiloquia? R. Cum ut ait Dominus in *Euang. Matth. cap. 12.* ex abundantia cordis os loquatur, & illud

Impurus sermo impuri pectoris index,

& animus talis præsumatur, qualem uel uerba, uel facta ipsa declarant, ac uoces sint signa earum, quæ sunt in anima passionum. *Dec. in l. semper in stipulationibus ff. de reg. iur. Menoch. l. 6. de præsumpt. præsump. 35.* ideo cor hominis luxuriosi per turpia uerba proditur. Et sicut fœdi homines obscœnis uerbis delectantur, quibus Venerei actus exprimatur, ita etiam alijs scurrilibus eodem & si remotius pertinentibus, uti, hisque risum mouere student. Nec solum parũ honestis, sed etiam ludicris alias indifferentibus, quæ ad iocos pertinent, impensius delectãtur. Vnde uidemus quosdam libidini addictos, ea ex causa ex uarijs libris turpes, & ludicras cantilenas colligere, quas in promptum habeant, dum cum alijs uersantur, & uerba sacræ scripturæ ad iocosa, & inania trahere; cuius sceleris patratores per Episcopos grauiter coercendos iubent *Tridentini. Patres. sess. 4. in fine. Azor. p. 1. lib. 8. cap. 2. quæst. 4. Farinac. de hæresi. quæst. 178. num. 52.* Postremo stultiloquium ex ea consurgit, mens enim libidine cæca multa stulta, ac à ratione aliena temerè effutit, qualis sit manifestans: quandoquidẽ si uas aliquod balsamum, uel liquorem aliũ grati odoris continent, ut eius suauitas, & fragrantia percipi possit, illud aperire oportet, ore enim aperto odor inde prodit, ac qualis, ac quantus sit, tunc facile sentimus: sic quid homo interius contineat, oris apertio demonstrat, si honestus scilicet, uel lasciuus, si prudens, uel imprudens, si sapiens, uel ignarus, si uirtute, an uitio præditus, ex eius uerbis dignoscimus. Vnde cum cuidam magistro ex antiquis sapientibus erudiẽdus puer traderetur, ille pueri ingenium ac mores [illegible] loquere puer, inquit, more nimirum medicorum, qui infirmi linguam exhiberi præcipiunt, ut ex ea morbi intentionem, aut remissionem, malitiam, aut benignitatem percipere ualeant; sic ille ut iudiciũ de adolescente illo edere posset, eius linguã prius consuluit. Exteriora enim

indicant

indicat interiora, & nihil est in voce, quin prius fuerit in mente. *l. Labeo ff. de supel. leg. Tasch. v. loquendum. concl. 443. Lab. in v. lingua. vt inf. etiam quæst. sequenti attingemus*. Huc referri potest impudicarum rerum lectio, qua lasciui homines apprime delectantur; sicut è contra sacrā, & piam lectionem vt pote contra incontinentiam antidotum, & amuletum, auersantur, dicente. *D. Hier. in Epist. ad Rust. Monachum*. Ama scientiam scripturarum, & carnis vitia non amabis, est enim hæc expultrix vitiorum, mater virtutum, deuotionis fomentum, & omnis perfectionis origo.

QVAESTIO LXII.

AN TVRPIA VERBA LOQVI, VEL audire sit peccatum mortale.

AN verba turpia dicere, vel audire in solutis homnib. sit peccatū mortale? R. Turpia, vel inhonesta loqui ex quadā leuitate, nō gratia venereæ delectationis captandæ; sed cuiusdam vani solatij, vel ob aliam vanā causam esse tm̄ veniale culpam, quia aliqua grauis inordinatio non apparet, nec finis intentus, ex cuius malitia culpa metienda est, peccati venialis metas excedit. Idem dicendum de cantione, ac auditione turpium, ac gestibus ob eandem solum vanitatem effectis, quia eadem est omnium horum ratio. Non tamē inficiarer, illa turpiloquia, cantiones, vel exteriores gestus parum honestos mortiferam malitiam induere posse ob præsentem veneream delectationem, quæ de his percipitur, ac proinde eos, qui de rebus turpibus locuti sunt, non solū teneri in Confessione exprimere sermonis qualitatē, vtrum scilicet sermo de turpibus rebus institutus esset circa coniugatos, solutos, vel de nefando vitio, &c. sed et debere conditionē personarū astantiū & colloquētiū aperire, vtrū. s. essent pariter solutę: coniugatę, vel voto castitatis astrictę & cætera huiusmodi. Item ratione scandali per accidens peccatum lethale gignere posse, vt cum audientes sunt spiritu debiles, & verba, cantus, vel gestus, sunt valde lasciua, quia loquēs credere debuit audientes ad culpam luxuriæ, seu desiderij, aut cogitationis inducendos esse, cum turpiloquia ex genera suo Venerē fouere, ad eamque valde excitare soleant. Scitus est ille Menandri Senarius à Paulo 1. *ad Corinth. cap. 15. vsurpatus, & à Cathechis. Rom. super 6 præceptum*.

Corrumpunt bonos mores colloquia praua.

Cui alludit *Bap. Mant.*

Verba mouent animos, oris lascinia pectus
Pulsat, & in venas semina mortis agit.

Qua ratione dici posset, licere aliquando Episcopis varijs circūstantijs perspectis, turpiloquia sibi reseruare, & huiusmodi peccata ab inferiorum Confessariorū iurisdictione subtrahere, vt infra *tr. 15. c. 7. q. 10*. Et sicut Iuristæ dicunt, in humanis cōuentioni bus formulas contrahēdi quatuor esse, vt qs obligetur, aut re, aut verbis, aut literis; sic crimina vel aliquando grauia totidē modis contrahuntur, re, verbis, literis, & consensu. Hinc *Arist. in 7. Polit. c. 17*. Omnino, inquit, obscœnitas verborū si quidquam aliud per legislatorem de Ciuitate exterminanda est. Et Romuli Decretis qui coram feminis obscœni quippiam dixisset, non secus ac homicida puniebatur. Nostris vero legibus, qui turpibus verbis coram fœminis vtitur, licet aliàs earum pudicitiam non tēret, iniuriarū tenetur. *L. itē apud labsone § qui turpibus ff. de iniurijs*. Itē *B. Laur. Iustin. l. de ligno vita. cap. 5*. Alliga, inquit, ò homo, qui cōtinentiam custodire moliris, sermonem tuum, ne luxurietur, & in turpiloquia peccata sibi colligat, vnus namq; sermo facile mentem polluit, & propere agitur, qđ libēter auditur. Sane castus, beneq; educatus animus huiusmodi turpibus narrationibus vnquam sciens delectabitur, illo Apostoli dicto admonitus *ad Ephes. 5*. Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut auaritia non nominetur in vobis, sicut decet sanctos, aut turpitudo. Perditæ quidem mentis est, & suillæ immunditiæ similis, & nedū Christiano, sed etiam politico, & ciuili homine indiguæ, os suum turpiloquio cōmaculare. Vt mirū nō sit, si D. Bernardinus Senensis adhuc laicus adolescens turpium colloquiorū acerrimus hostis, homini alias ex honesta familia nato, & sanguine claro, cum nescio quid turpioris verbi illo præsente recidisset, ita indignatus fuerit, vt audacter illi insignem alapam impegerit, vt apud *Surium in eius vita. tom. 3*. Hominis præsertim iuuenis ingenium non tàm in vultu relucere solet, quàm in sermone: quod argute etiam indicauit Socrates, qui cum adolescētulus ad se venisset, vt ipsius indolem inspiceret, ei dixit, loquere vt te videam: nam sicut Protogenes Apellem ex vnica linea cognouit, numquam aliàs visum, ita ex vnico responso hominis ingenium à sapiente deprehenditur. Calisthenem adolescētem coram Alexandro Magno indecēret, & liberius loquētem Homerico carmine castigauit Aristoteles dicens.

Talia si loqueris, non multo tempore viues.

Musonius fontem & originem male viuēdi esse dicebat obscœna, & turpia loqui non refugere.

Nec prætereūdum Sacrosanctā Eucharistiā nos ore recipere, vt proinde nefas sit sermone illud fœdo polluere. Videte fratres ait. *S. Aug. serm. 215. de temp*. Si iustum est, vt ex ore christianorū vbi Corpus Christi ingreditur, luxuriosum canticum quasi venenum Diaboli proferatur. Sed & nostra verba minus esse pudica, quā Iudæorum dedecet, hi aūt

vt nas-

vt narrat Iosephus adeo à turpiloquijs abhorrebãt, vt & animalia valde sordida proprio vocabulo appellare horrerẽt, sed per periphrasim nefanda animalia vocabant. Atque ita de turpiloquij malitia loquentes docent. *D. Anton. 2. par. tit. 5. cap. 1. §. 8. Nau. cap. 16. num. 11. & cap. 14. num. 42. Graffius. l. 2. decis. aur. cap. 75. num. 9. Azor. p. 3 l. 3. cap. 25. quæst. 1. Sanchez. l. 9. de matrim. disp 46. num. 35. Fernandes. p. 4. capit. 2. §. 4. Bonac. de matrim. quæst. 4. puncto. 9. nu. 18. & de sacram. d. 5. quæst. 5. sect. 2. p. 2. §. 3. num. 21. Reginald. libr. 22. num. 8. Lessius. l. 4. cap. 3. dub. 8. num. 63. Tol. l. 5. cap. 14. Tiraq. lib. 16. connub. num. 30. Perald. in summa vit. & virt. tom. 2. cap. 22. & dixi infra tract. 7. cap. 23. q. 101.*

QVAESTIO LXIII.

AN OSCVLA, TACTVS, AMPLEXVS, chorea, comœdia, &c. sint licita.

QVid dicendum de tactibus, osculis, amplexibus, visu, chorea, comœdijs, & similibus? R. Primo, oscula, tactus, amplexus, & huiusmodi imperfecti actus, secundũ se nõ sunt peccata, quia honestæ amicitiæ gratia, vel secũdum patriæ consuetudinem licite fieri possunt, ex *D. Thom. 22. quæst. 154 art. 4.* Si autem ex carnali amore procedant, vel ad libidinem referantur, ad impudicitiæ peccatum spectant, etiam si carnalis copula non subsequatur: & absq; dubio, si deliberate fiunt, lethalem culpam secum afferunt. Quippe oscula pudicitiam violant, & libidinis, vt plurimum indicia sunt, & pro osculandi ratione fœdam voluptatem habere ostendit. *Theocritus in Eidyllo. 12.* vt proinde Antisidorensi concilio cautũ fit. *in c. monachi. de cons. d. 4.* ne monachi sibi compatres, commatres ve faciant, nec vllo modo fœminas osculentur. *Pet. Greg. Tolos. in Syntag. Iu. p. 2. l. 8. cap. 8. & p. 3. l. 36. cap. 12.* Nullus sensus ait, *Chauas. de prud. l. 3. c. 4. §. 9.* æque luxuriam accendit, & promouet, ac tactus, quia vt docet. *D. Thom. 22. quæst. 154. artic. 4.* Eius actus actui venereo cognatus, ac finitimus est. Nõ fuit satis Deo, primis parentib. esu arboris sciẽtiæ boni, & mali interdicere, nisi præterea eam non tangẽdi legem ferret. *Genes. cap. 3.* Quorsum id? nisi quia probe intelligebat, quãta dispositio hic contactus esset ad violandum quod traditum ipsis fuerat sanctum mandatum? Neque tamen isto solo nomine tactus & oscula vitio uertuntur, quod ad turpem copulam disponant, sed quod sint incohationes quædam illius fortissimæ, & uniuersum corpus uelut occulto quodam veneno commoueant. Mulieri non licet clericum percutere, attamen iura vsque adeo contactus omnes libidinosos detestãtur, ut casum excipi uoluerint, quo clericus eam fœdo contactu ad turpitudinem pelliceret. *Nau. cap. 27. num. 85. Tol. l. 1. capit. 33. Sayr. de cens. l. 3. cap. 27. nu. 24. & alij cẽiter.* Nec illud omittẽdum uidetur, eos qui per uim mulierib. luxuriosum osculum infigũt, in foro externo aliqñ ultimo supplicio plecti: *Bossius in Praxi. crim. tit. de extraord. crim. Frãchus Decis. 35. Farinac. de delict. car. q. 112. Tuschus v. osculum. concl. 207.* Item licet olim in sacris pro castæ dilectionis pignore, in osculo sancto salutatio fieret, quia tamen arte Diaboli abusus irrepserat, & aliquãdo libidinis turpitudo se immiscebat, merito à Sanctis Patribus hæc corruptela sublata est. *Baron. tom. 1. anno Domini. 45. num. 44.* Inter coniugatos uero etiam si huiusmodi actus ex Venerea delectatione fiant, nisi pollutionis extra uas debitum periculum accedat, ueniales agnoscuntur. At oscula pudica inter sponsos à mulris à peccato excusantur, modo impuritatis, uel consensus in copulam periculum non immineat. *Caiet. in verbo impudicitia, & DD. citati.*

Secundo, peccat mortaliter, qui recipit, uel mittit literas, aut dona turpis amoris causa. Et si Confessarius inueniat aliquẽ donis, vel literis in impurã libidinẽ duci, illum astringet, ut illa pauperibus tribuat, & literas comburat; quia huiusmodi luxuriæ memoriam renouare possunt. Idem dicendum de legẽtibus libros amatorios, de pingentibus turpia, ut Venerem, aut Adonidem detectis pudendis, &c. Et de his qui domi turpes imagines retinent, uel ẽt honestas, illius tamen, quã quis inconcesso amore diligit, ut illam in sua imagine semper præsentem habeat, videat, delectetur, &c. *Nau. cap. 23. num. 28 Graffius. lib. 2. cap. 78. num. 15. Philiarc. p. 2. l. 3. c. 9. Sayrus. l. 4. cl. reg. cap. 17. num. 2.*

Tertio, choreæ, & comœdiæ & si propter adiacentes circunstantias periculosæ sint, ex sua tamen natura illicitæ non sunt, si turpitudine careant, & debito tempore cum honestis personis fiant, ita vt & clerici secluso scandalo, & alio peccati periculo, si illis assistant, à lethali culpa excusentur, verum tamen est, ecclesiasticos debere ab huiusmodi nugis, & insanijs falsis abstinere. *cap. non oportet el. 2. de consf. dist. 5. Tholos. in Synt. Iu. lib. 39 cap. 5. num. 19. Sanchez. lib. 9. disput. 46. num. 41. Syl Tab. & Armilla in v. chorea. Reginald. d. lib. 22. num. 8. Bonac. q. 4. puncto. 9. num. 21.* De qua re videnda sunt quæ dixi *in Comment. de hum. vit. stat. & corũ obligat. part. 2, cap. 14. & supra tr. 1. cap. 8. quæst. 41.*

QVAESTIO LXIV.

QVAE REMEDIA IN PRAXI CONTRA luxuria peccata adhibere debeat Confessarius.

QVæ remedia in ptaxi adhibere debet Confessarius contra luxutiæ vitium? R. Cum luxuria

luxuria septem sub se species habeat, scilicet fornicationem, adulterium, incestum, sacrilegium, stuprum, raptum, & vitium cótra naturam, de quibus infra in sexto præcepto agemus. Supposito, solam, ipsam honestatis ratione à fœdo luxuriæ vitio abducere, sufficere debere, cum Philosophorum sententia, Tanta sit honestatis vis, vt omnis, vel pene omnis eius laude humana natura moueatur, nec vsque adeo sit vitiosa turpitudine, vt torũ honestatis sensum amittat. De cuius iure, & priuilegijs apud Iuristas extat tract. Benedicti Ægidij Lusitani, hoc inquam præsupposito, dico primo, septem occasiones in illud labendi remouendas esse: Si vis extinguere libidinem, ait Helinandus, subtrahe ligna foco, ligna vero non pauca sunt, his versibus comprehensa,

Otia, segnities, somnus, caro, fœmina, vinum,
Prosperitas, ludus, carmina, forma, puer.

Equidem, vt superius insinuaui, hoc vitium difficillime superatur, idque propter concupiscẽtiam homini congenitam, cuius motus maxime importuni sunt, adeo vt Valerius Maximus hoc blandum luxuriæ malum dixerit facilius accusari posse, quàm vitari. Et vt ait *Arist. lib. 13. de animalibus.* Infirmitas renum in homine laboriosæ & operosæ est sanationis; & quia in renibus dominatur voluptas, ideo moraliter renum morbus corruptæ naturæ languorem significat, qui difficillime admodum curationem recipit, mitigari siquidem carnis fomes valet, omnino citra mortem tolli nõ potest. Hinc D. Bernardus ait; Siue velimus, siue nolimus, Iebusæus iste in finibus nostris habitat, supprimi potest, extingui non potest. Ideò præcipua cura in eo collocanda, vt hoc vitium nos non vincat. Quippe Deus ex parte sua paratus est oẽs iuuare, vt re ipsa continentiam præstent, ac proinde in eorum potestate est, in actu secundo, illam obtinere, si ex parte sua collaborare, & idonea remedia adhibere voluerint; nam vt optime dicebat Seneca, Nihil est tàm arduum, & difficile, quod non humana mens vincat, nullique sunt tàm feri, & sui iuris affectus, vt non disciplina prædomentur; quodcunque sibi imperauit animus obtinuit. Præsertim quod si solum ex naturæ viribus castitatis virtus seruanda esset, aliqua trepidationis causa, tàm secularibus, quàm ecclesiasticis viris subesse posset, qui aliquando in continentiam suam ex humana infirmitate, ex naturæ inclinatione, ex occasionibus, & peccãdi illecebris metiũtur, sed res hæc ex illius virtute potissimum gerẽda est, qui omnia potest. Ne timeas inquit Dominus per Isaiam *cap. 41.* quia ego tecum sum, &c. Vt & docet. *D. Chrisost. hom. 63. in Matth. & D. Hier. in cap. 19. Matth. D. Aug l. 6. confess. cap. 11. Less. lib. 4. cap. 2. dub. 15 num. 111. Nau. in Comment. de Iub. cap. 17. num. 13. Bassus. de officio can. cap. 22.*

QVAESTIO LXV.

QVID PER OTIVM, ET SEGNITIEM innuatur.

QVid innuitur per illa verba otia, segnities? R. Vt homo ad luxuriam debellandam otiositatem fugiat. In prauis enim desiderijs est omnis otiosus. *capit. numquam. de cons. dist. 5.* Vbi Gloss. illa carmina in medium profert,

Quæritur Ægistus, quare sit factus adulter?
In promptu causa est, desidiosus erat.

Vnde Theophrastus interrogatus quid esset amor? respondit, esse animæ otiosæ affectum. Nec abs re Conachus Sicyonius statuarius Venerem effinxit sedentem, non aliam ob causam, nisi quod vita illa sedentaria, & otiosa, luxum, atque libidinem alat. Et vetus illa disciplina monastica otiũ vt Diaboli puluinar, sũma cura vitabat; ac celebre apud eam extabat dictum, Laborans ab vno, otiosus ab infinitis oppugnatur Dæmonibus. *D. Bas. in reg. breuir. quæst. 30.* quæstione proposita quodnam sit carnalis tentationis remedium? respõdet, Desiderium rerum meliorum. Item *D. Hier. Epist. 4. ad Rust. relat. in d. cap. numquam.* docet ex Philosophorũ sententia, Amorem veterẽ nouo amore, quasi clauum clauo expellendum, quarum autem rerum amore, & studio, otium, omnesq; carnales cupiditates excludi queant, ibidẽ prosequitur. Hispani etiam argute asserunt, Ianuæ clausæ Dæmonem terga dare. Nihil est omnino quod ab otio non cõsumatur, vel deterius fiat, Ignis si materia caret, circa quam se exerceat, extinguitur; aer nisi ventis agitetur, facile corrumpitur; aqua non currens vermes gignit; terra nisi aratro proscindatur, tribulos, & vepres producit; ferrum, & durissima quæque metalla si diutius conquiescant, rubigine absumuntur. Hinc Diogenes Amorem dixit otiosorũ esse negotium, quod hic affectus potissimum otio deditos occupet, quò fit, vt dum otio vacant in rem negotiosissimam incidant. Vnde dicendum videtur, quemlibet qui se ad libidinem pronum & in lapsum procliuem ob otium cognoscit, teneri illud sub mortalis reatu culpæ deuitare. *arg. eorum quæ ait D. Thomas. in 22. quæst. 147. artic. 3.* ab omnibus receptus præsertim à *Nau. consil. 3. tit. de pænit. & remiss.* nempe iure naturali illum ad ieiunium seruandum astringi, qui probabiliter credit, se à carnis tentatione victum iri, nisi illo se præmuniat. Quandoquidem quilibet ea remedia adhibere tenetur, quę ad propriæ animæ salutem conducere prudenter existimat; & omnia illa declinare, quæ eidem detrimentum allatura uidet.

CAP.

CAP. XIV.

QVAESTIO LXVI.

QVID PER SOMNVM INTELLIGATVR.

QVid p somnũ in illo versu intelligitur? R. Significat plus semper vigilandũ, nec hominẽ somno deditũ esse debere, nam vt ait Cato, Diuturna quies vitijs alimenta ministrat. Vere enim admonet. *B. Ephrem. de vita spirituali. cap. 76.* Quieti, & somno tantum tempus impende, quantum ipsa cogit necessitas; siquidem quies diuturna corpus emollit, & libidinis ignem accendit.

Somnus & vigilia, omnibus quidem animalibus, præcipue tñ hominibus ad naturam cõseruandam necessario conueniunt; nam & *Plutarchus. l. de educat. lib.* omnem nostram vitã in remissionem, & studium diuisam esse, naturamque non vigiliam modo; sed & somnum homini concessisse notauit. Est enim somnus

Pax animi, quem cura fugit, qui corpora duris
Fessa ministerijs mulcet, reparatque labori.

Gloss. in c. dolentes. ext. de celebrat. missarum. Et ex medicorum sententia, temperatus somnus, qui non ex crapula, vel superflua ciborum euaporatione cerebrum petentium producitur, spiritus in vigilijs resolutos instaurat, mœstitiam, & dolorem leuat, calorem stomacho subministrat, mentem purgat, totumq; corpus ad omnia peragenda renouat. Melior tamẽ est vigilia somno, & plus vigilare, quàm dormire oportet, cum multus somnus, nec corporibus, nec animis, nec rebus conficiendis conducat. Vt proinde dixerit. *Plato. l. 3. de legibus.* Quicũque viuere, & sapere cupit, maxime quàm longissimo tẽpore vigilet, sola sanitatis commoditate seruata; ad hanc vero non multo opus est somno. Hinc Homerus tàm frequens est in decãtandis laudibus vigiliarum, dum toties concilium Deorũ prima luce, & aurora, castitatis, & sapienriæ parente, habitum fingit. Et inter cætera eius carmina, quæ prouerbij vice quondam celebrata sunt, illud est præcipuum.

Haud dignum Duce id est, noctẽ dormire per oẽm. Admonens, vigilantiam, ac solicitudinem maxime Principibus, ac Rectoribus conuenire, vt qui rantã negotiorum sarcinam humeris sustineant; quod ẽt Ægiptij olim anguis symbolo significabant, vt per *Pierium l. 15.* O' miserrima multorũm condirio, ò infandum scelus, ad quos magis vigilare spectat, hos eò magis dormitare nõ piget. Insignis scriptor finxit somnum esse virum inter saxa dormienrem, penes quemquoque glires animalia plurimum somno dedita cernebanrur, ad innuendum, Superiores, & Rectores more glirium dormientes, sibi saxa adipisci, hoc est magnas, & ingentes difficultates ad sua, suorumque vitia, & pericula superanda, sibi creare. Item Palinurum à somno de naui in mare præcipirẽ datum referr, vt oẽs è somno præcipitium, & ruinam oriri, & somno nimis addictos fere morti coniunctos esse non ignorarent. Quod & regius vates illis verbis *Psalm. 12.* significauit, Illumina oculos meos, ne vnquã obdormiam in morte, ne quando dicat Inimicus, præualui aduersus eum. Somnũ mortis fratrem, & imaginẽ dicebant veteres, cumque aspernati sunt primi illi Anachoretæ, eo quod bonam vitæ partem abriperet, & ad bona opera inhabiles redderet; quare rogatus Arsenius cur tàm parcus esset in somno? respondisse fertur, satis monacho videri debet, si ei vna ad quietem hora contingat. D. Dominicus ut peruigilandi consuetudinem sumeret, uix umquã somno se dabat, nam dicebat, somnus somnum crear, & uigiliæ pariunt uigilias. Aristoteles etiam non somno indulsit, sed nocturnis lucubrationibus ænea pila utebatur, cui alrera manu compressa labrum subijciebar, ut si longa uigilia fatigatus obdormisset, strepitu cadentis pilæ expergisceretur, vt refert *Themistius. in eius vita.* Verum quia ex *Hippocrate. l. 2. Aphoris. c. 3.* Somnus, & vigilia medium tenere debent, utraque enim si modum excedant, malum, quod naturalis necessitas exigit, corpori tribuendum est. Et licet *Cassianus collat. 12. cap. 15.* quatuor horas sufficere tradat, rectius tamen medici septem horarum spatium humanæ indigentiæ quò ad somnum deseruire posse tradunt. *Barth. Traph. de conser. sanit. l. 3 cap. 11. Arnald. in Comment. ad regul. Salernit. c. 3. in fine. Scalab. in Mor. Pass. Mor. 21. cap. 1.*

Quos limites siquis sine causa excedat, eius immoderatus est somnus, qui corpus desiccat, & frigidum reddit, superfluitatibus, ac flegmatibus replet, ingenium hebetat, hominum inertem efficit, & libidinem fouet, ut propterea Cõfessarius pœnitenrem reprehẽdere debeat, & de culpa saltem ueniali à se admissa admonere, qui infelix tota quiescere nocte sustinet, & somnos præmia magna uocat. *Bonac. de legibus. d. 1. quæst. 3. p. 3.* Cuius etiam partes erant, illum instruere, quomodo studiose, & meritorie ad somnum capiendum accedat, ut scilicet uires ad Deo seruiẽdum, & pro eius gloria laborãdum resumat, ut iturus ad somnum semper in memoria, & cogitatione aliquid secum deferat, in quo placide & pie obdormiat, honeste, & composite in dextro & sinistro latere, numquam tamen supinus, & immodeste iaceat. *D. Bernar. ad fratres de Monte. D. Bona. in reg. nouit. cap. 7. Thomas. de Campis. l. 2. de discip. claust. cap. 11. Velatus. in Comment. ad Catonem, super illud Plus vigila semper. Holchot. super Sap. cap. 6. lect. 82.*

An uero, quę à dormientibus committutur, culpæ, uel uitio ascribenda sint, uide *Tiraq. de temp. pænis.*

pœnis, causa 5. Farinac. quæst. 98. causa. 12. Gou. in clem. 1. de homicid. Campanan Diuers. Iur. c. 11. rub. 11. cap. 23. Turrecrem. & Archid. in cap. testamentum. dist. 6. Clar. §. fin. quæst. 60. num. 13. Tusch. v. dormiens. concl. 716. Vbi tradunt, dormientem non delinquere, neq; si occidat, aut mutilet, irregularem fieri, cum amenti ac furioso æquiparetur, nisi esset in lata culpa, vt quia sciret in somnis surgendo sic solitum esse delinquere, nec ad id præcauẽdum debitam diligentiam adhibuisset.

QVAESTIO LXVII.

QVID PER CARNEM INTELLIGATVR.

QVid intelligitur per illud verbum caro? R. Vt qui caste viuere cupit, à carnibus quò ad fieri potest, abstineat. Tu carnem aduersus tuum spiritum armas, & potentem facis, cum eam carnibus satias, vino nimio inundas, omni mollitie palpas, ait *Orig. hom. 9. in Leuit.* Vnde *Apost. ad Rom.* 14. Bonũ est non manducare carnem, nec bibere vinum.

Nec quia carnes malæ sint, prohibentur, vt Pythagorici somniarunt; Pythagoras enim eo quod sentiret hominum animas post mortẽ in brutorum spiritus transire, à carnium esu se subtraxit, ne scilicet comedendo hominum animas absorberet, quarum vsum ceu immanem late prosequitur. *Ouidius. l. 15. Metam.* Sed laudabiliter abstinemus, eo quod carnis luxuriam gignunt, nam propter adipem, & pinguedinẽ, renes incenduntur, & ad petulantiam excitantur, ex *Galeno l. 6. de locis affectis.* Qua ratione carnis esus diebus ieiuniorum ab ecclesia interdicitur, eo quod maxime nutriat, & delectet, & ita quò plus ex eius comestione superfluit, eò magis in materiam seminis vertitur, cuius multiplicatio est maximum, & vehemens ad libidinem incitamentum. *D. Thom. 22. quæst. 147. art. 8.* Et quamuis pisces suas carnes habere dicantur, alias tamen ab eis habent, quarum vsum ieiunij tempore interdicit ecclesia, nam vt ait *D. Paulus 1. ad Corinth. 15.* Non omnis caro eadem caro, sed alia quidem hominum, alia vero pecudum, alia volucrum, alia autem piscium. Vnde & eo nomine carnium vsus monachis à iure canonico prohibitus est, nõ quod Dei creatura indigna iudicetur, sed quod carnis abstinẽtia vtilis, & apta Deo dicatis viris æstimetur, seruato tñ moderamine pietatis erga ægrotos. Quamuis etiam nonnulli religiosi ordines, vt Carthusiani, ob virtutis exercitium, & regulę obseruationem, vel infirmitatis tempore, ab esu carnium laudabiliter, & inculpate abstinent, &c. *cap. carnem. de consf. dist. 5. DD. in c. cum ad monasteriũ. stat. de monach. & in cap. denique dist. 4. D. Anton. 2. par. tit. 6. cap. 1. §. 1. Salon. Arragon. & Bannes. 22. quæst. 64 art. 1. Graffius p. 2. decis. aur. lib. 3. cap. 21. Salas de legibus disp. 11. sect. 2. Lessius. l. 4. c. p. 3. dub. 2. n. 12. Tholos. in syntag. Iud. l. 15. cap. 16. Molfes. tract. 10. c. 3. n. 26. Vict. in relect. de Temp. num. 8.*

Proinde Ægyptij Sacerdotes vt inuiolatam castitatem seruarent, à carnis & ouorum comestione ac salis, & vini vsu se continebant; Romani vero à capra, & faba, vt pote quæ luxum concitent, & corpus lacessant. *Teste D. Hieronymo cõtra Iouin. Præposit. & Gemin. capit. denique. dist. 4.* Venus fingitur mortui Adonidis genitalia lactucis recondidisse, vt moneamur, libidinem, turpemque voluptatem, moderatorum ciborum vsu coercendam esse; nihil enim ad illicitos motus cohibendos æque cõducit, quam temperata victus ratio. Eruca calefacit, Veneremque incitat, lactuca vero è cõtra ob frigidam sibi insitam qualitatẽ, illam reprimit. *Alciat. emb. 77. Iustin. in Tob. c. 4. vers. 13. doc. 7.* Corporis præliũ ab animi cũ Dæmonibus conflictu plurimum differt; in vno corporis robur requiritur; in altero debilitatæ corporis vires victoriam præbent. At si à consuetis cibis abstinendum est, quò Dæmonis, & carnis victores euadamus, quanto magis illorũ ciborum vsum vitare debemus, qui ad libidinem hominem stimulant, & quibus ad nos confodiendos hostibus arma præstamus? *Azor. p. 1. l. 7. c. 10. q. 2. Reginald. l. 4. n. 142. Molfes. tr. 10. c. 3. n. 32. & seq.*

Cum tamen post naturæ lapsum, esus carnium, & eorum, quę ab his sementinam originem ducunt, sit humanæ naturæ, eiusq; incolumitati valde conformis, & naturalis, adeò vt medici nil salubrius, quàm carnem & oua (quæ caro liquida dicũtur) in cibis ponant, homo christianus his temperata sobrietate, bono fine, & recta intentione vti poterit, vt sanior, & robustior ad officium proprium, & virtutis exercitiũ reddatur. Hinc *Theodoret. in Epist. D. Pauli. 1. ad Timot. 4.* recte ait eos cibos factos esse ad vsum, vt ij qui sunt eorum participes, ex eo sumant occasionem agendi gratias, & laudãdi eum, qui eos suppeditat. *Berard. in summa Corona de sacrificio missæ. num. 34. Val. tom. 3. d. 5. q. 8. p. 1.*

QVAESTIO LXVIII.

QVID INDICETVR PER ILLVD verbum vinum in carmine positum.

QVid innuitur per illud verbum vinum in carmine positũ? R. Significatur, ad castitatem custodiendam à uino cauendum, uini namque & cibi satietas sunt uera libidinis irritamẽta. Notum est illud Terentij in Eunucho, Sine Cerere, & Baccho friget Venus. Et teste Valerio Maximo, Proximus est locus à Libero Baccho ad inconcessam Venerẽ, cũ uinũ lac ipsius Veneris dicatur. Ideò *Paulus*

lus ad Ephes. cap. 5. Nolite, inquit, inebriari uino, in quo est luxuria. Est *Silius l.* 5. *belli Punic.* scribit, ebrietatem esse Veneris comitem, nam Venerem alloquens ait,

Ebrietas tibi fida comes.

Hinc Aristophanes uinũ, vt dixi, lac Veneris uocabat qđ ipsius usus sit ad luxuriam incitamẽtum, ac illecebra. Quare olim fœminis apud Romanos uini potus erat interdictus, & apud eos lex erat,

Si vinum domi biberit, vti adulteram puniunto.

Quibus uerbis ostenditur, mulierem uinosam, & adulteram eiusdem criminis ream esse, uelut alterum ab altero dependeat. Item apud Locrenses tulit legem Zeleuchus, ut siquis etiam uir uinum bibisset, nisi iubente medico causa sanitatis, mortis ferret supplicium. *D. Anton. 2. par. tit. 5. cap. 5. §. 3. Holchot super Sap cap. 2. lect. 20. D D. in ea crapula. ext. de honest. cler. D. Vincentius. Ferr. de vita spir. cap. 3. Tiraq. l. 9. connub. num. 208. Guttier. l. 2 can. qq. cap. 4. Iustin. cap. 4. vers.* 13. *doc.* 5. Quia tamen uini usus illicitus non est, cum in animæ iucunditatem sit creatum. *Eccles. cap.* 3. & sit ingenij fomes, prudentiamque augeat, ut ait *Alciat. emb.* 23. stomachum roboret, & digestionem adiuuet, qua ratione etiam in ieiuniorum diebus permittitur, & Apostolus Timotheo. 1. *ad Timot cap.* 5. permittit, ut propter stomachi debilitatẽ subleuãdam, modico uino utatur; idcirco uirtutis, & pudicitiæ cultor, ut & carnibus, sic & uino sobrie, & tẽperatè uti debet, iuxta illud Catonis præceptum, Vino te tempera, idest temperatum te effice, ut sis lætus, & citra luxuriam ualidus, & citra naturæ debilitatem sobrius. Bacchus uero Nimpharum filius olim fingebatur, ut ostenderent, quò sapientiæ locus esset; uinum aqua diluendum. Hinc illud conficiebant,

Lymphatum crescit, dulcescit, lædere nescit.

Nam caro nostra cum immoderato cibo, & calentis uini potu fouetur, concupiscentiæ uenenum, quod in se est, effundit, iuxta illud *Prouerb. cap.* 29. Qui delicate nutrit seruum suum, sentiet eum contumacem. Sicut, prout in Æsopi fabulis legitur, serpens rustico, quem in eius sinu calefactus momordit, respõdit. Ne me incuses, si proprietati meæ naturali inseruiam, sed tibi impuța, quod me calefecisti. *Bisfeld. de tentat. & earum remed cap.* 1. Vnde & Plato iuuenibus ob calorem feruentis ætatis nullum, uiris moderatum, senibus largiorẽ uini usum concedebat: nam & Aquilæ senectus dicitur in senes bibaces exprobratio, quippe qđ amissa edendi facultate, humorem assidue sorbillent, & uitam illa ope protrahant, ut proinde uinum lac lenum dicatur. *Tholos. l.* 39. *synt. In. cap.* 1. *num.* 15.

Cum uero Antiqui quatuor uini pocula distinguerent, primum ad sitim sedandam, alterum ad sobriam hilaritatem, tertium ad uoluptatem, quartum ad ebrietatem, primum tãtum ijs, qui caste uiuere uolunt cõcedebant. At uini immoderate poti mala, & noxas uide infra *tract.* 6. *cap.* 21. *quæst.* 105. *& qua supra adduximus. tract.* 4. *c.* 10. *q.* 82. *&* 85.

QVAESTIO LXIX.

QVID PER VERBVM FOEMINA indicetur.

QVid nobis indicatur per illud uerbum fœmina, quę inter proximas turpiter delinquẽdi occasiones numeratur? R. Nos admoneri mulierũ cõsortium, ac familiaritatem cane peius, & angue cauendam esse; mulier enim dicitur à mollicdo, ut & malleus, quia sicut faber per malleum emollit; sic Diabolus per mulieres uniuersam terram effæminat. Et inter alia, quæ castitatẽ labefactant, hæc tria sunt præcipua, fœminę aspectus, frequens cũ ipsa colloquium, & munerum hinc inde susceptio. Papilio iuxta candelam uolitans se comburit, sic homo circa mulierem sedens. Nulla securitas fœno, uel stupæ est iuxta ignem esse; sic nec homini secus fœminã. Item nix licet frigida tamen apud ignem liquescit; sic castitas colloquijs, ac familiaritate mulierum perit. Ferrũ durum, & frigidũ in igne mollitur, & quasi ignis efficitur, sic ferreas mentes ait *D. Hieron.* libido domat. Ex duobus lapidibus inuicem collisis excutitur ignis, & quid mirum, si ex uiri, & mulieris contactu ignis excitatur luxuriæ? Item licet murus non comburatur, à cãdela tamen iuxta se posita denigratur, &c. Vnde est illud Alexandri Magni à pophthegma, qui cum inuitaretur, ut Darij filias inuiseret, quæ admirabili forma prędicabantur, recusauit ire dicens, sibi non cõmittendum, ut cum uiros uicisset, à mulieribus uinceretur. Neque mirũ dissolutioris uitæ clericos, ait *Gisbert. de vita eccles. cap.* 37. luxuriæ flagrare ardoribus, vt qui otio, comessatione, perpotatione, mulierculatum conuersatione, naturæ calori, tanquam ignem igni, aut oleum camino addunt, atque huic teterrimo uitio fomentum, & quasi alimoniam ultro suppeditant. *D. Anton. par.* 4. *tit.* 4. *cap.* 6. §. 2. *Lexicon theolog. in v. mulier.* Si quando uero ea usa fuerit feminas uisitandi D. Hieronymi cautio seruãda erit, qui Nepotianum his verbis instruit. *Epist.* 2. Si per officium clericatus, aut uidua uisitatur, aut uirgo, numquam domũ solus introeas, solus cum sola secreto, & absque arbitro, uel teste, ne sedeas. Beatus Theodorus Studites moriens in testamẽto, in quo superstitibus filijs grauissima quæque mandari solent, hęc habet uerba, Nec solus colloquere cũ monacha, uel sæculari, nisi necessitas trahat, idq; cum duabus ab utraque parte personis astantibus, Vbi tria notãda sunt. Primo, solam necessitatem existimari

mari causam cum muliere colloquendi. Secundo, seueritatem præcepti de binis testibus ex utraque parte. Tertio, mādatum esse de monacha, ac de sæculari muliere, quia spiritualis uitę, uirginitatisque deuotio periculum, quod est à natura corrupta, nō tollit. Vere enim *D. Thom. in tract. de modo cōfitendi. D. & Bonau. in opusc. de purit. consc.* quibus subscribit. *Tiraq. de temp. pœnis. causa 51.* Nouerint, inquiunt, spirituales, quod licet carnalis affectio sit omnib. periculosa, & damnosa, ipsis tamen est magis perniciosa, maxime quando conuersantur cum persona, quæ spiritualis uidetur, nam quamuis horum principium uideatur esse purum, frequens tamen familiaritas domesticum est periculum, delectabile detrimentum, & malum occultum bono colore depictum, hæc illi. Et hic sufficiat illud præclarum pronuntiatū. *Bernardini Senensis tom. 4. serm. 20. de luxuria.* Mulieris corpus esse totum igneum: & bene eandem mulierem, uirumque sali comparasse, sal ex aqua est, iniiceaquæ, ad amicum sibi elementum redit. Alium molli oleo mulierem assimilasse, ignibus uirū, adde oleum ignibus, an flammas extingues? Ad memoriam etiam redigendum est, quod sapienter admonuit. *Ropertus Holchot. super Sap. cap. 14. lect. 166.* Quatuor esse, quibus totus mundus deceptus oberrat; decipitur enim. Primo, in præsumptione propriæ perfectionis. Secundo, in acceptatione nimiæ commendationis, & laudis oblatæ. Tertio, in simulatione columbinæ compositionis, cum iuxta Salomonem, Simulator ore decipiat amicum suum. *Prouerb. cap. 11.* Quarto, in delectatione fœmineæ affectionis, licet enim caliginosa dilectio, ut ait *D. August. lib. 2. confess. cap. 1.* & carnalis charitas multum delectet, molliat, ac eneruet, potissime tamen fęminarum, quę spirituales uidentur, conuersatio, constringit, ac decipit.

Nec illud omittendum, cohabitationem cum suspecta muliere, aut conuersationem cum probabili labendi periculo, mortalem secum afferre culpam, tùm quia scandalum debet omnino euitari, & spiritualis ruinę, temerarijq; iudicij ansa, proximo subtrahenda est. *capit. 1. de officio. leg. in 6.* tùm quia; Qui amat periculū, in illo peribit. *Eccles. c. 3.* nam licet occasio peccatum non sit internum, est tamen externum, quod animum obsidet, ab *Apostolo ad Heb. 12.* circunstans nos peccatum dicta. Hinc Vates regius. *Psalm. 118.* Deum deprecās ait, Viam iniquitatis amoue à me, hoc est, rogo Domine, ut non modo me à peccato liberes, sed etiam ab occasione peccati, quæ uia est ad iniquitatem patrandā. *Syl. in verbo clericus. 2. §. 4. Pet. Sot. de temp. Sacerd. lect. 4. Caiet. & Armilla. in verbo periculum. Maiol. de Irregularitate. l. 5. cap. 37. Henric. Boych. in cap. 1. de cohab. cler. & mul. Iustin. in Tob. cap. 4. vers. 13. doc. 31. Ægid. de iure honest. art. 11.*

Proinde Quarto loco salubérrima consilia dantur, quę Sancti ad suam conseruandā castitatē sunt amplexi, & ad tàm sæcularium, quàm ecclesiasticorum, & religiosorum instructionem scripta reliquerunt. Primum est in eadem domo cum fœmina nō habitare, in quà occasio sit, aliquid cōtrà castitatē admittēdi, vel ob ꝙ aliquid sinistri suspicandi a lijs præbeatur, &c. *c. legitur. d. 81.* Secūdo, easdem fœminas pręsertim suspectas nō visitare, tùm ne, vt dictū est, in peccata labantur, tùm vt suspicionū, & obmurmurationum materia subtrahatur, quæ bonum ipsorum nomen commaculāt, ac deformant; & ne tempus quod orationi, & lectioni impendendum est, frustra, & inutiliter in huiusmodi uisitationibus insumatur. *D. Ambros. l. 1. officio cap. 20. cap. hospitiolum. d. 32. D. Basil. in constit. monast. cap. 4.* Tertio, vt nullo prętextu, nec occasione, nisi illa sit valde violēta, nec euitari possit, solus cum sola maneat, nec nisi coram arbitris & testibus, illam alloquatur. *c. in omnibus. d. 8. Baron. tom. 12. Ann. 1194. D. Hier. ad Nep. Ep. 2. Ferd. Castill. lib. 3. hist. Dom. cap. 37. Carol. à Bas. Petri l. 7. vita. D. Caroli. cap. 6.* Quartū documentum est, vt homo tam sæcularis, quàm ecclesiasticus ab aliqua fœmina præsertim iuuene, etiam prætextu, vel titulo pietatis se tangi non permittat, nisi ingentis necessitatis, & certæ securitatis casus occurreret, talis. n. contactus instar ignis cor inflammare, & comburere solet. *Prouerb. cap. 6. cap. presbyter. d. 32. Lud. de Ponte. de perfect. tom. 3. tit. 2. c. 9. §. 2. Scriban. in Med. relig. l. 3. c. 38.*

QVAESTIO LXX.

CVR PROSPERITAS INTER LVXVRIAE signa numeretur, &c.

QVare prosperitas inter signa luxuriæ connumeratur? R. Quia luxuriāt animi rebus plenis, rumque secundis. Et Prosperitas stultorum perdet eos. *Prouerb. cap. 1.* Secundæ res sapientum animos fatigant; & plus obfuerunt Salomoni, quàm ipsa sapientia profuerit. Ac experientia prope quotidiana aperte docet, perdifficile esse, in ingēti prosperitate, ac circumfluente bonorum copia, sese intra modestiæ, humilitatis, ac temperātiæ fines continere, cuius rei insignia exēpla habemus in Nabuchodonosor, Antiocho, & alijs, quos rerum secundarum magnitudo ita excæcauit, vt Dei cognitionem, & metum abiecerint, & in varia crimina se præcipitauerint. Mūdi prosperitas fumo multis ex causis cōparatur. Primo, quia fumus domos denigrat: sic secundæ res multis delictis præsertim luxuriæ animas deformant. Secundo, quia fumus cito euanescit: Sic momentanea est huius vitæ felicitas, vt eam fumo differenti dixit pinus, ut est

apud

apud *Aleiat. emb.* 124. Tertiò, quia sicut candelæ extinctæ fumus prægnantem mulierem aboriri facit; ita prosperitas spirituales conceptus extinguit. *Io. à S. Gemin. l. 1. de similit. cap. 66. Iustin. in Tob. c. 3. vers. 21. doc. 2.* E contra verò aduersitas à peccatis retrahere solet. Ideo ait Dominus. *Oseea. cap. 2.* Sæpiui autes tuas spinis, vt semitas tuas nō inuenires, & post amatores tuos non curreres. Sic scilicet Edmundus adolescens, qui postea Episcopus Cantuariensis fuit, impudicam puellam verberibus sanauit; nam postquam ad eum ingressa est, appræhensam virgis à tergo egregie verberauit, vt stultitiam, quę erat colligata in corde eius, virga disciplinæ fugaret. *Prouerb. cap. 22.* tùm illa male, ac du re accepta, eum fugit, quem antea tàm perdite prosequebatur; tantumque apud eam virgarum ictus profecerunt, vt sicut ipsa postea fassa est, deinceps numquam huiusmodi tentatione sit pulsata. *Sur. in eius vita. cap. 8. 16. Nouemb.* Quod insigni etiam exēplo describit. *D. Hieron. ad Rusticum.* scribens, & refert. *D. Anton. 2 par. tit. 5. cap. 5. §. 3.* Quod hic hisce subiectis verbis ascribere libet,

Græcus adolescens erat in cœnobio, qui nulla abstinentia, nulla operis magitudine flammam poterat carnis extinguere. Hunc periclitantem Monasterij Rector hac arte seruauit, Imperat cuidā graui viro, vt iurgijs, atque contumelijs eum insectaretur, & post irrogatam iniuriam, primus ad querelam veniret, vocati testes pro eo loquebantur, qui iniuriam intulerat: flebat ille contra mendacium; quid multa? ita annus ductus, quo expleto, interrogatus adolescens super pessimis cogitationibus, an adhuc molestię aliquid sustineret? Mihi, inquit, viuere non conceditur, quomodo fornicari libet? Sic re ipsa compertum est, quàm verum sit, negotia, curas, labores; calamitates, inconcessos amores frangere, & vexationem intellectum dare: & amore virtutis, & honesti negotij, alium cupidinē superare, iuxta illud,

Alterius vires subtrahit alter amor.

Vnde & Philosophi asserunt, veterē amorem nouo amore tanquam clauum clauo pelli solere. Castitas appellatur Cinnamomum: vnde B. M. V. maxima & prçclarissima castitate prędita ait, Sicut Cinnamomum aromatizans dedi suauitatem odoris. *Ecclesi. c. 24.* quandoquidem sicut Cinnamomum in rupibus, & spinis enascitur; ita puritas & castitas in mortificationū spinis, & tribulis nutritur. Hinc etiam in simili re. *Fulgos. in l. cum filius familias ff. si cert. Pet. & Ripa in capit. 1. num. 94. ext. de Iud.* admonent pārētes, vt modicam pecuniam filijs in publicis Gymnasijs studentibus mittant, ne lasciui efficiantur, & ne minus studijs incūbant, nam recte Seneca, Multis ad Philosophiam obstitere diuitiæ, & prosperitates; egestas sapientiam sortita est.

Propterea Confessarius ne pœnitens in hoc, vel aliud vitium labatur, illū admonere debet, vt tempore quo sibi fortuna arridet, memor sit malorum, & rerum humanarum vicissitudinis; sic enim quidam æque pius, ac doctus vir in prosperitate lamentationes Hieremiæ Prophetæ legere solebat, vt refert. *D. Carolus in Admonit. recte viuendi.* Homo namq; prudēs instar Hericij in calore prosperitatis refugere debet ad uentū septentrionalē frigidum, idest ad memoriam aduersitatis, vt scilicet per timorem à superbia, & intemperantia liberetur. Sed in tēpore frigoris idest aduersitatis, aduentum australē calidum, hoc est ad memoriam prosperitatis confugere eum oportet, ne à nimia tristitia absorbeatur, iuxta illud Sapientis. *Ecclesi. cap. 11.* In die bonorum ne immemor sis malorum, & in die malorum ne immemor sis bonorum. *Io. à Geminiano. l. c. l. 6. cap. 101.* Atque huc spectat illud *Iob. cap. 3.* Timor quem timebam, euenit mihi, & quod verebar accidit: quādoquidem vt ibi obseruat Pineda, sapiens vir non solum melioribus vtitur, sed & deteriora expectat; & malum diem precauet, & vt loquitur. *Plutarchus. de tranq. animi.* Quidquid accidit, celebratum illud profert, Anteuerti te fortuna.

CAP. XV.

QVAESTIO LXXI.

QVID PER LVDVM PROXIMAM luxuriæ causam intelligatur.

QVid intelligitur per ludum, qui tanquā proxima luxuriæ causa recensetur? R. Ludi nomine censetur illiberale, petulans, & obscœnum iocandi genus, quale est ex illorum hominum fæce, qui ab ingenuitate, & bonis moribus alieni, sordibus, & nugis delectantur, modestia enim libidini repugnat, illo attestante, qui ait,

Non solet in mæstos illa venire choros.

Et si namq; actiones ludicræ siue in verbis, siue in factis fięrint, & à grauibus viris alienæ esse non debeant, siquidē qđ caret alterna requie, durabile non est, cauendum tamen est, vt oīs iniuria, obscœnitas, & illiberalitas absit. Hinc *Cicero l. 1. off.* Vt pueris, inqr, nō oēm licētiam ludendi damus, sed eam quæ ab honestatis actionibus nō sit aliena: sic in ipso ioco aliquid probi ingenij lumen eluceat. Deinde explicans quales ioci vitandi sint, addit, Duplex omnino est iocandi genus, alterum illiberale, petulans, flagitiosum, obscœnum; alterum elegans, vrbanum, ingeniosum, facetum. Extat notāda Epicteti Philosophi sententia, Fomentum libidinis sermo amatorius, ac lasciuus est, ex turpiter enim loquēdi licētia sequitur & turpe facere. Ludi quoque

nomine obscœna, & publica spectacula intelliguntur, quæ ad lasciuiam incitant, nam ibi fœminæ

Spectatum veniunt, veniunt spectentur vt ipsæ.
Ille locus casti damna pudoris habet.

Nihil, inquit, Seneca ad *Lucillum. Epist.* 7. tàm damnosum castis, ac bonis moribus, quàm in aliquo spectaculo desidere. Quippe vt ait *Tholos. in Synt. Iu. l.* 39. *cap.* 5. Spectacula turpia, ludicra, ioculatoria, mimica, indigna sunt, quę ab homine sanę mentis fiant, vel fieri inspiciantur; qui enim illis assistũt, videntur socij, & participes sceleris, authoresque, quod comprobent; proinde pœna eadem, & nota digni. Vnde & qui illā artẽ exercẽt, vt pote impœnitentes à S. Communione pelluntur, & filius qui hanc artem inuitis parentibus exercuerit, exhæredari poterit. Per hanc lachrymarũ vallem columbino gemitu, exclusis nugis, ludis, & iocis, atq; noxijs oblectationibus iter ad Cœlum faciẽdum est. Hinc B. Aloysius Bertrandus insignis sanctitatis vir, nõ semel inuentus est singultũ & lachrymarũ plenus, & cum ab eo quæreretur tãti mœroris causa? respondit, cur non fleam, cum nõ certo sciam, an æternæ salutis compos sim futurus? *Bellar. de gem. columb. l.* 2. *cap.* 11. Porro de grauitate peccati, quod vidẽdo, loquendo, vel audiendo turpia, committitur, ex adiuncta notabili venerea voluptate, aut ex probabili labendi periculo, Confessarius iudicare debet, vt etiam de ludo obscœno in factis consisten te aliàs animaduertimus. *Reginald. l.* 22. *numer.* 8. *Lessius. l.* 4. *cap.* 4. *dubit.* 13. Vide supra *tract.* 1. *cap.* 8. *quæst.* 41.

QVAESTIO LXXII.

QVID PER VERBVM CARMINA insinuetur.

Qvid per verbum carmina nobis insinuatur? R. Vana musica, quæ siue voce, siue instrumẽtis fiat, nos ad lasciuiam inducere possit nos vti non debere, quandoquidem

Enervant animos cythara, cantusque, lyraque,
Et vox, & numeris brachia mota suis.

Quod & *Rom. Catechis. super sexto precept. §. hocque ipsum*, salubriter admonuit. Difficile equidem inuenitur aliquis lenis vocis, & grauis vitæ, quippe cum vocis lenitas cãntum desideret, vitæ grauitas planctum. *capit. in sancta. vbi Arch. & Turrecrem. dist.* 92. Antisthenes cum audiuisset Ismeniã optimum esse tibicinem, at homo nequã est, inquir, non enim si probus esset, tibicen foret. Vnde est illud adagium, Bonus cantor, bonus cupediarius, quasi eiusdem sit hominis, aures cantu permulcere, & palatum proprium cupedijs. Anacharsis Scytha dicebat, In Scythia non sunt tibicines, quia ibi non sunt vites; musici namq; Lyęi, & Bacchi sunt amatores, qui est lætitiæ minister, à qua cantus ipse procedit. Sanè non minor circa auditum, imò maior quàm circa uisum cautela requiritur: licèt enim quò ad res spirituales auditus in hoc visu præstet, quod sit magis ad salutem necessarius, quandoquidẽ à visu nõ pẽdet fides, sine qua impossibile est placere Deo, pendet autem ab auditu, dicente. *Apostolo ad Rom.* 10. Fides ex auditu, &c. auditus tñ alio nomine inferior visu est, qđ tentationibus magis pateat, quæ pluribus vijs aurium sensui se inferunt, hoc est per verba, per scripturas impudicas, & per molles, impurasque cãtilenas, per quas ipsa anima sauciatur. *Chanas. de prud. l.* 3. *cap.* 4. Quãdo vero, & quomodo peccet q̃s turpes cantiones audiendo, colligitur aliàs à nobis dictis, & ex traditis per *Sanchez. lib.* 9. *de matrimonio. disp.* 46. *num.* 35. *& Reginald. l. c. & per nos in Comment. de humana vitæ stat. par.* 2. *c.* 14. Sæpius enim repetiuimus, peccatum aliàs veniale mortale fieri. Primo, ex intentione, vt si actus ad lethalem culpam ordinetur. Secundo, ex vltimo fine in eo constituto, vt si quis in eodem actu legem diuinam transgredi paratus sit. Tertio, ex conscientia erronea, vt cum putatur mortale, quod est veniale. Quarto, si ex leui actione sciat, vel probabiliter credat, scandalum secuturum, vel lethaliter peccandi periculo se expositurum, vt ex communi ait *Molfes. tract.* 8. *cap.* 8. *num.* 9. *&* 80.

QVAESTIO LXXIII.

QVID SIGNIFICETVR PER formam.

Qvid significatur per illud verbum formam? R. Denotatur cauẽdum esse ab aspectu formosæ mulieris: siquidẽ & profani Scriptores pulchritudinem facem appellant, eo quod ad profanum amorem accendat, fitque ingens libidinis incitamentum, & lis sit cum forma magna pudicitiæ. Hinc Bias ille Prienæus vnus è septem sapientibus à quodam rogatus deberet ne vxorem ducere, an vitam cælibẽ degere? respõdit, aut pulchram duces, aut deformem, si pulchram habebis communem, difficile est namque illam custodire, quã plurimi adamarunt, & aliquando expugnatur, quod vndique incessitur: sin turpem, habebis pœnam, &c. Vult Deus in adeptione virtutum habere nos gratiæ, & auxilij sui cooperatores, ad eiusmodi autem cooperationem inter alia spectat, proximas vitiorum occasiones vitare: tenet te castitatis desideriũ, ne ergo cum luxuriosis, aut cũ fœminis forma præstantib. tibi sit cõmercium. Fecit hoc prudẽter Antiochus Asiæ Rex huius nominis tertius, nam cum esset Ephesi, & dicatam Deo formosissimam quandam

dam

dam fœminam adamaret; alia ex parte attenderet, quantū dedecus, sacrilegus, & incestuosus congressus allaturus esset, aliò se recepit, nec vnquā Ephesum rediji, ne tandem specie illa fœminea illectus scelus perpetraret, ad quod iam satis pronus, accedente occasione, cito præceps agi posset; ac si apud se dixisset cum *B. Cypriano. l. de spect. & l. 1. Epist. 11.* Qui sponte corruit, quid faciet, si fuerit impulsus? Nemo diu tutus esse potest periculo proximus, nec Diabolum euadere seruus Dei poterit, qui se ipsius iaculis se implicauerit, &c. *Chauas. de prud. l. 3. c. 4.* Vnde aliquando adulterij præsumptio, & suspicio consurgit, quādo quis inuenitur in alicuius domo, vbi est pulchra mulier. Et si ēt vsus optimus rerum magister hāc suspicionē sæpe elidere faciat, etenim vsq; eò inexplebilis hominū libido prorupit, vt infœdissimas mulieres homines cupiditatis ignes euomant, nec vllū fere discrimen constituant formosæ ne sint mulieres, an deformes. *Masc. de prob. vol. 1. concl. 61. Tholos. in synt. Iu. l. 12. cap. 12* Propterea clerici, & homines Deo dicati non solum à mulierum aspectu, & cohabitatione cauere iubentur, sed & de earum formis loqui prohibētur. *cap. hospitiolum. dist. 32.* Et naturalis ratio in promptu est, si qui dem feminæ pulchritudo visu vrit, & quodammodo se à viro amari cogit, neque amor iste quiescit, donec propter concupiscentiam, quæ in nobis ex originis peccato relicta est, ad turpem, & inconcessam corporum coniunctionem prolabatur. Vnde præsentaneum remedium nobis à *D. August. Epist. 109.* exhibitum est, vt si oculi nostri in aliquem iaciantur, in neminem figātur; nam simplex aspectus fere ineuitabilis est, nec solet corda ferire, nisi continuetur, eti vete idē Sanctus Doctor dicat nō conspectum, sed moram in aspiciēdo periculosam esse. Fœminarū quippe forma ad hoc tm̄ deseruire dēt, vt à solutis viris, ob coniugium, & prolis finem appetantur. *Bellarm. De arte bene mor. l. 1. cap. 16.*

Porro aspectus formosarum mulierum cessante malo fine, & periculo peccati mortalis, cōmuniter venialis tantum est culpa, etiā si aliquis sensus motus insurgat. *Sanchez. l. c. num. 22. Reginald. num. 7. Bonac. de matrimonio. quæst. 4. p. 9. nu. 13.* Hi tamen curiosi, & delectabiles aspectus, vt dixi, solicitè vitandi sunt, tanquam facile ad lapsum perducentes. Quod expertus. *David. Psal. 118.* orat, Auerte oculos meos, ne videant uanitatem. Et S. Iobus uir in innocentia sua perseuerās, pepigit fœdus cum oculis suis, ut ne de uirgine quidem cogitaret. *Iob. c. 31.* Alia lectio habet ne cogitaret, nam licet oculi non cogitent, attamen mens oculorum ducatum sequitur, dum enim lasciuiunt oculi, calescunt appetitiones, quia irritamenta sunt uitiorum, & duces scelerum, iuxta illud,

Si nescis, oculi sunt in amore duces.

Vnde cum fœdus amor ex aspectu nascatur, luuenalis de quodam cæco miratur,

Qui nunquam visæ flagrabat amore puellæ.

Iansenn in eccles. capit. 9. Iustin. in Tob. cap. 4. vers. 13. doc. 6. Campan. in Diuers. Iur. can. Rub. 11. c. 17. num. 68. Vbi *nu. 42.* ait ex *Maiolo. lib. 1. de irregul. cap. 25.* mulierem auditu carentem, non prohiberi inter sanctimoniales admitti, tàm namque sacris uirginibus, quàm mulieribus omnibus defectus auditus pro taciturnitate, ac uirginitatis conseruatione prodest, quæ plerunque etiam per auditus sensum uiolatur, ut scribit. *D. Basilius. l. de virg.*

QVAESTIO LXXIV.

QVID PER VERBVM PVER innuatur, &c.

OVid tandem per uerbum puer innuitur, & cur inter ligna luxuriæ recensetur? R. Docemur, quod quantum periculi sexus in muliere secum affert, tantum ætas in puero; siquidem periculosa est pueri ætas, periculosior societas, periculosissima vero conuersatio. Propterea in uitis Patrū legitur, non habēdam familiaritatē cum fœmina, puero, & hæretico, vt *ex Hilinando,* ait *D. Anton. l. 6. hist. summæ. tit. 13. cap. 6. §. 4. & par. 2. summæ. tit. 5. cap. 1. §. 2. & Mart. Delrius. l. 4. disq. mag. p. 1 q. 3 sect. 3.* Qua ratione. *D. Bernardus ad Eug. libr. 4. Marc. Anton. Gen. in Man. Past. c. 22. & Hier. Alb. de Card. cap. 14.* admonēt Cardinales, & Episcopos, vt propter scandalum euitandum, comatulos pueros, cōptosque adolescentulos, in curijs suis morari non sinant. Vnde & Alexand. Magnus ut scribit Plutar. acceptis literis Philoxeni, oræ maritimæ Præfecti, interrogātis uellet ne adscribi insignis formæ puerū? grauissime iratus rescripsit, O perditissime hominum, ecquid vnquā in me nosti huiusmodi, qui mihi hisce lenocinijs uoluptuarijs obsequijs?

Licet uero nō sit peccatū mortale, nec sæpe ueniale affectuose, ac magna cū suauitate molles infantiū carnes exosculari, qa nō ex uenerea voluptate, sed ex tenero, & puro infātilis ætatis amore hoc nascitur, vt per *Sanch de mat. l. 9. d. 46. n. 13. & Bonac. q. 4. p. 9. n. 22.* Nihilominus, qdquid sit in speculatione, id in praxi cauendū est, ob periculū ulterioris cōsensus in libidinosā delectatiōne, uel ēt in pollutionem, habita ratione fragilitatis, & corporalis dispositionis ipsius tangentis, ut ait. *Reginald. lib. 22. num. 6.* Hinc *B. Gregor. Tur. Episcopus. de vitis. SS. Patrum. cap. 8.* refert S. Sacerdotem. Nicetium, qui postea fuit Lugdunensis Episcopus, tātæ puritatis cultorem extitisse, ut non modo alijs iugiter prædicaret, & à polluto tactu, & à uerbis obscœnis esse abstinendū, sed ipsemet formidaret, etiam Infantium membra nudis manibus contingere; & si quando

ratione

tatione officij tangere debebat, non nisi ueste interiecta attingebat; sciebat nimirum à quouis carnis tactu aliquantam capi voluptatem, licet nō admodum illicitā, vt tāto longius à culpabili tactu abesset. Seuera etiam fuit aliorum quorundam Ethnicorum censura qui nedum tangere, sed nec cernere formosos pueros uolebant, vnde notum est illud Periclis enuntiatum, Decet Prætorem non solum manus, sed etiam oculos abstinentes habere. Cum hęc dignitas homini fit collata, vt præ cæteris animantibus libero potiatur arbitrio, ipse tamen nō solum brutis similis, sed etiam inferior per luxuriæ vitium factus est minus enim libertatis, quàm bruta habet, & quodāmodo magis brutali vrgetur concupiscentia, & sæuiori seruituti obnoxiū se reddit; siquidem piscis ab esca se temperat, si hamum videat, & auis à granis absumendis abstinet, si laqueum cernat, miser homo æternæ mortis metu à momentaneæ voluptatis esca sensu illectus, se aliquando (quia sibi uim inferre non vult) cohibere nequit. *Perald. in summa virt. ac vit. tom. 2. de luxuria. cap. 2.*

Et hæc dicta sint quò ad decē signa, quibus luxurię ignis accēditur, & occasiones, ob quas quis in turpitudinis vitiū prolabitur, quas caste viuere cupiēs cane peius & angue declinare debet. Hinc Abissini Æthiopes, qui in christianis sacerdotibus præ cæteris castitatem suspiciunt, cum à quodam religioso viro percunctati essent, quo remedio, qua ve medicina vterentur, vt sic casti essent, & respōsum esset, adhiberi orationes, pœnitentias, sedulam sensuum custodiam, & occasiones declinari, eis summopere placuit responsum, nec immerito, nam & si nemo continens esse possit, nisi Deus det, ipse tamen continentiā nostram nō seruat, nec nos ab insanis concupiscentiæ motibus liberat, nisi & nos ipsos opportunis præsidijs iuuare conemur. *Duar. tom. 3. exēpl. c. 5. tit. 62. exempl. 6. Lessius. l. 4. c. 2. dub. 15. n. 111.*

CAP. XVI.

QVAESTIO LXXV.

AN PRACTICA ALIA REMEDIA & amuleta contra libidinis pestem dentur.

Dantur ne alia practica adiumēta, & antidota, contra libidinis pestem? R. Quamuis luxuriæ vitium ob solam turpitudinem, ac detrimenta, quæ secum affert, suos sectatores satis deterrere possit, ac debeat, atque ad illud effugiendum permouere; quia tamen fœda voluptas rectæ rationi, ac honestati inimica, consilium impedit, & menti tenebras offundit; propterea tàm late etiam in christianos progressa est, vt magna hominum pars ad eam omni impetu brutorum more feratur, vt proinde adiumenta, ac remedia tùm diuinitus nobis tradita, tùm à Sapientibus excogitata diligenter adhibere oporteat. Et vt Tridentini Patres. *in Catechismo Romano. part. 3. cap. 3. sect. 1. & 2.* admonēt. Hęc materia licet cautissime, diligentissime tamē à Parochis pertractari debet. Vnde Præter iam allata, tria quoque præcipua admoueri possunt.

Primū est sacramentorū pſertim sanctissimæ Eucharistiæ vsus. Hoc est enim frumērum electorum, & vinum germinans virgines. *Zach. cap. 9.* Quo circa cum quidam iuuenis (adolescentes enim ob prędominātem calorem, & impetum passionis libidinis vitio dediti sunt) Neapoli luxuriæ stimulis ardenter vrgeretur, eaq; de re ad Euchaństiæ sacramentum accedere non præsumeret, illi quidā prudens Confessarius consilium dedit, vt conscientię examine præmisso, & peccatorum cōfessione peracta, quanta posset humilitate, & deuotionis affectu, hoc sacramentum sumeret; quod simul atque is executus est, ardens illud luxuriæ incendium ita extinctum sensit, vt nullæ amplius reliquiæ relictæ fuerint; & deinde nullo penitus libidinis ardore stimulatus est; sed castitatis gratia donatus, cum summa conscientiæ tranquilitate vitam exegit: sicut enim praua cum lasciuis familiaritas incontinētem illum reddiderat; ita frequens huius sacramēti vsus pudicum, & castum illum effecit, iuxta illud,

Intrat amor mentes vsu, dediscitur vsu.

Vnde in carnalibus peccatis sanandis hoc generali & vtilissimo remedio vti dēt Cōfessarius, frequenti scilicet confessione, & cōione, non vt pęnitēti hoc præcipiat, vel pro pœnitentia iniungat, sed illud consulat, delicti grauitatem, periculum, & difficultatem se ab illo extricandi, & liberandi illi aperiat. *Vict. in notis ad Tol. lib. 3. capit. 18. Leonar. Vayrus. l. 3. de fascino. cap. 10. Gutiel. Baldess. instim. ad virt. par. 2. cap. 12.*

Secundum est pius erga B. Virginem mentis affectus, & crebra ipsius inuocatio; eius namque flores sunt honoris, & honestatis. Castitatis laudem Dei beneficio tantam consecutus est D. Etmūdus Cantuar. Archiepiscopus, vt ex quo die Confessarij sui consilio sese in B. V. Matiæ fidem, ac patrocinium voto contulit, nullam deinde carnis tyrannidem senserit, vt habetur apud *Sur. in eius vita. 1. Nouemb.* Quippe tanta erat ipsius V. et dum in humanis ageret, vultus maestas, & pulchritudo, vt suo aspectu non solum ad pudicitiam omnes excitarct, sed concupiscētiæ motum ipsam intuentibus reprimeret. Atq; hinc fortasse SS. Patres ad sedandas carnis tētationes remedium illud sumpserunt, aspicere. s. B. Mariæ Virginis imaginem. *D. Thom. in sent. dist. 3. quæst. 1. art. 2. D. Bonauent. q. 2. & 3. Alessensis 3. par. q. 9. membro. 3. artic. 1. Mallon. de Sind. cap. 11. in fine. Morales. cap. 1. in Matth. lib. 2. tract. 10.*

tract. 10. num. 24. & 27. Hinc & D. Gregorius VII. Pontifex Maximus ad B. Mathildem scribés, dum eam ad excolendam christianæ perfectionis vitam hortatur, in his duobus potissimum insistit, vt scilicet sacratissimam eucharistiam frequẽter accipiat, & erga Dei genitricem propensiori amore sit affecta. Vide *Baron. tom. 11. anno Domini. 1074. Daur. tom. 3. cap. 5. tit 17. exempl. 14.*

Tertium remedium est diuinæ præsentiæ cogitatio, iuxta illud celebre D. Augustini pronuntiatum, Qui vult Deum timere, illum cogitet omnia videre. Magna pars peccatorum tollitur, si Deus Iudex, & testis in mente habeatur. Meretrix aliquando pictam Pollionis seuerioris disciplinæ Philosophi imaginem cum vidisset, timuit, sibique ne in scelus rueret, conspectu imaginis frænum iniecit. Thais venereis obscœnitatibus dedita, Dei cuncta cernentis consideratione à cœno vitiorum emersit. *teste Vict. in notis ad Nau. c. 23. num. 11.*

Item profunda mortis consideratio; Siquidem,

Non aliter melius poterit caro viua domari,

Mortua qualis erit, quàm semper præmeditari.

Et Ioannes Ecchius nullum efficacius remediũ dixit ex cogitari posse, quàm si fœminam cuius amore quis trahitur, exanimem, fœtidam, ac vermibus corrosam se in sepulchro videre in aío fingat. Hinc prudens Cõfessarius pęnitẽti iniungere poterit, vt quartam saltem horæ partem in hac cogitatione occupet, iacere scilicet se in lecto mortuũ, brachijs in crucis formam compositis, ad caput apposito ardente cereo, ad pectus crucifixi imagine, &c. *D. Anton. 4. par. tit. 14. c. 8. §. 7. Razzius in Virid exempl. in v. confessio. Daur. tom. 4. cap. 8. tit. 3. exempl. 8. Iustin. in Tob. cap. 4. vers. 13. doc. 7. Holchot. super Sap. lect. 12. Nau. in capit. si quis de pœnit. dist. 7. Mallon. de s. Sind. cap. 9. Baldess. instim. ad virt. p. 2. cap. 8.*

Huic adde absentiam à re amata, cum locorum mutatio ad corporis etiam, nedum animi morbos conferat, iuxta illud,

Conualet ægrotus veteri statione recedens.

cap. valet dist. 81. Quare vt Parthi auerso corpore hostes feliciter oppugnant, sic à nobis non alia magis ratione hoc vitiũ vinci potest, quàm cita fuga, & honestarũ rerum occupatione, nã vt supra dixi,

Alterius vires subtrahit alter amor.

In quam sententiam extat illud Bilij,

In reliquis vitijs sequitur victoria pugnam

Vincitur at celeri sæua libido fuga.

Iustin. in Tob. cap. 4. vers. 23. doc. 2. D. Basil. in constit. Monast. cap. 5. Cassian. lib. 6. Institut. cap. 13. D. Thom. 22. quæst. 35. artic. 1. Nau. de oratione. cap. 19. num. 6. Laur. Scalabonius. in moral. in Pass. Domini. Mor. 8. cap. 3. §. 2.

QVAESTIO LXXVI.

Qvomodo cvm in idem libidinis peccatum recidente se gerere debeat Confessarius.

QVomodo cum recidente in idem peccatũ, & cum consuetudinario in praxi se gerere debet Cõfessarius? R. Rerum magister vsus satis docet, quàm difficilis sit huius morbi sanatio, maximecũ libido longa consuetudine iam callum obduxit; adeò vt in exquirẽdis remedijs, nil magis Cõfessariorum ingenium torqueat, & verissimum comperiatur, quod *Climachus. de castit gradu. 15.* scite dixit, Qui in huiusmodi foueam lapsi sunt, vt surgere possint, sudoribus, doloribus, fame, siti, ac summa rerum omnium penuria opus erit. Et quomodo hoc peccatum non solum causa incidẽdi, sed etiam perseuerandi in malo sit, probe ex sacris literis tradit. *Perald. in summa. virt. ac vit. tom. 2. tr. 3. cap. 2.* Atque id *D. Isidorus. l. 2. de summo bono. c. 3.* satis etiam attestatur, dum ait, Maxime per carnis luxuriam humanũ genus subditur Diabolo, quàm per cætera vitia; nouit enim Dæmon vehementissimum esse carnis ardorem, & animum quem occupauerit, non facile liberari; & teste *D. Amb. in Luc. cap. 4.* Quasi clauis quibusdam suffigitur anima corporis voluptatibus, & cum semel adhæserit, cupiditatibus demersa terrenis, difficile in altũ potest, vnde descendit, sine Dei fauore reuolare, actuum enim suorum victa laqueis, & delitiarũ secularium illecebris obnoxia iam tenetur, hæc ille. Nec abludit. *B. Laur. Iust. de casto connub. verbi, & aïæ. c. 7.* Rarus quis hoc vitio infectus inuenitur, qui realiter cõuertatur ad Dominum, obrutus pessima consuetudine, tanquam quodam arenæ aggere, & nisi grandi, ac terribili voce excitetur è monumento, resurgere nequit. Et *Pet. Bless. serm. 24. de Assumpt. B. M. V. & serm. 39. de Festo SS. omnium.* Graue est cõsueta relinquere, & fere impossibile est triũphare de carne, si de nobis prius illa triumphauerit.

Proinde speciali Dei auxilio ad resurgendũ opus est, iuxta illud *Sap. c. 8.* Sciui, quoniã aliter nõ possum esse continens, nisi Deus det; ut propterea homines præsertim pueri, & adolescentes, cũ eis Diabolus experiendę carnalis voluptatis curiositatem ingerit, constanti animo repugnare debeant, nam quamuis huiusmodi satiata libido modico tempore desiderium non excitet, postea tamen acrius urgebit; sicut qui æstu graui, febrique laborant, si aquam frigidam bibant, statim quidem ardor releuatur, deinde uero uehemẽtius insurgit.

Verum de pœnitentis salute desperandum non est, si ex parte sua collaborare, & idonea antidota sibi adhiberi uoluerit, nam ut ait *D. Prosper.*

Vt

Vt morbo oppressis speranda est cura medendis,
Donec in agroto corpore vita manet;
Sic prauis multa vitiorum mole grauatis, &c.

Vt & dictum est infra *tract. 15. cap. 9. quaest. vlt.*

Ideò Cõfessarius nõ sit facilis ad dimittendum, amputandum, & excidendum, neque tàm celeriter spem abijciendã existimet, cohortationibus fouere debet, reprehẽsionibus circumfodere, praeceptis ut uallo cõmunire, ut ait *D. Greg. orat. Nyssennus in eos, qui alios durius increpãt.* Vitiosa peccãdi cõsuetudo paulatim tollenda est. D. Bernardus cuidam nobili uiro iam diù in turpitudinibus insordescenti poenitentiam & resipiscentiam agere suadebat, renuebat ille, prauae consuetudinis põdere grauatus, cui D. Bernardus, si pacem cum Deo facere renuis, treguam saltem adhibe; quonam pacto, inquit ille? Respondit Sanctus, Tribus dicbus à peccatis tuis abstine ob Dei tui amorẽ; postquã hoc fecit, iterum D. Bernardus, Nunc ob dilectionem Virginis Mariae, alijs tribus dicbus illicita relinque, fecit & hoc. Idem pro alijs tribus obtinuit ob amorem Apostolorum; alijs tribus intuitu Martyrum, alijs tribus ratione Confessorum, alijs pro dilectione Virginum, & tandem alijs tribus Angelorum amore. Et tunc corruptus ille homo ad S. Bernardũ, Iam quidem non treugam, sed pacem cum Deo habere volo, iam difficultatem illam nõ sentio; sic malam illam consuetudinem paulatim superauit, & in bono uitam exegit. *Labata in App. ad conc. in v. consuetudo. Laur. Beyer. in Apoph. christ. in verbo consuetudo.*

Proponere debet poenitenti huic uitio dedito gehennam suam quodammodo in se ipso gerere, habet enim instar Inferni uermem conscientiae, ignem, & foetorem item huius uitij tantam esse foeditatem, ut ei proprie turpitudinis, & flagitij nomen competat. Raymundus Capuanus S. Catharinę Senensis Confessarius, tradit, eam si quando à uiris opulentis, sed luxuria diffluentibus salutaretur, nihil respondisse, nec eos aspexisse, imò tergum obuertisse, ac dixisse, se ex illorum anima tanũ foetorem efflantem sensisse, ut ad uomitum prouocaretur. Qua etiam ratione uiri libidinosi probra, & infamiam, si notare uellẽt Ægyptij sacerdotes, hircum fingebant, qui celerius, quàm quoduis animal rem ueneream aggreditur, atque talem hominem Apuleius uocat sordidũ, & hircina libidine foetendũ. Atq; huc spectat simulachrũ Veneris hirco insidentis, ad significandã infamẽ, & insanã hominis petulantiam. Hinc in se ipsum homo indignari deberet, quod adeò foedum toleret seruitium, cum in confesso sit, boni nominis, & honoris cupiditatem impuros amores conuellere.

Porro licet cõmuniter à Scriptoribus tradatur, luxurię morbum propriam esse mulieris passionem, & vulgo prouerbio efferatur, Sublata lucerna mulier omnis eadem; quo significatur, fęminas omnes indiscriminatim esse impudicas, modo sine arbitris peccandi facultas detur, eo quod maior eis uoluptas in concubitu, quàm uiris insit; ipsa tamen rerum magistra experiẽtia docet, honestatem, & pudicitiam in foeminis potius, quàm in uiris regnare, id quod ipsi Confessarij probe norunt. *arg. Tiraq. lib. 15. connub. Neuiz. in sylua nup. l. 4. numer. 34. Alex. cons. 24. Peraldus in summa vitiorum. to. 2. de luxuria. c. 1. Bussaeus in arca medica. in v. luxuria.*

Quod si huiusmodi perditos homines Confessarius audiens, nullam emendationẽ, neque emendationis inchoationem, prȩteritis uicibus in eis extitisse obseruauerit, absolutionis beneficium suspendere poterit. *Tolet. lib. 3. cap. 18. Henriq. de poenit. l. 1. cap. 24. Graffius lib. 2. decis. aur. cap. 20. num. 14. Reginald. lib. 2. cap. 8. num. 102. & aly.*

ARTICVLI SVPER IRA, EIVS SOBOLE, ac speciebus, &c. Cap. XVII.

QVAESTIO LXXVII.

QVID SIT IRA, ET QVALE peccatum sit.

Qvid est ira, & quale peccatum? R. Ira dupliciter accipitur. Primo, improprie sumpto uocabulo, prout est passio irascibilis appetitus, quę insurgit cum bilis excitatione, & furore cõtra proximum, quae solum absque uoluntate damnum vllum inferendi, in clamorem, & uociferationẽ prorumpit. Proprie uero est inordinatus uindictae appetitus, quae per excessum mãsuetudini opponitur, cum scilicet quis inordinate appetit uindictam de aliquo sumere, quã non oportet, aut sicut nõ oportet: sicut aduersatur lenitudini, uel stupori per defectum, cum scilicet quis quando secundum rectam rationẽ necesse est, ad iram non excitatur. Diximus inordinatus, nam si hic irae affectus moderatus sit, & quando, ac quomodo expedit, suscipiatur, non uitium, sed uirtutem, atque laudem habet; nã teste *Lact. de diuin. instit. l. de ira Dei. c. 21.* Si Deus oĩno ꝓhiberet irasci, ipse quoq; quodammodo reprehẽsor opificij sui esset, q̃ à principio irã iecori hominis indidisset, siquidẽ creditur causam huius commotionis in humore fellis cõtineri. Non igitur in totum prohibet irasci, quia is affectus necessario datus est, sed prohibet in ira permanere, ira enim mortaliũ debet esse mortalis, nam si maneat, inimicitiae ad sempiternam perniciem confirmantur. Rursus cum irasci quidem, sed non peccare praecepit, non utique iram euelli, sed temperari iussit, ut in omni castigatione modum, ac iustitiam teneremus. Vnde iure in eos irascimur, quos castigatos

gatos uolumus, ut in eos filios, discipulos, & subditos. Imò non irasci quibus oportet, insipientis esse dixit *Aristoteles, & Palaot. de senect. p. 2. obiect. 3.* Cuidam Charilauum Regem laudanti quod pariter erga cunctos fuisset mitis, ac mansuetus, & qua fronte laudetur aliquis respondit Archidamas, qui erga sceleratos se mitem præbet? respexit vir egregius mansuetudinem cum iustitia coniunctam esse oportere; alioqui Principis in facinorosos lenitas, quid aliud est, quam in bonos crudelitas? recte enim Sophocles pronuntiauit, Misereri oportet iustorum, non improborum. Hinc & *Orig. hom. 7. in Iosue relatus in c. fin. dist.* 45. Non otiose, ait, transcurrendum est, quod vno peccante ira Dei super oēm populum venit, hoc quomodo accidit? quando sacerdotes qui populo præsunt, erga delinqnentes beneuoli vider volunt, & verentes peccantium linguas, ne forte male de eis loquantur, sacerdotalis seueritatis immemores, nolunt complere, quod scriptum est 1. *Tim.* 5. Peccantem coram omnibus argue, vt cæteri metum habeant, &c. *D. Thomas. 22. quaest. 158. art. 1. Val. tom. 2. quaest. 10. de passionibus p. 2. & tom 3. disp. 9. quaest. 3. p. 1. Lessius. l. 4. cap. 4. dub. 4. Gisbert. de vita eccles. cap* 45.

Iram non esse ex se malam, ex eo quoq; constat, quia naturę est apprime vtilis ad ardua facta, & ad sui conseruationem; sicut enim amoris passio data est homini ad bonum prosequendum, ita etiam irę affectus cuilibet animali vel rationis vsu carenti ad malorum, & nocētium repulsionem inditus est à natura, qui satellitis vicem gerit, baculis turbam à Principe, vel Magistratibus submouētis. Imò iracundia, & pudor pedissequę atq; comitesque virtutis sunt, inspicientes, vt est apud Poetam,

Et quis enique dolor victo, quæ gloria palmæ.

Ang. Polit. in Epist. ad Laur. Med. Plerumque tamē accidit vt vitium fiat, & imperium animæ sponte inuadens hominem pene in feram cōuertat. Flaua namque bilis, quæ vt ait *D. August. lib. 1. confess. c. 7.* ab infantia apparere incipit, adolescit, & ignem facile concipit, qui inclusus aut retentus dum exilit, impetum facit, & omnia euertit. Vnde ira excādescentem energumeno similem, imò & deteriorem esse afferit. *D. Chrisost. hom. 18. in Matth.* Et sat constat, cholericos, & atra bile abūdantes impetuosos, ambitiosos, & honoris cupidos, omnibus se præferre, & nullius imperiū sustinere, nec iniurias, vel contemptum tolerare, ob ebullitionem sanguinis circa cor. Et ob nimium ipsius cordis calorem, ardua aggrediuntur, ad quæ cupiditate impelluntur; at vbi primum impetum effuderint, deferuet audacia, ceu aqua feruens infusa frigida, ipsique vt animalia quædam aculeo amisso torpent; & cum ante pericula magnopere fidant, postea in ipso discrimine subsidunt, nam

Dulcis inexperto belli vesana cupido.

Dicuntur Asturi esse fallaces, ac deceptores, quod cholerici humoris caliditas deceptionis modos eis prolixe suppeditet. Sunt iridem admodum edaces, ac multiuori, interior enim calor ipsis inhærēs, magis digerit, & maiorem solutionem facit.

Quare iure merito Zeno Philosophus aiebat, omnium perturbationum semina in iram confluere, sicut animalis semen est mixtura quædam, ab omnib. aīæ facultatib. auulsa ita vt ira nō sim causa dicatur ab ire, nam qui irascitur, à se ir, & furit; & qui iram deponit, ad se redire dicitur, &c.

Porro hic affectus aliquando dicitur indignatio late sumpto vocabulo, & tunc ab ira modicum differt, vt docet. *D. Basilius lib. de ira,* nam indignatio est stimulus breuis, & subitus, acutusque passionis vapor, ira vero permanēs est, ac diuturna tristitia, apta se te ociose vlcisci. Quæ si subito exoritur, fel appellatur, si diuturnior est mania, si absque quiete furor. Primos illos *Arist. 4. Ethicorum. cap. 5* acutos vocat, alios amaros, postremo difficiles, & quasi implacabiles. Dicitur etiam excandescentia, quæ nihilominus proprie iræ exuperantiā designat, externis signis prodiiam. Tres namq; iracundia gradus secundum humani actus processum dantur, in quo primo aliquid in corde concipitur, deinde per exteriora signa manifestatur, & tandem peccatum interius conceptum ad effectum perducitur, & vindicta verbo, vel facto infligitur. *Viguerius Insti. ut. Catho. cap. 7. §. 5. vers.* 4.

Ex his apparet iram ex suo genere peccatum esse mortale, quando charitati notabiliter repugnat, vel quando aliquid graue in damnum proximi in anima, corpore, fama, vel rebus externis appetitur; quod etiam subinde tribus modis fit veniale. Primo, propter actus imperfectionem. Secundo, ob subreptionem. Tertio, ob inordinatum modum, vt cum quis ex licita causa irascitur, sed immoderate nimis exterius inardescit. *Berard. in summa Corona p. 1. cap. de ira.*

QVAESTIO LXXVIII.

EX QVIBVSNAM CAVSIS HOMINES ad iram concitentur.

QVibusnam ex causis homines ad iracūdiam prouocantur? R. Multæ sunt, sed hæ præcipuæ. Prima est malum offendens, quod repelli possit, cuius radix est opinio sui, vel suorum contēptus, nam vt Menander scriptum reliquit,

Nemo sui contemptum aquo animo fert amans.

Neque quidquam magis exacerbat animos, & vel in Superiorem accendit, ac obliuisci facit ei debitæ venerationis, adeòque ex asperat, vt ad vltima etiā

 despe-

desperationum cõsilia adducat: tàm alte vilissimorum quoque animis sui opinio insidet, vt contemptum omni iniuria grauiorem arbitrentur, & cum fastus contemptum secum trahat, fit vt nihil illo acerbius ingenuis viris accidat. Quippe si Plutarcho in Timol. credimus, grauius contumeliam ferimus, quàm detrimentum, ni abiecto nimis animo simus. Secundo, ex defectu, vel dolore ira nasci solet, nã qui dolet, semper alicuius rei desiderio tenetur, vt .s. ab ea molestia liberetur; quare iræ dediti sũt, qui morbo laborãt, q paupertate premũtur, qui esuriunt, qui sitiunt, nam vt est apud Plautum, fames & mora bilem in nasum concitant: quò fit, vt homines pransi mitiores & hilariores sint. Quod eleganti simili Zeno docuit, cũ .n. esset natura tristis, at seuerus, attamen in conuiuio hilarior fiebat, atque huius rei causam rogatus, dixit etiam lupinũ sua natura peramarum, tamen aqua maceratum, amaritiem deponere. Tertio, qui aliquid cupiunt, quod assequi nequeant, facilius excãdescunt. Quarto, pueri & adolescentes propter ætatis feruorẽ facile irascuntur, sed cito placãtur. Quinto, Senes ob siccitatem, grauiores iras concipiunt, neque facile eas deponunt, vt ait *Arist. in 2. rhet. cap.* 13. cũ eorum iracundia vsu aucta sit: siquidem irascendi assiduitate fel crescere, medici astruunt, cremẽtis autem fellis rursus & facile, & prope nullis existentibus causis homines irascuntur. Sexto, fœminæ ob earum mollitiem ad iram procliues sunt, nam *D. Chrisost. in hom. de decollat. Io. Bapt.* ait, mulierem si iniuriam patitur, insanire. Et *Seneca lib. 1. de ira.* scribit, iracundiam esse muliebre vitium. Nec dissentit. *Sap. eccles. cap.* 25. cum ait, non esse iram super iram mulieris, quod & vsurpauit. *Baldus in l. si apud C. de reuoc. donat. & Tiraq. l. 9. connub. num.* 18. *Ioseph. Passius. de vitijs mulierum. discursu.* 5. Quò etiam fit, vt ad vindictam pronæ sint, vt ait *Iuu. Satyr.* 13. & suspicionibus obnoxiæ, vt omnia quę audiunt, in deteriorem partem interpretentur, & anticipationibus ducantur. Septimo, ad irascendum Iudices faciles esse solẽt, cum aliquod delictũ perpetratum esse audiunt; verum antequam pęnas sumant, debent mentem ad consilium reuocare, ne insontes, damnẽt irreparabilis enim esset error. Potest, ait *Seneca l. 2. de ira cap.* 23. pœna dilata exigi, non potest exacta reuocari. Et vt ait ille,

Nulla vmquam de morte hominis cunctatio lõga. *Ann. Rob. l. 1. rerũ iud. c. 4. Tholos. l. 30. Synt. Iu. c.* 3. Addo etiam ob vnicam noxam legis pœna eũ plectendum non esse, qui ob multa egregie facta fuisset pridem præmio afficiendus. Vnde fuit olim lex Persarum, ne conuictus criminis pęna statim ex legum præscripto puniretur, verum in ante actam vitam diligẽter inquireretur, & si benefactis turpiter admissa superarentur, absolueretur, sin minus damnaretur. Aurea lex Principibus Iudicibusque præ oculis habenda. *Peregrin. cap. 1. Farinac. de temp. pœnis. quæst. 98. causa.* 15.

Cessat vero ira. Primo, in eos quos facti penitet, id enim videtur esse, ac si pœnas dedissent. Secũdo, in timentes, ac demisse se gerentes, videntur enim se inferiores fateri; quare canes prostratos homines non mordent. Tertio, in eos, qui per iracũdiam peccarũt, his enim, vel non succẽsemus, vel leuius, quod non per nostri cõtemptum id fecisse vidẽtur. *cap. si quis iratus. vbi Gloss. & DD. 2. quæst.* 3. Quarto, ira lenitur, & deferuet tempore, nam

Quid non longa dies, quid non consumitis anni?

Quinto, ob mutatã personæ propriæ conditionem. Sic Adrianus Imper. quos in priuata uita inimicos haubit, Imperator factus neglexit, adeò ut uni, quẽ capitalem habuerat, Princeps renuntiatus diceret, Euasisti. Sexto, desinit ira ob calamitates in eũ, cui eramus infensi aduenientes, ac præcipue in uita functos, uidentur enim illi nobis dedisse pœnas. Et qui sensu carent, præterquam quod extrema mala passi cẽsentur, si ultio in eos exerceatur, doloris sensum habituri nõ uidentur: Hinc ille apud Homerũ;

Quis furor est terram sensu vexare carentem? Idem *Pereg. de affect. animi. noscen. de ira. capit.* 1. *Maiorag. l. 2. rhet. Arist.*

QVAESTIO LXXIX.

QVOT, ET QVAE SINT FILIAE iracundiæ?

QVot & quæ sunt filiæ iracundiæ? R. Hoc peccatum, ut per se manifestum est, dicitur capitale, propterea quod multa alia ex ea originem trahunt, uel ratione impetus à corde surgentis mentem impediẽtis, & ad quæcunq; inordinate agenda præcipitantis, & hoc modo per accidens dicitur omnium peccatorum ianua; uel ratione uindictæ, quam appetit, & secundum hoc aliquorum specialium peccatorum, quæ ex ea oriuntur per se causa censetur. Vnde sex uel septem filiæ ei attribuuntur, nempe rixa, tumor mentis, & indignatio, clamor, contumelia, maledictio, & blasphemia, nam ut ait, *Lact. l. 6. de vero cultu. c* 19. Tres sunt affectus, qui homines in omnia facinora præcipites agunt, ira, cupiditas, & libido; ideò Poetę tres furias esse dixerunt, quæ mentes hominum exagitãt, ira ultionem desiderat, ex qua innumera mala nascuntur, cupiditas opes, libido uoluptates expetit, &c. Et quod ira suis se cancellis non contineat, sed & in alia scelera impellat, ac præcipitet, ostendit sapiens. *Prou. c.* 29. cum ait Vir iracundus prouocat rixas, & qui ad indignandum facilis est, erit ad peccãdum procliuior. Atque prædictas iræ filias tradit. *D. Greg. lib.* 31.

lib. 31. mor. cap. 31. D. Thomas. 22. quaest. 158. art. 6. & 7. Tolet. lib. 8. cap. 58. Lessius. lib. 4. cap. 4. dub. 4. Vigner. cap. 7. §. 5. vers. 5. Nau. cap. 23. numer. 115. Reginald. lib. 21. num. 125.

QVAESTIO LXXX.

QVID SIT RIXA.

QVid est rixa? R. Est contradictio in factis, quando aliqui priuata authoritate se inuicem ex ita percutiunt. Et ducta est à verbo ringer, quod significat pugnam priuatarum personarū ex mutua excandescentia, ac ira concitatā; qualis esse solet canum pugna, quorū cū irritantur, proprium est ringi. *Val. tom. 3. d. 3. quaest. 17. p. 1.* Hencque elucescit differentia inter rixā, & duellū. Pugna nāque orta ex subita rixa non pōt dici duellū deliberatū, ac determinatū, cum duellū sit singulare certamen ex condicto, & cōposito, determinato loco, & tempore, vt ptopterea occidens in rixa, in illas pœnas non incidat, quæ contra pugnātes in duello à Pontificijs cōstitutionibus inflictę sunt. *Floren. de prohibit. duelli. c. 1. Peregr. de Duello in princ. n. 1. Sanch. l. 2. cōcl. 135. de praecep. c. 39. n. 1. Bonac. de cens. disp. 2. quaest. 6. p. 2. Tusch. in v. duellum.* Rixosum vero homicidium quotuplex fit, & quomodo puniatur tradit. *Menoch. l. 2. de arbit. In. casu. 362. & Tusch. v. rixosum. concl. 355.*

Est autem de fide certū rixam ex parte eius qui solum est inuasor, semper ex suo genere peccatum esse mortale, tùm ex eo quod *D. Paulus ad Gal. 5.* inter peccata carnis ea numeret, quę qui agunt, Regnum Dei non possidebunt; tùm quod charitati, ac iustitiæ aduersetur, vt pote eò spectans, vt corporale damnum proximo inferatur. Potest tamen aliquando esse veniale peccatū tantū ex defectu deliberationis, aut exiguitatis damni illati. Qua ratione à culpa mortali frequenter excusantur pueriles rixæ, & per consequens ab excommunicatione lata in clerici percussorē. Sicuti etiam si quis forte cum aliquo in ecclesia contēdens, pugno eum in naribus percusserit, & sanguis in magna etiam quantitate flueret, vt in puerorū rixis contingere solet, ecclesia non polluitur. *Sayrus lib. 5. de cens. capit. 16. num. 3. Squilant. de oblig. cler. p. 4. num. 88.* Ex parte vero eius, qui non est inuasor, sed solum defensor, cōstat, nullum esse peccatum in illo, si non plus inuasorem repugnās lædat, quàm ad se tuendum necessarium sit, quandoquidem ex communi axiomate, & naturali principio, Vim vi cū moderamine inculpatæ tutelæ repellere licet. *l. vt vim. vbi DD ff. de Iustitia, & iure. Val. l. c. Reginald. lib. 21. num. 128. Tab. & Syl. & Iodoc. in v. rixa. Molfes. tract. 8. c. 8. n. 256.* Addo rixosos homines à legibus odio haberi, & in multis repelli, nam si v. g. testator sub certa pœna filios diuidere prohibuit, si vnus est rixosus, sine pena diuisio peti potest. Et licet contra fideiussorem nisi excusso principali, agi non possit; si tamen ipse principalis rixę morbo laboret, excussio necessaria non est, vt per *Iason in l. 2. off. sol. matrimonio.* Idem *Tusch. in verbo. rixosus. concl. 356.*

QVAESTIO LXXXI.

QVID SIT INDIGNATIO & tumor mentis.

QVid est indignatio, & tumor mētis, indignatio est qua is cui irascimur, contemnitur, & tanquam indignus à quo tale quid patiamur, vilipenditur. Et est cum habet coniunctū personæ contemptum cōtra charitatem proximo debitam; aut cum in tātum procedit, vt proximum iuuare paratus haud sit in his, in quib. præcepto charitatis, aut iustitiæ tenetur; aut se ab illius amicitia, & conuersatione subtrahendo, notabile scandalum alijs afferat, in quo casu communiter à mortali non excusatur. Ad hanc iræ speciem pertinet obuijs salutationem denegare; nam cum ipsa sit optatio quædam, qua alteri bonum precamur, humanitatis, charitatis, beneuolentiæ, ac humilitatis symbolum est, vti, vnde ab inter se iratis, & aduersarijs solū omitti experientia docet. Et sane mirum est, quātum ad conciliandos animos, & amicitias fouendas salutatio valeat, & quantùm etiam è contra animos ad odium, & iracūdiam concitet, hoc officium subtrahere, vt proptcrea grauiter peccēt, qui proximo suo per contemptum, vel cum scandalo, illud denegāt. *Iustin. in Tob cap. 5. versic. 10. in doc. Nau. capit. 14. num. 25. Tol. lib. 4. cap. 10. Bonac. de contract. d. 2. q. 5. p. 2. num. 4. & de leg. d. 3. quaest. 4. p. 3. num. 3. Vide infra cap. 25. quaest. 123.* Tumor mentis est, quo se ipsum irascens extollit, & alteri præfert, & ostensorem vt vilem contemnit, animū suum varijs amaris cogitationibus replens, quibus diuersas se vindicandi vias animo versat: ex cuius vltionis grauitate istud peccati genus mortale iudicandum est, nisi plenæ deliberationis defectus excuset. *Tol. l. 8. cap. 58. & omnes communiter.*

Porro remedia huic morbo à charitate petenda sunt, qua cum D. Carolus vehementer arderet, in nullius vmquam indignationem erupit, nisi flagitijs inquinatum, sed indignari, & odisse coactus, crimina potius detestatus est, quàm hominem, & vbi ad naturæ vitium errata, vel iniurias transferre poterat, voluntati, ac electioni parcebat. Nam & Demosthenes à caluo quodam ob iram maledictis aspersus, ego quidem, inquit, tibi nullam facio iniuriam, quin potius laudo capillos tuos, qui malam

caluariam effugerint, subnotans illum non iudicio, sed crebri vitio iracũdum, & maledicum esse. *Pereg. de affect. animi. de odio. cap. 1.* Profecto, vt ait *Lactantius Firm. l. 6. de vero cultu. cap. 18.* Nil viro bono potest esse tàm calamitosum, tàm cõtrarium, quàm iræ fræna permittere, quæ illum non modo boni, sed etiam hominis appellatione dispoliet, & nisi iniuria fuerit affectus, quantum in se ipso cohibendo fortitudinis habeat, ignorabitur, &c.

QVAESTIO LXXXII.

QVID SIT CLAMOR.

QVid est clamor alia iræ filia? R. Est cum iratus vocẽ extollit, multa inordinate, & confuse iactans, in clamore enim vitium, peccatum, & deformitatem inesse à christiano officio, & debito abhorrentem significat, *Apost. ad Ephes. cap. 4.* cum ait, Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis cum omni malitia. Quamuis autẽ hoc loco ex communi Patrum consensu, clamor ille damnetur, qui ex ita oritur, & altercationem fouet, attamen alij Doctores hoc Apostoli testimonium producunt, vt demissa voce vtentes clamorem in sermone fugiamus; siquidem cum clamor sit propria iratorũ vox, & in se turpitudinẽ habeat, si nõ ob aliud, ob id est vitãdus, ne irati, vel iratis similes esse credamur: nã & *Theophrastus. cap. 4. de char. mor.* ponit inter characteres rusticitatis voce magna, & contenta loqui: hinc prouerbium, Claudiana tonitrua, iactatũ in homines rusticos immodice clamosos, & odiose obstreperos: vnde & dicitur clamor, quasi calamorum sonus, & quasi calamor, arundines. n. vento agitatæ magnum sonum emittũt. Et *D. Bonauent. p. 1. spec. p. 4. cap. 5.* Vitiosissimus, inquit, plane religioso loquendi modus, si notabiliter suam in loquela communi vocem exaltet. *D. Bernardus. l. de int. domo. c. 41.* hoc vitium superbiæ attribuit, cum ait, Signa superbię sunt hęc, clamor in locutione, & amaritudo in silentio. Sed grauius loquitur. *Clemens. Alex. l. 2. Pæd. c. 7.* q ad insaniã illud refert, Elatus, inqr, clamor pronuntiationis res est insanissima. Nec illa verba *D. Benedicti. in reg. cap. 7.* dissidẽt, cum sic loquitur, Vndecimus humilitatis gradus est, si cum loquitur monachus, leniter, & sine risu humiliter, cum grauitate, vel pauca verba, & rationabilia loquatur, & non sit clamosus in voce, sicut scriptũ est, Sapiens in verbis innotescit paucis. Quinimo natura humanarum aurium quę moleste vociferationes fert, satis indicat, eos ciuilibus, & ingenuis moribus carere, qui vocis elationem in familiari colloquio non cohibent. Non semper tamen submisse loquendũ esse, docet nos illud Archidami pronuntiatum, Est vbi loquẽdum sit seuerius, est vbi blandius, vbi magnificentius, vbi submissius; ouis semper eandem edit vocem; cæterum homo multas, ac varias emittit. Sic si clamor ex rationis præscripto fiat, puta ad correctionẽ, laudabilis est, & vox non inordinata, sed forte insolita erit, vt ait *Tab. in v. clamor.* Communiter tamen hoc vitium venialis culpæ noxam non excedit, nisi sequatur scãdalum, quod quis præuidens euitare non curat; vel nisi ex iræ, vel clamoris vehemẽtia à Dei, vel proximi dilectione excidat *Ang. & idem Tab. in d. v. clamor.*

QVAESTIO LXXXIII.

QVID SIT CONTVMELIA, QVOMODO differat à conuicio, improperio, & irrisione, detractione, & quale peccatum sit.

QVid est contumelia quam supra inter iræ filias retulimus? quomodo differt à conuitio, improperio, & irrisione, detractione, & quale peccatum est? R. Est cum quis ex ira in verba iniuriosa cõtra proximum prorumpit, ad quam conuicium, & improperiũ, & irrisio referuntur; ista enim tria proximi honori aduersãtur, licet aliquo modo inter se differant, quod per eam defectus culpæ representetur, vt si quẽ voces furem. Per conuicium vero defectus pœnæ, quo quis à natura, vel ab aliquo euẽtu laborat, vt si aliquem claudum, vel monoculum appelles. Improperium vero est beneficij obiectio tempore necessitatis collati, de quo Cicero de amicitia ait, Odiosum sanè genus hominũ, officia exprobrantium, quæ meminisse debet is potius, in quem collata sunt, non cõmemorare is, qui cõtulit. Irrisio vero est cum quis malum culpæ, vel pœnæ, vel naturalis defectus, cachinnis in iocum pijcit, ut aliquis paruipẽdatur, & erubescat: siquidẽ, vt suo loco dicemus, Honoris, & famæ integritati multa peccata aduersantur, quæ ad duo genera reducuntur, vel enim in absentia fiunt, & detractio dicuntur, si uero in præsentia, ad hos supra dictos modos referuntur. Quos quidem dubium non est si formales sint, & animo iniuria afficiendi proferantur, esse peccatum mortale, nam si furtum, & rapina, propter damnum, quod in externis rebus infertur, lethalem culpam secum ex suo genere afferunt, multo magis cõtumelia, conuiciũ, improperiũ, detractio, & irrisio, per quæ honor maximũ bonũ læditur, iuxta illud *Prouerb. c. 22.* Melius est bonum nomen, quàm diuitiæ multæ, & illud *Matth. cap. 5.* Qui dixerit fratri suo fatue, reus erit gehennæ, ut per *D. Thom. 22. quæst. 72. artic. 1. & 2. vbi Arragon. & Salon. Val. disp. 5. quæst. 16. p. 2. D. Ant. 2. par. tit. 7 cap. 6. Sot. lib. 5. de Iustitia & iure. q. 9. art. 2. Nau. cap. 18. num. 10. Pet. Nau. lib. 2. de restit.*

cap. 4.

cap. 4. nu. 64. & seq. Molin. de iustitia, & iure. tr. 4. disp. 18. & seq. Viguer. cap. 5. §. 3. vers. 3. & seq. Reginald. l. 24. cap. 5. num. 100. Hilaret. Stap. & Bess. sem. domenica 5. post Pent. & alios.

Porrò tria potissimū dantur, quæ hoc peccatum et si ex expressa, vel tacita, contumelia; vel conuicio afficiendi intentione verba proijciantur, à mortali excusare possunt. Primum est si à Superiore correctionis causa, etiam si aliquis excessus accedat, proferantur. Secundum est paruitas materiæ, siue quia persona cui crimē obijcitur, parum habet honoris, siue quia ipsum honorem, & famam paruipendit, vt inter rusticos, & pueros cōtingere solet. Tertium est defectus cautelæ, & aduertētiæ ad id quod verbis euomitur, vt sæpe accidit inter mulierculas, & homines infimę sortis, qui se mutuo iræ calore concitati, contumelijs, & conuicijs aspergunt, prout illis in buccam venerint. Licet autem diuersa contumeliarum genera inueniantur, apud omnes tamen in confesso est, in formali ratione, quæ est intentio alteri sine iusta causa honorē auferendi, specie non differre: ex quo ex multorum sententia sequitur, regulariter loquendo non esse necesse, vt ipsæ contumeliæ in confessione explicentur, dicēdo appellaui proximū meum adulterū, stultū, ebriū, &c. sed sufficere dicere, toties grauem ei contumeliam intuli. Addunt tamen ex circunstantijs adeò contumeliæ grauitatem augeri posse, vt eius expressio sit de necessitate confessionis, vt si quis hæreticus, vel patriæ proditor, vel quid aliud simile appelletur, vel si parentes iniuria afficiantur, cum nec vultu lædenda sit pietas. *DD. vbi supra. Sà in v. iniuria. n. 6. & v. contumelia. Fernandes. p. 1. cap. 9. §. 9. num. 28 Sayrus. in claui reg. l. 12. cap. 4. num. 8. Azor. p. 3. lib. 13. c. 5. d. 6. Bonac. de cōtract. q. 5. p. 1. Reg. l. c. n. 102.*

Quò vero honor per contumeliā, conuiciū, &c. ablatus, restituendus sit, & quando quis etiam eas sustinere teneatur, dicemus in materia restitutionis, & Super 8. decalogi præceptū. Illud nunc annotasse sufficiat, qđ Bonasus animal est, id ēt homo maledicus, & detractor est, ille. n. si Plinio fidē habemus, quoniam cornibus implexis, & valde recuruatis, & pugnæ inutilibus lædere non valet, fimum aufugiens reddit, cuius contactus insequentes adurit: ita hic dum coram non audet, vt pote impotēs, & imbecillis, conuicijs, & contumelijs afficere, à tergo spargendo, probis, proximum contaminat. Nihilominus percunctanti, an maledici diligendi essent D. Basilius respondit, omnino diligendi, & fouendi sunt, quia eorum opera eam beatitudinem consequimur, de qua Christus dixit, Beati estis cū maledixerint vobis homines, vt colligitur ex *reg. fus. disp. q. 176. arg. Tusch. in ver. malos. concl. 29.*

Sanè excellentiū virorū est, cōtumelias negligere, quæ à palam improbis proficiscūtur, à quibus et laudari turpe est, ut ait Plutarch. in Lacon. Gloriosi milites nihil aliud quàm cicatrices ostendunt, ac vulnera iactant; sic multo nobilius est contumeliæ, vel calumniæ Christi studio acceptæ signa præseferre. Et sicut Cetus, teste Plinio, vt à quodā inimici pisciculi putido foetore se tueatur, succini iucundissimum in illū euomit odorē; ita uir fidelis dum varijs ab impijs calumnijs impetitur, suauissimum patientiæ, & mansuetudis odorem exhalare deberet, quo non modo se ipsum defenderet, verum, & ipsos hostes sibi conciliaret. *Iustin. in Tob. capit. 2. vers. 23. in docum.*

CAP. XVIII.

QVAESTIO LXXXIV.

QVID SIT MALEDICTVM, ET QVALE peccatum sit.

Quæritur quid sit maledictio, & quale peccatum sit? R. Est imprecatio, & exoptatio mali in aliquem proiecta sub ratione mali. Quod quidem haud licere probat. *D. Thomas. 22. quæst. 76. art. 1. & 2.* Nam quod facere non licet, optando, uel imprecādo velle, vel desiderare, vllo modo fas est, sed alteri ex intētione malū inferre ut malū est, nō licet, ergo nec alteri uelle malū sub ratione mali; huc enim pertinet illud *Apostoli ad Rom. 12.* Benedicite, & nolite maledicere. Maledictio autē illa qua quis alteri malum aliqđ sub ratione boni euenire imprecatur, licita est: quo pacto Iudex maledicit, pœnam reo inferri imperando, & ecclesia aliquem hominem, quē excomunicationis gladio ferit, execrando; vel etiam si quis christianæ fidei hostibus, & persecutoribus mortem imprecetur (quo pacto ait *Gretserus l. de maledict.* viri etiam sancti peccatoribus morbos, & flagella à Deo precari solent, vt à peccatis desistant, conuertantur, & pœnitentiam agāt,) uel iuueni luxurioso, & perdito, infirmitatem, ut ad sanam mētem redeat, uel litigatori, & iniustè uexanti aliquod aliud malū, ut à uexatione, uel oppressione reuocetur, ut per *Arrag. & Salonem. d. quæst. 76. art. 2.* Quod si tales maledictiones in creaturas rōnis expertes iaciūtur, quatenus sunt creatæ à Deo, blasphemiæ peccatum induunt; si propter damnū redundans in proximum, cuius illæ sunt desiderentur, ut eueniant, iniustitia consurgit. Si autem res creatę secundum se non habita ratione ad Deum, nec ad aliud maledicantur, idem D. Thomas cōmuniter receptus docet, actum esse otiosum, & uanum, atque adeo illicitū. Ex quibus radicibus illud consequitur, Confessarium debere pœnitentem examinare, quomodo, & quo animo dirum exitium alicui imprecatus fuerit, quia in hac re diuersa ratio peccati ex uaria intentione

dimanat. *Sayrus libr. 12. clauis reg. cap. 3. num. 14. Molfes. tract. 11. cap. 3. num. 46. Iust. in Tob. cap. 13. versic. 17.*

Porro dum quæritur, quandonam maledictio peccatum sit mortale, & quando veniale, dicẽdum est, tunc lethalem culpã afferre, quando plena animi adest deliberatio, & malum est magnũ, seu alicuius momenti; venialem vero, quãdo imperfecta est deliberatio, vel malũ exiguum. Vnde non semper in mulierculis maledicentibus suis liberis, vel ancillis, mulionibusue, vel rusticis, in se, vel iumenta diras euomentibus, est peccatum mortale, quia frequenter ex ira quadam, & ex deprauato inolito vsu, non ex animo malum imprecãtur; secus si consultò, deliberate, & aduertenter maledicant, etiam si postea statim eos pœniteat. Pessima res est hæc cõsuetudo, & hominib. infimæ classis peculiaris; ac proinde à Cõfessarijs extirpanda, propositis exemplis à sacra scriptura, & Doctoribus petitis; & aliquam præseruatiuam pœnitentiam in iungẽdo, vt quoties in huiusmodi peccatum incidere cõtigerit, terram in modum crucis lingua signent, &c.

Execrari vero aliquas res creatas in ordine ad mala hominis, q̃ inde prouenerunt, culpa caret; sic .n. Iob propter originalis peccati mala, diei natiuitatis suæ maledixit. Et si alij explicent, illũ Iobi locum *cap. 3.* secundum sensitiuæ partis affectum locutum fuisse; nam quamuis esse, & viuere sint secundum se appetibilia, esse tamen & viuere in miseria, quatenus tale, malum est, ac fugiendum. Quippe Stoicorum indolentia damnatur, dolor est naturæ inimicus, gemitus, & suspiria non cum christiana fortitudine pugnant, caro nostra nec ænea, nec saxea est, non è silice nati sumus, naturale est in animis tenerum quiddam, quod ægritudine quasi tempestate quatiatur, &c. *Arrag. 22. quæst. 76. art. 2. Pineda in Comment. in Iob. vers. 11. sect. 5. & 6.* Vnde prudens Cõfessarius maxime studere debet, vt hoc vitium ab initijs, ex pœnitentis animo auellatur, si .n. callũ in hoc obduxerit, & radices egerit, difficile amputabitur, cum consuetudo altera natura dicatur: & vt ait Seneca, Dediscat animus sero, quod diù didicit, quod prǽclaro exemplo Cupressi, quæ alte creuerit, ostendit *B. Dorotheus. doct. 11. vt dixi infra tract. 7. cap. 35. quæst. 125.* Et vt obseruat *Iustin. cap. 3. in Tob. vers. 8.* Sicut in veteri lege leproso præcipiebatur, vt os veste cõtectum haberet, quoties cunque foras egrederetur, ne pestifero halitu obuios inficeret; ita maledicus cum sepulchrum patens sit eius guttur, fœtore plenũ, pestilentes verborum halitus emittens, quæ & circunstantes inficiant, & eum cui maledicit, certo ictu percutiant malum ei imprecando, vel honorem eius lædendo, vel animi pacem perturbãdo, merito ab hominum consortio seiungẽdus foret. Præsertim quod iratus & maledicus misericordiam à se excludit, qua nihil sublimius, & qua ad Deũ maxime accedimus, qua sublata magis incommodis necesse est vt humana sors affligatur, quid enim homini suapte natura infirmo, & ad naturæ labem ad delinquẽdum prono fiat, si erratum subito maledictio, & vltio sequatur? Dominus noster de Monte Oliueti ad Cęlos ascendit, quo significatur, non nisi misericordiæ filium ad supernam patriam contẽdere posse, ideo enim *Matth. c. 5.* mites & misericordes beatos prædicauit, quoniam ipsi misericordiam cõsequentur. *D. Bonauent. tom. 2. Opusc. tit. 7. Salmeron. tom. 5. tr. 17. de serm. Domini in Monte. Rolandus. à Valle volum. 3. cons. 77. Tuschus. verbo. misereri. concl. 274.*

QVAESTIO LXXXV.

QVID SIT BLASPHEMIA, QVOTVPLEX & quale peccatum.

QVid est blasphemia postrema iræ filia, quotuplex, & quale peccatũ est, &c? R. Est peccatum, quo aliquid de diuinæ bonitatis excellentia detrahitur, dicendo falso aliquid Deo inesse, quod non inest, vel negando inesse, qd inest, idque voluntate quadam derogandi hac ratione Diuinę Maestati, seu Bonitati, vt ex *D. 7 hom. 22. q. 13. ar. 1. colligit. Val. to. 3. disp. 1. q. 13. p. 1. & Sanchez. l. 2. de præcept. cap. 32.* Hoc vitium in plures species diuidi solet, prout quędam est blasphemia mentalis, quæ sola mente in Deum, vel Sanctos concipitur, non tamen in ecclesiæ cẽsuram, vel reseruationem cadit, cum de occultis ecclesia nõ iudicet. *cap. erubescant. dist. 32.* vt obseruauimus *in Comment. de cas. reser. p. 2. cap. 1.*

Alia dicitur externa, qua vt dictum est, aliquid verbis contumeliosis Deo, vel Sanctis cœlestis patriæ ciuibus tribuitur, quod in ipsos non quadrat, vel aliquid detrahitur, quod ipsorum est proprium eisque conueniens. Rursus blasphemia alia est simplex, quæ fidei articulis quo quomodo non aduersatur, vt pote cum quis malum Deo, B. Mariæ Virgini, vel Sanctis imprecatur, execrat, & verba obscœna, vel iniuriosa in eos profert. & hęc à Canonistis ad titulum de maledicis refertur: *c. 1. & 2. ext. de maled.* Quędã vero sunt, quæ cõtra eosdem articulos fidei euomũtur, & directè Dei attributa præsertim omnipotentiam agitant, vt qui ore impio dicunt, Deum hoc, vel illud facere non posse; vel qui B. M. Virginis pudicitiam proscindunt, proferẽtes eam meretricem, vel æquipollentia verba; qui quidem cum ad titulum de hæreticis reducantur, merito violatę religionis Censorũ iudicio subduntur, & ut de hæresi suspecti censentur; non tamen hæretici formaliter dicuntur, nisi in intellectu errorem

fidei

fidei catholicæ contrarium habeant. Idem dicendum de blasphemis largo modo sumptis, qui opere, vel facto blasphemias proijciũt, percutiẽdo Dei, vel Sanctorum imagines, vel alijs modis iniuriam inferendo. *Suar. de relig. tract. 3. par. 1. lib. 1. cap. 4. Vgol. de censur. in Bulla Cœnæ Domini. p. 2. cap. 1. §. 3. Duard. ibi l. 2. can. 1. quæst. 22. num. 11. Graffius l. 2. decis. aur. cap. 20. num. 13. Menoch. l. 2. de arbit. Iud. cent. 4. casu. 375. & seq. Simancas. in Cath. Instit. tit. 8. Pegna in 2. par. Direct. Inq. Comment. 66. Boer. par. 2. Decis. 301. & alij communiter.*

Esse vero peccatum mortale, & omnium grauissimum, & si in christiana republica non sine magna eius pernicie, frequentissimum, hinc constat, quod fidei confessioni, charitati, ac diuinæ bonitati omnino aduersatur, vt proinde ob eius atrocitatem seuerissima mortis genera à lege, tàm diuina, quã humana inferantur, vt præcitati DD. abunde restãtur. Nec ob materiæ leuitatem, aut passionẽ, seu etiam consuetudinem, à mortali culpa quis eximitur, nisi ex linguæ lapsu non aduertendo, blasphemiæ verba protulisset, siquidem concors est DD. sententia, si adeò subita est ira, vel alia animi perturbatio, vt omnem rationis deliberationẽ anteuertat, nullum peccatum admitti; si vero aliquãtulum rationis iudicium sequatur, plenũ tñ præcurrat, veniale peccatum reseruationis immune contrahi: si aũt plenam rõnis deliberationẽ comitetur, lethalẽ culpã committi. Et cõiter traditur, blasphemiã hæreticalem ordinarie ad fidei Inquisitores pertinere; non hæreticalem vero esse mixti fori, ita vt præuẽtioni locus detur, & per Iudicem tàm ecclesiasticum, quàm secularem puniri possit, & ex qualitate blasphemiæ varijs modis in foro externo plecti solet. In foro vero conscientiæ ab Episcopis reseruari consueuit, vt grauiori, & acriori pœnitentia in illud animaduertatur. Insuper ob eius enormitatẽ, audientes aliquẽ impie blasphemare, ad violatę religionis Iudices ex eorum præscripto, & recepto vsu deferre tenẽtur, vt infra suo loco dicemus. *Azor. p. 1. l. 9. cap. 28. q. 16. Sayrus lib. 6. clauis reg. cap. 13. num. 5. Bannes. 22. quæst. 13. art. 2. Reginald. lib. 18. num. 147. Molfes. tract. 11. cap. 3. Mascard. de probat. volum. 1. concl. 194. Tusch. verbo. blasphemia. concl. 96. Bonaciu. de leg. disp. 3. quæst. 8. p. 1. num. 5.*

Quomodo porro Confessarius erga blasphemũ pœnitentem se gerere debeat, & quæ remedia adhibere, præter adducta à nobis in *Comment. de cas. reser. p. 2. c. 1.* infra in primo decalogi præcepto Deo dante docebimus. *tract. 7. cap. 5. quæst. 22. & seq.*

Hoc tñ nunc innuisse sufficiat, blasphemum absoluendum non esse, sine graui pœnitentia seueri confessarij arbitrio iniuncta. Conciliũ Lateranense statuisse, cui consonat Concilium Tridentinum. *de satisfact. sess. 14. cap. 8.*

QVAESTIO LXXXVI.

AN EX IRA BLASPHEMANS IN FORO externo puniri debeat; & an ira inualidos reddat omnes actus ex ea prouenientes?

AN qui ex iræ furore in blasphemię verba prorumpit in foro externo excusetur, & an ira oẽs actus ex ea prouenientes inualidos reddat, &c. R. Primo, ille qui calore iracũdiæ linguã in blasphemiam contra Deum, vel Sanctos relaxauerit, licet minus peccet, quàm qui ex proposito blasphemauerit, non tamen illius pœnas effugiet, Iudicis arbitrio temperandas; si enim iracundiæ calor excusaret, fere omnes excusari deberẽt, quia rari sunt, qui sedato animo & non excãdescenti blasphemẽt, & nullum homicidium fere puniendum esset, quia vt plurimum ex iræ feruore committitur. *Tiraq. de temp. pœnis. causa. 1. Farinac. eodem tit. quæst. 91. Menoch. supra. l. e. Lazarius. de blasphemia. quæst. 7. numer. 62. Tuschus. in verbo iracundia. concl. 360. Molfes. tract. 11. cap. 3. Nald. in v. blasphemia. n. 5.* Sane vt uerum fateamur, grauiter peccant christiani Principes, & eorum Magistratus, qui in hoc crimen seuerissime non animaduertunt, cũ deploranda sit infelicissima horum temporum conditio, in quibus blasphemiæ impudẽtia, & impietas cò prolapsa est, vt passim etiam pueri Sacratissimum Dei & Iesu Christi nomen, Sanctissimæ Genitricis, & aliorum Sãctorum, impijs, ac detestandis maledictis lacerare nõ erubescãt, & in delicto omniũ grauissimo gloriari; vt propterea mirandum non sit, si à fideli populo in tantis calamitatibus constituto diuinæ iracundiæ flagella non remoueãtur. Et quia experientia ipsa cõpertum est, publicos ludos, quos barrattarias vulgus appellat, præter furta, multasque aliàs iniquitates, quibus causam præbent, blasphemiam maxime enutrire, propterea ijdem sæculares Magistratus, & Iudices sicut læsæ humanæ Maestatis reos seuerissime puniunt; sic læsæ diuinę Maestatis crimen impunitum relinquere non debent, uberrimam huius pij officij mercedem à Deo expectantes, præter decem annorũ indulgentiam, quam Leo X. in Concilio Lateranensi, tàm Iudicibus hoc flagitium ulciscentibus, quàm illud ad eosdem deferentibus elargitus est. Animaduertunt ẽt nõnulli Doctores, in huiusmodi scelus incidere solere homines abiectę uitæ, & profligatorum morum, suam famam, & honorem paruipẽdẽtes, qui mala quæ sibi eueniunt, Deo attribuẽtes, ira, & indignatione correpti, Deum ipsum, B. Virginem, & alios Sanctos conuicijs insectantur. *Azor. p. 1. lib 9. cap. 28. quæst. 3. Roder. tom. 2. qq. regul. quæst. 5. artic. 6. Lazar. de blasphem. quæst. 6.*

Secũdo dico, iram infringere omnes actus tàm ciuiles,

ciuiles, quàm criminales, qui ex ea prouenisse, nam quidquid calore iracundiæ, uel tumultuario mentis impulsu uel fit, uel dicitur, non prius ratum est, quàm si perseuerantia apparuerit, iudicium animi adfuisse; hinc cõtractus ex ira initi, uotũ emissum, iuramentum præstitum, electio, uel etiam professio iracundiæ calore facta, cum uoluntatem, & deliberationem requirant, uiribus carẽt, nec effectũ suum sortiuntur, ut per *Decium, & Cagnol. in l. quidquid ff. de reg. Iu. Tiraq. & Farinac. l. c. Tusch. in verbo Iracundia. concl.* 360.

CAP. XIX.

QVAESTIO LXXXVII.

QVOMODO CONFESSARIVS IN PRAXI cum homine iracundo se gerere debeat, & quæ remedia præbere.

QVomodo Confessarius in praxi erga hominem iracundum se gerere debet, & quæ remedia ei adhibere? R. In primis proponet supra adductos iræ affectus scilicet rixam, mentis tumorem, contumeliam, &c. Adde Secũdo, dolorem in animã à retardatione, atque mora uindictæ, & anxietate ne non sequatur, & percrebescentia mala, si sequatur. Mille mala, mille absurda cõmittit, quem semel cæpet ira, & uindicta transuersum ferre; quò fit, ut qui illa delectatur, ad propriũ damnum, & ruinam festinet. *Seneca l. 1. de ira. D. Anton. p. 1. tit. 6. cap. 11. §. 1. & 2. & p. 2. tit. 7. cap. 1. §. 3.* Vnde non defuere, qui per ursi simulachrum, immanem iram intelligi uoluerint, quod hoc animal immodicis soleat animis excitari, & in omnẽ truculentiam efferri: ideo indignatio, ferociaque ursina, quæ pueros Elisæo illudẽtes extinxit, in diuinis literis Hierosolymitani excidij indiciũ fuit, ut per *Pier. in Hieroglyph. l.* 11. Terrio, perturbationem rationis, ac de mente deiectionem, iuxta illud Terentij; Præ iracundia Menedeme nõ sum apud me. Quare leges minus seuere delicta ex iracundiæ calore patrata puniũt &, ut dixi supra, multos actus ut contractus, uota, iuramenta, iræ calore facta, inualida decernũt, ut per *Tiraq. & Farin. l. c.* Et adeo tribuẽdum aliqui huic passioni ducunt, ut dixerint in homicidio perpetrato ex motu secundo primo non esse faciendam restitutionem, quod tamen sobrie asserendum est. *Lessius lib. 2. de iustitia. cap. 7. dub. 6. num. 28. Pet. Nau. lib. 2. de restit. cap. 1. n. 48.* Hinc & *Iulius Clar. in §. iniuria. n. 16.* ex aliquorum sententia ait, iniuriam tolli, si illam inferẽs dicat, quod iracundiæ calore permotus hoc fecit, & quod pœniteat talem excessum admisisse. Idque eo magis qđ iniuria ex affectu facientis pensanda est, aliàs sine animo eam inferendi nõ committitur, & error magis præsumitur, quàm dolus. *Ioseph. Lud. Decis. Luc. 4. Mascard. de Probat. concl.* 902. *Surd. Decis.* 89. Proinde hæc passio in cõsultationibus uitanda, & comprimenda est, qđ mentis aciem quasi tenebris iniectis, à ueri prospectu impediat, Catone sic attestante,

Impedit ira animum, ne possit cernere verum.

Vt merito quoque dixerit Bias, consilio, & deliberationi duo maxime opponi, festinationẽ, & iram. Diabolus facit sicut piscator, qui turbat aquam, ut pisces non uidentes rete ingrediantur; sic cõis hostis turbat hominem, ut peccatum non cognoscens in illud trahat. Item similis est coruo, qui cum ad cadauer accedit, primo oculos eruit, sic ille per irã hominem excæcat, ut postea in delictorũ foueam præcipitet. Qua ratione *D. Chrisost. l. 3. de sacerd.* ait feruentem, & ad iram concitum, ad clericatum ineptum esse, agrestioris enim animi ferocitas, furorque mentem alienans, tùm possessori suo, tùm etiã proximo ingentium calamitatum auctor sæpe fuit. Quarto, ꝓponet feruorẽ sanguinis circa cor, quẽm palpitatio ob exarsionẽ sequitur, ac ligamẽ linguæ, & organorum, quibus uox formatur; totius corporis immutatio, symptomata, epilepticus quandoque paroxismus, & febris, quam cito mors excipit. Vnde *Galenus. l. 5. de locis affectis.* cuiusdam Grammatici meminit, qui in ira statim comitiali morbo corripiebatur. Et legimus Valentinianum Imper. natura iracundum misera morte petijsse; ac Matthiam Hungarorũ Regem ira sic exarsisse, ut apoplexia correptus subito sit extinctus. Et si idem *Galen. l. 2. de sympt. caus.* Ex ira confestim, & sine mora quem mori negat. Sed illud certum, iram uitam corripere, qđ illis uerbis ẽt indicat sapiens. *Eccles. cap.* 30. Zelus, & iracundia minuunt dies, & ante tempus senectutem adducit cogitatus.

Secundum remedium est patiẽtiæ bonum, id est malorum omniũ, quæ Deus per se, uel per res creatas nobis infert, constans spe celestis uitæ tolerantia; per hanc enim homo præseruatur, ne aut contra Deum insurgens obmurmuret, aut de proximo vltionem sumere uelit, sibi persuadendo, iniurias, & calamitates à Deo utilitatis suæ causa immitti, ut *D. Chrisost. hom. 10. de diuers.* significat his uerbis utens, Mansuetiores filiorum parentes, cum patuulos suos uiderint à se quidẽ discedere, æquæuorum autem suorum lusibus detineri, præcipiunt famulis terribilia multa simulare, ut exagitati metu paruuli ad maternum sinum festinent confugere: ita & Deus non modo ab alijs nos finit tribulari, sed nonnunquam etiam ipse plagam minatur, non ut eam in nos inducat, sed ut nos ad se potius adducat. Hæc ille. Homo iniuria affectus non debet canem imitati, qui lapide percussus non proijciẽtem insequi-

insequitur, sed in proiectum ipsum lapidem mordicus sæuit: potius conijciendi sunt oculi in Deum volentem eum hic corrigere, ne damnet in fine. *D. Anton. d. p. 1. tit. 6. cap. 11. §. 3. Lessius libr. 4. cap. 4. dub. 3. & 4.* Valde iuuant proposita de non irascendo per annum, menses, dies, quæ subinde innouari possunt, cũ quis in irã proruperit, & aliquã pœnam sibi sponte assumere, sic enim vt monuit & Plutarchus, progressus ad virtutem fiet.

Tertium, præparare se quotidie ad contumelias pro Christo perferendas & ad ipsum respicere, qui cum pateretur, non comminabatur, *1. Pet. 2. D. Basil. hom. de ira.* Qua consideratione munitus B. Elzearius Ariani comes, omnes iniurias, & quælibet aduersa æquo animo ferebat, vt in eius vita refert. *Surius. to. 5. die 27. Septem.* Hinc *Claudianus,*

Dijs proximus ille est, quẽ ratio, nõ ira mouet, &c. Ne indignetur homo, si aduersis conflictetur, & in hoc mũdo deprimatur, qa nõ est christianæ religionis hic in tẽporalibus exaltari, vt propterea nõ immerito & Amasys Ægypti Rex, nimiam Polycratis prosperitatem suspectam habuerit, ac sinistri cuius piam ominis instar duxerit. *D. Aug. ser. de patiẽtia.*

Quartum, suspicionẽ remouere, nec opinari, ea quæ nobis displicent, in contemptum nostri facta, sed potius per incuriam admissa. Videre etiã proprios defectus, & quanta in nobis metipsis tolerent alij, quanta que ipse Deus. Turpe esse, iniuriam referre, nam qui id facit, flagitij partem accipit, ac in peccato est, vt qui fuliginosum cõplectitur, & cum eo volutatur, fuligine inquinatus abit. Irrideturq; iure merito Chtesipho Pancratista, qui mulam sibi calce feriendam duxit. Item stultum esse, gloriæ corona se priuare, cum homo per irã amittat, quidquid diuturno labore partum est, & qui malũ pro malo reddit, se ob rem ludicram necet, &c. Iracundus est sicut homo, cui domus comburitur, tunc in vesperis diues est, & mane nihil habet, quia ignis omnia sibi abstulit: ita ille ad sibilum vnius verbi, dum in iram, vel odium cadit, omnia spiritualia bona perdit, &c. Refert Albertus Magnus quod si vna tantum aranea alueum apum intret, hæc sola suo veneno oẽs necet apes; sic vna sola culpa omnia opera bona absumit, ac inficit. Defleat peccator ait Canonica regula, quia offendens in vno factus est oium reus. Qui peccat in vno .i. in charitate, q̃ nos vnũ cum Deo & proximo facit, ipsam charitatem violat, ex qua oĩs lex pendet, & reus fit omniũ eam scilicet lædẽdo, à qua omnia bona manant. *Io. Bap. Finus de reg. In. hom. t. D. Cyp. l. de patientia.*

Quintum, remedium est contra iram fortiter dimicare, & principijs obsistere. Et si enim naturæ sit irasci, hominis n est iram temperare, ait *D. Amb. Epist. 82.* Hinc D. Carolus Borromæus cum se maxime ira stimulari sentiret, cõtinebat se, & comprimebat, ne vllum verbum effutiret, & nec motus ille resedisset: solebat autem interea anulum versare, quem in digito gerebat, qd cum domestici aduertissent, hoc ipsis indicio erat, quod sibi vim faceret, iuxta illud Vatis regij *Psalm. 77.*

Turbatus sum, & non sum locutus. Ausonius in iram propensus de se ipso dicebat,

Irasci promptus properaui condere motum,
Atque mihi pœnas pro leuitate dedi.

Insuper multum refert, subtrahere etiam irascendi occasiones, vt Cotys Rex Thraciæ fecit, vasa namque torno elaborata, sed fragilia ipse confregit, ne cũ iracundiorẽ se natura intelligeret, eorum gratia aliquando in domesticos sæuiret. Adde etiam illud præcipuum censendum, imporentem sui amorẽ remouere nam teste *Plut. l. de cohib. irac.* Radix iræ inordinatus amor sui est, cupiditas nimia, superbia, elatio animi, hæc tolle, inquit, & iræ remedium apposuisti, vt patet in Stephano seruo Dei apud *D. Greg. l. 4. dial. c. 19. & Iustin. in Tob. c. 1. vers. 21. & seq. doctr. 2.* Item recedere ab his, contra quos ira commouentur, & se alijs negotijs applicare, seque Deo commendare, donec iracundia ipsa deferbuerit, inde .n. fiet, vt homo magnã ex eo delectationẽ sentiat, quod nihil opere, aut verbo admiserit, vnde ipsum pœnituisset. *cap. cum apud 11. quæst. 3.*

Nam qui non moderabitur iræ,
Infectum volet esse, dolor quod suaserit, & mens.

Sextum est admouere aures sermonibus cũ doctrina, & veritate coniunctis, nã & Menãder dixit, non aliud aptius pharmacũ iræ esse posse, q̃ grauis viri orationẽ. Galenus scribit quẽdam in itinere cũ ex ira seruum vulnerasset, facti pœnitentia statim vestes in via exuisse, & porrecto loro Galenum rogasse, vt eo vapularet. quæ cum ille nõ sine risu excepisset, non tàm verberibus ait, quàm matura oratione huiusmodi morbo occurri posse, ac firma deliberatione amplius nihil tale committendi. Hæc nihilominus tempestiue adhibenda sunt, vbi .l. ira paululum resederit, iuxta illu Pythagoricũ, Ignem gladio ne fodito .i. ita percitũ ne lacessas; quin magis concedere conuenit, & blandis opportunisque verbis tumidum animũ placare. Porro indicia nos irã superasse sunt. Primo, cũ externos motus cohibemus. Secundo, cum ei vbelcimus irati inueniri. Tertio, cum reddimus bonum pro malo. Quarto, cum ira rationẽ non preuenit, sed sequitur. *D. Basilius hom. de ira. Rossignol. l. 2. cap. 17.*

QVAESTIO LXXXVIII.

QVAENAM SINT INSVPER ERGA iracundos Confessarij partes, &c.

QVænã insuper sunt Confessarij erga ira contaminatos partes, quid eis iniungere, & sibi consu-

consulere,&c? R. Confessarius etiam pro munere suo contaminatos animos conciliare studebit, sic enim necessaria est reconciliatio, vbi ira contumelia, vel odium intercessit, vt donec illa facta fuerit, nullum Deo munus nostrũ placeat. *Angelus in v. contumelia. Surius in vita Ioannis Eleemosynarij. Stap. domenica 5. post Pent. Iustin. in Tob. c. 5. versic. 19. doc. 2.* Pythagorici si quando ira commoti ad mutua conuitia processissent, ante solis occasum dextris inuicem datis, exosculatisque, se mutuo placabāt. *Plut. to. 2. opusc. de amore fraterno. Et Marulus. l. 3. cap. 6. ac Pet. de Nat. l. 1. cap. 38.* referunt B. Agathonem dixisse, se numquam somnum cepisse, nisi prius & suam aduersus alios, & aliorum contra se ortam indignationem mitigando sopiret. Ad iniurias æquo animo ferendas, proponendum est illud Domini præceptum. *Leuit. cap. 19.* Nō quæres vltionē, neque memor eis iniuriæ ciuium tuorum; cui quidem præceptioni inter alias obsequens fuit B. Ioāna de Orbieto, quam legimus adeò singulari alacritate sibi illatas iniurias pertulisse, vt Dei amore succensa non iniurias vocaret, sed beneficia, & qđ admirabilius est, consuesceret bis centies dominicam orationem pro illis ad Deum fundere, à quibus aliqua affecta fuisset iniuria: vt propterea soliti fuerint dicere eius familiares, quis quis illius precum suffragia impetrare vellet, eum oportere aduersus illam cōtumeliosum esse. Item suggerendum, frugiferæ arboris naturam imitandam esse, cuius radicibus quidquid apponatur, siue aqua sit, siue terra, siue cinis, siue quodcunq; putgamentum, in flores, frondes, & fructus, omnia illa conuertit, ita pius christianus quidquid in eum homines cōtulerint, siue commodi, siue incommodi, siue contumeliæ, &c. omnia æqui bonique facit: Idque eo magis quod vt ait Hesiodus,

Ipse sibi nocet is, alios qui lædere quærit.

Carbo de pacificat. cap. 53.

Cum ex ira homicidium secutum fuerit, præter restitutionem, Confessarius pœnitenti longam peregrinationem imponere poterit, item, vt sacra pro occiso fieri procuret, Hospitaliũ ministeria obeat, sacramēta pœnitētiæ, & eucharistię frequētet, & cũ talis casus reseruatus fuerit, absoluere ab eo nō debet, nec super irregularitate dispensare, sed ad Superiorem remittere. *Zecchius in Theologia morali. de pœnit. cap. 18. Reginald. lib. 7. num. 72.*

Postremo scire ipse spiritualis medicus, dēt iracūdiæ vitium ab omnibus, maxime tñ à publicis personis, tàm sæcularibus, quàm ecclesiasticis alienum esse debere, cum illud efficiat, vt multa temere, & inconsiderate fiant: vt enim fumus oculos mordicans ea, quæ ante pedes sunt, videre non finit, nauis uentis agitata submergitur, nisi gubernantis industria regatur, in tumultu quid nobis dicatur non audimus, per nebulam corpora non bene conspiciuntur, ita qui irati sunt, nihil prudenter, sed omnia sine Consilio, ac ratione faciūt. Quamobrem rectè præcipiunt, qui Iudices, Magistratus, Episcopos, Vicarios, Patochos, & Confessarios, ita sententias dicere volunt, vt medici, qui dum alijs pharmaca adhibent, interim ægroto non irascuntur, aut vt leges, quæ ad puniendum non iracundia, sed rerum æqualitate ducũtur. Propterea patienter Cōfessarius debet pœnitentis causas audire, & quieto, sedatoque animo eas iudicare, Christus enim cuius vices in illo tribunali gerit, est Iudex iustus, fortis, & patiēs, & sine ira, cũ trāquillatate iudicat. Et quia, vt alias scripsi, innumeræ sunt molestiæ, quæ in illo munere obeundo se offerunt, par est, vt eas Deo offerat, & sua sapientia aliorũ insipiētias toleret, &c. *Tympius in spec. boni Magist. signo 89. D. Anton. 3. part. tit. 9. capit. 1.*

ARTICVLI SVPER GVLA, EIVS speciebus, & sobole. Cap. XX.

QVAESTIO LXXXIX.

QVID SIT GVLA, ET QVALE peccatum.

Quid est gula, quale peccatum, & quot modis committitur? R. Est cibi, potusq; appetitus inordinatus, seu rationis præscriptum excedens; quod quimque modis fieri potest hoc versiculo indicatis,

Præpropere, laute, nimis, ardenter, studiose.

de quib. infra. Diximus (appetitus) quia gula principaliter circa animę passiones versatur, ideò huiusmodi peccatũ nō simpliciter in exteriori actu consistit, scilicet delectabiliter comedere, potest enim homo in cibi sumptione delectari, & voluptatem percipere, & cum aliqua etiam auiditate illum inculpate sumere, qđ accidere potest, vel ex magna fame & siti qua conflictetur (siquidem ex Catonis Maioris apophtegmate, Valde difficile est, vacuo ventri aures non habenti verba dare) quæ cum ad vegeratiuę virtutis appetitum pertineat, in eo nec virtus, nec vitium agnoscitur; vel ex qualitate cibi ipsam famem naturaliter excitantis, in quo consequenter peccatum excludetur.

Tunc vero in sumptione, & delectatione cibi vitium inesse poterit, quando illa ex eiusdem cibi, & potus inordinata concupiscentia procederet: subtilis est adeo gulæ fraus, vt non sit satis ante mensam secum statuere, velle seruire tantum necessitati, nisi cura magna adhibeatur inter comedendum, & bibendum, ne quidquā voluptati indulgeatur, vt ait *D. Aug. l. 10. conf. c. 31.* Dictum est in diffinitione (inot-

(inordinatus) gula enim non importat quemlibet appetitum edendi, & bibendi, aliàs vix homo sine peccato comedere posset, siquidem licet delicatam escam appetere, dum quis est cõualescens, aut stomacho debilitatus, vt roboretur, aut appetitus excitetur, vel dum studet, prædicat, aut alios docendo legit, vt laboribus resistat, &c. & mereri tũc põt, dũ hoc in debitũ finẽ refert; nam ordinatus cibi, & potus appetitus ad sustẽtandam naturam, ad temperantiæ, & sobrietatis virtutem spectat. Porro appetitus erit inordinatus, cum ab ordine rationis deflectit, & quidem mortale peccatum erit, vt etiam dicam infra *quæst.* 105. si quis gula motus aliqd diuinum, vel ecclesiasticum præceptum lęderet, siue si iustitiam alteri debitam violaret, vt si quis ut laute comedat, æs alienum qđ soluere non poterit, contrahit, uel sua bona prodigendo, ad iam cõtractum debitum persoluendum inhabilem se reddit, uel in eo ultimum finem, ut Epicureus constituit, uel in finem lethaliter malum refert, seu sciẽter in aliquod aĩę, uel corporis graue damnũ dirigit; uel ẽt ex multorum sententia, si quis uel in extrema necessitate humanis carnibus uescitur. *Sanchez. l.* 1. *de præceptis. cap.* 18. *num.* 11. Atque ita in eos illud Apostoli dictum quadrat ad *Philipp. cap.* 3. Quorum Deus uenter est; ut merito quidam Philosophus huiusmodi homines adeò gulæ, ac uentri addictos animam tantum pro sale ne putrescant habere dixerit. Addo eos qui diebus ab ecclesia prohibitis uitio gulæ carnes comedunt, de hæresi suspectos reddi, ita ut in foro externo Inquisitores contra eos procedere possint, ut per *Farinac. de hæresi. quæst.* 178. §. 2. *num.* 80. Et hoc peccatum ob eius grauitatẽ ab Ordinarijs locorum reseruari solet, ut diximus *in Comment. de cas. reser. par.* 2. *cap.* 7. Aliàs uero gula tantum est peccatũ ueniale, ut asserit. *D. Thomas.* 22. *quæst.* 142. *art.* 2. *& Val. tom.* 3. *disp.* 9. *quæst.* 3. *punct.* 1. *Caiet. in v. gula, & v. ieiunium. Nau. capit.* 23. *num.* 119. *Tol. lib.* 8. *cap.* 60. *Lessius.* 4. *cap.* 3. *dub.* 1. *Reginald. lib.* 22. *num.* 53.

QVAESTIO XC.

QVOMODO VITIVM PRAEPROPERE comedendi committatur.

QVomodo uitium præpropere committitur? R. Quando quis debitum tempus in comedendo præuenit, uel etiã sæpius quàm deceat indie comedit. Væ tibi terra, cuius Rex puer est, & cuius Principes mane comedunt, comminatur Dominus *Eccles. cap.* 10. Terra ista corpus est, Rex est liberum arbitrium, quod debet animam regere: Principes uero quimque sensus.

Quãdo aliquis castrum capere vult, portam occupare festinat, gula porta est, per quã totus Diaboli exercitus intrat, &c. proinde oris ianua exactiori cura, & diligentia custodienda est, quia nisi prius gula restænetur, contra alia uitia frustra laboratur. Hinc *Peraldus tom.* 2. *de peccato lingua.* claustralis, ait de cibo, uel potu murmurans, in ipso belli spiritualis principio deficit. Et esse nobis primum certamen cõtra hoc uitium (quod alij gastrimargiam uocant) incundum docent Doctores præsertim. *D. Gregor. l.* 30. *mor. c.* 13. *& Cassian. l.* 5. *c.* 3. *Climach. de gula. gradu.* 14 *Rossignol. l.* 2. *cap.* 10. Prisci patres intempestiuas, & clandestinas comestiones serio prohibuerunt, ut religiosi uiri gulã cohiberẽt, temperantiæ uirtutem exercerent, & christianam perfectionem acquirerent. Hinc idem *Cassian. cap.* 20. Et qui non quiuit passiones in propatulo sitas, paruasque compescere, quomodo occultas, nulloque hominum teste prurientes moderatrice discretione poterit debellare? Et *D. Bonauent. tom.* 2. *par.* 1. *spec. p.* 3. *cap.* 4. Fructus, ait, uel aliud quodcunque extraordinarie sæcularium more comedere, patens est gulositatis indicium. Obserua tamen in diebus, in quibus ecclesiasticum ieiunium non indicitur, horam statutam, uel cõsuetam anticipare, nullam, uel uenialẽ culpam, admitti cum in his nullum extet præceptum. Hinc interrogatus Diogenes, quænam esset hora comestioni prandij, vel cœnæ congrua? respondit, Habenti quod edat, conueniens hora est, cum famescit; non habenti vero cũ habere potest. At in diebus ad ieiunandam ab ecclesia indictis horam prandij notabiliter præuenire lethali noxa nõ caret cum ieiunium tria exigat. Primo, vt semel in die comedatur, paruo tamen ientaculo vesperi de mori concesso, qđ trium, vel quatuor vnciarum panis, vel alterius cibi quãtitatem non excedat. Secundo, vt prandium hora per ecclesiam præscripta nempe hora nona sumatur. Tertio, vt à certo genere ciborum scilicet à carnibus, & lacticinijs, & ouis abstineatur. Aliquibus tamen probabiliter videtur, prandiũ in die ieiunij notabiliter præuenientem vt per vnam, vel duas horas, à mortali peccato excusari, etiam si hoc absque iusta causa faciat; eo quod non ieiunij substantiam, sed illius circunstantiam violet, quæ ad mortiferam culpã constituendam sufficere non videtur, vt per *Bonac. de legibus. d. vlt. quæst.* 1. *p.* 4. Vide infra à nobis tradita. *tract.* 8 *cap.* 6. *quæst.* 13.

Qui vero de mane surgentes de lecto comedere volunt, & præcipue diebus festis antequam rem sacram audiant, quod solet esse rusticis familiare, licet irreuerẽter agant, non tamen peccant, si ex necessitate, vel fame impulsi comedant, & nisi contra cõscientiam faciant, &c. *D. Ant. p.* 2. *tit.* 6. *c.* 1. §. 9. *Henriq. lib.* 3. *de pœnit. capit.* 28. *numer.* 1. *in Gloss. & dixi supra tract.* 5. *cap.* 9.

QVAE-

QVAESTIO XCI.

QVOMODO PER VERBVM LAVTE peccetur.

QVomodo per illud verbum laute peccatur? R. Cum appetuntur cibi pretiosiores, quàm statui conueniat, vt si religiosus, vel pauper sæcularis contemptis alijs cibis, nisi perdices, phasianos, ficedulas, &c. comedere nolit. Qua ratione Clemens VIII. Pont Max. *in Constit. Incip. Religiosæ Congregationes*. statuit, vt cum occasione transitus, seu causa necessitatis, vel deuotionis, aliqui hospites à regularibus viris excipiendi sunt, opipare non recipiantur, sed modeste, & religiose, non honorificè, & sumptuosè, seruata frugalitate, & paupertate religiosa, & res ipsis religiosis conuenientes eis dentur, &c. Nec sane illud insigne huius Pontificis temperantiæ testimoniũ prætereundum uidetur, quod inter alia ad ecclesiasticam disciplinam componẽdam, pauperũ Christi cohorti, quos domi quotidie alebat, pretiosiora, ac lautiora quæque obsonia, iubebat afferri, vilioribus sibi retentis, ac modicis. *Baron. tom. 4. Anno Christi* 366. Omnibus locis ait *D. Basilius de vera virg.* cibus, qui sit ad vitam necessarius, solerti ratione inquirendus, condimentorumque elaboratæ blanditiæ, vt uoluptatis illecebræ, repudiandæ. Idem auctor in *reg. fus. disp. in resp. ad quæst.* 20. scripsit, eos qui hospites splendide, & laute excipiunt, illo apparatu contumeliam illis infligere, vẽtris nimirum libidinem illis objjciendo, & sic suos hospites tractando, sicut cum eis agi uelle existimãt. Quare scite quidã philosophus ad cœnam inuitatus hospiti dixit, Vide, sic me tractes, ut bonam de me opinionẽ te habere ostendas, & ut sane uiuere valeam, &c.

Hinc enim innumera glomerãtur mala, præsertim podagra, qui Magnatum delitiose uiuentium, & otiosam uitam traducentium morbus esse solet: & si etiam negari non possit, quin hæreditario quodam iure in posteros transfundatur. *Maiol. l. 2 de irregularitate. cap. 21. num. 3. Io. Hier. Camp. in Diuers. Iur. can. Rub.* 11. *cap.* 17. *numer.* 137. *Daur. in Catech. hist. tom.* 1. *cap.* 2. *tit.* 4. *exemp.* 11. *Stob. serm.* 28. *de otio.* Vnde licet honesta conuiuia inter christianos non improbentur, nam in ueteri testamento sanctos, religiososque uiros usos fuisse legimus, & in nouo testamento ipsemet Christus D. N. una cum matre, & Apostolis nuptiali conuiuio nõ modo interfuit, sed etiam miraculorum suorũ primitijs consecrauit, cauenda tamen est inordinata cupiditas, & luxus uitdus. Et ut admonet. *Plutarch. in conuiuio.* 7. *sap.* non solum inuitãtium, sed etiam aliorum, qui inuitati sunt habenda est ratio, antequam accedamus, ne eorum causa temperantiæ limites excedamus, ut annotant etiam *DD. in Dom. 2. post Epiph. & Instr. in Tob. c. 8. vers. 21. docum. 1.* (Solito tamen maior abundãtia, & splẽdor in ipsis conuiuijs nuptialibus permittitur, nam nuptiarum festiuitatẽ Imperatores attendi, ac spectari uolunt. *l. sancimus. C. de nuptijs. Ann. Rob. l. 1. iud c. 2.*)

Propterea, & *D. Hier. cõtra Iouin. relatus. in c. ne tales de consec. d.* 5. Ne tales, inquit, accipiamus cibos, quos aut difficulter digerere, aut comesos magno partos, & perditos labore doleamus, &c. A quo non discrepat. *Cassianus, l. 5. cap.* 23. cum sic loquitur, Igitur eligendus est cibus, non tãtum, qui concupiscentiæ flagrantis æstus temperet, minusque succẽdat; uerum etiam qui ad parandum sit facilis, & quem ad comedendum opportuniorem uilioris pretij compendium præstet, quique sit conuersationi fratrum, usuique communis. Quippe condimentum ciborum est fames; hinc Dionysius tyrannus cœnatus se cibo delectatum esse negauit? respõdit coquus, non mirum, quia condimenta deficiunt, nempe exercitium, labor, & fames. *teste Cicer. in 5. Tusc. qq.* Quia tamen nobilium, & ignobilium, robustorum, ac debilium æqualis non est cõditio, gulæ uitio ascribendũ non erit, si illi lautioribus utantur cibis. *c. nõ cogantur. d.* 41. *D. Ant. l. c. p. 2. tit. 6. c. 1. §. 6. Sur. in vita. D. Thom. caut. to.* 6. Et si persona sit docta, studijs dedita, religiosa, uel in aliquo officio cõstituta, nõ à lautioribus escis arcẽda est, quãdo uel necessitas, uel honestas, uel obediẽtia maioribus debita, id exigit; meliores namq; & subtiliores cibi meliorem, & subtiliorem sanguinẽ gignũt, Et negari non potest, ait Franciscus Philelphus in *Epistolis.* delicatioribus cibis etiam ingenia enutriri, sicut superius. *c.* 14. *quæst.* 68. generoso uino moderate sumpto, ingenium foueri, & prudentiam augeri diximus. Quod & fatentur. *Berard. in summa Corona de sacrificio missæ. num.* 34. *& Busæus in arca medica. in ver. gula. ant. 2. & Hilaret. in Sabbato post. Dominicam Passionis.*

QVAESTIO XCII.

QVOMODO CONTINGAT PECCATVM circa verbum nimis.

QVomodo contingit peccatum circa illud uerbum nimis? R. Cum nimiũ comeditur idest plus, quàm natura requirit, qui modus frequẽtissimus est, & in hac re homines aliquando se à brutis uinci patiuntur, siquidem,

Vt bibat haud sitiens, vel edat iam vẽtre repleto.
Verberibus cogi bestia nulla potest.
Ergo homo deterior longe est, fateamur oportet,
Qui bibit haud sitiens, qui vorat ante satur.

Hinc inter alia, Ægyptij Elephantum temperantiæ symbo-

symbolum effingebant; assuetus enim certæ pabuli mensuræ, si quid largius, opulentiusque apposueris, tantum assumet, quantum quotidiana consuetudine poscere sit institutus. *Pier. tit. de temp lib. 1.* Atque idem dicendum est de potu, sed de esu hic sit sermo, quia ibi magis, & frequētius quàm in potu peccatur; cum autem ita in potionis excessu delinquitur, ut ebrietas incurratur, tunc unum speciale oritur uitiū, de quo infra. Quò fit ut q sæpius intemperāter cibū, uel potū sumit, lethaliter peccare dicatur, si ille excessus cū præcedentibus continuatus sit notabilis morbi causa, quamuis ultima comestio uel potatio per se sumpta, sufficiens infirmitatis causa non fuerit, ut ex communi resoluit. *Bonacin. de leg. d. 2. quæst. 3. p. 5. num. 28.*

Porro ut cognoscamus, quantum cibi, & potus, cuique sufficere ad uires corporis tuendas debeat, Sancti Patres, cum certa regula omnibus secūdum eandem mensuram præscribi nequeat, animaduertunt, ut quisque se ipsum metiatur, & experientia magistra obseruet, quanta cibi copia soleat stomachum grauare, ac deinde paulatim de illa copia detrahat, donec nullam amplius in digestione difficultatem sentiat. Vnde legimus Milonem Crotoniatē robustissimum uirum, solū aliquando unum bouem comedisse, nec eius stomachum grauatum fuisse: alium uero uirum quia debilis erat, etiam de paucis panis buccellis prægrauari solitū, ut proinde uerum sit quod tradit. *Aristot. in 2. Ethicorum.* Quod uni est parum, alteri potest esse nimium, &c. Et quod protulit Hipocrates. *Aphor. 17.* Dandū est aliquid tempori, regioni, ætati, personæ consuetudini, &c. Contra quoque notet, quanta cibi tenuitas, & parsimonia eum imbecilliorē reddat, ne muneri quod sustinet, ægre satisfacere possit. Quo aīaduerso, paulatim eousque cōmeatum augeat, donec integrę suppetant uires, ad omnes consuetas functiones explendas. Quod si quis anceps hæreat, quantum cibi, uel potus sibi sumendum sit, potius naturali inclinationi repugnandum esse sibi persuadeat, eo quod ut uulgo fertur, appetitus nequā uulpes sit, & colore necessitatis facile in fraudem inducat; nemo enim carnem suam ait *Apost. ad Ephes. 5.* umquam odio habuit, sed nutrit, ac souet eam. *D. Ant. p. 2. tit. 6. c. 1. §. 5. Busæus. v. gula. rem. 3. Carthus. de vita, & refor. Canon. l. 1. art. 7.* Notanda est & doctrina *Cornelij Celsi l. 1. cap. 1.* Sanus homo, & qui bene ualet, & suæ spontis est, nullis obligare se legibus debet, neq; medico, neq; alipta egere Vbi expositores aiunt, qa uiuere medice est uiuere miserrime, homini licere quibus libet appositis cibis uesci, modo nimietas uitetur, & temperantiæ lex seruetur; unde nec à brassica, cæpis, caseo, fabis, & pisis, metu humoris melencholici, & biliosi scrupulose abstinendum est; exigua enim quantitate, uel rarius assumpta nocere nō possunt, præsertim si grata gustui, imò sæpe quæ magna quantitate obsunt, modica naturæ prosunt. Nec omittenda illa animaduersio, Ex eo quod quis uarijs, & delicatis cibis nimis, & abunde utatur, non frangi ieiunium, etiam si peccetur, & meritum euacuetur, modo cibi uetiti nō sint, & una refectio hora debita sumatur. *Vgol. de officio Episcopi. p. 1. cap. 9. num. 7. Reginald. l. 4. num. 163. & Bonac. de leg. disput. ult. quæst. 1. puncto. 2. n. 7. vt infra. tract. 8. cap. 6. quæst. 13.*

QVAESTIO XCIII.

QVOD PECCATVM INNVATVR PER illud verbum ardenter.

QVod peccatū innuitur per illud uerbum ardenter? R. Illud. s. cum debitus, & honestus modus non seruatur, ita ut homo, intēpositè se habēs, more Lupi, uel Leonis uorare magis, q̄ comedere uideatur. Contra quod ait *Sapiēs. Eccles. c. 38* Non te effundas super omnem escam, & noli esse auidus in omni epulatione. Et Ouidius,

Carpe cibos digitis, est quidam gestus edendi,
Ora nec immunda tota perunge manu.

Et licet aliqui hoc uitium à naturali conditione, & insolita consuetudine trahant; multū tamen, & corporali officit sanitati, quia non ita bene quasi integer comestus cibus digeri potest. Atque in hac gulę specie ita uilissimis, sicut pretiosis peccatur c. bis' lmò ut ait *D. Ant. l. c. §. 8. et Vgo Vict. in c. 6 reg. D. Aug. & ibi. Vmb. c. 57.* In hoc frequētius offendunt homines, non facientes sibi conscientiam ob escarum uilitatem, & cum maiori culpa terræ fructus, cæpas, & allia, quàm carnes edūt, &c. non attēdentes, hoc gulæ uitium in primis parentibus, non in caponibus, uel perdicibus, sed in fructibus fuisse; & Dominum nostrum à Diabolo non de carne, sed de pane tentatum esse, &c.

Sani quoque, uel infirmi, qui sciunt, uel experti sunt, aliquid cibi, uel potus sibi nocumentum afferre, & tamen propter auiditatem sumunt, in hāc gulæ speciem impingunt, & iuxta rationem excessus, uenialiter, uel mortaliter peccant. *Codronch. l. 2. de christiana. med. rat. cap. 2.* Refertur etiā de quadam sanctimoniali, quod cum lactucam in horto à se collectam cum nimia auiditate comedisset, à Diabolo abrepta est, sed à B. Equitio sacris precibus adhibitis liberata fuit. *D. Ant. l. c.* Insatiabilis illa, quasique lupina, seu canina edendi cupiditas, seu vt ita dicam, voracitas inciuilis est, illiberalis, bruta, ac belluina, ab humanaq; ratione aliena; & cum ipsa per se morbus sit, morborum omnis generis parens est; ut merito & Diogenes eos irridere solitus sit, qui pro bona valetudine rem diuinam facerent,

& deinde cibo, potuque cõtra sanitatem, se ardenter ingurgitarent, asserens, insanum esse, ea à Dijs precari, quæ in nostra sunt potestate, &c. *Maiol. in dieb. can. colloq. 5. de aula. Chauas. de prud. l. 3. c. 2.*

QVAESTIO XCIV.

QVID SIGNIFICET VERBVM studiose.

QVid significat illud verbum studiose? R. Denotat tunc in hac specie peccari, cum in condimentis, & studio præparandi excessus committitur, vt si quis comedere nolit, nisi edulia multo saccharo, & varijs succis condita sint. Quippe studiose corpus nutrire, nihil aliud est, quã vermibus escas parare, ingenuus, & nobilis homo erubesceret esse Regis coquus, & tamen nõ erubescit vermibus carnes coquere. Illa pluuia optima est, quæ suauiter descẽdit, subitus autem, & nimius imber arua subuertit; sic cibus inquantitate, & qualitate moderatus, vrilior est corpori. Terra quò plus stercoratur, eò magis malas herbas producit: sic corpus quanto lautius nutritur, tãto plures carnales motus gignit.

In hoc præcipue delinquere solent nonnulli diuites, & magnates tàm sęculares, quàm ecclesiastice, vt *l. c.* §. 7. obseruat *idem D. Anton.* Vbi subdit, Magnam conscientiam sibi tales facere deberent, de tanto tempore quod amittunt, & faciunt ministros amittere pro huiusmodi præparatione, & superfluis expensis, quibus deberent pauperibus subuenire. Pręsertim (addo ego) cũ omnes sciant, commodatis à Deo facultatibus. Principes vti, & quasi precario possessores esse, & decere eum qui multa possidet, pro ratione, non pro libidine viuere: & si enim Principum mensa aliquanto lautior esse possit, quàm priuati hominis, siquidẽ vult hoc consuetudo, honesti lex, & dignitatis ipsius splendor hoc postulare videtur, vt sicut in ædibus, in vestibus, in familia, ita in hoc quoque sit quædã laxitas: in hoc tñ suus modus esse debet, qui non ex sæculi corruptela, quæ in dies magis augetur, sed ex rectæ rõnis præscripto, & prudẽtiæ lumine serio diffiniẽdus est, nec enim intemperantia hoc prætextu in damnum tàm animi, corporis, & rerum, quàm egenorum concediture, &c. *Io. Choc. libr. 5. Polit. cap. 14. Plat. de Card. dignit. Tholos. de rapub. lib. 8. cap. 6.*

Palatum tuum fames excitet non exquisiti sapores, ait Seneca. Monebat Socrates, vt homines sibi ab illis cibis cauerent, qui non esurientes ad edendum, & à potibus qui non sitientes ad bibendum allicerent. Sic Gorgias Leontinus interrogatus, quo cibi genere vsus, in tãtam senectutem esset progressus, nihil voluptatis gratia se comedisse, aut bibisse respondit. Iouianus Pontanus, qui Alphonso Regi Aragoniæ à secretis erat, rogatus cur vnico tantum cibo vteretur? respondit, vt medicorũ manus effugiam. Frugales homines præsertim religiosi dum mensam benedicunt, illis verbis, Edent pauperes, & saturabuntur. *Psal. 21.* fatentur, tenui cœna, vilibus, ac parabilibus cibis esse contentos, non enim decet pauperes de coquo, nec tacite, nec publice queri. Diuinum virium naturale est habere coquos culinariæ artis peritissimos; optimum condimentũ fames est, vt Socrates dicebat, & salsamentum pauperum, qui tunc saturãtur, cum edendi cupiditas se naturæ accõmodat, quæ sapientum dicto paucis est contenta, quæ postmodum paucitas est sanitatis parens. Et quia necessitati cibi sumendi semper coniuncta est voluptas, cauendum ne vltra tẽperantiæ metas rapiamur, sicut. n. æger ad medicinam, sic ad sumendas dapes debet christianus accedere, non in illis voluptatem appetens, sed necessitati succurrens. Plus semper appetit voluptas, quã necessitas, sed humanæ naturæ modicum sufficit.

Sunt quibus in solo viuendi causa palato est.

Verum non viuendum, vt edamus, sed edẽdum, vt viuere possimus. Vnde & *Franc. Valer. l. 2. loc Cõm. capit* 6. ait, ciborum varietate & copia in eadem mensa, & productione in longas moras, nihil nocentius homini ad salutem esse. *D. Gregor. libr. 30. mor. cap. 28. & D. Aug l. 10. confess. cap. 31.*

In omnib. cibis siue pretiosi, siue uiles sint, semper vitanda est satietas, sanitatis hostis. *Palladius in historia lausiaca. cap. 2.* scribit, Isidorum Sacerdotem, etiam si quotidie tantum cibi sumeret, quantum ad tuendam corporis incolumitatem satis esset, attamen magnam temperantiæ laudem apud omnes sibi comparasse, quod numquã satur è mensa surrexisset. Scite etiam Democritus dicere solebat, homines precari quidem à Deo valetudinem, cuius tamẽ vim in se ipsis nesciant, dum enim inordinate viuunt, suæ ipsi valetudinis sunt proditores. *Max. serm. 27.* Qua ratione Principes semper in mortis articulo constituti esse dicuntur, quorum ex negotiorum difficultatibus, & curarum varietate, molli, ac delicata corporum temperie, delicatiori, ac intemperato victu, frequens, ac immatura mors est. *Ripa. de Actis. in articulo mortis. cap. 1.*

CAP. XXI.

QVAESTIO XCV.

QVOT SINT SPECIES GVLAE, & quale peccatum sint.

QVot sunt species gulæ, & quale peccatum sint? R. Quoniam gula partim in cibi, partim in potus immoderato vsu versatur, vt ex eius diffini-

diffinitione patet, duæ illius species assignatur, crapula scilicet, & ebrietas, quarum prior cibi, & posterior potus est inordinatus appetitus, de quibus Dominus. *Lucæ cap.* 21. admonet, Attendite vobis, ne forte grauentur corda vestra in crapula, & ebrietate. Atque de crapula licet controuersum sit, an peccatum sit mortale, cum quis deliberate vsque ad vomitum se cibo replet; communior tamen videtur opinio, tunc tantum mortalem culpā secum inuoluere. Primò, cum quis sibi notabile detrimentum inde accersit. Secūdò, si gulę vacet cum intentione diuinam legem transgrediendi. Tertio, si peccandi mortaliter periculo se exponeret. Quarto, si graue scandalum inde in proximū resultaret. Quinto, si in cibo, & potu vltimum finem constitueret, vt sunt plures, qui Sardanapali vocantur, quorum, vt ait *Apost. ad Philipp. cap.* 3. Deus venter est. Sexto, quando lautos cibos exquirens, æs alienum contrahit, & se ad soluendum impotentem reddit, & sic de ceteris. Et licet hoc peccatum quadam ratione aliis leuius sit, quatenus scilicet cibi, ac potus voluptas homini à natura insita aliquā excusationem habet, in alio tamen sensu cæteris grauius est, quatenus scilicet variis aliis peccatis ianuam aperit. *D. Thomas.* 22. *quæst.* 148. *art.* 3. *Caiet. in v. gula, & v. immunditia. Nau. cap.* 23. *num.* 119. *Reginald. l.* 22. *cap. vltimo. num.* 54. Quò vero ad ebrietatem, quæ dicitur ab è quod est sine, & bria .i. mensura, quasi sine mensura bibens, cum duplex sit, una, qua quis nimium bibit quidem, non tamen vsu rationis priuatur; altera, qua ipsius rationis usum amittit; de priori communis est doctrina, solum modo ueniale esse peccatum, nisi alia circunstantia (ut de gula in cibo diximus) speciem uariet.

De posteriori concors est Doctorum placitum, peccatum esse mortale, tùm quod se ipsum magno damno afficiat, nempe mentis intelligentiæ priuatione, quā bruto similis imò Dæmoni efficitur: tùm quod *D. Paulus in priori ad Corinth. capit.* 6. Inter eos, qui Regnum Dei non possidebunt, ebriosos ponit. Quod non solum in uiris, sed etiam in fœminis locū habet: quamuis. *Gloss. l.* 1. *§. taceat. C. de rei. vxor. act. & in l. vltima C. de repud.* falso leuem culpam ebrietatem in mulere existimauerit. Et si nihilominus fatendū sit, uiros crebro, fœminas uero raro uini haustu ebrias fieri, tùm quod magis sobriæ sint, minusque uini ipsæ hauriant, tùm quod humectissimo corpore sint, id quod docet leuitas cutis, & faciei splendor, & assiduæ purgationes superfluo humore corpus exonerantes, *vt inf. q.* 109. *in fine.* In duobus tñ casibus à lethali culpa excusari quis poterit. Primus est quando raro præter intentionē ebrius redditur, nimirum cū ignorādo potus nimietatem, aut uim uini, aut proprij corporis constitutionem, & naturam, mero proluitur.

Secundus est, quando quis medicorū iudicium secutus, ad recuperandam sanitatem, quæ alia ratione obtineri nequit, potenti uino se obruit, vt doc. *Caiet. Armil. Syl. & alij. in v. ebrietas. Val. to.* 3. *disp.* 9. *q.* 3. *p.* 2. *Lessius. l.* 4. *dub. c.* 3 *dub.* 4. *Azor. p.* 1. *l.* 7. *c.* 33. *q.* 5. *Reg. l.* 22. *n* 35. *T. l.* 8. *c.* 61. *& aly*

QVAESTIO XCVI.

AN ALIQVEM AD AEQVALES CALICES EXHAURIENDOS PROUOCARE LICEAT, &c.

Licet ne alterum prouocare ad ęquales calices exhauriēdos, & an fas est respōdere? R. Prouocationem illam esse admodum turpē, & à recta rattone alienam, & mortiferū esse peccatum, si illa quis faciat animo se, uel alium inebriādi, uel si aduertat, aut facile aduertere possit, inde in se, uel in altero ebrietatem secuturam, etiam si non eo animo faciat; Vnde merito Sancti Patres in consuetudinem illam, seu potius abusum inuitādi ad æquales haustus grauiter inuehuntur, cum ex tali potandi mutuo certamine ebrietas facile sequatur, cuius probabili periculo se, uel alium exponere culpa lethalis est. Hinc *Tab. in v. ebrietas, & Sanchez. l.* 1. *de precept. cap* 7. *num.* 33. aiunt grauis peccati reos esse eos caupones, qui ex auaritia quadam, bibentibus uinum ministrant, quo conficiendi sunt, ut ea ratione plus pecuniarum emungāt, &c. Et quia sæpe fit, ut qui sibi relicti plus æquo non biberent, importunis compotatorum precibus, uel minis id faciant, & tunc apud Deum excusatos se putēt, sciant à culpa non excusari, cum nec metu, nec amici causa fas sit, diuinæ legis, naturalisque rationis fines transilire, aut homines magis, quàm Deum reuereri. *D. Aug. serm.* 231. *cap. sacris. ext. quod met. causa.* Et quia hoc uitium in clericis, qui aliis recte uiuendi norma esse debent, turpius cōspicitur, ideo Concilium Nannatense telarum, *in cap. quando. el.* 2. *d.* 44. sanxit ne clerici ultra tres ciathos bibāt. *in c. nullus, & ead. dist.* 44. cauit, ne clerici in couiuiis ēt rogati alios ad bibendum cogere audeant, uel se aliena precatione ingurgitare. Cui Canoni innixus Pius V. statuit, ne clerici comessationibus, choreis, comœdiis, aut minus honestis conuiuiis intersint, caupones, aut tabernas, nisi itineris causa, ne ingrediantur, nec cuipiam propinent, uel prouocati ad bibendum respondeant, sed sobrie, modeste, & caste, ex doctrina Apostolica uiuant, ut testatur. *Pat. N. Io. Ant. Gabut. in eius vita. l.* 1. *cap.* 12. Et sanè aduersus hāc Apostolicam regulam agunt omnes ebriosi, ac uoraces, ac propterea ut criminosi, & irregulares promouendi nō sunt. Ac iure etiam dicimus, ingluuiem, & ebrietatem clericali ordini esse, nā pinguis uenter non gignit sensum tenuem,

nec quidquam tenue, aut cœleste cogitare permittit, cum tamen clerici purgato, ac vigili sensu pollere debeant. *cap ne tales. de cons. d. 5. cap. qui Episcopus. d. 23. Maiol. de irreg. l. 5. cap. 3. Gutierez. l. 2. can. qq. c. 4. & Cāpan. in Diuers. Iur. can. rub. 4. n. 7.* Et sicut vitium frequētandi tabernas in clericis reprehēditur, ita etiā in laicis improbatur; caupouæ namque non voluptatis, sed necessitatis causa institutæ sunt, atque huiusmodi loca intemperantiæ, & incontinentię sunt fomenta, ex hisque furandi, & male agendi semina oriuntur; siquidem sæpe earum nidore heluones naribus attracti, & gutture inescati artifices, & mechanici, domesticam familiam impie obliuiscũtur, & soli vnico symbolo consumunt, quod omnibus domesticis fame laborantibus, in hebdomada suffecisset; ibique inter im tempus terunt, & genio indulgēt, atque inde ebrij exeuntes, audaciores ad scelera prodeunt. Qui proinde nisi à tali corruptela desistere velint, à confessarijs absoluendi non sunt; & quibus pœna aptior à Magistratibus, & vrbiū Rectoribus infligi non posset ieiunio abstemio, cū publico carcere, vt per quæ quis peccauit, per ea torqueatur. *Ludou. Peguer. in qq. crim. cap. 44. num. 10. Tholos. in syntag. Iu. p. 3. lib 39. cap. 7. Bellett. in Disquisit. cler. p. 1. §. 2.*

QVAESTIO XCVII.

AN ACTVS MALI AB EBRIO COMMISSI ei ad culpam imputentur, & contractus ab eo initi valeant.

AN actus mali quos ebrius in ebrietate committit, ei ad culpam & pœnā imputentur, & an contractus ab eo initi validi sint, &c? R. Si ebrietas culpabilis est, imputātur, præcipue cum iam iterum in ebrietatem ipsam inciderat, & similia mala perpetrauerat, vel eum aduertit, talia damna inde accidere posse, in quo casu si aliquem occidat, ab irregularitatis labe non excusabitur, nec à damni restitutione immunis erit. Et idem DD. dicunt de somniuago, idest qui in somno per domū & etiam extra interdū vagari solet, nam si probabiliter detrimentum eventurum puter, ab eadem obligatione non eximerur. *Azor. p. 3. lib. 2. cap 13. Pet. Nau. lib. 2. de restit. cap. 1. num. 62. Sayrus de cens. libr. 6. cap. 17. num. 35. Tol. lib. 8. cap. 61. Beia p. 3. respons. mor casu. 20.* Vbi etiam ex cōmuni resoluit, Sacerdotē, qui per ebrietatem aliquomodo præuisam, ac proinde culpabilem, diuinum officium omisit, præter ipsum ebrietatis peccatum, alterū etiam omissionis canonicarum horarum cōmisisse, & vtrumq; in sacramentali confessione exprimere teneri. Bene verū est in foro exteriori mitius esse puniēdū ebriū propter delictum in ebrietate perpetratū, cum non studiose, sed ex infirmitate, vel quadam insania, seu furore delinquere dicatur, cum vbi ebrietas est, illic sit & furor, & insania *cap. venter. dist. 35. Seneca ad lucillum. Epist. 83. Tiraq. de temp. pœnis. causa 6. Farinacius. eodem titulo. quæst. 93. Menoch. l. 2 de arbit. Iud. casu. 326. Clarus. l. 5. sent. in. §. fin. q. 60. Con. in clem. 1. p. 3. in principio num. 3. de homicidio. Mascardus. vol. 2. de probat concl. 179. Comit. l. 5. respons. mor. quæst. 5. Sanchez. l. 1. de præcept. c. 10. & seq. Bonifacius. de furto § animo lucri.*

Quò ad alteram quęstionem dico, contractus in ebrietate celebratos, vt matrimonium, emptionem, & venditionem, &c. non valere, ebrius enim vino confectus reputatur amens, à quo initi contractus nulli sunt: ex quo sequitur, vt sicut sponsalia, & matrimonium ab ebrio contracta non valent; quia libero consensu carent, ita etiā coniux alteri coniugi ebrio debitum coniugale reddere non tenetur, nisi alioqui illicito modo ipse ebrius libidinem sit expleturus. Ex hoc etiā illud pariter infertur, ebrium sacro assistentem, vel orationē ex voto recitantem, præcepto non satisfacere, cum actionem illam humano modo non exerceat: quandoquidem cum subiectum legum, & præceptorum sit homo vsus rationis capax, necesse est, vt opera imperata humana ratione præstentur, vt ex communi ait. *Bonac. de legibus. d. 1. quæst. 1. p. 10. num. 2.* Quippe dubium non est, ebrio ea accidere, quæ curribus auriga excusso solent; siquidem currus Rectore destitutus, vt scribit Isocrates, nullo ordine rapitur, & animus quoque ratione orbatus, ad rēm sacras, quàm humanas res conficiendas ineptissimus redditur.

Quò fit etiam, eum qui à temulento lucratur ludēdo, aut dono aliqd accipit, ad restitutionē teneri. Quæ tñ assertio de ꝓprie ebrio, seu qui vsu rōnis omnino priuatus est intelligitur, si. n. adhuc mentis sit compos, possunt quidem contractus ab initio facti esse validi, sed in foro exteriori dissoluuntur, quia ebriosis per iūris misericordiam succurri solet. *Syl. in v. ebrietas. q. 5. Reginald. lib. 22. num. 61. Tiraq. d. q. 6. Decius. cons. 112. Tuschus. in v. ebrietas. concl. 1. Sanchez. de matrimonio. l. 1. d. 8. & l. 9 d. 23.*

QVAESTIO XCVIII.

QVIBVS SIGNIS QVIS EBRIVS dignoscatur.

QVibus signis cognosci poterit, an quis fuerit ebrius? R. Ebrietatē probatu difficilem, & arduam esse, nec quemquam ebrium præsumi, nisi probetur, quod quidē per indicia & præsumptiones fit, eo quod nullo corporis sensu comprehendi potest, sed pręcipue oculis mētis, idest ratione percipitur. Veruntamē his duobus potissimū signis

signis dignoscitur. Primo, si cõmisit, quę numquam integra mente solet, vt si extra rem vel turpia, & absurda sit locutus, cum aliàs sit prudens, & castus; si iurauit, blasphemia seu euomuit, vxorem, vel familiam turbauit, cum alio tẽpore sit modestus, quietus & benignus. Indicia .n. hæc sunt rationẽ, & prudentiam fuisse consopitam, & hos insolitos motus ex vino perturbata imaginatione processisse. Secundo, si factus ebrius postridie non meminerit, quid tunc dixerit, egerit, quomodo domum venerit, aut cubitum concesserit, à quo deductus, vel adiutus, cum aliàs id probe meminisse soleat. Sed qui nouit inter bonum, & malum, licitum, & illicitum discernere, te mulentus, aut vino languidus non videtur, etiam si recte incedere nequeat, & omnes domus ei quodammodo verti videatur. Pari modo si adhuc solita officia exequi vtcunque possit, etiam si cum vertigine, & difficultate id faciat. *Lessius.l.c.dub.3. num.30. Reginald.num.57. Mascard.conc.178.vol. 2. Farinac.d.quæst.92.num.16. Io.Gutierez. in can. qq.lib.2.cap.4.num.113.*

QVAESTIO XCIX.

QVAE REMEDIA CONTRA EBRIETAtem à Confessario adhibenda sint, &c.

QVæ remedia contra ebrietatẽ à Confessario adhibenda sunt? R. Primo, proponere eius turpitudinem, & iniquitatem, nam *D. Basilius. hom. 14. in ebrietatẽ.* sic eam insectatur; Ebrietas Dæmõ est voluntarius, ex voluptate aĩs inditus; ebrietas malitiæ mater est, virtutis inimica, fortem virum ignauum reddit, ex temperante lasciuum facit, iustitiam ignorat, prudentiam extinguit: sicut enim aqua igni est aduersa, sic vinum immodicũ rationi, &c. Et qui nosse volũt, qualem & quantam stragem homines ex frequenti vini potatione patiantur, præter experientiam rerum magistram, varias ex Poetis descriptiones legant, & plures ex pictoribus imagines contẽplentur, qui ebrios, & vini potatores diuersimode delineãt; dum Bacchum puerum, mulierem, nudum, hedera coronatũ, ac alijs pluribus modis effingunt: nec absque causa, & mysterio, quoniam nimio vino madidi, instar pueri rationis vsu carent, mulieribus leuiores vagãtur, ferme cerebro nudi, sua & aliena secreta aperiunt, rationis mœnia, & consiliorum parietes cõfringunt, cunctisque flagitijs coniuncti, quæque mala sibi, & cæteris moliuntur, &c. Et D. Isidorus *de summo bono.* plerisque, ait, laus est multũ bibere, & inebriari, audiant ij aduersum se Prophetam dicentem, Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem. *Isaia. cap. 5.*

Secundo, alia grauia mala quæ secum trahit ob oculos ponet, vt Primo, quod corpus fœdum, imbecillum, & morbidũ reddit. Hinc oris graueolentia, capitis distillationes, tusses, apoplexia, membrorum paralysis, articulares morbi, iuxta illud,

Ennius ipse pater dum pocula siccat iniqua
Hoc vitio tales fertur meruisse dolores.

D. Chrisost. tom. 5. hom. contra crap. Adde quod miseram mortem secum trahit. Hinc *Staplet. oratione cath. 1. de 7. cap. peccat.* Si ait, vt in Hispania propter hæresim supplicio affecti, ita apud nos qui ex ebrietate aut repentina, aut violenta, aut fortuita morte saltem in fraunum annum, vel alterũ sublati sunt, in catalogum redigerentur, à cuiuslibet celebrioris Ciuitatis Magistratu, & publice depicti cõspicerentur, esset contra ebrietatem præclarum remedium. *Tympius. in Theatro. hist. in v. ebrietas. Tholos. in synt. Iu. l. 30. cap. 3. num. 4.*

Secundo, qđ facultates exhaurit, nam qui amat vinum, & pinguia non ditabitur. *Prouerb. cap. 23.* Hinc sequitur, grauis familiæ afflictio, liberorum, & vxoris neglectus, creditorum fraudatio, furta, latrocinia, &c.

Tertio, reddit hominem ad bonum inutilem, nimirum nõ solum ad pietatis opera, sed etiam ad literarum studia, & ad politica, ac mechanica officia, denique ad omnem vitę vsum ineptum.

Quarto, illum bestijs viliorẽ & peiorẽ efficit, siquidẽ oẽs (vt sup. dictũ est) aĩantes rõnis experres, cum bibunt, aut comedũt, vltra quã eis opus est, ẽt si mille homines cogerent, non elabuntur. Hinc *Seneca Epist. 21.* Natura inquit, paucis contenta est, etiam si per vncias ei potum proponas: non simus impudentiores muscis, quæ saturæ recedunt, Deo, rationi, non ventri, & libidini obsequendum. Venter præcepta non audit, poscit, appellat, nõ est tàm molestus creditor, paruo dimittitur, si modo das illi quod debes, nõ quod potes. Multi sunt infames, & hominis appellatione indigni, qui nõ vt uiuãt, sed ut bibant, huius lucis usura fruuntur, quorum monumẽta, atque epitaphia Veterum libri producũt, quale illud parasiti cuiusdã Romæ olim repertum.

Heu hic situs Offellius Bubalus,
Bibulus, qui dũ vixit, aut bibit, aut minxit, &c.

Vnde ebrij uel ipsis Ethnicis adeò exosi fuere, ut Censores tãquam indignos, qui honores, & publica munera gererẽt, senatu eos amouerẽt, notaque, ac ignominia perstringerẽt, ut merito. *D. Chrisost. hom. 1. ad pop.* ebrietatem humani generis opprobrium uocauerit; & Pittacus temulẽtos si quid deliquissent, duplici pœna puniri curauerit, vt supplicij formidine à uino promptius abstinerent.

Quinto, ad absurdos mores, & grauia crimina excitat, & impellit. Vnde olim apud Lacędemonios illud in more positum fuit, ut festis diebus seruos suos quos helotas nuncupabant, vino ingurgitarẽt,

eosque postea in publicum proferrent, quò Spartani iuuenes ebrietatis fœditatem conspicientes ab huiusmodi vitio abhorrerēt. Et quò ad delictorum irritamenta illud dixisse sufficiat, quod vbi saturitas, & ebrietas fuerint, ibi libido dominatur. *vt D. Aug. serm. 38. ad fratres in Heremo.* probat cuiusdam adolescentis exemplo, qui ebrietatem perpessus matrem prægnantē nequiter oppressit, sororem violare attētauit, patrem occidit, & duas sorores ad mortem vulnerauit. In vitis Patrum refertur, quendam grauiter à Dæmone tentatum, ab eo si liberari vellet, iussum esse vnum ex tribus peccatis, ebrietate, homicidio, adulterio patrare, immunem postea ab omni tētatione futurum, elegisse illum ebrietatem; ac temulentū cum quadā fœmina adulterium admisisse, & eius viro superueniente, ne facinus vindicaret, eum trucidasse, &c.

Sexto, secreta pādit, nam, vt supra innui, nullum est arcanum, vbi ebrietas regnat; *Prouerb. cap. 5.* Ebrius. n. est tāquam Quintus Curtius, q nil celare poterat. Zeno Philosophus colligebat, virū bonum non debere ebrium fieri, quia ebrio nemo secretum committit, viro autem bono illud tradit.

Plerique cauti, & circūspecti Principes vino vt equuleo vtuntur, & quibus tormenta vocem proditionis nō eliciūt, eos bibēdo tentāt, ait *D. Ambr. de Elia, & ieiunio. cap. 17. & Lessius. l. c. dub. 3. Holchot. super Sap. lect. 122.*

Tertium remedium erit, vt Confessarius his, in quibus magis detestabilis, ac turpis ebrietas agnoscitur, vinum ad tempus interdicat, vel saltem paruam quantitatē vini aqua etiam diluti, quod haurire debeant, præscribat, vt sunt clerici, & monachi diuino cultui addicti, scholastici, adolescentes, Principes, & alij qui reipub. clauum tenent, quibus vinum immoderatum mentem, & iudicium adimit; & demum fœminæ, quibus etiam apud Romanos ob incontinentiam vitandam, vini vsus prohibitus erat. Idem *Holchot. l. c. lect. 21. Lessius. lib. 4. cap. 2. dub. 12. DD. in cap. à crapula. ext. de vita, & honest. cler. Guttierez. in can. qq. l. 2. cap. 4. Chanas. de prud. l. 3 cap. 3. §. 4. Tholos. de repub. l. 8. c. 6.* Has tamen raro temulentas fieri conspicimus, quoniam sint humectissimo corpore, id quod cutis læuitas, & faciei splendor satis ostendit; & assiduas experiantur purgationes superfluo exonerātes corpus humore, quò fit, vt cum vinum etiam large potum in tam largum ceciderit humorem, & dilutius fiat, & vim suam amittat, ne fortitudine eius extincta facile cerebri sedem feriat, &c. *Tiraq. lib. 9. Connub. num. 210. & dixi supra quæst. 105.*

Porro Pica olim Baccho dedicabatur, eo quod ebrij dicacitate plurimum laborant, & arcanū demens detegit ebrietas, & vt est apud Horatium,

Fæcundi calices, quem non fecere disertum?

Pier. l. 23. Scalabon. in Mar. Pass. Domini. Mor. 5. capit. secundo, §. secundo, & sequenti.

CAP. XXII.

QVAESTIO C.

QVOTNAM, ET QVAE SINT filiæ gulæ.

QVænā & quot sunt filiæ gulæ? R. Sunt quinque, hebetudo mentis, inepta lętitia, scurrilitas, multiloquiū; & immunditia; siquidem gula in eo consistit, quod immoderato cibi, & potus vsu superflua delectatio quęratur, ergo ea vitia inter gastrimargiæ sobolem numeranda sunt, quæ ex tali immodico vsu nascuntur, &c. Et quamuis hoc vitium, ut supra dixi, ex parte materię nō sit nimis graue, eo quod inter corporalia peccata numeratur; quæ minorem prauitatem, & grauitatem secum afferunt, cum directe Dei charitati non aduersentur, quā peccata spiritualia, prout est superbia, inuidia, ira, & huiusmodi; est tamen valde graue, & periculosum ratione turpiū effectuum, quos producit & vitiorum segetum, quæ secum trahit, vt merito turpe, infame, & bestiale vitium à Philosophis moralibus nuncupetur. Vnde Hercules cum uiam uirtutis apprehendisset, dixit,

Venter, pluma, Venus, laudem fugienda sequēti.

Propterea oēs homines, in primis vero ij, q magna munera sustinēt, vel politica, vel ecclesiastica, quique res magnas, ac præclaras moliuntur, à gula, atque ingluuie ceu certissima animi, corporis, rerumque externarum peste sibi cauere debent, ciborum enim abundātia cruditatem efficit, uires debilitat, aciem mentis obtūdit, famam lędit, ac uitam breui tempore consumit. Illos autem quos Deus uel reipub. vel ecclesiæ, uel utriusque custodes constituit, sanos & ualidos, ac honestæ famæ esse oportet. *D. Thomas. 22. quæst. 148. art. 6. Berard. in summa Corona. de gula. num. 69. Gabriel. Flamma in poesi spirituali. super carm. 36. Billius. carm. 53. Perardus in summa virt. & vit. to. 2. tit. de gula. Maiolus. in diebus. canic. de Aula. colloq. 5.*

QVAESTIO CI.

QVID SIT MENTIS HEBETVDO.

QVid est mentis hebetudo? R. Est potius pœna, quàm culpa, ex gula enim ingenium fit hebes, ineptum ad percipiendum, & iudicādum ex nimio cibo, uel potu, propter fumositates ex stomacho repleto cerebrum petētes, &c. ita ut eorum cor tantum in ollis, & patinis uersetur, nam ingenij subti-

subtilitas ciborum copia impeditur, & pinguis nen ter non gignit sensum tenuē, Ideò Bartolus cibum ad pondus comedebat, ut semper intellectum ad studium, & cōtemplationem dispositum haberet. *c. non licet, §. si ergo. dist. 44. Roman. Sing. 712 n. 4.*

Porro ex hac mētis etiam hebitudine prouenit, ut ea homo circumfusus, in rebus humanis erret, & tantum externum splendorem, caducam gloriam, & quæ sensui arridēt, spectet, & sectetur: sicut è contra sapiēs, qui recto iudicio rem quamque æstimare, & ponderare consueuit, facile uidet, quàm sint oīa inania, quæ mundus, & sensus defert, eaq; tū in se ipso, tùm in alijs, ut res futiles, & inanes intuetur, & æstimat. Et cum tres miseriæ omnibus notæ, toti humano generi cōes esse uideantur, nempe morbus, paupertas, & seruitus, seu subiectio; Aliæ tamē extant maiores miseriæ, quas pauci mortalium tales esse arbitrantur, nempe bona ualetudo, ubertas opum, & honoris, siue dignitatis splendor; quę licet dona Dei sint, & possint cum pietate consistere, & ad sempiterna bona promerenda conducere; inter miserias tamē superioribus grauiores numerari solent, quoniam ad æternā uitam, quæ summum bonum est, & finem ad quem conditi sumus, obtinendum, magis aliquādo impedit sanitas, quàm ægrotatio, diuitiæ, quàm egestas, & imperij potestas, quàm seruitutis abiectio, licet hominibus mentis hebitudine, & cęcitate laborātibus aliud uideatur, *Platus de dignit. Card. capit. 16. & 17. Bellarm. de gemit. colum. l. 2. cap. 8.* Hic quidem animi morbus de se est ueniale peccatum, ratione tamen alicuius circunstantiæ mortale fieri pōt, ut si alicuius mens ita aduertenter euanesceret, ut his, quæ ex præcepto facere tenetur, vacare nō posset, prout si tēpore confessionis faciēdæ, homo suam conscientiam excutere nō ualeret. Vel si medicus pro aliqua re graui, & infirmo necessaria, tali tempore studere deberet, & tunc ita se cibo repleret, ut attendere, vel studio uacare non posset. Idem de aduocato, & concionatore in casibus urgentibus dicendum est, &c. Recte enim. *Fab. Iustin. in Tob. c. 7. vers. 10. doc. 2.* aduertit ex Nausea, exemplo Tobiæ, alicuius momēti negotia, ante sumptionem cibi, uel potus maxime copiosi perficiēda esse, ut prudentius, ac melius illa peragamus, cum ex ventre pleno mentis acies hebescat. *D. Ant. 2. p. tit. 6. c. 4. §. 2. Angelus, in v. hebetudo. Tol. l. 8. c. 62. Molf. tr. 8. c. 8. n. 172.*

QVAESTIO CII.

QVID SIT INEPTA LETITIA.

Qvid est inepta lætitia? R. Est altera gulæ filia; Mens enim hebetata cum altiora non percipiat, & in uoluptate illa magnum bonum existimet, exultat animus, tanquam partem quādam felicitatis in cibo, & potu adeptus, & exterius per risum, & alia signa lętitię se effundit; & ex hac procedit saltus, chorea, cantus, tripudiū, ludus, histrionatus actus, incompositi risus, instrumentorum diuersorū sonitus, &c. quę sæpe in fine conuiuiorū fieri solēt. Hinc Baccho tympanū ab antiquis adiungebatur, tāquam hilaritatis signum, uel ob inconditos strepitus, quos uino onusti edere conspiciuntur. Vnde Exodi *c. 32.* dicitur, quod sedit populus māducare, & bibere, & surrexerūt ludere, idest uana solatia quærere (ita ut talibus animi leuitate, & inepta lætiti a laborantibus scite quadret illud Saluiani, sardonicis quodammodo herbis omnem Romanum populum putes saturatum, moritur, & ridet.) Quæ tū oīa de se & ex suo genere sunt uenialia, & si rōne finis mortalia fiūt, dū per ea aliquem ad lethaliter peccandum inducere homines intendunt; uel cum ea assumunt cum probabili periculo in aliquod mortale peccatū cogitationis, oris, vel operis incidendi; siquidem ex vulgato axiomate, Qui amat periculum, peribit in illo *Eccles. capit. 3.* Vel etiam si cum scandalo, & aliorum offensione fiant, vt facile clericis, & hominibus Deo dicatis euenire potest, si scurrilia, turpia uerba coram secularibus proferant, ludis, & uanis obscœnisque spectaculis cū illis intersint, &c. Qūidem ut ait *Dionys. Carthus. de reform. canon ar. 9.* Ministros ecclesiæ, quos à seculariā uita, ac moribus differre oportet, necesse est, maturitati morum, ac probitati uacare, compunctioni, ac diuino timori operam dare, sicq; in cōspectu Altissimi orationibus, ac psalmodijs, atque pijs actibus inhærere, ut pro proprijs, & fundatorum, ac benefactorum suorum excessibus, ac peccatis Deo satisfaciant, ideo ea cauere iubentur, quæ deuotionem dissipant, dissolutionem inducunt, & seculares generant mores, ut sunt familiaritates, ludi, & ioci mimorū, uisitatio tabernarum, comessationes, quibus multa enormia uitia, & scandala coniuncta sunt, &c. *Azor. p. 1. l. 4. cap. 9. q. 14. D D. supra citati. Berard. num. 70. & Vinal. in cand. aur. cap. 18. tit. de larnarum vsu.*

QVÆSTIO CIII.

QVID SIT SCVRRILITAS

Qvid est scurrilitas? R. Est quædā iucūditas in actibus exterioribus quæsita, quos ob animi hilaritatem, ex uino, & defectu rationis gulosus cohibere non ualet. Ex inepta enim lætitia sequitur, ut multa indecora, ac etiam turpia, risus mouendi gratia agantur, aut dicantur. Siquidem teste Philosopho *in 4. Ethicorum cap. 7.* Scurræ importuni sunt, qui ridiculis excedunt, adeò vt stu-

vt studeant potius mouere risum, quàm honeste loqui, & dolore eum nō afficere, quem cauillantur. Quæ gesta, & acta si fiāt solum vt homo in illis delectetur, aut alios risus gratia, delectatione, & voluptate perfundat, venialis culpæ grauis tū limites non excedunt. *D. Anton. l. c.* §. 5.

Si vero causa delectationis venereæ exerceantur, lethalii flagitio animam sauciant, ita vt habeat locum illud Thriueri dictum, Quemadmodū corpus varijs condimentis inescatur, sic animus scurrilibus iocis, & lasciuis cantilenis venenatur. De verbis vero turpibus à luxuria prouenietibus diximus *supra cap. secundo, quæst. secunda*.

QVAESTIO CIV.

QVID EST MVLTILOQVIVM

QVid est multiloquiū? R. Est superfluitas quædam in loquendo, lingua enim tunc maxime soluitur, cum corpus cibo, & potu incalescit, & inter pocula, & epulas semper est in procliui. Sic sentit. *Hugo de Instit. nouit. cap.* 18. qui propter loquacitatem inter fercula, epulonis linguā in Inferno punitam asserit; sic etiam nos instruit. *Thomas. de Chemp. l. 2. de discip. cler. cap.* 7. cum ait; A prandio ori tuo frænum impone, quia tunc promptior est homo ad loquendum, & ridendum, & corpore refecto, caro plus rētat, & ideo laboribus, & studijs est refrænāda diuinis. Et Paulus IV. Pōt. M. dicere solebat, silentium post cibum sumptum, & exhausta pocula apud ignem seruandum, quod & D. Petrus ad focum cum ancilla loquēdo, Christum negasset, &c. Quò etiam fit, vt inter causas, ob quas in mensis ecclesiasticorum, & religiosorum sacra lectio adhibeatur, illa præcipua numeretur, vt silentiū seruetur, & loquacitas, ac multiloquium euitetur, linguæ lubricitas cohibeatur, & mēs in oēm escam se haud diffundēs, pabulo etiam suo non careat: nequaquam enim poterimus escarum præsentiū spernere voluptates, nisi mens diuinæ contemplationi defixa, amore virtutum potius, & pulchritudine rerum cœlestium delectetur. *cap. quando. dist.* 44. *Cōc. Trid. sess.* 2. *Dec.* 1. Imò *Dyonis. Carth. lib.* 2 *de reg. Reg. cap.* 15. suadet etiā Regibus, vt ad mensam curent sibi legi res à maioribus præclare gestas, clarissimorū Imperatorū vitas, & libros de recta populos gubernādi ratione. *Cassianus. l.* 4. *Inst. c.* 17. *& l.* 5. *cap.* 14. *Humbertus. in regula. D. August. cap.* 59. *Io. à Turecrem. in regula. D. Benedict. tract.* 1. *cap.* 34. *Nigr. tract.* 4. *de lect. super mensam.*

A multiloquio aūt hæc cohibere debent. Primo qđ ei peccatū inest, vt legitur. *Prou. c.* 5. *et Eccles. c.* 5 Secūdo, quod signum est stultitię, nam stultus verba multiplicat. *Eccles. cap.* 10. Et qui inania, & inutilia verba proferunt, hirūdinibus, & ranis coaxantibus similes sunt. *Alciat. emb.* 11. *Bessæus. l.* 2. *de sacerd. cap.* 21. Tertio, quod sæpe accidit, vt vbi est verborum multitudo, ibi sit operum indigentia: sicut vbi multum est paleæ, ibi parum est grani. *Prouerb. cap.* 14. Quarto, qđ hominem odiosum reddit, pauciloquium vero amabilem, vnde quidā sapiens interrogatus, quomodo quis hominibus placere posset? respondit, si gesseris optima, & locutus fueris pauca. Licet autem otiosa verba, quę scilicet necessitate, & iusta vtilitate carent, venialem tantum malitiam hauriant, possunt tamen animæ mortem creare; quando in cōtemptum Dei proferrentur, vel eius mandatis, & ecclesiæ præponerentur, vel in malum finem traducerentur. *D. Anton. l. c. Perald. in summa virt. & vit. tom.* 2. *cap.* 21.

QVAESTIO CV.

QVID SIT IMMVNDITIA, ET QVALE peccatum.

QVid est immunditia? R. Est cum quis ob ingluuiem, vel immoderatum cibum, vel potum tàm in anima, quàm in corpore sordescit, & deturpatur, tùm quia ex saturitate carnis vitia nascuntur, tum quia gula sępe vomitus, & alias superfluorum fœdas excreationes parit: hinc exhalationes, & eructationes ex ore, & inferiori parte sequūtur. Et licet post superfluā comestionem, vel potationem vtilis sit vomitus, vitiosum tamen est ciuili, ac christiano homine indignum, ob cibi potusque intemperantiam, tàm inquinatæ necessitati se subdere. Hinc impuritates, & pollutiones tàm diurnæ, quàm nocturnæ, quia

Omne super vacuum pleno de pectore manet, &c.

Si enim pollutio in ordine ad suam originem cōsideretur, triplex potissima causa assignari solet. Primo, extrinseca spiritualis, cum ad talē effectum ex Dæmonis operatione dormiētis phātasmata commouentur. Secundo, animalis intrinseca, cum ex præcedentibus cogitationibus in somnis, vel etiam in vigilia pollutio contingit. Tertio, est extrinseca corporalis, cū seminalis humor in corpore exuberat, vt propterea natura superfluum ex gula, & ingluuie auctū, subinde expellat, &c. *Bisf. de tent. c.* 8.

Quæ quidē superfluorū emissiones, ex gula prouenientes licet cōiter, & vt plurimū veniales culpę sint, (nisi animus corruptus fuerit) sunt tñ periculosæ, ob fœdam delectationem, qua anima infici potest. *D. Anton. l. c.* §. 6. *Caiet. in verbo. gula. Tab. in ver. immunditia. Nau. cap.* 23. *num.* 119. *Reginald. lib.* 22. *numer.* 54. *&* 62. *Molfes. l. tract.* 8. *cap.* 8. *num.* 170. *Sà in verbo. comedere.*

CAP.

CAP. XXIII.

QVAESTIO CVI.

Quae remedia guloso praebenda sint.

Quæ remedia danda sunt à Confessario pœnitenti gulæ vitio infecto, & quomodo in praxi se gerere debet, &c? R. Magna vigilantia spirituali medico opus est, & in gulæ voluptatib. moderandis oculatiorem eum esse oportet, quia quod in eis vitiosum est, magis occultū est; semper enim naturæ necessitate cōs hostis hominem inuadit. Quò sit sicut loquitur. *D. Gregor. l. 14. mor. cap. 39.* vt sæpe dum in illo hostem insequimur, etiam ciuem, quē diligimus trucidemus; & sæpe dum quasi conciui parcimus, ipsum inimicum ad prælium nutriamus: quæ causa maxima erat timendi. D. Augustino. Idque eo magis faciendum est, quod hodierna rerum affluentia, & praua præsentis sæculi corruptela tanta gulæ irritamenta suppeditant, vt temperantiæ, & frugalitatis virtus nisi bene confirmata sit, facile succūbat. Certe multi, vt habet adagium, Cœlum terræ miscent, hoc est, quæ in terra crescunt; vt olera, & fructus, quæ in aquis, omne piscium genus, & quæ in aere volitant, vnum in ventrem coaceruant; & quarti elemēti hoc est igni loco, fortia vina, & calida aromata adiungunt, ita, vt mirum non sit, confusis elemētis, varias tempestates cieri, idest ex continuis vapotibus pituitas, & catharros fluente, & refluente tanquam in Euripo materia generari, & quantum gulæ additur, tātum pauperum Christi, quibus ex superfluis succurrendum esset, necessitati subtrahi. Pro opportuno pharmaco hæc inculcari poterunt,

Primo, huius peccati perniciem, cū bona animæ, corporis, & fortunę auferat, sicut è contra parsimonia hæc bona auget, iuxta illud,

Diuitiæ grandes homini sunt viuere parce:

Hinc Ægyptij sacerdotes quamquam abstinentissimi, bidui, ac tridui inediam sectantes, humores corporis, qui ex quiete, & mansione pene assidua in eorum templis conflabātur, victus castigatione siccabant, vt merito verum sit quod D. Chrisostomus dicere solebat, tenuem mēsam sanitatis esse parentem, & saturitatem ægritudinis matrem esse. Illud tantum quò adhoc dictum sufficiat, homines gulæ deditos quandoque mortē subitaneam animæ periculosam pati. Vnde *Iuuenalis Satyra* 1.

Hinc subitæ mortes, atque intestata Senectus.

Adde huius voluptatis breuitatem, quæ ex hoc peccato percipitur; nec enim diutius durat, quā quamdiù editur, & bibitur, cibusque, ac potus ab ore in fauces dilabitur. Imò si modus excedatur, cōtinuò præsto est molestia, & alia incommoda sequuntur, ita vt verum sit, quod ait *Patric. de republ. lib. 5. c. 8.* Gula plures occidit, quàm gladius, estq; omnium malorum fomes. E contra consideret pœnitens fructum, quem contraria abstinentia profert. Quò ad animam, aptitudinem ad contemplandum, studijs vacandū, peccata vitanda, & virtutes sectādas, &c. Et quò ad corpus, longam vitam, sanitatem, compendium sumptuum, &c.

Secundo admonendus est ipse pęnitens, vt conuersationem hominum crapulæ, & ebrietati deditorum, deuitet, itidem copiosa, & lauta conuiuia, vbi modus vix seruari potest. Qua ratione D. Ambrosius licet pene omnes ad suam mensam exciperet, numquam tamen ad conuiuium vel inuitatus accessit: tradit enim Possidius in D. Augustini vita, qd̄ & si ipse D. Ambrosius factus esset omnia omnibus, vt omnes lucrifaceret, & suo quemq; hamo piscaretur, à tribus tamen perpetuò se continuit, nimirum, vt nemini vxorem quæreret, nulli militiam suaderet, neque conuiuia vocatus adiret, cum ibi temperantiæ virtus periclitari soleat. Vulture vero edacior, vulgari paræmia, percellitur homo supra modum in conuiuijs ingluuiei deditus, quam uorandi edacitatem, ac auiditatem carnium esu potissimum explet. *Ald. de auibus. tit. de vulture.*

Tertio, cōsideret eas res, ad quas gula incitat, non ut blandas, odoratas, suaues, palato oblectabiles, quales modo uidentur, sed ut fędas, fordidas, olidas, detestabiles, quales mox futuræ. Quælibet res dum in sua principia resoluitur, tunc appatet, qualis reuera sit, & quidnam sub amabili illa specie latebat. At quidnam putentius, aut fœdius illis delitijs, simulatque leuem alterationem in stomacho subierint? Imò quò qd gulę gratius uidetur, eò mox horribilius, & grauiorem fœtorem exhalat; Hinc qui delitijs affluunt, nisi externis odoribus muniantur, instar cadauerum putētes, corporis sui graueolentia adstantibus admodum molesti sunt. Contra in rusticis, & mechanicis fit, qui solo pane, & alijs vulgaribus cibis temperate vtuntur: sicque merito à Deo cōparatum est, vt gulæ vitium aspernari discamus, &c. *Lessius. de ratione valetudinis conseruandæ. num.* 20. Addo etiā sępe cogitandum, tandem moriendum esse, & in morte fieri animi separationem à corpore sed neq; animum extingui, si enim hoc fieret, vt Athei opinantur, recte illi dixisse viderentur, qui mortem contemnebāt, atque sæpe repetebant, Edamus, & bibamus, cras enim moriemur. Quod quidem pronuntiatum antiquissimum est, vt constat ex *Esaia. cap. 22. & Apost. 1. ad Corinth. cap. 15.* Esse autem qui se credere dicāt, factis autem negent, ex eo intelligi potest, qd̄ nonnulli etiā in extremo senio, de morte non cogitant, sed tanquam belluæ in corporis, ac uentris hau-

rien dis

riendis voluptatibus totum tempus insumunt.

Quarto, pro particularibus pœnitentijs contrariæ huic peccato imponi poterunt. Scire enim Alphōsus Aragonum Rex, cum equitem decoctorem punire vellet, quibusdam à Rege efflagitātibus, ne ob æs contractum in eius corpus animaduerteret, respondit, illū neq; sui Regis gratia, neque patriæ cōmodo, neq; propinquorū, vel amicorū ęre alieno suscepto, tàm grande patrimonium profudisse, sed omnem suam substātiam per gulam, & luxum corpori indulgendo exhausisse, in corpus igitur luere ęquius esse, vt pœna malefactis ex æquo respōdeat.

Vnde iniungi pœnitentibus poterit, vt aliquo die ieiunent, à superfluis rebus abstineant, vt aromatibus, saccharo, condimentis, fructibus, sale, & à cęteris, quę gulam irritant, potissimū autem ab his, quibus pœnitens maxime delectatur; quandoque aloe, vel absynthium in memoriam Christi Passionis sumat, quoniam tale quid à sanctis factitatum esse inuenitur, vt à S. Frācisco de Assisio, & B. Ludouico Morbiolo Bononiensi, cum cibum suum cinere aspergerēt; nam cum acerrimi essent proprij corporis hostes, omnibus carnis blandimentis sanguinarium (vt aiunt) bellum indictum habebant; & quia natura subitas mutationes non patitur, vt perfectam temperantiam compararent, quotidie sibi aliquid subtrahebant. Qđ si pęnitētes ebrij fieri solcāt, utgēdum est, vt aliquo tēporis spatio à vino se cōtineāt, vel aqua mixtū potēt, & ternis poculis in prādio, & cęna sitim extinguāt, & dū bibunt, sub silētio Aue Maria recitent. Qualis .n. debeat esse pęnitētis mensa vt gulę vitiū excludatur, docet ēt Sapiens. *Prou. c. 9.* dum ait, Sapiētia miscuit vinum, & posuit mēsam suam; dum dicitur vinum miscuisse, profecto non merum exhibuisse ostenditur, & ex mensæ positione panem posuisse intelligitur, &c. Quotidie deuotis precibus se Deo, & B. Mariæ Virgini se commendent, nemo nāque potest esse continens, aut sobrius, nisi Deus dederit. *Sap. capit. 8.* Et quia qui in Quadragesimę dicbus, vel alijs temporibus ieiuniorū carnes, vel lacticinia, sine facultate comedit, de hæresi se suspectum reddit, & hic casus in multis locis Episcopis reseruatur, ideo Cōfessarius pœnitentem ad legitimos Iudices mittat, uel abeis absoluendi facultatem, petat præscriptis pœnitentijs, quæ eum in futurum à relapsu cohibeat, ac præseruet. *Pegna. in 3. part. Direct. Inquis. Comment. 24. Zechius. de pœnitentia. capit. 18. Reginald. libr. octauo, numer. 61. Molfesius. tract. octauo, cap. octauo, num. 176. vt attigi supra capit. 20. quæst. 99. & in Comment. de cas. reser. p. 2. capit. 7.*

ARTICVLI SVPER INVIDIA, & eius sobole. Cap. XXIV.

QVAESTIO CVII.

QVID SIT INVIDIA, ET QVALIS eius effectus.

Quid est inuidia, & qualis affectus? R. Est tristitia quædam de bono proximi æstimato ab inuidente, vt malo proprio, quatenus per quandam comparationem proprij boni excellētiam seu gloriā obscurat, & imminuit. Hoc enim vitio alterum carere tali bono volumus, quia per illud nos excellit, cum nobis aut maior, aut ęqualis videatur. Ideo inuidere idem est quod non videre velle, liuidum enim oculum ab eo cui inuidemus, auertimus *vt per D. Thomam. 22. quæst. 36. art. 1.* Quæ quidem diffinitio, seu desciptio à ratione inuidiæ, vt vitium, & peccatum est, triplicem casum, vel affectum excludit.

Primo, si de alieno bono tristetur, eo qđ videat, vel reipub. vel proximo, vel ipsi bonum possidenti aliquam perniciem, vel mala inferenda. Hic enim affectus non est inuidia, sed quidam potius timoris effectus, teste *Philosopho in 2. rhet. cap. 9.*

Secundo, cum quis tristitiā concipit, nō proprie de alterius bono, sed de suo potius defectu, qđ scilicet non etiam ipse bonum illud habet. Qui quidem affectus non inuidia, sed zelus, & æmulatio dicitur, & si circa res spirituales sit, sancta inuidia à Sanctis Patribus nuncupatur, quam *Apost. in priori ad Corinth. cap. 12.* commendat dicens, Æmulamini charismata meliora, nā vt ait *Marc. Ant Natta. l. 5 de pulchro, & bono.* Æmulatio est ad ardua & difficillima capescenda. Et teste *Oldrad. consil. 8.* Æmulatorem habere bonum est, quia marcescit sine aduersario virtus. *Tuschus. verbo. æmulatio. conclus. 231. & sequenti.*

Tertio, censeri potest bona, & licita tristitia, quę insurgit ob aliquem bonum finem de alicuius temporali bono, cuius is arbitrio prudētis indignus est, vt cum uidemus, vt dixi, aliqua mala ex eo prouentura, quæ reipub. uel proximo damnum sint allatura, uel ipsi possidēti obfutura uideātur, ut si in occāsione peccandi maneat, &c. Qui affectus ab ipso *Philosopho. l. c. c. 9.* appellatur nemesis, siue indignatio, & si bono fine careat, peccatum erit, non tamen lethale, nisi eò prorumpat, vt Deus iniustitiæ, & malæ prouidentiæ arguatur, tanquam nō recte bona distribuens, qđ est grauissima blasphemia; nam cum diuitiæ, dignitates, & honores, & alia temporalia bona indignis dantur, ex Dei iusta ordinatione, uel ad eorum damnationem disponuntur. *D. Thom. 22. quæst. 36. artic. 2. Ant. 2. par. tit. 8. cap. 1.*

Val.

Val. to n. 3. disp. 3. quæst. 14. Regiald. lib. 17. cap. 12. num. 127. Tol. lib. 8. cap. 63. & 65. Nau. cap. 23. num. 118. Berard. in summa Cor. tit. de Inuidia. Bened. Pererius in Genes. c. 37. Lal. Pereg. de affect. animi. noscen. de Inuidia. capit. primo.

QVÆSTIO CVIII.

QVINAM SINT INVIDI, ET QVINAM inuidiosi idest quibus inuideri solet, &c.

QVæritur quinam sunt, qui inuidia conflictantur, & quinā sunt in quos inuidia iactatur? R. Primo, illi inuidia potissimum mouentur, quibus aliqui pares sunt, aut esse videntur, pares autem dicuntur, aut genere, aut cognatione, aut ætate, aut habitu animi, aut dignitate, aut fortunis. Quippe homines maxime paribus inuident, uel inferioribus, cum se relictos sentiunt, at illos euolasse dolent. Superioribus quoque vehementer inuidetur, eo magis si intolerantius se iactant, & communis iuris æquabilitatem, dignitatis, aut fortunæ suę præstantia transiliunt, vt ait *Cicero in 2. de oratore, & Maiorag. in 2. lib. Rhet. Arist.* cui doctrinę subscribit. *D. August. l. 11. super Gen. ad literam. c. 14.* Vbi inuidiam, ita describit, Amando, inquit, quisque excellentiam suam, uel paribus inuidet, quod ei coæquentur, uel inferioribus, ne sibi coęquentur, uel Superioribus, quod eis non coæquetur, Vnde etiam Lucanus,

Stimulos dedit æmula virtus,

Nec quemquam iam ferre potest Cæsarue priorem, Pompeiusue parem.

Proprie autē nō nisi inter pares, & æquales oritur, iuxta illud,

Figulus figulo inuidet, faber fabro.

Propterea inter hos officij, uel artificij similitudo, magis æmulationem, quàm beneuolentiam conciliat, vt per *D. Thomam. 2. 2. quæst. 36. art. 1. & 2. & Arist. in Rhet.* Quò fit ut alterum sibi præferri ægreferant, teste *Corn. Tac. 1. hist.* dicente. Vbi inæqualitas, ibi liuor obrepit, & inuidia. Proinde magna cautione, ac prudētia in Imperijs opus est, verè enim à Philosopho pronuntiatum est, Communis custodia principatus est, neminem vnum magnū facere, ideo æmulationis imprimis occasiones arcendæ, è quibus odia, detractiones, mutuæque euersiones nasci consueuerunt. Adde æqualitatem adeo esse fauorabilem & amplectēdam, vt contrarium faciens legibus inimicus esse dicatur, quæ pacem, ac concordiam fouent. *Tusch. ver. æqualitas. conclus. 304.*

Secundo, procliues & sane ad inuidendum sunt illi, qui omnibus fere bonis abundant, soli enim ea habere vellēt, & cum alijs quoq; bona eadem euenire intelligunt, discruciantur. Sicut & illi, qui res magnas administrant, & prospera fortuna vtuntur, eo quod putant ea bona, quæ alijs contingunt, sibi quodammodo eripi, ac extorqueri, hinc dissidia, contentiones, & iræ sæpe nascuntur.

Tertio, ambitiosi pariter homines, & gloriæ cupidi uaiori ex parte liuore tanguntur; nam qui uel propter ignauiam, uel egregiam sapientiam gloria non commouentur, ij raro solent inuidentia laborare, qui uero gloriæ sunt appetentes, hi dolent pares, ac similes altius euolare, ut proinde obtrectatores sint, & alios deprimere studeāt, seipsos ut extollant, siquidem teste Cicerone, Miserrima est omnino ambitio, honorumque contentio. Vnde Franciscus Petrarcha Carolo IV. quærenti, quomodo stabile regnum conseruare posset respondit, E medio tollantur capitales publicæ pacis, ac humanæ societatis pestes, inuidia, auaritia, ira, superbia, misera est namque reipub. facies, ubi hæc mala coaceruatim dominantur, &c. Hinc & *Sanchez de præcept. lib. 6 cap. 18 num. 16.* Quippe, ait, ambitionem bonum religionis statū funditus euertere experientia testis est, est enim, ut inquit. *D. Bernardus serm. 6. in Psalm. Qui habitat.* secretum uenenum, pestis occulta, doli artifex, uirtutum ærugo, tinea sanctitatis; indeque oriuntur inuidiæ, dissensiones, & rixę, ut Romanorum etiam exemplo confirmat. *D. August. l. 5. de ciuit. Dei. cap. 12.* Quare ut tradit. *D. Basil. de constitut. monast. cap. 10.* hoc uitio capti sunt inuidi, contentiosi, simulatores, & denique quos ambitio inuadit, ecclesiasticæ disciplinæ iugum respuere facit. *cap. bene. dist. 96.*

Quarto qui sapientes uideri uolunt, cum eius gloriæ sint appetentes, quæ sapientiæ debetur, sed quia illam adumbratam habent, ideò facile contemnuntur, nec ullam ueram laudem assequuntur, tales ueteri adagio dicuntur barba, & pallio sapientes, de quibus Horatius,

Iussit sapientem crescere barbam.

Vnde quidam non illepide dixit, Si oporteat Philosophum ex barba metiri, hircos primam laudem ablaturos, &c. Quare & Plutarch. in uita Phocionis refert Alcibiadem magnam sibi auctoritatem non probatis moribus, sed barbæ prolixitate, graui supercilio, tardoque incessu comparasse, qui cum aliquando publice mentitus esset, correctorem Phocionem habuit, qui barbam eius apprehēdit, eamque quasi demulcens, dixit, quàm decuerat, hanc barbam, & indumenta boni viri indicia priusquam mentireris, deposuisse.

Quinto, homines melancholici, angusti, pusillique animi, solent inuidiæ morbo laborare, cuius rei causam illam affert Aristoteles, quod res omnes quamuis paruæ sint, magnas æstimant, & cum eas aliquem adeptum uident, animo anguntur, & discru-

QVAESTIO XCI.

Quomodo per verbum laute peccetur.

QVomodo per illud verbum laute peccatur? R. Cum appetuntur cibi pretiosiores, quàm statui conueniat, vt si religiosus, vel pauper sæcularis contemptis alijs cibis, nisi perdices, phasianos, ficedulas, &c. comedere nolit. Qua ratione Clemens VIII. Pont Max. *in Constit. Incip. Religiosa Congregationes.* statuit, vt eum occasione transitus, seu causa necessitatis, vel deuotionis, aliqui hospites à regularibus viris excipiendi sunt, opipare non recipiantur, sed modeste, & religiose, non honorificè, & sumptuosè, seruata frugalitate, & paupertate religiosa, & res ipsis religiosis conuenientes eis dentur, &c. Nec sane illud insigne huius Pontificis temperantiæ testimoniũ prætereundum uidetur, quod inter alia ad ecclesiasticam disciplinam componẽdam, pauperũ Christi cohorti, quos domi quotidie alebat, pretiosiora, ac lautiora quæque obsonia, iubebat afferri, vilioribus sibi retentis, ac modicis. *Baron. tom. 4. Anno Christi* 366. Omnibus locis ait *D. Basilius de vera virg.* cibus, qui sit ad vitam necessarius, solerti ratione inquirendus, condimentorumque elaboratæ blanditiæ, vt uoluptatis illecebræ, repudiandæ. Idem auctor in *reg. fus. disp. in resp. ad quæst.* 20. scripsit, eos qui hospites splendide, & laute excipiunt, illo apparatu contumeliam illis infligere, vẽtris nimirum libidinem illis objiciendo, & sic suos hospites tractando, sicut cum eis agi uelle existimãt. Quare scite quidã philosophus ad cœnam inuitatus hospiti dixit, Vide, sic me tractes, ut bonam de me opinionẽ te habere ostendas, & ut sane uiuere valeam, &c.

Hinc enim innumera glomerãtur mala, præsertim podagra, qui Magnatum delitiose uiuentium, & otiosam uitam traducentium morbus esse solet: & si etiam negari non possit, quin hæreditario quodam iure in posteros transfundatur. *Maiol. l.* 2 *de irregularitate. cap.* 21. *num.* 3. *Io. Hier. Camp. in Diuers. Iur. can. Rub.* 11. *cap.* 17. *nnmer.* 137. *Daur. in Catech. hist. tom.* 1. *cap.* 2. *tit.* 41. *exemp.* 11. *Stob. serm.* 28. *de otio.* Vnde licet honesta conuiuia inter christianos non improbentur, nam in ueteri testamento sanctos, religiososque uiros usos fuisse legimus, & in nouo testamento ipsemet Christus D. N. una cum matre, & Apostolis nuptiali conuiuio nõ modo interfuit, sed etiam miraculorum suorũ primitijs consecrauit, cauenda tamen est inordinata cupiditas, & luxus uitdus. Et ut admonet. *Plutarch. in conuiuio.* 7. *sap.* non solum inuitãtium, sed etiam aliorum, qui inuitati sunt habenda est ratio, antequam accedamus, ne eorum causa temperantiæ limites excedamus, ut annotant etiam *DD. in Dom.* 2. *post Epiph. & Inst. in Tob. c.* 8. *vers.* 21. *docum.* 1. (Solito tamen maior abundãtia, & splẽdor in ipsis conuiuijs nuptialibus permittitur, nam nuptiarum festiuitatẽ Imperatores attendi, ac spectari uolunt. *l. sancimus. C. de nuptijs. Ann. Rob. l.* 1. *ind c.* 2.)

Propterea, & *D. Hier. cõtra Iouin. relatus in c. ne tales de consec. d.* 5. Ne tales, inquit, accipiamus eibos, quos aut difficulter digerere, aut comesos magno parros, & perditos labore doleamus, &c. A quo non discrepat. *Cassianus, l.* 5. *cap.* 23. cum sic loquitur, Igitur eligendus est cibus, non tãtum, qui concupiscentiæ flagrantis æstus temperet, minusque succẽdat, uerum etiam qui ad parandum sit facilis, & quem ad comedendum opportuniorem uilioris pretij compendium præstet, quique sit conuersationi fratrum, usuique communis. Quippe condimentum ciborum est fames; hinc Dionysius tyrannus cœnatus se cibo delectatum esse negauit? respõdit coquus, non mirum, quia condimenta deficiunt, nempe exercitium, labor, & fames. *teste Cicer. in* 5. *Tusc. qq.* Quia tamen nobilium, & ignobilium, robustorum, ac debilium æqualis non est cõditio, gulæ uitio ascribendũ non erit, si illi lautioribus utantur cibis. *c. nõ cogantur. d.* 41. *D. Ant. l. c. p.* 2. *tit.* 6. *c.* 1. *§.* 6. *Sur. in vita. D. Thom. cant. to.* 6. Et si persona sit docta, studijs dedita, religiosa, uel in aliquo officio cõstituta, nõ à lautioribus escis arcẽda est, quãdo uel necessitas, uel honestas, uel obediẽtia maioribus debita, id exigit; meliores namq; & subtiliores cibi meliorem, & subtiliorem sanguinẽ gignũt, Et negari non potest, ait Franciscus Philelphus in *Epistolis.* delicatioribus cibis etiam ingenia enutriri, sicut superius. *c.* 14. *quæst.* 68. generoso uino moderate sumpto, ingenium foueri, & prudentiam augeri diximus. Quod & fatentur. *Berard. in summa Corona de sacrificio missæ. num.* 34. *& Bussens in arca medica. in ver. gula. ant.* 2. *& Hilaret. in Sabbato post. Dominicam Passionis.*

QVAESTIO XCII.

Quomodo contingat peccatum circa verbum nimis.

QVomodo contingit peccatum circa illud uerbum nimis? R. Cum nimiũ comeditur idest plus, quàm natura requirit, qui modus frequẽtissimus est, & in hac re homines aliquando se à brutis uinci patiuntur, siquidem,

Vt bibat haud sitiens, vel edat iam vẽtre repleto.
Verberibus cogi bestia nulla potest.
Ergo homo deterior longe est, fateamur oportet,
Qui bibit haud sitiens, qui vorat ante satur.

Hinc inter alia, Ægyptij Elephantum temperantiæ symbo-

symbolum effingebant; assuetus enim certæ pabuli mensuræ, si quid largius, opulentiusque appoſuerit, tantum assumet, quantum quotidiana consuetudine poscere sit institutus. *Pier. tit. de temp lib.* 1. Atque idem dicendum est de potu, sed de esu hic fit sermo, quia ibi magis, & frequẽtius quàm in potu peccatur; cum autem ita in potionis excessu delinquitur, ut ebrietas incurratur, tunc unum speciale oritur uitiũ, de quo infra. Quò fit ut q. sæpius intemperãter cibũ, uel potũ sumit, lethaliter peccare dicatur, si ille excessus cũ præcedentibus continuatus sit notabilis morbi causa, quamuis ultima comestio uel potatio per se sumpta, sufficiens infirmitatis causa non fuerit, ut ex communi resoluit. *Bonacin. de leg. d. 2. quæst. 3. p. 5. num.* 28.

Porro ut cognoscamus, quantum cibi, & potus, cuique sufficere ad uires corporis tuendas debeat, Sancti Patres, cum certa regula omnibus secũdum eandem mensuram præscribi nequeat, animaduertunt, ut quisque se ipsum metiatur, & experientia magistra obseruet, quanta cibi copia soleat stomachum grauare, ac deinde paulatim de illa copia detrahat, donec nullam amplius in digestione difficultatem sentiat. Vnde legimus Milonem Crotoniatẽ robustissimum uirum, solũ aliquando unum bouem comedisse, nec eius stomachum grauatum fuisse: alium uero uirum quia debilis erat, etiam de paucis panis buccellis prægrauari solitũ, ut proinde uerum sit quod tradit. *Aristot. in. 2. Ethicorum.* Quod uni est parum, alteri potest esse nimium, &c. Et quod protulit Hipocrates. *Aphor.* 17. Dandũ est aliquid tempori, regioni, ætati, personæ consuetudini, &c. Contra quoque notet, quanta cibi tenuitas. & parsimonia cum imbecilliorẽ reddat, ne muneri quod sustinet, ægre satisfacere possit. Quo ãīaduerso, paulatim eousque cõmeatum augeat, donec integrę suppetant uires, ad omnes consuetas functiones explendas. Quod si quis anceps hæreat, quantum cibi, uel potus sibi sumendum sit, potius naturali inclinationi repugnandum esse sibi persuadeat, eo quod ut vulgo fertur, appetitus nequã vulpes sit, & colore necessitatis facile in fraudem inducat; nemo enim carnem suam ait *Apost. ad Ephes.* 5. umquam odio habuit, sed nutrit, ac fouet eam. *D. Ant. p. 2. tit. 6. c. 1. §. 5. Buseus. v. gula. rem. 3. Carthus. de vita, & refor. Canon. l.* 1. *art.* 7. Notanda est & doctrina *Cornely Celsi. l.* 1. *cap.* 1. Sanus homo, & qui bene ualet, & suæ spontis est, nullis obligare se legibus debet, neq; medico, neq; aliptą egere. Vbi expositores aiunt; q̃a viuere medice est uiuere miserrime, homini licere quibus libet appositis cibis uesci, modo nimietas uitetur, & temperantiæ lex seruetur; unde nec à brassica, cæpis, caseo, fabis, & pisis, metu humoris melencholici, & biliosi scrupulose abstinendum est; exigua enim quantitate, uel rarius assumpta nocere nõ possunt, præsertim si grata gustui, imò sæpe quæ magna quantitate obsunt, modica naturæ prolunt. Nec omittenda illa animaduersio, Ex eo quod quis uarijs, & delicatis cibis nimis, & abunde utatur, non frangi ieiunium, etiam si peccetur, & meritum euacuetur, modo cibi uetiti nõ sint, & una refectio hora debita sumatur. *Vgol. de officio Episcopi. p.* 1. *cap.* 9. *num.* 7. *Reginald. l.* 4. *num.* 163. & *Bonac. de leg. disput. vlt. quæst.* 1. *puncto.* 2. *n.* 7. *vt infra. tract.* 8. *cap.* 6. *quæst.* 13.

QVAESTIO XCIII.

QVOD PECCATVM INNVATVR PER illud verbum ardenter.

Quod peccatũ innuitur per illud uerbum ardenter? R. Illud. s. cum debitus, & honestus modus non seruatur, ita ut homo, incõpositè se habẽs, more Lupi, uel Leonis uorare magis, q̃ comedere uideatur. Contra quod ait *Sapiẽs. Eccles. c.* 38 Non te effundas super omnem escam, & noli esse auidus in omni epulatione. Et Ouidius,

Carpe cibos digitis, est quidam gestus edendi,
Ora nec immunda tota perunge manu.

Et licet aliqui hoc uitium à naturali conditione, & inolita consuetudine trahant; multũ tamen, & corporali officit sanitati, quia non ita bene quasi integer comestus cibus digeri potest. Atque in hac gulę specie ita uilissimis, sicur pretiosis peccatur c. bis. Imò ut ait *D. Ant. l. c. §. 8. et Vgo Vict. in c. 6 reg. D. Aug. & ibi. Vmb. c.* 57. In hoc frequẽtius offendunt homines, non facientes sibi conscientiam ob escarum uilitatem, & cum maiori culpa tetræ I uctus, cæpas, & allia, quàm carnes edũt, &c. non attẽdentes, hoc gulæ uitium in primis parentibus, non in caponibus, uel perdicibus, sed in fructibus fuisse; & Dominum nostrum à Diabolo non de carne, sed de pane tentatum esse, &c.

Sani quoque, uel infirmi, qui sciunt, uel experti sunt, aliquid cibi, uel potus sibi nocumentum afferre, & tamen propter auiditatem sumunt, in hãc gulæ speciem impingunt, & iuxta rationem excessus, uenialiter, uel mortaliter peccant. *Codronch. l.* 2. *de christiana. med. ra. cap.* 2. Refertur etiã de quadam sanctimoniali, quod cum lactucam in horto à se collectam cum nimia auiditate comedisset, à Diabolo abrepta est, sed à B. Equitio sacris precibus adhibitis liberata fuit. *D. Ant. l. c.* Insatiabilis illa, quasique lupina, seu camina edendi cupiditas, seu vt ita dicam, voracitas inciuilis est, illiberalis, bruta, ac belluina, ab humanaq; ratione aliena; & cum ipsa per se morbus sit, morborum omnis generis parens est; ut merito & Diogenes eos irridere solitus sit, qui pro bona valetudine rem diuinam facerent,

& deinde cibo, potuque cõtra sanitatem, se ardenter ingurgitarent, asserens, insanum esse, ea à Dijs precari, quæ in nostra sunt potestate, &c. *Maiol. in dieb. can. colloq. 5. de aula. Chauas. de prud. l. 3. c. 2.*

QVAESTIO XCIV.

QVID SIGNIFICET VERBVM studiose.

QVid significat illud verbum studiose? R. Denorat tunc in hac specie peccari, cum in condimentis, & studio præparandi excessus committitur, vt si quis comedere nolit, nisi edulia multo sac charo, & varijs succis condita sint. Quippe studiose corpus nutrire, nihil aliud est, quã vermibus escas parare, ingenuus, & nobilis homo erubesceret esse Regis coquus, & tamen nõ erubescit vermibus carnes coquere. Illa pluuia optima est, quæ suauiter descẽdit, subitus autem, & nimius imber arua subuertit; sic cibus inquantitate, & qualitate moderatus, vtilior est corpori. Terra quò plus stercoratur, eò magis malas herbas producit: sic corpus quanto lautius nutritur, tãto plures carnales motus gignit.

In hoc præcipue delinquere solent nonnulli diuites, & magnates tàm seculares, quàm ecclesiastice, vt *l. c.* §. 7. obseruat *idem D. Anton.* Vbi subdit, Magnam conscientiam sibi tales facere deberent, de tanto tempore quod amitrunt, & faciunt ministros amittere pro huiusmodi præparatione, & superfluis expensis, quibus deberent pauperibus subuenire. Præsertim (addo ego) cũ omnes sciant, commodatis à Deo facultatibus. Principes vti, & quasi precario possessores esse, & decere eum qui multa possidet, pro ratione, non pro libidine viuere: & si enim Principum mensa aliquanto lautior esse possit, quàm priuati hominis, siquidẽ vult hoc consuetudo, honesti lex, & dignitatis ipsius splendor hoc postulare videtur, vt sicut in ædibus, in vestibus, in familia, ita in hoc quoque sit quædã laxitas: in hoc tñ suus modus esse debet, qui non ex sæculi corruptela, quæ in dies magis augetur, sed ex rectæ rõnis præscripto, & prudẽtiæ luminę serio diffiniẽdus est, nec enim intemperantia hoc prætextu in damnum tàm animi, corporis, & rerum, quàm egenorum concedit, &c. *Io. Choc. libr. 5. Polit. cap. 14. Plat. de Card. dignit. Tholos. de rapub. lib. 8. cap. 6.*

Palatum tuum fames excitet non exquisiti sapores, ait Seneca. Monebat Socrates, vt homines sibi ab illis cibis cauerent, qui non esurientes ad edendum, & à potibus qui non sitientes ad bibendum allicerent. Sic Gorgias Leontinus interrogatus, quo cibi genere vsus, in tãtam senectutem esset progressus, nihil voluptatis gratia se comedisse, aut bibisse respondit. Iouianus Pontanus, qui Alphonso Regi Aragoniæ à secretis erat, rogatus cur vnico tantum cibo vteretur? respondit, vt medicorũ manus effugiam. Frugales homines præsertim religiosi dum mensam beuedicunt, illis verbis, Edent pauperes, & saturabuntur. *Psal.* 21. fatentur, tenui cœna, vilibus, ac parabilibus cibis esse contentos, non enim decet pauperes de coquo, nec tacite, nec publice queri. Diuitum vitium naturale est habere coquos culinariæ artis peritissimos; optimum condimentũ fames est, vt Socrates dicebat, & salsamen tum pauperum, qui tunc saturãtur, cum edendi cupiditas se naturæ accõmodat, quæ sapientum dicto paucis est contenta, quæ post modum paucitas est sanitatis parens. Et quia necessitati cibi sumendi semper coniuncta est voluptas, cauendum ne vltra tẽperantiæ metas rapiamur, sicut. n. æger ad medicinam, sic ad sumendas dapes debet christianus accedere, non in illis voluptatem appetens, sed necessitati succurrens. Plus semper appetit voluptas, quã necessitas, sed humanæ naturæ modicum sufficit.

Sunt quibus in solo viuendi causa palato est.
Verum non viuendum, vt edamus, sed edẽdum, vt viuere possimus. Vnde & *Franc. Valer. l. 2. loc Cõm. capit* 6. ait, ciborum varietate & copia in eadem mensa, & productione in longas moras, nihil nocentius homini ad salutem esse. *D. Gregor. libr. 30. mor. cap. 28. & D. Aug. l. 10. confess. cap. 31.*

In omnib. cibis siue pretiosi, siue uiles sint, semper vitanda est satietas, sanitatis hostis. *Palladius in historia lausiaca. cap. 2.* scribit, Isidorum Sacerdotem, etiam si quotidie tantum cibi sumeret, quantum ad tuendam corporis incolumitatem satis esset, attamen magnam temperantiæ laudem apud omnes sibi comparasse, quod numquã satur è mensa surrexisset. Scite etiam Democritus dicere solebat, homines precari quidem à Deo valetudinem, cuius tamẽ vim in se ipsis nesciant, dum enim inordinate viuunt, suæ ipsi valetudinis sunt proditores. *Max. serm.* 27. Qua ratione Principes semper in mortis articulo constituti esse dicuntur, quorum ex negotiorum difficultatibus, & curarum varietate, molli, ac delicata corporum temperie, delicatiori, ac intemperato victu, frequens, ac immatura mors est. *Ripa. de Actis. in articulo mortis. cap. 1.*

CAP. XXI.

QVAESTIO XCV.

QVOT SINT SPECIES GVLAE, & quale peccatum sint.

QVot sunt species gulæ, & quale peccatum sint? R. Quoniam gula partim in cibi, partim in potus immoderato vsu versatur, vt ex eius diffini-

diffinitione patet, duæ illius species assignatur, crapula scilicet, & ebrietas, quarum prior cibi, & posterior potus est inordinatus appetitus, de quibus Dominus. *Lucæ cap. 21.* admonet, Attendite vobis, ne forte grauentur corda vestra in crapula, & ebrietate. Atque de crapula licet controuersum sit, an peccatum sit mortale, cum quis deliberate vsque ad vomitum se cibo replet; communior tamen videtur opinio, tunc tantum mortalem culpā secum inuoluere. Primò, cum quis sibi notabile detrimentum inde accersit. Secūdo, si gulę vacet cum intentione diuinam legem transgrediendi. Tertio, si peccandi mortaliter periculo se exponeret. Quarto, si graue scandalum inde in proximū resultaret. Quinto, si in cibo, & potu vltimum finem constitueret, vt sunt plures, qui Sardanapali vocantur, quorum, vt ait *Apost. ad Philipp. cap. 3.* Deus venter est. Sexto, quando lautos cibos exquirens, æs alienum contrahit, & se ad soluendum impotentem reddit, & sic de ceteris. Et licet hoc peccatum quadam ratione alijs leuius sit, quatenus scilicet cibi, ac potus voluptas homini à natura insita aliquā excusationem habet, in alio tamen sensu cæteris grauius est, quatenus scilicet varijs alijs peccatis ianuam aperit. *D. Thomas. 2.2. quæst.* 148. *art. 3. Caiet. in v. gula, & v. immunditia. Nau. cap. 23. num.* 119. *Reginald. l. 22. cap. vltimo. num.* 54. Quò vero ad ebrietatem, quæ dicitur ab è quod est sine, & bria .i. mensura, quasi sine mensura bibens, cum duplex sit, una, qua quis nimium bibit quidem, non tamen vsu rationis priuatur; altera, qua ipsius rationis usum amittit; de priori communis est doctrina, solum modo ueniale esse peccatum, nisi alia circunstantia (ut de gula in cibo diximus) speciem uariet.

De posteriori concors est Doctorum placitum, peccatum esse mortale, tùm quod se ipsum magno damno afficiat, nempe mentis intelligentiæ priuatione, quā bruto similis imò Dæmoni efficitur: tùm quod *D. Paulus in priori ad Corinth. capit. 6.* Inter eos, qui Regnum Dei non possidebunt, ebriosos ponit. Quod non solum in uiris, sed etiam in fœminis locū habet: quamuis, *Gloss. l. 1. §. taceat. C. de rei. uxor. act. & in l. vltima C. de repud.* falso leuem culpam ebrietatem in mulere existimauerit. Et si nihilominus fatendū sit, uiros crebro, fœminas uero raro uini haustu ebrias fieri, tùm quod magis sobriæ sint, minusque uini ipsæ hauriant, tùm quod humectissimo corpore sint, id quod docet leuitas cutis, & faciei splendor, & assiduæ purgationes superfluo humore corpus exonerantes, *vt inf. q. 109. in fine.* In duobus tñ casibus à lethali culpa excusari quis poterit. Primus est quando raro præter intentionē ebrius redditur, nimirum cū ignorādo potus nimietatem, aut uim uini, aut proprij corporis constitutionem, & naturam, mero proluitur.

Secundus est, quando quis medicorū iudicium secutus, ad recuperandam sanitatem, quæ alia ratione obtineri nequit, potenti uino se obruit, vt docet. *Caiet. Armil. Syl. & alij. in v. ebrietas. V al. to. 3. disp. 9. q. 3. p. 2. Lessius. l. 4. dub. c. 3 dub. 4. Azor. p. 1. l. 7. c. 33. q. 5. Reg. l. 12. n. 35. T. l. 8. c. 61. & aly*

QVAESTIO XCVI.

AN ALIQVEM AD AEQVALES CALICES exhauriendos prouocare liceat, &c.

Licet ne alterum prouocare ad ęquales calices exhauriedos, & an fas est respōdere? R. Prouocationem illam esse admodum turpē, & à recta ratione alienam, & mortiferū esse peccatum, si illa quis faciat animo se, uel alium inebriādi, uel si aduertat, aut facile aduertere possit, inde in se, uel in altero ebrietatem secuturam, etiam si non eo animo faciat; Vnde merito Sancti Patres in consuetudinem illam, seu potius abusum inuitādi ad æquales haustus grauiter inuehuntur, cum ex tali potandi mutuo certamine ebrietas facile sequatur, cuius probabili periculo se, uel alium exponere culpa lethalis est. Hinc *Tab. in v. ebrietas, & Sanchez. l. 1. de præcept. cap 7. num.* 33. aiunt grauis peccati reos esse caupones, qui ex auaritia quadam, bibentibus uinum ministrant, quo conficiendi sunt, ut ea ratione plus pecuniarum emungāt, &c. Et quia sæpe fit, ut qui sibi relicti plus æquo non biberent, importunis compotatorum precibus, uel minis id faciant, & tunc apud Deum excusatos se putēt, sciant à culpa non excusari, cum nec metu, nec amici causa fas sit, diuinæ legis, naturalisque rationis fines transilire, aut homines magis, quàm Deum reuereri. *D. Aug. serm. 231. cap. sacris. ext. quod met. causa.* Et quia hoc uitium in clericis, qui alijs recte uiuendi norma esse debent, turpius cōspicitur, ideo Concilium Nannatense relatum, *in cap. quando. el. 2. d. 44.* sanxit ne clerici ultra tres ciath os bibāt. *in c. nullus, & ead dist. 44.* cauit, ne clerici in conuiuijs ēt rogati alios ad bibendum cogere audeant, uel se aliena precatione ingurgitare. Cui Canoni innixus Pius V. statuit, ne clerici comessationibus, choreis, comœdijs, aut minus honestis conuiuijs intersint, caupones, aut tabernas, nisi itineris causa, ne ingrediantur, nec cuipiam propinent, uel prouocati ad bibendum respondeant, sed sobrie, modeste, & caste, ex doctrina Apostolica uiuant, ut testatur. *Pat. N. Io. Ant. Gabut. in eius vita. l. 1. cap. 12.* Et sanè aduersus hāc Apostolicam regulam agunt omnes ebriosi, ac uoraces, ac propterea ut criminosi, & irregulares promouendi nō sunt. Ac iure etiam dicimus, ingluuiem, & ebrietatem clericali ordini ob esse, nā pinguis uenter non gignit sensum tenuem,

nec quidquam tenue, aut cœleste cogitare permittit, cum tamen clerici purgato, ac vigili sensu pollere debeant. *cap. ne tales. de consf. d. 5. cap. qui Episcopus. d. 23. Maiol. de irreg. l. 5. cap. 3. Gutierez. l. 2. can. qq. c. 4. & Cāvan. in Diuers. Iur. can. rub. 4. n. 7.* Et sicut vitium frequētandi tabernas in clericis reprehēditur, ita etiā in laicis improbatur; caupouæ namque non voluptatis, sed necessitatis causa institutæ sunt, atque huiusmodi loca intemperantiæ, & incontinentię sunt fomenta, ex hisque furandi, & male agendi semina oriuntur; siquidem sæpe earum nidore heluones naribus attracti, & gutture inescati artifices, & mechanici, domesticam familiam impie obliuiscūtur, & soli vnico symbolo consumunt, quod omnibus domesticis fame laborantibus, in hebdomada sufficisset; ibique interim tempus terunt, & genio indulgēt, atque inde ebrij exeuntes, audaciores ad scelera prodeunt. Qui proinde nisi à tali corruptela desistere velint, à confessarijs absoluendi non sunt; & quibus pœna aptior à Magistratibus, & vrbiū Rectoribus infligi non posset iciunio abstemio, cū publico carcere, vt per quæ quis peccauit, per ea torqueatur. *Ludou. Pegner. in qq. crim. cap. 44. num. 10. Tholos. in syntag. Iu. p. 3. lib. 39. cap. 7. Bellett. in Disquisit. cler. p. 1. §. 2.*

QVAESTIO XCVII.

AN ACTVS MALI AB EBRIO COMMISSI ei ad culpam imputentur, & contractus ab eo initi valeant.

AN actus mali quos ebrius in ebrietate committit, ei ad culpam & pœnā imputentur, & an contractus ab eo initi validi sint, &c? R. Si ebrietas culpabilis est, imputātur, præcipue cum iam iterum in ebrietatem ipsam inciderat, & similia mala perpetrauerat, vel cum aduertit, talia damna inde accidere posse, in quo casu si aliquem occidat, ab irregularitatis labe non excusabitur, nec à damni restitutione immunis erit. Et idem DD. dicunt de somniuago, idest qui in somno per domū & etiam extra interdū vagari solet, nam si probabiliter detrimentum euenturum putet, ab eadem obligatione non eximetur. *Azor. p. 3. lib. 2. cap 13. Pet. Nau. lib. 2. de restit. cap. 1. num. 62. Sayrus de censf. libr. 6. cap. 17. num. 35. Tol. lib. 8. cap. 61. Beia p. 3. respons. mor casu. 20.* Vbi etiam ex cōmuni resoluit, Sacerdotē, qui per ebrietatem aliquomodo præuisam, ac proinde culpabilem, diuinum officium omisit, præter ipsum ebrietatis peccatum, alterū etiam omissionis canonicarum horarum cōmisisse, & vtrumq; in sacramentali confessione exprimere teneri. Bene verū est in foro exteriori mitius esse puniēdū ebriū propter delictum in ebrietate perpetratū, cum non studiose, sed ex infirmitate, vel quadam insania, seu furore delinquere dicatur, cum vbi ebrietas est, illic sit & furor, & insania. *cap. venter. dist. 35. Seneca ad lucillum. Epist. 83. Tiraq. de temp. pænis. causa 6. Farinacius. eodem titulo. quæst. 93. Menoch. l. 2 de arbit. Iud. casu. 326. Clarus. l. 5. sent. Iu. §. fin. q. 60. Con. in clem. 1. p. 3. in principio num. 3. de homicidio. Mascardus. vol. 2. de probat concl. 179. Comit. l. 5. respons. mor. quæst. 5. Sanchez. l. 1. de præcept. c. 10. & seq. Bonifacius. de furto § animo lucri.*

Quò ad alteram quæstionem dico, contractus in ebrietate celebratos, vt matrimonium, emptionem, & venditionem, &c. non valere, ebrius enim vino confectus reputatur amens, à quo initi contractus nulli sunt: ex quo sequitur, vt sicut sponsalia, & matrimonium ab ebrio contracta non valent; quia libero consensu carent, ita etiā coniux alteri coniugi ebrio debitum coniugale reddere non tenetur, nisi alioqui illicito modo ipse ebrius libidinem sit expleturus. Ex hoc etiā illud pariter infertur, ebrium sacro assistentem, vel orationē ex voto recitantem, præcepto non satisfacere, cum actionem illam humano modo non exerceat: quandoquidem cum, subiectum legum, & præceptorum sit homo vsus rationis capax, necesse est, vt opera imperata humana ratione præstentur, vt ex communi ait. *Bonac. de legibus. d. 1. quæst. 1. p. 10. num. 2.* Quippe dubium non est, ebrio ea accidere, quæ curribus auriga excusso solent; siquidem currus Rectore destitutus, vt scribit Isocrates, nullo ordine rapitur, & animus quoque ratione orbatus, ad tàm sacras, quàm humanas res conficiendas ineptissimus redditur.

Quò sit etiam, eum qui à temulento lucratur ludēdo, aut dono aliqd accipit, ad restitutionē teneri. Quæ tñ assertio de ꝓprie ebrio, seu qui vsu rōnis omnino priuatus est intelligitur; si .n. adhuc mentis sit compos, possunt quidem contractus ab initio facti esse validi, sed in foro exteriori dissoluuntur, quia ebriosis per iuris misericordiam succurri solet. *Syl. in v ebrietas. q. 5. Reginald. lib. 22. num. 6. Tiraq. d. q. 6. Decius. cons. 112. Tuschus. in v. ebrietas. concl. 1. Sanchez. de matrimonio. l. 1. d. 8. & l. 9 d. 23.*

QVAESTIO XCVIII.

QVIBVS SIGNIS QVIS EBRIVS dignoscatur.

QVibus signis cognosci poterit, an quis fuerit ebrius? R. Ebrietatē probatu difficilem, & arduam esse, nec quemquam ebrium præsumi, nisi probetur, quod quidē per indicia & præsumptiones fit, eo quod nullo corporis sensu comprehendi potest, sed præcipue oculis mētis, idest ratione percipitur. Veruntamē his duobus potissimū signis

signis dignoscitur. Primo, si cõmisit, quę numquam integra mente solet, vt si extra rem vel turpia, & absurda sit locutus, cum aliàs sit prudens, & castus; si iurauit, blasphemias euomuit, vxorem, vel familiam turbauit, cum alio tẽpore sit modestus, quietus & benignus. Indicia .n. hæc sunt ratione, & prudentiam fuisse consopitam, & hos insolitos motus ex vino perturbata imaginatione processisse. Secundo, si factus ebrius postridie non meminerit, quid tunc dixerit, egerit, quomodo domum venerit, aut cubitum concesserit, à quo deductus, vel adiutus, cum aliàs id probe meminisse soleat. Sed qui nouit inter bonum, & malum, licitum, & illicitum discernere, temulentus, aut vino languidus non videtur, etiam si rectè incedere nequeat, & omnes domus ei quodammodo verti videatur. Pari modo si adhuc solita officia exequi vtcunque possit, etiam si cum vertigine, & difficultate id faciat. *Lessius l. c. dub. 3. num. 30. Reginald. num. 57. Mascard. conc. 178. vol. 2. Farinac. d. quæst. 92. num. 16. Io. Gutierez. in can. qq. lib. 2. cap. 4. num. 113.*

QVAESTIO XCIX.

QVAE REMEDIA CONTRA EBRIETATEM à Confessario adhibenda sint, &c.

QVæ remedia contra ebrietatẽ à Confessario adhibenda sunt? R. Primo, proponere eius turpitudinem, & iniquitatem, nam *D. Basilius hom. 14. in ebrietatẽ.* sic eam insectatur; Ebrietas Dæmõ est voluntarius, ex voluptate aïs inditus; ebrietas malitiæ mater est, virtutis inimica, fortem virum ignauum reddit, ex temperante lasciuum facit, iustitiam ignorat, prudentiam extinguit: sicut enim aqua igni est aduersa, sic vinum immodicũ rationi, &c. Et qui nosse volũt, qualem & quantam stragem homines ex frequenti vini potatione patiantur, præter experientiam rerum magistram, varias ex Poetis descriptiones legant, & plures ex pictoribus imagines contẽplentur, qui ebrios, & vini potatores diuersimode delineãt; dum Bacchum puerum, mulierem, nudum, hedera coronatũ, ac alijs pluribus modis effingunt: nec absque causa, & mysterio, quoniam nimio vino madidi, instar pueri rationis vsu carent, mulieribus leuiores vagãtur, ferme cerebro nudi, sua & aliena secreta aperiunt, rationis mœnia, & consiliorum parietes cõfringunt, cunctisque flagitijs coniuncti, quæque mala sibi, & cæteris moliuntur, &c. Et D. Isidorus *de summo bono.* plerisque, ait, laus est multũ bibere, & inebriari, audiant ij aduersum se Prophetam dicentem, Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem. *Isaia. cap. 5.*

Secundo, alia grauia mala quæ secum trahit ob oculos ponet, vt Primo, quod corpus fœdum, imbecillum, & morbidũ reddit. Hinc oris graueolentia, capitis distillationes, tusses, apoplexia, membrorum paralysis, articulares morbi, iuxta illud,

Ennius ipse pater dum pocula siccat iniqua
Hoc vitio tales fertur meruisse dolores.

D. Chrisost. tom. 5. hom. contra crap. Adde quod miseram mortem secum trahit. Hinc *Stapl. et. oratione cath. 1. de 7. cap. peccat.* Si ait, vt in Hispania propter hæresim supplicio affecti, ira apud nos qui ex ebrietate aut repentina, aut violenta, aut fortuita morte saltem in fraunum annum, vel alterũ sublati sunt, in catalogum redigerentur, à cuiuslibet celebrioris Ciuitatis Magistratu, & publice depicti cõspicerentur, esset contra ebrietatem præclarum remedium. *Tympius. in Theatro. hist. in v. ebrietas. Tholos. in synt. Iu. l. 30. cap. 3. num. 4.*

Secundo, qđ facultates exhaurit, nam qui amat vinum, & pinguia non ditabitur. *Prouerb. cap. 23.* Hinc sequitur, grauis familiæ afflictio, liberorum, & vxoris neglectus, creditorum fraudatio, furta, latrocinia, &c.

Tertio, reddit hominem ad bonum inutilem, nimirum nõ solum ad pietatis opera, sed etiam ad literarum studia, & ad politica, ac mechanica officia, denique ad omnem vitę vsum ineptum.

Quarto, illum bestijs viliorẽ & peiorẽ efficit, siquidẽ oẽs (vt sup. dictũ est) aĩantes rõnis expertes, cum bibunt, aut comedũt, vltra quã eis opus est, ẽt si mille homines cogerent, non elabuntur. Hinc *Seneca Epist. 21.* Natura inquit, paucis contenta est, etiam si per vncias ei potum proponas: non simus impudentiores muscis, quæ saturæ recedunt, Deo, rationi, non ventri, & libidini obsequendum. Venter præcepta non audit, poscit, appellat, nõ est tàm molestus creditor, paruo dimittitur, si modo das illi quod debes, nõ quod potes. Multi sunt infames, & hominis appellatione indigni, qui nõ vt viuãt, sed ut bibant, huius lucis usura fruuntur, quorum monumẽta, atque epitaphia Veterum libri producũt, quale illud parasiti cuiusdã Romæ olim repertum.

Heu hic situs Offellius Bubalus,
Bibulus, qui dũ vixit, aut bibit, aut minxit, &c.

Vnde ebrij uel ipsis Ethnicis adeò exosi fuere, ut Censores tãquam indignos, qui honores, & publica munera gererẽt, senatu eos amouerẽt, notaque, ac ignominia perstringerẽt, ut merito. *D. Chrisost. hom. 1. ad pop.* ebrietatem humani generis opprobrium uocauerit; & Pittacus temulẽtos si quid deliquissent, duplici pœna puniri curauerit, vt supplicij formidine à uino promptius abstinerent.

Quinto, ad absurdos mores, & grauia crimina excitat, & impellit. Vnde olim apud Lacędemonios illud in more positum fuit, ut festis diebus seruos suos quos helotas nuncupabant, vino ingurgitarẽt,

eosque postea in publicum proferrent, quò Spartani iuuenes ebrietatis fœditatem conspicientes ab huiusmodi vitio abhorrerêt. Et quò ad delictorum irritamenta illud dixisse sufficiat, quod vbi saruritas, & ebrietas fuerint, ibi libido dominatur, *vt D. Aug, serm. 38. ad fratres in Heremo.* probat cuiusdam adolescentis exemplo, qui ebrietatem perpessus matrem prægnantê nequiter oppressit, sororem violare attêtauit, patrem occidit, & duas sorores ad mortem vulnerauit. In vitis Patrum refertur, quendam grauiter à Dæmone tentatum, ab eo si liberari vellet, iussum esse vnum ex tribus peccatis, ebrietate, homicidio, adulterio patrare, immunem postea ab omni têtatione futurum, elegisse illum ebrietatem; ac temulentû cum quadã fœmina adulterium admisisse, & eius viro superueniente, ne facinus vindicaret, eum trucidasse, &c.

Sexto, secreta pãdit, nam, vt supra innui, nullum est arcanum, vbi ebrietas regnat; *Prouerb. cap. 5.* Ebrius.n. est tãquam Quintus Curtius, q nil celare poterat. Zeno Philosophus colligebat, virû bonum non debere ebrium fieri, quia ebrio nemo secretum committit, viro autem bono illud tradit.

Plerique cauti, & circũspecti Principes vino vt equuleo vtuntur, & quibus tormenta vocem proditionis nõ eliciût, eos bibêdo tentãt, ait *D. Ambr. de Elia, & ieiunio. cap. 17. & Lessius. l. c. dub. 3. Holchot. super Sap. lect. 122.*

Tertium remedium erit, vt Confessarius his, in quibus magis detestabilis, ac turpis ebrietas agnoscitur, vinum ad tempus interdicat, vel saltem paruam quantitatê vini aqua etiam diluti, quod haurire debeant, præscribat, vt sunt clerici, & monachi diuino cultui addicti, scholastici, adolescentes, Principes, & alij; qui reipub. clauum tenent, quibus vinum immoderatum mentem, & iudicium adimit, & demum fœminæ, quibus etiam apud Romanos ob incontinentiam vitandam, vini vsus prohibitus erat. Idem *Holchot. l. c. lect. 21. Lessius. lib. 4. cap. 2. dub. 12. D D. in cap. à crapula. ext. de vita, & honest. cler. Guttierez. in can. qq. l. 2. cap. 4. Chauas. de prud. l. 3 cap. 3. §. 4. Tholos. de repub. l 8. c. 6.* Has tamen raro temulentas fieri conspicimus, quoniam sint humectissimo corpore, id quod cutis læuitas, & faciei splendor satis ostendit; & assiduas experiantur purgationes superfluo exonerãtes corpus humore, quò fit, vt cum vinum etiam large potum in tam largum ceciderit humorem, & dilutius fiat, & vim suam amittat, ne fortitudine eius extincta facile cerebri sedem feriat, &c. *Tiraq. lib. 9. Connub. num. 210. & dixi supra quæst. 105.*

Porro Pica olim Baccho dedicabatur, eo quod ebrij dicacitate plurimum laborant, & arcanû demens detegit ebrietas, & vt est apud Horatium,

Facundi calices, quem non fecere disertum?

Pier. l. 23. Scalabon. in Mor. Prof. Domini. Mor. 7. capit. secundo, §. secundo, & sequentib.

CAP. XXII.

QVAESTIO C.

QVOT NAM, ET QVAE SINT filia gula.

QVænã & quot sunt filiæ gulæ? R. Sunt quinque, hebetudo mentis, inepta lætitia, scurrilitas, multiloquiû, & immunditia; siquidem gula in eo consistit, quod immoderato cibi, & potus vsu superflua delectatio quæratur, ergo ea vitia inter gastrimargiæ sobolem numeranda sunt, quæ ex tali immodico vsu nascuntur, &c. Et quamuis hoc vitium, vt supra dixi, ex parte materię nõ sit nimis graue, eo quod inter corporalia peccata numeratur, quæ minorem prauitatem, & grauitatem secum afferunt, cum directe Dei charitati non aduersentur, quã peccata spiritualia, prout est superbia, inuidia, ira, & huiusmodi; est tamen valde graue, & periculosum ratione turpiû effectuum, quos producit & vitiorum segetum, quæ secum trahit, vt merito turpe, infame, & bestiale vitium à Philosophis moralibus nuncupetur. Vnde Hercules cum viam uirtutis apprehendisset, dixit,

Venter, pluma, Venus, laudem fugienda sequenti.

Propterea oẽs homines, in primis vero ij, q magna munera sustinêt, vel politica, vel ecclesiastica, quique res magnas, ac præclaras moliuntur, à gula, atque ingluuie ceu certissima animi, corporis, rerumque externarum peste sibi cauere debent, ciborum enim abundãtia cruditatem efficit, uires debilitat, aciem mentis obtũdit, famam lędit, ac uitam breui tempore consumit. Illos autem quos Deus uel reipub. vel ecclesiæ, uel utriusque custodes constituit, sanos & ualidos, ac honestæ famæ esse oportet. *D. Thomas. 22 quæst. 148 art. 6. Berard. in summa Corona. de gula. num. 69. Gabriel. Flamma in poesi spirituali. super carm. 36. Billius. carm. 53. Perardus in summa virt. & vit. to. 2. tit. de gula. Maiolus. in dieb. canic. de Aula. colloq. 5.*

QVAESTIO CI.

QVID SIT MENTIS HEBETVDO.

QVid est mentis hebetudo? R. Est potius pœna, quàm culpa, ex gula enim ingenium fit hebes, ineptum ad percipiendum, & iudicãdum ex nimio cibo, uel potu, propter fumositates ex stomacho repleto cerebrum petêtes, &c. ita ut eorum cor tantum in ollis, & patinis uersetur, nam ingenij subti-

subtilitas ciborum copia impeditur; & pinguis uenter non gignit sensum tenue. Ideò Bartolus cibum ad pondus comedebat, ut semper intellectum ad studium, & cōtemplationem dispositum haberet: *c.non licet, §.si ergo. dist.44. Roman. Sing. 712 n. 4.*

Porro ex hac mētis etiam hebitudine prouenit, ut ea homo circumfusus, in rebus humanis erret, & tantum externum splendorem, caducam gloriam, & quæ sensui arridēt, spectet, & sectetur: sicut è contra sapiēs, qui recto iudicio rem quamque æstimare, & ponderare consueuit, facile uidet, quàm sint oīa inania, quæ mundus, & sensus defert, eaq; tū in se ipso, tùm in alijs, ut res futiles, & inanes intuetur, & æstimat. Et cum tres miseriæ omnibus notæ, toti humano generi cōes esse uideantur, nempe morbus, paupertas, & seruitus, seu subiectio; Aliæ tamē extant maiores miseriæ, quas pauci mortalium tales esse arbitrantur, nempe bona ualetudo, ubertas opum, & honoris, siue dignitatis splendor; quę licet dona Dei sint, & possint cum pietate consistere, & ad sempiterna bona promerenda conducere; inter miserias tamē superioribus grauiores numerari solent, quoniam ad æternā uitam, quæ summum bonum est, & finem ad quem conditi sumus, obtinendum, magis aliquādo impedit sanitas, quàm ægrotatio, diuitiæ, quàm egestas, & imperij potestas, quàm seruitutis abiectio, licet hominibus mentis hebitudine, & cęcitate laborātibus aliud uideatur. *Platus de dignit. Card. capit. 16. & 17. Bellarm. de gemit. colum. l. 2. cap. 8.* Hic quidem animi morbus de se est ueniale peccatum, ratione tamen alicuius circunstantiæ mortale fieri pōt, ut si alicuius mens ita aduertenter euanesceret, ut his, quæ ex præcepto facere tenetur, vacare nō posset, prout si tēpore confessionis faciēdæ, homo suam conscientiam excutere nō ualeret. Vel si medicus pro aliqua re graui, & infirmo necessaria, tali tempore studere deberet, & tunc ita se cibo repleret, ut attendere, vel studio uacare non posset. Idem de aduocato, & concionatore in casibus urgentibus dicendum est, &c. Rectè enim. *Fab. Iustin. in Tob. c. 7. vers. 10. doc. 2.* aduertit ex Nausea, exemplo Tobiæ, alicuius momēti negotia, ante sumptionem cibi, uel potus maxime copiosi perficiēda esse, ut prudentius, ac melius illa peragamus, cum ex ventre pleno mentis acies hebescat. *D. Ant. 2. p. tit. 6. c. 4. §. 2. Angelus, in v. hebetudo. Tol. l. 8. c. 62. Molf. tr. 8. c. 8. n. 172.*

QVAESTIO CII.

QVID SIT INEPTA LETITIA.

QVid est inepta lætitia? R. Est altera gulæ filia; Mens enim hebetata cum altiora non percipiat, & in uoluptate illa magnum bonum existimet, exultat animus, tanquam partem quādam felicitatis in cibo, & potu adeptus, & exterius per risum, & alia signa lętitię se effundit; & ex hac procedit saltus, chorea, cantus, tripudiū, ludus, histrionatus actus, incompositi risus, instrumentorum diuersorū sonitus, &c, quę sæpe in fine conuiuioīū fieri solēt. Hinc Baccho tympanū ab antiquis adiungebatur, tāquam hilaritatis signum, uel ob incond itos strepitus, quos uino onusti edere conspiciuntur. Vnde Exodi *c. 32.* dicitur, quod sedit populus māducare, & bibere, & surrexerūt ludere, idest uana solatia quærere (ita ut talibus animi leuitate, & inepta lætitia laborantibus scite quadret illud Saluiani, sardonicis quodammodo herbis omnem Romanum populum putes saturatum, moritur, & ridet.) Quæ tū oīa de se & ex suo genere sunt uenialia, & si rōne finis mortalia fiūt, dū per ea aliquem ad lethaliter peccandum inducere homines intendunt; uel cum ea assumunt cum probabili periculo in aliquod mortale peccatū cogitationis, oris, vel operis incidendi; siquidem ex vulgato axiomate, Qui amat periculum, peribit in illo *Eccles. capit. 3.* Vel etiam si cum scandalo, & aliorum offensione, fiant, vt facile clericis, & hominibus Deo dicatis euenire potest, si scurrilia, turpia uerba coram secularibus proferant, ludis, & uanis, obscœnisque spectaculis cū illis intersint, &c. Quidem ut ait *Dionys. Carthus. de reform. canon ar. 9.* Ministros ecclesiæ, quos à seculariū uita, ac moribus differre oportet, necesse est, maturitati morum, ac probitati uacare, compunctioni, ac diuino timori operam dare, sicq; in cōspectu Altissimi orationibus, ac psalmodijs, atque pijs actibus inhærere, ut pro proprijs, & fundatorum, ac benefactorum suorum excessibus, ac peccatis Deo satisfaciant; ideo ea cauere iubentur, quæ deuotionem dissipant, dissolutionem inducunt, & seculares generant mores, ut sunt familiaritates, ludi, & ioci mimorū, uisitatio tabernarum, comessationes, quibus multa enormia uitia, & scandala coniuncta sunt, &c. *Azor. p. 1. l. 4. cap. 9. q. 14. D D. supra citati. Berard. num. 70. & Vinal. in cand. aur. cap. 18. tit. de larnarum vsu.*

QVÆSTIO CIII.

QVID SIT SCVRRILITAS

QVid est scurrilitas? R. Est quædā lucśditas in actibus exterioribus quæsita, quos ob animi hilaritatem, ex uino, & defectu rationis gulosus cohibere non ualet. Ex inepta enim lætitia sequitur, ut multa indecora, ac etiam turpia, risus mouendi gratia agantur, aut dicantur. Siquidem teste Philosophus *in 4. Ethicorum. cap. 7.* Scurræ importuni sunt, qui ridiculis excedunt, adeò vt stu-

vt studeant potius mouere risum, quàm honeste loqui,& dolore eum nõ afficere, quem cauillantur. Quæ gesta, & acta si fiãt solum vt homo in illis delectetur, aut alios risus gratia, delectatione, & voluptate perfundat, venialis culpæ grauis tñ limites non excedunt. *D. Anton. l.c.* §.5.

Si vero causa delectationis venereæ exerceantur, lethali flagitio animam sauciant, ita vt habeat locum illud Thriueri dictum, Quemadmodũ corpus varijs condimentis inescatur; sic animus scurrilibus iocis,& lasciuis cantilenis venenatur. De verbis vero turpibus à luxuria prouenientibus diximus *supra cap. secundo, quæst. secunda*.

QVAESTIO CIV.

QVID EST MVLTILOQVIVM

QVid est multiloquiũ? R. Est superfluitas quędam in loquendo, lingua enim tunc maxime soluitur, cum corpus cibo, & potu incalescit, & inter pocula, & epulas semper est in procliui. Sic sentit. *Hugo de Instit. nouit. cap.* 18. qui propter loquacitatem inter fercula, epulonis linguã in Inferno punitam asserit; sic etiam nos instruit. *Thomas. de Chemp. l. 2. de discip. cler. cap.* 7. cum ait; A prandio ori tuo frænum impone, quia tunc promptior est homo ad loquendum, & ridendum, & corpore refecto, caro plus tẽtat, & ideo laboribus, & studijs est refrænãda diuinis. Et Paulus IV. Põt. M. dicere solebat, silentium post cibum sumptum, & exhausta pocula apud ignem seruandum, quod & D. Petrus ad focum cum ancilla loquẽdo, Christum negasset, &c. Quò etiam fit, vt inter causas, ob quas in mensis ecclesiasticorum, & religiosorum sacra lectio adhibeatur, illa pręcipua numeretur, vt silentiũ seruetur, & loquacitas, ac multiloquium cuitetur, linguæ lubricitas cohibeatur, & mẽs in oẽm escam se haud diffundẽs, pabulo etiam suo non careat: nequaquam enim poterimus escarum præsentiũ spernere voluptates, nisi mens diuinæ contemplationi defixa, amore virtutum potius, & pulchritudine rerum cœlestium delectetur. *cap. quando. dist.* 44. *Cõc. Trid. sess.* 2. *Dec.* 1. Imò *Dyonis. Carth. lib.* 2 *de reg. Reg. cap.* 15. suadet etiã Regibus, vt ad mensam curent sibi legi res à maioribus præclare gestas, clarissimorũ Imperatorũ vitas, & libros de recta populos gubernãdi ratione. *Cassianus. l.* 4. *Inst. c.* 17. *& l.* 5. *cap.* 14. *Humbertus. in regula. D. August. cap.* 59. *Io. à Turecrem. in regula. D. Benedict. tract.* 1. *cap.* 34. *Nigr. tract.* 4. *de lect. super mensam.*

A multiloquio aũt hæc cohibere debent. Primo qđ ei peccatũ inest, vt legitur. *Prou. c.* 5. *et Eccles. c.* 5 Secũdo, quod signum est stultitię, nam stultus verba multiplicat. *Eccles. cap.* 10. Et qui inania, & inutilia verba proferunt, hirũdinibus, & ranis coaxantibus similes sunt. *Alciat. emb.* 11. *Bossens. l.* 2. *de sacerd. cap.* 21. Tertio, quod sæpe accidit, vt vbi est verborum multitudo, ibi sit operum indigentia: sicut vbi multum est paleæ, ibi parum est grani. *Prouerb. cap.* 14. Quarto, qđ hominem odiosum reddit, pauciloquium vero amabilem, vnde quidã sapiens interrogatus, quomodo quis hominibus placere posset? respondit, si gesseris optima, & locutus fueris pauca. Licet autem otiosa verba, quę scilicet necessitate, & iusta vtilitate carent, venialem tantum malitiam hauriant, possunt tamen animæ mortem creare; quando in cõtemptum Dei proferrentur, vel eius mandatis, & ecclesiæ præponerentur, vel in malum finem traducerentur. *D. Anton. l. c. Perald. in summa virt. & vit. tom.* 2. *cap.* 21.

QVAESTIO CV.

QVID SIT IMMVNDITIA, ET QVALE peccatum.

QVid est immunditia? R. Est cum quis ob ingluuiem, vel immoderatum cibum, vel potum tàm in anima, quàm in corpore sordescit, & deturpatur, tùm quia ex saturitate carnis vitia nascuntur, tum quia gula sępe vomitus, & alias superfluorum fœdas excreationes parit: hinc exhalationes, & eructationes ex ore, & inferiori parte sequũtur. Et licet post superfluã comestionem, vel potationem vtilis sit vomitus, vitiosum tamen est ciuili, ac christiano homine indignum, ob cibi potusque intemperantiam, tàm inquinatæ necessitati se subdere. Hinc impuritates, & pollutiones tàm diurnæ, quàm nocturnæ, quia

Omne super vacuum pleno de pectore manet, &c.

Si enim pollutio in ordine ad suam originem cõsideretur, triplex potissima causa assignari solet. Primo, extrinseca spiritualis, cum ad talẽ effectum ex Dæmonis operatione dormiẽtis phãtasmata commouentur. Secundo, animalis intrinseca, cum ex præcedentibus cogitationibus in somnis, vel etiam in vigilia pollutio contingit. Tertio, est extrinseca corporalis, cũ seminalis humor in corpore exuberat, vt propterea natura superfluum ex gula, & ingluuie auctũ, subinde expellat, &c. *Bisf. de tent. c.* 8.

Quæ quidẽ superfluorũ emissiones, ex gula puenientes licet cöiter, & vt plurimũ veniales culpę sint, (nisi animus corruptus fuerit) sunt tñ periculosæ, ob fœdam delectationem, qua anima infici potest. *D. Anton. l. c.* §. 6. *Caiet. in verbo. gula. Tab. in ver. immunditia. Nau. cap.* 23. *num.* 119. *Reginald. lib.* 22. *numer.* 54. *&* 62. *Molfes. a. tract.* 8. *cap.* 8. *num.* 170. *Sà in verbo. comedere.*

CAP.

CAP. XXIII.

QVAESTIO CVI.

QVAE REMEDIA GVLOSO PRAEbenda sint.

QVæ remedia danda sunt à Confessario pœnitenti gulæ vitio infecto, & quomodo in praxi se gerere debet, &c? R. Magna vigilantia spirituali medico opus est, & in gulæ voluptatib. moderandis oculatiorem eum esse oportet, quia quod in eis vitiosum est, magis occultũ est; semper enim naturæ necessitate cõs hostis hominem inuadit. Quò fit sicut loquitur. *D. Gregor. l. 14. mor. cap. 39.* vt sæpe dum in illo hostem insequimur, etiam ciuem, quẽ diligimus trucidemus, & sæpe dum quasi conciui parcimus, ipsum inimicum ad prælium nutriamus: quæ causa maxima erat timendi. D. Augustino. Idque eo magis faciendum est, quod hodierna rerum affluentia, & praua præsentis sæculi corruptela tanta gulæ irritamenta suppeditant, vt temperantiæ, & frugalitatis virtus nisi bene confirmata sit, facile succũbat. Certe multi, vt habet adagium, Cœlum terræ misceni, hoc est, quæ in terra crescunt; vt olera, & fructus, quæ in aquis, omne piscium genus, & quæ in aere volitant, vnum in ventrem coaceruant; & quarti elemẽti hoc est igni loco, fortia vina, & calida aromata adiungunt, ita, vt mirum non sit, confusis elemẽtis, varias tempestates cieri, idest ex continuis vaporibus pituitas, & catharros fluente, & refluente tanquam in Euripo materia generari, & quantum gulæ additur, tãtum pauperum Christi, quibus ex superfluis succurrendum esset, necessitati subtrahi. Pro opportuno pharmaco hæc inculcari poterunt,

Primo, huius peccati pernicies, cũ bona animæ, corporis, & fortunę auferat, sicut è contra parsimonia hæc bona auget, iuxta illud,

Diuitiæ grandes homini sunt viuere parce:

Hinc Ægyptij sacerdotes quamquam abstinentissimi, bidui, ac tridui inediam sectantes, humores corporis, qui ex quiete, & mansione pene assidua in eorum templis conflabãtur, victus castigatione siccabant; vt merito verum sit quod D. Chrisostomus dicere solebat, tenuem mẽsam sanitatis esse parentem, & saturitatem ægritudinis matrem esse. Illud tantum quò adhoc dictum sufficiat, homines gulæ deditos quandoque mortẽ subitaneam animæ periculosam pati. Vnde *Iuuenalis Satyra 1.*

Hinc subitæ mortes, atque intestata Senectus.

Adde huius voluptatis breuitatem, quæ ex hoc peccato percipitur; nec enim diutius durat, quã quamdiù editur, & bibitur, cibusque, ac potus ab ore in fauces dilabitur. Imò si modus excedatur, cõtinuò præsto est molestia, & alia incommoda sequuntur, ita vt verum sit, quod ait *Patric. de repub. lib. 5. c. 8.* Gula plures occidit, quàm gladius, estq; omnium malorum fomes. E contra consideret pœnitens fructum, quem contraria abstinentia profert. Quò ad animam, aptitudinem ad contemplandum, studijs vacandũ, peccata vitanda, & virtutes sectãdas, &c. Et quò ad corpus, longam vitam, sanitatem, compendium sumptuum, &c.

Secundo admonendus est ipse pęnitens, vt conuersationem hominum crapulæ, & ebrietati deditorum, deuitet, itidem copiosa, & lauta conuiuia, vbi modus vix seruari potest. Qua ratione D. Ambrosius licet pene omnes ad suam mensam exciperet, numquam tamen ad conuiuium vel inuitatus accessit: tradit enim Possidius in D. Augustini vita, qđ & si ipse D. Ambrosius factus esset omnia omnibus, vt omnes lucrifaceret, & suo quemq; hamo piscaretur, à tribus tamen perpetuò se continuit, nimirum, vt nemini vxorem quæreret, nulli militiam suaderet, neque conuiuia vocatus adiret, cum ibi temperantiæ virtus periclitari soleat. Vulture vero edacior, vulgari parœmia, percellitur homo supra modum in conuiuijs ingluuiei deditus, quam uorandi edacitatem, ac auiditatem carnium esu potissimum explet. *Ald. de auibus. tit. de vulture.*

Tertio, cõsideret eas res, ad quas gula incitat, non ut blandas, odoratas, suaues, palato oblectabiles, quales modo uidentur, sed ut fędas, sordidas, olidas, detestabiles, quales mox futuræ. Quælibet res dum in sua principia resoluitur, tunc apparet, qualis reuera sit, & quidnam sub amabili illa specie latebat. At quidnam putentius, aut fœdius illis delitijs, simulatque leuem alterationem in stomacho subierint? Imò quò qđ gulę gratius uidetur, eò mox horribilius, & grauiorem fœtorem exhalat; Hinc qui delitijs affluunt, nisi externis odoribus muniantur, instar cadauerum putẽtes, corporis sui graueolentia adstantibus admodum molesti sunt. Contra in rusticis, & mechanicis fit, qui solo pane, & alijs vulgaribus cibis temperate vtuntur: sicque merito à Deo cõparatum est, vt gulæ vitium aspernari discamus, &c. *Lessius. de ratione valetudinis conseruandæ. num. 20.* Addo etiã sępe cogitandum, tandem moriendum esse, & in morte fieri animi separationem à corpore sed neq; animum extingui, si enim hoc fieret, vt Athei opinantur, recte illi dixisse viderentur, qui mortem contemnebãt, atque sæpe repetebant, Edamus, & bibamus, cras enim moriemur. Quod quidem pronuntiatum antiquissimum est, vt constat ex *Esaia. cap. 22. & Apost. 1. ad Corinth. cap. 15.* Esse autem qui se credere dicãt, factis autem negent, ex eo intelligi potest, qđ nonnulli etiã in extremo senio, de morte non cogitant, sed tanquam belluæ in corporis, ac uentris haurien dis

tiendis voluptatibus totum tempus insumunt.

Quarto, pro particularibus pœnitentijs contrariæ huic peccaro imponi poterunt. Scite enim Alphōsus Aragonum Rex, cum equitem decoctorem punire vellet, quibusdam à Rege efflagitātibus, ne ob æs contractum in eius corpus animaduerteret, respondit, illū neq; sui Regis gratia, neque patriæ cōmodo, neq; propinquorū, vel amicorū ære alieno suscepto, tàm grande patrimonium profudisse, sed omnem suam substātiam per gulam, & luxum corpori indulgendo exhausisse, in corpus igitur luere æquius esse, vt pœna malefactis ex æquo respōdeat.

Vnde iniungi pœnitentibus poterit, vt aliquo die ieiunent, à superfluis rebus abstineant, vt aromatibus, saccharo, condimentis, fructibus, sale, & à cęteris, quę gulam irritant, potissimū autem ab his, quibus pœnitens maxime delectatur; quandoque, aloe, vel absynthium in memoriam Christi Passionis sumat, quoniam tale quid à sanctis factitatum esse inuenitur, vt à S. Frācisco de Assisio, & B. Ludouico Morbiolo Bononiensi, cum cibum suum cinere aspergerēt; nam cum acerrimi essent proprij corporis hostes, omnibus catnis blandimentis sanguinarium (vt aiunt) bellum indictum habebant; & quia natura subitas mutationes non patitur, vt perfectam temperantiam compararent, quotidie sibi aliquid subtrahebant. Qd̄ si pœnitētes ebrij fieri soleāt, urgēdum est, vt aliquo tēporis spatio à vino se cōtineāt, vel aqua mixtū potēt, & ternis poculis in prādio, & cęna sitim extinguāt, & dū bibunt, sub silētio Aue Maria recitent. Qualis.n. debeat esse pęnitētis mensa vt gulę vitiū excludatur, docet ēt Sapiens. *Prou.c.9.* dum ait, Sapiētia miscuit vinum, & posuit mēsam suam; dum dicitur vinum miscuisse, profecto non merum exhibuisse ostenditur, & ex mensæ positione panem posuisse intelligitur, &c. Quotidie deuotis precibus se Deo, & B. Mariæ Virgini se commendent, nemo nāque potest esse continens, aut sobrius, nisi Deus dederit. *Sap. capit. 8.* Et quia qui in Quadragesimę diebus, vel alijs temporibus ieiuniorū carnes, vel lacticinia, sine facultate comedit, de hæresi se suspectum reddit, & hic casus in multis locis Episcopis reseruatur, ideo Cōfessarius pœnitentem ad legitimos Iudices mittat, uel abeis absoluendi facultatem, petat præscriptis pœnitentijs, quæ eum in futurum à relapsu cohibeat, ac præseruet. *Pegna. in 3. part. Direct. Inquis. Comment. 24. Zechius. de pœnitentia. capit. 18. Reginald. libr. octauo, numer. 61. Molfessius. tract. octauo, cap. octauo, num. 176. vt attigi supra capit. 20. quæst. 99. & in Comment. de cas. reser. p. 2. capit. 7.*

ARTICVLI SVPER INVIDIA, & eius sobole, Cap. XXIV.

QVAESTIO CVII.

Quid sit inuidia, et qualis eius effectus.

Quid est inuidia, & qualis affectus? R. Est tristitia quædam de bono proximi æstimato ab inuidente, vt malo proprio, quatenus per quandam comparationem proprij boni excellētiam seu gloriā obscurat, & imminuit. Hoc enim vitio alterum carere tali bono volumus, quia per illud nos excellit, cum nobis aut maior, aut ęqualis videatur. Ideo inuidere idem est quod non videre velle, liuidum enim oculum ab eo cui inuidemus, auertimus. *vt per D. Thomam. 22. quæst. 36. art. 1.* Quæ quidem diffinitio, seu descriptio à ratione inuidiæ, vt vitium, & peccatum est, triplicem casum, vel affectum excludit.

Primo, si de alieno bono tristetur, eo qd̄ videat, vel reipub. vel proximo, vel ipsi bonum possidenti aliquam perniciem, vel mala inferenda. Hic enim affectus non est inuidia, sed quidam potius timoris effectus, teste *Philosopho in 2. rhet cap. 9.*

Secundo, cum quis tristitiā concipit, nō propriè de alterius bono, sed de suo potius defectu, qd̄ scilicet non etiam ipse bonum illud habet. Qui quidem affectus non inuidia, sed zelus, & æmulatio dicitur, & si circa res spirituales sit, sancta inuidia à Sanctis Patribus nuncupatur, quam *Apost. in priori ad Corinth. cap. 12.* commendat dicens, Æmulamini charismata meliora, nā vt ait *Marc. Ant Natta. l. 5 de pulchro, & bono.* Æmulatio est ad ardua & difficillima capescenda. Et teste *Oldrad. consil. 8.* Æmulatorem habere bonum est, quia marcescit sine aduersario virtus. *Tuschus. verbo. æmulatio. conclus. 231. & sequenti.*

Tertio, censeri potest bona, & licita tristitia, quę insurgit ob aliquem bonum finem de alicuius temporali bono, cuius is arbitrio prudētis indignus est, vt cum uidemus, vt dixi, aliqua mala ex eo prouentura, quæ reipub. uel proximo damnum sint allatura, uel ipsi possidēti obfutura uideātur, ut si in occāsione peccandi maneat, &c. Qui affectus ab ipso *Philosopho. l. c. c. 9.* appellatur nemesis, siue indignatio, & si bono fine careat, peccatum erit, non tamen lethale, nisi eò prorumpat, vt Deus iniustitiæ, & malæ prouidentiæ arguatur, tanquam nō rectè bona distribuens, qd̄ est grauissima blasphemia; nam cum diuitiæ, dignitates, & honores, & alia temporalia bona indignis dantur, ex Dei iusta ordinatione, uel ad eorum damnationem disponuntur. *D. Thom. 22. quæst. 36. artic. 2. Ant. 2. par. tit. 8. cap. 1.*

Val.

Val. to. 3. disp. 3. quaest. 14. Reginald. lib. 17. cap. 12. num. 127. Tol. lib. 8. cap. 63. & 65. Nau. cap. 23. num. 118. Berard. in summa Cor. tit. de Inuidia. Bened. Pererius. in Genes. c. 37. Lal. Pereg. de affect. animi. moscen. de Inuidia. capit. primo.

QVÆSTIO CVIII.

QVINAM SINT INVIDI, ET QVINAM inuidiosi idest quibus inuideri solet, &c.

QVæritur quinam sunt, qui inuidia conflictantur, & quinã sunt in quos inuidia iactatur? R. Primo, illi inuidia potissimum mouentur, quibus aliqui pares sunt, aut esse videtur, pares autem dicuntur, aut genere, aut cognatione, aut ętate, aut habitu animi, aut dignitate, aut fortunis. Quippe homines maxime paribus inuident, uel inferioribus, cum se relictos sentiunt, at illos euolasse dolent. Superioribus quoque vehementer inuidetur, eo magis si intolerantius se iactant, & communis iuris æquabilitatem, dignitatis, aut fortunæ suę præstantia transiliunt, vt ait *Cicero. in 2. de oratore. & Maiorag. in 2. lib. Rhet. Arist.* cui doctrinę subscribit. *D. August. l. 11. super Gen. ad literam. c. 14.* Vbi inuidiam, ita describit, Amando, inquit, quisque excellentiam suam, uel paribus inuidet, quod ei coæquentur, uel inferioribus, ne sibi coęquentur, uel Superioribus, quod eis non coæquetur, Vnde etiam Lucanus,

Stimulos dedit æmula virtus,
Nec quemquam iam ferre potest Cæsarue priorem,
Pompeiusue parem.

Proprie autẽ nõ nisi inter pares, & æquales oritur, iuxta illud,

Figulus figulo inuidet, faber fabro.

Propterea inter hos officij, uel artificij similitudo, magis æmulationem, quàm beneuolentiam conciliat, vt per *D. Thomam. 22. quaest. 36. art. 1. & 2. & Arist. in Rhet.* Quò fit ut alterum sibi præferri ægreferant, teste *Corn. Tac. 1. hist.* dicente. Vbi inæqualitas, ibi liuor obrepit, & inuidia. Proinde magna cautione, ac prudẽtia in Imperijs opus est, vere enim à Philosopho pronuntiatum est, Communis custodia principatus est, neminem vnum magnũ facere, ideo æmulationis imprimis occasiones arcendæ, è quibus odia, detractiones, mutuæque euersiones nasci consueuerunt. Adde æqualitatem adeo esse fauorabilem & amplectẽdam, vt contrarium faciens legibus inimicus esse dicatur, quæ pacem, ac concordiam fouent. *Tusch. ver. aequalitas. conclus.* 304.

Secundò, procliues et sane ad inuidendum sunt illi, qui omnibus fere bonis abundant, soli enim ea habere vellet, & cum alijs quoq; bona eadem euenire intelligunt, discruciantur. Sicut & illi, qui res magnas administrant, & prospera fortuna vtuntur, eo quod putant ea bona, quæ alijs contingunt, sibi quodammodo eripi, ac extorqueri, hinc dissidia, contentiones, & iræ sæpe nascuntur.

Tertio, ambitiosi pariter homines, & gloriæ cupidi maiori ex parte liuore tanguntur; nam qui uel propter ignauiam, uel egregiam sapientiam gloria non commouentur, ij raro solent inuidentia laborare, qui uero gloriæ sunt appetentes, hi dolent pares, ac similes altius euolare, ut proinde obtrectatores sint, & alios deprimere studeãt, seipsos ut extollant; siquidem teste Cicerone, Miserrima est omnino ambitio, honorumque contentio. Vnde Franciscus Petrarcha Carolo IV. quærenti, quomodo stabile regnum conseruare posset? respondit, E medio tollantur capitales publicæ pacis, ac humanæ societatis pestes, inuidia, auaritia, ira, superbia, misera est namque reipub. facies, ubi hæc mala coaceruatim dominantur, &c. Hinc & *Sanchez. de pracept. lib. 6 cap. 18. num. 16.* Quippe, ait, ambitionem bonum religionis statũ funditus euertere experientia testis est, est enim, ut inquit. *D. Bernardus. serm. 6. in Psalm. Qui habitat.* secretum uenenum, pestis occulta, doli artifex, uirtutum ærugo, tinea sanctitatis; indeque oriuntur inuidiæ, dissensiones, & rixę, ut Romanorum etiam exemplo confirmat. *D. August. l. 5. de ciuit. Dei. cap. 12.* Quare ut tradit. *D. Basil. de constitut. monast. cap. 10.* hoc uitio capti sunt inuidi, contentiosi, simulatores, & denique quos ambitio inuadit, ecclesiasticæ disciplinæ iugum respuere facit. *cap. bene. dist. 96.*

Quarto qui sapientes uideri uolunt, cum eius gloriæ sint appetentes, quæ sapientiæ debetur, sed quia illam adumbratam habent, ideò facile contemnuntur, nec ullam ueram laudem assequuntur, tales ueteri adagio dicuntur barba, & pallio sapientes, de quibus Horatius,

Iussit sapientem crescere barbam.

Vnde quidam non illepide dixit, Si oporteat Philosophum ex barba metiri, hircos primam laudem ablaturos, &c. Quare & Plutarch. in uita Phocionis refert Alcibiadem magnam sibi auctoritatem non probatis moribus, sed barbæ prolixitate, graui supercilio, tardoque incessu comparasse, qui cum aliquando publice mentitus esset, correctorem Phocionem habuit, qui barbam eius apprehẽdit, eamque quasi demulcens, dixit, quàm decuerat, hanc barbam, & indumenta boni viri indicia priusquam mentireris, deposuisse.

Quinto, homines melancholici, angusti, pusillique animi, solent inuidiæ morbo laborare, cuius rei causam illam affert Aristoteles, quod res omnes quamuis paruæ sint, magnas æstimant, & cum eas aliquem adeptum uident, animo anguntur, & discru-

discruciantur, quod eleganter expressit Ouidius,

Fertilior seges est alienis semper in agris,
Vicinumque pecus grandius vber habet.

Eadem ratione inuidi sunt senes, quia propter imbecillitatem quibusdam commodis,& ornamentis carent, quæ aliquando habuerunt, & alijs suppetere videnr.

Sexto, inuidemus viuentibus, non vita functis, quia non fruuntur bonis, quorũ inuidia premimur.

Pascitur in viuis liuor post fata quiescit.

Tùm vicinis,& notis, non degentibus trans Herculis columnas, absentium quippe, ac longissime positorum felicitas nec præsens est, nec liuentes oculos flagellat. Prosperitatis quoque nimius excessus inuidiam minuere, vel prorsus extinguere solet: sicut vulgo effertur, aliquem inuidiam superasse,&c. Nec est credibile, Alexandro Magno ad tantã fortunam elato quemquam inuidisse. Ex quibus colligitur Inuidentiam esse vilium, abiectorum, corruptorumq; hominum; ac in bonos maxime suscipi, ac excitati. Est viliũm, quia si rerum ipsi magnarum capaces essent aliena, non mirarentur: cui consonat illud. *Iob.c.5.* Paruulũ occidit inuidia. Contra vero, vt ait *Silius Ital.* Magnanima inuidia virtus caret. Vnde etiam recte inuidia fœmina describitur, ac pingitur, vel quia id nomen contumeliosum esse solet, vel quia hoc vitium non nisi in animos molles, parumque viriles cadat; ex omnibus enim vitijs nullum est inuidia vilius. Hinc Naso,

Liuor iners vitium mores non exit in altos, &c.

Tholos in syntag. Iu.l.31.cap.7.num.13. Est & corruptorum, nam teste Plutarcho, Natura illa deprauata est, quæ non tàm bonis proprijs delectatur, quàm angitur alienis. In bonos præsertim iactatur, quandoquidem illi bonis abundant, quæ inuidentiam commouent, vt enim Cantharides lætioribus agris innascuntur: sic inuidia eos præcipue tangit, qui boni sunt. Ex quo et elucescit interodiũ, & inuidiam præcipuum illud discrimen, quod iuste possumus odisse, iuxta illud vatis regij, Perfecto odio oderam illos,&c. *Psal.138.* Sed non sine culpa proprie inuidere possumus. Item quod quẽ quis odit, etiam ad extremã calamitatẽ redactum odit, quia scilicet calamitas nõ facit, vt quis minus malus videatur. Nemo autem est, qui misero inuideat, quia videlicet miseria alienam excellentiam corripiens facit vt nostram minuere non videatur. *Pererius.c.37.in Gen. Peregrinus.cap.1. de Inuidia.*

QVAESTIO CIX.

QVALE PECCATVM SIT INVIDIA

QVale peccatum est inuidia? R. Dubitare nemo potest, quin inuidia sit peccatum, & quidem ex suo genere mortale, cum aduersetur charitati inclinanti ad gaudendum de quolibet proximi bono, prout ei bonum est, vt tradit. *D. Thomas. 22.quæst.36.art.2.& 3.* Idque ex sacra Scriptura constat, præsertim ex *Apostolo ad Gal. 5.* Vbi inter opera carnis, quæ à Regno Cœlorum excludunt, et inuidia numeratur,

Idem patet ex Sanctis Patribus, qui magnitudinem huius peccati summe exagerant. *vt D.Cypr. in sermone. de zelo, & liuore. D.Basilius. hom.11.D. Greg.lib.5.mor cap.34.D.Crisost.ad pop. Ant.serm. 45.D.Anton.p.2.tit.8.cap.1.§.3. Val.tom.3.disp. 3.quæst.13.puncto.2. Peral.in summa virt. ac vit. tom.2.tit.de inuidia. Nau.cap.23.cap.118. Tol.l.8. cap.66. Azor.p.3.lib.2.cap.22.*

Et accidenti vero tãtum veniale peccatum erit, tùm quando plenus voluntatis consensus defuerit, vt in subitis,& fere naturalibus motibus contingit, in quibus homo de bono proximi sibi æqualis tristatur; tùm quando bonum proximi de quo quis tristitiam concipit, exiguum, & leue est, vt pueris accidit, qui in leuibus suis socijs inuidere solent. Vnde multi sapientes inuidiam ad puerilem quandam inscitiam cum stulta superbia coniunctam referũt, siquidem puerorum proprium est, quidquid in alijs vident, existimare sibi deberi, & illud cupere, atque etiam discruciari, nisi obtineant. *Pineda in Iob.cap.5.vers.11.* Si autem quis tristaretur, se illa bona non habere, quæ proximus possidet, quibus tamen illum carere nollet, nõ inuidia, vt initio dixi, sed æmulatio diceretur, & si circa spiritualia versaretur, nõ culpabilis, sed laudabilis esset. Si vero temporalia spectaret, venialis culpa esse solet, cum in huiusmodi bonis culpetur, siquidem vnusquisque diuinæ voluntati acquiescere debet, & suũ munus, vel artem quæ sibi contigit, decenter exercere; vt inde lucrum capiat, etiam si statum augeat, modo prosperis aliorum successibus nõ ingemiscat. Quippe Diuinæ prouidentiæ fundamento inniti præcipue debet humani animi pax, & trãquillitas, certo sibi persuadendo, Deum sibi dedisse, quod magis sibi expedire ei visum est; Gubernatorẽ habeas Deũ & aurigã ait. *Theodoretus super Psal.54.* & res tuæ ab æterna prouidentia pendeant: nã hoc modo inconcussus manebis, & immutabilis. *Blosius.in Mon.spir.cap.11. Iustin.in Tob cap.10.vers. 3.in doc.Molfes.tract 8.cap.8.num.233.*

QVAESTIO CX.

INVIDIAE FILIAE QVAENAM SINT.

QVænam sunt filiæ inuidiæ? R. Inuidia nõ solum est peccatũ, & peccatum, vt dictũ est, ex suo genere mortale, sed recte etiã à *S. Greg. lib.31.*

lib. 31.*mor.cap.* 31.& à *D.Thom.d.quaest.* 36. *art.* 4. inter capitalia vitia numeratur, nam & ipsa ex superbia, & inanis gloriæ cupiditate omnium malorum fonte oritur. Vnde Pineda *vbi supra*, ait, totam hominis opulêti vitam, & cogitationes his duobus quasi cardinibus volui, iracũdia scilicet, & inuidia; Iracundia, inquam, idest superbia vitæ, diuitiarum iactantia, & quæ ex his nascuntur, temeritate, præcipitantia, stultitia, Dei, hominumque contemptu. Deinde vero inuidia, idest cupiditate, & desiderio amplioris fortunæ, & inexplebili illa auaritiæ siri, fameque sacra. Sic indicatur. *Prouerb.* 28. Vir qui festinat ditari, & alijs inuidet, ignorat, quod egestas superueniet ei. Vel in ipsa certe naturali ratione melius instituti erant Romani, qui cum honorum, atque diuitiarum participes essent, & superbię vitio laborarent, tamen vt auctor libri *Machab.l.* 1. *cap.* 8. scribit, modum quendam sibi statuebant, & inuidiam, vt multorum vitiorum parentem vitabant. Nõ est inquit, inuidia, neque zelus inter illos. Vnde quatenus est aliorum peccatorum origo, & mater, ex ea hæ generantur filiæ, odium proximi, susurratio, detractio; exultatio in aduersis proximi, & afflictio in prosperis. Addunt alij iudicium temerarium, vt inter alios. *D. Anton.p.* 2. *tit.* 8. *cap.* 1. §. 4. *Gisbert. de vita eccles. cap.* 62.

QVAESTIO CXI.

QVID SIT ODIVM, QVALE peccatum, & quando licitum.

QVid est odium, & quale peccatũ? R. Odium est dissonantia, seu displicentia appetitus concupiscibilis eius, quod apprehenditur, vt repugnans, & noxium. Quod ex ira, & inuidia nascitur, ex ira quidem, quando ille qui ad ipsam prouocauit, læsit, vel damnum, seu iniuriam intulit; ex inuidia vero, quia eius bonum, cui inuidetur, vt propriam excellentiam impediens, vel diminuens in mente concipitur. *D.Thom.* 12. *quest.* 29. *art.* 1. *Tol. in summa.lib.* 4. *cap.* 11. *Carbo.de pacif. cap.* 15. *Grassius lib.* 2. *decis. aur. cap.* 72. *Viguer. cap.* 1. §. 9. *vers.* 5. *Val.tom.* 3. *disp.* 3. *q.* 11. *p.* 1. *Azor.p.* 1. *l.* 3. *cap.* 12. *q.* 1. Atque hoc est odium proprie dictum, quod odium abominationis appellari solet. Est & aliud odium, quod inimicitiæ vocãt, per quod quis absolute, aut conditionaliter si posset, vult aliquod malũ ei euenire, aut eidem tanquam malum inferre, prout hic loquimur, cuius causæ sunt malum, quod vel vere malũ est, vel apparet; tùm naturæ, ingenij, morum cõtrarius habitus; qua ratione ouis lupum odit, leo gallũ gallinaceum, Ibis serpentẽ, cuiusmodi multa legere licet apud *Arist.lib.* 9. *hist. anim.* Et vt plurimum eorum, quæ amorẽ pariunt, opposita, odium creare solent: hinc austeri, & congressu difficiles, morosi, alienæ laudis detractores, odio sunt obnoxij; tùm ijs quibus iniuriam fecimus, & damnũ intulimus, infensi sumus, quod vltionem timeamus; multo magis procliue est homini odisse eum, à quò læsus est. Quod quidem duplex odium constat ex suo genere esse mortale, nam qui odit fratrẽ suum, homicida est 1. *Io.* 3. nisi imperfectio actus non plene deliberati, aut mali, quod quis proximo cupit, exiguitas excuset, &c. Si quis vero odio proximũ prosequatur, quò ad peccata, & scelera, quæ abiecto Dei timore perpetrat, nõ peccat, quia non homines, sed culpas odio habet. Odisse improbos, & malignos quò ad mores bonũ, & laudabile est; quin etiam si qui tales nõ oderunt, dignos esse odio eos ipsos iudicamus. Laudantibus multis Charilaum Spartę Regem, vt benignũ, & mansuetũ, modestumque Regem, collega eius contra, Quomodo, inquit, iste vir bonus esse potest, qui improbos non odit? *Titelmannus super Psalm.* 138. Hinc & si vnus quisque proximum suum diligere ex charitatis lege teneatur, aliqui tamen casus dantur, in quibus alicui malum velle, seu aliquem odio habere licet. Primo, vt dixi, ratione iniquitatis, & peccati, iuxta illud, Iniquos odio habui. *Psal.* 118. Sic supposita Dei ordinatione, absque peccato mater filiarum mortem desiderat, propterea quod eas vel ob inopiam, vel ob deformitatem, in matrimonium collocare, vt vellet nõ potest; aut quia earum causa se à marito contemni, & dure tractari persuadet: hoc enim non est odium personæ sed rei, hoc est inopiæ, vel proprij mali, &c. Secundo, ob spiritualem proximi correctionem, fas est ei aliquod temporale malum imprecari; vt si superbus, & procax sit, alienum à charitate non est, quò emendari possit, aliquem morbum optare. Tertio, ob spiritualē reipub. & christiani gregis bonũ integrũ est pertinacibus hæreticis mortem expetere. Quarto propter iustitiæ zelum licitum esset desiderare, vt peruersi è medio tollantur, dummodo in his omnibus casibus desiderium non in personas, sed in vitia feratur, &c. *Tol.lib.* 4. *cap.* 11. *Val.tom.* 3. *d.* 3. *q.* 11. *par.* 1. *Reginald. infra citand. Nau.cap.* 14. *num.* 25. *Carbo.cap.* 19. *Azor.p.* 1. *lib.* 3. *cap.* 12. *quaest.* 2.

QVAESTIO CXII.

AN POENITENTEM VOLENTEM iniuriæ actionem in iudicio prosequi absoluere liceat.

LIcet ne Confessario absoluere pœnitentẽ, qui eius, qui sibi iniuriam, vel damnum intulit, vitium, non personam odio habens, litem, & iniuriæ actionẽ in iudicio prosequitur, &c? R. Hoc esse

valde in praxi periculosum ob humanę naturę corruptionē, ita vt ordinarie suadēdum sit ab eis desistere, si tantum apud Iudicem publicam vindictam petat, & ipse Confessarius dum cum illo agit, examinare debet, quo animo id faciat, nec illum absol. uere, si prauam voluntatem habere reperiatur, nec monitus illam deponat; cum non satis sit ore dicere, quod solum iustam satisfactionem, & inimici punitionem, emendationem, & aliorū bonum exemplum prætendat, sed adhuc opus sit, vt iniquum affectum ab animo suo abesse sentiat, nā ut ait. *Bart. in extrauag. ad reprimendum. in vers. per accusationem.* Sicut actio est ius persequēdi in iudicio quod sibi debetur. *Instit. de act. in principio*, ita accusatio est ius persequendi vindictam publicam, in qua bonus animus, & recta intentio desideratur. *Instit. de pub. iudicijs. in principio.* Atque vt ēt animaduertit, *Tholos. in syntag. Iu. l. 32. cap. 7.* Actio & accusatio si à frequenter accidentibus arguere liceat, videtur inferri ab odio, & stimulis inuidiæ, ita vt dicatur genus illaudabilis intētionis. Inuidus, ait. *D. Basilius, in homelia de Inuidia.* est magnus simulator, & vir duplex animo, aliud in ore promptum habēs, aliud mente gerens Qui odium in recessu cordis retinentes, speciem charitatis ore ipso prasefetunt, similes profecto sunt saxis, & scopulis marinis, qui modica operti aqua magnum, & cæcum, non obseruātibus exitium afferunt, &c. Aduertēdnm tamen, motum odij in parte sensitiua sine voluntatis consensu, absolutionis beneficium nō impedire, nec etiam eiusdem uoluntatis inclinationem, ad odium, & uindictam ex recordatione iniuriæ, si consensus desit. De qua re nonnumquam expedit pœnitentem docere, ne per erroneam conscientiam delinquat, cauendo interea, ne forte ille non satis hanc doctrinam percipiendo, opinionem concipiat, qua licere aliquid in hac parte putet, quod reuera est illicitum, & à Christianis legibus alienum; siquidem cum vlciscendi libido hominum mentibus fere insita sit, & facile, ac procline, malos odisse quia mali sunt; hinc est, vt valde difficile, ac rarum sit, inuenire, qui dimisso odio, ex pura charitate, aut solo iustitiæ amore excitatus velit offensorē pęnas lucre, &c. *Catechis. Rom. sup. 5. præceptū. c. 6. Car. de pacific. inim. cap. 48. Reginald. lib. 17. num. 17. Molfes. tract. 11, cap. 5. num. 36. Bonac. de leg. d. 3. quæst. 4. p. 3. num. 5. Turrianus. 22. d 91. dub. 1.* Vbi etiam obseruant, in iūris rigore, non opus esse in cōfessione aperire malā ipsa, quæ quis ex odio proximo conc piuit, sed satisfacere dicēdo, se graui odio ipsum proximum toties prosequutum fuisse, nam malorum diuersitas in actu odij materialiter (ut aiunt) se habēt, & in actu maleuolentiæ sub eadē ratione formali comprehenduntur, idest vt sunt alterius malum.

CAP. XXV.

QVAESTIO CXIII.

AN OFFENSVS DE PACE ROGATVS teneatur in scriptis illam exhibere.

AN offensus rogatus, ut pacem in scriptis exhibeat, ad id in conscientia teneatur, vel sufficiat pepercisse, & pacem verbotenus dedisse? R. Supponendo Primo, ex aliqua iniuria, uel damno tria oriri solere, scilicet in corde rancorem, in opere rancoris, uel odij signa, & in iure actionem contra iniuria afficientem. Secūdo, cum quis iniuriam remittit, odium ipsum, uel prauum animi affectum, sed non damnum illatum, nec iniuriæ actionem in iudicio remittere censeri, siquidem in quolibet delicto quatuor offensiones cōcurrunt, nēpe in Deū, ecclesiam, rempublicam, & in proximum; nec una aliam excludit. Sanè iniuria affectus non prohibetur sensum habere mali, quod in ipsa latet iniuria; neque enim naturam omnino exuere possumus, quidquid in cōtrarium fanatici stoici senserint; sed surere. Atq; ut *Plat.* verba reddamus. *l. 9. de repub.* non est exigendum à probo uiro, & ciue, ut omnino nihil doleat, sed ut nascentem dolorem rationibus mitiget. Sed neque uetatur illati damni satisfactionē forensis iudicij uia exigere, aut, secundum aliquos, in eodem foro, ut infra dicemus, pœnas acceptæ iniuriæ, ut in futurū sapiat, ab eius authore reposcere; sed interdicitur aliquod ei malū, quatenus malum est, rependere, & procurare. *Abb. & alij in cap. si rixati. ext. de iniur. Syl. in verbo. charitas. & v. accusatio Con. l. 2. var. resol. cap. 10. Phil. de officio. sacerd. p. 1. l. 4. c. 2 Gr. ffius. l. 2. decis aur. cap. 47. Mascardus. de probat. vol. 3. concl. 1156. n. 29*

Quo fundamento prę iacto, illam cōmuniorem, & magis in praxi receptam assertionem constituo, Posse offensum absolui, ēt si pacem in scriptis exhibere nolit, præsertim cum tria concurrunt.

Primo, quando ille esset perpetrandis flagitijs assuetus, & pacem in republica turbare, & communi bono, uel alicui priuatæ personæ expediret, ut procul à patria degat.

Secundo, dūmodo ab offenso id aīo purgato, & nō appetitu vindictę fiat, sed vt ille resipiscat, & ad cor redeat. Verū si principalis intētio recta sit, licet humana fragilitate aīus in affectū aliquē aduersus reū labatur, nō statim est lethalis culpæ arguēdus.

Tertio, qñ scandalū alijs nō oriretur secus. n. esset, si crederent, illū nō pepercisse, uindictam appetere, & in odio persistere, quod prudentum arbitrio determinandū relinquitur, cui tñ obuiam iri poterit, pacē confirmando, uel alicui nobili, & magnæ authoritatis uiro fidem iuramento firmatam præstando

ſtando ſe illum numquam offenſurū, &c. *D. Thom. ad Rom. cap.* 13. *ſect.* 3. *Salon.* 22. *quaeſt.* 68. *artic.* 1. *Nau. conſ.* 1. *de accuſat. & conſ.* 3. *de pœnit. & remiſſ. Tol. l.* 4. *cap.* 10. *Vgol. de officio Epiſcopi. p.* 1. *cap.* 15. *§.* 7. *num.* 7. *Corradus. in reſp. caſ. conſ. q.* 197. *Philiar. l. c. Berardnc. in ſumma Corona. de ſacrificio miſſa. num.* 36. *Comitulus. in reſponſ. mor. l.* 4. *q.* 32. *Zerula. in praxi epiſcop. in v. charitas, & in praxi pœnit. cap.* 22. *quaeſt.* 12. *Marc. Scarf. in ſumma. in v. pax. cap.* 24. *contra Beiam p.* 1. *caſu.* 10. *Arg. Sfortia. Oddus. de In integ. reſtit. quaeſt.* 85. *art.* 7. *num.* 54. *Baiard. in addit ad Clarum.* § *fin. quaeſt.* 58. *num.* 73. *Tuſc. tom.* 6. *in v. pax. concl.* 191. *Farinac. de var. ac diuerſ. crim. q.* 107. *p.* 2. *art.* 20. At pacem requirens à parte læſa cum oblatione competētis ſatisfactionis, nec eam obtinere valēs, eo quod inimicus duræ ſit ceruicis, ac peruicacis cordis, & vindictam appetat, poſſet à Confeſſario in pœnitentiali iudicio abſolui, & à Iudice coram quo cauſa deducta eſt, in externo foro, niſi aliud obſtet, liberari. *Auila de cēſ. p.* 2. *cap.* 7. *diſp.* 3. *dub.* 10. *Nald. in v.* Pax. *num.* 7.

QVAESTIO CXIV.

AN NOLENTI INIMICVM ALLOQVI, vel ſalutare abſolutio deneganda ſit.

Quæritur, an abſolutio ei ſit deneganda, qui inimicum ſuum alloqui, aut ſalutare non vult? R. Denegari non poſſe, non enim ipſe pœnitens ad id tenetur, ſicut nec eum eo negotiari; nam quamuis abundantioris pietatis, ac religionis eſſet, non tantum communia, & generalia, ſed etiam particularia charitatis officia, & ſigna offenſoribus, & inimicis impendere ad id tamen nemo obligatur, niſi in animi præparatione, ſi ſpiritualis, aut corporalis neceſſitas id poſtulet, aut ad euitandum ſcandalum requiratur. Hinc quando inter aliquos ex neutra parte re ipſa inimicitia, & ſimultas fouetur, ſed quia odium, vel offenſa præceſſit, neuter vt ſimul colloquia miſceat, ſe flectere, & frangere nō vult, In neutro caſu abſolutionis beneficium ſubtrahendum eſt. Per accidens vero ratione neceſſitatis, vel ſcandali, an hoc fieri debeat, prudentum arbitrio relinquendum eſt. *Caiet.* 22. *quaeſt.* 25. *art.* 8. *Val. tom.* 3. *diſp.* 3. *quaeſt.* 3. *p.* 2. *Carbo cap.* 24. *Bonac. de legibus. d.* 3. *q.* 4. *p.* 3. *n.* 3. *& hoc etiam prælibauimus. ſupra cap.* 19. *quaeſt.* 87. *& ſeq.* Porro illud exploratum eſt, quādo duo ſe inuicem offenderūt, ſi cætera paria ſint, eum qui prius offendit, ad veniam petendam cogi, alioqui eum qui poſterius offendit, ſi vel grauius multo læſerit, vel longe inferioris conditionis fuerit, prius ſe ſubmittere debere, vt alteri reconcilietur; quod ſi dubia res ſit, vter prius alterum iniuria affecerit, vel Confeſſarij, vel alterius boni viri arbitrio ſtādum erit. Sicut etiam prudentis iudicio particularia ſigna vt allocutionem, & ſalutationem aliquando denegare liceret, quando hac fieret ad reprimendam offenſoris temeritatem, ad retinēdam propriam authoritatem, vt ſi Superior nollet inferiorē alloqui à quo eſſet iniuria affectus, & ad maius malū euitandum, quod inde proficiſci poſſet, vt ſi quis à ſuo inimico ſalutatus non modo non reſalutaret, ſed etiam in conuicia prorūperet, & magis ira accēderetur, &c. Sed in his caſibus ſi forte ſcādalum ob horū ſignorum negationem oriretur, cauſa ijs, qui inde ſcandalum arriperent, cur id fieret manifeſtanda eſſet, &c. *Carbo. d. cap.* 24. Vbi etiam notandum eſt, quod ſicut ex negata ſalutatione qui negauit inimicus cenſetur; ita quoque per ſalutationem iniuria remiſſa, & reconciliatio facto putatur. *Maſcar. volum.* 2. *concl.* 1398. *&* 1402. *Graffius. l.* 2. *cap.* 62. *num.* 12. *Azor. p.* 2. *lib.* 12. *cap.* 3. *quaeſt.* 10. *Bonac. de cont. diſput.* 4. *quaeſt.* 5. *puncto.* 2.

QVAESTIO CXV.

QVIBVS MEDIIS POENITENS AD DEponendum odium inducendus ſit.

Quæ remedia à Confeſſario adhibenda ſunt, quò pœnitens ad deponendum odium inducatur? R. Præter adducta à nobis *in cap.* 19. *quaeſt.* 87. *& ſeq.* Iuuat.

Primo, conſiderare Deum eſſe iniuriarum vindicem, nam mihi, inquit, vindictam, & ego retribuam. *Deut. cap.* 32.

Secundo, Deum non dimittere peccata, niſi ex corde iniurias fratri dimittenti. *Matth. cap.* 5. *D. Gregor. lib.* 4. *dial. cap. vlt. Arrag.* 22. *quaeſt.* 84. *ar.* 9. *Caſſ. collat.* 16. *c.* 16. *Catech. Rom. ſup* 5. *præcep. in fine.*

Tertio, ſibi ipſi magis nocere; nam qui inuidet, vel odit, non alium priuſquā ſe ipſum occidit. Non ne videmus apem quomodo propter ſtimulum alicui infixum moriatur? Per hoc animal erudiuit nos Deus, ne proximum lædamus; ipſi enim primi mortem ex eo capiemus: & illos forſan parū lædemus, ipſi vero vt hoc animal non amplius viuemus. *D. Chriſoſt. hom.* 10. *in* 1. *ad Theſſalon.* Quippe dolor qui eſt odij effectus non ſolum animi, ſed & corporis valetudinem corrumpit, & naturam deſtruit; vidimuſque non paucos maligni ingenij homines odio in alios quaſi tabe paulatim conſumptos eſſe.

Quarto, humiliter reconciliari, & veniam ab eo petere, qui ſibi offenſus eſt, tùm vt vincat in bono malum, & carbones ſuper caput eius congerat, tùm etiam vt duplicem coronam conſequatur. Primo, quia iniuriam paſſus eſt, & induſit. Secundo, quia prior rogauit. *Bufaus in v. odium.* Hinc in Toloſana

ciuitate quidã & si inimicitias gereret, à frequẽtan distñ tẽplis, consuetisq; precationibus nõ desistebat, sed vnam orationẽ dominicã, cum ceteras posset, septem mensium spatio recitare non poterat, donec facta cum inimico, à quo læsus erat, reconciliatione, ad eam quoque precationem lingua soluta est. *Daur. tom. 1. cap. 2. tit. 15.* Addet, vt dicebat, Fulgentius, à circulo lunæ, vsq; ad centrũ terræ non esse perfectam securitatem, nõ in aere, quia ibi sunt Dæmones insidiantes; non in terra, quia ibi homines malignantes; non in mari, quia ibi mare & tempestantes conturbantes; non in Inferno, quia ibi sunt tortores animas crucïantes. Diuinum proinde sapere, iniurijs affici, ac contumelijs vrgeri, & vindictã haud sumere; & nedũ in Christianorum, sed etiam in Ethnicorũ schola id ostendi; quorum etiam est illa vox, in Sapientẽ nõ cadere iniuriam, imò in eo maiori fortunæ locũ facere, & patientia inimicum vinci. Hinc *Tertull. l. de patientia.* Fatigatur, ait, improbitas patientia tua; improbum cædis sustinendo, grauiora mansuetudo vulnera refert: cum nempe sustines, inimicus ipse tandem te meliorem esse fatetur, &c. Ad hæc nullum sane vt *S. Bonau. l. de prof. relig.* docet, esse euidentius prædestinationis signum, nihilque magis hominẽ Deo similẽ reddere, quàm mitem, pacificũ, mãsuetum, patientem esse, de qua re gloriari debet omnis verus christianus, qui nõ surda aure Chtistum docentem audiuit. *Matth. 12.* Discite à me q̃a mitis sum, & humilis corde. Porro remedia etiam importunarum auersationum, quæ ab ipso odio nascuntur, ab opinionibus mutuanda sunt; opus enim est non falli, aut visis seduci. Hoc vitio laboramus, vt non rebus perturbemur, sed ijs quas de rebus habemus opinionibus. Epictetus docet mortem nõ esse malam, alioqui & Socrates talem reputasset, sed vulgi opinio de morte illam vt malã in scænam inducit; qui vult igitur pauca auersari, opiniones cohibeat, nec facile assentiatur visis, id est eis, quę iniuriæ vulgo videntur, & si re vera iniurię non sint, vt probat. *Seneca in libro inscripto. In sapientem non cadit iniuria. Ropert. Holchot. super Sap. cap. 4. lect. 55.*

QVAESTIO CXVI.

QVID SIT SVSVRRATIO, & detractio.

Qvid est susurratio, & detractio, duæ aliæ inuidiæ filiæ? R. Susurratio est mala oblocutio de p̃ximo & eius defectus manifestatio, ad tollendã amicitiã inter aliquos cõtractã. Detractio vero est denigratio alienæ famæ per occulta verba; & sicut hæc honorẽ, & famã tollit; ita illa amicitiam contra iustitiam aufert; & cum hæc honore, & fama præstantior sit teste *Arist. l. 8. Ethicorum. cap. 1.* Huc. n. spectat illud *Ecclesiast. cap. 16.* Amico fideli nulla est cõparatio, & sunt sex, inquit *Sap. Prou. c. 6.* quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima eius, hoc est eum, qui seminat inter fratres discordias. Vbi illud est admiratione dignum, quod cum inter illa sex homicidium, & falsum testimonium, & alia numerasset, hoc septimum tanquam magis horrendum posuerit, eo quod charitatẽ destruat, quæ est cuiusuis reipub. vinculum, & cuiuslibet familiæ neruus, cum, inquã, amicitiæ bonũ honoris, & famæ commodum excedat, hinc sequitur, vt susurrationis peccatũ detractione grauius agno scatur; & cum in proximi damnum tendat, ad restitutionem amicitiæ, quam abstulit, vel ad satisfactionem eo modo, quo fieri potest, obliget; & si hoc susurro firmiter non proponat, absolutione sacramentali non est donandus. Communiter tamen contingit tale peccatum ob actus imperfectionem venialem tantum esse culpam, siue ex parte intentionis, cum scilicet quis amicum lædere non intendit, sed materialiter aliquid profert, qđ ad huiusmodi læsionem prouocat; nisi tamen de facto ea grauis sequatur, susurrone id aduertere debente; tunc enim actus in naturam suæ formæ redit: siue etiã ex parte eius quod dicitur, nempe quando ipsum modicum est, nec ad dissoluendam inter aliquos amicitiam sufficiens; seu etiam ratione modi dicendi, puta quia iocose non serio aliquid profertur. Denique susurratio venialis culpa esse poterit, cum fit, non quidem, vt amici inimici euadant, sed tantum ut assidua familiaritas, quæ alijs offendiculo esse põt, ab eis amoueatur. Hinc religiosos salubriter instruens. *D. Basil. in ser. de Instit. monach.* Iustitia, inquit, uiolatur, quotiescunque in communi conuentu priuatæ aliquę coitiones, aut sodalitates reperiuntur; qui enim unum magis, quàm cæteros diligit, is quod non perfecte cæteros diligat, de se ipso est indicio. Quocirca ex conuentũ reijcienda sunt & turpis contentio, & amor iste singularis, siquidem ex contentione odium, ex amore autem singulari, sodalitateq; suspiciones, inuidiæque oriuntur: hæc ille. Quinimo susurrare ad dirimendam perniciosam amicitiam, modo vere, & citra infamationem fiat, uirtutis, non culpæ uel peccati rationem induet, etiam si ad id perficiendum opus sit nonnulla naturalia hominis uitia recensere, vt si ad separãdũ hominẽ ab amica, dixeris eam esse deformẽ, insulsam, &c. vt colligitur ex *D. Thoma. 22. quæst. 74. vbi Salon. Arrag. D. Anton. p. 2. tit. 8. cap. 5. Val. tom. 3. disput. 5. quæst. 17. & 18. Sayra. in claui reg. l. 12. cap. 5. & 6. Azor. tom. 3. l. 5. cap. 9. & lib. 13. cap. 8. Syl. & alij in v. susurro, & ver. detractio. Reginal. l. 24. num. 66. & 271.* De qua materia nonnulla etiam attigimus. *tr. 12. c. 35. q. 12.*

Porro

Porro ad commune reipub. ac familiæ, & proprium tuum bonum, non satis est, quod os tuum ad detrahendum, & susurrandum non aperias, sed prudenter loquendum est, ac cum dexteritate murmurationes, ac ineptæ delationes reprimēdę, idque ob tres potissimū causas. Primo, est vt te ipsum immunem à culpa serues, nec ex aliena maculā aliquam contrahas. Secundo, vt ipsum detrahentem, murmurantem, ac susurrātem ab eadem culpa etipias, Deiq; offensionem impedias, ac damnū, qđ ipsius detrahēris aīa patitur, repares. Tertio, quò studeas tui proximi honorem, qui læditur, tueri, eaque damna præuenire, quæ ex hoc in rempub. aut in familiam inuehi possent: valde enim hoc est charitati solemne, vt alienā causam propriam reputet. Quare si tuum diligis fratrem, oportet in his occasionibus ita subsidium ferre, sicut velles te in eisdem constitutum ab illo adiuuari. Quod si is cui detrahitur, tuus est Superior, debes eius honorem ita propugnare, sicut bonus filius sui parentis honorem tuetur; si sit minor, debes illi tanquam filio fauere; si autē par est, vt fratri, & amico opitulari; quod ni facias, te esse falsum filium, fictum fratrem, aut valde timidum amicum prodis. *Lud. de Ponte p. 2. tom. 3. cap. 11.* Item ex christianæ prudentiæ præscripto quilibet susurrones, vt pestem fugere debet, qui, vt diximus, fratres, & proximos dissociare solēt. Qua in re Æsopi gallina, vt est in adagijs, imprudentior non fit, quæ pèrcunctanti feli quomodo se haberet? respōdit, bene si tu hinc discedas. Cū defecerint ligna, inquit. *Salomon Prouerb. cap. 29.* extinguetur ignis, & susurrone subtracto iurgia conquiescunt. Oblatas criminationes cōtra proximum statim repellat, nec facile credat, ni improbus haberi, & corde leuis esse vult, si Menandro credimus. Imitetur Platonē, qui cū ei à quodā diceretur Xenocratem ipsū verbis insectari. Primo, negauit se credere id verū esse, & cum ille instaret, iuraretque, adiecit se existimare Xenocratem illa non dixisse, nisi expediuisset, &c. *Carbo. de amore. cap. 13. & cap. 20.*

QVAESTIO CXVII.

QVID SIT EXVLTATIO IN ADVERSIS, & afflictio in prosperis.

Quid est exultatio in aduersis, & afflictio in prosperis, quas supra inter inuidiæ filias recensuimus? R. Quando proximi res male succedūt, inuidus misericordiæ expers gaudet, & exultat, eo quod gloriam suam ex hoc augeri opinetur. Afflictio vero in prosperis est, quando res faustæ, & secundæ contra inuidētis conatū proximo eueniunt, qui illas impedire nititur. Vnde *D. Basilius. in sermone de Inuidia.* eius proprietates describens, vnicum, ait, Inuidi solatium, & requies est, in summo mœrore, & dolore, quo intimis animi sensibus cruciatur, & tabescit, cui inuidet, videre eum de gradu felicitatis ruere in calamitatem, & miseriam. Hic finis inuidiæ est, si miserum ex beato, & infelicem ex fortunato videat. Tunc demum cum eo fœdus iungit, & amicus efficitur, si lacrymantem videat, aut suos quæritātem casus, & lugeat infortunium: libentius lugērem miseratur, & solatur, quàm gaudenti, & florenti colletetur, vel applaudat. Diuitias miratur alienas, sed post calamitatē, iam amissas: formam, & robur, sed post morbū laudat, & effert, præsentibus semper rebus, & saluis inimicus, amissis, & perditis amicus, & misericors, quid igitur inuidia magis peruersum, & perniciosum, quæ est interitus vitæ, pestis naturæ, bonis omnibus aduersa, & Deo contraria? hæc ille. Sicque per istam tristitiam, & afflictionem, de alieno bono cōceptam, inuido praua cupiditas augetur, vidēs enim proximum abūdare, hoc ipse per fas, & nefas exquirit, vt si cernit eum serico indui, ipse qui prius lana cōtentus erat, ne inferior videatur, eisdem vestibus indui procurat; & si sufficientem pecuniam nō habet, per fraudes acquirere conatur, atque ita impotētis animi ardor, & impetus crescit, vt etiam per illum sibi morbū accersat; vt merito inuidia cum vipera comparetur, quod sicut illa prolem nō nisi disrupto ipsius ventre pariat, &c. Quod vtrumq; peccatum est mortale, cum voluntatis adest cōsensus, eadem ratione qua ipsa inuidia, cum qua sic conueniunt, vt vel idem sint, vel cum ea coincidere censeātur, vel certe ei arctissime coniungi, iuxta doctrinā. *D. Thoma. 2. 2. q. 36. art. 4. Perer. in Danielem. to. 4. d. 4. cap. 37. Nau. cap. 23. num. 118. Tol. lib 8. capit. 67. Bonac. de leg. d. 3. quæst. 4. puncto. vltimo. §. 2.*

CAP. XXVI.

QVÆSTIO CXVIII.

QVID SIT IVDICIVM TEMERARIVM & quale peccatum sit.

Quid est iudicium temerariū, & quale peccatum, quod est postrema Inuidiæ filia? R. Iudicium temerarium est, cum opus alterius quod bonum, aut malum esse potest, leuibus, & insufficientibus rationibus, temere, in prauam partem determinato animo accipitur, aut cum aliquem mortaliter peccare, seu esse in statu peccati mortalis iudicatur. Cuius vitij malignitas ex hoc clarescit, quod tùm charitati, tùm iustitiæ aduersari conspicitur, charitas quippe non malum cogitat, nec sinistre de fratre suspicatur; quinimo facit vt omnia potius in meliorem partem interpretemur, & æqui bonique omnia consulamus. *1. ad Corinth. cap. 13. cap. estote*

misericordes. extr. de reg. Iu. Et si aliquando Superiorbus ex suppositione ad cautelam, & remedium dubia in deteriorem partem accipere liceat. *Salon. & Arrag. 22. quaest. 60. art. 3. Lessius. lib. 2. cap. 29. dub. 4. num. 42. Reginald. libr. 24. num. 29. Iust. in Tob. cap. 2. vers. 21. doc. 1.*

Item quia contra iustitiae leges, malam opinionem in nobis metipsis de proximo gignimus; cum tamen apud omnes quisque bonae existimationis esse debeat, quandocunque manifeste malũ de ipso non constat; cum enim opera arbitraria sunt, quae tùm bene, tùm male agi queunt, quisque existimare debet, proximum in eo quod agit, nõ errare, sed bene agere; sicut faciebat ille monachus, qui cum aliorum cellam minus ordinatam cernebat, nimio id erga spiritualia studio, & ardori adscribebat, qui adeò exacte corporalibus vacare non fineret: cum vero aliorum bene compositam, mundatamq; uidebat, sicut sedulam animae, ita & externarum rerum curã illos habere aiebat. Mirum est quantum mẽs omnium ad huiusmodi suspiciones, & iudicia sit procliuis, ita vt D. Chrisost. aliquando dixerit, Ab hoc vitio neque seculi hominem, neque monachorum vllum facile inuenies liberum, cum tamen nulla ei insit voluptas, sicut in caeteris solet esse peccatis, sed potius labor multus, siquidem humano corde nil incomprehẽsibilius. Quod si hoc nostrum iudicium per actum exteriorem, & verba alijs, non manifestatis leuibus indicijs, referimus, tunc ẽt famã, vel honorẽ ablatũ restituẽdi nascitur obligatio.

Porro temerarium iudicium peccatum esse mortale hinc palã fit, quia per hoc proximo grauis iniuria infertur, contemnendo ipsum in re notabili, & sinistrã opinionẽ interiori volũtatis propriè actu sinistram opinionem concipiendo. Et sicut in foro externo illi iurisdictionem vsurpare dicerentur, qui sine potestate iudicium ferrẽt (cum facultas in iudicante requiratur) & vt tales grauiter punirentur, actus essent nulli, & lethali noxa se obstringerent: sic in foro conscientiae à mortali culpa non excusantur, qui temere, & inconsulta facilitate cum ad eos non spectet, in re graui proximum suum iudicant. *Graffius. de arbit. Confess. cap. 16. Busaus in arca med. v. iudicium temerarium.* Requiritur tñ vt hoc ipsum de quo iudicatur, sit certum, seu tale, qđ dubietatem permixtam non habeat, aut certe non nisi valde paruã; nam vt in alijs peccatis, defectus plenae deliberationis, & diffinitiuae sententiae, & paruitas rei, à mortali culpa excusat. Quò fit, vt quando delicatioris conscientiae homines sinistras cogitationes de proximis passi, dubitant an lethalem culpam admiserint, interrogari debeant an si tunc illud esse temerarium iudicium aduertissent, deliberate cõsensissent; sique negatiuè respõdeant, lethaliter peccasse putandum non est; quia vel nullus fuit voluntatis cõsensus, vel certe si aliquis fuit, non plene deliberatus, nihil firmiter definiens, nec ad mortalem culpam constituendam sufficiens; suspicio namque, dubium, & iudicium, inter se differunt, quod Suspicio vnius partis assensum, sed cum alterius formidine significat; Dubium nullius partis consensum, sed tãtum animi fluctuationem; Iudicium vero temerarium certam, & diffinitã sententiam innuit. Et si non desint quoq; qui asserant, de viro honestissimo grauissimũ crimẽ suspicari lethali culpa nõ carere. Ex phisionomia nihilominus licere aliquãdo certa de proximo iudicia depromere vt de Iuliano Apostata fecit, D. Greg. Nazianzenus, & Mahumete. D. Isidorus Hispalẽsis, aliqui tradiderunt. *vt per Mascard. de probat. concl.* 831. Atque supra firmatas positiones tenent. *D. Thomas. 22. quaest. 60. artic. 4.* vbi *Caiet. Salon. & Val. D. Anton. 2. par. tit. 3. cap. 8. §. 1. Sot. l. 3. de Iustitia, & Iu. quaest. 4. art. 3. Pet. Nau. lib. 2. de restit. cap. 4. n. 446. Azor. p. 3. lib. 13. c. 11. Sayr. lib. 12. cl. reg. c. 3. Reg. lib. 24. c. 20. Ang. Syl. & Tab. in v. Iudicium temerarium, & in v. suspicio. Nau. c. 18. num. 9. Graffius. lib. 2. capit. 70. Malderus. tract. 6. cap. 1. dub. 2. Lessius. lib. 2. cap. 29. dub. 2. Bonac. de rest. d. 2. q. 7. p. 1. Molfes. tract. 11. cap. 22. num. 160. & alij.*

QVAESTIO CXIX.

EX QVIBVS CAVSIS IVDICIA TEMEraria, & suspiciones proueniant.

QVaeritur ex quib. causis iudicia temeraria, & suspiciones proueniant? R. Ex tribus potissimum. Primo, ex odio, & liuore animi, sicut enim quos diligimus, studiosos iudicamus, ita & de his, quibus mala optamus, facile sinistre opinamur. Secundo, ex praua ipsius iudicantis natura, qualis namque vnusquisque est, tale de alijs iudicium facile ferre solet, iuxta illud Sapientis *Eccles. cap.* 10. In via stultus ambulans, cũ ipse sit insipiens, omnes stultos aestimat, cuius erronei iudicij causam tangit & Seneca, quia oĩs affectus est, ait, vt in quo ipse insanit, caeteros furere putet. Hinc SS. Patres, Cassianus, Climachus, & alij dicunt eum qui alicui vitio subiacet, pronum esse alium de eodem iudicare. Ideo Suetonius in Nerone refert, cum omnium impurissimus esset, persuasum habuisse, neminem pudicum esse. Nec immerito Sapiẽs. *l. c.* dixit Cor sapientis in dextra eius, & cor stulti in sinistra illius: Nemo est, qui nesciat, omnes homines naturaliter cor eodem in latere habere, sed improbus, & inuidus in sinistro illud habere dicitur, eo quod sinistre de alijs sentiat, atque vt *Plutarchus. in tr. de vtilitate ab inim. cap.* ait, odio adeo excaecatur, vt ea quae videt, in deteriorem partem interpretetur,

tetur, & vbi ipse impegit, & alios impingere putet, & vt loquitur. *Iob. cap. 15.* Cum pax sit, insidias suspicatur, &c. At charitas, vt inquit. *Apost. 1. ad Cor. 13.* Non cogitat malum: nam sicut sol atris nubibus aureum colorem impertitur, sic charitas proximi operib. quæ nigri coloris aliquid præseferre videntur, lucem quandam bonitatis apponit, nam vt ait. *D. Hieronimus. Epist. 21. ad Pamach.* Amicus praua quoq; recta iudicat. Dici solet. Mala mēs, malus animus. Sicut cucurbitulę quod in carne pessimum est, ad se trahunt, sic improborum animi pessimaqueque cogitādo ad se pelliciunt. Quod etiam naturali apis, & araneæ exemplo constat: apis enim succum ex floribus collectum in dulce mel conuertit, aranea in venenum, sic boni homines, quæ in proximo vident, vel audiunt, bene interpretātes in bonum traducūt, mali vero in malum commutant. Tales similes sunt ægro, cui ob corruptum palatum cibus & si sapidus, amarus videtur. Quilibet tamen cauere debet, ne alteri male suspicandi ansam præbeat, & ab his abstinere, quæ mali speciem habent. *Beia. p. 2. casu. 23. Rheg. casu.* 14. Vbi propterea tradunt, fugiendum esse contractum, vt dicunt, stochi rōne scādali, & suspectæ iniquitatis, &c. Tertio, ex lōgo vsu, & experiētia iudiciū temerariū prouenit. Hinc senes suspicionibus laborant, habent. n. mala omnia suspecta, & fraudem. ac dolum in omnibus rebus timent, quia secundū Epicharmi præceptum nemini credunt, nulli fidem habent; hoc autem à longo rerū experiméto nascitur, nā in producta vita multas fraudes, & multa mala solent homines experiri. Ex quo pendet, quod inexperti facilius delinquunt, & quod eorum delicta leuius plectenda Iurisconsulti responderunt, vnde prouerbium illud effluxit, Dulce bellum inexpertis. Ipsorum quoque senum mos est, nihil asseueranter efferre, sed illud philosophicū temperamentum, & considératissimum verbum adhibere, forsan, & fortasse, & in omnibus rebus assensionē sustinere, idque triplici de causa. Primo, qđ, vt dixi, ab alijs sæpe, & pluribus in rebus decepti sunt, vt nihil certi de alijs promittere audeant. Secundo, qđ ipsimet frequenter aberrarunt, & sua culpa in erores inducti sunt, vt etiam de se ipsis dubitare compellantur. Tertio, quod in humanis negotijs, & actionib. multa mala reperiuntur, & contra voluntatem nostrā accidentia, vt numquam de vlla re securi esse possimus. *vt per Maioraggium. in Comment. ad lib. 2. Rhet. Arist. D. Thom. 22. q. 60. art. 3.* Suspicionibus & iudicijs valde obnoxię fęminæ deprehendūtur, quib. à natura proprie comparatū est, vt omnia, quę audiunt, secundum suum affectum interpretentur, est enim mulierum genus suarum passionum sequax, & propter imprudentiam, & imbecillam naturam, in lapsum procliue: virtutib. post habitis, in homine vitia fęminæ librāt, inertes illas muscas imitātes, quę pretermissis partibus illis q̃ in corpore sanę, & integræ sunt, ad sola vlcera, & scabiosa loca conuolant.

QVAESTIO CXX.

QVODNAM REMEDIVM CONTRA iudicium temerarium à Confessario praberi debeat.

QVodnā remediū contra iudiciū temerarium faciendū præbere Cōfessarius dēt, & quodnam antidotum contra illud quod iniuste de pœnirente fit? R. Primo, proponere graue peccatum esse remere, & absque sufficientibus indicijs de alijs iudicare. Solus enim Deus renes, & corda scrutatur, solus illluminat abscondita tenebrarum. Qui ergo de corde alterius idest de intentione, & fine, quo hoc, vel illud facit, iudicat, Dei partes vsurpat. Secūdo, aperte cōtra charitatis & iustitię leges eū delinquere, quę postulāt, vt bonā de proximo opinionem habeamus, & integram eius famam tueamur, quam iudicij temeriratе violamus: pręsertim quod quilibet bonus præsumitur, nisi contrarium probetur. *cap. 1. ext. de scrutinio in ord. fac. cap. dudū. ext. de præsumpt.* Tertio, peccare ipsū contra illud Chri edictū, legi naturæ cō sentaneū, & ab Ethnico Alexandro Seuero tantopere commendatum, Omnia quæcunque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis. *Matth c. 7.* Et ipse Dominus. *Io. c. 7.* iubet, vt secundum faciem non iudicemus. Fatuus quippe est, qui equum empturus nō illū, sed ephippium, vel frænum considerat; sic qui hominem ex veste, vel conuersatione perpendit: quia frænum & si auro contextum, equum non meliorem reddit, & aliquando sub vili tegumento pretiosæ latent merces, & sub aurea pictura putridum lignum. Hinc Sapiens. *Eccles. cap. 11.* Non laudes, inquit, virum in specie sua, nec spernas hominem in visu suo, breuis in uolatilibus apis, initium dulcoris habet fructus eius. Quo pronuntiato ostenditur, ob corporis de fectū neminem iudicādum, & spernendum esse, quod enim natura in corporis quantitate denegar, in aliqua alia re compensat, ut patet in ape exiguo quidem animali, sed ob suam industriam, & vtilitatem commendatissimo; & in accipitre aue regia, magis animo, quā unguibus armata, &c. Etenim oportet: ait *Cassian. l. 5. Instit. cap. 30.* vnumquemque se ipsum iudicare tantummodo, non aliorum conuersationem, uitamque discutere. Hinc Moyses Abbas accersebatur, ut de fratre qui deliquerat, sentētiam diceret, uenit, saccumque arena plenum humeris detulit, rogatus quidnam illud esset, Peccata, inquit, mea sunt, quæ uix ferre præualeo, minime ergo aliena iudicauero. *Beyer. in v. Iudicium. temer.*

temer. Lans. super Ecclef. cap. 11. *Io. à S. Gemin. de exemp. & fimilit. l.* 4. *cap.* 46. *& lib.* 8. *cap.* 37. *Lud. de Ponte. de perfect. hom. p.* 2. *tract.* 3. *cap.* 7.

Secundum, antidotum erit, fe in proprijs vitijs dignofcendis occupare. Senex quidam vt eft *in Prato fpirituali*, à fratre rogatus quid caufę effet cur affidue fratres fuos monachos iudicaret? refpondit, quia nec dum te ipfum cognouifti; nam qui fe ipfum nouit, fratrum vitia non afpicit. Item cum Iofephus quidam Abbatem paftorem percunctatus effet, qua ratione requiem in hoc fæculo, & futuro obtinere poffet? refpondit, fi in omni caufa diceret, quis fum ego? & ne iudices quemquam.

Tertiũ remedium erit, confiderare multis per peram illam iudicij temeritatẽ ceffiffe; nam, vt alia exempla omittam, Vitali monacho de proftibulo egredienti, quidam qui temere iudicabat eum libidinis exercendę caufa in illo fuiffe, colaphum inflixit, & illico à Dæmone obfeffus eft; lupanaria enim Vitalis adibat, vt meretrices è turpi corporis quæftu auocaret, vel vnius noctis continẽtiam pecunia pacifcens. Quę res clarius patuit, cum percufforem fuum à Dæmone liberauit, &c. Adde iudicium temerarium, & fufpiciones effe amicitiæ venenum, & peftem, quod vnionem, & concordiam turbent, pacem auferant, confidentiam tollant, ac fidelitatem, quam inter amicos effe oportet, difcindant: quænam enim inter coniugatos futura concordia, fi numquam fufpiciones abfint, inter fuperiores, & fubditos, fi alter alterum femper fufpectum habeat? Inter fratres & religiofos, fi de cogitationibus, & mutuis intentionibus temere iudicant? &c. *Daur. in Catechif. hift. tom.* 2. *c.* 3. *tit.* 125. *Lud. de Ponte. loco citato.*

Contra vero in pœnitẽtem temerariũ iudicium coniectũ confiderandum eft. Primo, ab orbe cõdito, omnes fanctos homines temerario aliorum iudicio improborum maxime obnoxios fuiffe. Quod contemnendum effe, nec de ipfo curandum oftendit in primis. *Apoft.* 1. *ad Corinth.* 4. Mihi, inquiens, pro minimo eft, vt à vobis iudicer. Siquidem temerarium iudicium plerumque nihil nocet ei, de quo temere iudicatur, ei autem qui temere iudicat, ipfa temeritas neceffe eft vt noceat. Secundo, fi confcij nobis non fimus mali, de quo iudicamur, Deũ patronum habemus, qui vt facra fcriptura loquitur, non homines iudicat fecundum faciem, fed cor intuetur, cuius iudicium, vt dicebat. *D. Gregor. Nazianz.* cordatis hominibus pluris faciendũ, quàm omnium hominum in vnum coactorum. Generofus equus imitandus eft, qui licet omnes oppidi canes allatrent, imperterrito, ac animofo paffu omnibus contemptis procedit. Item rufticanæ mulieris alendis gallinis præpofitæ fequendum exemplum, quę oua ftudiofe è nido in finũ colligit, licet gallinæ, & ipfe gallus clamoribus omnia cõpleant; Quippe illa cogitat, veftra vobis permittitur garrulitas, at mihi hæc oua cedent, vos quod veftri eft muneris facitis, ego quod mei curo. Ita cuique fua falus curę effe debet; nemo autem ftultis hominum iudicijs, vel obloquijs moueri. *Io. Dauid. in Verid. chrift. cap.* 37. Tertio confiderandum eft, innocentium hominum exiftimationẽ fæpe numero etiam per miraculum contra iudiciorum temeritatẽ defenfam. Daniel Abbas Ægyptius, vt eft in vitis Patrum, ruftici domum ingreffus, vxori eius fterili fobolem à Deo impetrauit, cuius tumefcente vtero, rumor increbuit, eam ab Abbate concepiffe. Quo agnito, Daniel toto conuocato populo, infantem natum percunctatus eft, effet ne ipfius parens? qui refpondit, non: atque ita fufpicio criminis in admirationem fanctitatis erupit. *Daur. to.* 2. *exẽpl. c.* 3. *tit.* 125. *Buffaus. in arca medica. in v. iudicium temerarium.* Vt diximus in re fimili fupra *tract.* 5. *cap.* 21. *quæft.* 122. Vide de hac materia temerarij Iudicij *infra tract.* 7. *cap.* 33. *quæft.* 121.

CAP. XXVII.

QVAESTIO CXXI.

QVAE REMEDIA CONTRA INVIDIAM Confeffarius adhibere debeat, &c.

QVæ remedia contra inuidiæ peccatũ à Confeffario adhibẽda funt? R. Hoc vitium difficillime poteft fpiritualis patris ope curari; eo quod præ verecundia celari folet, & qui hoc morbo inficitur, & hac pefte corripitur, quodãmodo medicinam fpernit. Qui caput, aut membrũ aliquod dolent, medico morbum aperiunt, at qui inuidia ægrotat, quid dicet, angunt me proximi bona? veritas eft, attamen hæc quifque verba fateri erubefcit. *D. Bafilius. hom. de inuidia. Caffianus. collat.* 18. *cap. vltimo. Val. tom.* 3. *difp.* 3. *quæft.* 13. *p.* 3. *Iuftin. in Tob. cap.* 1. *verf.* 21. *doc.* 3. *Gisbert. de vita. Ecclef. cap* 61. *& feq.*

Porro hæc peftis adeo generalis eft, vt non modo in fæculo degentes, fed etiam monafteria incolentes, & fpirituales viros etiam conficiat, vt ait. *D. Ambl. l. de S. Iofeph. c.* 1. Exemplum eft apud *Caffianum. collat.* 18. *cap.* 15. inuidi cuiufdam monachi, qui Paphnutij adolefcentis fanctitatem nõ ferens, inuidię ftimulis actus, furti notam illi inurere aufus fuit. Quod fi non aufint tantum nefas ij, qui habentur potius, quàm fint fpirituales viri, illud certe faciunt, ficut vultures, inquit, D. Bafilius, multa odoratu, & amœna loca circumuolantes, ad tabida, & fœculenta feruntur. Mufcæ quoque falubre fi quid offendunt, prætereunt, ad ulcera vero properant;

Sic hi vitæ splendorẽ, ac rerum bene gestarum magnitudinem nõ respiciunt, inania vero, & fragilia, & si quid erratum, vt quandoque in rebus accidit humanis, tantum obseruant, hæc huiusmodi diuulgant, &c. *Rossignol. l. 2. cap. 22.* Hoc uero uitio potissimũ fœminas inter se laborare multi autumant, nam inter alios Menander tradit inuidiã rem omnium molestissimam, perpetuam esse mulierum comitem: & hinc fortasse Simonides ait, uxorem esse canem ornatam, est enim canis animal inuidum, qui & si ipse hordeo, aut fœno nõ uescitur, tñ equũ uesci uetat, hincque ortum est adagium, Canis in præsepi, in eos, qui nec ipsi re aliqua fruuntur, nec alios uti finunt, &c. *Gloss. & D D. in § 1. Instit. Ciuil. tit. de lege. Fus. can. tollen.*

Primũ ergo remedium erit, huius peccati grauitatem proponere, quæ ex eo patet, quod Diabolicum sit uitium, cuius inuidia peccatum introiuit in orbem terrarum. *Sap cap. 2.* Et quod directe charitati aduersatur uirtutum omnium præstantissimæ, sine qua nihil sumus, nihilq; nobis ad æternam salutem prodest. Pauones qui hominum utilitati, ut fertur, inuident, excrementa sua medicinalia abscondẽtes, uiros doctos, sed inuidos exprimunt, qui cum eruditione sua alios iuuare possent, eam intra proprios parietes cõtra charitatis leges celant; uel quosuis alios æmulos, qui proximis suis dum sine ullo facultarum suarum dispẽdio prodesse queunt, destitutis, ac omni auxilio fraudatis, nec consilium quo iuuentur aperiunt, ac ueluti pauo si quid opis inde nancisci possint, inuident, de quibus *Iob. c. 20.* Cum dulce fuerit in ore eius, abscondet illud sub lingua sua. Contra uero *Sapiens. cap. 7.* Sine fictione didici, & sine inuidia cõmunicaui. *Ald. in tract. de auibus. tom. 2. l. 13. tit. de Pauone.* Inuidi aduersa aliorum fortuna, ut scarabei uilissima animalcula, alieno stercore nutriuntur. Item ranis comparantur, tùm quia cum toto corpore exangues sint, oculos tamen sanguinolentos habent, sicut inuidorum oculi sanguine, & uindicta pleni sunt, ut nil aliud, quàm aliorum infortunium spirent; tùm quia sicut hæ sordibus delectantur, & noctu coaxant: ita inuidi aliorum peccatis gaudent, & de illis in eorũ absentia obloquuntur: & cum ipsi maxime sordeant, aliorum tamen uel leues culpas ferre nolunt. *Bessaus Dominica. 16. post Pent.* Item maxime proderit eius perniciem ante oculos ponere, nam ut ait D. Basilius, Nihil mortalium animis inuidiæ affectu perniciosius contingit, quæ ante omnia ipsi nocet auctori, alijs uero nihil plane nocet. Sicut enim rubigo est ferri quasi uenenum; sic inuidia quos possidet, eos conficit, atque consumit. Et sicut uiperas dicunt rupto matris uẽtre nasci; sic inuidia concipientem se animum rodere, & corrumpere solet. Gregor. Nyssenus *de vita Moysis.* Inuidos miluis comparat, quos, inquit, cadaueribus pasci, & pretiosis unguentis emori. Phalaris censuit nullum inuidia maius tormentum dari posse, quod ille forte significauit, qui scripsit;

Inuidia Siculi non inuenere tyranni
Maius tormentum.

Alber. in v. Inuidia. Sunt qui oculorum affectioni liuorem persimilem faciant, illi etenim lumen clarius ferre nequeunt, & ad oẽm splendorem caligãt quod idem est inuidiæ proprium. Vnde aliqui dictam putant inuidiam ab in, quod aliquãdo significat ualde, & uideo, quia qui inuidentia laborant, semper animum, & oculos in eum, cui inuidẽt, conijciunt, ex quo tamen non nisi dolorem hauriunt. Agis primus Spartæ Rex dixit, inuidi duplicẽ esse pœnã, angitur enim proprijs malis, & alienis commodis cruciatur. Quare Publius cum Mutium hominem maleuolum, inuidumq; uidisset solito tristiorẽ, aut Mutio, inquit, aliquid mali aduenit, aut alteri cui piam aliquid boni. Denique Menander huius pestis infelicem conditionem ostendit,

Inuidus est sibi metipsi hostis.

Ideò *D. Gregor. Nazianz. in quadam oratione.* de hoc vitio loquẽs illud iustissimum simul, & iniustissimum vocat. Iniustissima quippe res dicitur, quia optimæ uirtuti, charitati scilicet se opponẽs, omne quod est iniustam superat. Sed illius etiam iniustitia ex eo maxime agnoscitur, quod ipsa secum grauissimam sui pœnam ferat: siquidem ut ille ait,

Inuidus inuidia consumitur intus & extra.

O' utinam, dicebat Seneca, Inuidi in omnibus Ciuitatibus oculos haberent, ut de omnium mortalium felicitatibus torquerentur. Atque huc cõfert illius inuidi exemplum, qui unum oculum sibi erui elegit, ut illi, cui inuidebat, duo euellerẽtur. Addo eum qui alteri inuidet, quod Deus est ei largitus, nil aliud agere, quàm sanctum Dei iudicium, & prouidentiam improbare, distributionemque eius munerum condemnare. Tametsi nihil est, quod de eo iuste queri possit; An non enim ille tecum liberaliter egit? aliquos supra te uides, at quanto plures infra te. *Tympius in speculo Magist. signo.* 88. Cogitandum, dona Spiritus sancti esse à Christo Domino diuisa, neque uas aduersus figulum posse, uel debere insurgere, quare in hac potius, quàm altera forma conflauerit; nostra sors in manu figuli, os quod tibi in partem obtigit, ipsum rodito, ait. *Tholesanus, in synaxi artis mirab. libr. 9. capit. 16.* Qua ratione à sacris Canonibus statuitur, ut clericus fratrum profectibus inuidens donec in hoc uitio est, non promoueatur. *cap. 7. d. 46.*

Secundo, illi in memoriã reducendũ est, magnę cęcitatis esse, propriæ excellentię amatorẽ, & superbiæ uitio infectum, inuidia tangi, per quam se profitetur alio inferiorem, aut non superiorẽ. Itemque se inu-

se inutili mœrore vexare de eo, ex quo charitate feruens lætitiæ fructum capere posset. Symbolum quippe inuidię est stellio, abiectissimum animal, lacertæ simile; cum enim eodem quo anguis modo pellem exuat, statim eam deuorat, tanquam pro comitialis morbi remedio vtilem esse norit. Item pauo, qui fimum suum valde homini in medicamentis proficuum abscondit, hominum commodis inuidens. Tandem cani inuidus comparatur, qui vt supra dixi, in palea non quiescit, nec alios ibi iacere finit. Ex quo satis constat, Primo, inuidiã bonorum communicationem excludere, contra illud vulgatum; Tolle inuidiam, & tuum est quod habeo, tolle inuidiam, & meum est quod habes. Hinc *Fornar. de Instit. Confess. tract. 2. c. 3.* Si sacerdotes, inquit, proximum sicut se ipsum amarent, intra propria viscera si possent eum includerẽt, nec gloriã sibi ex animarum conuersione quærerent; sicque omnis æmulatio, ac inuidia cessaret, charitas enim non æmulatur, dummodo namque animæ saluentur, siue suæ, siue aliorum industrię tribuatur, nil curarẽt. Secundo, proprium minorum esse, maioribus inuidere, cum hæc vilia animalia rationis expertia homine magno Dei simulachro inferiora sint; vt propterea locum habeat, quod ait. *Iob. c. 5.* Paruulum occidit inuidia. Adde inuidiam morum valde corruptorũ indicium esse: quare Antisthenes non temere dicere solebat, absurdum esse triticum à lolio non repurgare, qui sentiret ex hoc, inuidos à republica submouẽdos esse, tàm enim inutiles inuidi sunt ciuitati, quàm lolium est tritico, teste. *Pierio in hieroglyph. lib. 56.*

Tertio, præstantissimum, atq; efficacissimũ huic morbo remedium Doctores cẽsent, bonorum omnium tẽporalium despiciẽtiam, vt persuasum quisque habeat, huiusmodi bona nec magni pendenda esse, nec valde expetenda; quod facile in animum suum inducet, si secum reputet, quàm sint fluxa, & caduca, qđ plerumque in pessimis hominibus abundãtius insint, qđ ad bene viuẽdũ illis carere potius, quàm abundare conducat: unde etiam indicium curationis inuidiæ est internus charitatis affectus, & perfectus æternitatis amor. Nẽpe difficillimum est, in magna eorum copia tenere animum, ne vel in superbiam efferatur; vel ad voluptates effluat. Epictetus etiam amuletum inuidiæ paucis confecit, dicens, Qui omnia bona à se ipso petit, nec inuidia ducitur, nec ęmulatione: ille autem ita se gerit, qui eã tñ censet esse bona, quæ animum ornant, ac in eorum adeptionem operam, ac laborem confert.

Quæ vero ab alijs imminet inuidia vitabitur, si qui rebus vtitur secundis, comem se præbeat, modestum, ac moderatum, nec vltra ciuilẽ modum agat; sublimium namq; maxima gloria est, quàm maxime se submittere, vt propterea Thucidides inuidiam appellarit necessariam potentiæ comitem. Cæterum huiusmodi modestia felicem ab ea labe tutum vndique non reddit, cui nihil est sanctum, nihil inaccessum, at non ideo animo concidẽdum, ea potissimum cogitatione, quod qui inuidia petuntur, vel virtute pollent, vel felici rerum successu vehuntur, nam

Summa petit liuor, perflant altissima venti.

Et celebre est prouerbium, solam miseriam nescire inuidiam. Vnde & Eunapius Sardianus de Oribasio loquens, Verum, inquit, vt sine crista non est alauda, ita non caruit inuidia Oribasius, ac si diceret, sicut non reperitur alauda, quæ crista destituta sit, ita virtuti semper comes est inuidia. *Ald. de auibus. l. 18. tit. de Alauda.* Hinc cum ciuis quidam omnium suffragijs honorem quem petebat, consecutus esset, illum Prætor qui aderat, de facie nosse cupiens gratulatus est, quod omnes eum diligerẽt, at ille dolere se respondit, quod neminẽ inimicum haberet, vt enim inquit Publius, Miserrima est fortuna, quæ inimico caret, &c.

Porro pęnitentię hac peste homini correpto imponi poterũt, vt charitatis signa illi ostẽdat, quem odio, vel inuidia prosequitur, & det operam, vt de eo bene coram alijs loquatur, & vbicunque ipsum accusatum, & malitiose traductum deprehenderit, quàm fideliter potest excuset, eum quandoque visitet, alloquatur, alioue officij genere ipsum afficiat, ac pro ipso apud Deum preces fundat, & rosarium recitet. Quod si ex inuidia secuta sit detractio, vt superius animaduerti, de obligatione ad restitutionẽ famæ læsæ admonendus est, *Zecchius, de pænitentia. cap. 18. Reginald. lib. 7. num. 68. Val. l. c. puncto 3. Peregr. de animi. affect. noscen. capit. 1. de Inuidia. Perer. l. c. Peraldus, in summa virt. ac vit. tom. 2. part. 3.*

ARTICVLI SVPER ACEDIA, ET EIVS sobole. Cap. XXVIII.

QVAESTIO CXXII.

QVID SIT ACEDIA, VNDE DICTA, & vnde nascatur.

QVid est acedia, vnde dicta, & vnde nascitur? R. Est tristitia, seu tædium de spirituali bono, quatenus est bonum diuinũ, animum aggrauans, ita vt nihil agere placeat: dicta acedia, vel accidia quasi acida, eo quod res bonæ, & salutares velut acidæ nobis videantur; ita vt sicut res quæ acescunt, fastidimus, & auersamur, sic etiã spirituales res veluti acescentes, cum tædio quodam respuamus, & refutemus; vel dicitur quasi acida, vel acciosa, eo quod huiusmodi sicut hoc vitium frigida

frigida sunt, qua ratione ab aliquibus angui, qui natura frigidissimus est comparatur. Tanta enim est acediosi nausea circa spiritualia bona, vt si fieri posset, præcepta ad ea obligantia extare nollet, v. g. ad semel in anno confitendum, ad sacrum die festo audiendum, ad horas canonicas recitandas si clericus sit, ut hæc explere non cogeretur. Et si est monachus, vel monialis, cum religiosæ vitæ ei graue sit iugũ, nollet regulas, & obseruantias inueniri, ne ad eas teneretur; in quibus subeundis magnum grauamen sentit, pro quo ob charitatis, & amoris defectum magnopere tristatur: sicut enim vbi est charitas, homo nihil molestiæ experitur, ita vbi amor non est, omnia cũ tristitia fiunt. Huius rei manifestum argumentum in operarijs, & agricolis apparet, qui dum stipendio conducti laborant, cito lassantur, ac defatigantur, quia in opus amorẽ non conferunt; dum autem in proprijs bonis laborant, eo quod amore ducũtur, numquam tædio afficiuntur. Sic *D. August. de verbis. Domini serm. 9.* militum, mercatorum, venatorum, ac scholasticorum exemplo perspicue ostendit, nullum esse, tàm grauem, ac molestum laborem, qui amore nõ leuetur, nam vbi amor, ibi sapor. Quocirca huiusmodi affectui aptissime tribui potest id quod Maximus Tyrius Ethnicus author de omni in vniuersum amore dicebat, Huic neque fera, neque ignis, neque præcipitium, neque ensis, neque laqueus, grauia videntur, &c.

Hæc vero de spirituali re concepta tristitia ex duobus potissimum fontibus oriri solet, nempe Primo, ex nimio affectu, quo quis res temporales prosequitur. Secundo, ex auersione, quam ad labores, & curas habet, quibus spiritualia bona sunt comparanda. Quæ auersio prædictum affectum sequi solet, per quem rerũ spiritualium gustus deperditur, quo amisso diuina tãquã laboriosa auersari cõtingit. Non ita res se habet in temporalibus lucris capiendis; qui enim in veris, summisq; bonis quærendis supra modum negligentes sunt, ijdem in comparandis falsis, inanibus, ac fugacibus sunt attentissimi; quam calamitatẽ, & miseriam humani generis non solum sapiens Salomon in multis locis deplorat, sed etiam Ethnicus ille, qui suas satyras ita inchoauit,

O curas hominum, o quantum est in rebus inane.

Siquidem teste *D. August. lib. 22. de Ciuit. Dei. c. 11.* Desidia segnities, pigritia, negligentia, vitia sunt, quibus labor fugitur, cum labor ipse etiam cũ est vtilis, pœna sit. Nihil Deus in hoc mundo præclari hominibus propositum esse voluit, cuius assecutio non insigni labore, ac industria cõstaret, non eruuntur auri, argentiue de fodinis metalla, nisi & labore & expensis innumeris; & qui addit scientiam, quæ in præclarioribus mortalium bonis cẽsenda est, addit & laborem. *Eccles. cap. 1.* Quis denique sceptra, & diademata cõsecutus est, quin prius vires exhauserit, facultates effuderit, & uitam mille periculis exposuerit? at uirtute, ac summo bono nil præclarius, quod si mortalium oculis cognitum foret, omnium ad se animos raperet, nec ad illud assequendum quisquam laboribus parceret.

QVAESTIO CXXIII.

QVALE, ET QVANTVM PECCATVM sit acedia, quodnam eius symbolum, & quibus proprium.

QVale & quantum peccatum est acedia, quod eius symbolum, & quibus proprium est? R. Dubium non est, Primo actum huiusmodi acediæ omnino esse uitium, & peccatum tùm ex se, cum de bono tristari malum sit, tùm ratione effectus, cum illa incuria, & [illegible] piarum, salutariumque actionum negligẽtia mala sit, ac damnata: vnde in sacra pagina, vt *Prouerb cap. 6.* Vsquequo piger dormies, &c. *& cap. 6.* Vult & non vult piger, &c. *Eccles. cap. 6.* Subijce humerum tuum, & porta illam scilicet spiritualem disciplinam, & ne acedieris uinculis eius. *Matth. cap. 3.* Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur. *Cassianus. lib. 10. Instit. cap. 7. Val. tom. 3. quæst. 12. p. 1.* Atque huc spectãt illa verba. *D. Bernardi. de Passione Domini. cap. 19.* Sunt nonnulli, qui bona quidem opera faciunt, uel coactione, uel necessitate, uel consuetudine, sed ad hæc agenda nulla alacritate mouentur; quod uitium proprie acedia dicitur; & hoc quidem uitio religiosi homines maxime affliguntur; nam seculares admodum pauci an hoc sit uitium in se animaduertunt: mundo enim alligati spiritualis uitij uix possunt apprehendere nomen, cum tamen inter septem principalia nominetur, &c. Vnde etiam hoc uitium legibus exosum est, & negligentes ab his puniti sunt; siquidem inductæ sunt vsucapiones, & præscriptiones, tùm ne rerum dominia in incerto sint, tùm vt metu ne rebus suis homines negligentes priuentur, cogãtur eis animum intendere, & ex segnitie ad laborem diligentiorum exemplo prouocentur, cum mortalibus lex constituta sit, In sudore vultus tui vesceris pane tuo. *Gen. cap. 3.* vt propterea *Gell. lib. 4 cap. 12.* referat, apud Romanos censoria nota punitos, qui indiligenter agros suos coluissent, quoniam

Neglectis vrenda filix innascitur agris.

Fertur quoque illud tritum, Diligentibus iura subuenire. *Felin. in c. 1. de præscript.* Hac ratione etiam ecclesiastica deuolutio introducta est, quę nil aliud est quàm translatio potestatis, quæ datur in beneficia ab aliquo in alteram personam ex facto, vel negli-

negligentia potestatem habentis. *cap. licet. ext. de supplen. neglig. Prælat. Marta de Iurisd. p. 4. cent. 2. casu 146. Thol. in syntag. In. lib. 17. cap. 9. & lib. 40. cap. 11. Garzias. de benef. p. 10. cap. 3.*

Secundo, est omnibus in confesso acediam peccatum esse ex suo genere mortale, quod ex eo probatur, tùm quia *D. Paulus in 2. ad Corinth. capit. 7.* ait, tristitiam sæculi mortem operari, tùm quia charitati danti vitã animæ repugnat, cuius repugnantiæ manifestum argumentum est, quod charitatis sit, ad gaudium ipsi acediç omnino contrarium nos inclinare, etenim is qui ex charitate se ꝑpter Deum diligit, consequenter de bono diuino gaudet, per quod ipse ad Deum ordinatur, &c. vt per *D. Thomam. 22. quæst. 35. art. 3.* Ex accidenti vero acedia venialis culpa esse censebitur, Primo, quando plenus rationis consensus defuerit, vt cõtingere solet, cum internæ quædam suboriuntur tristitiæ, quibus deliberatus assensus nõ adhibetur; motus enim acediæ ex sensualitate insurgens antequam ratio iudicet, quamuis diututnus fuerit, ob repugnantiã carnis ad spiritum, si ratio non consenserit, erit tantum venialis. Dixi quamuis diututnus, nã inter acediæ sensuales motus, & quorundam aliorũ peccatorum pulsus hoc est discrimen, qđ luxuriæ, iræ, & huiusmodi motiones, statim quod insurgunt, fugiendæ sunt, acediæ vero motus, qui hominem à spirituali actione abducere conantur, per continuam cogitationem resistendo debilitãtur, ac superantur. Sic etiam qui leuem tantum negligentiam in prauis, & turpibus cogitationibus committit, à mortali culpa excusatur, magnam enim Dei pietatem decere non videtur vt homo propter huiusmodi imperfectum consensum ęterna pœna puniatur, sicut etiam in animæ iudicio (qđquid sit de foro exteriori) quis tantum de dolo & lata culpa, non de leui negligentia tenetur. *Bonac. de leg. d. 2. quæst. 2. p. 3. num. 17. Graffius. l. 4. Decis. aur. cap. 8. n. 6. & alij.* Secundo, acedia venialis est, quando materia est hoc nomine leuis, eo qđ homo non vere de bono diuino secundum se tristetur, sed secundum aliquam circunstantiam loci, aut temporis tristitiam subit, vt qui de ieiunio, quod certo die seruandũ est, aut de concione, quæ certo loco habenda est contristatur quidem, non tamen absolute tanquã nolens ieiunium esse, aut concionem, aliud ve ad animæ salutẽ conducens. *D. Ant. p. 2. tit. 9. c. 1. Tol. l. 8. c. 69. Nau. c. 23. n. 124. Reginald. l. 17. Molfes. tr. 8. cap. 8. n. 266.*

Huius vero peccati & vitij symbolum, & typus est asinus ob insitam sibi à natura inertiam, & pigritiam. Hinc *Vlyss. Aldrouandus. l. 1. de Quadrup. de asino. cap. 2.* sic ait, lute vero in primis asinis similes censentur homines inertes, qui vt omnium ignauissimi nihil boni agunt, at somno tantum, desidiaque detinentur oppressi. Piger asinus, inquit, D. Ambrosius, & expositus ad prædam, quid aliud docet, quàm nos viuaciores esse debere, nec desidia corporis, animique pigrescere, confugere ad fidem, quæ opera grauia alleuare consueuit. Sic & Ioannes Arboreus in declaratione illius sententiæ, *Prouerb. cap. 26.* Flagellum equo, & chamus asino, & uirga in dorso imprudentiũ, non minus, ait, imprudẽtes, pigros, & peruersos indigere flagellis, ac stimulis; quã equus indomitus, & piger, asinus, &c. Porro hoc vitium magis fœminis quàm viris proprium ac familiare esse solere multi tradiderunt, præsertim. *Tiraq. lib. 9. connub. num. 215.* cum ait, Ignauum animal est mulier, & quo minus mentis habet, hoc inhonestis voluptatib. addictius, amat otium, & vt ait Hesiodus, virorum laboribus quæsita sibi insumit: huc enim spectat illud *Alciati. emb. 92.*

Fœmina iners animal, facili congesta marito,
Lucra rapit, mundum prodigit inque suum.

Hos tamen mẽdacij coarguunt Doctores scribentes in Dominica Paschatis, quod solæ mulieres, & numero tres valde mane, cũ aromatibus vt Iesum Christũ vngerent, ad monumentum pergunt, latitant Apostoli, negligunt Discipuli, uel timore perculsi, vel ignauia remissi, vel etiam incredulitate aueisi, de Christo iam sepulto minus solliciti, solæ mulieres piæ, ac religiosæ, in officio persistunt, diligentiæ, ac labori non parcunt, offensionem non timent, &c. Cui sententię subscribere videtur. *Salom. Prouerb. cap. 31.* dum strenuarum mulierum excellentias describẽs, ait, quod coniugata mulier, quæsiuit lanã, & linum, & operata est cõsilio manuum suarum, facta est quasi nauis institoris de longe portans panem suum, de nocte surrexit, deditque prædam domesticis suis, & cibaria ancillis suis; & subdit, cõsiderauit semitas domus suæ, & panem otiosa non comedit, vt prosequitur. *Lud. de Ponte. de christiana perfect. p. 2. tract. 5. cap. 11. §. 1.*

QVAESTIO CXXIV.

QVOT, ET QVAENAM SINT acediæ filiæ.

QVot & quæ sunt acediæ filiæ, & quomodo vnaquæque earum sit peccatum? R. Merito peccatum istud acediæ inter capitalia vitia numeratur, tanquam id, ex quo alia peccata oriantur, nam auctore *Philosopho lib. 8. Ethicorum cap. 6.* Nemo diù permanere potest in tristitia sine delectatione; itaque qui tristitia vexantur, pręterea aliquid aliud faciunt, vt aliquam delectationem quærant, qua ipsam tristitiam pellant, vel ut tristitiæ causas remoueant, aut conuenienter ipsi agant, & quasi ei satisfaciant: siquidem tristitia est animi dolor

dolor ob eas res, quæ contra nostram voluntatem eueniunt, ex qua prouenit, vt homines volūtati suę addicti; quibus propterea vix satisfieri potest, huiusmodi prauo affectui sint obnoxij, cuius causa tùm sibi metipsis, tùm alijs graues, & intolerabiles sunt. Quò fit vt cor ipsum debilitet, alas frangat, & hominem ad suis officijs, & obligationibus satisfaciendum ineptū reddat; nam sicut delectatio opera perficit; ita è cōtra tristitia multos in eisdem defectus admittit. Imò sęua bestia tristitia quid in homine non facit? graues quippe morbos ob desiccatos spiritus, & turbidos animi motus inuehit, & tandem tetram mortem adducit; *Celius Rhodig. l. 29. ant. lect. cap. 8.* refert Aristotelem in Chalcide Euripi septies die, ac nocte reciprocantis, naturam admiratum, causas altius secum librātem, cum minus voti compos euaderet, animi ægritudine morbum contraxisse, ex quo amplius non conualuit. At sunt qui prodant, in fretum se pręcipitē dedisse, hincq; natum elogium, Quoniam Aristoteles non cæpit Euripum, Euripus cæpit Aristotelem: ita vt verum sit, quod admonuit Sapiēs. *Eccles. capit. 30.* Tristitiam longe repelle à te, multos enim occidit tristitia, & non est vtilitas in illa. Proinde attentiori studio fugare eam oportet, dando operā, ne propriæ voluntati valde constricti simus, sed eam cum diuina in omnibus coniungamus. Nec enim mētitus est sapiens, qui dixit. *Prouerb. cap. 12.* Non contristabit iustum, quidquid ei acciderit, quia nil ei cōtra votum euenit, quod in ipsum Deum transtulit. *D. Anton. p. 1. tit. 6. cap. 6. §. 1. Cassianus de Inst. renunt. l. 9. cap. 2. Roder. de perfect. relig. p. 2. tr. 6. cap. 4. Instin. in Tob. cap. 3. vers. 1. doc. 2.* Septem ergo sunt acedię filię, malitia, rancor, pusillanimitas, desperatio, torpor, euagatio mentis, & negligētia, vt per *D. Thom. 22. quæst. 35. art. 5.*

QVAESTIO CXXV.

QVID SIT MALITIA PRIMA ACEDIAE filia, & quale peccatum.

Quid est malitia prima acediæ filia? R. Est quando quis propter tristitiam, quam quis in diuinis habet, adeo prauus, & malus efficitur, vt modicum vel nullius pretij spiritualia existimet, vel etiam impugnet: quaque ea non esse vellet, aut ipsum bene fecisse pœnitet, & impleuisse, quod facere tenebatur, vt ieiunium, peccatorum confessionem, &c. aut etiam ob quam Dei beneficium contemnit, cupiendo se non esse natum, aut Christum non cognouisse, & huiusmodi. Et quamuis malitia cōiter, & generaliter sumpta genus sit ad multa vitia relatū, sicut accipit. *Cassiod. super illud Psal. 40.* Anni corū sicut aranea meditabūtur, sic inquiens, Malignitatē vitæ nostræ similitudo declarat; Aranea est animal debile, ac tenuissimum, quod transeuntibus muscis quædam retia dolosa cōtexit; sic anni eorum, qui sceleratis operibus dediti sunt, inanibus, ac subdolis machinationibus occupātur: hic tamen pro speciali hoc effectu sumitur idest ipsorum spiritualium bonorū odio, & detestatione, vel saltem tædio, ac fastidio. Hæcq; est de se peccatum mortale, vt pote charitati contraria; qua nos metipsos propter Deū diligere debemus; erit vero venialis, si voluntatis consensus non ad sit, vel si ea, omittantur, quæ præcepta non sunt. Qua in re religiosi etiā viri peccare solent, cum Superioris exhortationem, verbi Dei auditionem, spiritualē lectionem, vel collationem auersantur. Hicque valet illud monitum. *D. Hieronymi. Epist. 1. ad Demet.* Sacram lectionem, aut concionem adhibe speculi vice, vt ibi vel ad imaginem suam animus respiciat, vt quæ fœda sunt, corrigat, & pulchra plus ornet. Et illa similitudo. *Clementis Alex. l. 1. strom.* Sicut pisces, qui in salso nascuntur, & nutriuntur, sale tamen ad condiendū indigent: ita religiosi in campo spiritualis doctrinę educati, eadē doctrina opus habent diligenter audita, vt à vitiorum corruptione protegantur. Cum satis constet, ex humanæ fragilitatis conditione, duo potissimum mala ex originis peccato contracta, emanare; Alterum est ingens imbecillitas, ob quam in loco etiam ualde lubrico, sæpissime in culpas labimur; & quod periculosius est, animus noster in spiritualibus morbis dignoscendis, tantis tenebris circumfunditur, vt aliquando turpiter iaceat; & tamen se stare, vel bene ualere credat. Alterum est, quia sicut mortalis vitæ proprium est, sensim ad interitum tendere, & senescere; ita quoque in vita spirituali tepescimus, & quasi senescimus, nisi sæpius in spiritu renouemur, ut docet *D. Gregor. l. 25. mor. cap. 6.*

Ad hoc vitium pertinet, cum quis ex morte alicuius amici, vel consanguinei, ita tristatur, ac mœrore corripitur, vt bonū necessarium, & præceptum dimittat, ut confiteri, sacrum audire, &c. Illa enim tristitia, quæ rectæ rationis limites excedit, haud vmquā esse tristandum, docuit Sapiens. *Eccl. c. 38.* Ne dederis in tristitia cor tuum, sed repelle eam à te. Et *Prouerb. c. 12.* Non contristabit iustum quidquid ei acciderit, siue diuinitus malū inflictum sit, siue ab hominibus intentatum, ita vt si aliquo modo propter carnis infirmitatem turbetur, nō tamen cōturbetur; sicut Ethnicus quidam mundi sapiens de se iactabat, quod horrendum quendam & subterraneum specū pertransiens, moueretur quidem, sed non commoueretur. Si autem anxietas, uel tristitia circa primum, uel secundum tantum rationis motū uersetur, humana tentatio est, ac vel nullam, uel solam uenialem culpam secum affert, ut ait

D. Anton. p. 2. tit. 9. c. 2. §. 1. Ad leuandas ærumnas Diuina prouidentia cõsideranda, & agnoscẽda est exemplo Iobi, qui & si videret vno ictu septẽ filios, & tres filias sibi à morte abreptos, magna tamen animi resignatione dixit, Dominus, dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum. Qui dedit cõmodato, nõ ab dicauit à se domioium, ita ut cum uelit, suo iure repetere possit. *Pined. super Iob. cap. 1. Iustin. in Tob. c. 10. vers. 3. in docum. Lud. de Ponte. de perfect. p. 2. tract. 5. cap. 8. §. 1. D. Ant. p. 2. tit. 9. c. 1. Pereg. de tristitia. c. 3. Reginald. l. 17. cap. 109. Philiar. de officio sacerd. p. 1. lib. 4. cap. 6.*

CAP. XXIX.
QVÆSTIO CXXVI.

QVID SIT RANCOR, ET PVSILLANIMITAS, & quale peccatum.

QVid est rancor, pusillanimitas, & desperatio? R. Rãcor est, quo fastidit, & auersatur quis eos homines, ut Confessarios, Cõcionatores, & religiosos uiros; qui ad spiritualia amplectẽda inducunt: nam teste. *D. Aug. l. 9. confess.* Omnes amant veritatem lucentem, sed odiunt eam admonẽtem, & redarguentem. Et ut dicebat Menander, ut lippis, ac illis, quibus oculi dolent, molestus est lucis aspectus, gratæ aũt tenebræ; sic ueritas ingrata est stolidis, mendaciũ aurẽ suaue, & gratum. Hanc filiam nõ esse plusquam uenialem culpam, cõmunis est sententia, addita hac exceptione, nisi coniungatur cum odio, quo talibus hominibus notabile damnum optetur, aut nisi necessaria ad salutẽ omittantur, &c. Pusillanimitas est quando homo à spiritualibus bonis, ut sunt ardua se subducit, & quãdo ex animi prauitate se retrahit à magnis operibus, & honoribus suam potentiam non excedentibus; ut qui religionis statum, ad quam interius uocatur, amplecti detrectat; qui conditionẽ suam nesciens, & proprijs uiribus diffidens, officio concionandi, confessiones audiendi, docendi, uel prælegendi humeros submittere non audet, illud pro inani excusatione afferens. *Marci. capit. 16.* Quis re uoluet nobis lapidem ab ostio monumenti? cum tamen propter impedimenta uirtutum non debeamus ab earũ opere, & executione desistere, siquidem diuinæ gratiæ ope, ea semper facile tolluntur, quoties circa ea Deum consulimus, & in bono proposito persistimus. Nulla fere uirtus suo lapide caret, uel prauæ consuetudinis, uel tentationis internæ, aut à carne, seu à Diabolo, uel externæ aduersitatis, quã uirtutis hostes nobis excitant; sed hi omnes lapides à diuina gratia submouentur.

Hinc est ẽt, qđ seruus qui acceptã Dñi sui pecuniã fodit in terrã, nec ob pusillanimitatẽ in ea operatus est, ab ipso Dño punitur. *Matth. c. 25. & Luc. c. 19. ac à D. Greg. hom. 9. in Euãg.* improbatur dum ait, quod bene operãtes pro apportato lucro remunerat, seruum uero à bono opere torpentẽ damnat. Et Franciscus Picus Mirandulanus in uita Ioannis Pici pattui scribit, non longo post obitum Ioannis Pici tẽpore, ipsius spectrum Hieronymo Sauanarolæ apparuisse, eique dixisse, expiatorijs pœnis torqueri, eo quod non satis diligenter, & iœcunde talentum sibi à Deo creditum eruditionis, & ingenij multiplicasset; & quia nõ quanti par erat, internas Dei suggestiones fecisset, quæ ad hortabantur, honestos inchoatos labores non abrũpere, &c. *Mart. Delrius. l. 2. disq. mag. quæst. 26. sect. 5. Daur. tom. 3. flor. exemp. c. 6. tit. 22. exemp. 8. Tympius. in Theat. hist. v. ignaui pœna.* Sanè uanũ est inire de his quæ recta sunt consilia, si nullum sequatur opus, & desideria bona concipere, quæ inefficacia sint. Ridetur piger. *Prou. c. 13.* Vult & nõ vult piger, vult inefficaciter, sed feliũ indolẽ imitatur, qui libẽter pisces comederẽt, quos intra uas aquæ aspiciũt, sed immittere in aquam pedes nolunt. Ridetur quoque struthio, quod pennas similes pẽnis accipitris habeat, sed otiosas, sic illas agitãs, quasi uolatutus, ut tamẽ semper in terra hæreat.

Est uero pusillanimitas peccatum mortale quando à magnis rebus, quæ sunt de necessitate salutis retrahit, ut si quis ex timore post baptismum, pœnitentiam, uel communionem peccãdi, salutari ablui aqua, pœnitere, aut sacram synaxim sumere nollet; Vel si nimium sibi credẽs, & se abijciens, pastorale officium à Superiori sibi præceptum subire nolit; siue ea non addiscit, quæ sui status conditio exigit, & ad officium proprium administrandum necessaria sunt, &c. Quando uero ab alijs utilibus, quæ non sunt de necessitate salutis retrahit, uenialis est culpa, sed tamen circa spiritualia grauis, & periculosa: quandoquidem acedia mentem indutat, uisum obscurat, aurẽ obturat, & spiritualia damna procurat, constat enim desidiosos, ac acediosos detrimẽta corporalia, temporalia spiritualia, & æterna sibi fabricare. *D. Thomas. 22. quæst. 133. art. 1. D. Anton. p. 1. tit. 6. cap. 5. §. 1. Viguer. c. 6. §. 4. vers. 6 Lessius. lib. 3. cap. 2. dub. 3. num. 28. Berard. in summa. de acedia. num. 90. Berchor. in dict. in v. acedia. Nau. cap. 23. numer. 124. & sequenti. Io. à S. Gemin. de simil. libr. 5. cap. 2. Chauas. de perfecta prud. l. 2. cap. 4. §. 6* Porro de desperatione quid sit & quale peccatum, uide quæ dixi supra *tract. 3. cap. 2. q. 22.*

QVAESTIO CXXVII.

QVID SIT TORPOR, ET QVAENAM tepidi indicia, & signa.

QVid est torpor alia acediæ filiæ, & quænam tepidi indicia? R. Torpor importat remissionem

sionem quandam fetuoris, & tepiditatem in operando; nam & si peccandi timor nobis quidam stimulus sit, vt præcepta adimpleamus, accidia tamen cui otiosi as placer, facit, vt homo cum quodã torpore, pigritia, somnolentia, quæ Dei sunt, agat; qui quidem quoniam in magno salutis periculo versatur, ei Dominus comminãs ait, quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo. *Apoc. cap. 3. D. Bernard. serm. 6. de Ascens. Cassian. l. 14. cap. 2. 3. & 4. Bellarm. de gem. colum. l. 3. c. 11.* Hucque spectat. *D. Isid. sent. l. 9. c. 19.* pronunriatum, veracirer condemnamur, si per torporẽ, ea quæ bona sunt, agimus. Neque alia de causa Deus voluit esse incertã gratiæ suæ præsentiã, ac in bono perseuerantiã, nisi ad excutiendum torporem, incutiendum timorẽ, elationem vitandam, & humilitatem sectandam. Et quia hoc vitio nullum capitaliorem hostem habet homo, ideo in sciẽtia, & charitate proficere debet, cum enim à baptizato penitus ignorantia non tollatur, sicut nec concupiscentia, vel fomes ab eo aufertur, ex quib. duabus causis, ait. *D. Aug. in Ench. cap. 8.* omne peccatum committitur, siue dum non videmus quid agendum sit, siue etiam quod id videamus, cupiditate tamen prædominante viriliter non agimus; cum istis vitijs quotidie congrediendum est, ea debilitare, ac prosternere debemus, ac in interioris hominis nouitate, agendorum scilicet cognitione, & dilectione assidue nos vrgere. Ac propterea sapiẽs nos admonet, vt saluti nostræ studiosissime cõsulamus, cum ait. *Eccles. cap. 2.* Fili mi accedens ad seruitutem Dei, in timore sustine, & præpara animam tuam ad tentationem; quæ tentatio teste. *D. Bernardo. serm. 33. in cant.* in eo sita est, quod pro bonis, quæ non videmus, formidamus, quę inpræsentiarum sunt, aduersa tolerare. Quo plerumque fit, vt præ animi imbecillitate, ac torpore, ab incæpto resiliamus; ac proinde antiquus hostis verũ esse perspectum habens, quod à *D. Hilario super Psalm. 118.* proditum est, Difficile esse, ab vsitaris desinere, atque à familiaribus abstrahi, prorinus vt hominem spiritum salutis concepisse, ac peperisse videt, Ægyptiorum in modum, statim eum extinguere nititur.

Piorum etiam nullus est, qui molestissimam, ac tristissimam pugnam quæ est inter spiritum, & carnem in se ipso non experiatur, vt merito. *D. Gregor. Nazianz. in præcep. ad virg.* eleganter carnem remoram appellet, quod vt remora marinus pisciculus nauium cursum reprimit, ita ea etiam animam ad vitam studiose rendẽtem pro viribus remorari, atque inhibere soleat. *Billius. in Anthologia sacra. carm. 74.* Immitrit quandoque Angelus Satanæ, Deo permittente, menti serui Dei, rãtam obdurationem, cordis ariditatem, vt Cœlum ipsum esse æneum, & omnipotentis aures ad exaudiendũ obduratæ videantur, atque adeo tanto tædio afficiatur, vt omnia pietatis exercitia veluti ingentem cruciatum abhorreat, atque sic animi tristitia, dolore, acedia, tepiditate vexatus de pria salute pene diffidat. Verũ patientia opus est, quæ huiusmodi tentationibus aduersatur, erigenda, ac extẽtenda spes, & cogitandũ, breui (si nobis expediat) consolationem affuturam. Deus enim aliquando spirituales animi voluptates subtrahit, vt probet, an mensæ tantum, vel an crucis amici simus, scriptum est namque. *Prou. cap. 17.* Omni tempore diligit, qui amicus est, & frater in angustia comprobatur.

Indicia porro hominis tepidi hæc sunt præcipua. Primo, orare sine attentione, ac spiritus feruore; res diuinas sine animi sensu, affectu, ac fructu meditari, frigere in sacramentorum vsu, in concione, lectione, & de spiritualibus rebus collocutione, voti à se emissi pœnitere, ac boni superogationis tędere. Secundo, difficile se expedire à frequenti, & inutili congressione, ac colloquio; in omnes exteriores res, non hominum salutis procurandæ causa, sed tædij sui mitigandi ratione, se diffundere, propriam conscientiam nõ examinare, nec se inspicere, libere de alijs loqui, ac aliorum facta, dictaque obseruare, ac carpere. Tertio, si religiosus est, regularem disciplinam intolerabilem existimare, Maioribus, seu patribus spiritualibus, aut etiam legibus, quibus tenetur, cum fastidio, lente, ac inuite obedire; optare sibi ab hominibus honorem haberi, & ab illis se multum amari, hominum blãditijs, & assentationibus delectari, ad otiũ aspirare, idque purare suis laboribus deberi, &c.

Hunc vero torporẽ quo quis sæcularis suã salutẽ negligit, omittẽs ea facere, quæ ex pręcepto facere tenetur, cũ directe charitati aduersetur, dubiũ nõ est esse peccatũ mortale, à quo etiã non excusatur religiosus, qui illum à se excutere nõ curat, & spiritualis profectus impedimenta remouere negligit, ac contemnit, & firmiter proponit perfectionem non attingere, & de status sui electione, votorumque nuncupatione, cum periculo ea transgrediendi, ex tepiditate, & perseuerantiæ defectu, deliberate pęnitet. Proprerea B. Iustinianus dicere solebat, tria monacho opus esse, desiderio, moderatione, & gratia, per gratiã diuina auxilia intelligebat, adeo saluti, perfectionique consequendæ necessaria; per moderationẽ uirtutẽ discretionis actionibus omnibus modum danris; per desiderium feruorem animi, qui negligentiæ hostis vires auget, cor attollit, aduersarium debilitat, laborem temperat, mentem exhilarar, ad gratiam disponit, & Deo amabilem reddit: vis enim animi amor est. *Ber. Iust. in eius vita. cap. 9. & ipse. B. Laur. de casto connub. an. cap. 3. Tol. lib. 8. cap. 70. Nau. cap. 23. num. 125. Rossignol. de christ. perfect. discip. l. 2. cap. 19. Busseus. in verbo*

 tepidi-

tepiditas. Bisfeldius.in tract. de tentat. cap.7. Sanchez. de precept.l.4.c.12.n.2.& lib.6.cap.5.n.10.

QVAESTIO CXXVIII.

QVID SIT EVAGATIO MENTIS, & quale peccatum sit.

QVid est euagatio mẽtis, & quale peccatum? R. Est defectus attentionis, quę in rebus spiritualibus exequendis adhibenda est. Et hæc est de se venialis culpa, nisi cum ex præcepto aliquo huiusmodi attentio requiritur, vt in persoluendis horis canonicis, in audiẽdo sacro diebus festis, &c. In his.n. rebus in quib. illud vetus proloquiũ locũ hẽt, Hoc age, & cũ silẽtio aïaduerte, euagatio mortalis esset, si notabilis, ac culpabilis foret. Nõ parua.n. irreuerẽtia est, Principem aliquem non attendendo alloqui, & aliud lingua enũtiare, ac aliud in corde tenere. Cuius argumentum est quod refert, Surius *in vita B. Hermanni*, qui quadam nocte in choro vidit Angelos religiosis ore & corde psallentibus, thus adolere, & coram illis se inclinare, eos vero, qui distracta mente recitabant. quasi contemptim præterire; à nonnullis autem, quorum vita improba erat, non sine horroris indicio auerti. Hinc *D. Cyp. de orat. dom.* Quomodo te audiri à Deo postulas, cum tu te ipsum non audias, vis Deum memorem esse tui cum rogas, cum tu ipse tui memor non sis? &c. *Bassus. de offic. can. cap.6. Tol. l.8. c.70. Reg. lib.7. num.109. Suarez. tom.2. de relig. lib.3. cap.5.* Et dixi supra *tract. 4. cap. 5. quæst. 40.* Ad quem locum pro hac materia recurrendum est.

Ex hac etiã filia illud procedit, vt acediosi qui bona spiritualia refugiunt, ne ex illis molestia afficiantur, & tædium euitent, ad multas cogitationes illicitas animum conuertant, siquidem illo attestante,

Variam dant semper otia mentem.

Vnde fiunt vanitatum curiosi, circa illarum inquisitionem importuni, in bono proposito instabiles, numquam loco sconsistentes, gyriuagi, atque huc, & illud vagante, in proprijs, ac necessarijs rebus, ac negotijs obliuiosi. Quandoquidem obliuionem quatuor causæ in animum nostrum inducunt, nempe morbus, senectus, longitudo temporis, & secundum Iutistas à decem annorum spatio pręsumitur, & quarto loco incuria. Hinc *D. Aug. l. 11. de gen. ad lit. cap.30.* agens de præcepto primis parentibus imposito, ait, Obliuio præcepti maxime vnius, & tàm necessarij, ad maximam culpam damnabilis negligentiæ pertineret. Item *B. Iacobus. cap.1.* beatum eum appellat, qui nõ est factus euangelicæ legis obliuiosus auditor, sed operis factor, vt proinde obliuiosus auditor miser existimetur, quia ex obliuione negligentiæ, & acediæ filia, obseruationis omissio nascitur. *Climi de obed. gradu 4. D. Basilius. in Constit. monast. capit.7.& 8. Berard. de Acedia. numer.91. Io à S. Geminiano lib.5. de similit. cap.2. Nigro. in regul. comm. reg.4.*

CAP. XXX.

QVAESTIO CXXIX.

QVID SIT NEGLIGENTIA, ET QVALE peccatum.

QVid est negligentia, quam postremam acediæ filiã assignauimus, & quale peccatum? R. Est peccatum, quo voluntas est remissa ad eligendũ actum debitum, uel circunstantiam circa actum obseruari debitũ, cum.n. acedia sit tristitia de bono spirituali concepta, ideo negligentiã ad eligendum, & pigritiam ad faciendum, vel exequẽdum producit; siquidem sicut id quod nos delectat, diligenter facimus, propter quod ex Philosophi sententia, delectatio opus perficit; ita qđ nos contristat, negligenter, ac oscitanter agimus.

Quod, vt dixi, dupliciter fit, vel omnino, & in toto deficiendo, idest prætermittẽdo quod debet, puta non recitando diuinum officium, ad quod ex lege vel charitatis, vel iustitiæ quis tenetur, vel deficiendo quoad modum, aliquam scilicet actus circunstãntiam omittendo, puta non vt decet attẽte, & deuote horas persoluẽdo. Diligẽtia enim idem est quod solicitudo, quę in omni virtute requiritur. Vnde Iosaphat. Rex Iudæ. 2. *Paral. cap.19.* Sit, ait, timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite; & Cato animaduertens negligentiã semper infelicitatem comitem habere, dixit,

Diligentiam adhibe.

Hinc *Val. to.3. d.4. quæst.1. de prudentia. p.3.* existimans imperium esse præcipuum prudentiæ munus asserit cum solicitudine coniunctum esse, eamque non esse nisi celeritatem quandam in exequendo iuxta illud. *Arist. l.6. Eth. cap.9.* cito, & diligenter agenda esse quæ consultaueris. *Lessius.* etiam *lib. 2. de Iustitia. cap. 1. dub.3. num. 17.* disputans de tribus prudentiæ functionibus, bene consultare, bene iudicare & executionem præcipere, Debẽt, inquit, hi actus, vt bene fiant, fieri certo modo, nempe cum solicitudine, & diligentia; quam adeo necessariam prudentiæ docet, ut nemo prudens dicatur, qui debitam diligentiam in rebus agendis non adibeat. Videatur. *Sylv. v. negligentia. Nigron. in opusc. de dilig. spir. tract.8.*

Negligentiæ uitium in se & ex suo genere venialis tantum est culpa, nisi id negligatur quod ad salutem spectat, vel id ad quod quis sub mortali peccato obligatur, &c. vt si in die festo quis sacrum omittat, vel cum sit ignarus eorum, quæ ad suam

suam salutem spectant, concionem ex qua doceri possit omittit. *Barthol. ab Ang. in v. missa. dial.* 5. §. 775. Quod quidem assertum nedum ad leges diuinas, sed etiam humanas pertinet, contra nonnullos asserentes illum, qui leges positiuas ex negligẽtia, non ex contemptu violat, lethalem culpã non contrahere. *Berardac. n.* 91. *Sayrus. l.* 3. *cl. reg. c.* 6. *n.* 12.

Huc spectat negligentia non soluentium vota, legata pia, vel æs alienum, & cætera huiusmodi. Et quidem quod ad debitum creditoribus soluẽdum pertinet, id tantum nunc meminisse sufficiat, illud vel denegare, vel ex crassa negligentia magno creditorum dispendio solutionem differre, manifesta iniustitia, & graui culpa non carere. Est sane christiani viri, vt *D. Paulus ad Rom. cap.* 13. loquitur, nemini quidquam debere, nisi dilectionem. Imò ex veteri adagio, & celebrata Græcis sententia, Felix est, qui nihil debet: quid enim calamitosius, quàm toties erubescere, toties faciem perfricare, fugitare, latitare, mẽtiri, digito notati, numquam sui iuris esse? Vbi etiam hic incidenter notandum, debita ex iustitia omnib. votis, & pijs legatis esse preferenda, cum etiam hæreditatis bona ea dicantur, quę deducto ære alieno supersunt. *Sanch. de præcep. l.* 4. *c.* 15. *n.* 39. *Bonac. de leg. d* 4. *q.* 11. *p.* 4. §. 2. *n.* 16.

Hoc negligentiæ peccatum est petra scandali, & lapis offensionis, in quem multi mortalium impigunt, dum quæ ad eorum officium spectãt, ex desidia quadam facere prætermittunt, adeo vt licet multi satis accurate peccata in Deum, vel proximum admissa considerent, omissionum tamen facile obliuiscantur, vel eas non magni faciant, vt aduertit. *Bellarm. in tract. de art. mor. l.* 2. *c.* 10. tanta quippe obliuio, tantus sopor, tanta vecordia genus humanum vitio primæ præuaricationis oppressit. Hinc *Bellam. cons.* 40. plura cõtra negligẽtes cõgerens, dicit, quod Papa qui tenetur tueri iura. Rom. Eccles. sponsæ suæ, & ecclesiasticam iurisdictionem vsque ad sanguinis effusionem custodire, si hoc negligat, iram Dei super se prouocat. Et generaliter Tutor, Curator, Executor, Administrator, & alij ad aliqua officia deputati, si in muneribus suis obeundis negligẽtes sint, priuari, & remoueri possunt. *Rom. cons.* 80. & 362. *Tusch. v. negligẽtia concl.* 33. Sic etiam ex communi. *Mar. Anton. l.* 3. *var. resol. resol.* 24. resoluit, ciuitates, castra, & oppida, atque communitates, debere tenere itinera, & territoria tuta, ac secura, aliàs de furtis in eis admissis tenentur, & illata damna resarciendi obligationem subeunt; cũ vt ipse ex cõi DD. sentẽtia ait, ad conueniendum aliquem de negligentia satis sit, probare, quod teneretur, ac potuerit, & facere neglexerit.

Addo quod de hoc vitio exponi põt illud. *Vatis regij. Psal.* 118. Delicta iuuẽtutis meæ, & ignorãtias meas ne memineris, siquidem delictũ dicitur quasi derelictum, in quo omissionis peccatum notatur, & in quo actus bonus qui fieri debet, omittitur, vel circũstantia, quę in ipsomet bono actu seruãda est. Dicit autem Dauid, Delicta iuuentutis, &c. quia negligentiæ peccata in iuuentute, & adolescentia potissimum committi solent, tùm defectu experientiæ, quæ in ea parum viget, tùm propter ætatis feruorem lapsibus obnoxium, ita vt nec prudentiæ, nec iudicij sit compos, verum bonũ non agnoscat, nullam futuri temporis curam suscipiat, voluptates, ac turpitudines appetat, ac falsarum mundi voluptatũ illecebris delinita, in vitia præceps ruat. Hinc *Arist. in* 1. *Eth. cap.* 3. scripsit, iuuenes non esse aptos ad discendas morales disciplinas, quia nondum didicerunt rationis fræno affectiones comprimere, nec sibi persuadere possunt, vitia temperãtia, ac cõtinẽtia superari; ita vt hac ratione Iurisc õsulti delicta in hac florescenti ętate commissa, tanquam non certo adhuc iudicio firmata, mitius punienda esse responderint. *Tiraq. de tempore pænis causa.* 7. Sed tamen vt aduertit. *D. Anton p.* 2. *tit.* 9. *cap.* 4. §. 1. & *Genuens. in Man. Præl. cap.* 26. fere omnes homines præsertim qui publicis muneribus funguntur, & aliorum curam gerunt, hoc vitio, & hac pice inquinantur, vt omnes labotem declinent, & quod facere debent, ex negligentia omittant, &c. Quippe sæpenumero verentur Superiores, ne mœrore suos afficiant, ne offendant, ne à se alienent, ne querimoniæ subnascantur, ne pacata turbẽt; hinc conniuentiæ, & indulgentiæ, relaxationes, & christianæ disciplinæ neglectus, dum à recto, bonoque, & instituti regula se abduci patiuntur, & à paruis initijs ad maxima damna properatur, familiare in humanis malũ. Hos increpat Deus per *Isaiam. c.* 56. Speculatores eius cæci, canes muti nõ valentes latrare, &c. Vere *S. Ansel. ad Mon. Cist. cap.* 6. ait, Certissimum est, quod in multis experimento didicimus, quia in monasterio, vbi minima districte custodiuntur, ibi rigor monachorum inuiolabilis manet, ibi pax inter fratres, & in capitulo proclamationes conquiescunt. Vbi vero minimi excessus negliguntur, ibi totus ordo paulatim dissipatur, & destruitur, &c. Omnes discordiarum radices fouet tepiditas, ac negligẽtia in regularum obseruatione, & patua proprij profectus cura, vbi enim ignauia, & somnolẽtia præualet, statim dissensionum occasiones multiplicantur; siquidem propter hoc dixit Saluator. *Matth. cap.* 13. cum dormirent homines, venit inimicus, & superseminauit zizania in medio tritici; nam sicut lolium cum primum prodit, tritico simile est, ita dissidium in principio non ita apparet, eo quod religionis pallio, aut necessitatis alicuius, aut boni finis veste tegatur, cum autem crescit, laruam deponit, & ingentem stragem inuehit. *Lud. de Ponte tom.* 3. *tract.* 7. *cap.* 12.

QVAESTIO CXXX.

An Episcopus, vel Praelatus regularis mortaliter peccet, si ea qua muneris sui sunt omittat.

PEccat ne mortaliter Episcopus, vel Prælatus, tàm sæcularis, quàm regularis, si per negligentiam ea omittat, quæ ad munus suum explendum necessaria sunt? R. Celebris est doctrina. *Gloss. in c. ea quæ. ext. de offic. Archid.* negligētiam in re graui, lethalem reatum in Prælato, vel Pastore constituere, vt si animarum sibi creditarum curationem, visitationem, correctionē, & ecclesiæ immunitatem, & alia sibi incumbētia negligat, difficultates enim omnes Episcoporū recensere, nihil aliud est, quàm maris altitudinem emetiri, ait. *D. Chrisost. l. 6. de sacer.* Et *hom. 3. in Act. Apost.* Non arbitror, inquit, inter Episcopos multos esse, qui salui fiant, sed multo plures qui pereant, non tàm proprijs peccatis, quàm alienis, quæ non curauerūt. Quandoquidem sicut pędagogo, vel magistro, discipulos frequētantes Gymnasium videre non sufficit, sed prouentum scrutatur, rationem ab eis exigit, disciplinā eorum examinat, vt amplius proficiant; sic multo magis sollicitus esse debet Prælatus, quomodo diuinus cultus à clericis, & sanctimonialibus obeatur (hoc enim in sacris & religiosis collegijs accurate retento, ibi omnia & ad victum, & ad alios vsus neneſſaria, Deo prouidente, suppeditari aiebat Pius V.) Item in quos usus ecclesiastici fructus distribuantur, quæ piarum causarum ratio habeatur, quæ pauperum cura, quę vltimarum voluntatum executio; quam diligentiam patres familias in filijs recte instituendis, & quam cautionem in matrimonij fide non violanda adhibeant; quis festorū dierum cultus sit in populo, quomodo sanctæ ecclesiæ præcepta ab ancillis, plebeis, rusticisq; obseruentur: Item cætera ad salutem necessaria quomodo vniuersis tradātur, atque in his exerceantur, &c. Et quod de Epis, & Prælatis dicitur, eadem ratione de Parochis dicendum est, vt in dignoscendis ouibus suis summā curā adhibere debeant, quò ægrotas sanare, errantes reducere, & perditas recuperare queant, &c. vt mirum sit, si aliqui pastoralis laboris & coniunctatum obligationum ignari, rerū specie decepti, præpostero fine, sponte, ac temere munus illud affectēt, & procurent, ita ut aliqū locū habeat, qđ ait. *D. Greg. 1 p. Past. c. 1.* qđ sępe q̃ spiritualia pięcepta nō cognouerūt, cordis se medicos profiteri non metuunt. *Syl. in v. Præl. & v. negligentia. Card. Pal. in Arch. Bon. p. 1. c. 17. Tiraq. de Temp. pœnis. causa. 44. Genuens. in Mant. Past. c. 1. Bellar. de gemit. columb. l. 3. c. 5. Bassus. de Cur. anim. p. 1. c. 11.* Vide nostra *comment. de stat. p. 1. cap. 6. & 14.*

QVAESTIO CXXXI.

Quam culpam contrahant Prælati, & Principes correctionem subditorum omittentes, & quid de consiliarijs.

QVa culpa se obstringunt Episcopi, & Religionū Præfecti, qui Episcopali iurisdictione in suos subditos pollere dicuntur, si eosdem sibi subiectos non corrigunt? R. Et si correptionē omittere frequēter veniale peccatum sit; in Prælatis tamen, quorum strictior est obligatio subditos corripiendi, facile potest esse mortale, si ex negligentia, aut timore illam omittant. *cap. quamuis. ext. de reg. Iu.* Vnde etiā inter abusiones claustri DD. hanc vt præcipuam ponunt, Prętatum ad correctionem negligentem. *Vmbert. super reg. D. Aug. capie. 164. & D. Ant. p. 2 tit. 9. cap. 5. § 3.* Et eadem assertio est. *D. Aug. relati. in c. duo ista. 23. quæst. 4.* vbi multos refert, quibus hoc munus incūbit, vt Episcopus plebem corripere tenetur, Prætor prouinciam, pater familias domum, maritus vxorē, Confessarius pœnitentē, &c. Quia vero Prælatus duplicē personam sustinet, vnam vt particularis, alteram vt persona communis, triplici correctione potitur, nempe fraterna, vt alij subditi, iudiciali, vt quò ad forum externum errorum vindex, paterna, vt pater quod ad forum internum attinet, de qua prædictus loquitur canon. Imò non desunt, qui asserant, mortalem culpam religionū Superiores contrahere, qui religiosorum venialiter peccandi licentiam non compescunt, aut conniuent, notabilem regularum violationem non puniendo; quia cum religiosa vita sit virtutis exercitium ad perfectionem adducens, hęc protusa sic labendi audacia in detrimentum regularis discipilinę cedit, quam sartam tectam custodire tenentur. Quemadmodum parui sumptus (si sæpe fiant) rei familiaris quantumuis amplæ paulatim facultates exhauriunt; ita Legum, & Institutorum paruæ transgressiones, quæ sensim obrepunt, reipub. tàm sæcularis, quā ecclesiasticæ, & regularis neruos concidunt. Et vt leuis in principio itineris digressio fit magnus in fine error; ita minima legis transgressio si negligatur, fit tandem communitatis lues. Sapienter Hippocrates ait, Nihil contemne, nam nihil paruum est, pustulæ sæpe in peracutum morbum, res parui pōderis in grande discrimen migrant. *Io. Bapt. Lentius in obser. Polit. c. 104. Tymp. in spec. Boni. Mag. p. 2. signo. 52. Nig. de cura minim. par. 2. arg. 3. ax. 3.* Vnde ad Capita, & Præpositos religionum præcipue spectat officiū visitandi, & purgandi vineam suam, & omnibus viribus in reformationē incumbendi. Quod opus tàm necessarium si forte neglexerint, exactam Deo rationem reddent; & vtinam non rei fiant omnium pecca-

peccatorũ, quæ relaxatione durante, à sibi subditis perpetrantur, & omnium scandalorũ, quæ ob mala eorũ exempla christiana respub. patitur. *Bellar. de gemit. Colũb. l. 3. c. 6. Sot. in relect. de secreto membr. 2. q. 2. concl. 3. Bannes. 22. q. 33. art. 2. dub. 2. Vsual. in cand. aureo. p. 4. c. 4. n. 31. Molf. tr. 8. c. 8. num. 69. vt animaduertitur Comment. de cas. reser. p. 1. cap. 3. & de hum. vita stat. p. 1. cap. 22. obligat. 3.*

Tria quippe præcipua sunt Prælatorum munia. Primo, necessaria vitæ suppeditare, ac prouidere. Secũdo, subditorũ vitia inquirere, & super ipsorũ mores inuigilare, Tertio, crimina corrigere, ac pabulo exẽpli, & verbi pascere. *D. Ant. l. c.* Tria quoque sunt, quæ Prælato ad continendam ecclesiasticam, & regularem disciplinam necessaria sunt, quę se edoceri vates regius flagitabat, magno mentis effectu clamans. *Psalm.* 118. Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me. Vbi *D. Bernard. in sermonibus paruis.* Hæc sunt, inquir, quæ Pastori conueniunt, Bonitas attrahit, disciplina corripit, scientia pascit, bonitas amabilẽ, disciplina imitabilem, scientia docilem reddit. Impunitas teste eodem. *l. 3. de consid.* est incuriæ soboles, insolentię mater, impudentiæ radix, transgressionum nutrix. Et quod dicitur de ecclesiasticis Prælatis, eadem ratione de sæcularibus Magistratibus. Prætotibus, Iudicibus, & Vrbium Gubernatoribus dicendum est, qui de temporali gladio iudicant, nec enim dubium eorum negligentiam in officio obeundo, & pœnis à reis exigendis valde Deo displicere, iuxta illud, qđ scriptum est. *Deut. cap. 19.* Auferes malum, vt cæteri timorem habeãt. Et vt ait *Paulus de Castro Senecam allegans in l. 3. C. de Episc. aud.* Pinguior victima mactari Deo non potest, quàm scelerarus homo: quo etiã nomine Alexander Magnus furcæ honorem impendere solebat dicens, illam esse iustitiæ matrem. Proinde Homerus præclare Principes salutares vocat, eo quod pœnis reipub. salutem afferunt, qui ideo sceptra ferunt, vt improbos supplicio afficiant, ac bonos tueantur, & foueant. Vnde si delinquens est ipse reipub. noxius, nullus Iudex siue inferior, siue superior, tuta conscientia pœnam remittere potest, quia etiam si nulla pars læsa esset, quę clamaret, commune tamen bonum quod læditur, hoc nõ permittit, cum alijs ad similia perpetrãda animus adijciatur. *Graffius. l. 3. Decis. aur. cap. 6. num. 11. Sayr. in claui reg. l. 12. cap. 12. num. 3. Carbo. de pacif. inim. cap. 45.*

Ab hac quoq; lethali negligentiæ culpa immunes non sunt Cõsiliari Principũ, si loquãtur iñ placentia, & quę Dominorum palato arridẽt: nulla. n. re magis, tàm sęculares, q̃ ecclesiastici Principes indigent, quam fideli Consiliario, qui nõ timeat vera loqui, & q̃ magis formidet à Dei gratia excidere, q̃ ipsius Principis amicitiã amittere. Et quis est qui nesciat Cõsiliarios, aut qui audiẽdis cõfessionibus sunt, uera reticẽtes, aut falsa Principi suadẽtes, non tàm illum, quàm publicam rem, & se ipsos in præcipitium agere? Neq; Principes excusantur, quod ob Cõsiliariorum infidilitatem bene rempub. non administrẽt; pacem, & abundantiã in populis non procurent, reos non puniant, &c. quia diligenter inuestigare tenẽtur, quales sint quos ad consilium adhibent. *Io. Choc. in Thes. Polit. l. 3. cap. 13. Bellar. de gemit. Columb. l. 3. cap. 3. & 8. Palaot. de sac. Consist. Consult. par. 3. quæst. 5.*

CAP. XXXI.

QVAESTIO CXXXII.

Quae remedia adversus acediam adhibenda, & qua praxi uti debeat Confessarius.

QVæ remedia adhibere debet Confessarius, vt pœnitentem ab acediæ morbo liberet, & quæ praxis ab eo seruanda? R. Tria potissimum porriget antidora.

Primũ est oratio ad Deum fusa, ita docet. *D. August. in Psal. 106.* Agnosce, dicens, in illa tẽtatione tædij, cum adest, & exclama ad dominum, vt de necessitatibus tuis etiam hic te liberet. Sed quia Deus facientes adiuuat, orationi propriũ studium adiungendum est. Experimento namque probatum est, ait *Cassianus. l. 10. c. 25.* acediæ impugnationem, non declinando fugiendam, sed resistendo superandam. Vnde & *D. Bernard serm. 22. in cant. & serm. 3. de Ascens.* Cum te torpore, acedia, vel tædio affici sentis, noli propterea diffidere, aut desistere à studio spirituali, cum incæperis, tristitia implebit cor tuum, sed si perseueraueris, tristitia tua conuertetur in gaudium, &c. Ad quod tædium leuãdũ, si perseueret, cõsulẽdũ est, vt pęnitẽs exercitia muter, varietas namque delectat, iuxta illud,

Nunc lege, nunc ora, nunc cum feruore labora,
Sic eris hora breuis, sic labor ipse leuis.

Vide *Marulum. l. 3. exempl. cap. 9.* qui de B. M. V. alternatis exercitijs operam dantem loquitur, & *Daur. tom. 3. cap. 6. tit. 22. exemp. 1.* De iucunditate varietatis præter cuiusque sensum testem habemus Aristotelem. *1. rhet. l. 1. cap. 3.* dicentem, Com mutatio res est iucunda; nam commutari naturæ accommodarum est, quod enim semper idem est, in exuperantiam trãsit, & præsentem habitum corrumpit; unde bene dictum est, omnium rerum vicissitudo est iucunda.

Secundo proponendum, acediam omnium tentationum, ac fordium receptaculnm esse, in mille enim facinorum furias desidiosa mens discurrit, & in malis

in malis desiderijs est omnis otiosus. *cap. numquam de consf. dist.* 5. Quam breue sit huius vitæ tempus ad meritoria opera præstanda, ex quo tamen pendeat quidquid per omnẽ futuræ vitæ æternitatem sit sibi euenturum. Proinde sibi curæ sit formicæ more, quæ est laboris, & diligẽtię symbolum, in posterum sibi ipsi prospicere, ne in extremo iudicij die inanis reperiatur, nam iuxta Hesiodum,

Non æstas tibi semper erit, iam confice nidos.

D. Basil. hom. 9. in Exam. ouem impendentem hyememem præsentiẽtem pabulo se se ingurgitare tradit, velutque ad futuram egestatem viatica sibi comparare; hincque homines admoneri, vt huic vitæ non perdito quodam affectu addicti sint, & salutis studio, dum licet, per grata Deo bona opera inuigilẽt. Vt porro talia sint, quatuor conditiones exigunt. Primo, vt recta intentione idest propter Dei gloriã & salutem propriam comparandam fiant. Secũdo, in statu gratiæ perficiantur. Tertio, vt diligenter, non negligẽter voluntarie, & hilariter. *Hier. c.* 48. Quarto, vt perseueranter adimpleantur, quia

Finis non pugna coronat.

Considerare debere, quemlibet hominẽ in hoc vitę stadio ad laborandum, & operandum positum esse, & vnumquemq; in ea vocatione ambulare oportere, qua vocatus est, vt proinde statum illum peculiarem ad animæ suæ salutem tanquam agrum proprium sibi assignatum fideliter, seduloq; vsque ad vitæ terminum exerceat, sciens eum, qui partes suas non præstat, non solum maxime reipub. nocere, dum munia omnia quãtum in eo est, perturbat, sed etiam reum magni se criminis constituere, qui minime contentus eo ministerio videatur, quod ei diuina prouidentia commisit. Plures sunt, qui turbantur erga plurima, nec vnquam in eo vitæ statu cõquiescunt, vitæq; mutationẽ ex qualibet leui causa libẽter arripiunt, & stare loco nesciunt, ita vt vel ethnicus ille miratus sit, quidnã esset, qđ nemo sua contentus sorte laudet diuersa sequentes, &c. vt tetigimus. *sup. c.* 12. *q.* 58. *D. Ant.* 2. *p. tit.* 9. *c.* 2. §. 3.

Religiosis, ac clericis acediæ morbo laborantibus obijciendum, quod quò diutius ad solem iustitiæ accedunt, eò frigidiores existunt. Quò diuturniori tempore in loco spiritualis saginationis morantur, tanto macilentiores, & aridiores inueniũtur. Quod ibi tristes & acediosi sunt, ubi læti, & feruentes esse deberent, &c. *Peraldus. tom.* 2. *de acedia. claust. cap.* 17. Ecclesiastici considerare debent, se nõ ad inertiam, atque ignauiam, sed ad ecclesiasticæ militiæ labores uocatos esse; beneficia illis assignata fuisse, ut stipendij loco forent. *cap. fin. de resc. in* 6. ac proinde intelligerent, assidue laborandum, ac militandum, in sanctitate, ac iustitia Deo seruiendo, ecclesiasticis facultatibus recte utendo; beneficia enim maleficia fiũt his, qui illis abutuntur. Hinc uates regius *Psalm.* 104. Dedit illis labores gentium, & labores populorũ possederũt, ut custodiant iustificationes eius, & legem eius requirant. *Gisber. de vita. Eccles. c.* 63. Atque huc spectat exemplum religiosi illius, qui cum negligentissime vixisset, nullamq; animæ suæ curam habuisset, morbo tandẽ correptus à corpore migrauit, qui postmodum cum alterius vitæ pœnas acediosis præparatas in spiritu uidisset, à mortuis resurgens per 12. annorum pœnitentiam gehennæ sempiternam pœnam redemit, & perpetui Regni gloriã lucratus fuit, &c. *Clim. in scala Parad. grad.* 6. Quippe gratia, charitas, spiritus ardor, sensim tempore languescit, partim humanæ imbecillitatis, & mutabilitatis uitio, partim desidia, humanis affectibus, & sęculi uanitatib. exstinguitur; suscitandus autem est potissimum nouissimorum meditatione. Frater quidam ut est in uitis Patrum *dist.* 2. §. 103. à sene Achille rogauit, cur sedens in cella acediam pateretur? cui senex ait, quia nec dum uidisti requiẽ, quam speramus, nec tormenta, quę timemus.

Tertio, ut huic peccato hæ accõmodatæ pœnitentiæ assignentur,

Primo, ut aliquo hebdomadæ, aut mensis die, dum præsertim ab illo ignauo spiritu se oppugnari animaduertit, uirum aliquem doctum, probum, & religiosum inuisat, uel proprium Cõfessarium consulat, & illum audiat, quomodo occupari debeat, & exerceri.

Secundo, ei mandet, ut parcior sit in cibo, potu, & somno, ac uanis colloquijs, hæc enim huiusmodi uitium gignunt, &c.

Tertio, ut quotidie uesperi se examinet, an ea die otiosam uitam degerit, & pro qualibet hora, quam segniter trã segit, vultu in terram defixo, orationem Dominicam, & Angelicam salutationem recitet. Et quoties horam pulsari sentiet, apud se dicar, Memoresto rõnis, quã Deo de eadem hora redditurus es, &c. *Zecchius. de pænit. cap.* 18. *Forn. in Instit. Confess. tract.* 3. *cap.* 16. *Reginald. l.* 7. *n.* 36. Adde diuinæ præsentiæ considerationem; nam sicut nauis in medio mari posita, sæuisque iactata procellis, facile mergitur, nisi nauita eius incolumitati anchoræ pręsidio cõsulat: sic aĩa uarijs hinc inde ob acediæ uitium, curarum fluctibus agitata facile ad peccata dilabitur, nisi anchoram diuinæ præsentiæ in mente sua fixã retineat, qua firmiter posita, frustra undæ maris eã impellunt. Quare D. Catharinam Senensem in domesticis negotijs, ac molestijs à parentibus diù noctéque occupatã, cellulam in corde suo sibi fecisse Raymũdus eius Confessarius refert, in qua adeo constanter Deum collocauit, ut numquam uel minimum à Dei, ac sponsi sui cogitatione abduci posset. *Instit. in Tob. cap.* 1. *vers.* 13. *doc.* 1.

Hæc

Hæc de peccatorum capitalium natura, conditione, progenie, ac eorum remedijs annotasse sufficiat. Verum cum propter morum, ac pœnitentium diuersitatem, vnum non omnibus antidotum congruat, prudẽtis Cõfessarij erit, quid cuiq; expediat, iudicare, & salubre medicamẽtum adhibere, quod ex piorum librorum lectione, (quã familiarem habere debet) facile hauriet. Quę vero ipsos pœnitentes ad christianam perfectionem comparandam promouere possunt, colligere poterit, tum ex his, quæ supra ad hanc rem, selectiora eligendo, annotauimus, tùm etiam ex traditis per *Franciscum Arias. in tract. de perfect. a spirituali. Rossignol. de disciplina christ. perfect. Lud. de Ponte. de christiani hominis perfect. Mart. Forn. l.c. Reginald. in praxi fori pœnit. l. 2. de prudentia Confessarij, & multos alios.*

Illud nunc tantum animaduertisse satis sit, quò ad vitiorum expulsionem, animum tàm à Confessario, quàm à pœnitẽte non esse despondendũ, tradunt namque Philosophi, longo vsu, & consuetudine prauos habitus in hominum animis enasci, & paulatim repetitis actibus roborari, quos vbi radices altius egerint, difficile fit euellere; quod de virtutibus acquisitis etiam statuunt.

Sicut vero prauorum habituum tres sunt fontes, nempe concupiscentia, quam nemo mortalium sine singulari priuilegio euadere pôt, naturalis præterea cuiusque complexio, vel corporis constitutio, ac consuetudinis iam inolitæ vis, & improbitas; ita triplici modo eos etiam perpellimus, nempe diuina gratia, quæ omnibus eam nõ auersantibus præsto est; cessatione ab opere prauo; & tandem actibus contrarijs; dissuetudo namque habitum sensim tollit, & aduersis actionibus contrariæ affectiones conuelluntur. *D. August. l. 1. de serm. in monte. c. 15. & l. 9. confess. cap. 1.* Quod si arte sua Cõfessarius in vitijs pœnitentis euellendis proficere sibi non videtur, vel ipsemet pœnitẽs longa pugna certam victoriam non videt, recolendum est, quod vt ait. *D. Bernardus. ad Eug.* Cura à nobis exigitur, non curatio; & vnusquisq; sm̃ proprium laborem mercedẽ accipiet. Et vt quidã pius auctor admonet, Cogita si non proficis vitiũ expellendo, vel extenuando, proficis tamen meritũ tuis laboribus cumulando; & si vitia non extinguis, certe tamen in tui cognitione humiliaris, semp̃ pugnare, vicisse reputabitur, &c. Hinc *Cyprian. de mortal.* Quid aliud, inquit, in hoc mundo, quàm pugna aduersus Diabolum quotidie geritur? quàm aduersus iacula eius & tela conflictationibus assiduis dimicatur, &c. Et *D. Aug. serm. 1. de verb. Domini.* Quid est, ait, diù viuere, nisi diù torqueri? q̃d est aliud diù viuere, nisi malos dies malis diebus addere? Quare fieri minime potest, in hac mortali, & ærumnosa vita, vt quietem, & stabilitatem quis reperiat, quę in sua etiam quiete, vt *D. Hieron. Epist. 1. ad Heliod.* docet, maximam solet habere tempestatem.

Finis Tractatus Sexti.



TRA-

TRACTATVS VII.
DE ARTICVLIS CIRCA DECALOGI PRÆCEPTA.

Articuli, quæstiones, & casus, qui à Confessario, & subinde ab Examinatoribus super decem decalogi præcepta institui, & hauriri possunt. De primo præcepto. Cap. 1.

PRAENOTIONES, ET SVPPOSITA circa præcepta decalogi.



VT Confessarius rectè partes suas expleat, & pœnitens integrè, & perfectè sacramētali cōfessione animam suam expiet, sibi ob oculos ponere debet, huius sui iudicij (quod in sacramento pœnitentię exercet) formā, & rationem similē esse debere ei, quod in extremo iudicio seruabitur, cum omnes ad Christi tribunal, vt Apostolus loquitur, manifestabimur, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum. *2. ad Cor. 5.* Quod quidē significasse videtur *D. Ioannes in Apoc. c. 20.* cum ait, se vidisse sedes, & iudicium datum esse illis, qui super eas sederunt, librosque eorum apertos esse, & nominatim alium librum, qui erat liber vitæ, & ipsos mortuos iudicatos esse ex his, q̄ scripta erāt in libris sm̄ opera ipsorū. Per quos Iudices. *D. Aug. de Ciuit. Dei. l. 20. c. 14. & Lud. de P. p. 1. tr. 3. c. 6.* intelligunt Confessarios in Ecclesiæ tribunali sedentes, quò peccatorum causas iudicent, qui in hoc iudicio se ipsos reos, accusatores, & testes constituunt, vt culparū remissionem, & cōdonationem obtineant. Et per libros itidem significari ait, hominum conscientias, in quibus scriptum est, quidquid in totius vitæ decursu, cogitatione, verbo, & opere, admiserunt. Sed simul etiam subinde aperiendum esse librū vitæ, hoc est notitię, & cognitionis, quam Deus de omnibus rebus habet; siue librum legis, in quo ius continetur, iuxta q̄d homines iudicandi sunt. Siquidem liber diuinorum mandatorum aperietur, in quo quæcunque Deus iubet, ac prohibet, conscripta sunt, iure enim optimo hic liber vitæ dicitur, vt pote in quo illa comprehenduntur, quę ad æternā vitam nos cōducunt, & quæ eos oēs seruare oportet, qui ad illam destinari sunt, iuxta illud, Si uis ad vitam ingredi, serua mandata. *Matth. cap. 19. & Exodi. cap. 20.* quandoquidem,

Est legum seruanda fides, suprema potestas,
Quod mandat, fierique iubet, parere necesse est.

Hinc præcepta decalogi dicūtur à deca idest decē, & logos .i. sermo, quasi decem moraliū præceptorum sermo: dicūtur & decē chordę: de quib. *Dauid Psal. 32.* In psalterio Decachordo psallā tibi, quia ipsa mandata chordæ sunt, quas si bonorū actuum qualitate tangamus, salutare melos efficiunt, & ad Cœlorum regna perducunt. Cuius quidem denarij numeri melior ratio, quàm diuina voluntas reddi non potest; quia tamen rationi consentanea est, istam ad captum nostrum accōmodatam afferunt Theologi, sumptā ex eorūdem præceptorum fine, qui est homines, tàm quo ad Deum, quàm quo ad proximum erudire, vt cuique quod ei debetur reddamus. Vnde & *Reginald. lib. 4. num. 5.* ait, examen cōscientiæ esse discussionem actionum vitæ nostræ, in particulari facta earum cōparatione cum diuinis præceptis, vt ea corrigamus, quæ in illis mala esse deprehenderimus. Proinde omnes christiani qui ad discretionis annos peruenerunt, rationisque vsum adepti sint, sicut obseruare tenentur, ita hæc decalogi præcepta scire debent, non quidem eo ordine, ac verbis, quib. in Catechismo proponi solēt; sed quò ad illorum substantiam, idest quò ad iussa, aut in illis vetita, ita vt interrogati respondere ualeant, Deum esse colendum, non esse peierandum, nec furandum, &c. Quamuis valde rationi consentaneum sit, tenorem, & uerba, quibus cōcepta sunt, memoria tenere. Qua ratione in synodalibus constitutionibus aliquarum diæcesum præcipitur, vt nullus ad matrimonium contrahendum admittatur, qui christianam doctrinam ignorat, nec in baptismo susceptoris officio fungatur, qui orationem dominicam, Angelicam salutationem, Apostolorum symbolum, & decalogi præcepta prius memoriter non recitauerit. *Beia. p. 4. resp. cas. conf. casu. 1.*

Hęc namque decem pręcepta sunt veluti quoddam speculum, quod baptizato traditur, ut intueatur, an uitam suam ad Dei legem, & normam exigat. Et ut dixi, decalogus appellantur. i. enuntiatio decem uerborum, quia decem mādata, uel electas sententias continet, quibus Deus suam uolūtatem explicauit, & totius nouæ legis seriem duabus tabulis obtutibus nostris exhibitam absoluit, vt priori tabula ad pietatem, & propriæ religionis officia nos instrueret; altera ut quomodo erga proximum in humana societate nos gerere debeamus, pręscriberet. Iam uero duo ista pręceptorū gn̄a, ad quę oīa reuo-

reuocatur,clarum est,ita inter se diuidi,ut affirmatiua nempe primum,tertium, & quartum nos semper,sed non ad semper obligent,hoc est nos astringunt, Deum ex toto corde amare, & parentes honore afficere, non tamen continuaris temporibus, sed loco,& tempore statutis,siquidem ut ille ait

Omnia tempus habēt, cedunt sibi cuncta vicissim. Negatiua uero ut sunt secundum,quintum,& reliqua sequētia,ita nos semper & ad semper, ut DD. loquuntur,obligant,ut nullum tēporis momētum detur, in quo quæ in illis prohibentur, licita sint.

Porro horum præceptorum transgressionem cōmune placitum est, peccatum esse mortale,nisi defectus deliberationis,uel non plenus rōnis usus, uel materiæ paruitas transgressorem excuset. Sicut etiam inter omnes constar, hæc Dei mandata non esse obseruatu impossibilia, ipse enim Deus ad illa præstanda sua gratia uires præbet, nec semel iustificatos deserit,nisi ab eis prius deseratur, ut diffinit Conc.Trid.*sess.6.cap.11.& can.18.& prosequitur Bellarm.lib.4.de iustificat.cap.11.& Petrus Lorca. in 1.2.in tr. de gratia.disp.12.* Et indicauimus supra *tr.3.cap.3.q.36.* Atque huc spectant. D.Fulgentij uerba, cum ad Theodorum Senatorem sic scribit; Quia uiam mandatorum currere delectaris, non hoc tibi dat natura, sed gratia; nam & oculus sic factus est,ut uidere lumen possit, sed uidere nō potest, nisi se illi lumen infuderit, qđ ergo uidet oculus,beneficiū est luminis,quo si caruerit,cæcus manebit in tenebris, &c. *D. Thomas.12. quæst.100. art.3.& 9. Catechis.Rom.in 3.par. in præfat.decalogi.Nau.in Man.capit.11.num.1.& seq. Sayrus.in claui regia.lib.4.cap.2. Sanchez.lib.1. de præcept. cap.12.& seq.Molfes.tract.1.cap.3.*

QVAESTIO I.

QVOMODO CONFESSARIVS CIRCA præceptorum interrogationes se gerere debeat.

QVomodo Confessarius circa præceptorū intertogationes se geret? R.Quamuis præfatum cōscientiæ librū aperire præcipue ad ipsum pœnitentē spectet, à quo Cōfessarius,ut Iudex,notitiam,& informationem, ut dicunt,materiæ,de qua ferendum est iudicium, accipere debet, ad ipsum tamen Confessariū etiam pertinet, reum pœnitentem interrogationibus adiuuare; ex cuius responsis uberem, ac plenam rerum ab gestarum scientiam sibi cōparet.i.oīum peccatorū notitiam, quæ cogitatione,uerbo, & opere perpetrauit,quibus eius cōscientia inquinata,& onerata est. Vnde trina repetitio verborum mea culpa cum trina pectoris tunsione, in quo est sedes cordis, qua fideles cultores communiter in signum interioris cōtritionis vtuntur, ostendit veram,& seriam omnium peccatorum detestationem, nascentium vel ex concupiscentia carnis, vel ex concupiscentia oculorū, vel ex superbia vitæ,ex *1.Io.cap.2.* Quod est prouenire ex inordinato amore, vel voluptarū,vel diuitiarū, vel honorum,& peccatorū perpetratorum,vel cogitatione,vel verbo,vel opere,idq; vel cōtra Deum, vel contra se ipsum, seu etiam contra proximum. *Sot.in 4.dist.18. quæst.2.art.4. Lud.de Ponte.p 4. tract.5.cap.5.§.1.Reginald.l.2.num.98.*

Et pro prudenti praxi, Primo eum in memoria habere oportet breue, & ordine dispositum interrogatoriū de speciebus,& circunstantijs peccatorum, quæ cōmuniter in singulis decalogi præceptis contingere solent; ita vt sub sexto,& septimo mandato breuioris, & facilioris methodi causa nonum, & decimū cōprehēdat,& de his sigillatim interroget.

Ad quæ ecclesiæ præcepta,& reliquæ cuiusque status obligationes facile reduci possunt. Siquidem quæ à se cogitata,dicta,perpetrata, aut omissa pœnitens, vel Confessarius iudicare debeat esse peccata,intelligitur facta eorū comparatione, tùm cum præceptis his,quæ omnium christianorū communia sunt;tùm ex his, quæ diuersorum statuum sunt propria. Secundo,dum ordine pœnitētem interrogat, nō morari debet in vestibulo multa rogitans, quæ opportunius inter mandata quæruntur, vt de statu peccati, de proxima delinquendi occasione,& huiusmodi: satis est,vt ante præcepta paucas præambulas interrogationes præmittat,de quibus dictū est sup. *tr 5.c.11.q.70.& seqq.* Deinde in singulis decalogi præceptis breuiter speciem generalem inquirere debet, quam si pœnitens neget, ad specialia descēdere non oportet, vt si numquā turpi cōsensu,aut impudico sui cōtactu sauciatus fuit, longe ab obscœno opere abesse credendum est, & tamen rudiores cogitationis,& consensus peccata reticentes, interdum solum operis peccata cōfitentur, &c. Proinde ipse spiritualis medicus dum per præcepta decalogi discurrēs ad sextum præceptum nō mœchaberis peruenit, hanc praxim seruare debet,vt primum à pœnitente petat, num opere, aut voluntate aliquod turpe peccatum admiserit,sique neget,& res se aliter habere videatur,nempe statu, & conditione pœnitentis spectata,subinde interroget, nùm aliqua rerum carnalium cogitatione delectatus sit,quo fatente,decēdus erit,peccatū mortale,si delectatio morosa,& voluntaria fuerit, ibi commissum fuisse,& tàm de numero,quàm de specie.i. de persona circa quam illa morosa delectatio versata fuerit inquirendū erit. *Henriq.de sacr.pœnil. 3.c.28.Molf.tr.7.c.22.Sayr.l.8 clauis reg.c.7 n.2.* Tertio,aduertere debet, non omnia quæ hic exprimuntur,lethalia esse peccata, sed tūc solum cū sunt huiusmodi, vt amorē Dei & proximi, religionem, aut

aut iustitiam in materia graui cum plena animaduersione lędunt, reliqua omnia venialia censentur, quod ex regulis à nobis superius traditis discernet Confessarius. *tract. 3. cap 3. quæst. 31.*

Nec est qđ propterea pœnitens sit anxius, cum ad confessionem accedit, satisfacit enim ipse peccatum pādendo eo modo quo gestum est, nihil interim occulrando: si enim hoc fecerit, nihil illi nocebit, quod putet esse lethale quod veniale erat, aut veniale fuisse, quod lethale erat (nisi conscientia erronea, quę ad lethalē culpā obliget, laboret, &c.) siquidem vtrumuis sit, illud coram Deo, eiusq; Vicario cū pœnitenti corde exponit. Et cum ipse pœnitēs dubitat de quibusdā an mortalia fuerint, &c. Confessarius intentionem absoluēdi ab omni grauitate, quam re ipsa inuoluunt, habere debet. Si tamen ipse anceps sit, an illa reseruata sint, extra casum necessitatis, non prius absolutio ab eo impendenda erit, quàm de veritate se certiorem faciat, ne actum nullum reddat, in excōmunicationem Summo Pontifici reseruatam per Decretum Clementis VIII. incidat, & æternis supplicijs se mancipet, vt per *Vgol. de off. Episcopi. p. 2. c. 37. §. 2.* Euidentis enim iuris est, ex peccatis quæ cōtra hæc decalogi præcepta committūtur, quædam grauiora, tùm à Summis Pontificibus, tùm ab Episcopis reseruari, vt proinde ab inferiorum sacerdotum iurisdictione subtrahantur, vt dixi *in Comment. de cas. reser. par. 1. cap. 1.*

QVAESTIO II.

QVID IN PRAXI CIRCA PRIMVM praeceptum Confessarius interrogare debeat.

QVid in actu practico Confessarius circa primum decalogi pręceptum interrogabit? R. Primum præceptum non est de diligendo Deo, nec de fide habenda, sed de summo cultu Deo exhibendo, qui ad religionis virtutem pertinet, & constat ex forma, qua hoc mandatū traditur, Exodi. *cap. 20.* Non habebis alios Deos coram me, cui cultui superstitio aduersatur. *Nau. cap. 11. num. 5. Azor. l. 8. Instit. mor. c. 1. q. 1. Sayr. l. 4. c. 3. Sanchez. l. 2. de pracep. in principio.* Quia tamen tribus virtutibus theologicis, nempe fide, spe, & charitate Deum colimus, ad hoc præceptum reducūtur quæ ad has tres virtutes spectant, vt attigi supra *tr. 3. c. 1. quæst. 12. & sequētibus.* Nihilominus quæ in praxi occurrere solent super hæc fidei & religionis capita, interrogare poterit, Primo, de hæresi vel fidei dubitatione. Secundo, de librorum ab ecclesia vetitorum lectione, vel retentione. Tertio, de sortilegijs, vel superstitionibus: nullum enim est hodie frequentius delictum ob impias hominū mentes, qui vt nefarijs suis cupiditatibus satisfaciant, non verentur grauissima hæc scelera, & quæ Dei lex acriter detestatur, perpetrare, vt ait. *Pegna. in 2. par. Direct. Inq. Comment. 67. & Graff. l. 2. decis. aur. c. 3. Tholosan. in syntag. Iu. l. 34. cap. 21.*

Qua in re cautius cū fęminis eum pcedere oportebit nam. *Plutarchus. in tract. de tranquil. animi.* inter muliebris animi ægritudines præcipue superstitionem ponit. Et *Fabius. l. 5. orat. Instit. cap. 10.* coniecturam argumenti à sexu sumi docens tradit, latrocinium facilius in viro, veneficium in fœmina præsumi. Quæ quidem præsumptio contra vetulas præsertim fœminas militat, siquidem anus superstitionis vitio deditæ esse tradūtur, quod vel ex hoc apparet, qđ Cicero pro domo sua anilem superstitionem vocat, quod etiam tradit. *Tiraq. lib. 9. Connub. num. 30. & Ioseph. Passius. de vitijs mul. Disc. 15. Germonius. in Act. Tarant. Eccles. l. 5. cap. 2.*

QVAESTIO III.

QVOMODO CVM POENITENTE in aliquam hæresim lapso se gerere debeat Confessarius?

QVomodo se geret cum pœnitente, qui confitetur in aliquam hæresim lapsum esse, vel de christiana fide hæsitasse, vt quia non credidit, seu dubitauit, animā esse immortalem, aliam post hanc vitam non dari, Christum in sacrosancto Eucharistiæ sacramento non contineri, & huiusmodi? R. Suppono, ad hoc, vt quis sit hæreticus, quatuor requiri. Primo, vt catholicam fidem professus sit, aliàs infidelis potius diceretur, prout sunt Iudæi, & Maumethani, &c. Secundo, vt erret in ijs, quæ ab ecclesia sunt determinata. Tertio, vt sit error in intellectu, vt in animo, & corde suo credat verum quod est falsum, & falsum quod est uerum. Quarto, vt sit pertinax non paratus suum iudicium ecclesiæ censuræ submittere.

Secūdo, à nobis supponitur, actus internos sīn se præcisè cōsideratos nō posse aliqua rōne pcipi, uel phiberi, & cōsequenter nō posse esse humanarum legū materiā, siquidē pęna non nisi pro illis infligitur, de quibus legislator iudicare debet, ecclesia autem non de occultis, sed tantum de manifestis iudicat. *c. erubescant. d. 32. c. tua. nos. ext. de simonia.* Ex quo necessario etiam cōficitur de peccatis mere interioribus reseruationem fieri non posse, nisi in opus externum, uel perse, uel per accidens exierint, quia hoc non in animarum commodum, sed sæpe in damnum, non in ædificationem, sed in destructionē cederet; multa enim inextricabilia dubia, & conscientiarum perturbatio, & confusio inde exut-

exurgeret. *Syl.in v.hæresis.Clarus.in praxi crim.in §.hæresis.Nau.cap.11.num.22.Val.22.disp.1.q.11.p.1.Graffius.l.2.cap.8.Azor.lib.8.cap.9.& seq.Sanchez.lib.2.capit.7.Leonard.Duard. in Comment.in Bulla Cœnæ Domini.can.1.quæst.20.Reginald.l.17.n.41.Menoch.l.5.de præsumpt.præsumpt.6.Chap.de cas.reser.p.2.c.1.Farin.de hæresi.q.178.§.1.Molfes.tract.11.cap.2.Riccius.resol.8.Bonac.d.1.de leg.q.1.puncto 5.Nald.in v.hæresis.num.9.*

His suppositis dico hæreticum mentalem, qui aliquid contra ecclesiæ diffinitionem credidit, vel voluntarie dubitauit, & si veri hæretici & formaliter, vt aiunt, notam subeat: nam vel dubius infideli, infidelis est, à quolibet tñ simplici sacerdote absolui posse, siverbo, vel signo aliquo, vel facto hęresim in mente latitantem non explicauit, cum ecclesiasticæ censuræ non subiaceat. Secus est si hæresim aliquo externo signo quãtumuis occulte, & nemine præsente prodiderit; quia tunc hæresis est vere externa, ac per se, ac suapte natura potest ecclesiæ constare, & solum per accidẽs occulta est, dummodo signum illud sufficienter internam hæresim prodat, ita vt si quis adesset, illam percipere posset, &c. In quo casu pro absolutione, ad fidei Censores pœnitens mittendus est, vel absoluendi facultas in foro conscientiæ, & pœnitentiæ, ab eisdem petenda. *Nau.in cap.cogitationis. de pœnit. dist.1. Bursat.ns.lib.1.cons.38. Azor.lib.8.cap.9.quæst.5.& cap.10.quæst.11.Simanchas.in Cathol.Instit. de absolut.tit.3.Pegna.in 2.par.ad Direct.Inquisit.c.1.Duar.in d.Bulla Cœnæ Domini.l.2.can.1.quæst.23.& seq.Rod.tom.2.qq.regul.quæst.81.artic.4. Sanchez d.l.2.de præcep.cap.12.n.5. Farinac.in tract.de hæresi.q.187.*

QVAESTIO IV.

AN QVI ACTV TANTVM EXTERNO REM fidei negat, vel ab ea recedit, absque errore in intellectu sit hæreticus, & pœna excommunicationis afficiatur, &c.

QVid sentiendum de eo, qui solum exterius rem fidei negat, aut ab ea omnino per apostasiam recedens, absque tamen errore intellectus, ad aliam sectam transit? R. Cum censuræ, & reliquæ pœnæ delictum aliquod afficientia non nisi ob delictum verum, & consummatũ cõtrahantur, sequitur, quemlibet Cõfessarium ab hoc (licet graui) peccato absoluere posse, tũ quia non est vere hæreticus, aut apostata; tùm & quia rõne solius excommunicationis reseruatur, at sola externa hæresis absque interno errore excommunicationi non subiacet. Secus autem est in externo foro iudicandum, in quo præsumptionibus statur; proinde qui huiusmodi delicta committunt, per ecclesiasticos Iudices reconciliari, & à censuris absolui solent. Siquidem leges humanæ tàm ciuiles, quàm canonicæ, in sola præsumptione fundatę, ad eas obseruandas illos nõ ligãt, qui de veritate in contrariũ certi sunt, cum præsumptio ad solum forum externum, & iudiciale pertineat, non autem in foro conscientiæ locum habeat, in quo tantum rei veritas attenditur, &c. Idemque de his dicẽdum est, qui aliqua hæreticalia verba protulerunt, & postea se ea ioco dixisse asserunt; nam eorum excusationes in foro interiori, non autem in exteriori iudicio admittuntur. *Menoch.l.c.Pegna.in 2.p.Direct.Inq.quæst.41. Comment.66.& p.3. comment.17. Tol.lib.4. cap.4. Azor.l.8.cap.9.quæst 10.Bannes.22.quæst.11. art.4. Suarez.tom.5.disput.4.sect. 2. num.22.& disp.21. sect.2.num.3. Sayr.in claui reg.l.4.cap.4.num.11. Val.d.p.1.l.essius.l.2.cap.43.dub.2.num.11. Auila. de cens.p.1.dub.11.in fine. Sanchez.l.c.cap.7.num.8. idem Suar.l.3.de legibus.c.23. Salas.eodem.tr.d.10. sect.4.Duard.l.c.quæst.20.& l.3.§.8.quæst.2.*quidquid contra dicere videatur. *Bonac.de sacramentis. disp.5.quæst.7.pun.5.§.9.num.primo.*

QVAESTIO V.

AN EPISCOPI, EORVM VICARII, Pœnitentiarij, &c. possint ab occulta hæresi absoluere, &c.

AN Episcopi; Vicarij, Pœnitentiarij, &c. possint in occulta hæresi absoluere; & an simplex Confessarius virtute Bullarum, & Priuilegiorum? vide supra *tract.5. cap.5.quæst.31. & seq & cap.6.quæst.35.* Vbi resoluimus ex communiori, & receptiori in praxi sententia, facultatem concessam Episcopis à Conc. Trid. *sess.24.de refor.cap.6.* vt ab hęresi occulta, & à casibus in Bulla Cœnæ Domini contentis absoluere valeant, per eandem Bullam reuocatam esse, vt inter alios tradit. *Azor.p.1.lib.8. cap.19.quæst.3.& cap.10.quæst.10.& Sanchez.lib.2. de præcept.cap.11.& cap.12. Duard in Bulla Cœna.l.3.§.2.quæst.11.& 12.num.47. Garzias.de benef.p.11. cap.10. num.109.& 115.* Item virtute Bullæ, aut Iubilei concedentis omnes casus Bullæ Cœnæ, nec exprimentis hæresim, hæreticum absolui non posse. Quinimo si aliqui Episcopi, vel Prælati regulares (quod Deus auertat) in hæresis labẽ incidissent, etiam si illa occulta esset, vi Conc. Trid. à delecto Confessore absolui non possent: tùm quia facultas illa Episcopis adempta est, tùm quia non verisimile est, vt hoc tam graue delictum per Pontificem cuiuis Confessario in vllo casu ab ipsis electo delegetur, vt resolutum est à *Coriol. de cas.reser.p.1. sect.2. artic.23.*

Ll QVAE-

QVAESTIO VI.

QVIS ABSOLVERE POSSIT REGVLARES in hæresis crimen lapsos.

QVis absoluere poterit regulares, qui in hæresis crimen lapsi fuerint? R. De quibuscunq; causis ad sanctæ Inquisitionis officium pertinentibus, licet olim aliquotum regularium Superioribus cognoscere, & absoluere quò ad sibi subditos integrum esset; nunc tamen est illis negatū, verum quò ad huiusmodi violatæ religionis causas omniū religiosorū Iudices ipsimet Inquisitores, seu locorum Ordinarij, quibus Inquisitionis officium commissum est, à Sede Apostolica constituti sunt. Proinde in actu practico religiosus occulto hæresis crimine irretitus, S. Inquisitionis Iudices adire debet, & per se, siue per aliū humiliter petere, vt detur sibi facultas, quò à prædicto crimine absolui possit. Hocque est ordinarium remedium, siquidem prædicti Inquisitores à Summo Pontifice, cui omnes regulares tanquam supremo capiti, & Generalissimo Præposito subijciuntur, in vtroque foro destinati, ac delegati sunt. *Azor. lib. 8. cap. 17. quæst. 12. Marta. de Iurisd. p. 4. cent. 2. casu. 158. Ghisler. de Iudice. regul. cap. 9. num. 10. Roder. tom. 2. qq. reg. q. 81. ar. 1. Mirand. in Man. Pral. tom. 2. quæst. 7. ar. 2. & 4. vt dixi in Comment. de hum. vit. stat. p. 1. cap. 8.*

CAP. II.

QVAESTIO VII.

QVID CONFESSARIVS OBSERVARE debeat, cum ex delegata facultate hæreticos in foro interiori recipit, & absoluit.

QVæ ratio vel forma obseruanda à Confessario, cum ex delegata facultate hæreticos in foro interiori recipit, & absoluit? R. Postquam pœnitens qualitatem hæresis, vel erroris, quem cōtumaciter credidit, in sacramētali cōfessione aperuit.

Primo, ipse hæreticus resipiscens suam hæresim alijs notā regulariter abiurasse prius debet, tùm vt ostēdat, nō ficte, sed sincere ad ecclesiā redire, tùm ēt ne facile in posterū in hæresim relabatur, est. n. abiurare solemniter hęreses detestari, cum assertione catholicæ veritatis, iuramento adhibito in christiana fide permanendi. *cap. Berengarius. de consf. dist. 2. & Pius. 4. in Bulla Incip. Iniunctum nobis.* Quę quidem abiuratio in externo foro facta in sacramentali etiam iudicio confirmanda erit, & à Confessario recipienda.

Secundo, facta abiuratione, quantū fieri potest, secundum formam à iure præscriptam, detur iuramentum de parendo mandatis ipsum absoluentis, & de satisfaciēdo pro offensione, per q̄ alios læsos esse constiterit, & vt denuntientur cōplices, &c. *Garzias. de benef. p. 11. cap. 10. num. 142.*

Tertio, interrogandus est quamdiù in hæresi manserit, quæ si v. g. Caluiniana sit, inde colligetur, quoties ecclesiastica præcepta de ieiunio, de annua confessione, sacrosanctæ Eucharistiæ sumptione, festorum obseruatione, & cultu impie violauerit, & se sacrilege contaminauerit.

Quarto, post legitimam confessionem factam, & sacramētalem impensam absolutionem, admonendus est, ecclesiasticis, & ciuilibus pœnis subiectum esse, nempe bonorum priuationi, manere irregularem, ordinum, & beneficiorum incapacem, nisi à Papa dispensationem petat, uel ab alio, cui ille dispēsandi potestatem commiserit; secus si abiurauerit non ob hæresim, sed solum ob leuem seu uehemētem suspicionem. *Farinac. de hæresi q. 192. num. 71.* Quæ qualis sit tradit. *Marc. Anton. Gen. in Praxi Neap. cap. 84. num 7. & Pegna. 2. p. quæst. 55.* Certe in irregularitate orta ex hæresi occulta, nec ad forum contentiosum deducta, Episcopum uirtute. *cap. liceat.* dispensare posse, affirmant nonnulli, ut *Vgol. de Irregularitate. cap. 36. num. 5. & Sanchez. d. l. 2. cap. 25 num. 15.* Sed quò ad eorum bona sunt à Confessario aduertendi, illis non nisi post Iudicis sententiam priuari, nec post eam teneri illa fisco adiudicare, nisi in ipsa sententia exprimatur. Item ipsorū resipiscentium bona alienari nō posse, quando sententia contra ipsos ferenda putaretur, nisi uitæ necessitas ad quotidianum uictum emendum urgeat, uel ille cui alienatio fit, de tali periculo admoneatur, &c. *Pegna in 3. par. ad Direct. Inq. quæst. 109. Farinac. in d. tract. de hæresi. quæst. 82. Sanchez. in opere mor. lib. 2. cap. 7. Reginald. lib. 17. num. 62. Duard. in Comment. Bulla Cœna Domini. lib. 2. can. 1. quæst. 27.*

(Quomodo vero, & quādo hereticus, uel de heresi suspectus sit denuntiandus, infra alio loco docebimus, cum de blasphemia dicemus.)

Admoneat insuper pœnitentē, ut in futurū pecca ta mortalia cane peius & angue caueat, nā pter alia mala, quæ inducūt, causa ēt sunt, ut hæreses oriantur, ut est præcipue inanis gloria, superbia, & luxuria. *Pegna. in 2. par. Direct. Inq. cap. 1. comment. 1.*

At aduertat Confessarius pro foro exteriori, qđ licet ecclesia redeuntibus, quò ad animā gremium non claudat, quod tamen ad temporalem pœnam attinet, hæreticus qui post abiurationem, iterum in hæresim incidit, curiæ sęculari puniendus traditur, & eius bona fisco adiudicantur. Item nouissime relapsum etiam dici, qui in præterito aliàs in fide non errauit, si negauerit Deum omnipotentē, trinum in personis, & unū in essentia, uel Iesum Christum non esse uerum Deum, uel non esse de Spiritu sancto

sancto conceptũ in utero B. M. V. vel eundem non esse pro salute nostra in cruce mortuum, vel B. Vir. M. non fuisse uirginem. Item qui eucharistiæ sacramento in sortilegijs abusus fuerit; & tãdem qui hęresim Principi suadere tentauerit: in huiusmodi enim casibus errans tanquam relapsus sæcularibus Iudicibus vltimo supplicio afficiẽdus committitur. *Tusch. in v. hæreticus. concl. 103. Simancas. in Cath. Instit. tit. 57. Gennens. in Praxi ecclesia. Neap. c. 84. Nald. in verbo hæresis. num. 7.*

Secundo obseruet, quò ad censuram, & vtrumque forum hæretici absolutionem inualidam esse, quam à Superiore fingens se conuersum obtinuit; siquidẽ absolutio inualida est, quoties ex falsa causa impetratur, qua cognita Superior absolutionis beneficium denegasset, cum intentio absoluẽdi per errorem deficiat, qui, ut notum est, inuoluntarium efficit. *l. si quis. §. non videntur. vbi Dec. & Cagnol. ff. de reg. Iu.* ac proinde sic absolutus ad ecclesiæ gremium non admittitur, nisi pœnitendo nouam & legitimam absolutionem obtineat, ut ex communi sentẽtia resoluit. *Suar. tom. 5. disp. 7. sect. 7. num. 12. Sayrus. de cens. l. 2. cap. 21. num. 26. Sanchez. l. 2. de præcep. cap. 12. num. 8. Bonacin. de legibus. disput. 1. quæst. 2. puncto. 2. num. 11.*

QVAESTIO VIII.

QVOMODO SE GERERE DEBEAT Confessarius cum eo, qui de fide à Diabolo tentatur.

QVuomodo se geret Confessarius cum eo, qui de hæresi tentatur, & cogitationibus christianæ fidei aduersantibus oppugnatur? R. Cum fides fundamentum salutis sit, & versipellis Dæmon perspectũ habeat, sublato base, nullum ædificium consistere posse, ipsam fidem de fidelium cordibus conuellere nititur, fides enim primum congressum in bello spirituali habere dicitur, iuxta illud,

Prima petit campum dubia sub sorte duelli
Pugnatura fides.

Et contra quam acrius quàm umquam in ultimo uitæ periodo à Diabolo oppugnatur, vt ait. *Perald. tom. 1. de fide cap. 4. & Nau. cap. 26. num. 34. & dixi in tr. de adiuuãdis Infir. p. 3. c. 1. & sup. tr. 3. c. 1. q. 12.* Vnde atrociter insurgit, dubitationes excitat, persuasiones affert, quibus animum circa fidei mysteria dubium reddat, præsertim erga augustissimum eucharistiæ sacramentum, nam cum ibi multa sint, quæ sensui repugnant, & contra rationem naturalem militate uidentur, facile hinc tentandi occasionem arripit, propterea rationibus cõtra fallacem hostem non est agendum, siquidem plura objicit, quàm vel doctissimus uir, si in naturali ratione persistamus, soluere & extricare ualeat; atq; sic in maximũ homo se discrimẽ conijceret. Vrgendum contra huiusmodi suggestionem animi constantia, & ei dicendum, Vade post me Satana, non sapis ea, quæ Dei sunt. Quare sanum cõsiliũ esse, & conuenientiorem has tentationes vincendi modum fore, eas prorsus cõtemnere, & habere se erga illas patientem, ac si nihil menti occurreret, docet. *D. Bonauent. opusc. de profectu. relig. cap. 3.* his verbis, Tentationes contra fidem, & de spiritu blasphemiæ, & similes, nec fugere possumus, nec repugnãdo vincere, quia quanto plus indignamur nobis metipsis, & disputamus cum eis, magis refricatur earum rabies, & accenduntur. Signum porro quod homo sic impugnatus dissentiat, & q̃d non modo minime pecet, sed magis mereatur, est quod in ipso conflictu vexatus ingenti pœna afficiatur, quasi odio habens errorem, catholicæ veritatis amantissimus, ut luculento exemplo ostendit. *D. Anton. p. 4. tit. 13. cap. 3. §. 3.* Hinc & si ex vulgato axiomate, Dubius in fide habeatur pro infideli. *cap. 1. ext. de hæret.* dubitatio tamen circa credibilia, ex subitanea, seu subreptitia tentatione proueniens, nec sapit hæresim, nec hæreticum constituit; quia frequenter nobis inuitis, & contra voluntatem nostram accedit. Imò qui se bene in fide confirmat, & talibus motibus resistit, multum meretur, & apud Deum lucratur, sicut ille qui carnis stimulis reluctatur, &c. secũdum *Ioannẽ And. & alios. scribentes in d. cap. 1. Simãcam. in Cath. Instit. tit. 28. Pegnam. in 2. p. Direct. Inq. Comment. 1. Graffium. l. 2. decis. aur. cap. 8. num. 12. Farinacium. innumeros referentem. in tract. de hæresi. quæst. 178. §. 4. num. 98.* Hinc DD. cõmuniter illam quò ad peccata generalem, ac certam regulam tradunt, vt hominis status animalus sit attẽdatur, qui enim religiose, ac pie uiuit, & æqui, bonique cultor est, & dubitat an peccato cogitationis consenserit, dicendum est numquam assensum præstitisse, & solum aliquis imperfectus actus, fortiter scilicet nõ resistendo, interuenisse potuit. At si homo malę, ac peruersæ cõscientiæ foret, qui solutis habenis, in peccata tàm mentis, quã operis labi solitus esset, in dubio consensisse pręsumentus est, &c. *Sanchez. de præcept. l. 7. cap. 1. num. 17. Bonac. de legibus. d. 2. quæst. 2. p. 3. num. 15. Reginald. lib. 15. num. 76. Binsfeld. de tentat. cap. 6.* Vbi etiam subijcit, Aduertant nouitij, & quicunque adhuc lacte indigent, & sibi per ignorãtiam opem ferre nequeunt, ne huiusmodi graues tentationes cuicunque imperito Confessario confiteantur, nam cum piæ aures blasphemias spiritus erga Deum, B. V. vel Sãctos horreant, statim magnitudinem peccati extolleret, & durius non attenta diabolica illusione, & hominis, qui talem tentationem passus est naturali conditione, confitentem argueret, & viam desperationi aperiret. *Vide infra tract. 7. c. 6. q. 25.*

CAP. II.

QVAESTIO IX.

QVOMODO CONFESSARIVS SE GERERE debeat cum legente vel retinente libros prohibitos.

QVomodo Confessarius circa pœnitentem legentem, seu apud se detinentē libros ab ecclesia damnatos, & prohibitos se gerere debet?

SVPPOSITA, PRAEVIAE INSPECTIONES, & prænotiones?

R. Antequã respōdeam suppono, quod non solum ueræ religionis cultores, sed ij etiam, qui peruersam, atque impiam religionem suscipiunt, noxios, ac perniciosos libros damnare solent. Plato Poetarum libros, qui de Dijs suis parum religiose loqui videbantur, repudiandos, & extirpandos. *libr. 7. de legibus* censuit. Et Prothagoræ libros in quibus de diuinitate male sentiebat, Athenienses in cōcione conbusserunt, sub præconis voce à singulis, qui illos habebant, inuestigātes, vt *Cicero. lib. 1. de nat. Deorum, & Lact. de ira Dei* authores sunt. Libri quoque religionis Numæ Pompilij à Prætore in Senatum delati, quia leues quasdam sacrorum causas continebant, ex Patrū authoritate concremati sunt, quia prisci illi viri quidquã in Ciuitate asseruari noluerunt, quo hominum animi à Deorum cultu auocarentur. teste Plutarcho *in Numa Pompilij vita.* Ex quibus omnibus, alijsque multis perspicuum est, sapientes viros iure quodam gentium, vt suspectam quique religionem tuerentur, reprobos libros damnasse, ac multo magis id fieri debuit à veram religionem colentibus, ne inexpiabiles cultus in nostram rempub. inducerentur, idque iure merito, nam si impiorum praua colloquia vitare debemus, multo magis eorum libros. Primo, quia ea quæ scribūtur, magis nocere possunt, cū premeditata sint, & fortiores neruos habeant. Secundo, qui legunt, vehementius insistunt, & plus veneni hauriunt, siquidem cum hæreticorum libri ab infecta radice proueniant, in legentiū animos aculeos relinquūt, eosdemque paulatim inficiunt, ita ut de illis illud Ouidianum dici possit,

Tristia sub dulci melle venena latent.

Tertio, semel emissum uerbum uolat irreuocabile, at scripta per multa sæcula durant, & posteros inficere possunt, nec unam Ciuitatē solum, sed totum regnū corrūpere, cū facile huc, & illuc trāsmittantur. Quamobrem ueluti quidā perēnes fontes habendi sunt perpetuum uirus scaturientes. *Pier. in hieroglyph. l. 38. Alphons. Castr. l. 2. de iusta hæret. punit. cap. 15. Simãcas. in Cath. Instit. tit. 38. Cenedus. in Collect. Iur. Can. collect. 8.*

Porro huius contagij non aliud remedium inueniri potest, nisi qua dignum est diligentia curetur, ne usquam locorum quouis idiomate, siue religionis, siue serij, siue ludicri libri imprimãtur, uendantur, importentur, legantur, habeanturue, nisi quos publica authoritate delecti cēsores ap̄pbarint, &c. Vt proinde extet. *Later. Concil. Decretum. sess. 10. & in synodo Tridentina* renouatū. *sess. 4.* verans, ne quis liber imprimatur, nisi per Episcopū, & Inquisitorem sit diligenter examinatus, qui contra fecerit, in sententiam excommunicationis incurrat, & libri publice ardeant. Et si regulares fuerint, præter huiusmodi approbationem, licentiam quoq; à suis Superioribus impetrare teneantur, recognitis per eos libris, iuxta formam suarum constitutionum.

Nec vllus liber excudatur, qui non in fronte, nomen, cognomen, & patriã præferat auctoris; quod si de auctore non constet, aut iustam aliquã ob causam tacito eius nomine, Episcopo, & Inquisitori liber edi posse videatur, nomē illius omnino describatur, qui librū examinarit, ac approbarit. Vt habetur in Indice librorum prohibitorū, & regulis confectis à *Tridentina synodo. & in Compend. Priuileg. Mend. in v. imprimere. vbi Sorbus. Rod. tom. 2. qq. regul. quæst. 104. Azor. p. 1. lib. 8. cap. 17. quæst. 1. Fuschns. l. 2. de visit. eccles. cap. 31. Pegna in 2. par. Direct. cap. 4. Comment. 3. Reginald. lib. 9. cap 9. c. 13. sect. 4. num. 256. Farinac. de hæresi. quæst. 179 § 4. Sanchez. in oper. mor. l. 2. c. 10. Duard. in Bull Cœn. Domini l. 2. can. 1. quæst. 34. & seq. Ant. Fernand. in Mor. theol. p. 4. cap. 11. §. 3.*

QVAESTIONIS RESOLVTIO.

HIs ergo sic suppositis, ad quæstionem respondendo, quid Cōfessarius agere debeat cum eo, qui legerit, aut habuerit libros, propter hereses, aut falsi dogmatis suspicionem damnatos, aut uetitos, dicimus, debere cum eo agere, ut cum excommunicatione irretito, qua pœna afficitur, et si hæreticorum libros non malo animo, sed ut eorum errores confutet, legat aut retineat. Aduertēdum tamen cōtra huiusmodi peccatum duplicem excommunicationē latam esse, unam in Indice librorum prohibitorum, quam Pius IV. in legentes, aut habētes cuiusuis authoris libros propter hæresim, aut falsi dogmatis suspicionem damnatos tulit; quæ quidem ipso facto incurritur, cum tamē nemini reseruetur, quiuis Confessarius absoluere potest.

Alteram uero haberi in Bulla Cœnę Domini S. Pontifici reseruatam; ad quam incurrendam tres cōditiones requiruntur. Primo est ex parte legētis, ut scien-

vt scienter, & cōsultò legat, siquidem vulgatum est tàm Theologorum, quàm Canonistarum axioma, ad incurrendas excommunicationes & ecclesiasticas pœnas scientiam, cōtumaciam, & præsumptionem requiri. Secundo authoris, ut is sit hæreticus. Tertio, ratione ipsius libri, ut hæresim cōtineat, uel de religione ex professo tractet, ut ij excludātur libri, quorum argumētum indifferens est, sed obiter nonnullæ hæreses in eis notantur. *Sayrus. de censl. 3. cap. 5. num. 15. Azor. lib. 8. cap. 16. quæst. 5. Reg. l. 9. n. 249. & alij cōtra Suar. Sanch. & Duar.* Ex communiori tamen sententia legens paucos uersus, ut decem lineas, uel ut alij uolunt, unam pagellam libri hæretici hæresim continentis, aut de religione tractantis, ab excōmunicatione in Bulla Cęnæ Domini contenta, & etiam Indicis excusaretur; cum in omni materia rei paucitas à mortali culpa eximat, per consequens à grauissima excōmunicationis pęna. Sed uir christanus, ac timens Deū, à quacūque etiā minima lectione abstinere debet; si tamen ex humana fragilitate, uel curiositate dictam paruam quātitatem legerit, in censurā illam incidisse facile condemnandus non est. *Duar. l. 1. can. 1. q. 46. Reginald. l. 9. num. 254.* ubi addit, sicut in furto paruitas materiæ à mortali non excusat, quando cū graui damno proximi fuerit; sic in hac re nō excusare, si adiunctum habeat notabile amittendæ fidei periculum, ad qđ declinandū talis lectio prohibetur.

QVAESTIO X.

AN LEGENS LIBROS VVLGARES de rebus sacris agentes, vel alios qui de rebus bonis moribus aduersantibus agunt p. m. in censuram aliquam incidat, &c.

QVid dicēdum de his, qui legunt, uel retinent libros alio nomine interdictos prætet hæresim, aut suspicionem de hæresi, ut Bibliam sacram, aut Euāgelia vulgari, vel materna lingua edita, aut alios res lasciuas ex professo tractātes, vel referētes, aut quoscunq; alios libros, in quib. de rebus agitur, quæ bonis moribus repugnant? R. Peccare mortaliter, & præter lethalis culpæ reatū Episcoporum iudicio seuere puniendos esse, nec prius peccatorum absolutionem obtinere posse, quàm prædictis libris Ordinario, vel Inquisitori redditis, vt habetur in *Indice lib. reg. 4. 6. & 7.* Addo, de iure naturali, sub eadem pœna, quemlibet abstinere debere à lectione librorū de rebus lasciuis agentium, etiam si prohibiti nō essent, si credat, aut credere debeat, se alicui morosæ delectationi consensurum. *Nan. cap. 23 num. 3. Duar. q. quæst. 34. num. 1. 2.* Hinc Lacedæmonij quorum respub. optime instituta erat, Archilochi Poetæ petulantissimi libros è ciuitate sua exportari iusserunt, qđ eorū lectionē bonis moribus perniciosam arbitrarētur, teste. *Val. Max. tit. de seuerit. l. 6. c. 3.* Vnde ne puerorū mores corrumpātur, à procacibus libris arcendi sunt, quales sunt multi Poetę Latini, & Hetrusci, & alij scriptores eiusdē farinæ. Medici, teste Plinio, vetant halicacabo vti, quamquam dentibus firmandis prosit, si eius succo colluantur, eo quod periculum subsit, ne si diutius id fiat, delirationem gignat, & plus incōmodi, quàm commodi afferat; ita ijs libris vtendum non est, qui & si linguam expoliunt, mores tamen inficiunt. A floribus marcidis apes abstinent: ita non tāgendus liber, qui putidis sententijs fœtet. *Francisc. Ambin. de Iuuen. discip. p. 1. c. 28. Tiraq. lib. 16. conn. n. 40.*

QVÆSTIO XI.

QVIS FACVLTATEM LEGENDI LIBROS prohibitos concedere valeat.

QVis facultatē legendi libros prohibitos concedere potē? R. Libros hæreticorum ex professo de religione tractantes, nec Episcopus, nec Inquisitor, imò nec Cardinalis Legatus dare possunt, cum hoc ad solum Pontificem spectet; alios vero libros alio nomine interdictos, legendi licentiam eis impertire licet, vt habetur in *2. regul. Ind. Farinac. quæst. 180. §. 1. num. 37. multos allegans. Duard. lib. 2. can. 1. quæst. 53. Reginald. lib. 9. num. 255. Megalus. l. 3. Instit. Confess. cap. 1. n. 57.* Addunt nō, Epm in casu magnæ necessitatis etiam quò ad libros hęreticorum primo modo damnatos facultatem date posse. Item eadem potestate gaudere ex Pontificio priuilegio multos religionum Prælatos, quibus etiam ad hæreticos impugnādos, cum consilio Consultorum suorum subditis illam concedere integrum est, &c. Atque idem asserit. *Alex. Pereg. in Compend. Priuileg. Cler. regul. in v. libri. prohibiti. & Duard. l. c. num. 11.*

Porro libros interdictos legendi facultatem habens potest ea vti etiam extra ditionem illam impertiētis; nam & is cui datur facultas peccata confitendi confiteri potest etiam extra diæcesim, & Parochiam concedentis. Et licentia soluendi ieiunium, & alia huiusmodi faciendi prodest etiam extra diæcesim, vel territoriū Superioris eam indulgentis, nam priuilegiatius regulariter priuilegio absolute concesso vti vbique potest, nisi de concedentis mente aliud constet. Atque ita de similibus moralibus casibus ex paritate rationis idem ferendum est iudicium. *Nauar. consil. 15. de Priuileg. Azor. p. 1. lib. 5. cap. 23. quæst. 6. Nald. in verbo. liber. num. 6. Bonacin. de legibus. disput. 1. quæst. 3. puncto. 5. & sequenti.*

QVAESTIO XII.

An quilibet propria authoritate possit libros prohibitos comburere, & castigare.

Potest ne quilibet propria authoritate libros hæreticorum omnino prohibitos, & damnatos igni tradere, vbi ad ipsum illi quomodocunque peruenerint, & libros castigatione indigentes expurgare? R. Primo dico, tales libros esse Epis, vel fidel Inquisitoribus tradendos, neq; sufficere, si quis per se ipsum illos comburat, extat enim Constitutio Pontificia Iulij III. *Incip. Cum meditatio.* quæ id prohibet. Quę quidem tunc locum habere intelligenda est, cum quis absque graui suo detrimēto, seu periculo id facere potest; & si existimē sic propria sponte cōburentem, censura Bullę Cœnæ Domini non irretiri, quia vere retinere non dicitur.

Secūdo dico, nec ꝓpria authoritate expūgi posse, quæ in libris deprauata sunt, nec enim permitti debent, nisi Episcoporum, & Inquisitorum consensu, Catholicorumque Theologorum consilio expurgati, vt per *Azor p. 1. lib. 8. cap. 16. q. 17. Pegnam. in 2. par. Direct. Inq. comment. 3. Sanchez l. 2. de præcept. cap. 10. nu 56.* Diximus autem Episcoporum & Inquisitorum cōsensu; siquidem hæresis crimen est ecclesiasticum, cuius ordinarius Iudex est Episcopus in sua diæcesi, delegatus vero Inquisitor. Vnde & processum, vt aiunt, contra hæreticos, & super libris prohibitis, licet Inquisitor ipse in diœcesi adsit, publicare potest, quia sacrum Concil. Trid. de Episcopis multū confidit, vt in decreto. *de edit. & vsu sac lib. sess. 4. & in Ind. lib. prohib. reg. 4. 9. &* 10. Collectos tamen libros prohibitos Ordinarius curare debet, vt Inquisitori exhibeantur, prout *S.* Card. Congreg. respōdisse refert. *Io. Franc. Leo. in Thes. fori eccles. p. 3. cap. 37. num. 11. & Piasecius. in praxi Episcopali. par. 2. cap. 3. tit. de haret.*

Et cum ea sit mortaliū natura, vt qđ vni exitiale est, alteri vtilitatem afferat, in permittēdis libris christiana cautela adhibenda est, vt sicut neq; omnibus concedi, ita neque omnibus negari debeant: quemadmodum enim acutus gladius à pueris aufertur, non quia ille malus sit, sed quia immoderate, & sine periculo nō vtuntur, ita aliqui libri etiam si in specie boni sint, ignaris subtrahuntur, ne suo ipsorum gladio perimantur. Refert. Historia. Trip. *l. 7. cap. 36.* & Gaudiosus. Florid. *in Explicat. Cath. p. 2. Explicat.* 50. B. Basilium semel cum Valente Imper. multa de diuinis scripturis verba facientem, cuidā Demosthenes nomine, super Imperiales epulas cōstituto, quia se se ingesserat, respondisse, Tuū esto Demosthenes de pulmentarijs cogitare, non diuina dogmata decoquere.

QVAESTIO XIII.

Quomodo se gerere debeat Confessarius cum eo, qui libros prohibitos domi, vel apud alios retinet.

Quomodo Confessarius se geret cum eo, qui absque Summi Pontificis, Episcopi, vel Inquisitoris assensu libros interdictos domi propriæ retinuit, seu apud alterum, cui illos suo nomine conseruandos dederit, &c? R. Eadem statuenda, quæ supra *quæst. 1.* annotata sunt, nempe ad incurrendam excommunicationem Bullæ Cœnæ Domini requiri, tùm vt scienter, nō ignoranter retineant, aut legant, tùm vt illi libri hæresim contineant, vel de religione ex instituto tractēt, tū demū vt illorū author hæreticus sit. Vt vero quis in excōmunicationem Indicis incidat, quę in legentes pariter, & seruantes statuitur, nemini tamen reseruatur, exigi vt authores librorum sint hæretici, vel vt libri sint propter hæresim, aut falsi dogmatis suspicionē damnati, nō tñ de his falsē ex professo agāt.

Vnde primi quoq; prçter excōicationem, quàm contrahunt, vt hæretici quò ad partem Bullæ Cœnæ Domini existimantur, etiam si dicant eos numquam legisse, adeo vt præsumptio ista sufficiens sit ad torturam indicium, dūmodo is apud quē huiusmodi libri reperti sint, malæ, ac perditę sit vitæ, aut aliàs de hæresi sit diffamatus. Cum tamē vt notum est, in foro cōscientiæ, & pœnitentiali, non pręsumptionibus, sed veritati adhęrendum sit, in praxi pœnitens de dolo, scientia, ac temeritate interrogandus erit, vt sciatur, an ad Inquisitorem pro absolutione excommunicationis Bullæ in Cœna Domini remittēdus sit, cui etiam vt liber consignetur, ad ipso Confessario curandum erit. Ipse autem Inquisitor admonetur, vt cum alicuius hæretici damnatus liber defertur, deferētem interrogēt, vnde eum habuerit, ne forte eo abusus fuerit, aut ab alio, qui prodi timet, mittatur, &c. Ita vt cū aromatarij, vel lanij libros vetitos ad inuoluenda obsonia, vel aromata retinere sub eadem excommunicationis pœna nequeant, ab his ēt sit inquirendū, per quas nam manus ad se peruenerint. Quò vero ad lectionē, vel retentionē aliorū librorū, q cēsura affecti nō sunt, sub lethalis tñ culpæ reatu ꝓhibiti sunt, pariter statuendū est, pœnitentē absolui non posse, si in futurū eos libros legere vel retinere velit, nec abstinendi propositum habeat. *Sayrus. lib. 3. de cens. cap. 5. numer. 12. Farinac. de hæresi. loco citato. numer. 33. Mascard. de Probat. tom. 1. concl. 862. Reginald. numer. 256. Duar. quæst. 51. num. 21. Pegna in 2. par. Direct. cap. 3. comment. 3. & alij communiter.*

QVAESTIO XIV.

AN CONFESSARIVS COGERE DEBEAT denuntiare pœnitentem scientem aliquem libros prohibitos apud se retinere, &c.

TEnetur ne Confessarius astringere pœnitentem scientē aliquem prohibitos libros apud se retinere, vt ad fidei Censores deferat? R. Teneri, siquidem regula generalis est, illum qui scit hæreticos aliquos esse, vel de hæresi suspectos, vel hæreticorū libros habere, siue superstitionibus hæresim manifestam sapientibus operam dare, seu propositiones hæreticas protulisse, sacræ Inquisitionis Iudicibus sub pęna peccati mortalis denūtiare debere, vt patet ex Bulla Sixti V. *Incip. Cœli, & terra Creator Deus*. quam contra astrologiam iudiciariam exercentes edidit. vt per *Farinac. de hæresi. q. 181. num. 57.* Cum enim, vt supra diximus, ex hæreticorum librorum detentione, quis valde de hæresi suspectus ex personæ cōditione censeatur, hinc fit, vt tùm ex iure, tùm ex fidei Cēsorum edictis, ad eos sit deferendus.

Quæ conclusio ampliatur, etiam si id occultum sit, nec sciens illud probare possit, cum hæretici, vel de hæresi saltē suspecti, fidei fauore sint denūtiandi, nisi ex illa denuntiatione (quod tamen vix contingere potest,) probabile periculum vitæ, honoris, bonorum, &c. ei immineret, tunc .n. à denunciando excusaretur, eo excepto casu, si esset hæreticus alios inficiens, & falsa dogmata docens; nam tunc etiam cum vitę periculò, ad deferendum astingendus esset, ex illo axiomate, quod bonum commune priuato præferendum est. *Sigismondus Scaccia. de Iudicio. cauf. Ciuil. Crim. & hæree. cap. 56. num. 4. Nan. con. 5. de hæret. Farinac. de hæresi. quæst. 197. §. 2. num. 36. Genuens. in praxi. Neap. cap. 23. num. 5. Molfes. tract. 7. cap. 24. num. 23. Burfatus. vol 4. cons. 344. Riccius. in praxi. crim. hæres. Decis. 1175. Naldus. in v. hæresis. num. 6.* Limitatur assertio quò ad libros, si sint versiones tantum ab hæreticis conscriptæ, modo nil contra sanam doctrinam contineant, vt in *reg. 3. Ind. librorum prohib.* Vel si sint libri prohibiti, nō ob hæresim, sed quia res obscęnas, non tamen ex professo tractent, vt in *reg. 7. de Ind.* Vel si sit Biblia tantum vulgari lingua conscripta: his enim, qui sine Episcopi, vel Inquisitoris facultate detinēt, prout peccati mortalis reis sacramentalis tantum, vt supra dixi, denegatur absolutio, vt in *d. Ind. reg. 4. Lęlius, Zecchius. in summa. Theolog. tit. de hæresi. cap. 11. num. 12. & alij communiter.*

Nec debet quis existimare, quod ob hoc ad violatæ religionis Iudices libros prohibitos detinentem deferendo, facti officij Inquisitionis vilis exploratoris notam subeat, & infamis delator vocetur. Primo namq; eius nomen, vt DD. publicis documētis annotarunt, secretum tenebitur, & perpetuo silentio comprimetur. Secundo, paruipendere quoque debet, ne maleuolus hac de causa dicatur, siquidem non est vllo modo maleuolus, nec inimicus, qui alterius crimen ex charitate indicat, quia indicando corrigere potest, & tacendo frater perire permittitur, vt ait. *D. August. relaeus in cap. non vos. 5. quæst. 5.* Tertio, diuini honoris zelo hoc faciēdo, nō mediocre ab ipsius Dei omnipotētis munifica manu præmium cōsequetur: quippe qui nullum bonum irremuneratum relinquit. Quarto, vinculum excōmunicationis, qua nil perniciosius, effugiet, cum violatæ religionis Iudices non reuelantes ea ferire soleāt; quib. & similibus rationibus Confessarij pœnitētes ad denuntiandum inducere debent, &c. *Lazar. in can. qq. p. 2. quæst. 12. Riccius. in 2. par. Decis. Decis. 137.*

CAP. III.

QVAESTIO XV.

QVOMODO CVM SORTILEGIS se gerere debeat Confessarius.

QVomodo se geret Cōfessarius circa tertium primi præcepti decalogi interrogationis caput, nempe cum ad eum accessit pœnitens, qui sortilegia, vel superstitiones, seu maleficia exercuit? R. Remittendo Confessarium ad ea, quæ dixi in *Commene. de casibus. reser. p. 2. cap. 2.* vt sufficientem cognitionem, & notitiam tàm theoricam, quàm practicam, quod ad hanc materiam spectat, hauriat: hæc breuiter tantum pro præsenti praxi annotasse sufficiet,

Primo, siue cum eo agendū sit, qui diuinatiuum sortilegium perpetrauerit, per qđ quis futura quædam præsentia, vel prærerita nobis ignota vaticinari conatur; siue amatorium, quod fit propter libidinosum amorem, & vt plurimum ad flectēdum pudicos animos ad impuram tàm mulierū, quàm virorum turpitudinem; siue maleficum, per quod diuersæ infirmitates, calamitates, & mortes, tàm in hominum, quàm brutorum corporibus fabricātur; si inquam, cum huiusmodi triplicis generis hominibus agendum sit, quia vix vnquā integram confessionē faciunt, idque Dæmoni impie promittunt, de hac re interrogādi sunt, & sacrilegæ omnes pręteritæ confessiones reperēdæ: deinde vt omnia peccata prodant, appositis rationibus, vt id velint efficaciter inducendi sunt.

Secūdo, interrogādi erunt, an ex aīo christianæ fidei renuntiauerint, nam tunc est apostasia, an in animo aliquid contra fidem crediderint, & tunc est hæ-

est hæresis; proinde examinãdi sunt, an putauerint Dæmones esse aliqua ado ratione dignos, aut Deo non permittente, aliquid agere posse, num post hãc vitam bonũ aliqđ ab eo se cõsecuturos sperauerint, nam si aliquid horum cum pertinacia crediderint, proculdubio in hæreticorum album referendi sunt, & in Bullã Cœnę Domini inciderunt. Interrogandi etiam sunt, an abusi fuerint rebus sacris, & sacrilegium admissum est; An Diabolum adorauerint, & idolatria cum hæresi, vt dixi, perpetrata est.

Tertio, quamdiù in hoc crimine hæserint, an aliquando pœnituerint, &c. propter varias, & interrũpras eiusdem criminis volitiones.

Quarto, an adhuc retineant libros, vel Diabolica scripta, seu alia malefica instrumenta, quia illis retentis absolui nequeunt.

Quinto, vtrum alios talia docuerint, aut seduxerint, quia absolutione digni non sunt, nisi quãtum in se est, & absque proprio graui damno & periculo id fieri potest, conuertere illos conentur, & si resipiscere noluerint, ad Superiores Magistratus deferant, etiam si, vt aliqui volunt, complices & participes in crimine sint. *Nau. cons. 5. de heret. Farinac. de heresi. quæst.* 197. §. 2. *num.* 25. Cõmunis tamen est opinio, à praxi recepta, neminem denuntiare teneri, quando per illam denunriarionem se ipsum proderet, cum hoc vel ipsi naturali legi repugnet; nisi tamen essemus in casu hęresis, vt pote quia falsa dogmata christianæ reipub. aduersantia in publicũ spargerentur, &c. tunc enim pro communi bono etiam propriam vitã, vt superius tactum est exponere teneretur. *Sot. lib. 5. de Iustitia, & iu. quæst. 1. art. 6. Simancas. in Cathol. Instit. tit. 29. num. 40. & 44. Sayrus. lib. 12. clau. regul. cap. 10. num. 18.*

QVAESTIO XVI.

AN CONFESSARIVS ASTRINGERE DEbeat pænitentem filiam vt veneficam matrem ad S. Inquisitionis officium deferat, &c.

QVædam puella scit pro Dæmonum inuocatione matrẽ suam rebus sacris abuti, puta quia ad sciendum furta, vel aliqua occulta, candelam, vel aquam benedictam adhibet; & sacra verba, vt Euãgelium, fidei symbolum, Orationem dominicam, Angelicam salutationem, vel aliquẽ Dauidicum Psalmum admiscet: Item pocula amatoria cuidam nobili, quem deperit, pręberc solere; Insuper ve nifica malesicia ad perdendam aliam fœminam, quam odio prosequitur, clam conficere, queritur, an à Cõfessario cogenda sit matrẽ ad violatæ religionis Iudices deferre? R. Quò ad primam quęstionis partẽ dico teneri eam denuntiare, siquidem cõstat, ea sortilegia manifestã hęresim sapere, & Inquisitorẽ posse de hoc crimine iudicare ob expressam, vel tacitã, quæ ibi interuenit Dæmonum inuocationem. Et filiam veneficam matrẽ ob commune christianæ fidei bonum deferre astringi. Et si enim pietas virtus sit homines ad parentes honore prosequẽdos, velut generationis, educationique suæ principia, & pp illos ad colẽdum insuper consanguineos, & patriã impellẽs: non dubium tñ est, quin si in catholicam religionem, vel in rempub. arma mouerint, sitque ad eorum impetus coercẽdos filij, vel filiæ opera necessaria, eis vim inferre debere, iubente repub. cum præceptum eos colẽdi ad huiusmodi casus non se extẽdat; concors est omnium sententia, vt per *Pegnam. p. 2. Direct. Inq. q. 4. comment. 67. Decianum. in tract. crim. lib. 5. cap. 17. vers. Item hereticus est. Farinac. de heresi. q.* 181. §. 1. *num. 15. Comit. lib. 4. resp. q. 8. Lazar. de blasphem. quæst. 12. num. 58. Chau. de prud. lib. 1. cap. 10.*

Quò ad secundam partem supponendũ est, nullam in his amatorijs sortilegijs reperiri virtutẽ ad compellendam liberam hominis voluntatem ad amandum, apta enim sunt potius ad inducendum furorem, quàm amorem, illo attestante, qui dixit,

Nec data profuerint pallentia philtra puellis,
Philtra nocent animis, vimque furoris habent.

Vnde etiam *Plutarchus. l. de precep. connub.* admonet, amorem veneficio comparatum, omni carere iucunditate, quod vim faciat, & mentem corrũpat, perinde, ac medicamento captus piscis illico saporem amittit, flaccescit, atque corrumpitur. *Menoch. lib. 2. de arbit. Iud. casu.* 358. *Tiraq. lib. 14. connub. num. 9. Riccius. in Praxi crim. heresis. Decis.* 672. *Tholos. lib. 34 cap. 12. Ioseph. Passus. de vitijs. mul. c. 15. Flamma. lib. 3. in annotat. ad vitam S. Equitij.*

Rursus id quoque animaduertendum, an in his poculis amatorijs admisceantur sacramenta, vt hostia consecrata, sanguis Christi; uel res sacramentales, aut aliter sacrę, vt reliquię martyrum, Agnus Dei, vel alia huiusmodi; nam si hæc interueniant, operantem de hæresi valde suspectum reddunt, & à Confessore in interno foro, ab Inquisitore vero in suo tribunali interrogandus est, quid de his sentiat: nã si hęc crediderit liberũ arbitriũ cogere posse, nõ modo de hæresi vehemẽter suspectus, sed vere hæreticus putandus erit, nisi per ignorantiam, vel simplicitatem, aut aliter ab hoc crimine excusetur.

Si vero amantes stimulis libidinis agitati Dæmones inuocãt, vt illi flectant animum illius, quem amant, in turpem amorem, licet communis videatur circumferri opinio, talem inuocationem non sapere manifestã hęresim, præsertim si per modum imperij fiat; verius tamen dicendum videtur, hoc scelus ad hæresim magnopere præsumendam pertinere, cum ridiculum sit dicere, quod Dæmones per modũ imperij inuocentur, ex quo non est super

tertam

terram potestas aliqua, sicut loquitur *Iob. cap.* 41. quæ potestati Dæmonum comparetur, Dæmonesque vt fatuos irrideant, atque decipiāt, se cogi fingant, vt proinde dicendum sit, hanc puellam à denuntiatione matris non excusari debere. *Simancas. in Cathol. instit. tit.* 30. *num.* 17. *quæst.* 81. §. 3. *n.* 88. Quò tamen ad forum exterius præ nimio ardētiorique amore delinquētem leuius puniendum I. C. diffinierunt, cum non ex animi sententia, sed furore concitatum delictum admisisse præsumant, nam amor est quædam furoris species, teste Platone in *Phædro*. Vnde *Oldrad. cons.* 210. quēdam Ioannem de Partimaco vt furiosum quodammodo excusat, qui vt quadam muliere potiretur, ad Dæmonis artes confugerat, vt etiam tradit. *Tiraq. de temp. pœnis. causa.* 4. *& idem Farinac. eodem tract. quæst.* 98. *causa.* 13. *& attigi supra tract.* 5. *cap.* 12. *quæst.* 80.

Quod ad tertiam quæstionis partem attinet, illa pariter videtur statuenda positio, sortilegia hæreticalia censenda esse, quæ fabricantur ad nocendum hominibus, animalibus, ac segetibus, cum hęc absque expressa Dæmonum inuocatione, & commercio fieri nō soleant, ac propterea filiam si sciat, matrem suam huiusmodi sortilegia conficere, in aliarum probationum defectu, ad eam denuntiandam teneri. *vt per Mart. Delrium. l.* 3. *disq. mag. p.* 1. *quæst.* 4. *Azor. p.* 1. *libr.* 9. *cap.* 25. *q.* 1. *Tol. lib.* 4. *cap.* 16. *Decian. in tract. crim. l.* 5. *cap.* 17. *Sayrum. in claui. reg. l.* 4. *cap.* 6. *Codronchium. de morbis veneficis. l.* 2. *cap.* 1. *& seq. Farinac. l. c.* §. 31. *Reginald. l.* 17. *num.* 177. *Molfes. tract.* 7. *cap.* 24. *& tract.* 11. *c.* 7. *n.* 188. *Iodocum. in thes. theol. in v. denuntiatio. Riccium.* 2. *par. Decis. Cur. Neap. Decis.* 137.

QVAESTIO XVII.

AN FILIA MATREM VENIFICAM ante fraternam correctionem denuntiare teneatur.

Quæritur, an ista puella filia antequā matrem suam hoc modo sortilegam denuntiet, teneatur fraternam correctionē præmittere? R. cum Superiores, & Prælati sub pœna excommunicationis aliquid reuelandum præcipiunt, siue præcepta generaliter ad omnes, siue ad aliquem specialiter referātur, illa sunt intelligēda regulariter saluo fraternæ correctionis, vel monitionis ordine. *Bannes.* 22. *q.* 35. *art.* 8. *dubit.* 2. *Sayr. lib.* 11. *clauis. reg. cap.* 4. *num.* 19. *& l.* 12. *c.* 14. *num.* 22. *Decianus. l. c. tom.* 1. *l.* 5. *cap.* 30. *num.* 1. *Nau. cons.* 10. *tit. de officio. ord. Rod. de ord. ind. cap.* 6. *Barth. Metina. l.* 1. *Instr. Confess. cap* 14. *Marc. Ant. Gen. in praxi. Neap. c.* 23. *num.* 4. *&* 7. *& Molfes. d. cap.* 7. *num.* 187. Vbi aiunt, mulieres & alias personas, quę ex simplicitate maleficia conficiunt, non esse denuntiandas, nisi prius monitæ fuerint, & si post admonitionem nō se correxerint ad Superiores religionis Censores deferri debere.

Nihilominus dico, si hæc matris crimina manifesta sint, correctionem necessariam non esse: esse item superuacuam, si occulta sint, nec melioris frugis spes vlla afferatur. Corrigendi vero erratorum maternorum spem inanem esse, hæc duo ostēdunt, Primum, quod Iudices, qui tot annos in has detestabiles fœminas toties animaduerterunt, testati sunt, de tot pene nullam resipuisse. Deinde quia filia puella est, & inferior, quare eius monitum facile contemneret, vel se excusaret, vel etiam grauiori ira ob eam rem mater excandesceret: & stultum videtur, eos qui ex malitia delinquūt, credere, priuati hominis inferioris admonitionem auscultaturos; quia. Acetum in nitro, qui cātat carmina cor di pessimo. *Prouerb. cap.* 25. sicut enim nitrum salis species si aceto perfundatur, crepitat, sic improbus admonitione fit deterior. Vnde legimus. *Eccles. c.* 32. Vbi non est auditus, ne effundas sermonem; & apud *Salust. in proœmio belli Iugur.* Frustra niti, neque aliud se defatigando, quam odium quærere, extremæ dementiæ est. Quod si res sit dubia, tutior pars christianæ reipub. vtilior eligēda est; si autem consulto cum Deo negotio, Confessarius videat, si ipsa puella denūtiet, aliquod probabile periculum in famæ, vel honore sibi imminere, ita vt postmodū honeste nubere difficile futurum sit, eidem Cōfessario integrum esset, petita & obtenta ea licentia, ipsam maleficam matrē ad superiores Magistratus deferre, &c. *Comitulus. in respons. mor. l.* 4. *q.* 7. *&* 8. *Zecchius. in summa. treolog. cap.* 11. *num.* 12. *Lazarius. de blasph. quæst.* 12. *num.* 38 *&* 65. *Mart. Delrius. l. c. lib.* 5. *sect.* 4. *num.* 6. *Pegna. Comment.* 18. *p.* 2. *Direct. Inq. Farinac. q.* 197. *n.* 39. *Azor. p.* 1. *l.* 8. *cap.* 19. *q.* 9. *Simancas. in cathol. Instit. tit.* 29. *n.* 44. *Mrgal. lib. Instit. Confess. cap.* 5. *num.* 31. *Zerula. in Praxi. pœnit. cap.* 22. *quæst.* 7.

CAP. IV.

QVAESTIO XVIII.

QVID CIRCA CONTRITIONEM SORTIlegi inducendam à Confessario obseruandum sit.

Quæritur quid Confessarius obseruare debeat circa contritionem sortilegi procurandam? R. Hoc opus, hic labor est, non ex parte Dei, qui illam iu momēto infundere potest, sed ex parte maleficorum, vel sortilegorū, quos ordinarie duo impedire solent, error & metus; error quidē, quoniam Diabolus laborat in persuadendo, vt in praua sen-

tentia

tentia persistant, & vsque in vitæ finem perseuerẽt, sic enim fore, vt ex huius vitæ miserijs migrãtes, in futuræ vitæ beatitudinem transferantur. Deinde, quia persuadet, impossibile esse ipsis ad Deum cõuerti, & peccatorum veniam cõsequi ob pactum secum initum, & Dei abnegationem, aliaque nefanda scelera, quibus se cõtaminarunt. Sic illos, vel illas dum vel spe lactat, & extollit, vel desperatione deijcit, semper obdurare conatur, vt nõ resipiscãt, nec deliquisse pœniteat. Hinc necesse est, vt Sacerdos in promptu hẽat sacræ scripturæ testimonia, Patrum sentẽtias, & omnis æui exempla, quibus probet, vtrobique Diabolum mentiri, nihil eorum, quæ iactando pollicetur, præstare posse, nec serio conuersos à Deo reijci, cum nolit mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur, & viuat. *Ezech. cap.* 18. Et ecclesia numquã claudat gremium redeūti. *l. inter claras. C. de summa. Trinit. & fide Cath.* Proponat Theophili Archidiaconi exẽplum, qui cum abnegata fide Dæmoni se obstrinxisset, Dei, & B. Mariæ Virginis ope serio resipuit, pœnituit, & ecclesiæ recõciliatus fuit, vt refert. *Canisius. l. 5. de B. V. c.* 20 *Pet. Damia. serm. 1 de natiu. B. V. Daur. to. 1. exẽpl. c. 2. tit. 39. exemplo.* 3. Quippe B. M. vocatur templum Domini, & sacrarium Spiritus sancti, & certum est tẽplum immunitatis, & securitatis locum esse, Hinc *D. Bernard. hom. 2. super missus. est. & D. Anton. 3. par. tit.* 3 1. *cap.* 4. Securũ accessum habes ad Deum ò homo, vbi mater stat ante filium, filius ante patrem, mater ostendit filio pectus, & vbera, & ideo nulla poterit esse repulsio, vbi tot sunt amoris insignia.

Metus quoque difficilem contritionem reddit, siquidem Dæmon multis molestijs eos afficere solet, qui à data sibi fide recedere volunt, subinde verbera infligit, mortem, & durissima quæq; minatur. Propterea Confessarij partes erunt, sortilegum ad Deum conuerti, & conteri volentem admonere, vt in fide cõstanter persistat, nullisque Dæmonis minis terreatur; nam debilis est hostis, qui non vincit nisi volentem, alligatus est tanquam innexus canis catenis, & neminem potest mordere, nisi eum, qui se illi mortifera securitate coniunxerit. *D. August. serm.* 197. *de temp. & de Ciuit. Dei. l. 2. c.* 23. *Marc. Mar. de relig. viuen. instit. l. 5. cap. 7. Horat. Tursell. in historia. Laur. lib. 4. cap* 33. Et tantum possunt Dæmones, quantum secreto Dei arbitrio permittuntur; nam nullum esset malum, quod non perpetrarent hostes, si quod eis liberet, concederet Deus. Sic licet incredibili arderet studio Nero Imperator magicas præstigias addiscendi, numquam tamen ipse Deus id ꝑmisit, licet Magos vndiq; ad hoc cõquisitos haberet, ne tanti tyranni sæuitia sæuissimorum etiam spirituum adminiculo iuuaretur. *Iustin. in Tob. cap. 6. vers.* 17.

QVAESTIO XIX.

QVOMODO AGERE DEBEAT CONFESsarius circa sortilegi absolutionem.

Quomodo se geret Confessarius circa sortilegi absolutionem? R. Primo, antequam eum absoluat videre debet, an absoluendi facultatem habeat; sortilegij namq; peccatum regulariter locorũ Ordinarijs reseruatur; sicut etiam in religiosis ordinibus ex præscripto Clementis VIII. reseruari solet, &c. Et si pœnitens errorem in intellectu habuerit, Pontificiam censuram subijt. Item cum pœnitentem, & dispositum agnoscere debet, siquidem peccati venia nõ datur nisi correcto. *cap. peccati. de reg. Iu. in* 6. Pœnitentis vero dispositio ex duobus cõsurgit, nempe ex dolore, & displicentia præteritorum, & proposito cauendi in futurum, Pœnitentiæ indicium, & argumentum esse nõnulli aiunt, si iste lachrymas emittat, suspiret, &c. Viuæ enim vitis signum est, si in tamo aliquo excisa humorem prodit. Et sicut literæ aqua delentur, sic lachrymæ Diaboli, & mortis chirographũ destruunt. Et quemadmodum lixiuium calidum pannorum maculas abstergit, sic feruens lachryma peccatorũ labes diluit. *Cassiod. super illud Psalm.* 41. Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes, &c. Cui tamẽ coniectutæ certæ innitẽdum non est, tùm quia nonnumquã ipsa doloris magnitudo lachrymas deficcet, ac plane exhauriat, tùm quia multi præ lætitia, & animi mollitie natura duce lugere solent. *Delrius. l. 3. cap. 1. sect.* 3. Sunt namq; tria lachrymarum genera, prout aliæ sunt naturales, aliæ malæ, & perniciosæ, aliæ bonæ, & salutares. Primæ sunt, quas communes mundi ærumnæ producunt, nihil enim sunt naturales lachrymæ, quàm modica aqua ex capite fluens, quæ tanquam excrementũ per canales oculorum ob aliquem affectum eliciuntur. Secundæ sunt, quas exprimũt vitia, astutia, hypocrisis, simulatio, & aliqñ Diabolus ipse, qui arte quadam olim efficiebat, vt monachi quidam quò magis comederent, & biberent, eo largius in precibus in fletũ diffluerẽt. Tertiæ lachrymæ sunt, quæ à Spiritu sancto tanquam à fonte ob peccatum in Deum admissum manant. *cap. Petrus de pœnit. dist.* 1.

Secundo, quærendum erit, an pœnitens aliquod pactum cum Dæmone inierit, quæ sint, quæ promiserit, an verbis tantum, an etiam scriptione. Et quia vafer hostis petere solet, Deum, Christum, eiusque sacramenta abnegari, sibi vero latriæ adorationem exhiberi, inuestigandum erit, an aliquem fidei errorem mente fouerit, v. g. quod Diabolus sit Deus, cui honor, & adoratio debeatur, quod sit omnipotẽs, & omniscius, qđ sacramẽta nil ad salutẽ prosint, vel potius ad cõficienda maleficia vim habeat, &c.

Si

Si quid enim huiusmodi perditi homines crediderint, hæretici sunt censendi, & ab hæresi, eiusque excommunicatione prius absoluendi. Si talem errorem in mente non habuerint, in foro conscientiæ quidquid sit de foro externo, ab hæresis labe immunes sunt, ac proinde absoluendi sicut hi, qui sacrilege deliquerunt, &c. *Farinac. de hæresi. q.* 191. *num.* 12. *Grillaud. in tract. de sortileg. quæst.* 9. *Bellar. de art. mor. l.* 1. *cap.* 11. Et licet, vt diximus, quando sortilegi ad pœnitentiã redeunt, pactum cum Dæmone initũ dissoluere, & à prioribus magijs, sortilegijs, & superstitionibus omninò recedere debeãt, nõ tamen opus est, vt Dæmon chirographum reddere cogatur; siquidem prior pactio pœnitentia criminis illius prorsus euanescit. Nihilominus si ipse sortilegus chirographum, vel illius transumptum apud se retineat, ad illud rumpendum, & cõburendum adigendus erit, posset enim esse occasio scandali, & offensionis. *vt per Simãcam. in Instit. Cath. tit.* 63. *num.* 13. *Suar. tom.* 1. *de relig. l.* 2. *cap.* 17. *n.* 4. *Sanchez. de præcept. lib.* 2. *cap.* 40. *num.* 53.

Tertio, oportet Confessarium attẽdere, an confitens in aliquam aliam ecclesiasticam cẽsuram inciderit; vt v.g. si maleficium, vel veneficium, alicui clerico, vel religiosæ personæ præbitũ sit, si alicuius fœminæ mors, vel fœtus animati interitus sit secutur, quia præter excõmunicationem, qua innodatus est, irregularitatis etiam labem contraxit. *cap. siquis. suadente Diabolo.* 17. *quæst.* 4. *Sixtus. V. in Bulla Incip. effrænatam. & Gregor.* 14. *Incip. Sedes Apostolica. Nau in cap. siquis. autem num.* 26. *de pœnit. dist.* 7. *Graffius. lib.* 2. *decis. aur. cap.* 63. *Sayrus. lib.* 3. *de cens. cap.* 35. *num.* 25. *Zerula in praxi Episcopali. in v. abortus. Sà in v. homicidium. n.* 3. *Quar. in summa Bull. v. abortus.*

Quarto, aduertere debet, qualia, & quot maleficia circa animas, corpora, res fortunæ, vel etiam circa famam patrarit, quia ad omnium damnorum restitutionẽ tenetur, quam obligationem ipsi malefici per mortis pœnam non euadunt, imò ad hæredes quatenus est realis, trãsit. *Delrius. lib.* 6. *disq. mag. cap.* 1. *sect.* 3.

Quinto, obseruandum erit, an maleficus teneat adhuc aliqua maleficia vspiam collocata, quæ nec dum aliquod damnum intulerint, vel adhuc res sit integra, ita vt damna auerti possint: quia licet maleficus, vel malefica, veneficium venefício tollere nequeat, nec cuiquam integrum sit rogare, vt illud hoc pacto auferat, licet tamẽ maleficij signum destruere, & vt illud destruatur, postulare, vt ex cõmuni sententia inter alios tradit. *Sanchez. in oper. mor. lib.* 2. *cap.* 41.

Notificandum est pœnitẽti, quàm graue sit hoc peccatum, eumque grauiter obiurget, & ab huiusmodi delicto eum in postetũ auertere conetur, &c. Circa reprehendẽdi tamen modum obseruet Confessarius, vt ordinarie potius sit parcus, quam prolixus, benignus, quàm seuerus, iuxtã regulam à D. Gregor. Nazianzeno his verbis grauiter traditam *Orat.* 26. Hanc rationem tene, vt patrium illum corrigas, idque leniter & humane, nõ vt hostis, neque vt durus & rigidus medicus, &c. Imitari debet prudentem Samaritanum, qui saucium semiuiuum curauit, non solum infundẽdo in eius vulnera oleum quod est lene, sed vinum etiam, quod mordet, discrete tamen ne pœnitentem in desperationem inducat; Confessarius enim Deum imitari debet, qui contriti cordis amaritudinem temperat, & pusillanimem à desperationis baratro reuocat, ac diffidentem erigit. Hinc per *Esaiam. cap* 48. ait, Ego infrænabo os tuũ laude mea ne intereas, hoc est ne tuorum facinorum intuitu nimiam tristitiã incurras, atq; instar effrenis equi desperatus, in præceps ruas & pereas. *Vsuald. in Cand aur. de confessione. n.* 26. *Lud. de Ponte. tract.* 5. *cap.* 10. *Bellus. in sacra Anthol. carm.* 66.

QVAESTIO XX.

QVAE ANTIDOTA CONTRA MALEFICIA à Confessario adhibenda sint.

QVæ antidota contra maleficia, à Confessario exhibenda sunt? R. Cum triplicia remedia constituantur; nempe magica, vel dæmoniaca, quæ tanquam prorsus illicita à christiana religione exploduntur; Alia naturalia, & humana, quæ dubia, & incerta esse rerũ magistra experientia satis docet; Alia diuina, & supernaturalia, ad hæc vt efficacia & præsentanea cõfugiendum est. Quippe periti medici est, nõ solum ægrotis mederi, eosque in pristinam valetudinem restituere, sed etiã sanos à morbis preseruare, morborumque causas perscrutando, eas exscindere. Parũ prodest hortos varijs herbis, plantisque consitos possidere, nisi singularum virtutes dignoscãtur, simulque cuique morbo quando, & qua ratione debet, applicentur. Confessarij dicuntur speculatores, Pastores, aduocati, magistri, cõsuliores, Doctores, & medici, ideò vigilanti studio laborare debent, vt pœnitentium saluti consulant, & varia remedia ad diuersos morbos, & præsertim nunc maleficorum adhibeant. Non solum id spectare debet Cõfessarius vt hominem à grauibus peccatis absoluat, & iterum admittendis reuocet, verum etiam vt magis magisque ad sanctitatem prouehat, suoque in statu quemque perficiat; quare frequenter de natura ingenioque eorum, cum quibus agit, cogitare debet, & de cuique aptis remedijs deliberare. Quorum primũ quò ad rem nostram, erit Vita sincera, & intemerata in

Deum

Deum fides, cui coniuncta sit diuini nominis, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum inuocatio. Sicut è cōtra *D. Cyprianus. Episcopus. Carthag. serm. de lapsis.* refert suo tempore multos à Diabolo obsessos fuisse, qđ à fide defecissent; sic enim D. Gregor. Nazianz. in oratione in laudem D. Cypriani edita narrat, quemadmodum D. Iustina Virgo, & Martyr, magna fiducia in diuina protectione munita, & ardentibus in Deum, Beatamque V. M. fusis precibus, oēs Satanæ machinationes, quas B. Cyprianus magus in eam fœdo, & obscœno amore excæcatus cōcitarat, profligarit. Idemq; patet multis exemplis, vt apud Cassianum. *collat.* 8. *cap.* 18. *&* 19. *& Tursell. l.* 4. *hist. Laur. cap.* 33. *& Mar. Delrium. l.* 6. *disq. mag. cap.* 3. *sect.* 1. *quæst.* 3.

Secundū est peccatorū confessio, & sacratissimæ Eucharistiæ sumptio, vt habetur in vita *D. Bernar. l.* 1. *c.* 8. *&* 10. *& tradit Pet. Clun. l.* 1. *de miraculis. c.* 6.

Tertiū, ea imprimis peccata fugere & detestari, per quæ ad maleficia aditus fit: inter quæ primum est otium, Diaboli puluinar, & omnis veneficij principium. *D. Basil. in Exemeron. hom.* 7. Secundum, est tristitia, & desperatio, nam teste Salomone. *Prou. cap.* 15. in mœrore animi deijcitur Spiritus. Et teste *Galeno.* 6. *aphor. cōment.* 23. cū malecholicus humor terreus, ac crassus sit, siue à passionibus genitus, siue à spiritibus asportatus, difficile resolui potest, & fortiora animoque impressa argumēta à debilioribus aduētitijs rationibus vinci nequeunt. Vnde *Cicero.* 4. *Tusc.* Animus inquit cōturbatus, & incitatus, nec cohibere se potest, nec quo loco vult, omnino cōsistere, vt propterea præceps ruat. Exemplum habemus de Theophilo Oeconomo, seu vt alij volunt, Archidiacono, vt apud *Canis. libr.* 5. *de B. Vir. cap.* 20. *& Duard. tom.* 1. *cap* 2 *tit.* 39. *exemplo.* 3. Tertium est praua aduocandi Dæmonem, vel se illi deuouendi consuetudo, Dilexit maledictionem, inquit psaltes regius. *Psalm.* 108. & eueniet ei. Cuius rei singulare est exemplum, quod in vrbe Panormitana accidit, vbi cum mulier filium moleste lachrymantem Dæmoni deuouisset, mox ille sub specie deformis Æthiopis apparens puerum arripuit, &c. *Salon* 22. *quæst* 76. *artic.* 2. *concl. vltima.* Add. atrocem in Deum, vel Sāctos blasphemiam, ob q̄ D. Paulus Apostolus Alexandrum, & Hymenæum Dēmoni torquendos tradidit. 1. *ad Tim. c.* 1.

Quartum vitium est curiositas, cui vitio. *D. August. de ciuitate Dei. l.* 10 *cap.* 9. *& l.* 18. *cap.* 19. magicarum artium addiscēdarum desiderium tribuit.

Quintum est superbia, & luxuria. Vnde *D. Isid. l.* 2. *de summo bono. cap.* 39. Principaliter, inquit, his duobus vitijs Diabolus humano generi dominatur, superbia mētis, & luxuria carnis, ex quibus hæresim nasci sæpius animaduertimus. Hinc & *Alph. de Castro. l.* 1. *de iusta. hæret. punit. cap.* 16. inter alias causas, quas affert, cur plures mulieres quàm viri, maleficam artem exerceant, hoc ad earum in libidinem pronitatem refert.

Quartum remediū contra maleficia sunt Agnus Dei, Sanctorum Reliquiæ, Sacræ scripturæ verba collo appensa, Signum sanctę Crucis, aspersio aquę benedictæ, &c. *Lessius. l.* 2. *c.* 44. *dub.* 5.

Quintum, est ecclesiasticus exorcismus, à primis ecclesiæ catholicæ initijs ita probatus, ac frequentatus, vt inde Exorcistarū ordo nomen obtinuerit, quorum formulam habet Sacerdotale Romanum.

Sextū, maleficos minis vel vi, moderata tamen adigere, vt maleficium eiusque signa tollāt. Quod remedium tribus seruatis cōditionibus licitum videtur. Primo, si certo eiusdem maleficij auctor cognoscatur; nam suspectos hoc modo vexare fas non est. Secūdo, si nihil superstitiosum adhibiturus putetur. Tertio, dū non existimetur morbum in alium translaturus. Numquam tamen licet pro remedio ad Magos recurrere, vel maleficium maleficio soluere; & ex communi DD. sententia, lethali scelere se obstringit, qui id facit, vel procurat; siquidem numquam fas est, alium ad peccandum inducere, quamuis ille ad id sit paratus. Hinc B. Seriosa Virgo dicebat, Vos mala fide prohibita remedia vestris infirmitatibus applicatis, idcirco raro in corpore curamini, & semper in anima per talia læditmini *Delrius. l. c. Busseus. in arca medica. in v. veneficia. Reginald. l.* 17. *num.* 181. *Sanchez. l.* 2. *de præcept. c.* 41. *Molfes. tr.* 11. *c.* 7. *Io. Nid. in Form. l.* 5. *c.* 4.

QVAESTIO XXI.

SI POENITENS MALEFICIO AFFECTVS non liberetur, quomodo in spiritu adiuuandus est.

SI pœnitens aliquis maleficio affectus his remedijs nō liberatur, quomodo in spiritu adiuuādus, & tristitia leuandus est? R. Eidem suadēdum, non semper homines ab huiusmodi morbis sanari, quia vel abiurātis, vel obsessi peccatum obstat: nec mirum videri debet, cum nec medicina, quæ suum naturalem habet effectum, indebite præparata, vel non debite suscepta prosit. Vel etiam quod Deus, cuius prouidentia in sui dispositione no fallitur, ob maius patiētis bonum iusto iudicio hoc permittit.

Si enim homines ipsi mali sunt, afflictione, quędar intellectum, edocti, ad Deum conuertuntur, & animas ab æterno exitio seruāt. Sed si boni, ac probi sunt, ob tribulationem ęquo animo toleratā, meritis augētur, in fide roborātur, & in patientia probantur. Quippe sicut medicus corpus attenuat, sanguinē extrahit, vitiosam materiam subtrahit, vt corpus sanet, sic Deus suos affligit, vt animam Cęlo aptam faciat, &c. *Vayrus. de Fascino. lib.* 3. *cap.* 8.

D. Ber-

*D.Bernard.Senen tom.3.serm.de Tribul. Holchot. super Sap.c.8.lect.*107. Ad hæc p maleficia probatio ad humilitatis custodiā valet, dū quis ignorat, an amore vel odio dignus sit. Quare sācti viri olim vbi periculū superbiæ vel in se, vel in alijs videbāt, Dæmonum vexationem, seu obsessionem sibi precabantur, vel alijs procurabant; sicut vtriusque refert exempla. *Thomas. Stap.in dominica.4. Aduentus.* Hinc legimus Deum B.Eustochiam Virginem Patauinam maioris gratiæ, & gloriæ causa permisisse toto vitæ suo tempore, quod patientissime, ac sanctissime trāsegit, energumenā fuisse; cuius defunctæ corpori nomen Iesu indelebili charactere inscriptum inuentum fuit. *Mart. Delrius.l.2.disq. Mag.quæst.*12.*num.*4. Vbi etiam *lib.6.cap.*2 *sect.*2. tradit signa, quibus morbi naturales à maleficijs dignoscuntur. Et quædam affert. *Sanchez.l.2 cap.*40.*& de matrimonio.lib.*7.*cap.*94.*num.*6. *Codronchius.de morbis venef.l.*3.*c.*13. *Molfes.l.c.nu.*192. Et similia quò à Dæmonibus obsessos adduxi in *Comment. de hum vita. stat.p.*1. *cap.*21.

Quæ ad tria potissimum reduci possunt. Primo, si artis, & naturæ remedijs adhibitis, morbus potius exasperetur, & augeatur. Secundo, si infirmus nesciret, qua parte læsus sit, licet grauissimos dolores sentiat, & simptomatibus concutiatur, & luctuosa suspiria edat. Tertio, si comedendi appetitus sit prostratus, si in cordis regione punctiones quasdam patiatur, vt ipsum aliquando lacerari videatur, si torsionibus circa ventrem, vel vento frigido permeante corripiatur, &c. Et licet huiusmodi signa, & alia, quæ à Doctoribus recensentur, maleficium in ægroto, & patiente arguant, prius tamen naturalia remedia à peritis medicis adhibēda sunt, quæ si non prosunt, hæc signa arbitrio eorundem medicorum, & prudentis Confessarij maiori certitudini nituntur. *Codronch.l.c.*

ARTICVLI, CASVS, ET QVÆSTIONES, quæ formari possunt super secundum Decalogi præceptum. Cap. V.

QVAESTIO XXII.

QVID IN PRAXI IN SECVNDO Decalogi precepto interrogare debeat Confessarius.

QVid & quomodo in actu practico Confessarius interrogare debet circa secundū decalogi præceptum? R. De tribus præcipue quæret. Primo, de blasphemia. Secundo, de iuramēto. Tertio, de voto. Nam quò ad primum caput nempe blasphemiam, præter à nobis adducta supra *tract.* 6.*cap.*18.*quæst.*85, dico, quod ad confessionem spectat, non sufficere, si pœnitens dicat, quod blasphemauerit, sed interrogandum à Confessario.

Primo, quā blasphemiam protulerit, an aduertenter, vel ex subreptione, an sit blasphemare consuetus, vt cognoscere possit, an sit hæreticalis, continens errorem contra fidem, vel atrox ab alijs specie differens, & sit casus Episcopo reseruatus.

Secundo, an illa blasphemia sit in Deum, vel B. Virginem Mariam, vel aliōs Sanctos prolata, quia & si non specie, grauitate tamen inter se differunt. Et inter maximas blasphemias computandæ sunt illę, quæ contra ipsam Deiparam euomuntur, quas propterea diuina vltio grauiter coercet, vt præter alia docet exemplum illud memorabile relatum à *Nicephoro.l.*18.*hist.Eccles.c.*33. Et illud traditum. *à Baronio.tom.*9. *Anno* 767. *ac à Dauritio. tom.*1. *exempl.cap.*2.*tit.*49. *exemp.*1.

Quæ etiam ex verborum, & personarum qualitate, ex temporum, & locorum circunstātijs magis vel minus horrendæ, ac nefariæ censendæ sunt, vt ait *Pegna.*2.*par. Direct. Inq.quæst.*41.*Comment.*66. *Reginal.l.lib.*18.*num.*201.*& Tholos.lib.*33 *cap.*12.

Vnde huius sceleris grauitas ex eo potissimum pœnitenti indicanda est, qđ ex *c.* 12. *Matth.* Spiritus blasphemiæ irremissibilis sit, non qđ blasphemia absolute remitti non possit, sed quod pauci ex ea ad cor contritum, & humiliatum perducantur; sine quo à Deo cōdonari nequit, iuxta *D.Thomam, & ibi interpretes.*22. *quæst.* 14.*art.*3. Adeo atrox est blasphemiæ crimen, vt *D. Chrysost. tom.*5. *hom.* 1.*&* 5.*ad pop. Ant.* Dei zelo accensus, & illud exagerans, blasphemantem obuium cuique (quod tamen ad publicos Iudices spectat) verberare permittat, teste eodem. *Tholos.l.c.*

Circa absolutionem aduertendum. Primo, an blasphemiæ annexum habeat errorē in intellectu, siue con unitam hæresim, vbi scilicet deliberate, quod in hæreticali blasphemia profert, pro tali firmiter interius habeat, & sentiat, & sic cum externo opere internū cōcurrat; vt si dixisset mente credens Deum non esse iustum, misericordem, prouidentiam non habere, & cætera huiusmodi, sic enim excommunicationem Papę reseruatam secum inuolueret. *Duard l.*2.*in Cœna Domini.can.*1.*quæst.*22. *num.*9. Et in dubio non absoluere debet, cum de statu animę agatur, in quo tutior pars est accipienda; subinde Episcopum, vel Inquisitorem, vel Pœnitentiarium, & alios viros in hac re versatos, non expresso pęnitentis nomine, consulere eum par est, regulariter enim Cōfessarius qui de sua iurisdictione dubitat, cum dubium est practicum, absoluere pœnitentem non debet, iuxta illud, Certum tene, & incertum dimitte.*cap.si quis.de pœn.d.*7. Nam vt dicebat Numa Pomp.2.Rom.Rex.*referente.Plut. in eius vita.* Certa semper incertis præstant, & nul-

lum,& incertum æquiparãtur. *Crauetta conſ.* 231. nisi cum casus necessitatis vrget, & conditione appositaabsoluit, vt per *Conin. de ministro ſacr. pœn. d.8. dub.6. & Bonac. de ſacr. diſp.* 5. *q.*7. *p.*5. §.4. *n.*4.

Si vero cognoscat pœnitentem non habere errorem in intellectu, sed tãtum in casum Episcopo reseruatum incidisse, si ipse absoluendi facultate careat, eam sibi procuret, vel ad superiores Iudices mittat, qui eum sacramentaliter absoluant, aut facultatem concedant, vt ab ipso Inferiori Confessario absolui possit; seu etiam (quod in praxi frequẽs est,) absoluet à quibus potest, & pro reseruato delicto ad Superiorẽ diriget, qui illis solis auditis absolutionis beneficium impertiet. Vbi obseruandum est, quidquid aliqui opinati sint, pœnitentem ignorantem peccatum blasphemiæ reseruatum esse, illa nihilominus reseruatione affici, ac proinde si in illud inciderit, ratione ignorantiæ non posse à quolibet Confessario absolui, sat enim est id fuisse diuina lege prohibitum, quod ex sua natura malum est. Secus esset quãdo res ex se ipsa malitiam non hauriret, sed solum malum foret quia prohibitum, vt si interdiceretur accessus sine licentia ad monasteria monialium non ad malum finem. Item si alicui delicto excommunicationis pœna esset annexa, quando quidem semper scientiam, inobedientiam, & cõtumaciam supponit, quæ ab inuincibili ignorantia excluditur, vt dixi in *Comment. de caſ. reſer. p.*1. *cap.*2. *& ſup. tr.*5. *c.*6. *q.*34.

Secundo, quod talis blasphemus absque grauissima pœnitentia pro arbitrio seueri Confessarij iniuncta absoluendus non est, huius criminis grauitatem exagerando, inculcando esse proprium Dæmonum, & cæterorum in Inferno cõdemnatorum, & varijs pœnis iure diuino, canonico, & ciuili subiectũ esse, &c. vt habetur in *Conc. Later. ſub Leone X. ſeſſ.*9. §. *ad abolendam Azor. p.*1. *lib.*9. *cap.*28. *dub.*9. *Iul. Clarus. in* §. *blaſphemia Menoch. de arbit. Iud. caſu.* 375. *Maſcard. volum.* 1. *de Probat. concl.* 194. *Tuſch. in v. blaſphemia. concluſ.* 95. *Sayr. lib.*6. *clauis reg. cap.*13. *dub.*6. Profecto si Confessarij non essent canes muti, non valentes latrare, nec cum huiusmodi profligatæ conscientiæ monstris indulgentius agerent, hoc scelus non ita in christiana republica frequens foret; siquidem

Accendit culpam facilis dimiſſio pœna.

At grauium peccatorũ reseruationes, quæ animis vsui maximo esse deberẽt, inscitia multorum Confessariorum proprium non sortiuntur effectum.

In quibus tñ omnibus Confessarius prudẽtiam adhibere debet, illas pœnitẽtias iniungendo, quas verosimiliter pœnitentes adimpleturos credit, ne ipsas violando, eis deterius contingat, *Conc. Trid. ſeſſ.*14. *capit.*8. *Lazar. de blaſphemia. quæſt.* 11. *n.*7. *&* 21. *vt etiam aduertimus. ſupra tr.*5. *c.*15. *q.*94.

QVAESTIO XXIII.

QVOMODO SE GERERE DEBEAT Confeſſarius cum pœnitente ex praua conſuetudine blaſphemante.

QVomodò se geret Confessarius cum pœnitente, qui ex praua consuetudine in Deum, vel B. Virginẽ, vel Sãctos impie conijcere blasphemias, & conuincia solet? R. Suppono, ut aliàs dixi blasphemiam ex tribus potissimum causis oriri. Primo, ex odio Dei, & sanctorum, quomodo in Inferno damnati, & homines in hoc mundo, qui iniquitatem sicut aquam bibunt, blasphemare solent, iuxta illud uatis regij. *Pſal.*73. Superbia eorũ qui te oderunt ascendit semper. Secũdo, ex aliqua passione, vt ludẽtibus præcipue cõtingit, qui ex praua consuetudine impias, & hæreticales blasphemias euomũt, qui propterea, vt infra dicemus, valde de hæresi suspecti redduntur. Tertio, ex linguæ lapsu, quando scilicet tali sceleri non assuetus, inaduertenter in blasphemiam aliquãdo dilabitur, & cum à mortali peccato ordinarie excusetur, à casu etiam Episcopo reseruato, qui lethalẽ culpam supponit, immunis redditur, &c. Quo supposito dico, quod qui assueti blasphemijs maledicta in Deum, vel Sanctos passim conferunt, simpliciter illi quidem non sunt ab absolutione criminis arcendi, sed ad tempus suspensi merito detinendi, vt tàm execrabilẽ, & peruersum vsum aliqua ex parte deponant, & exuant. Nec blasphemandi consuetudo in aliqua prouincia inolita à tàm graui culpa, & pœna excusare valet: Infelicitas enim consummata est, cum turpia non solum delectant, sed placent, & remedio locus esse desinit, cum quæ natura turpia sunt, mores fiunt, teste Seneca, vt ex communi ait *Con. in cap. quamuis. p* 1. §.7 *num.*12. *& Azor. l. c. quæſt.* 17. Quidquid dicere videatur, *Maſcardus de probat. volum.* 1. *d. concl.* 194. Quinimo aliqui dicũt, hominẽ blasphemare solitũ largo modo hæreticũ dici, quod quidem verum esse asserendum est tunc demũ, cum blasphemijs fidei articulis aduersantibus Deum, vel Sanctos proscindere consuetus, illas non esse peccatum existimat. Sed accuratius alij locuti sunt, assidue, & ad omnẽ animi motum pluries sic blasphemantem, de hæresi valde suspectum dici. *Farinac. de hæreſi. quæſt.* 178. *num.*76. *Menoch. de præſumpt. l.*5. *præſumpt.*6. *numer.*29 *Genuenſ. in praxi Neap. cap.*84. *num.*8. *Duard. l. c. num.*26.

Quod si nec post dilatã absolutionẽ nulla emendationis argumẽta pœnitẽtes dederint, dimittendi sunt; etiã si iterum emendationẽ polliceantur, tùm quia nullum est fortasse grauius peccatum, à quo facilius homines abstinere queant, cum nihil delectationis

ϑationis,&vtilitatis habeat,tùm quia ad hoc indispositi videntur, & cum in præcedentibus cōfessionibus correcti non fuerint, credi etiam verosimiliter potest, se in posterum ab hoc vitio non recessuros. *Reder. in summa. p. 1. cap. 34. num. 5. Graffius. l. 2. decis. aur. cap. 20. n. 14. Cantarellus. in var. quæst. l. 1. cap. 38. in fine. Barthol. Metina. l. 1. Instruct. Confess. cap. 14. §. 2. Nald. v. absolutio. à peccatis. num. 1. Corrad. in respons. cas. consc. p. 1. quæst. 15. Azor. l. c. quæst. 18. Sayrus. dub. 6. Lazar. de blasphem. quæst. 11. num. 26. Tol. in summa. lib. 3. cap. 18. Sanchez. l. 2. oper. mor. cap. 32. num. 45.* vbi mitius,ac indulgentius quàm forte par sit loquens,ait, quod & si pœnitens nil curæ ad emendationem posuit,& sæpe in alijs confessionibus est admonitus, possit adhuc in rigore statim absolui, si vere de præteritis doleat, ac in posterum bonam frugem proponat, eo quod nullam extrinsecam occasionē habeat,vt vel sic necessario absolutio impediatur. An vero consilium sit absolutionem differre, à prudentia Confessarij ratione scandali id pendere. Et *l. 3. cap. 5. num. 17.* allegans Sotum ait,pœnitentem non teneri aliquid in pœnam,si reinciderit,acceptare,quamuis id consilium saluberrimum sit, quia alijs peccatis id imponi nequit, &c.ut tetigimus *sup. tr. 5. c. 15. q. 45.*

Si autem,quod raro admodum accidit,blasphemus errorem in intellectu habere deprehēderetur, vt cum in mente his assentit,quę ore profert,vt potè Deum iniustum esse,vel impotentem,&c. tunc vt supra dictum est, cum hæreticus sit, ad hæreticæ prauitatis Inquisitorē mittendus est, vel absoluendi eum facultas ab ipso petenda. *Boer. Decis. 301. Tol. lib. 4. cap. 13. Simancas. in Instit. Cathol. tit. 3.*

QVAESTIO XXIV.

QVAE REMEDIA BLASPHEMO A' CONfessario sint prabenda.

QVæ remedia blasphemo pœnitenti præbere debet Confessarius? R. Tria potissimum exhibebit.

Primo, vt huius delicti grauitatem, & atrocitatem proponat,quam ex ante dictis colliget. Hinc & *D. Hier. super Isaiam. cap. 18.* Nihil,ait,horribilius blasphemia, quæ ponit in excelsum os suum, omne quippe peccatum comparatione blasphemię leuius est. Admoneri serio poterit de eius abominatione,quod tanquam rationem habens infidelitatis grauissimum est, atque adeo homicidio deterius, *ex. D. Thoma. 22. quæst. 13. ar. 3.* Vnde si exhortaret mentem infidelitate, vel manus humano sanguine polluisse, quomodo nō vereatur linguam ad Deum laudandum, & benedicendum concessam, blasphemijs contaminare,quibus non modo Deus grauissime læditur,sed etiam proximus sensum aliquem pietatis erga Deum suum Creatorem habens valde offenditur?

Secundo, quàm acriter Deus etiā in hoc mundo hoc peccatum castigarit, nam inter cætera, quæ sciens prætereo, Speculum magnum exemplorum *exemplo. 45.* agens de illustribus viris ordinis Cisterciēsis refert, aleatorem quendam,cum per omnia Christi, & Mariæ membra horrende blasphemasset, adeò vt præsentes aures obturarent, & pectora tunderent, illico corruisse, ac si ense transfossus esset,voceque horrifica exclamasse, Heu heu miser, quis es, qui me interficis? Et aliquantulum humi volutatus statim eam animā efflauit, alijs diuinæ vltionis exemplum futurus. Tanta huius criminis existimatur esse atrocitas, ait *Thol. in synt. Iu. l. 33. c. 12.* vt Iustin. Imp. *in §. præterea. in Auth. vt nō lux. cont. nat.* dixerit, inultum Deum hoc non relinquere, & per hoc pestē, famē, terręmotus, aliasque plagas à Deo immitti. Et Commētator pragmaticæ sanctionis refert Robertum Galliarum Regem pro regni pace Deum orantem, responsum à Crucifixi Imagine accepisse, nō eam futuram, donec notoria crimina,& blasphemias extirpasset.

Tertio, occasiones blasphemandi deuitare, quæ tres pręcipuæ sunt. Primo, ne per Deos, vel Sanctos quis iurare assuescat, iuxta illud Sapientis. *Eccles. c. 23.* Iurationi non assuescat os tuum, multi enim casus in illa; nominatio vero Dei non sit assidua in ore tuo,&c. Cauere etiā debet ab inanibus, & otiosis verbis,vt nil sine consideratione loquatur, siquidem in multiloquio non deest peccatum. *Prouerb. cap. 10.* Reminiscatur, sicut duabus habenis equus regitur, ita Deum linguæ duas venas adiunxisse, quarum vna ad cerebrum vsque peruenit,vbi ratio residet, altera verò à corde deriuatur, vt intelligamus tantum loquēdum,quantum cor dictat, & ratio præcipit. Vnde est illud veterum tritum proloquium, Periclitatur castitas in delitijs,humilitas in diuitijs, veritas in multiloquio, probitas in negotio. *Loartes. de remed. peccat. tit. de remed. blasph.*

Secundo, ut euitetur tabernarū, ac cauponarum frequētatio, regio vate sic admonēte. *Psal. 68.* Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in retributionem, & in scandalum.

Illud enim verbum in laqueum communiter de vinculis peccatorum exponitur, ac sic dicatur, quod supposita nimia edacitate, alia peccatorum genera subsequuntur, quibus edaces eo magis irretiti remanent, nimirum blasphemia, furtum, deceptio, odium, & id genus pessima, quorum multiplicitate helluones illaqueati misere pereunt. *Laur. Scal. in mor. in Pass. Domini. Mor. 7. c. 1. §. 2. Tholos. in synt. Iu. lib. 39. cap. 7.*

Tertio, vt ab alearū ludis abstineat, qui deposita

vtrinque pecunia instituuntur, his namque deperditur pecunia, qua familia est alenda. Secundo, fama, nihili. n. fiunt lusores. Hinc *Arist. l. 4. Eth. c. 1.* scribit aleatores, fures, & latrones esse, sordidos, ac illiberales, eo quod in turpi lucro versentur, & quę stus causa omnia probra sustineant. Tertio, tempus pretiosum, quo bonis operibus æterna vita comparanda esset. Quarto, blasphemandi consuetudo initur, cum lusores fere omnes sint blasphemi, & ob ludum se tales factos non diffitentur, vt aiunt. *Masceard. de probat. volum. 1. concl. 194. num. 12. Graffius. cons. 4. de voto. num 4. Duard. in Comment. Bulla Cœna Domini. l. 2. can. 1. quæst. 22. numer. 31.*

Hostiēsis ēt *in sua summa. tit. de excess. Prælat. §. clericus.* notauit 16. vitia ex illo produci, inter quę blasphemiam cōnumerat. D. Antoninus. *2. p. tit. 1. cap. 23. §. 6.* tot crimina excludo nasci existimat, ac probat, quot sunt in Alphabeto literæ. Vbi in secunda litera sic loquitur, In nullo exercitio ita frequenter blasphematur Deus, & tota curia Cęlestis, adeò quod Dominus in lege sua mandauit, Quicunq; blasphemauerit nomē Dñi, morte moriatur; & corpus quidem morte corporali, anima autem morte, nisi pœnituerit, Infernali. Et terribilia aliquando iudicia facit Deus contra tales. Aliquādo etiam oculi talium ceciderunt super mensam lusoriam; aliquando vexati sunt fortiter à Dęmonibus, Aliquando os inuersum est horribiliter, & huiusmodi, hæc ille. Et *Tholos. l. 39. synt. in cap. 3.* Impunitus, inquit, non debet esse nec permissus ludus, ex quo crimina nascuntur, neque ludus dicendus est, vnde illa oriūtur. Inter ludos perniciosos annumeratur alea, ex qua tragœdię fere semper excitantur. Iustiniani extat constitutio. *in l. fin. C. de relig. & sumpt. fun.* qua docetur, ex alearum ludo, & lachrymas res amittentibus, & blasphemias oriri grauissimas; ideo statuit nulli licere in publicis, vel priuatis domibus, vel locis ludere, vel inspicere. Plato in Phædro rectè annotasse videtur, aleam, & reliquas perniciosas artes à Dæmone quem Theuth. nominat, inuētas esse. *Arist. in d. 4. Ethic. c. 1.* aleatores fures, atq; latrones, ac illiberales esse dicit, quia, vt dictū est, in turpi lucro versantur, & omnia quęstus causa opprobria sustinent. Addo lusores adeo esse legibus exosos, vt eos tanquā infames, & criminosos à ferēdo testimonio repellant. *Masc. de Probat. vol. 2. concl. 996. Farinac. de testibus. q. 56 n. 417.* Et quamuis à voluntate testatoris non sit recedendum, nihilominus tutor testamētarius lusor potest à tutela remoueri, eo non obstante quod eius conditiones ipse testator perspectas habuerit. *Castell. Decis. 20. Nouar. collect. 10.*

Proinde Confessarius valde vrgere debet circa firmum propositum pœnitentis, vt in futurum non ludat. Et si eutrapeliæ causa eum aliquoties in honesta societate ludere continget, & in hoc scelus proruperit, sibi ipsi aliquā pęnam imponat, vt ieiunij, eleemosynæ, lingua signum Crucis in terra imprimat, tristem lupinum eo die dentibus conterat. Si vero pœnitens ob tot mala vitanda, quę ex ludo manant, non ludendi votum emisisset, tunc si ipse pœnitens esset ad illud violandum procliuis, maioris mali declinandi causa, vel dispensare, vel in aliqđ pęnale opus cōmutare (si facultatē habeat) Cōfessarius posset. *Graff. cons. 4. de voto. Beia p. 4. resp. cas. consc. casu. 9. Sanch. in oper. mor. l. 4. c. 45. n 47. Roder. in summa. p. 1. cap. 189. num. 10.*

Inculcabit, hoc vitium vilem, ac infamem hominem reddere. Hinc & Ludouicus Galliarū Rex, diuini honoris igne succensus, per publicū edictum præceperat, vt in blasphemantium fronte ignitum cauteriū imprimeretur. Et cum in iudicio quidam nobilis delatus esset, pro quo multi intercedebant, respondit B. Ludouicus, Ne me rogetis pro tali homine, nam nobilis quidem non est, qui sic omnipotenti Deo iniuriam irrogat, &c. Vt non sine causa etiam aliàs dixerim, in huiusmodi scelus incidere solere homines abiectæ vitę, suam famam & honorem paruipendentes. *Lazar. quæst. 5. num. 45. & quæst. 6. num. 2. Molfes. tract. 8. cap. 13. num. 68.*

Item pacem in regno non posse esse ei qui cum Regebellum gerit; quomodo erit bellum gerenti cū Creatore, in quo viuimus, mouemur, & sumus? Horrendum esse incidere in manus Dei viuentis ut ait *Apostolus ad Heb. cap. 10.*

Postremo spiritualis medicus hortari debet blasphemum pœnitentem ad frequentem confessionem, animæ propriæ expiationē, & sacrosanctæ Eucharistiæ sumptionem, quæ sunt omnium spiritualium morborum perfecta antidota. Aduertere tū illud conuenit, vt magno timore, ac tremore ad illam augustissimam mensam accedat, cum eodem ore, quo cum tàm impudēter deliquit, putissimam Domini nostri Iesu Christi carnem sit recepturus. Vnde antiquæ illi ecclesiæ cōsuetudini valde consentaneum est, & animarum saluti non parum expediens, vt nullus post grauia perpetrata delicta, nisi post aliquot pœnitentiæ, & satisfactionis transactos dies, ad Sacramēti Altaris participationem admittatur. Et qui confessionem à Paschate in Pascha differūt, suadendi, & hortandi sunt, ne statim ad sacram sinaxim accedant, sed aliquandiù expectent, vt quò ad oblita peccata iterum animas expient, & reliquias abstergāt, quò puriores, ac mundiores cęlestem cibum sumant, maxime si sunt, qui fœdæ luxuriæ vitio sunt inuoluti. *Petrus. Sot. de remed. peccat. Lect. 5. Tab. in v. communicare. num. 9. Syl. in v. eucharistia. 3. num. 17. Graff. lib. 2. Decis. aur. cap. 38. num. 26. & alij communiter.*

CAP.

CAP. VI.

QVAESTIO XXV.

QVOD REMEDIVM CONFESSARIVS contra spiritum blasphemia pænitenti dare debeat, &c.

QVid remedij porrigere debet Confessarius contra importunas blasphemiarum cogitationes, quibus aliqui quandoque aduersus Deum, & B.Mariam Virginem impetūtur. Est enim communis hostisvetus mos, animis eorum qui necdum in pietate constantes, & firmi sunt, præcipue cum orationi vacant, vel sacra mysteria meditātur, suggerere, vt obscœnas cōtumelias in ea conijciāt, &c? R. Iam animaduertimus, supra *cap. 2. quæst.* 8. optimum remedium esse illas non curare, neque contra illas disputare, sed eas mote caniculorū latrantium placide pertrāsire, aliàs homo multo magis perturbabitur. Vnde experiētia probatū est, dicta Christi voce, Vade Satana, graues has, & horrendas tentationes profligatas fuisse. Nec illas in cōfessione exprimere necesse est, nisi consilij cupiendi causa, aut nisi his præstitus sit assensus, vel nisi ex sua culpabili causa proueniant, vt puta ex otio, curiositate, superbia, indiscreta abstinentia, & huiusmodi, &c. Deus vero sic aliquem quandoque tentari permittit, ac varijs, & importunis cogitationibus concuti, vt si non consenserit, de die in diem pugnādo, & se à peccatis purgando in humilitate custodiatur, & capacius Spiritus sancti vas efficiatur. Cum autem hæresis sit error intellectus voluntarius contra aliquam fidei veritatē, cum pertinacia assertus ab eo, qui fidem recepit, constat hæretici nomen non mereri, nec alicuius culpæ reum esse, qui impias cogitationes, & turpissimas blasphemias contra Deum, & Sanctos inuitus patitur; & omnes DD. fatentur, ex Dæmonis suggestione prouenire ad cōscientiarum bonarum tranquillitatem impediendam, & vt à Christi via deterrite retrocedāt, & raro flagitiosis hominibus accidere, quia eos vinctos, & quasi iure suo ipse Dæmon possidet. *Sanchez. l. 2. de precept. cap. 7. num.* 13. Vnde est illud aduertendum, vt tyrones, & qui adhuc lacte indigent, & qui sibi per ignorantiam auxilium ferre nō possunt, cuicunque indocto, & imperito Confessario huiusmodi tentationes non confiteantur, quoniam qui ignarus, & indiscretus est, timidiori ac teneriori animæ desperationis viam aperiret, v. g. si nouitius confiteretur sibi occurrisse blasphemiæ spiritum, & B.M. genetricem pessimam esse mulierē, si Confessarius scientiæ, & discretionis expers esset, cum piæ aures hoc horreant, statim inclamaret, & durios Diaboli illusione nō attenta, nec patientis conditione perpensa, confitentem argueret, & absque dubio infirmæ conscientiæ ruinæ ansam præberet. *Roder. in qq. regul. tom. 3. quæst. 66. artic. 3. Climachus. de blasphemia. gradu.* 23. *Cass. collat. 2. cap.* 13. *Marc. Marul. l. 4. c.* 11. *Bisfel. de tent. c. 6. & tactū est, sup. c. 1. q.* 8.

Atque hinc colligi potest, quod aliqui Doctores admonuerunt, maxime interesse discretum, ac prudentem Confessarium semper à pœnitente eligendum esse; quod inter alios. *Viualdus. in Cand. aureo de confessione. num.* 26. his verbis testātus est, Maxima est differentia inter illum, qui eligit virum idoneum in Confessorem, & inter illum, qui non idoneum, quod ille, qui ex consilio idonei Confessoris aliquid facit, licet erret, excusatur, quia consuluit virum doctum, alter autem si errauerit, non excusabitur, quia elegit insufficientem. Secundo, quod insufficiens inducit pœnitentem in desperationem, idoneus autem consolatur illum per remedia, quæ adhibere solet, infundendo vinum, & oleum, &c.

QVAESTIO XXVI.

QVIS IN FORO EXTERNO SIT PECCATI blasphemiæ Iudex.

QVis in foro externo est Iudex peccati blasphemiæ? R. Cum crimen blasphemiæ mixti fori esse dicatur, fit vt vterque Iudex tàm ecclesiasticus, quàm sæcularis de eo cognoscere, ac iudicare possit, & detur præuentioni locus. De solis tamen hæreticalibus blaspemijs quæ, vt aliàs diximus, fidei articulis contrariæ sunt, & ex quibus magna hæresis suspicio nascitur, soli hæreticæ prauitatis Inquisitores priuatiue cognoscere solent. Vnde distinctio blasphemiæ in simplicem, & hæreticalem diligenter obseruanda est, vt quisque sciat quando blasphemū ad violatæ religionis Censores deferre teneatur, aut quādo pro absolutione ad Episcopos blasphemiæ absolutionem sibi reseruantes accedere debeat, nam ordinarie edicta, & reseruationis tabellæ de hæreticalibus (nisi aliud constet) loqui solent. *Abb. & alij in c. fin. ext. de maled. Card. Tusch. tom. 1. pract. concl. litera B. concl.* 96. *Azor. p. 1. l. 9. cap. 28. quæst.* 5. *Albert. de cognos. assert. quæst 6. n. 24. & quæst. 22. num.* 63. *Simancas in Cath. Instit. cap. 8. Pegna. 2. par. Direct. Inq. quæst.* 41. *Comment.* 66. *Sayrus. l. 6. clauis reg. cap. 13. dub. 8. Sanchez. l. 2. oper. mor. cap. 32. num.* 37. *Bayard. in add. ad Iul. Clarum. in §. hæresis. Lazar. de blasphemia. quæst. 6. Lopez ad Diax. cap. 111. Grilenzon. cons. 86. Lopez. in scholijs. ad Bonac. de leg. d. 3. q. 8. p. 1. &* 2.

Quæ assertio ab eisdē extēditur, vt blasphemia, & verba hæreticalia per iocum prolata ab ipsismet Iudicibus puniri debeant, & soleant, nam

Non patitur ludum fama, fides, oculus.

 Idque

idque acrius, vel mitius pro ratione scādali, & personarū. Sicut nec omnino inultæ remanere debent eiusmodi blasphemiæ, quæ per linguæ lubricum, seu animo inconsiderato euomuntur. Secus si blasphemans per ebrietatem, vel per somnum prorsus esset rationis vsu priuatus. *Tiraq. de temp. pœnis. cau sa. 5. & 6. Sayr. l. c. num. 22. & alij.*

Secundo ampliatur, vt blasphemi à Cōfessario in interno foro absoluti, etiam post peractam pœnitentiam apud externa Tribunalia ab ipsis Iudicibus iudicari, ac puniri possint, ac debeant; aliàs absurdum sequeretur, vt de hoc crimine accusatus, vel accusari timens, ad Confessarium accedens impune ab eo absolutionem obtineret, & forensia iudicia eluderentur. Et certe quia blasphemiæ scelus expresse contra diuini numinis reuerentiam militat, & inuisibili Dei manu vindicatur, & per illud multa mala in rempub. inuehuntur, ideo grauiter peccāt christiani Principes, & eorum Magistratus, qui in hoc crimen seuerissime non animaduertunt. In quo christiana respub. maxima reformatione indiget, nam experientia rerum magistra ostendit, incassum spirituale gladiū desudare, vel verbi Dei præcones, & sacramenti pœnitentiæ ministros frustra pene elaborare, nisi temporalis censura, & secularis potestas intercedat. Vnde Pius V. in *Constitutione Incip. Cum primum Apostolatus.* post varias tam in laicos, quā in clericos blasphemos constitutas pœnas, decernit in laicos blasphemantes posse cognoscere Iudices quoslibet competentes, darique præuentioni locū. Propterea Episcoporum etiam partes erunt, tùm aliàs, tùm maxime diebus festis, concionando, & monendo populū sibi commissum, ab hoc atroci peccato deterrere, & in sua diæcesi Societatem sanctissimi Dei nominis instituere, præscriptis eidem sodalitati regulis, vna cum Indulgentia in *Bulla Pij IV. ed. idibus Apr.* 1564. eius rei causa expressis. *Palaot. in Archiep. Bon. p. 2. Azor. l. 9. cap. 28. quæst. 13. Menoch. l. 2. de arbit. Iud. casu. 372. n. 11. & 375. n. 36. Lazar. de blasph. q. 6. num. 30. & de monit. sect. 4. quæst. 15. num. 5 Clarus in §. blasphemia. Decian. in tract. crim. l. 6. c. 6. n. 27.*

QVAESTIO XXVII.

VTRVM CONFESSARIVS TENEATVR astringere pœnitentem ad denuntiandum aliquem, quem blasphemantem audiuit.

VTrum Confessarius teneatur astringere pœnitentem ad denūtiandum aliquem, quem blasphemantem audiuit? R. Adeo immane est ac horrendum blasphemiæ crimen, vt non tantum illud cōmittentibus graues à iure irrogentur pœnæ, verum etiam audientes, easdē quas blasphemi pœnas subeant, ac ab Inquisitoribus spirituali excommunicationis gladio feriantur, si competētibus Iudicibus denuntiando, eorum temeritatē, ac impietatem coerceri non curauerint, vt cauetur in *Conc. Later. sess. 9. §. ad abolēdam.* Et *Iulius III. in Const. Incip. in multis. Pius I. in cap. 1. si quis. per capellum. 22. quæst. 1.* Vnde & Plato, *lib. 10. de legibus.* Si quis ait, impie quidquam agit, vel loquitur, qui forte præsens fuerit, Deos defendat, Magistratibus significet, quorū qui primi audierint, ad iudiciū harum rerum sm leges deferant; quod si quis Magistratus audierit, nec detulerit, ipse pietatis reus fiat, &c.

Quod quidem officium à pœnitente vero Dei cultore quàm primum potest præstandum est, tùm quia periculum animæ perdendæ, & incurrendæ excommunicationis imminet; tùm quia de Dei, christianaque religionis honore agitur; licet quò ad vinculū censuræ illo non irretiatur, nisi terminus ab Inquisitore præfixus sit transactus.

Nec quis æstimare debet, quod denuntiando, S. Officij explorator, & delator vocetur, nam præter quam quod eius nomen reticetur, si hoc diuini honoris zelo faciat, maxima commendatione etiam apud Sapiētes dignus existimabitur, nec mediocre præmium ab ipsius Dei munifica manu consequetur, &c. *Marc. Ant. Gen. in praxi Neap. cap. 23. n. 32 Riccius. in Decis. Cur. Neap. Decis. 237. Lazar. d. q. 12. num. 73. & dixi supra cap. 2. quæst. 14.*

QVÆSTIO XXVIII.

AN BLASPHEMVS SIT DENVNTIANDVS. etiam si delictum probare nequeat.

TEnetur ne pœnitens blasphemum denūtiare, etiam si sciens, vel audiens blasphemare solum, eius delictum probare nequeat? R. Tenetur, modo tamen proprijs auribus illum blasphemātem audierit, vel ab aliquo viro fide digno id intellexerit, qui id certo, & indubitate sciebat, &c. Nam & in materia literarum, vt dicūt, monitoriarum illæ dicitur pene probare posse, ita vt denuntiare debeat, si vno teste integro, & omni exceptione maiori fulciatur, non autem si tantum in nube, vt aiunt, sciat. Siquidem quando delicta in perniciem publicam tendunt, & christianam religionem respiciunt, iudicialis facienda est denuntiatio, etiam si legitimis probationibus locus non sit, quia Superior vigilabit; & potest esse quod contra prædictum hominem aliæ denuntiationes insurrexerint, ex quibus facile ad torturam, & ad alia iuris remedia deueniri possit. In his enim delictis denuntiandis, quæ christianam rempublicam concernunt, proprie deseruit quod dici solet,

Nam quæ non prosunt singula iuncta iuuant.

Pegna

Pegna. p. 3. commentario. 110. Lazar. num. 54. & 61. & de monte. sect. 2. quæst. 11. num. 10. Scaccia. de Iud. caus. ciuil. crim. & hæret. quæst. 56. num. 4. Zanardus. in Direct. Theolog. p. 3. c. 11. Genuensis. in Praxi Neap. cap. 23. numer. 5. & de communi. praxi attestans. Farinac. de hæresi. quæst. 197. §. 1. num. 36. vt tactum est. supra cap. 2. quæst. 14.

QVAESTIO XXIX.

AN QVANDO SPERATVR FORE, vt blasphemus correctus emendetur, sit ante correctionem denuntiandus.

AN quando speratur fore, vt blasphemus fraterne correctus emendetur, sit fraterna correctio præmittenda? R. Ante priuatam admonitionem, & correptionem, denuntiationem faciendam non esse: quia speciale est in hæresis crimine vt ob magnum eius periculum, & difficillimam hæretici correctionem, sit statim ad Censores fidei deferendus: quod in blasphemis non contingit, qui multoties non ex hæretica credulitate, sed vehementiori passione acti linguæ lubrico in illud flagitium feruntur. Quare prædicta decreta, & edicta seruato euangelico ordine intelliguntur; vt si blasphemia sit publica, aut secreta, & desperetur fore, vt correctio prosit (prout contingit in famulis, & filijs alieno iuri subiectis, qui cohabitantes Dominos, vel parentes blasphemãtes audiunt) statim denuntietur. Sicuti & casus Cõfessarij sollicitãtis intra, aut prope confessionem, vel etiam in ipsa sella ad audiendum destinata, filias spirituales, fidei Cẽsoribus reseruatur; quia morbus contra commune bonum, & honorem Christi serpit, & numquã vel vix huiusmodi sacrilegi sacerdotes priuata correctione emendari solent. *Henr. l. 3. de pœnit. c. 17. n. 4. in gloss.* Si vero spes affulgeat, vt quo ad ipsam blasphemiã fraterna correctio profutura sit, illa præmitti debet. *Roder. in summa. p. 1. cap. 34. num. 6. Sanchez. l. c. num. 47. Lazar. quæst. 12. num. 30. Genuens. n. 4. & 7. Pet. Nau. de restit. l. 2. cap. 4. num. 211. Bonac. de leg. d. 3. quæst. 8. p. 1. Molfes. tract. 11. cap. 3. n. 38.* Quippe cum blasphemia ex tribus potissimum causis oriatur, nempe ex odio Dei, vel Sãctorum, quomodo damnati, & quidam perditi homines in hoc mundo blasphemant. Secundo, ex aliqua impotẽti passione, vt ludentibus euenit, & illis contingit, qui ex praua, & inolita consuetudine in blasphemias ora laxant. Tertio, ex lapsu linguæ, cum quis raro, & inaduertenter in hoc vitium rapitur, & statim eum pœnitet; in tertio casu cum facilius emendatio sperari possit, correctio fraterna præmittenda videtur, *vt dictum est supra cap. 3. quæst. 17.*

QVAESTIO XXX.

QVISNAM DICATVR BLASPHEMARE solitus, &c.

CVm Inquisitorum edicta illum ad denũtiandum obligent, qui solitum blasphemare audierit, quæritur, quisnam dicatur cõsuetus blasphemus? R. Nõ satis apud Doctores clarũ est, quisnam solitus blasphemus, vel ex cõsuetudine blasphemare dicatur, cum alij ex bino actu hoc metiantur, vt per *Tusch. in v. solitũ. concl. 334.* alij ex trino induci huiusmodi consuetudinem tradant; alij vero Iudicis, vel Confessarij arbitrio relinquendum sentiãt: Probabilius tamen dicendũ videtur, ad hunc vsum introducendum, longe plures reiterationes requiri, vt sępius quis in illud vitiũ inciderit, & saltẽ quinatijs vicibus ex quodam habitu diuersis temporibus maledicta in Deum, vel sanctos proiecerit; quãdoquidem hoc virium in lubrico linguę cõsistit, quod ad pœnam ordinariam non facile est trahendum. *l. famosi. ff. ad l. Iul. Maiest. Menoch. de arbit. Iudicasu. 375. num. 31. Rota Rom. p. 2. Decis. 72. Albert. in tract. de agnoscen assert. Cath. & hæret. quæst. 6. n. 20. Lazar. quæst. 8. num. 7. Mascard. volum. 1. concl. 194. Nald. v. peccatum. num. 10. Molfes. tract. 11. cap. 3. numer. 34.*

CAP. VII.

QVAESTIO XXXI.

AN POENITENS AVDIENS BLASPHEmantem obligandus sit illum grauiter increpare etiam si nulla adsit spes emendationis.

AN Confessarius teneatur pœnitentem obligare, vt quoties blasphemantem audit, acriter ac grauiter increpet, etiam si nulla emendationis spes adsit, si tamẽ id absq; proprio periculo facere possit? R. Multi tenent, ad obiurgandum lege compelli, quia Lateranensi Concilio hoc præcipi videtur, cum ait, Quicunque blasphemantem audierint, cum acriter verbis obiurgare teneantur, si citra periculum suum id fieri posse cõtinget. At alij uerius id negant, tùm quia & si Concilium hoc ius statuere potuerit, non spectando blasphemantis emendationem, sed potius delicti pœnam, ut increpatio fit quædã illius punitio, at ex eius uerbis non constat, id ius nouum pœnale statuere uoluisse. Quare ne præcepta sine urgenti fundamento multiplicentur, potius dicendum est, uoluisse tãtum in memoriam audientis naturale, ac diuinum correctionis præceptum reuocare, quod certum est non obligare, ob emendationis spes non affulget. Tum etiam quia esto id ius nouum præcipere uoluerit,

non

non est vsu receptum. Sane fratretne corrigere ad quod naturalis, ac diuina lex astringit, non est grauis, aeris, ac aspera reprehēsio, sed placida, ac suauis admonitio, ita ut correctionis erumpētes aculei ad mansuetudinis silicem sint obtundēdi. Inesse uero in reprehensione punctionem, ex qua saepe dolor, quae à monitione absunt, probant morales Philosophi, qui medicamento austeriori, ac mordicanti similem eam faciunt. Siquidem teste *D. Basilio. in c. 1. Isaia*. Reprehensio omnis palam attingens eum, qui reprehenditur, ipsius animum peracri dolore excruciat, ob oculos peccati turpitudinē ponēs, &c. Ex Plutarchi sententia, oculo lippienti lumen non est admouendum; nec animus affectu laborans, acrem admonitionē admittit. Et sicut adamas sanguine hircino frangitur; sic dura, ac peruicacia ingenia blanditijs emolliuntur. In ipsa correctione leniter, & prudenter agendum, nedum quis cupit aeruginem eradere, frangatur uas, &c. ait *D. Bened. in reg. c.* 44. Hinc Tridentini Patres, Plus saepe erga corrigēdos agit beneuolētia, quàm austeritas, plus exhortatio, quàm cōminatio, plus charitas, quàm potestas. *Conc. Trid. sess.* 13. *de refor. cap.* 1. Vt infra etiam in 5. *praecepto de correctione dicemus*.

Propterea non solum debet pœnitens ab hoc detestabili uitio se abstinere, sed ingenti zelo alios blasphemantes opportune in spiritu lenitatis corripere. Ad quod officium praestandum facile permouebitur, si quod luculenter Publianus scripsit memoria tenebit,

Amici vitia si feras, facis tua.

Si tamen hoc ad eum ratione officij spectet, ut si sit pater, herus, &c. seueris et obiurgationibus (si expedire uidebitur,) agēdum erit, iuxta illud ad quod Mediolanensis Synodus. *p.* 1. *tit. de blasph.* & nouissimae eiusdem Ciuitatis, ac dominij cōstitutiones; *tit. de pœnis.* §. *seuere puniantur.* fideles hortantur, Nempe si Domini, mercatores, aut alij artifices famulos, aut ministros blasphemantes audierint, vbi semel moniti iterum in eo genere peccarint, mordicans medicamentum adhibeant, & domo eos abiiciant. Quippe authoritas reprehendēdi, ac reprimendi tàm turpem iurandi, ac blasphemandi consuetudinem penes patres familias, ac dominos praecipue residet, qui vigilare debent, vt sibi subditi pie uiuant; at hi quod certe dolendū est, non raro eodem vitio, quod in aliis tollere deberēt, sunt infecti; deploranda horum cōditio est, siquidem eorum exemplo caeteri similiter delinquunt, ac paternos, herilesq; mores facile induunt. Et vt in corporibus, sic in imperio grauissimus est morbus, qui à capite diffunditur, &c. Vnde quilibet ut sibi consulat, debet identidē secum ipse cogitare, per quem externū sensum saepius impetum faciat in animam suam Daemon, & ubi id cognouerit, statim prouidere, quia omne malum nascens, ut ait Tullius, facile opprimitur, inueteratum fit robustius. Sic solet prudens Princeps secum perpendere, quae pars urbis caeteris sit debilior, per quam facile possit hostis irruere, & ubi primū huiusmodi aliquam cogitando inuenerit, eam excubiatum praesidio munire consueuit, & periculum auettere.

QVAESTIO XXXII.

NVM CONFESSARIVS OBLIGARE debeat filium, vel fratrem, & huiusmodi, vt patrem fratrem, &c. denuntiet.

Debet ne idem Confessarius obligare filium, uel fratrem, uel famulum, seu uxorem, ut patrem, alterum fratrem, herum, maritum, blasphemantes denūtiet, & è contra? R. Adeò hoc denuntiandi ius Dei, & christianae pietatis cultores astringit, ut personae, quae à iure priuilegiatae dicuntur, ab hac obligatione, ex aliquorū sententia, non eximantur, si alij qui hoc munus obeant non reperiantur, praesertim quod hoc blasphemae crimen melius per domesticos, quàm per alios, vel vicinos probari possit: vt per *Comit. l.* 4. *resp. quaest.* 8. & *Lazar. de blasphem. q.* 12. *n.* 57. & *alios.* Attamen cum aliud sit esse blasphemū, aliud esse haereticū, & vt superius animaduerti, blasphemi vt plurimū ex lubrico linguae, non ex haeretica credulitate, sed ex vehementiori passione, in hoc peccatum abripiantur, dico hanc assertionē non facile ad praxim traduci posse, tùm quia cognati & domestici ad hoc à iure nō coguntur, nisi in haeresis crimine versentur, in quod omnia iura insurgunt & clamant, cuius nomine à communibus legum regulis recedi solet, & ob ingens eius periculum, & difficillimam haeretici cognitionē, nulla praemissa correctione statim fieri solet denūtiatio; tùm quia hoc raro admodum fieri potest absq; damnorum periculo, quae in vita, honore, bonis externis, & in communi pace inferri contingit. In quibus casibus aliquem à denuntiando excusari communis est Doctorū sententia. *Menoch. lib.* 2. *de arbitr. Iud. casu.* 487. *Sayrus. libr.* 12. *clau. regul. capit.* 20. *dubit.* 7. *prop.* 3. *numer.* 28. *Lazarius. de monit. sect.* 2. *quaest.* 14 *Graffius. consil.* 1. *de testibus. cog. numer.* 17. *Guttierez. lib.* 1. *qq. canon. cap.* 11. *numer.* 55. *Megal. in Institut. Confess. lib.* 1. *cap.* 5. *numer.* 28. *Auila. de cens. par.* 2. *cap.* 5. *disput.* 5. *dubit.* 2. *vt etiam dixi in Comment. de cas. reser. par.* 2. *c.* 1. *Et de hum. vita. statib. p.* 2. *c.* 4.

Opinio nihilominus Comituli, Lazarij, & aliorum, locum habere posset, quando alia indicia concurrerent, quae patrem, fratrē, maritum, dominum, vehementer de haeresi suspectos redderent, & maxime si in subsidiū ad hoc ab Inquisitore vocarentur.

QVAE.

QVAESTIO XXXIII.

An Confessarius poenitenti præcipere debeat vt blasphemos iam emendatos denuntiet.

Confessarius debet ne pœnitenti præcipere, vt blasphemos iam emendatos denũtiet? R. Si pro certo hẽat, blasphemãdi vitium eos exuisse, nõ esse ad fidei Cẽsores deferẽdos. Cum tamen semel malus semper in eodẽ genere mali talis præsumatur, non facile emendatus quis censebitur, nisi certis signis, & argumentis id comprobetur; vt si constet honestissimorum virorũ familiaritate per tres cõtinuos annos vsum fuisse, atque integram, ac spiritualem vitã duxisse quãdoquidem qui per triennium bene vixit, mutatus præsumitur. *D. Thomas. 22. quæst. 33. art. 7. Sot. l. 5. de Iustitia, & iure. q. 5. artic. 1. Mascardus. de Probat. volum. 2. concl. 600. Tusch. ver. malus. concl. 28. Riccius. in Decis. Cur. Neap. Decis.* 159.

Cum tamen hominis iudicium sæpe fallatur, & difficile sit, hominum de hæresi vehementer suspectorum emendationem cognoscere, qui multoties se esse correctos fingũt, & ipse homo sit animal fragile, atque mutabile, & vt loquitur. *Iob. c. 14.* numquam in eodem statu permaneat: vnde cum Plato Heliconi daret ad Dionysium literas, illum vt probum, modestæ, ac correctioris vitæ commendauit, deinde in literarum calce adscripsit, Hęc tibi scribo de homine animante natura mutabili; ideo nisi vt diximus, certa appareant mutationis argumenta, tutius, & consultius est, illos denuntiare, præsertim vbi alia hæreticæ prauitatis vrgeant indicia. *Marc. Ant. Gen. d. cap. 23. n. 6. Lazar. d. q. 12. n. 68.*

QVAESTIO XXXIV.

Nunquid Confessarius possit alterius nomine blasphemantem ad S. officium deferre.

Quid si pęnitens nullo modo induci posset, vt quem nouit sępe blasphemantem, ad Sacrę Inquisitionis tribunal deferret, Posset ne Cõfessarius eum ipsius pœnitentis consensu hoc facere? R. Ex iusta causa hoc ei licere, puta si aliqua puella, ex honestis parentibus nata, domus serui frequenter hæreticales proferentem blasphemias audisset, & non sine aliqua virginalis pudoris nota, egredi domum, & ad S. Inquisitionis officium accedere nequiret. Vel si sanctimonialis aliqua inclusa, baiulos monasterio inseruiẽtes palã Deum, vel sanctos maledictis, & conuicijs hæresim sapiẽtibus procindẽtes audiuisset; vel aliquis alius iusto impedimẽto detẽtus foret, & c. tũc Cõfessario integrũ esset, mandatũ hoc intra, vel extra confessionem accipere, & blasphematores ad Iudices violatæ religionis deferre, proprio nomine in aliqua schedula subscriptos; cum certũ sit, obligationi suę nõ satisfacere, qui nomen inscriptis non declarat. Debet tamen Confessarius solum necessitate compulsus, & cum nullum aliud supersit remediũ, id onus suscipere, ne quid à suo tribunali alienum rentare videatur. Et vt rite, ac prudenter agat, habeat simul licentiã declarandi Censoribus fidei nomen, & qualitates pœnitentis impediti, cuius vice denuntiat. *Lazar. d. quæst. 12. num. 65. & 74. Gen. d. cap. 23. num. 2. Zecchius. in Theolog. mor. de hæresi. cap. 11. num. 12. & de casi reser. casu. 2. Riccius. par. 2. Decis. Cur. Neap. Decis. 137. num. 1. Molfes. tract. 11. cap. 7. num. 191. Henriq. de pœnit. l. 2. cap. 10. num. 1. Comitulus. l. 4. quæst. 7.* Vide supra *tract. 7. cap. 3. quæst. 16.*

QVAESTIO XXXV.

Num Confessarius absoluere possit excommunicatum eo quod iuxta Inquisitoris edictum blasphemum non denuntiauit.

Poterit ne Confessarius absoluere pœnitentem censura excommunicationis innodatum, eo quod iuxta editũ S. Officij Inquisitionis, blasphemum nõ denuntiauit? R. Absolutionis beneficium ab Inquisitore, vel à supremo S. Officij tribunali Romæ obtinẽdum esse, si illa excommunicatio reseruata sit, cum eius sit soluere, cuius est ligare. *cap. pastoralis. §. præterea. ext. de officio. deleg.* Et si *Bonacin. de cens. disp. 2. quæst. 6. puncto. 2. num. 40.* indistincte teneat, si delictum hoc occultum sit, facultate sibi à Concilio Tridẽtino tradita, ab Episcopo, vel eius Vicario, seu Pœnitentiario absolui posse. Quod si edictum per viam genaralis constitutionis latum sit, ita vt excommunicationis absolutio nemini reseruetur, cuilibet Confessario approbato in foro conscientiæ, & pręmissa denuntiatione, absoluere integrum erit; quandoquidem Inquisitor sibi absolutionem non reseruando, vinculum illud auferendi, & explicandi potestatem inferiori concedere videtur. *cap. nuper. de sent. excomm. Lazar. de Monit. sect. 4. quæst. 13. numer. 3. & de Blasphemia. quæst. 12. num. 79. Molfes. tract. 7. cap. 21. num. 54. Solerus. de Iurisd. Confess. cap. 4. & alij communiter.*

Proinde hinc etiã conficitur, Quando essent excõicati omnes non restituentes, aliquorũ bonotum detentores non reuelanres, non confitentes, aut sacram eucharistiam in Paschate non sumentes, & c. tunc non solum Episcopũ alterius diœcesis, sed omnes Cõfessarios expositos posse huiusmodi excommunicatos absoluere, & satis esse vt parti lęsæ satisfaciant,

faciant, & perceptum quod transgressi sunt, adimpleant. Atque sic communi praxi recipitur.

ARTICVLI CASVS, ET QVAESTIONES super iuramento. Cap. VIII.

QVAESTIO XXXVI.

QVOMODO IN ACTV PRACTICO se gerere debeat Confessarius cum falso iurante, vt quia homicidium occulte commisit, & coram Iudice vult negare? Et an si ante formatam Inquisitionem fugam arripuerit, iurare possit se non causa homicidij, sed ex alia de causa ex vrbe discessisse.

QVomodo in actu practico se geret Confessarius cum pœnitente, qui frustra, aut temere, vel falso iurauit? & quid in prædicto casu agendum est.

SVPPOSITA, ET PRAENOTIONES.

REspondetur supponendo primo, Interea quæ ad diuinum cultum pertinent, non vltimum locum iuramentum obtinere, nam si cum debitis circunstantijs exerceatur, actus est virtutis, quæ inter morales religionis principatum tenet, Siquidem. *D. Thomas. 22. quæst. 98. art. 2. & 4.* Ex illo loco. *Deuter. cap. 6.* Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruies, ac per nomē illius iurabis, colligit, Iuramētum esse latriæ actum, qui enim iurat, diuinum testimonium ad veritatem cōfirmandam inuocat, cum iurare nil aliud sit, quàm Deum in testem adducere, & Iuramentum sit inuocatio diuini testimonij in dicti alicuius cōfirmationem. Vnde iuramētum dicitur à iure, quia à iure, vel lege introductum est, vt dicta sua, vel facta homines diuino testimonio, quod fallere non potest, confirment. Vel quia qui iurat, perinde facit firmum id quod iurat, ac si esset ipsum ius, id enim quod iuratur, pro lege habendum est, ac velut ipsum ius sanctè custodiendum. Inter ea namque quæ humanæ miseriæ necessitas inuexit, est iuramētū; tāta siquidem perfidia ex hominū malitia suborta est, vt nihil propemodum firmum, aut certum esse videretur, nulla hominum, verique reuerētia, vt oporteret Dei testimonio omnia facta, & dicta necessario obsignari; ac proinde nec sponte, nec ex voluntate iurare debeamus, sed ad iuramentum, vt ad medicinam necessitas nos trahere debeat: id quod Apostolus insinuare videtur, quando ad *Heb. cap. 6.* dixit, Iuramentum esse finem omnis controuersiæ, ac si lege sancitum esset. Et maximum remedium expediendarum litium appellatur à *Caio. I.C. in l. 1. ff. de iure iurando.* A' quo non abludit Aristoteles, cum *lib. 1. rhet.* ait, Iusiurādum est cum diuina veneratione dictio, probationis expers. Vbi nomine dictionis affirmationem, & negationē comprehendit; & addit, probationis expers, vt iusiurandi naturam omnino patefaceret, quæ est vt citra necessitatem, vbi res aliter probari potest, nō licite adhibeatur. Et *Cicero. in 3. off.* In iureiurando, inquit, non qui metus, sed quæ vis sit, debet intelligi, est enim iusiurādum affirmatio religiosa, quod autem affirmate quasi Deo teste ꝓmiseris, id tenendū est, &c. Quam iurandi rationem, & Deum in testem adducendi, fere omnibus hominibus fuisse innatam, & ab vniuersis gentibus vel barbaris frequentatam, tùm ex his, tùm ex alijs tàm profanarum, quàm sacrarum literarum locis satis constat. *Sot. l. 8. de iustitia, & iure. quæst. 1. art. 1. Arrag. 22. quæst. 88. art. 1. Val. tom. 3. disp. 6 quæst. 7. puncto. 1. Lessius. lib. 2. cap. 42. dub. 1. Azor. p. 1. l. 11. c. 1. & 2. Mald. 32. tract. 10. cap. 6. dub. 1. Sayrus. in claui reg. l. 5. cap. 1. 2. & 3. Nau. cap. 12. num. 2. Tol. l. 4. cap. 20. Sanchez. in oper. mor. l. 3. cap. 1. Syl. Tab. & aly. in ver. iuramentum. Alph. de Castro. l. 8. aduersus hæreses. in v. iuramentum. Reginald. l. 18. cap. 1. Tholos. lib. 50. syntag. Iud. cap. 3. Iustin. in Tob. cap. 9. vers. 5 in doc. Graffius. lib. 2. decis. aur. cap. 13. Holchot. super Sap. cap. 12. lect. 152. Carthag. l. 5. hom. 5.*

Sed quia nulla actio dici pôt cū virtute coniuncta, nisi per se recta sit, & recte exerceatur, sic enim Deus in *Deut. cap. 16.* serio nobis præceperat;

Quod iustum est, iuste persequeris vt viuas; vt iuramenrum iustum sit, & virturis actus, tres comites requirit, iudicium, iustitiam, & veritatem. *cap. & si Christus. ext. de Iure iur.* si iudicio caret, incautum dicitur, si iustitia, iniquū, si veritate, periurium. Quod diuiditur in iudiciale, & extra iudiciale: Iudiciale est de amouenda calumniæ suspicione, vel ad supplendam probarionem, & dicitur tùm necessarium, quia cum à Iudice legitimo datur, recusari nequit; tùm decisiorum, quia, vt supra dixi, ad litis decisionē pręstatur. Extraiudiciale, vel est promissoriū, vt cū dicitur per Deū hoc faciā, vel assertoriū, vt per Deum hoc feci: Cōminatorium, in quo malum pœnæ promittitur, vt per Deum te castigabo; Vel execratorium, in quo siue promittendo, siue asserendo, aliquid affirmatur, vel negatur, ut Deus me destruat, nisi hoc faciam, &c. *Tol. & alij authores supra citati.*

His suppositis dico, quod si reus à Iudice competenti interrogatur de crimine, an illud commiserit, tùm demum confiteri tenetur, atque contra se verum dicere, quādo crimen est contra eū notorium, vel est de eo infamatus, vel semiplene probatū per vnum testem omni exceptione maiorem, deponentem, vt DD. loquuntur, assertiue, & per sufficientia indicia. Secus esset quando reus esset occultus, quia licet delictum manifestum sit, in eo tamen casu se prodere nō tenetur, & æquiuocatione vti potest, se

crimen

crimen non commisisse, vt illud confiteri debeat, nempe vt Iudici dicat; siquidē iuramētum de veritate dicenda ad occulta non extenditur. Quod ēt procedit, quando ex aliqua circūstantia factum affirmare de iure non teneretur, vt si ad suam defensionem homicidium commisit, non enim illud fateri astringitur, sed similiter equiuocatione vti posset. Non est tamen improbabilis eorum sententia, qui tenent, vt quamdiù sit euadendi spes, etiam si iuridice reus interrogetur, crimen fateri non tenearur, vt quia solum adesset semiplena probatio, vel alia indicia, quę solum ad torquendū reum sufficiunt, & per torturam euacuantur, quādoquidem sic prudenter huiusmodi præceptū interpretari debemus, vt humanę conditioni sit accommodatum, vt per *Molfes. tract.* 11. *cap.* 11. *num.* 77. *& annotauimus supra tract.* 5. *cap* 16. *quæst.* 96.

Ad secundam quæstionem dico pariter, quod si delictum occultum sit, reo integrum erit iurare, & allegare aliquā suæ fugæ, vel discessus causam, aliquo modo amphibologias adhibēdo, vt quod pro suis expediendis negotijs discesserit, vel quia forte consanguineos occisi timebat, qui in illum indebite culpam cōferebant; nam & in his casibus etiam in foro externo eius iuramento standum erit, cum hoc aliter probari nequeat. *Seraph. de priuileg. Iuramenti. Priuileg.* 6. *& alij communiter.*

QVAESTIO XXXVII.

QVID AGERE DEBEAT CONFESSARIVS cum pœnitente, qui in re leuissima iuramentum interponit, &c.

QVid aget Confessarius cum pœnitente, qui siue vendat, siue emant, vel aliquid negotij gerat, seu etiam in re leuissima, & inanidum familiares sermones miscet, iusiurandum interponit, dicendo per Deum ita est, per Deum hoc faciam, &c. Et quid agendum cum muliere, quę cum iuramento consensit alienationi dotalis fundi per maritum factę, quando prius se nolle alienare iurauit? Et testamētum reuocauit, quod iusiurandi religione se non reuocaturam promisit? R. Prima Iuramēti lex & conditio est, vt maturo consilio, & considerate, & exigēte necessitate fiat. Vnde *D. Ambros. in Psal.* 118. Nemo, inquit, bene iurat, nisi qui potest scire, quid iurat, perspicuum autem est, neminem scire posse, quod iurat, nisi qui rem iurandam cōsiderat, ac dijudicat. Quippe prudētis est munus, diligenter omnia quæ facienda, & promittēda sunt, attendere, & verba antequā ex ore egrediantur, perpendere, iuxta illud. *Psal.* 36. Os Iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudiciū. Sapiens. *Eccles. cap.* 21. illā inter virum probum, & fatuum differentiam ponit, vt stultus inconsiderate loquatur, bonus vero non nisi prudenter & consulte sermones proferat, In ore, inquit, fatuorū cor illorum, & in corde sapiētum cor illorū. Et ut dicebat Phalaris tyrānus. Sicut rupes flumini objicitur, ne se effundat, ita ratio linguæ objicienda, ne temere effluat. Hinc est quod pueris ante pubertatem in iudicio iurare à iure interdicitur, quia ante eam ætatem non eo pleno iudicio, & rationis vsu gaudent, ut cum debita reuerētia iurare ualeant. Et iure merito olim statutum est, ut ante Iudicis tribunal, nemini nisi ieiuno iurare liceret, ne fortasse cibi, & uini uaporibus caput petentibus ratio, & necessaria consideratio impediretur: siquidem iuramentum se habet instar medicinæ corporeis morbis subuenientis, cuius usus tantum cum necessitas postulat, proficuus est; ita iuramenti frequens usurpatio perniciosa esse solet; & tunc tātummodo salutaris est, cum omnibus circunstantijs perpensis grauis causa subest. *cap. Lonestum.* 22 *quæst.* 5. Vt est commune DD. placitum apud. *Sanchez. l.* 3. *de præcep. cap.* 3. *num.* 9. *&* 7. *& Molfes. tract.* 11. *cap.* 9 *num.* 50.

Sicēt sacerdotes in iudicio ex leui causa iurare ea ratione prohibentur, quia hominis dictum tunc iuramento indiget, quando de ipsius integritate, & ueritate dubitatur, quod sacerdotalem statum dedecet; ac proinde necessitas requiritur in defectum uidelicet ꝓbationis, uel magna utilitas, ne s. ipsi sacerdotes, uel alij, res suas amittant: in quo tamen casu Ordinarij quoque uel Superioris licentia necessaria est. *Farinac. de testibus. quæst.* 61. *Gen. in Praxi Neap. cap.* 43. *Graffius. tom.* 2. *conf.* 9. *de sent. excom. Rod tom.* 3. *qq. regul. quæst.* 71. *art.* 2. *Riccius. in* 2. *p Decis. Cur. Neap. Decis.* 61. Plutarchus etiam in suis Emblematibus refert, olim lege cautum, ut si quis per Cererem iurare deberet, eius tēplum adiret, & chlamyde indutus facem manu teneret, ut his omnibus admonitus, animum excitaret ad considerandum, quanta cum reuerentia iusiurandi religione uti oporteret. Ita quoq; Plato propter facilitatem ad periuria, non passim esse iuramentum permittendum tradit in 12. *de legibus.* Et metu periurij timebant iurare Heroes cum Iasone profecti ut auctor est Orpheus in Argon.

Iuramenta timentes signarunt hoc manibus.

Xenophanes Philosophus uir ualde pius ac religiosus dicere solebat, non esse æquam prouocationem impij hominis aduersus pium, quoniam pius homo ualde timide ad iusiurādum accedit, & semper ueretur, ne temeritate sua Deum offendat; impius autem, qui uel non esse Deum putat, uel si sit, humana non curare existimat, confidenter, & audacter iurare solet. Clymias unus ex Pythagorę familiaribus, adeo iusiurandum reuerebatur, ut cum per illud trium talentorū mulctam effugere posset,

exso l-

exsoluere maluerit, & si ipso iuramento recte vsurus esset, &c. *Arist. in 1. Rhet. ubi Maioraggius. Io Carthag. d. hom. 10. Graff. d. l. 2. cap. 15. Tholos. l. 50. c. 3.*

Proinde Confessarius pœnitẽtes admonere debebit, eos venialẽ saltẽ culpam contrahere, qui irreuereter per creaturas, nulla habita ratione ad diuinam veritatem in illis effulgentem, accedunt, & qui sine vlla deliberatione, & necessitate, ex leuitate iuramentũ adhibent; & talem abusum iuramenta frequentandi eradicari debere ob periurij, & lethalis noxæ imminens periculum, siquidẽ vir multum iurans implebitur iniquitate, & non discedet à domo eius plaga. *Eccles. c. 23.* Et vt ait Hesiodus, Qui periurus est homo, nõ tantum ipse punitur ab immortali Deo, sed ẽt eius filij, ac posteri: qui vero iusiurandi religionem obseruauerit, is non tantum ipse, sed eius liberi, & descendentes, debita præmia consequentur. Hinc legimus, quod eorum, qui ab immundis vexabantur spiritibus, ingens quotidie, ad D. Auxentium Abbatem cõfluebat multitudo, ex quibus plurimi sanctis eius precibus sunt curati. Die quadam venerũt ad eum duo morbo elephantiaco turpiter deformati, vt sanitatem ab eo reciperent; quibus vir sanctus nostis, inquit, ò fratres, qua de causa ira Dei in vos deſæuit? Vos frequẽter leuissimis de causis sacrosanctum illius nomen sumitis, iuraris, ac peieratis, ideoque iusto eius iudicio præsens hæc calamitas vos premit; sed tandem peccatum vestrum agnoscite, & ad mentem redite, vt sanitatem consequamini. Hæc cum dixisset, omnes ad precandum hortatus est, & ipse flexis genibus, & ingenti lachrymarum vi profusa, tãdem surgens oleo sancto eos inunxit, & incolumes à se dimisit. *Daur. tom. 2. cap. 3. tit. 25. exemplo. 5.*

Secundo dico, qđ si mulier dotalia bona se non alienaturam, vel alienationi consensuram iurauit, & postea alienauerit, vel alienationi per maritum factæ, apposito etiam iuramento, consenserit, istud secundum iuramentum contra primum non valet, nec ligat, & per consequens contractum illum non confirmat. Primo, propter iuramentum prius præstitum. Secundo, ob legis prohibitionem, quæ ob publicum bonum doti fauet, constat autem quod duplex impedimẽtum difficilius, quàm vnum tollitur, vt ex communi resoluit. *Seraphinus. de Seraph. de Priuileg. Iur. Priuileg. 75. nu. 44. & Priuileg. 76. num. 13.* E contra vero dico, ipsam testatricem posse conditum testamentum reuocare, etiam si iuramentũ de non reuocando, vel aliam derogatoriam clausulã in eo apposuisset; & euidens est ratio, quia dum testamentum sua natura rettactabile est, nulla cautela dari potest, qua retrahi aut non reuocari queat; quare in tali casu reuocatio valida est, & si reuocans lethaliter peccato periurij delinquat, vt etiam ex cõi placito tradit. *Malsef. tr. 13. c. 2. n. 153.*

QVAESTIO XXXVIII.

QVOMODO SE GERET CONFESSARIVS cum iniuste iurante, &c.

Qvomodo se geret Confessarius cum eo, qui sine iustitia iurat? R. Non satis est considerare, an iuramentum necessarium sit, nisi etiã inquiratur, an sit iustum; quantumuis enim res magna existat, & mente reuoluta, si iniusta sit, sicut non est iuramento firmanda, ita nec est executioni mandanda. Vnde qui homicidium, aut furtum, aut quid simile se perpetraturos iurãt, peccare quidem dum iurant, comprobantur, non tamen adimplere coguntur, nec aliqua dispensatione opus erit, nam quotiescumque materia non est obligatorij iuramenti capax, absque culpa illius executionẽ omitti ex eo patet, quod tale iuramẽtum sit inualidũ, cum iuramẽtum non debeat esse iniquitatis vinculum, nec contra bonos mores præstitum sit obligatorium. *cap. non est obligatorium. de reg. iu. in 6. cap. quanto. ext. de iureiur. D. T hom. 22. quæst. 89. art. 9. Syl. v. Iuramentum. 1. q. 1. Sot. l. 8. de iust. & iu. q. 1. ar. 7. & 9. Suar. l. 2. de relig. cap. 12. & seq. Sanch. l. 3. cap. 9. Reginald. l. 18. num. 41.* Hinc fit, insignis censeri imprudentiæ actum in genere promittere, & offerre se ad faciendũ quidquid alter petierit, præcipue, cum de petente timeri possit, quod rem iniustam postulaturus sit, sicut Herodi euenit, qui saltatrici filiæ Herodiadis iurauit, quia quidquid petieris, dabo tibi, ipsa autem petijt dari sibi in disco caput Ioannis Baptistę, qui ut ait. *D. Amb. l. 1. de off. c. 50. & l. 3. cap 18.* imprudens fuit in promittendo, & multo peior in promisso adimplendo, cum non possit esse legitima fidelitatis materia, quæ iniustitiæ admiscetur. Et quod iuramentum non debeat esse vinculum iniquitatis, sed tamen adimpleri debeat, quando sine salutis æternæ dispendio seruari potest tradit etiam. *Afflictus. Decis. 322. & Tusch. verbo. Iuramentum. concl. 500.*

Ex hoc capite etiam aliqui deducunt iniquissimam esse illorum aduocatorum, & causidicorum assertionem, in reorum defensione per tractãda, licere mendacijs, & periurijs vti, quia scilicet testis nemini nocet, & accusato prodest, qui in capitis, vel fortunarum discrimen coniectus est: hoc enim falsum testimonium multiplicem deformitatẽ inuoluit. Primo, periurij. Secundo, iniustitiæ. Tertio, falsitatis; Qua occasione deploranda est misertima multorum conditio, qui vel diuinæ legis ignorantia, vel nimia diuinę misericordię fiducia, amicitiæ causa, in hoc genere delinquere solent, ideo diligentissime hoc uitari debet, & à Confessarijs, Concionatoribusque inculcari. *Ala. de aduocat. quæst. 73. Lazar. de monit. quæst. 12. num. 90.*

QVAE-

QVAESTIO XXXIX.

Quomodo agendum cum eo, qui metu, vel minis iniuriose coactus, aliquid iurando promisit, &c.

ET præfatæ doctrinæ inhærendo, quæritur pro praxi quomodo agẽdum cum eo, qui iniuria metu, vel timore, vel minis, coactus, aliquid se facturum, vel daturum iuramento promittit, vt exemplum dari pôt de eo, qui est à latronib. captus, &c? R. Si eos calliditate, vel verborum ambiguitate nõ deceperit, tenetur pecuniã promissã soluere, quàm tamen in iudicio repetere potest, & ipsi fures in foro conscientiæ eam restituere tenentur, cum nullo pacto in eos dominium sit translatum. *D. Thom. l. c. art. 7. Graffius l. 2. cap. 18. num. 32. Bonac. de leg. d. 4. quæst. 1. p. 9.* Atque idem asserẽdum est in eo, qui creditori soluere vsuras iurauit, nam vittute veritatis iuramento assertæ, non promissionis, quæ à iure irrita redditur, vsuras soluere tenetur, & si Superioris authoritate solutum repetere, vel ante solutionem dispensationem à tali iuramento obtinere potest. *cap. debitores. ext. de iureiur. Sanchez. l. c num. 24. & cap. 11. num. 3. & l. 4. cap. 8. numre. 18. idem Bonac. de leg. d. 4. quæst. 1. puncto. 8. & alij.*

Addo tantam esse iuramenti vim, & efficaciam, vt actum ex sua natura nullum, & inualidum confermet; & robur addat actui, super quo interponitur. Hinc dicimus, quod iuramentum facit de minore maiorem, & per consequens tollit ei beneficium restitutionis in integrum, quod alias ei, ut mi nori & læso cõpetebat, facitq; de actu qui rescissioni subiacebat actũ inexpugnabilẽ, ut ait. *Euerard. in top. leg. in loco à vi Iuram. & Sanchez. c. 12. n. 11. Molfes. tr. 11. c. 9. n. 29. Arisminin. tit. 237. Tusch. v. Iuramentum. concl. 533. Nald. in v. Iuramentum. n. 15. Seraph. de Priuileg. Iur. Priuileg. 83.*

QVAESTIO XL.

Quid cum eo, qui opera superogationis se minime præstiturum iuramento promisit, & quid cum Petro agere debet, qui post commissum delictum, clericus efficitur, asserens se ante delictum homicidy voluntary, iuramentum & votum clericatum assumendi emisisse, &c?

QVid cum eo agendũ, qui de omittendo opere supererogationis iurauit, & qd in præfato casu de Petro cõsulendũ? R. Illũ admonere dẽt nullam conttahi obligationẽ, qñ iuratũ est aliquid, qd euangelicis consilijs, aut christianæ perfectioni aduersatur; qualeest numquã fieri religiosum, numquam sacros ordines suscipere, pecuniã non mutuo dare, vel eleemosynam nisi extreme indigenti, non fideiubere indifferẽter, & pro nemine, vel vllo tempore. Nam licet nulla obligatio sit agendi talia bona, quamdiù intra limites supererogationis manent; nemo tamen se ad eorum omissionẽ obligare potest, quæ non est iuramenti materia capax, cum sit contraria vni iustitiæ parti, quæ est facere bonũ; sicut peccatum siue mortale, siue veniale aduersatur alteri parti, quæ est declinare à malo. Vt illud etiam omittam, quod se ad talem omissionem obligare sit Spiritui sancto obicem ponere, cuius proprium est mentibus sancta desideria instillare, vt *Nau. cap. 12. num. 17. Reginald. num. 4. ac seq. & alij communiter docent.* At iuramentum sicut & votum non omnibus indiscriminatim mutuandi, aut pro omnibus fideiubendi, valeret, ne incõsiderate cum iuramento spondendo, mutuans, aut fideiubens periculo soluendi, aut non suum recuperandi se exponat; nam. *Salomon. Prouerb. c. 17.* admonet, ne quis temere fideiussor existat, ne frequenti, & inconsulta fideiussione contingat, ære alieno grauari, & propriam substantiam perdere. *Bitfeldius. in cap. nauiganti. quæst. 3. ext. de vsuris. Sanchez. l. 4. de pracep. cap. 8. num. 18. & seq.*

Ad secũdam. q. d c, Primo Cõfessarium ei aperire debere, irregularitatis labem contraxisse, quæ non nisi à Summo Pontifice elui potest, quam in praxi fere numquam auferre consueuit. *Conc. Trid. sess. 24. de refor. cap. 6.* Secũdo, in casum reseruatum Episcopo ob homicidiũ voluntarium incidisse. Tertio, à foro sæculari non eximi, & à laico Iudice puniri posse, si post delictum in fraudem clericalẽ statum assumpsit, vt quia contra eum inquisitio iam formata esset, facta prius per proprium Episcopum ipsius depositione, si mortis pœna afficiendus sit; nisi ante delictum iuramentum, vel votum religionis, aut sacri ordinis suscipiendi fecerit, cui rei probandæ in foro pœnitentiali simplici assertioni, at in foro externo iureiurando standum est. *Duard. in Bulla Cœnæ. l. 2. can. 15. quæst. 11. num. 6. & Seraph. de priuileg. Iur. priuileg. 8. contra Cou. in Pract. qq. cap. 32. num. 4 & Bonac. de leg. d. 10 q. 11. p. 1. §. 1.*

QVAESTIO XLI.

An promissorium iuramentum de re indifferenti validum sit, &c.

QVid si promissorium iuramẽtum emissum sit de actione indifferẽti, seu quæ de se nullam vtilis, vel alterius boni rationem habet? R. Salua perseuerante indifferentiæ ratione, nullam oriri obligationẽ, qua quis quod iuratum est præstare teneatur, vt si nulla interueniente boni circunstantia, iurauit quis domum illius nõ aditurum, vel

 nullo

nullo vmquam ludi genere lusurum, siquidem iuramentum non est vinculum institutum ad faciendum aliquid otiosum, vel vanum, vt de se actus indifferens esse censetur. Quod si ex adiacentibus, & circumstantijs contingat actum indifferentem vtilem, aut aliter bonum reddi, vt si quis iuret se non iturum ad talem domum, vel tali via non transiturum, ad cauendum ne alicuius fœminæ aspectu tentetur, vel morosa aliqua delectatione contaminetur, ad vitãdam nimirum peccati occasionem, tunc dicendum est, huiusmodi iuramentum obligare: sapientis est enim Diaboli foueas, & suspectos laqueos timere, & iuxta vetus dictum, Perdicis more periculum euadere. Atque idem dicendum de eo, qui execratorio iuramento temere dixit, Deus male mihi vertat, si amplius lusero, scilicet vi iuramenti non teneri abstinere à ludo non illicito, in parua quãtitate, ad honestam recreationem capiendam. *Caiet. in v. periurium. Nau. cap. 12. num. 11. & 12. Reg. d. l. 18. num. 46. Graffius. consf. 4. de voto. & l. 2. decis. cap. 18. num. 17. Sanchez. in oper. mor. l. 3. cap. 11. num. 11. & cap. 18 num. 3. Ferrandes. p. 1. cap. 5. §. 2. num. 9. Roder. in summa. p. 1. c. 189. num. 10.*

CAP. IX.

QVAESTIO XLII.

QVID A' CONFESSARIO CIRCA EVM seruandum, qui sine veritate temere iurauit, &c.

QVid seruandum à Confessario circa eum, qui aliquid asserendo, vel negando, sine veritate (tertio iuramenti comite) temere iurauit, &c? R. De certa culpa mortali admissa certiorem absque dubio faciendum, etiam si ioci, vel officij causa id præstiterit; siquidem iusiurandum assertorium veritate destitutũ, in quacunq; materia quamuis leui, & iocosa, sępe aiam mortali culpa sauciat; solumque ab huiusmodi noxa defectu plenæ deliberationis excusari potest; nam abstrahendo à quacunque materia, Deum in testem mendacem afferre, est sanè grauissima iniuria, quæ illi irrogatur. Qua in re ingens cernitur hominũ abusus, qui ptout stultorum infinitus est numerus. *Eccles. cap. 1.* iocandi causa, vel ad euitãdum aliquod proprium, uel alienum damnũ, mendaciũ ẽt cum periurio licere putant. Sic passim periuri sunt & grauiter peccant obsoniorum uenditores, qui falso iurantes unam rem pro alia uendunt, etiam si resemptori utilis sit, & in precio descendant. Sic delinquere solent caupones, qui uinum, uel carnem unius generis pro alio eiusdem tamen bonitatis, & commoditatis falso adhibito iuramento uendunt, cum charitatis leges uiolent. At secũdum aliquorum sententiam, Iustitiæ non aduersatur, si nullum damnum, uel incommodum emptori sequatur, & iustum tantum pretiũ accipiatur; & illã positionẽ, Dolus dans causam cõtractui illũ uitiat, in foro exteriori, nõ in interiori intelligi debere uolũt. *Nau. cons. 3. de empt. & vendit. Nald. v. vendere. n. 11. Beia. p. 1. casu. 64. Reginus. casu. 31.* Idem dicendum de eo, qui pro certo iurauit id, quod uerum sit, an falsum, uaria ductus ratione anceps erat, nisi affirmauerit eo modo, quo illud nouit, ea nimirum ratione, qua Archidiaconus quando Episcopo interrogante, an qui sacris ordinibus initiari uolunt, digni sint, respõdet esse quantum humana fragilitas nosse permittit. *capit. 1. de scrut. in ord. facien. Nau. cap. 12. num. 8. Sanchez. l. 3. cap. 4 num. 8. & 13. Reginald. lib. 18. num. 80.*

Eadẽ est ratio de interrogato iuridice an crimen aliquod admiserit, qđ non per se, sed per alium perpetrauit, est enim periurus, si iuramento se illud commisisse neget, nam hoc iusiurandum secũdum legitimum uerborũ sensum accipiẽdum est, quem aut suapte natura uerba habent, aut in quo leges accipiunt, at fecisse uere dicitur non ille solus, qui per se ipsum fecit, sed & qui fieri mandauit. *l. 1 §. deiecisse. ff. de vi, & vi armata.* Testi tamen iuridice interrogato, an aliquid sciat, sed non rogato an audierit, iurare licebit, se nescire, si solum audierit; qa hæc uerba plana sũt, & ab omni amphibologia libera. Quippe ea sola testes scire cẽsentur, quæ in eorum præsentia gesta sunt, & quæ uiderint. *Sanchez. lib. 3. de precept. cap. 7. num. 5. Menoch. l. 5. de Præsumpt. Præsumpt. 22. num. 10. Lazar. de Monte. sect. 2. quæst. 12.*

QVÆSTIO XLIII.

QVID CIRCA EVM OBSERVANDVM qui aliquid iuramento promisit adimplere non intendens.

QVid circa eum, qui iuramento aliquid promisit, adimplere non intendens? R. Patefacere debet lethali scelere se obstrinxisse, nam iuramentum promissorium ex defectu ueritatis de presenti semper est mortale, eo quod uox externa cum interiori exequendæ rei promissæ animo non concordat, siue res magna, siue parua sit, & Deus rei falsæ testis constituitur. Si uero tempore promissionis quis habuit animum promissum adimplẽdi; sed iuramento ueritas in futurum tantum deesset, tunc pollicita non adimplere, receptior est sententia in foro cõscientiæ nõ periuriũ, sed infidelitatem esse, cum Deus falsitatis testis nõ adsciscatur. *D. Thomas. 22. q. 100. art. 3. Reginald. num. 97. Sanchez. n. 23.*

Et regulariter ex tali iuramẽti uiolatione lethalis non conflatur culpa, nisi ex damno proximi, uel alia

alia mala circumstantia peccatum mortale consurgeret. A quo vt plurimũ excusantur debitores, qui æs alienum temporibus ex pacto statutis, suis creditoribus non soluunt, præsertim cũ iusta non soluendi postmodũ causa interuenit, cum ea, quę de nouo emergunt, nouo indigeant auxilio, &c. Sicut etiam iuramentum non obligare censetur; quoties dolus, aut error circa causam finalem versatur, seu quoties iurans secundum prudentem æstimationem, si dolum cognouisset, iurare noluisse præsumitur, siquidem in eo casu iurans censetur iurare sub conditione, si res ita est. Hinc qui contractu venditionis stare iurauit, sed postea se notabiliter in pretio læsum deprehendit: posset ipsius contractus æqualitatem procurare, quia iuramenti religio adhibita est cum errore circa causam finalem versante nam contractum iustũ esse credebat, & sic de similibus casibus per hãc regulã iudicandũ est. *Bonac. de leg. d. 3. q. 1. p. 8*

In præfatum scopulum facile impingere solent artifices, mechanici, & negotiorũ actores, qui sæpe cum iuramento polliceri solent, se ad talem diem rem aliquam perfecturos, scientes se quod dicunt, præstare non posse, aut recentibus promissis se ad priora exequenda impotentes reddentes. Qua in re multoties à culpa mortali nõ excusantur, etiã si his promissis iuramenta non admisceant. *vt dixi in Cõment. de hum. vita stat. & eorum oblig. p. 2. c. 13.* Hucque refertur iuramentum cõfirmatorium, quo aliquis factam stipulationẽ, renũtiationem, cessionem, vel alios ciuiles contractus iuramento confirmat, quia non solum quis factum præteritum, vel præsens ratum habet, sed etiam de futuro non contrauenire (vt aiunt,) promittit, vt patet ex formula huius iuramenti in tabulis inseri solita; In quo eodem modo peccari contingit, &c.

QVAESTIO XLIV.

QVOMODO SE GERERE DEBEAT cum eo, qui verbis amphibologicis peierauit, &c.

QVomodo se gerere debet cum eo, qui verbis amphibologicis peierauit, v.g. cum præcedentibus indicijs, à legitimo Iudice interrogaretur, an viderit Petrum ferientem Ioannem, respondit, se non vidisse intelligendo in mente sua, se nõ vidisse, vt ei dicat, &c? R. Et aperiendum est, tripliciter reum factum esse, tùm quia nomen Dei in vanum assumens, peierauit, tùm quia Iudicem fefellit, tùm etiam quia proximũ damno affecit, innocentem falso testimonio lædens, vt proinde detrimentum illatum restituere teneatur, &c. *c. 1. ext. de crimine falsi.* Nam ex communi sententia, dum quis iuridice interrogatur, non licet æquiuocis verbis vti, sed secundum mentem Iudicis iurare tenetur. *D. Thom. 22. quæst. 69. art. 1. & quæst. 89. art. 7. Nau. cap. 12. num. 13. Tol. l. 4. cap. 21.*

Si autem iuramentum per metum vel importunitatem, ab eo ad quem non spectet, vel à Iudice iuris ordine nõ seruato, iniuste extorqueatur, integrum est iuxta propriam mentem, & mentis eo necprum iurare, licet is cui iuratur, alium sensum percipiat, v.g. si Iudex aliquod secretum crimẽ requirat, & de scientia iuramẽtum exigat, iurare potest, se nescire, quamuis sciat, cõditionem illam in mente concipiens & detorquens, vt sibi reuelare teneatur, vt citati auctores prosequuntur, & tradit. *Vinal. in Cand. aur. p. 2. cap. 16. & Sanchez. l. 3. cap. 7. Molfes. tract. 11. cap. 11. num. 73.* Eadem est ratio cum aliquis ab alio rem dono, vel commodato petit, iurare enim potest, se non habere, intelligendo, quod ei det, &c. Hinc etiam resoluit *Nau. consf. 4. de iureiur.* matrem, quæ fecit multas expensas pro filia, quas cum esset illius negotiorum gestrix ex bonis d. filiæ reperijt, in reddendis rationibus potuisse iureiurando affirmare, se nil quod ad dictã suam filiam pertineret, retinere, nec ei quidquam debere, si animo non donandi, sed repetendi pro illa met filia expendit. Non tamen existimare debemus, passim & quauis de causa, verbis ambiguis, vel amphibologicis vti nos posse, sed tũc solum quando aliquod damnum nobis, vel proximo imminet, si iuxta mentem interrogantis, qui interrogandi legitimã non habet potestatẽ, respõdeamus, etenim si vniuersim his dubijs, & æquiuocis locutionib. vteremur, absque dubio humanæ societatis commercium tolleretur, christianæ siquidẽ simplicitati, ac veritati repugnãt. *Iust. in Tob. c. 5. vers. 7. in docum.*

Atque hinc clarescit, ab hac christiana veritate medicos illos aberrare, qui infirmos etiam ad mortem properantes, dicunt periculoso morbo non laborare, & pristinæ sanitati breui restituendos fore, illi Platonis sententiæ innitentes, qui *libr. 3. de repub.* ait, Deo quidem indecens, & inutile esse mendacium, hominibus vero quãdoque vtile, ac necessarium, vt eo tanquam medicamẽto vtantur, quod misericors mendacium appellabat; & illi Galeni præcepto se fulcientes, Ne ægris tristia nuntientur, &c. Euidens est enim & perspicuum, mendacium nulla prorsus de causa licitum esse, nec pro hominis vita, imò nec pro quocunque etiam grauissimo malo auertendo adhibendum esse, vt probat. *Lessius. de Iustitia. l. 2. cap. 47. dub. 6. & Reginald. l. 24. num. 6.* Nisi tamen dicamus, medicos à peccato mendacij excusari posse, si ex causa ægris nimis mortis metu consternatis, vitæ spem verbis ambiguis, & amphibologicis polliceantur, tacita mentis cogitatione secum intelligendo, si Deo placuerit; dummodo tamen periculum absit ne hac ea-

dem spe lactati animæ negotio non consulant, vt docuimus *in Comment. de hum. vita stat. p. 2. c. 8.*

QVAESTIO XLV.

QVID DE EO STATVENDVM, QVI iam mutuum acceptum soluit, quod ab ipso in iudicio repetitur, nec factam solutionem probare potest, &c.

QVid statuendum de eo, qui iam mutuum acceptum soluit, quod ab ipso in iudicio repetitur, nec factam solutionem probare poterat, an si interrogatus à Iudice, an mutuum quod repetitur, acceperit, responderit, se nil accepisse, periurij reus sit iudicãdus, si inquam respõderit se nil accepisse, intelligẽdo in mẽte sua postquã soluit, vel vt teneretur aperire, qđ acceperat? R. Non esse periurum, eadem, quam supra attulimus, ratione. Atq; idem dicẽdum est, si quacunque alia ex causa, ab eo mutuo soluendo liber fuisset, aut tunc non teneretur soluere, eo quod terminus ad quem mutuũ datum fuit, non est impletus, vel ob paupertatem debitor à tunc soluendo excusatus esset. Imò idem esset dicendum, quando à Iudice rogatus an centum deberet, cum tamen quinquaginta debitor esset, vel de fundo an sit suus, cum nihilominus partis tãtum sit dominus, absolute negauit. *Con. l. 1. var. resol. c. 2. num. 4. & seq. Azor. tom. 1 l. 11. c. 8. quæst. 14. Gutierez. in qq. pract. lib. 1. quæst. 61. num. 2. Vival. l. c. cap. 20. Sanchez. l. 3 cap. 16. num. 33. Molfes. d. c. 11. n. 39. Nald. v. interrogatus, & in v. chirographum.* qui tamen fatentur, hic iniustiriam subesse posse, si ad probandam partẽ illam vere debitam actor cogatur, &c. Chirographo etiam, vel alia mutui scriptura in iudicium dẽductus, non posset aliquo modo falsas solutionis tabulas, vel confictam scripturam producere, sicut nec licet amisso instrumento, vel scriptura de hęreditate, aut nobilitate, aliam similem conficere, licet nulli iniuria fiat.

In casu simili dicẽdum est inretrogatum, an talem occiderit, quem vere cum inculpata tutela interemit, sed ad id probandum testes non habet licet secundum ordinem iuris à Iudice interrogetur, posse tute respondere non occidi, in mente sua intelligendo de homicidio criminoso; si enim fateretur se pro defensione illũ de medio sustulisse, ei fides non adhiberetur, cum præsumptio contra eum militet ratione operis perpetrati, cum sit factum à iure damnatum; prout etiam uarijs in locis pro subiecta materia de hac re animaduertimus. *Salon. 22. quæst. 69. art. 2. Syl. in verbo. confessio. 1. quæst. 4. Nald. l. c. Corrad. quæst. 171. Regnut. in respons. casu consc. casu. 41.*

QVAESTIO XLVI.

QVID SERVANDVM ERGA EVM QVI statuta iurata non seruat, eo quod ab alijs non seruentur, & quid cum muliere, quæ cum pacto iuramento confirmato paternæ hæreditati renunciauit, & nunc illud obseruare non vult eo prætextu quod vt sibi à quodam causidico dictum est, pactum illud communi iuri repugnat?

QVid seruare debet in praxi cũ eo, qui iurauit se alicuius collegij statuta seruaturũ, ea tñ non obseruauit, eo prætextu, qđ in desuetudinem abierint, & ab alijs non seruenrur, & quid in præfatu casu illius mulieris, &c? R. Ad 1. q. dico, periurij crimine excusari, siquidem iusiurandum interpretari nos oportet de statutis, quãdiu fuerint in more posita; at vero per contrariam cõsuetudinem abrogata censentur, quando aut tota communitas, aut saltem maior pars ea non seruat; iam enim amplius vim statuti nõ habent, cum in sacris canonibus scriptum sit, quod leges instituũtur, cum promulgantur, firmantur autem cum moribus vtentium approbantur, &c. Quæ doctrina notanda est à Confessarijs, pro confraternitatibus, seu societatibus, medicis, scholasticis, decurionibus, mercatoribus, & artificibus, & huiusmodi, eorum enim iura menta statuta seruandi intelligenda sunt, prout vsu recepta sunt, quò eos omnes à perijurio vindicemus. *cap. 3. dist. 4. D. Anton. p. 2. tit. 10. c. 6. §. 6. Aug. Tab. & aly summulary. in v. abrogatio. Codronchius. de tuta, ac christiana. med. ratione. l. 1. cap. 39. Azor. p. 1. l 11. cap. 8. quæst. 8. fuse more suo. Sanchez. lib. 3. oper mor. cap. 14. Lessius. l. 2. cap. 42. dub. 4. num. 22. Reginald. l. c. num. 37. Bonac. d. 4. q. 1. p. 16. num. 9.*

Ad 2. quæstionem dico cum Bonifacio VIII. *S. P. in c. quamuis. de pactis. in 6.* quod licet pactum patri factum à filia dum nuptui tradebatur, vt dote contẽta nullam ad bona paterna regressum haberet, improbet lex ciuilis, si tamẽ iuramento, non vi, nec dolo præstito, firmatum fuerit, ab eadem omnino seruari debebit, cum non vergat in æternæ salutis detrimentum, nec redundet in alterius damnum. Et cum hic de materia agatur, quæ animæ salutem concernit, ius canonicum (sicut in alijs spiritualibus rebus) seruandum est, nec Confessarius super eo dispensare poterit. Imò vt ex cõmuni tradit idem. *Sanchez. l. c. cap. 21. num. 2.* Quando nulla versatur turpitudo ex parte recipientis iuramentum, nulli ecclesiastico Prælato præter Rom. Pont. fas est hoc iuramentum relaxare, idque ex grauissima causa, cum per hoc iuramẽtum alteri ius sit acquisitum. *Seraph. de priuileg. Iur. preuileg. 21.*

QVAE.

QVAESTIO XLVII.

Qvomodo se gerere debeat cum parentibus, qui filios, vel famulos se verberaturos comminantur, &c.

QVomodo se geret cum parenribus, vel dominis, qui comminando, vel execrãdo, iurant, filios, famulos, & alios verberibus excepturos, vel alio modo punituros, &c? R. Regulariter existimare debet, ea iuramenta comminatoria, vel execratoria non obligare, quia communiter ex ira, & passione, atque animo vindictæ sumendæ fiunt, ita vt potius culpæ, quàm virtutis rationem induant. Et licet ad honestam, & debitam correptionem ordinentur, & hoc modo obligare videantur; attamen ipsimet iurantes ea in melius commutant, tunc ab ea punitione abstinentes, vel quia emendati sunt, seu veniam deprecando impetrauerint, vel qđ consultius iudicetur, tunc eam animaduersionem non adhibendã, ne ipsi filii, vel famuli, deteriores fiant, domestica pax turbetur, & potius maior exoriatur perturbatio. Quandoquidem intentio iuramentis comminatorijs vtentium, non est absolute iurandi, sed subintellecta conditione, nisi contrarium magis expedire compererint, cum iuramentum sicut non est iniquitatis vinculum, ita maius bonum impedire non debeat. Admonendi vero sunt parẽtes, & heri, vt ab huiusmodi iuramẽtis abstineant, nam à grauiſ salte veniali culpa non excusantur. Vt illud etiam omittam quod vt monet Sapiens. *Prouerb. cap.* 11. Qui conturbat domum, possidebit ventos; nam pater familias, vel dominus qui in domesticos nimis exardescit, qui assidua turbamẽta in domo excitat, & omnia clamoribus, ac querelis permiscet, ventum possidebit liquidum ac fugacem, filios inquam, & seruos desertores, qui ventorum in morem è domo vnus post alium labuntur, atque fugiunt. *Sayrus. l.* 5. *cl. reg. c.* 5. *n.* 12. *Caiet. in v. periurium. Nau. cap.* 12. *num.* 10. *Tol. l.* 4. *cap.* 22. *Sanchez. l.* 3. *c.* 11. *num.* 16. *Reginald. l.* 18. *n.* 99. *Lessius l. c. num.* 22. *Molfes. d. cap.* 9. *num.* 43.

QVAESTIO XLVIII.

Qvomodo cum poenitente agendum, qui à peieraturo iuramentum exigit, &c.

QVomodo cum pœnitente, qui iuramentum recepit ab eo suo debitore, quem probabiliter peieraturum putabat? R. Ei dicere debet, graue sacrilegium admisisse, cooperando, vel inducendo, vt Deum suæ falsitatis testem, in magnã ipsiusmet iniuriã, & irreuerentiã inuocaret, nam & D. Augustinus. *ser.* 1. *de decol. S. Io. Bap.* refert quendã ciuem Hypponensem simplicis, ac bonæ fidei, dira pœna à Deo affectum esse, eo quod suum debitorem ad iurandum induxit, quem peieraturum nouerat. Nisi tamen iusta interueniat causa huiusmodi iuramentum dandi, vel recipiendi, vt præcipue in iudicijs euenit, dum Iudex ex officio in defectum probationum illud parti defert, tunc enim non est eius intẽtio, vt ille peiuret, sed vt veritatem media iusiurandi religione aperiat, proinde peccatũ ipsi falsum iuranti imputatur: nã & q iure suo . titur, nemini iniuriam facit. Si tamen Iudex verosimiliter credit aliquẽ periurij crimine se cõtaminaturum, quales, vt ait. *Natta. cons.* 22. *& August. Turtura in vita Hieronymi. Æmiliani. l.* 2. *cap.* 10. sunt rustici, & peruersi homines, qui vt loquitur. *Iob. c.* 15. bibunt iniquitatẽ, sicut aquã, & alia via in munere suo non deficiendo, huiusmodi iuramenti petitionem vitare potest, ad id tenetur, vt sic proximi peccatũ auertat. *Sanchez. l. c. cap.* 8. *num.* 3. *Suarez. l.* 3. *cap.* 14. *num.* 10. *&* 17. *Seraph. de priuileg. Iur. priuileg.* 1. *n.* 33. *Reginald. num.* 77. *Sayrus. l.* 5. *clau. regul. cap.* 5. *num.* 1. *Azor. l.* 11. *cap.* 11. *quæst.* 2. *Lessius. dubit.* 10. *num.* 49. *Philiarc. tom.* 1. *p.* 2. *lib.* 3. *cap.* 16. *Bonac. de leg. d.* 4. *q.* 1. *p.* 11. *Molfes. tr.* 11. *cap.* 11. *n.* 6. *& nu.* 53.

Vnde etiam cõmuniter aduertunt DD. imprudenter agere Confessarios, qui à pœnitentibus exceptis casibus in iure expressis, iuramenta exigunt, vel de emendatione, vel de tollenda peccandi occasione, vel de alia simili re, quia eodem modo pœnitentes ipsos periculo peierandi exponunt. *Abb. & alij. in c. clericos.* 3. *ext. de cohabit. cler. Pet. Ocha. de confess. tract.* 2. *quæst.* 41. *num.* 20. In simili dixit. *Rom. cons.* 102. *& idem Seraph. Priuileg.* 3. *num.* 10. Quod stante statuto, vt ela pso certo tempore iuramẽto debitoris stari debeat, quod ipse soluerit, erit intelligendum in casu dubio, & attenta hominis qualitate, quoniam si certum esset debitorem non soluisse, & mala fama laboraret, iusiurandum deferendum non esset, ne periurijs via aperiretur.

CAP. X.

QVAESTIO XLIX.

Qvae praxis à Confessario obseruanda sit circa absolutionem iurare, & periurare soliti.

QVæ praxis obseruanda à Confessario circa confessionem, & absolutionem iurare consueti, & periuri? R. Primo, cõsiderare debet, an iste qui prauam habet consuetudinem passim & ex leui causa iurandi, antea fuerit admonitus, vt illam à se abijcere curaret.

Secundo, an sic admonitus curam ad eandem

extirpandam contulerit: si enim numquam est admonitus, absolui poterit, modo in futurũ abstinere pponat, & delinquẽdi occasiones deuitare statuat. Si vero post Confessarij admonitionẽ nullũ emendationis signum dederit, optimum consilium erit, absolutionem differre. Vide *Azor. p. 1. l. 11. cap. 3. quæst. 4 Sayr. l. 5. cap. 5. num. 7. Sanchez. l. 3. cap. 5. num. 16. Reginald. num. 84. Suarez. d. l. 3. de relig. cap 8. in fine. Roder. p. 1. cap. 192. num. 13. Bonacin. de legibus. d. 4. quæst. 1. p. 13. num. 7.*

Quò uero ad periurium simplex, uel priuatum, consulto admissum, magis urgendum est, ut in posterũ abstineat, & ne reincidat, ostendendo delicti grauitatẽ, quæ tãta est, ut multi senserint, maius, ac grauius esse homicidio, ac adulterio, eo quod periurium directe contra Deum tendat, hæc uero proximi charitati aduersentur. Quia sicut in corpore acriores sunt ægritudines, quę cor uitæ principium tangunt; ita in moralib. maioris ponderis sunt peccata, quæ contra Deum uitæ nostræ initium, & finem admittuntur, &c. *Sanchez. lib. 3. cap. 4. num. 37. Tusch. in v. periurium. conclus. 292.*

Proinde periurus multas pęnas iure paratas habet, nam præter lethalem culpam, qua animã suam sauciat, extraordinarie Iudicis arbitrio punitur, & de iure canonico eadem pœna, quæ homicidis, & adulteris imponitur, afficitur, fit infamis, nec idoneus testis esse potest; Beneficium ei conferri nonpõt, & collatum adimendum est, & in foro cõscientiæ ad damna resarcienda tenetur. quæ quis ex eius periurio consecutus est. *Clarus. l. 5. sent. in. §. periurium. Menoch. l. 2. de arbit. Iud. casu. 319. Tholos. l. 50. synt. Iuris. cap. 11. Lessius. de Iustitia. l. 2. cap. 42. dub. 14. Molfes. tract. 11. cap. 11.*

Circa solemne periuriũ obseruare debet, quamuis à simplici specie nõ differat, nõ sufficere tamen si pęnitens dicat peierauí, sed à Confessario inquirendum est, an in iudicio falsum dixerit.

Primo, ut intelligat, an sit casus, qui forte in illa diœcesi sit reseruatus, à quo absoluere non ualeat. Sicut etiam in religiosis ordinibus, ob eiusdẽ grauitatem, ex Clementis VIII. Constitutione reseruari solet; ut autem ibi hoc peccatum ab Inferiorum regularium Confessariorum quò ad fratres iurisdictione subtractum dicatur, debet fieri in iudicio regulari, & legitimo, nempe coram proprio Prælato, uel alio Iudice deputato suę religionis, & ab illo iuridice interrogari, &c. ut dixi *in Comment. de cas. reser. p. 3. c. 4. & tradit. etiã Molfes. tr. 7. c. 20. n. 57.* Quod si agendum sit cum reo in carcere detento, qui in iudicio, uel legitime interrogatus, videlicet à Iudice competẽte, crimine semiplene pbato, unico teste, omni exceptione maiori, uel sufficientibus indicijs peierauit, nisi in posterũ verum fateri uelit, non est absoluendus. *Nau. cum communi. cap. 25. numer. 25. vt dixi supra tract. 5. capit. 159.*

Secundo, quia solemne grauius est, & vt aliàs aduertimus, circunstantia notabiliter aggrauans saltem de congruo in confessione exprimenda est. *Coninch. in Comment. de pœnitentia. disp. 7. n. 16.* Vide *supra tract. 5. cap. 12. quæst. 74.*

Insuper animaduertere debet, an per periurium tam simplex quam solemne alteri damnũ illatum sit, ut illum ad restitutionem faciendam moneat. Siquidem Cõfessarius in quolibet delicto hæc potissimum mente percurrere debet. Primo, quæ sit criminis illius species, & quæ grauitas. Secundo, an sit illi annexa Censura, quæ, & cui reseruata. Tertio, an ex illo aliqua oriatur restituendi obligatio. Quarto, an aliqua extẽt põtificia iura ea de re, siue Decreta, siue Bullæ, siue Episcopales sanctiones, & quid iubeant, aut vetent. Quinto remedia, quæ pro personarum, loci, temporis, & facultatũ qualitate opportuna uidebuntur, illa spiritu Dei duce, ab eo adhibenda erunt. *Vid. in notit. ad Tol. lib. 1. cap. 2. & retuli in Comment. de hum. vita stat. p. 1. cap. 16.* Aduertat porro Confessarius sibi integrum nõ esse in iuramẽto dispensare, nec illud commutare, cum hoc ad potestatem ecclesiasticã, ut ad Episcopum. Vicarium, uel Pœnitentiariũ, pertineat, iusta semper causa subsistente. Nec etiam illud potest remittere, cũ hoc ad eum spectet, cui ipsum iuramentum præstatur, &c. *vt per Sanchez. l. 3. cap. 19 & seq. Sayrum. l. 5. cap. 6. & 8. Graff. l. 2. cap. 18. num. 48. Reginald. l. 18. num. 62. Molfes. tract. 11. cap. 10. Anchar. consil. 66. & 382. Tuschum. in v. Iuramentum. concl. 496. & seq.* Vbi etiam hanc assertionẽ ad iuramenta metu extorta extẽdunt, ut in matrimonio, uoto, professione, & alijs huiusmodi, ex ueriori enim & magis recepta sententia, si solum interius forum respiciunt, obligant, donec absolutio, uel relaxatio à Confessario hac facultate potiente petatur, si uero externum iudicium concernunt, à legitimo Superiore eadem dispensatio, uel remissio quęrenda est.

QVAESTIO L.

QVAE REMEDIA A' CONFESSARIO pænitenti temere, vel falsò iuranti exhibenda sint.

QVæ remedia, & antidota contra pœnitẽtem falso, aut frustra, aut temere iurantem præbere debet Confessarius? R. Sancti Patres difficile admodum esse dicunt, iurandi consuetudinem expugnare & numquã temere iurare; pręsertim quod ipsa consuetudo quasi secunda, & pene affabricata natura dicitur, & impij facile, & ex prauo usu eò temeritatis, & licentiæ peccando procedunt, ut nulla illecebra, nullo colore, uel prætextu suauitatis attracti, in peccata, & scelera ruant, sicut in sacrilega, & exe-

& execranda assidue iurandi consuetudine quotidie volutari conspicimus; vt non sine causa, vt supra retuli, Iobus dixerit, eos sicut aquam iniquitatem bibere, & Sapiens *Prouerb. cap.* 10. Quasi per risum stultos operari scelus.

Non tamen id circo despondendus est animus, quia vtrumque diuina adiuuante gratia vincere possunt. Omnia possum in eo, dicebat gratię prædicator, qui me cõfortat. *ad Philip c.* 4. Et D. Augustinus. *in serm. de decollat. Io. Bap. referente etiam Busæo. in arca medica. in v. Iuramentum.* fatetur se Dei ope, ita cõsuetudinem quotidie iurandi extinxisse, vt nil sibi quàm non iurare facilius esset.

Primum remedii erit, huius peccati grauitatem illis innotescere, sicut ex testimonijs allatis colligitur. vt propterea æternæ damnationis argumẽtum ex se ipsis agnoscere debeant; quid enim de ·iàm ve cordibus, & profligatæ conscientię hominibus censendum, nisi eos numero reproborum adscriptos & perditionis, ac mortis ęternę stigmate notatos esse? nam si loquela docet cuius nationis vnusquisque sit, vt ostiaria ancilla. D. Petro dixit *Matth. cap.* 26. Certe qui semper iuramẽta eructant, & tam facile peierãt, præscitorum, ac reproborum idioma se habere demonstrant: non enim tàm indicat pulsus ægrotantis morbum, quàm sermo loquentis animum; vt ob id dici soleat, Qualis vir, talis oratio. Adde etiam diuinam vltionem in periuros vel in hac vita desæuire solitam, vt videre est apud *Greg. Turon. l.* 8. *hist. Franc. cap.* 16. *& Daur in Catechis. hist. tom.* 2. *cap.* 3. *tit.* 25. Imò peierantes non solum Deum vltorem habere, sed etiam in mundi tribunalibus, & in foro contẽtioso criminaliter, vt aiunt, puniri, quando periurium in tertij præiudicium cederet. *Natta. l.* 3. *conf.* 598. *Surd. volum.* 3. *conf.* 424 *Grammat. Theor.* 3 *numer.* 22. *& Guazzin. in tract. ad defens. reorum. cap.* 4. *defens.* 20. vbi ẽt inferunt ad Constitut. Greg. XIII. super iure congrui.

Secundum est aliorum censura, vel subeundæ pœnæ comminatione se ipsum cohibere; Hoc antidotum nõ semel per cõcionem præscripsit. D. Chrisostomus. *in hom. baptizandorum.*

Vnde saluberrimum consilium erit, pœnitenti statuere, vt quotiescunque iurandi, vel peierandi cõsuetudine affectus in hoc peccatum inciderit, aliquam orationem breuem recitet, terram osculetur, vel aliquam eleemosynam largiatur. *Suarez. l.* 3. *de relig. cap.* 8. *Combrec. de studio. perfect. l.* 2. *c.* 22. *num.* 124. *Sanchez. l.* 3. *c.* 5. *num.* 17. Imò addo cum *Suarez. l. c. & Pet. Ocha. de sacr. tract.* 2. *q.* 4 1. *nu.* 16. Si pœnitẽs sępe proposuit emendam, neque tamen eam est assecutus, teneri eum admittere remedia à Confessario ad suam salutem apposita, scilicet frequentes confessiones, preces, & eleemosynas, &c. Sicut & homo tenetur medicinas præseruatiuas à medico corporis præscriptas seruare, & exequi.

Tertio, temere iurantem infamiæ notam subire, Hinc Plato naturali ratione edoctus grauiter iurantes reprehendit, nec immerito quãdoquidem non modo se fidem fallendi, ac peierãdi periculo exponunt, verum etiam se & alios quodammodo infamant: se quidẽ, quia indicant se esse mendaces, nec dignos, quib. fides adhibeatur, nisi Deus testis adducatur: nam & *D. Basilius. in Psal.* 14. Turpe, ait, sane omnino & stultum, se ipsum accusare, vt indignum fide, & firmitatẽ ex iuramentis afferre. Alios vero notãt, quia eos quibus iurãt, suspicionis, & incredulitatis morbo laborare demonstrant. Hinc doctissimus Philo eos irridet, qui per iuramẽta verbis suis fidem quærunt, Fatui qui non intelligunt, inquit ille, consuetudinẽ crebro iurandi argumentum esse perfidiæ, non fidei, quod & Aristoteles in *1. rhet.* expresse nobis ostẽdit. Itaque qua putat via multum iurans se apud homines fidem conciliaturum, eadem ipsius fidei iacturã facit. Vnde conijci potest, viros nobiles multos magis hoc vitium dedecere, est enim paruę auctoritatis ille. cuius verbo non creditur, ita vt illius assertio alterius testimonio egeat, imò ipsius Dei testimonio fulciri indigeat. Quintilianus. *l.* 5. *orat. Instit.* refert, apud Illustres viros, & nobiles in contemptũ esse iurantes, & ideo flamines. i. sacerdotes à iuramento semper abstinuisse: sicut etiam nostris sacerdotibus interdicitur, cum eorum tãta sit dignitas, vt rationi congruum nõ sit de eorum verbis ambigere. *cap. si quis presbyter.* 2. *quæst.* 5. *D. T hom.* 22. *quæst.* 89. *art.* 10. *Tholos. l.* 50 *cap.* 7. *Io. Carthag. l.* 5. *hom.* 1.

An vero cognitio iuramenti quò ad forum exterius ad Iudicem ecclesiasticum spectet, & an iurantem de foro ecclesiæ faciat, ac quando, & multæ aliæ quæstiones, quæ forense iudicium concernunt, videndæ sunt apud. *Vincentium Mancinum, & Seraphinum de Seraphinis in suis solemnibus. tract. de Priuilegijs Iuramenti.* Item *Tuschum. in Pract. concl. lit. in v. Iuramentum. concl* 497. *Gutierrez. de Iur. par.* 3 *cap.* 12. *& Euerardum. in top. leg. in loco à vi iuramenti; & alios.*

ARTICVLI, QVAESTIONES, ET CASVS qui formari possunt super voto. Cap. XI.

QVAESTIO LI.

QVOMODO IN PRAXI SE GERERE debeat Confessarius cum pœnitente, qui votum non adimplenit, &c.

QVomodo in praxi se geret Confessarius, & Parochus erga pœnitentem, qui aliquod votum à se emissum fregit, vel nõ adimpleuit, & an tenea-

teneatur credere mulieri asserenti se votum castitatis non emisisse, cum tamen à consanguineis vt eam à matrimonio contrahendo arceant, id ei opponatur, & manibus, ac pedibus obuiam eatur.

SVPPOSITA, ET PRAENOTIONES?

Respondetur supponendo Primo, obligationem voti & iuramẽti inter se differre, quod pœnitens per iuramentum Deo ex debito reuerentiæ obligatur, dum aliquid homini cum diuini numinis attestatione promisit. Per votum vero ipsi Deo iure fidelitatis astringitur; cuius obligationẽ maiorem, & striciorem esse quàm iuramenti, probabilior est DD. sententia. Et quamuis multoties voto iuramentum addatur, id non ob aliud fit, nisi vt ex duobus vinculis firmior etiam consurgat obligatio. Hinc inferunt, quod licet promittens Deo, & B.V. aliquem contractum obseruare, si hanc promissionem violet, periurus non dicatur, cum per illa verba ex doctissimorũ virorum sententia, iurasse non censeatur; non ideo tamen sacrilegij reatum effugiet, qui huiusmodi pollicitationem eluserit, cum in ea palam constet votũ contineri, quod pari passu cum iuramento concurrit. Quo etiam fit, vt qui iurauit pietatis intuitu, & ob Dei honorẽ pauperem fœminam in vxorem ducere, ab eadem remitti non possit, cum in Dei cultũ emissum, & quodammodo voti naturam promissio illa induisse videatur. *Suarez. tom. 2. de relig. lib. 2. cap. 3. num. 7. Sanchez. l. 3. cap. 9 num. 4. Nald. v. promittere. num. 19 & v. Iuramentum. num. 14. Lud. de Ponte. tom. 3. tract. 1. cap. 11.*

Secundo, licere vouere, cum votum, vt & Iuramentum sit actus latriæ, vel religionis, quæ inter omnes morales virtutes principatum tenet, & quia magis Deo placent opera ex voto facta, quàm si absque eo libera. ac soluta voluntate fierent, vt per *D. Thomam. 22. quæst. 88. art. 6. & opus. 17. cap. 12.* Et D. Augustinus. *l. 10. de Ciuit Dei. cap. 6.* Omne opus bonũ propter Deum factum vocat sacrificium Deo gratum, iuxta illud. *Psalm. 49.* Immola Deo sacrificium laudis, & redde altissimo vota tua. Quam quidem uoti naturam etiam Ethnici agnouerũt, & usurparunt, nam Cicero *lib. 1. de diuinat.* auctor est Attium Næuium cum propter paupertatem sues puer pasceret, una ex his amissa, uouisse, si recuperasset, vuam se Deo daturum, quæ maxima esset in uiuea. Et *l. 3. de nat. Deorum.* Non ne animaduertitis, inquit, ex tot tabellis pictis, quàm multi ui uotorum uim tempestatis effugerint. Et quàm utile, & salubre sit in humanæ uitæ periculis uoto se Deo obstringere ostendit. Surius. *in vita. D. Gregorij. Nazianz. 9. Maij, & Anastas. Germon. de sacrorum. Immunit. l. 1. cap. 17. vt dixi supra tract. 5. c. 6. q. 40.* Vnde & Plinius. *l. 8. nat. hist. cap. 16.* Votis, inquit, tunc maxime locus est, cum spei uitæ nullus est, Hinc Martialis. *l. 8. Epigramm.*

Et Dominum mundi flectere vota valent.

Tertio, uotum esse uoluntariam, & deliberatam promissionem saltem interiorem Deo factam, de aliquo meliori bono, à Superiori non reuocatam. Ex qua diffinitione, quatuor ad essentiam, ut dictũ est, uoti necessaria colligũtur. Primo, deliberatio, seu uouentis libertas. Secundo, rei licitæ, & capacis uoti promissio. Tertio, propositũ adimplẽdi. Quarto, ut à superiore non irritetur, dispẽsetur, uel commutetur, seu per interpretationẽ tollatur. Qui quidẽ modi inter se differũt, qđ per irritationẽ tollũtur ab habente dominatiuã potestatẽ, per dispensationẽ in casu particulari à Superiori ecclesiastico relaxantur. Per commutationem uoti obligatio in alia opera trãsfertur. Per interpretationẽ uero declaratur ui epicheiæ uotum ipsum in aliquibus casibus non obligare, uel alio modo cesset. *Sayrus. l. 6. cl. reg. cap. 1. num. 2. & alij communiter.*

Quarto, uotum in uarias species diuidi. Primo, in simplex, & solemne, simplex est illud, quod siue publice, siue secreto, sine consueta ecclesiæ solemnitate emittitur. Solemne qđ per professionem approbatæ religionis, aut per sacrorum ordinum susceptionem celebratur.

Secundo, in absolutum, & conditionale; absolutum, ut cum quis simpliciter religionem ingredi uouet, conditionatũ pure fit, ut cũ æger uouet ędem Lauretanam inuisere, si sanitatem recuperet; uel pœnale, ut cum dicit, si à ludo non abstinuero, centum aureos tali loco pio me daturum uoueo.

Tertio, in personale tantum, reale tantum, & ex utroque mixtum. Primum est, cum quis Deo promittit aliquod opus ad personam ipsius uouentis spectans, ut qui castitatem, ieiunium, uel orationes uouet. Secundum est cum res sola Deo spondetur, ut qui eleemosynam, & ea quæ absque rei dispendio non fiunt, uouet. Tertio est, ut quis & rem, & personæ officium promittit, ut qui peregrinationis uotum emittit; peregrinãdo enim non solum opus & laborẽ suum præstat; sed etiam sumptus ad iter necessarios facit. Et communis est sententia, hæredem, qui defuncti personam refert, nõ ad personalia, sed ad realia ipsius defuncti uota adimplenda teneri. Sicuti etiam explorati iuris est, infamatoris hæredem, siue filius sit, siue extraneus, obligari iuxta uires hæreditarias damna per illam infamiam illata restituere, non tamen ad famam ablatam resarciendam cogi.

Quarto, diuidi solet in tẽporale, ac perpetuum; temporale dicitur, eo quod ad certum, & præscriptum tempus durat; ut qui abstinentię, uel continentiæ ad certũ tẽporis spatium uotum nũcupat.

Perpetuũ est; qđ ad uitã uouẽtis pmanet, vt cum quis perpetuã abstinẽtiam à carnibus, aut perẽnem castitatem vouet, sicut in religione, & in sacri ordinis susceptione yeri solet. *Sayrus.l.c.l.6.cl.reg.c.2.Reginald.l.18.c.16.à n.215.* His ergo suppositis, cum quæritur, quomodo agendum sit cum pœnitente, qui votum violauit, vel non adimpleuit, dico vt rectum feratur iudiciũ, & congrua detur responsio, ad particularia descendendum esse, cum in rebus moralibus generales doctrinæ parum prosint, nisi ad actum practicum deueniendo, singularibus casibus applicentur. Secundæ vero quæstioni respondendo dico, Parochum vel Cõfessarium in foro poli, simplici mulieris assertioni fidem præstare debere, at in foro externo, eius dicto cum iuramento standum esse, quandoquidem in his quæ ex alicuius animo dependent, hæc iureiurandi religione affirmanti credendum est. *Nau conf.4. de cler. non ord.minist. Riccius.in Decis.Cur.Neap.Decis 4. Seraphinus.de Iuramenti.priuileg.1. Bonacin.de leg.d.10.quæst.2.p.1.§.1.*

QVAESTIO LII.

QVOMODO AGENDVM CVM EO, QVI morbo grauatus si conualesceret, votum castitatis emisit, & postmodum sanus factus matrimonium contraxit.

PEtrus cum esset carnis vitio deditus, & diuino timore abiecto, in multa turpia & obscœna flagitia diffluerct, graui morbo, Dei vlciscente manu percussus est; diuinæ enim dispensationis medicamine agitur, vt exterioribus doloribus internũ vulnus adimat, & interius curet, cum exterius sauciat. Vt verum etiam esse liquido cõstet, quod Xenophon dicere solebat, tunc maxime colendum esse Deum, cum homini res secundæ sunt, vt cum necessitas inciderit, confidenter illum imploremus, vt pote beneuolũ iam, & amicum: recte ille quidem; sed vulgus hominum contra facit, in felicitate profunda est Dei obliuio, cum calamitas vrget, tunc demum vtcunque & perfunctorie ad illum confugimus. Vnde ipse Petrus perpetuam se castitatem seruaturum vouit, si conualesceret, & in pristinam, sanitatem restitueretur; quod quidem donum cum eiã Deo cõcessum fuisset, promissionis ei factæ oblitus est, siquidem

Cum dolet infirmus, promittit præmia multa,
Cessat promissum, cum dolor ille perit.

Et praua illa peccandi consuetudine deuictus, iterũ in turpes sensus voluptates raptus est, & tandem voti conscius vxorẽ duxit, quæritur quomodo Confessarius cum isto pœnitente se gerere debeat, nempe Primo, an istud votum valeat, cum ob mortis metum sit emissum. Secundo, quod peccatum admisit cum illud votum violauit. Tertio, an matrimonium valeat, & tuta conscientia cum illa uxore habitare ualeat, & coniugali actui incũbere. Quarto, quid agendum si illa se superstite moriatur? R. Supposito, vt supra meminimus, votorum nuncupationi tunc maxime locum esse, cum fere vitę spes nulla affulget, vt etiam animaduerti. *supra tract.5. cap.6.quæst.38.ex c.porrectum.ext.de regul.& Nau. conf.1.tit.de voto.* Vnde etiam apud Ethnicos pro ęgrotorũ salute vota suscipiebãtur, vt constat apud *Suetonium Tranq.in Claudio.c.55.& Cornel.Tac. l.1* Quod & Propertius testatur. *lib.1.eleg.7.*

Hac mihi vota tuam propter suscepta salutem, &c.

Præsupposito quoque liberum quidem esse ante votum non uouere, at uoto emisso sine salutis æternæ dispẽdio resilire non licere; nam & Antiqui eos qui uota fecerant, reos voti, eorumque compotes factos quòad promissa soluissent, damnatos uoti appellabant, ut ait. *Macrob.l.1.saturnal.cap.1.& 3.* Dico Primo, uotũ illud ualere, cum omnia ad essentiam uoti requisita ibi interueniant, prout in eius diffinitione, uel descriptione clare significatur; & ab intrinseco, ut Doctores loquuntur, non ab extrinseco metus ille sit illatus. Metus ab intrinseco est, quià Deo infertur, qui nemini iniuriam facit, nec liberam hominis uoluntatem tollit, ut grauis metus mortis ex periculosa infirmitate prouenies, quandoquidem uota deliberate, & sponte facta in infirmitatibus, in magnis periculis, & in ira usum rationis non absorbente, ualida & firma sunt, qã si in illis actibus uouẽtes ad merendũ, & demerẽdum apti etãt, ita ẽt ad uouendũ, & Deo promittẽdũ idonei censendi sunt. Metus uero ab extrinseco est ille, qui à re extrinseca, ut ab homine mortem minitante incutitur, ut per iniuriam illud extorqueat; quotiescunque enim quis ui, aut metu, directe ad aliquod uotum emittendum cogitur, uoto non astringitur, cum uoluntas desit, qua humani actus reguntur; & secundum ius canonicum hic metus omnem actum, cui occasionẽ dedit, uitiat eo quod habeat in se ignorãtiam, & per consequens deliberationẽ excludat, & cõsilium memoriamque excutiat, ut aiebat Thucidides, Vnde & Ennius, inquit,

Pauor omnem sapientiam ex animo expectorat,

Et Terentius,

Vix sum apud me, ita animus commotus est metu. Nau.conf.1.& 4.de voto. Arrag.22.quæst.88.art.3. Graffius.l.2.decis.aur.cap.15.num.1. Sayrus.lib.6. c.4.num.14. Doctores.in c.sicut.el.2.ext. de regul.

Secundo dico, quod peccatum quod iste ex uoti fractione sciẽs commisit, sacrilegium dicitur; nam qui castitatem uouet, corpus suum Deo consecrat, ut immune, & purum ab omni libidinis cõtaminatione maneat, ex qua consecratione peculiarem sancti-

sanctitatem conttahit, cōtra quam si agatur, sacrilegij labes incurrit. *Lessius.l.2.cap.45.dub.3.n.11.*

Tertio, qd' matrimonium validum est, cum perpetuæ castitatis votum non dirimat, sed impediat tm̄, licet iure petendi debitū ab vxore priuetur, nisi ab Epō, Vicario, vel Penitentiario, vel ēt à religiosis hoc priuilegio gaudentibus dispenletur. Aliàs si absque dispensatione debitum petit, toties quoties petit, lethalis culpæ fit reus, licet secus sit de voto religionis ob quod prima vice tantum mortaliter peccat, cum ad adimplendum quis votum se inhabilem reddat, vt commune est DD. placitum.

Tādem quarto loco, defuncta vxore, eadem ser uandi castitatis votum obligatione astringitur, & si cum alia matrimoniū contrahere voluerit, à Summo Pontifice dispensatio petēda erit. Idem *Sanch. l.7.disp.11.num.4. Reginald.l.31.cap.24. num.184. Bonacin.de matrimonio.quæst.3.puncto.13.num.7. & de legibus.d.9.quæst.3.p 5 §.5. Coninch. de matrimonio.disput.30.num.18. Molfes.tract.4.cap.11. num.14.& cap.12.num.41.* Proponendum ei erit, diuinam vltionē illis imminere, qui emissa vota non persoluunt. Quod hoc exemplo ex Cedreno cōfirmat Robertus Anneus.*l.1.rerum ind.c.1.* nam cum diues quidam grauiter ægrotans mortis imminente metu, 30. argenti libras certa piæ voluntatis pollicitatione vouisset, deinde pristinæ valetudini restitutus pœnitere vellet, & pecuniā in paupetes ex suo largiri recusaret, non mansit inulta auara hæc & flagitiosa pœnitētia; sed diues ille ex morbo conualescēs, ad ipsam templi portā mortuus concidit.

QVAESTIO LIII.

AN SOLVM PROPOSITVM INGREDIENDI religionem inducat votum, &c.

VTrum Confessarius censere debeat validum esse illius pœnitentis votum, qui cum in statu matrimonij multa aspera, & dura incommoda experiatur, (ita vt vere Socrates consulentibus de ratione contrahendi matrimonij, dixerit, sicut pisces ò adolescentes, qui nondum intra nassas sunt, intrare volunt, qui autem intus sunt, exire volunt; sic & vos ne idē vobis accidat videte) Cū, inquam, contracti coniugij pœniteat, deuotione qua erga D. Franciscum afficitur, proponit, si vxor sua præmoriatur, & ipse superstes remaneat, eiusdem monasterium Bononiæ ingressurum, cum autem defuncta vxore vellet propositum suum adimplere, ad à capitulo & custode eiusdē conuentus reiectus est quæritur, qd agere dēat? R. Quidquid multi sen serint. I. C. dico votū illud nō esse cēsendum validum, vt habetur in *cap.3.ext.de voto.* Vbi decernitur, illum, qui vltra propositum vitæ mutandæ non est progressus, in voto non esse iudicandum transgressorem, si quod proposuit, non adimpleat, & ibi Albas ex co notat, quod si quis animo proposuerit dare aliquid Deo, vel sanctis, vel homini, non est censendus contraxisse obligationem exequendi id ipsum, quod proposuit, nisi aliud de mente proponentis constet, alioqui omnes scholastici ad ingressum religionis obigarentur, quem sibi proponunt, dum mundi miserias considerant, & sentiunt; nec enim dubitandum, vocationem ad religionem variam esse, & ex diuersis causis etiā per tribulationes oriri; ditior quippe Deus est, & vberior in consilijs suis super filios hominum, ut eos uarijs modis ad se trahat; siquidem ut aucupes non unum habent rete, neque unam escam ad aues capiendas, sed alias alijs proponunt, ut quemque delectari norunt; sic Dominus & pro hominum utilitate, ad eos sibi facilius adiungendos, & ut illam suæ prouidentiæ suauitatem retineat ad eorum se conditionem inflectit, & accōmodat, &c. *Cass. collat.13.cap 15.& 17. Plat. de bono stat. relig.l.3.cap.36. Lud. de Ponte. tom.3.tract.4.c.6.* Vnde qui aliter opinantur, nempe solum propositū ad uotum sufficere intelligendi sunt de proposito firmato promissione, aut intētione se obligandi, sine quibus ipsi proposito nulla est adiuncta adimplendi obligatio. Qua etiam ratione ex communi sententia dicēdum est in baptismi susceptione, uotum proprie non emitti, cum per illa uerba, uolo Christo adiungi, abrenuncio Satanæ, & pompis eius, solum propositum christianæ uitæ obseruandæ includatur. *Nau.cons.4.& 5.ext.de voto. Suarez.l.2.de voto.cap.2. Azor.p.1.l.11.cap.12.q.5 & cap.14.quæst.3. Sayrus.lib.6.cap.1.num.6. Reginald.l.18.n.208. Sanchez.l.4.c.1.n.18.& seq.*

Porro si præter propositum, interior promissio & animus se obligandi interuenisset, firmum uotum esset, nec ei quidquam officeret, quod non Deo, sed D. Francisco, uel alicui alij sancto fit nuncupatum, etiā quod in uoti diffinitione dicatur, quod uotum sit promissio facta Deo de meliori bono; nam non ratione Sāctorum, sed Dei, qui in illis colitur, uota emittuntur, ut de iuramentis per creaturas factis dicimus, quę, ut supra significauimus, in Deum ipsum omnium auctorē referūtur. Vnde Eusebius. *l.3. præp. Euang.* in persona christianorum agens de martyribus, Nos, ait, ueræ pietatis milites ut Dei amicos honorantes, ad monumenta illorum accedimus, uotaque illis facimus, tāquam uiris sanctis, quorum intercessione ad Deum non parum iuuari profitemur. Hinc D. Paulinus. *de S. Felice.*

Hunc liceat celebrare diem, pia reddere coram Vota, &c.

Quibus consonat modus illi profitēdi à quibusdam religiosis obseruatus, cum dicunt, promitto Deo, & B. Mariæ Virgini, D. Augustino, B. Dominico,

nico, B. Francisco, &c. Semper enim votum Deo nũcupatur, nec promissio aliter Sanctis fit, nisi quatenus in eis Deus relucet, iuxta illud. *Psal.* 50. Laudate Dominum in sanctis eius. Atque ita cum quis alicui Sancto pro aliqua obtinẽda gratia vouet, talis debet esse eius intentio, vt primario à Deo, ipso Sancto intercedẽte, illã adipisci speret, & fidelium sic passim vouentium intentionem pie interpetari debemus, vt ait. *D. Anton. 2. par. tit. 11. cap. 1. §. vltimo. Sanchez. de præcept. l. 4. c. 1. Bonac. de leg. d. 4. quæst. 2. p. 1. & DD. supra citati.*

Addo quod etiam si verum votum esset ab illo emissum, ab eo nihilominus esset absolutus, cum DD. communi calculo sit receptum, vouentem ingredi religionem in quodam certo monasterio, si eiusdem conuẽtus fratres illum recipere nolunt, eo quod proprio instituto ineptum, & inhabilem censeant, à voto liberũ declarari posse, quia votum vltra intentionem vouentis non obligat, & limitata causa limitatum produceit effectũ. Licet secus dicendum esset de eo, qui non se ad aliqđ monasterium restringendo, religionem in genere, vel in specie, vouit, quia tũc alios religiosos ordines, vel alias familias eiusdem religionis, quinque vel sex quærere tenetur, licet ab aliqua, vel ab aliquib. repudietur. *Nau. conf. 21. in nouis. tit. de voto. Azor. p. 1 l. 11. cap. 22. quæst. 1. & 2. Sayr. l 6. clau. regia. cap. 9. Sanchez. l. 4. de præcept. cap. 16. Molfes. tract. 11. cap. 14. Riccius. in Decis. Cur. Neap. Decis. 175. Bonacin. de leg. d. 4. quæst. 2. puncto. 5. §. 6.*

QVAESTIO LIV.

QVID DICENDVM SI POENITENS dubitet an interno mentis actu promiserit, & animum se obligandi habuerit, &c.

Qvid si pęnitens dubitet, an vltra mentis propositum interius etiam promiserit, & animum se obligandi habuerit, &c? R. Licet multi senserint in tali dubietate votum seruandum, vel petendam dispensationem, eo quod quis tutiorẽ partem fauore animę eligere debeat. *Sayrus. vbi multos citat. l. 1. clauis reg. cap. 13. diff. 7. num. 36.*

Nihilominus plures alij tenent, voto non teneri, vel vt sit in potestate uouẽtis adimplere, vel non adimplere, quia votum sicut & iuramentũ nullam pro se possessionem habet, sed tota obligatio penes voluntatis libertatẽ residet, iuxta illud canonicum proloquium, In pari causa melior est conditio possidentis. *cap. in pari. de reg. Iu. in 6. Suarez. tom. 5. de cens. sect. 5. num. 15. Nau. conf. 26. de voto. Zerula. in v. votum. p. 2. Molf. tract. 8. c. 9. n. 56. disp. 40.* Vbi plura deducunt, & inter alia quod agrum possidens, ac dubitans an illius dominium habeat, & facta morali diligentia adhuc anceps manet, tuta conscientia illum retinere potest, &c. Atque cum positio illa non solum in materia iustitię, sed etiam in omni alia virtute procedat, quia eadem militat ratio, & dum alia certitudo hauriri nequit, forus interior, & exterior speciem non varient, dicẽdum videtur in iuramento, & voto locum habere. *Reginald. l. 18. cap. 20. n. 276. Sanchez. multos referens. l. 1. oper. mor. cap. 10. num. 36. Bonac. de leg. d 2. q. 4. p. 7. & de matrimonio quæst. 1. p. 2.*

Quam opinionem tuto in praxi Cõfessarius sequi posset. Primo, quoties votum à pœnitente circunstantijs cõsideratis non sic facile adimpleri posset. Secundo, si cum scrupulosis, vel ad huiusmodi vota emittenda inclinatis, res esset, vt dum pueri, vel adolescẽtes dubij sunt, an determinate, & cum prudenti iudicio castitatis votum emiserint, & carnis delictis se contaminare soleant, vt in tali dubio factum nõ esse votum iudicandum sit quò sic contrahendi matrimonium facultatem habeant, & luxuriæ peccata deuitent, & recte pieque viuant.

Vbi etiam illud aduertẽdum est si de uoti obligatione cõstet, & dubitetur, an illud impletum sit, quia dubium certo non præualet, pœnitentem ad voti sui obseruationem compellendum esse, ex illa regula. Tene certum & dimitte incertum. *cap. fin. de pœnit. dist. 7.* Idem *Sanchez. l. c. num. 34. & seq. Chauar. de prud. l. 1. cap. 9. & aly supra citati.*

Nihil enim tàm debitum est quàm votum, nec quidquam prodest, imò obest vouere, nisi vota ted dantur, clamante reg'o vate. *Psalm. 75.* Vouete, & reddite Domino Deo vestro, ne scilicet christiani deteriores sint, quàm fuerint Ethnici Romani, qui & si falsos Deos colebant, non tamen minus pij in soluendis, quàm in suscipiendis votis fuerunt; ideo vouens antequa m votum solueret, voti reus dicebatur, ac nisi solueret, damnabatur, &c *Macrob l. 3. Satur. cap. 2. Germ. de sacr. immunit. lib. 1. cap. 17.* & alibi vt pote ualde memorãdum annotauimus.

Vnde etiam illud hic inferri potest, iuramẽtum ducendi fœminam pauperem in vxorem, in honorem Dei non posse ab eadem fœmina, cui facta fuit promissio remitti, cum in huiusmodi iuramento, quod ẽt voti naturam induit, principalis intentio, quæ cultus diuinus censenda est, inspici debeat, & in dubio talis interpretatio sumenda est, vt huiusmodi iuramentum Deo principaliter, & non fœminæ illi in cuius vtilitatẽ promissio cedit, factum sit, ac proinde ex pietate, ac iustitia illud adimplendum est. *Nald. verbo. Iuramentum. num. 14. vt supra. quæst. 51. insinuaui. arg. Graffius. l. 2. cap. 18. num. 48:* vbi ait, quod licet qui sibi inuicem aliquid cum iuramento promittunt, hoc ex mutuo cõsensu relaxare possint, id tñ non procedit, quãdo illud cultũ Dei, religionẽ, aut pietatẽ concerneret.

CAP.

CAP. XII.

QVAESTIO LV.

QVOMODO AGENDVM CVM EO QVI contrahendi matrimonij votum emisit, at eius pater illud irritauit, &c.

QVidam pœnitens filius familias carnis stimulis agitatus, confitetur se fecisse votum de contrahẽdo matrimonio, patrẽ vero suum illud irritasse, quia vellet potius, vt religionis statum profiteretur, quẽ tandẽ minis ad religiosũ institutum amplectendũ coegit, quęritur quomodo erga eum se gerere debeat Confessarius? R. Præmisso conditiones, quibus votũ & christianæ perfectionis cõsilium vestiri debet, ad eas reduci, quas Sapiens. *Eccles. cap.* 5. grauibus verbis complexus est, cum ait, Ne temere quid loquaris, neq; cor tuum sit velox ad proferẽdum sermonem coram Deo, &c. Quem contextum D. Hieronymus ad ea applicat verba, quibus aliquid Deo promittitur, quæ ait his circunstantijs cohonestari debere, Primo, ne temere proferantur, neque præcipitata sint, ita vt vouens; absque consideratione impetu quodam raptus, ad vouẽdum nõ feratur. Secũdo, ne nimia sint, ne quis tàm multis votis se oneret, vt omnibus satisfacere nequeat: quod scrupulosis, indiscretis, & imprudẽtibus familiare esse solet; quæ quidem tantũ abest, vt eis non prosint, vt potius ruinæ occasio existant, statim enim eos pœnitet, & vota ipsa retractant. Tertio, ne stulta neque insidelia sint, quæ scilicet de rebus malis, aut inutilibus, aut impossibilibus nuncupantur, siue quæ maius bonum impediunt, vel Spiritui sancto semper quod melius est suggerenti aduersantur; qualia sunt vota ineundi matrimonium, nõ amplectendi religiosum statũ, eleemosynam non erogandi, &c. *Lud. de Ponte. tom.* 3. *tract.* 1. *capit.* 9. His inspectionibus praiactis, dico Primo, quod licet votum de matrimonio ineundo ex suo genere irritum sit, & culpa non vacet, qui illud emittit, quia descẽsum ad imperfectiorem statum continet, atque perfectiori cælibatus vitæ opponitur, in tribus tamen casibus validum est potissimum. Primo, si vouens data coniugij fide virginem bonæ, & honestæ famæ cognouit. Secundo, quando ex eo maxima christianæ reipub. vtilitas speraretur, vt pax inter fideles christianos, bellorũ sedatio, vel copiosa ad fidẽ accessio. Tertio, quãdo hoc votum quis emitteret in concupiscentiæ remedium, eo quod, vt in nostro casu, nimis fragilem se experiretur, ac se carnis tentationibus succumbere animaduerteret; siquidẽ ex. *D. Paulo.* 1. *ad. Corinth.* 4 Melius est nubere, quàm vri. Imò *D. Chrisost. in Ep. D. Pauli. ad Thess.* 1. *hom.* 5. monet, vt iuuenes antequam scortari didicerint, coniugali iugo subijciãtur, nam si semel meretricibus se addixerint, & incõcessis amoribus se implicauerint, statim, ait in pristinam petulantiam dilabi. Et Politici uiri præproperarum nuptiarum indulgentiam pari ratione excusare solent, qua Romani sua lupanaria, ne uidelicet lasciuientes iuuenes, aut puellæ in deteriorem libidinem ruant, aut à licito remedio abigantur, &c.

Secundo dico, quod licet multi Doctores non pœnitendi senserint, excommunicatione lata in Concilio Tridentino. *sess.* 24. *de matrimonio. cap.* 9. quæ nemini reseruatur, affici parentes iniuste filiorum matrimonium impedientes, dicẽdum tamen est, & si grauiter peccẽt, ipsius matrimonij libertatem uiolantes, conciliare illud, & pęnale decretum illos non cõprehendere, cum tantum de temporalibus dominis, & Magistratibus, ac alijs in foro externo iurisdictionem habentibus loquatur, ut per *Sanchez. de matrimonio. l.* 4. *d.* 22. Rursus quamuis nõnulli dubitauerint, an eadem excommunicationis pœna plectantur, qui uiros ad religionis ingressum cogunt, uel ab eo impediũt, uera nihilominus resolutio est, uiros impediẽtes, aut cogentes, ea censura non feriri, cum Tridentina sanctio *sess.* 24. *de regul. cap.* 18. exprimat tantum cogentes, aut impedientes fœminas, ut fuse prosequitur idem. *Sanch. lib.* 4. *de precept. cap.* 4. *num.* 3. *cap.* 8. *numer.* 53. *l.* 1. *de matrimonio. disp.* 4 *num.* 7. *& Reginald. libr.* 18. *num.* 250. *& alij recentiores.*

Tertio dico, quod si filius est impubes, intra 14. annum cõstitutus, eius pater ex multorum sententia pro solo uoluntatis suæ arbitrio, iuxta dominatiuam suam potestatem, & absque ulla causa, omnia eius uota irritare potest, cũ suo iure utatur. Post pubertatem tamẽ, & in his, quæ ad electionem status spectant, ut religionis ingrediendæ, uel matrimonij incundi, sui iuris est, nec per patrem irritari possunt, &c. *D. Thom.* 22. *quæst.* 104 *art.* 5. *Sayrus. l.* 6. *cap.* 5. *num.* 1. *Sanchez. l.* 4. *de matrimonio. disp.* 22. *Beia. in resp. cas. consc. p.* 1. *casu.* 18. *Fernandes. p.* 1. *cap.* 6. §. 8. *& alij.*

QVAESTIO LVI.

VTRVM TRANSGRESSIO VOTI IN RE parua sit peccatum mortale, num votum Parochi factum de peregrinando sine licentia Episcopi valeat, an lunga cunctatio in exequendo voto culpa sit lethalis, & an hæredes votum defuncti persoluere teneantur, &c.

QVidã Sacerdos Parochus cum esset de quodam imputatus delicto, & in carcerẽ coniectus, per multos dies ibi permãsisset, uouit, si innocens,

cens, & illæsa fama euaderet, se quotidie semel per annum, salutationem Angelicã recitaturum. Item votum emisit de ieiunãdo omnibus diebus sabbati quousque vixerit, & quantocius posset, ædem Lauretanam visitaturum, & ibi pietatis ergo decem aureos, & calicem B. Mariæ Virgini dono daturum. Cum autem voti compos factus multoties orationem illam per negligentiam omiserit, & ob Natalis Domini festum in Sabbatum incidẽs non ieiunauerit, & illam peregrinationẽ per duos annos distulerit, ac tandem non expleto profectionis voto decesserit, relictis hæredibus duobus nepotibus; de aliquibus hic quæritur.

Primo, an transgressio voti paruę materiæ, vt est Angelica salutatio, eum sacerdotem reum peccati mortalis constituat, & quid de violatione Sabbati in die Natalis Domini.

Secundo, an votum illud peregrinationis inscio Episcopo factum valeat.

Tertio, an illa longa mora illud adimplendi sit mortalis culpa.

Quarto, an eius hæredes teneantur illud persoluere, an calicem aureum, vel argenteum dare, &c.

R. Quò ad primum quæstionem hanc primo positionem constituo, trasgressionem voti ex suo genere esse mortalem, cum opponatur altissimæ religionis virtuti, infideliter in Deum agendo, & ei promissum obsequium denegando, isque est totius ecclesiæ consensus, & communis DD sententia.

Excusatur tamen à mortali ob paruitatem materiæ, siue illa sit pars totius materiæ voti, vt si quis vouit virgineos calculos recitare, & vnam, vel alteram salutationem omisit; siue illa res minima sit tota materia voti, vt si quis voto promittat dictã Angelicam Orationem recitare, & non recitat. Cum in omni præcepto diuino, & naturali, materiæ exiguitas à mortali eximat culpa. Imò quamuis vouẽs sub lethali noxa se obligare vellet, neutiquam posset, quia nec legislatorẽ in re leui ad huiusmodi culpam astringere posse communis est scribentium consensus. *Sanchez l. 1. c. 4. n. 16. & l. 4. cap. 12. n. 5. & seq. Sayr. l. 6. clau. reg. cap. 6. num. 5. Reginald. l. 18. num. 237. Suarez. tract. 6. de relig. lib. 5. cap. 4. num. 6. Molses. tract. 2. cap. 16 num. 26.*

Ad secundam quæstionem respondendo dico, quod licet receptior, ac tutior opinio sit, eum qui quolibet die Sabbati ieiunare vouit, teneri eo die ieiunare, & à carnibus abstinere, etiam si in eum diem Natalis Domini incidat, expresse enim in *cap. fin. extr. de obser. ieiuny.* cauetur, vt astricti voto, aut regulari obseruatia carnes die Veneris, vel Sabbati comedere nequeant, in quo Natalitium festum occurrat: quamuis carnium esus alijs fidelibus eo die permittatur, vt etiam tetigimus *supra tract. 5. cap. 9. quæst. 60.* Probabilitate tamẽ eorum placitum non caret, qui sentiunt, si vouens factum diem Natiuitatis Domini excepisset, quando id in cogitationem cecidisset, eo die non obligari à carnibus abstinere; quia in dubio vniuersalis ecclesiæ consuetudini se velle accommodare censetur. Vnde si iste Parochus in hac sententia, conscientiam sic formauit, dicẽdum est, nullo modo peccasse, quam nonnulli Canonistæ sequuntur in *d. c. fin. de obser. ieiuny. & Azor. p. 1. l. 11. cap. 20. quæst. 3. & Molina tom. 2. de iustitia d. 272.* Quam probabilem asserit *Bonac. d. 4. de leg. quæst. 1. p. 6. num. 9.* & sequi eam videtur. *Molses. tract. 1. cap. 14. num. 67.*

Ad tertiam quęstionẽ respondendo pariter affirmo, votum illud valere, posse tamen à Superiore, vel Episcopo irritari, vt propterea necesse sit, illud ei aperire, & notum facere, siquidem Parochi, vel clerici habentes quæcunque beneficia residentiam exigentia, absque eiusdem Episcopi licentia longæ peregrinationis, aut aliorum, in suæ ecclesiæ præiudicium vergentium, voto se astringere nequeunt. *cap. magnæ. ext. de voto. cap. non oportet. el. 1. de cons. dist. 5. Sanch. l. 4. cap. 25. n. 44. Sayr. l. 6 cap. 5. n. 25. Benzon. de anno Iubilei. l. 5. cap. 15. dub. 15.*

Ad quartam quæstionẽ dico, sicut mortalis contrahitur culpa, cum quis votum transgreditur; sic etiam qui illud diù differt, cùm cito commode impleri pòt. Qui enim cito dat, bis dare creditur; contra vero qui tardè reddit, minus dedisse censetur: hinc *Ecclesiastes. cap. 5.* Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere, displicet enim ei infidelis, & stulta promissio; vt proinde peccatũ perfidiæ erga Deum committatur statim non implendo votũ, cum impleri potest; sicut iniustitiæ crimẽ in proximum admittitur, non tantum alienum retinẽdo, sed etiam illud non confestim restituendo. Hinc D. Thomas Aquinas iure merito dure arguit quandam matronam hydropico morbo aliàs laborantem, quòd votum sibi pro valetudine recuperanda nuncupatum tarde compleuisset, vt per *D. Anton. 3. part. Chron. tit. 23. cap. 7. §. 13.*

Tres tamen excipiuntur casus. Primo, quando qui vouit, certum tempus sibi præfixit, donec enim illud sit elapsum, votum illud implere non tenetur, quod si præfixo tempore nõ sit adimpletum, quàm primum adimplẽdum est, nisi simul cùm tempore cessetit, sicut est votũ ieiunãdi certis diebus, vt in vigilia alicuius Sãcti, certũ est .n. trãsacto tempore cessare votum, & solum peccatum à voti transgressore admissum esse. Si vero tempus nõ sit causa determinandæ obligationis, vt eo elapso ipsa euanescat, sed sit causa cõmodius eandem obligatione m implendi vt si quis voueat infra annum ingredi religionẽ, vel altare aliqđ ędificare, tũc trãsacto tempore, obligatio non extinguitur, sed quàm primum illud exequi tenetur, vt infra de ieiunio dicam.

Secundo, excipitur cum prudentis arbitrio iusta differendi adest causa.

Tertio, quando ex inculpabili inaduertẽtia impletio protrahitur.

Addo Quarto, si dilatio breuis moræ fuerit, siquidẽ rationabiliter præsumitur, nisi contrarium constet, vouentem non habere animũ se cum tanto rigore obligandi. Imò tempus executionis, seu in quo obligatio exequẽdi voti incipit, & vltra quod executionem ipsam differre peccatum est. (quidquid aliqui dixerint) æstimari debet iuxta cõscientiam ipsius vouentis; nimirum vt si conscientia ipsius dictet, quod per annum, aut duos expectare, vinculo sui voti non aduersetur, is tali mora peccare non censeatur. Et sic est cõis fideliũ mos à praxi sic receptus. *Reg.l.18.n.233.& 286. Molfes.tom.1.c.14.n.30. Graffius.l.2.decis.aur.c.22.n.3. Fernand. p.1.cap.6.§.2.num.17. Nau.cap.12.num.41.& alij.*

Ad quintam tandem quæstionem respondetur, hæredes defuncti Parochi non teneri ad perficiendam eius peregrinationem, sed bene ad persoluenda decem D. Mariæ Lauretanæ, cum primum dicatur votum personale, secundum vero reale, cuius ius, & onus ad ipsos nepotes hæredes transit. *DD. in c.licet.ext.de voto. Graff.l.c.n.10. Sanch.de præc. l.4.c.15.* Idem *Molfes.n.36. Bonac.d.4.q.2.p.5.§.2.*

Porro calix quem ipsius Parochi hæredes persoluere debent, vel aureus, vel argẽteus esse debet, quia calix diuino cultui aptus promissus intelligitur, non autem ex vili, & minima materia confectus, nempe ex ęrea, vel vitrea. *c.calix.de consf.dist.1.* Idem *Sanchez.l.c.capitulo.13.num.13. Mantica.de coniect.vlt.volunt.l.6.tit.3.num.28.* Quippe eleemosyna est quędam sacrificij species, de quo *Apost. ad Heb.13.* Talibus hostiis promeretur Deus. Et Sapiens. *Eccles.cap.34.* Qui offert sacrificium de substantia pauperum, quasi qui uictimat filium in conspectu patris sui. Abominabilis autem ante Deum est, qui deteriora ei in libamen offert. Quidam ut scribit. *Cicero.l.2.de inuent.* Cum indicasset amico suo thesaurum abscõditum, in quo intra argenteam massam aurea continebatur, & inuentor non nisi argẽti particulam grati animi ergo ad eum misisset, ipse proditor expostulauit dicens, Nihil de uitello, idest de auro, præcipuaque parte? Quanto magis de nobis ingratis conquereretur Deus, quibus optima quæque nõ solum indicauit, sed dedit? In rebus, quas Deo in eius cultum offerimus, ad deteriora cũ Caim non est confugiendum, sed Abelis exemplo meliorũ est delectus habẽdus, q ut habetur. *Genes.c.4.* offerebat de primogenitis gregis sui; & de adipibus eorũ: nam peiora melioribus substituere. quid est aliud quam diuinum numen contemnere? Cuius uerba sunt. *Malach.1.* Si offeratis cęcũ ad immolandũ, non ne malũ est? &c.

QVAESTIO LVII.

AN CONFESSARIVS VIRTVTE IVBILEI possit dispensare in voto, & iuramento religionis pœnali adimpleta conditione, vel saltem commutare, vt si verbi gratia, quis iuret, & voueat ingredi talem religionem si amplius luserit, &c.

Lvcius pœnitens confitetur, cum alearum ludo multum addictus esset, & animaduerteret, turbidis animi motibus, qui homini rectum iudicium eripiunt, in pessimo statu versari, multas horrendas blasphemias in Deum, & Sanctos conijcere solere, in eo substantias, & facultates d eperdere, &c. proponẽs in posterum abstinere, Deo vouit & iurauit, se non in posterum lusurum, & si amplius luserit, se D. Dominici religionem ingressurum, & insuper se ibi omnia peccata, tàm mortalia, quàm uenialia uitaturum: qui cum iterum ad eundem lapidem impegerit, & uideat amplissimum aduenisse Iubileum, in quo facultas conceditur, in omni uoto dispensandi, illudque commutandi, excepto religionis, & castitatis uoto, nititur ipsum Iubileum consequi, atque ab electo Confessario petit, vt tàm in religionis, quam de numquam peccando uoto pie secum dispenset, uel in aliquam rem commutet, ut uxorem ducere ualeat, &c. quæritur an Cõfessarius possit, & debeat cum huiusmodi uotis, & iuramentis dispensare, uel illa commutare. Et quomodo cum dicto pœnitente se gerere debeat? R. In præsenti casu duplex includitur uotum cum iuramento coniunctum, alterum absolutum illius rei promissæ, ut non ludendi, alterum autem conditionale pœnale, illius scilicet pœnæ, casu quo ludatur. Quare ludendo tunc contra uotum, & iuramentum peccatur, & sub eisdem uinculis obligatio ad pęnam remanet, in quam cum inciderit, uotum & iuramentũ trãsgrediendo, communior est, DD. sentẽtia, in praxi passim recepta, etiam post adimpletam conditionem, Episcopum. Vicarium, & ex usu Pœnitentiarium, item quemlibet alium Confessariũ uirtute Cruciatæ, aut Iubilei in eo dispensare, aut illud cõmutare posse. Siquidẽ Papa, cum sibi uotum religionis reseruat, ut alia quatuor castitatis, peregrinationis Romanę, Hierosolomytanæ, & D. Iacobi in Compostella, illa reseruare cẽsetur, quãdo sunt absolute, & uoluntarie facta, & quatenus ex amore, & deuotione procedũt, nõ quãdo ut odiũ, & pęna, ut sic à ludo, & à peccato perpetrãdo q s abstineat, sibi præscribũtur. Licet ẽt ꝓbabile sit, qđ si ex rõnabili causa, ut ex inaduertẽtia, obliuione, & huiusmodi, uouens contra uotum ageret, in pęnam illam non incideret, &c. vt per *Sayrum multos referentem in claui regia. lib.6.cap.9.num.72. Reginald.l.8.num.367. Suarez.l.6.cap.23. Sanch. lib.4.*

lib.4.cap.40.num.91. Molfes.tract.11.cap.15.n.158. Pet. ab Ocha. de sacr. tract.4. de matrimonio. q.4.

Porrò certum est, quemlibet idoneum Confessarium per Bullam Cruciatæ, aut alio modo, facultatem habentem in votis dispensandi, posse similiter eadem de causa in iuramentis dispensare; cum quò ad hoc eadem ratio de voto, & iuramento militet, & dispensandi potestas sit fauorabilis, & extendenda, quamuis ipsa dispensatio sit odiosa, quia ius commune sauciat, ideoque ad causam extenditur, in qua eadem, aut maior inest ratio. *Sayrus. l.c. l.5.cap.6.n.9.* vbi de communi testatur.

Quò ad votum & iuramentum de numquā peccando quod pœnitens iste emisit, dico quod licet votum de non peccando mortaliter sit apta materia, & obliget, quia est de re honesta & possibili per gratiam absque speciali priuilegio, non est tamen expediens, & facile in eo dispēsandum est, eo quod regulariter loquēdo est valde difficile, & potest esse occasio spectata fragili hominis conditione frequentius, & grauius delinquēdi; si enim iuste in voto castitatis dispēsari solet, quia homo stimulis carnis vrgeatur, multo magis in voto lethaliter nō peccandi, quod tam multis occasionibus, & periculis expositum est, præsertim circa peccata mētis. Infelix est enim hominis conditio, vt ne cogitationes, & actus quos elicit internos, non internoscat. Delicta quis intelligit? ait Dauid. *Psalm.*18. Nec sæpe discernere sciat, an peccauerit, deliberate consenserit, quantum, & quoties? Eadem ratione votum de non peccando venialiter ex plena aduertentia est materia apta, & obligat, quia circa rem honestam, & possibilem saltem ad tempus versatur, quia tamen vt omnia, & singula venialia etiam à perfectis uiris vitentur, speciali Dei auxilio opus est, ideo huiusmodi votum, & iuramentum facilius dispensandum est, & vtrumque votum scilicet de non peccando mortaliter, & venialiter, in alias preces, vel frequētiam sacramentorū prudenter commutandum erit. *Suar. l. 1. de voto. c.3. Filliuc tract. 26. cap.2. Bonac. de legibus d.4.quæst.2.p.3.§.3.* Et videantur, quæ scripsimus. *tract.3.cap.3.quæst.36.*

QVÆSTIO LVIII.

AN QVI VOVIT INGREDI RELIGIONEM, & dubius est an vouerit profiteri, egredi possit, & religionem equitum militarium ingredi.

Andreas pœnitens religionem in genere ingredi vouit, cum autem dubius sit, an etiam profiteri vouerit, egredi ante professionem vellet, & habitum equitum militarium S. Mauritij assumere, quæritur quid cōsulere ei debet Cōfessarius? R. Illum docere debere interpretationem in dubio faciendam esse, vt profitendi etiam votum emisisse censeatur, tùm quia votum religionem ingredi di sine implicita intentione professionem emittendi, & in illa seruandi quæ à iure præscribuntur, vanum, & inutile reputatur (nisi in anno nouitiatus, vel tyrocinij, illius ordinis viuendi modū expertus, votis se ibi astringere sibi non placeat) tùm quia in dubijs tutior pars est eligenda. *cap. iuuenis. ext. de spons. Azor. p.1.l.11.cap.22.quæst.6. Sayr. l.6.cap. 9.num.15. & 20. & alij.*

Secundo, illi patefaciendum est vouentem religiosum fieri, non satisfacere, si habitum alicuius ordinis militaris assumat, in quo non absoluta castitas, sed coniugalis seruatur; quandoquidem cōmuniter religionem promittentes statum viuentium in communi à tumultu, fastu, ac secularibus curis alienum subire intēdunt. Qua etiam ratione dicendum est, quidquid aliqui senserint, voto non satisfacere, si in album equitum D. Ioannis Ierosolonimytani ascribi velit. Quamuis enim illustrium istorum virorum munus sit Deo gratissimum, siquidem in sanctæ ecclesiæ defensione, diuini cultus propagatione, & publicæ salutis promotione versentur, & ad instar Machabeorum instituti sint, de quibus dicitur. *1. Mach. cap.3.* quod præliabantur præliū Israel, cum lætitia, & dilatauerunt gloriam populo suo; atque ideo à Summis Pontificibus religiosorum nomine, & titulo sint donati, à vera tamen, & propria religionis ratione absunt, cum proprium retineant, & sæcularium more extra clausuram viuant, &c. *D. Thomas. 22. quæst. 188. art.3. Miranda. in Man. Prælat. regul. tom.1. quæst.4. art. 15. Lud. à Ponte. p.2. de perfect. hominis christ. tr.4. cap.13. Cassan. in cat. glor. mundi. p.9. cons.4. Polid. Ripa. singul. obser. 185. Genuens. in Pract. eccles. Tricen. 1. quæst. 20. Azor. p.1.l.13.c.4.quæst.6. & 9. Sorbus. in Comped. priuileg. Mend. in v. dare. Sanch. de præcep. l.4.c.16.num.11. & 12. Sayr. l.6. cl. reg. c.7.n.10. Molfes. tract.11.cap.14.num.75. & alij.*

CAP. XIII.

QVÆSTIO LIX.

QVOMODO CONFESSARIVS CVM VOTI siue simplicis, siue solemnis violatore se gerere debeat.

Qvomodo in praxi se gerere debet Confessarius cum pœnitente, qui votum aliquod à se emissum, siue simplex, siue solemne violauit, Et quid agere cum eo, qui voto astrictus, ita moleste illius obseruationem fert, vt velit se ab ea liberum facere? R. Votum quatuor modis violari. Primo, si quis rem nō bonam vouear, vt peccatum mortale, vel veniale, vel rem impertinentem, vt in die Sabbati vngues non præcidere, &c. Cum vt supra insinuauimus, votum sit promissio deliberata, Deo facta, mediate, vel immediate de re bona, & seria. Secundo,

cundo, si quis voueat quod scit, se per solius naturæ auxilium, vel generale gratiæ subsidium adimplere non posse, vt omnia peccata venialia in hac vita deuitare. Tertio, si pœniteat se votũ emisisse, cum proposito, vel periculo promissionem nõ exequendi; & doleat de actu, ad quẽ tenebatur, vel tristitiã concipiat de re ex genere suo bona, vt de statu religionis, &c. Vel etiam si impotentem studiose ad reddendum votum se teddat, vt puta si ne religionem quam vouit, ingrediatur, consulto immoderatis ieiunijs, abstinẽtijs, & vigilijs corpus suum conficiat. Quarto, si quis votũ cum possit, nõ adimplet, vel illud frangit, licet enim vouere ex se nõ de præcepto, sed de consilio sit, cum tamen factum est, ab eo, qui vouere potest, de re licita, & debitis circunstantijs adhibitis, ad præceptum, vt de fide certum est, spectat. Adde eum qui vouet, uel iurat se facturum id, ad quod sub pęna peccati mortalis tenetur, vt non fornicari, & non implet, peccare non solum quia fornicatur, sed etiam quia uotũ, uel iuramentum transgreditur, ita vt peccatum cum hac circunstantia exprimere teneatur. Qui tamen peccatum idest fornicationem confessus, oblitus est dicere se cõtra votum egisse, id solũ aperire postea sufficiet, omisso peccato, vt ex cõi resolult. *Regius. casu.* 50.

Porro voti obligationẽ tribus potissimũ modis tolli apud omnes exploratũ est, videlicet irritatione, dispẽsatione, ac commutatione. Irritare possunt Primo parẽtes, ac tutores personalia puerorum vota, vsque ad 14. eorum annum, realia usque ad 24. Secũdo, Domini omnia seruorum vota, quæ in eorum præiudicium vergũt. Tertio, coniuges possunt sibi inuicem irritare vota, quæ sibi præiudicant, secus si non obsint. *Sanchez. l. 9. de matr. d. 39. & seq.* Quarto, Superiores religiosi suorum subditorum, siue realia, siue personalia sint. Atque idem de Abbatissis erga sanctimoniales dicendum est, nam sicut mater quæ est tutrix, in casibus sibi permissis filiorum vota irritat, multo magis monialium Præfecta, & monasterij mater, ob maiorem dominatiuam potestatem id efficere potest, licet ob spiritualis iurisdictionis defectum dispensare nequeat. Dispẽsatio ut legitima sit, procedere debet, Primo, ab habente dispensandi potestatem, quam habet Primo Summus Pontifex in omnia fidelium uota.

Secundo, Episcopus in subditorum suorũ vota, exceptis uotis castitatis, religionis, peregrinationis in Ierusalem, ad limina Apostolorum, & ad S. Iacobum. Qñ tñ dubiũ esset de valore alicuius voti. S. Põtifici reseruati, integrũ esset Epõ, vel Pœnitẽtiario sup eo dispẽsare; & si. n. dubiũ tale sit, vt vouentẽ ab obligatione voti nõ excuset; (nã si excusaret, dispẽsatione opus nõ esset,) p authoritatem tñ Epalem relaxari põt, cum dispẽsationis reseruatio odiosa sit, & restringẽda, & in veris votis nullã dubitationẽ habentib. intelligi debeat. *Sanch. l. 1. de deprac. c. 40. n. 26. Suar. de relig. l. 6. de voto. cap. 25. Molfes. tract. 11. cap. 15. num. 140. & alij.*

Tertio, Prelatus regularis in oĩa suorũ subiectorũ vota. Vnde irritũ, & nullũ esset uotũ, ac iuramentum nõ petẽdi dispensationẽ, vel relaxationẽ uotorum, & obtenta nõ uti, qñquidẽ hoc Superioris iuri repugnat, cui priuatus derogare nequit, & quia in multis casibus culpa est ẽt dispensationẽ nõ petere, ut dum peccandi periculum imminet. Idem *Molfes. nu* 44. Ideò ad impetrandam dispensationem super uoto castitatis semper exprimi solet incontinentiæ timor, ita ut cõtinenter, & caste uiuere posse non speret, ut per *Sanchez. l. 8. disp. 28. num. 19.*

Secũdo, dispẽsatio ex legitima causa procedere dẽt, qualis est, Primo, si dubiũ sit an exequi qđ promissum est, sit malũ, inutile, uel mains bonũ impeditiuũ. Secũdo, si facile, & sine integro, & perfecto iudicio quis uouit. Tertio, debilitas, uel infirmitas uouentis superueniens. Quarto, periculũ transgressionis, nõ ex malitia, sed ex uouẽtis ortũ fragilitate.

Tandem commutatio à potestate pollente fieri debet, Primo, diligenter, ac prudenter perpendendo, quid secundum æquitatẽ liceat, ut quò ad fieri potest, commutatio in æquale bonum fiat. Secundo, quid deceat, ne scilicet ex tali commutatione aliquod scandalum consequatur. Tertio, quid tàm quò ad ipsũ uouẽtẽ, quã quo ad proximũ expediat.

Secũdo, à quouis in maius bonum commutatio fieri potest. Tertio, à nullo in minus. Quæ omnia ut prima principia à Confessario supposita annotanda sunt, Illudq; ab ipso aduertẽdum est, qđ licet à trãsgressione uoti quo ad peccatũ (nisi ipsa uiolatio reseruata sit, ut in religiosis ordinibus fieri solet) absoluere ualeat, ut puta q a quis castitatis simplex uotum, rem turpem admittendo, uiolauit, &c. non tamen ei integrum est illud irritare, tollere, dispensare, uel commutare, nisi alia facultate fulciatur, &c. *Syluest. in v. votũ. 4. n. 3. vers. 10.* At uotum commutãdi facultatem habens, censetur posse pęnas commutare, quas ob eius uiolationem uouens incurrerat. *Graff. cons. 6. de voto. Suar. de relig. tom. 2 lib. 6. c. 20. Nald. v. votum. num. 44.*

Vnde ad resolutionẽ deueniẽdo dico, qđ si pęnitẽs uoti obseruationẽ ita molestè ferat, vt ab ea se liberũ facere uelit, cũ pposito illud nullatenus seruãdi, is tanquã uolẽs in peccato mortali perseuerare, modo materia leuitas nõ excuset, absoluẽdus non est, nisi tali malo aĩo mutato, firmiter statuat, id ipsum uotũ sine dilatione suo tẽpore impleturũ. Interea autem si illud relaxari uelit, & iustã causam habeat, ex qua id ad Dei gloriam expedire cõstet, absolui faciamẽ taliter poterit, dũmodo ipsi nõ cõtrauenire proponat, antequã per dispẽsationem, cõmutationem, aut irritationẽ, relaxationem obtinuerit.

Explicabit omne ius uoti obseruationẽ suadere, naturale quidem, quia natura datam etiam hominibus

nibus fidem, multo magis Deo, seruandam docet; ius vero diuinum multis facræ fcripturæ locis expli cari, vt *Ecclef.cap.*5. Si quid Deo vouifti, ne moreris reddere, &c. Et *Num. c.*30. Si quis virorum votum Domino vouerit, aut fe cōftrinxerit iuramento, nō faciet irritum verbum fuum, fed omne quod promifit, implebit. Ad quod maxime proderit, bis faltem in anno eiufdem voti renouationem facere, hoc enim pietatem augebit, obligationis memoriam, qua Deo quis obftrictus eft, excitabit, & in bono propofito confirmabit, & fic tribus vitijs, feu lāguoribus obuiam ibitur, quibus votorū obferuatio retardari folet, quæ funt, Primū, obliuio, quàm incuria, concupifcentia, & Dæmon in animum inducere confueuerunt. Secundū eft tarditas, quam tepor, & acedia votorum promiffionē oppugnans confequitur. Tertiū, mutabilitas, humanæ cōditioni innata, quæ facit, vt quod femel placuit, difplicere incipiat, atque impellit, vt homo propofitum mutet, & promiffum, votumque violet.

Tertio, ius canonicum hoc apertis, & claris verbis præfcribit, *vt tota tit. de voto, et voti redēp.* fi enim cōtractus humani à principio funt volūtatis, & poft factum, vt I.C. loquuntur, funt neceffitatis. *l ficut. C. de act. & oblig.* eo magis in promiffione Deo facta id locum habet.

QVAESTIO LX.

QVOMODO MONASTERII POENITENtiarius cum religiofo votifrago fe gerere debeat.

Quomodo Confeffarius monafterij fe geret cum pœnitente religiofo, qui aliquod folemne votum puta caftitatis violauit, & illud fibi obferuatu difficile exiftimat? R. Proponet delicti grauitatem, eò turpiorem, quò ad libidinum fordes, facrilega voti folemnis contaminatio, & fcandalofa ftatus vita accedit, cum triplici ratione regularis peccatum augeatur. Primo, propter ipfius religionis votum, quo ad perfectionem tendere tenetur. Secūdo, ob ingratitudinem erga Deum, quia dum plurimis donis à Deo cumulatur, eò magis ei gratus effe debet. Tertio, propter fcādalum, fiquidem plures ad eius vitam refpiciunt, & facillime inde offenfionis anfam arripiunt. Quod flagitium Deus etiam in hac vita vlcifcens acri animaduerfione punire folet, vt luculento exemplo, & quod fine horrore memorari nequit, oftendit. *Mart. Delrius. l.* 3. *difq. mag. p.* 1. *quaft* 7. § *tertium eft, & alia refert. Daur. tom.* 4. *cap.* 7. *tit.* 71.

Adde in votum folemne difpēfationem non cadere, cum illa non habeat locum, nifi vbi iufta aliqua caufa, aut materię, aut perfonæ vouentis intercedit. In fimplici quippe voto potuit vouēs imprudenter, temere, aut coacte illud emittere, vt propterea pia mater ecclefia illud ipfum votum non effe feruandum, aut in aliquam aliam rem commutandum interpretari queat, quæ caufa in folemni locum habere non poteft. Et fi enim ipfiufmet promiffionis materia fortaffe difficilior facta fit, aut perfona imbecillior; attā quia publice ab ecclefia hoc votū exceptū eft, effet multorū offenfio, fi illud reuocaret, qđ femel ab ipfa approbatū eft. Quamuis ex multorum Theologorum, & Canoniftarum fententia, Summo Pontifici, vt Chrifti Vicario integrum fit, ex graui, & vrgenti caufa, aliquem religiofum hac lege foluere, vt fcilicet profeffus pro ali cuius regni pace, ac tranquillitate, & ob defectū legitimi fucceffsoris matrimonium ineat, &c. *Sayrus. l.* 6. *clauis reg. c.* 11. *n.* 16. *Reg. l.* 18. *n.* 329. *Sanchez. l.* 8. *de mat. d.* 8. *n.* 6. *Molf. tr.* 11. *c.* 15. *n.* 136.

Cōquerēti impoffibilē, vel valde difficilē fibi effe folemnis voti obferuationē, in memoriam reuocabit, quod aliàs retulimus, effe in cuiufque poteftate caftitatis donum in actu fecundo habere, fi ex parte fua collaborare, & idonea remedia adhibere uoluerit. Quippe ad continentiæ ftatum Chriftus homines inuitans fufficientia etiam & efficacia auxilia ad eam fi velint, obferuāda m offert; nam neque homini liberum arbitrium deeft, vt velit, nec facultas deerit, vt illam re ipfa obtineat: quamuis enim naturales vires ad id non fufficiant; Deus tamē gratiæ fuæ auxilio fupplet, quod liberi arbitrij imbecillitati fubtrahitur. *Leffius. l.* 4. *cap.* 2. *dub.* 15. *Lud. de Ponte. tom.* 3. *tit.* 2. *cap.* 2.

Tandem cum in Confeffione aliquis cafus fibi in religione occurrerit, lapfus enim carnis voluntarius opere confummatus referuari foles: & lapfus nomine intelligitur omnis carnalis peccati, & luxuriæ fpecies, cum feminis effufione, quomodocūque cum actu exteriori procurata; fi inquam huiufmodi cafus in religiofis ordinibus acciderit, Confeffarius monafterij à Prælato abfoluendi facultatē petet, ita tamen, vt pœnitentis nomen nō innotefcat. Qua in re ipfius Præfecti partes erunt, in cōcedenda abfoluendi facultate non difficilem, nec nimis facilem fe præbere, ficque communi bono ab ipfo profpiciendum effe cenfere, vt confeffionis religionem, nō grauem reddat. Ad quod refpiciens. Pius V *in quadam fua Conftitutione Incip. Romani Pontificis. circumfpecta*, regularibus Prælatis confulit, vt perfonis circumfpectis, & doctis cum expoftulatum à fe fuerit, cafus referuatos facile committant. *Miranda. in Man. Prælat. tom.* 2. *quaft.* 34. *artic.* 9. *Molf. tract.* 7. *cap.* 20. *& feq.* Vbi *num.* 44. refert, ex Diplomate Pauli V. Confeffarios monafteriorum fi Superiores facultatem abfoluendi impertire noluerint, pro illa vice etiam non obtenta facultate, abfoluere poffe. Vide multa ad hanc rem fpectantia

tia *in Comment. cas. refer. p. 3. cap. 6. & de hum. vita stat. p. 1. cap. 22. & 23.*

Porro à Cõfessario urgendũ erit, omnino abesse debere, ut quis Deo sacratus à religionis statu eximi cupiat & quærat, ac carnis nequitias, ac fœditates denuo concupiscat; semel enim Deo dicata non sunt amplius ad humanos usus transferenda. *cap. semel. de reg. Iu. in 6.* Et si qui sunt, qui vana, ac mundana iterum exoptant, væcordibus Iudæis similes esse, qui manna de Cœlo mirabili Dei prouidentia nutriti, Ægypti allia, & cæpas, rustico appetebant stomacho. Maxima sane ægritudo, salubria, & utilia respuere, & perniciosa, & nociua appetere, proinde eis ut pote infirmis eriã inuitis adhibenda sunt medicamenta. *Io. Bap. Finus. de reg. Iu. hom. 2.*

ARTICVLI, QVÆSTIONES, & casus, qui supra quartum præceptum formari possunt. Cap. XIV.

QVAESTIO LXI.

QVID, ET QVOMODO CONFESSARIVS in actu practico circa tertium, & quartum præceptum interrogare debeat.

Quid & quomodo Confessarius interrogabit in actu practico super tertium, & quartum præceptũ decalogi? R. Tertium, & ultimum primæ tabulæ præceptum ad exteriorem Dei cultum pertinet, exclusis enim ueræ religionis obicibus, per impietatis diuinæque irreuerentiæ prohibitionem, duobus primis præceptis factam, exterior honor qui Deo à nobis debetur, his uerbis præscribitur. Memento ut diem Sabbathi sanctifices. Siquidẽ quia nos rerum humanarũ uarijs, ac multis occupationibus, & curis distracti præpedimur, ita, ut non facile debita diuinæ pietatis officia præstemus, certum, ac diffinitũ tempus statutum est, quo ea commode obire possimus: Si uerum est quod ait Democritus apud *Stob. serm. de auaritia.* Vita sine festiuitatibus longa est uia sine diuersorijs, summa fuit Dei prouidentia, & humanæ experientiæ necessitas, dies quosdam ab opere quiescentes constituere, & humanam hanc infirmitatem à laboribus aliquãdo subleuare, ut nõ in uia deficeret, utq; terrestribus sudoribus intermissis, animus ad maiora, & cœlestia cõsideranda raperetur, Deumq; ueneraretur, ac placaret, ut ait. *Tholos. l. 2. syntag. Iu. c. 16*

Proinde in hoc præcepto ea Confessarius à pœnitente interrogare poterit, quibus externum cultum Deo tribuimus; Nempe Primo, an pœnitens absque rationi consentanea causa, totum missæ sacrum, aut notabilem eius partem diebus festis audire prætermiserit, aut si præsens fuit consulto, & uoluntarie in alienis cogitationibus distractus fuerit. An diuinum officium, ac alias preces, ad quas tenetur, attente recitauerit, uel spõte animo in uarias curas dispersio illas persoluerit. Secundo, an dies festos uiolauerit, aliquod seruile uerum exercendo, aut fieri iubendo, seu etiam eos, qui eius curæ sunt commissi, non impediendo.

Secundo, an confessionis, & Communionis sacramenta susceperit, cum ecclesiæ præceptum ad id astringit, an sacrilegium aliquod cum ad ea accessit admissum fuerit, & huiusmodi.

Tertio, de ieiunio interrogare poterit, an scilicet abstinentiam à cibis præscriptis ab ecclesia diebus seruauerit, nisi ex causa ab hoc onere à iure eximatur, &c. Addere eriã poterit, num decimas, uel primitias, ubi eas dandi cõsuetudo uiget, persoluerit. Nam in huiusmodi præceptorũ omissione, nisi aliqua rationabilis causa excuset, dubium non est, lethalem culpam contrahi, ut suo loco *tr. 8.* dicemus, cũ super ecclesiæ præcepta aliquę quęstiones, & casus instituentur. Interim super hoc præceptum uideri poterit. *D. Thomas. 22. quæst. 122. art. 4. Catechis. Rom. cap. 3. Carbo. super quinque ecclesiæ præcepta. Nau. in Man. cap. 13. Tol. cap. 24. Sayrus. in claui regia. l. 7. cap. 1. Graffius. l. 2. decis. aur. cap. 34. Azor. p. 2. cap. 1. Reginald. l. 19. cap. 1. & 2. Philiarcus. p. 1. libr. 3. cap. 23. Fernand. p. 1. cap. 7. Molfes. tract. 11. cap. 17.*

Huic autem præcepto, eo magis incumbere debet Confessarius; quod his miseris temporibus licentius, ac frequẽtius circa illud à fidelibus peccari cõtingit, ita ut ab Ethnicis in hac re superari patiãtur, in omni enim republica ex naturali lumine instituti erant aliquot dies festi, quos summa religione (licet falsa) colebant, &c. *ut per Alex. ab Alex. l. 5. dierum gen. cap. 7. Couar. l. 4. var. resol. cap. 19.*

QVAESTIO LXII.

QVA PRAXI CIRCA QVARTVM PRAEceptum uti debeat Confessarius.

Quid, & qua praxi Cõfessarius circa quartum præceptum interrogabit? R. Sicut pręcepta primæ tabulæ quomodo Deus sit colendus, tribus mandatis nos docent, ita secũdæ in ordine ad proximos informant, & ad eorumdem charitatem, & iustitiam erudiunt. Inter proximos autem quidam sunt nobis peculiariter coniuncti, præter similis naturæ commercium, quod est cum omnibus commune. Qui rursus licet in uarios ordines sint distincti, primus tamen locus merito parentibus, qui nos genuerũt, tribuitur, quippe quibus id quod sumus, secũdum Deum debemus. Est enim pietas in parentes ei quæ Deo exhibenda est, adeo affinis, ut recte

Arist.

Arist. in 8. Ethicorum, & Platone in lib. 4. de legibus. Deo, parentibus & Magistris æquivalens reddere non possimus. Et vt ait. *Plut. tom. 2. de amore fraterno.* Omnes dicunt, canuntque, quod parentibus honorem secundum Deos primum, maximumque, & natura, lexque naturam conseruans, dederit. Vnde Parentum nomine primo in hoc præcepto intelliguntur, qui nos procrearunt. Secundo qui nobis aliqua cognatione sunt coniuncti, & domestici. Tertio, ecclesiæ Præsides, Pastores, & Sacerdotes, Confessarij, regulares Superiores. Quarto hi quibus imperium, aut dominatus, aut Magistratus, seu politica potestas commissa est. Quinto alij, quorum fidei, & curæ commendamur, vt sunt tutores, curatores, & magistri. Sexto Parentum vices subeunt senes, & ætate confecti, quos etiam colere, suspicere, & uereri debemus. *Alex. de Hales. 3. par. summa. quæst. 33. Catechis. Roman. super 4. præcept. cap. 5.* Vbi tradunt, honorem superioribus exhibendum duplicem esse, spiritualem, & corporalem, primum tribus cōstare partibus, affectu, effectu, & signo, affectu timemus offensam non honorādo incurrere, effectu prōpta obedientia obsequimur, signo assurgimus, ac caput denudamus; Secundū vero honorē sustentationem requirere, quæ tribus limitibus concluditur, amicabili verborū solatio, obsequio, operum seruitio, & largo necessariorū adminiculo, &c. Vt est communis opinio apud. *Nau. cap. 14. num. 3. Azor. l. 2. cap. 1. quæst. 1. Graffium. cap. 55. Sayr. cap. 4.* His ergo suppositis, quò ad subditos Confessarius eos interrogare poterit de amore, honore, & reuerentia, qua maiores suos prosequi debent. Secundo de obedientia, vt scilicet suas rationes ad eorum arbitrium voluntatemque in rebus licitis, & honestis conferant. Tertio, de corporali subsidio, vt scilicet in necessitate, & cum indigēt, tàm quò ad alimenta, quàm medicamenta, & alia opem ferant.

Quò ad superiores eos pariter interrogare debebit de educatione, an s. necessaria ad vitā, tàm corporalem, quàm spiritualem subditis suppeditent. Secundo, an cum eos errare, vel delinquere contigerit, ex charitatis, & iustitiæ lege corrigāt. Tertio, de eruditione, videlicet an curent, vt fidei rudimenta edoceantur, & bonis, ac christianis moribus imbuātur, vt ex citatis authoribus colligi potest. Nam ne parentes carnis curam duntaxat gerere in desiderijs videantur, inducere gratam prolem tenētur, vt innocentiam corporis cum puritate mentis Deo offerre studeat; quod fieri contingit, quando pueri à teneris Deo militare incipiunt: anima siquidem adolescētis est velut tabula rasa, in qua nihil est depictum, apta tamen quæ depingatur. Comparatur etiam molli ceræ, quæ cum sigilli imaginem receperit, dimittere inueteratā nescit. Item agro inculto assimilatur, qui si negligatur, vepribus obducitur, si uero diligēti opera excolatur, maturam messem producit. *D. Chrisost. hom. 49. super Matth. Felisius in explicat. 4 præcept. Maiolus. de diebus canicul. p. 2. colloq. 3. tit. de hom. educat.*

QVAESTIO LXIII.

QVOMODO SE GERET CONFESSARIVS cum proteruo, & impio erga parentes filio, &c.

QVomodo Cōfessarius se geret cum illo proteruo filio, qui uerbis asperis, & contumelia aspersis parentes affecit, manū etiam ad percutiendum eleuauit, etiam si nō percusserit, ac multoties perinde ac eos odio habeat, toruis oculis aspexit, eorum iussis non obtemperauit, imò ipsis inuitis, sine iusta causa matrimonium cōtraxit, & quod maius est, cum infirmi decumbant, tamen eos inuisit, & eorum curationi non intēdit? R. Absque dubio dicendum est, hunc filium in omne officium parentibus debitum deliquisse, & omnia pietatis iura uiolasse dicente. *Seneca. l. 3. de benef.* Parentes suos non amare, & colere impietas est, nō agnoscere insania, ut per Anneum. *Rober. l. 1. rerum iud. cap. 1.* Et notum est illud Demetrij Phal. apophtegma, filios adolescentes debere honestos domi parentes reuereris, in uia autem omnes, ut quisque se obtulerit, in solitudine se ipsos, uerecundiam non uiolando. *Feder. de Senis. consilio 191.* Quippe obligatio filiorum erga parentes tribus uirtutibus cōtinetur, amore, & obseruantia, ut illos diligant, nec solum interius, sed etiam exterius id ostendant. Secundo obedientia, ut in rebus licitis illis obtemperēt. Tertio subsidio ex pietate imperato, ut in his, quæ tàm ad animum, quàm ad corpus spectāt, cum opus est, opem ferant. Hinc infertur, filiū hunc qui tàm aspe ris uerbis cum parentibus egit, & ipsis inuitis sine causa coniugium iniuit, & eos ægrotos non inuisit, nec in quibus egebant, subuenit, lethali scelere animam propriam sauciasse, ut proinde absolutione donandus non sit, nisi de huiusmodi excessibus doleat, & ipsos parētes placatos reddat, in posterumque emendationem proponat.

An autem Parētes huiusmodi impios filios hæreditate priuare possint, & an si filios iniuste à matrimonio contrahendo impediant, in excommunicationem incidant. Vide *Sanchez. l. 4. de matrimonio. d. 22. & seq. & DD. supra citatos, & Sayrum. l. 7. cap. 6. Azor. cap. 2. Reginald. libr. 20. cap. 2. Molfes. tract. 11. cap. 18. Bonacin. de leg. d. 6. quæst. 1. p. 2. & de matrim. quæst. 5. p. 17.*

Quibus assertionibus non insisto, en quod in *Comment. de hum. vita stat. & eorum. obligat. cap. 21. p. 2.* quę in hoc loco necessaria sunt, tradidimus. Et etiam nos infra hoc suo loco tāgemus, vt pœnitentem

tentem

tẽtem in posterum ab his flagitijs auertat, illud recolet: *Apostoli. 1. ad Timoth.* 4. salubre enũtiatum; Pietas ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ; solet enim Deus filios impios, & parentibus non obsequentes de medio tollerre, è contra benedictionibus, & gratijs augere, prospera multa concedere, vitæq; longitudinem illis impertire, qui genitores suos colunt, hisq; gratiam referunt, à quibus lucis, & vitæ vsuram habẽt. *D. Bernar. Seneus. to. 2. dom. 2. Quad. ser. 17. ar. 3. c. 1.* Et quia ut ait. *S. Leo. serm. de S. Laur.* Et si facilis ad exhortãdum sit ratio, & efficax ad suadendũ, validiora tamen sunt exempla, quàm verba, & plenius est opere, quã voce docere, aliqua proponet exempla, inter alia illud Alphonsi Regis Atagonum, de quo. *Ant. Panor. l. 2. de eius gestis. cap.* 28. sic loquitur, Alphonsus cum peregre aduenienti Ferdinando patri obuiã progressus, animaduertisset, illum lectica vectari valetudine affectũ, statim equo desilijt, ut patrẽ pedibus comitaretur, & si opus esset, humeris, aut ceruice etiam sustolleret. Cumque è lectica pater identidem cohortaretur, vt exemplo multorum procerum iuxta adequitantium, & ipse quoq; equum ascenderet, Alij, inquit, ò pater, quid ad se attineat, ipsi viderint, ego quidem adduci ipse neutiquam potero, quin Regem, quin patrem, & eundem ægrotum pedibus sequar. Eundem postea decem, ac septem aureorũ millibus funerauit, magno pietatis argumento, hæc ille. Carolus item Iunior, cognomẽto Crassus, Ludouici Gallorum Regis filius à Dæmonio grauiter in præsentia patris, & optimatum eius vexatus est, & in ipsa vexatione confessus, hoc sibi ideo contigisse, quia è contrario patri suo irreuerentiam, & molestiam exhibuisset. *Daur. tom. 2. cap 3. tit. 80. & 82.*

Adeo uero filius de iure naturali, diuino & positiuo patri honorem obedientiam, & reuerentiam præstare debet, ut non ualeat iuramentum, neque alia ipsius filij obligatio subsistat, per quam patri parerenõ teneatur; Ideo si filius è loco non recedere iurauit, nõ est periurus, si paterno iussu discedat. *Feder. de Senis. in d. cons. 191. Tusch. v. filius. concl.* 358. Addo naturalem parentum erga liberos charitatem, ac uicissim officiosam liberorum in suos parentes uenerationem, paternam legitimæ petitionem magna comẽdatione fouere, ut propterea ipsa legitima portio parentibus debita legatis in pias causas factis præferatur, cum etiam pietatem parentibus debitam religionis nomine censeri nonnulli testentur. Bona filij, inquit, Plinius in Panegyr. sine diminutione pater possideat, nec socium hæreditatis accipiat, qui non habet luctus. *l. & si parentibus. ff. de inoff. testam. cap. 1. de testam. in 6. c. fin. 17. q. 4. Ann. Rob. l. 1. rerum iud. c. 1.*

QVAESTIO LXIV.

Quomodo cum parentibus agendum, qui naturales filios subinde natos ad hospitales domos ablegant, & eorum curam negligunt.

Franciscus cum de Lucretia eius famula, ex damnata, & illicita copula filium suscepisset, statim ex utero matris egressum à se abdicauit, & ad Xenodochium misit, nec de eius alimentis, & educatione ullam nunc curam gerit, quæritur, quomodo in praxi cum eisdem parẽtibus se gerere debeat Confessarius? R. Cum quartum decalogi præceptum ulrò citròque obliget, & impliciie parentum erga liberos obligationẽ pariter ad uittutem pietatis pertinentem comprehendat, fatendum est ipsius pietatis debitum ab eisdem met parentibus uiolari, & paternum officium ab eis prætermitti.

Primo, si prolem, cum possunt, non alant, etiam si spurij sint, quod si ex aliqua causa, vt delictũ celetur, aut ne aliquo dedecore afficiantur, in hospitali domo filius nutriendus tradatur, pater, & mater prolis omnes impensas factas restituere debent, nisi pauepertatis onus eos excuset; cum bona huiusmodi hospitalium ad alendos paupetes, non diuites instituta sint; & quantum ab opulentis consumitur, tantum indigentibus adimatur. *Sayr. l. c. l. 8. cap. 4. n. 21. Reginald l. 22. unm. 25. Bonac. de matr. quæst. 4. p. 15. Azor. cap. 5. quæst. 7. Tol. l. 5. cap. 1 t. ydquid dicat. Vgol. de off. Episcopi. p. 1. c. 24. §. 1. n. 6.*

Secundo, non solum alere, & uestire tenentur filias, ac dotare, ẽt si sponte indigne matrimonium contraxerint, ut per *Sanchez. l. 4. de matrimonio. d. 24. & Grat. tom. 2. Discept. For. cap. 213. Bonac. de legibus. d. 6. quæst. 1. p. 6. §. 2.* sed multo magis per se uel per alios instruere, in Dei timore educare, in rebus fidei, & christianæ religionis informare debẽt, & operam dare, ne ipse filij, uel filiæ malis moribus imbuantur; & si per ignorantiam, uel fragilitatem, seu malitiam eos peccare contigerit, paterna charitate corrigere, & ad bonam frugem reducere.

Quod admonet. *Apost. ad Ephes. cap. 6.* cum ait. Vos Patres educate filios uestros in disciplina, & correptione Domini: Et Sapiens. *Eccles. cap. 7.* cum inquit, Filij tibi sunt, erudi illos, & curua illos à pueritia illorum. Siquidem quamuis sensus, & cogitatio humani cordis in malum ab adolescentia lua prona sint; magnopere tamen à parentum pendet industria, & cura, deprauatæ naturæ malitiam corrigere, & uitium per bonam educationem in uirtutem commutare, idque eo magis facere debet pater, quod simul cum filio una & eadem persona cẽsetur, & filius pars patris dicitur, & ipso parente defuncto, adhuc per filium uiuere existimatur. *Oldrad. cons. 224. Crauet. cons. 1.* Vnde & *Tobias. cap. 10.*

filium

filium lumen oculorum suorum appellauit, tùm quia nuptiæ obscuræ videntur, quæ liberorum lumine caret; tùm quia sicut lumen luminis, ita filius est vera patris imago. Quod officiũ in primis Theodosius Imp. erga filios suos præstitit. teste *Niceph. Calisto.lib.* 14.*hist. Eccles.cap.*20.

Quem imitatus est Carolus Magnus Imper. de quo sic scribitur, Maxima cura filios educauit; nũquam domi sine ipsis cænauit, numquam iter fecit, quin filij adequitarent; filiæ vehiculo extremum agmen claudente subsequerentur, ipsos liberalibus studijs institui iussit. Mares simul ac per ætatem licuit, more Germanorum equis, armis, venationibus exercuit, fęminas vero etiã lanificio, colo, fusoque, ne otio torperent, assuefecit.

Sic Diabolus ob parentũ in nõ rectè educãdo negligẽtiam, puerũ extinxit, quatenus reatum suum pater agnosceret, qui paruuli filij animam negligens gehennę ignibus nutriuisset. *ex D.Greg. lib.*4. *dialog. cap.*18. Hæc est potissima causa, cur filij ex illegitimo thoro procreati male audiãt, & malam frugem afferant, quia subinde nati à parẽtibus abdicantur, & eorum educatio, & recta institutio negligitur; cum tamẽ D.Anselmi sit illa paterna vox, dum de liberorum etiam naturalium educatione interpellaretur, Cupitis, aiebat, pueros optimis ornari motibus? necesse est, vt cũ seueritate disciplinæ, paternæ pietatis, & mansuetudinis leuamen eis impendatis; nam vt ait Seneca, educatio mores facit. *Turrecrem. in cap. si gens Anglorum. dist.*56. *Daur. tom.* 2.*cap.*3.*tit.*84.& 85. *Io. Bonif. de Institut pueri.christ.l.*1.*cap.*1.*Io. Danid.in Verid.christ. c.*48.*Maiol.in diebus canicul.de educat.colloq.*3.

QVAESTIO LXV.

AN CONFESSARIVS PERMITTERE possit, vt idem Franciscus cum Lucretia suspecta fæmina cohabitet, &c.

Poterit ne Cõfessarius permittere, Franciscum cum d. Lucretia simul in eadem domo manere, & cohabitare cum iam notum sit, ex ipsa filium genuisse, & vicini adhuc suspicentur in concubinatu eos viuere, ipse autem illam causam, & excusationem afferat, quod cum ex hospitali domo iam anniculum puerum sustulerit, vt apud se educetur, & ipse sit solutus, parentibusq; orbatus, eo cõsilio, & proposito illã apud se habere intendit, vt ipsa filiũ, quò ad auctus fuerit, maiori studio nutriat, &c? Resp. Ex duabus potissimum causis permitti non posse, vt iste Franciscus, cum d. Lucretia cohabiter, tùm quia Primo, ibi relapsus in carnis peccatũ periculum subest, cum in proxima peccandi occasione iacere videatur; nam & si cõstanti sit animo in futurum cum ea non peccandi, imò & si multum temporis sit transactum, à quo cum illa se turpiter non se immiscuerit; raro tamen inter quos extitit diuturnum illicitæ concupiscentiæ commercium, dissolui, ac extricari adeo potest, vt non remaneant quædam effrænatæ libidinis scintillæ, quæ mutuo & assiduo conspectu reuiuiscunt. Quandoquidem sicut intra silicis venas ignis latet, qui ferro ictus excutitur; ita peccatorum semina, & cupiditatis ignis in membris quidem nostris oblitescunt, quæ oblatis occasionibus excitantur. Tùm quia secũdo, ibi simul manendo, à peccato scandali, occasione ruinæ, & perperã iudicandi, quæ proximo præbentur, nullatenus excusari potest. Quod quãtì faciendum sit. *Apost. ad Rom. cap.*4. docet cum ait, Noli propter escã destruere opus Dei; nam nomine operis Dei nonnulli per antonomasiam hominem, qui magnum Dei miraculum, & micocrosmos, seu minor mundus dicitur, intelligunt, perinde ac si diceret, Vide quid agas, cum homini scandalum præbes, & eius damnationis causa existis, excellentissimum enim Dei opus, & maximo ab eo pretio habitum perdis. Augustissimum etiam redemptionis opus destruis, quod primum inter Dei mysteria locum tenet, cum proximo tuo scãdali, ac offensionis ansam porrigis, ac illũ extinguis, pro quo Christus mortem subire dignatus est. Vnde & *gloss. super illud. Psal.*68. Dederũt in escam meam fel, &c. ait, Illi dant ad bibẽdum Christo amarum potum, qui male viuendo scandalum dant ecclesiæ. A quo adeo D. Cyprianus abhorruit, vt in carcerẽ detrusus paulo post martyrium subiturus, quasdam pias, ac deuotas mulieres admittere noluerit, quæ ad ipsum accesserunt, vt aliqua salutaria monita ab eo hautirent. *Lab.in v.scandalum.prop.*2.*Scalab. Moral.*9.*in Pass. Domini. cap.*3.§.1. *Marc. Ant.Gen. in Man.Past.cap.*3. Alijs scandalum præbens duplicis peccati fit reus suorum scilicet peccatorum, & eorum, qui suo exemplo scandalo afficiuntur, nam sicut qui alios ad furandum inuitat, non tantum quod ipse subripuit, sed illud etiam quod comites rapuerunt, restituere debet; ita qui suo malo exemplo alterum ad aliquod malum allicit, se sua culpa & aliorum astringit. Qua propter. *D.Chrisost. tom.* 5.*serm. contra Concub.* ita esse Deo odibile scandalum docet, vt grauiora peccata, in quib fratris ruina non immineat, dissimulare videatur, non autem leuia, in quibus proximus offenditur, quæ frequenter etiam præsenti vindicta plecti cernimus. Sic sororem. D. Catharinæ Senensis è medio sublatam, & grauissimas Purgatorij pœnas luere coactam fuisse legimus, quod multa vi precum Christi uirginem ad faciem ornandam impulerit, vt illam ad coniugij spem, & mundi amorẽ alliceret. *Instin. in Tob.c.*8.*vers.*11.*in docum. Lud. à Beia. p.*1. *respons. cas.*

*caſ.conſc.caſu.*14. *Tuſchus.in v.ſcandalum.concl.* 52.*Molfeſ.tract.*8.*cap.*10.*num.*37. *Sanchez.l.*1.*de præcept.cap.*7.*& ſequenti.*

QVAESTIO LXVI.

Quomodo ſe gerere debeat Confeſſarius cum coniuge eius, qui compotationibus in tabernis vacat,& ei,totique familiæ neceſſaria denegat, illamſine cauſa cadit,& contumelijs afficit,&c.

Nicolaus artifex Margaritæ coniugali fœdere iunctus,cum ludo,ganeis, & cõpotationibus vacare ſoleat,domum poſtmodum reuerſus, contumelijs, & conuicijs ipſam coniugem afficit, rixis,& iurgijs totã domum cõplet,aliquando eam cædit,& multoties congrua, & neceſſaria alimenta ei denegat, & ſæpe ne ſacro, vel miſſæ interſit, prohibet, ob quæ grauia incommoda eadem eius uxor cohabitare, & debitum coniugale reddere renuit, imò diuortium, & ſeparationem à Confeſſario petit, quæritur quomodo cum eis ſe gerere debeat? R.Procul dubio fatendũ eſt maritũ hunc ualde coniugali officio deeſſe, & multipliciter contra omne ius in uxorẽ,quę ſocia rei humanæ,atque diuinæ domus ſuſcipitur, delinquere, ſiquidẽ cõmunis eſt DD. ſententia, lethale flagitium maritum committere,ſi abſque cauſa in uxorem uerba ad infamandum apta conijciat, & grauibus iniurijs ipſam inſectetur, ſine graui neceſſitate uerberet, abſque cauſa à diuinorum præceptorum impletione impediat,uel alimenta non præſtet, ſeu in neceſſarijs rebus ei non cõſulat.Cum enim duo ſint in carne una, æqualitate quadam decet eſſe complexos, mutuo ſe ex charitate diligere, & fouere dẽnt, iuxta illud. *Apoſt.ad Epheſ.cap.*5.Viri diligente uxores ueſtras,ſicut & Chriſtus dilexit eccleſiam. *Sayrus. l.*7.*cap.*7.*num.*7.*& ſeq.Tol.l.*5.*cap.*2.Nec ſine cauſa olim ignis,& aqua à ſponſis tãgebantur,ipſaque nupta eiuſdem aquæ aſperſione luſtrabatur, cuius ſymboli licet uariæ afferantur rationes, illa tamen non improbabilis eſt, illo myſterio nuptiarum fœderis,& cõmoda ſignificari,quæ ex coniugali amore,& unanimi concordia percipiuntur,cũ nihil fere ſit in rerum natura,igne iucũdius,nil aqua utilius. Nec nõ illo ignis & aquæ tactu,q in domus limine fiebat, participationem, & communionem bonorum, & fortunarũ omniũ inter coniuges adumbratam fuiſſe; ut ſcilicet aliarum rerum omnium non ſecus atque ipſius aquæ,& ignis uſus,cõmunis ipſis eſſe debeat, &c. Nec inimerito,quondam à nouis nuptis cotonea mala comedebantur,cum enim cor reficiant, & ſuauem halitum ori inſpirent, ueteres admonere uolebant, ut coniũx erga coniugẽ mundo corde,puris affectibus,ore odorato, & honeſtos mores ſpiranti foret. *Schol.ad Alciat.emb.*204.

Quo ẽt fit, ut licet annulus ad matrimonij ſubſtantiam non pertineat,in ſignum tamẽ mutuæ dilectionis datur, ut eorũ corda amoris pignore iungantur. Vnde ex communi uſu idem annulus uxori à marito pro coniugali benedictione datus eidẽ ex mariti liberalitate acquiritur. *Lapus. alleg.* 57. *Tuſchus.in v.annulus.concl.*343. *Surd.Deciſ.*166. *Nald.v.donatio.num.*17.*& verbo.ſponſalia.num.*4. Sic S. Lyduuina Hollandica uirgo ſane admirãda eos,qui matrimonio iuncti erant,ut mutuã inter ſe charitatem ſeruarent adhortabatur, conſilium expetentibus dicebat, Sacrum coniugium dilectiſſimi inijſtis, debetis non ſolũ corpore, ſed etiam animis inuicem ſeruare fidem,& pacẽ ſectari, ut Deus pacis uobiſcũ ſit, ut apud *Sur. in eius vita.* 14. *Apr.* Hinc ſequitur, hęc mala quę marito uxori inferuntur,iuſtã ſeparationis,tàm à thoro, quàm à domo, & cohabitatione,cauſam pręſtare,ac proinde Confeſſarium ei conſulere poſſe,ut apud eccleſiaſticum Iudicem diuortium rationibus deductis, & probatis petat, & ſibi dotem reſtitui,uel alimenta decerni poſtulet. *Sanchez.de matrimonio.l.*9.*d.*4. *num.* 20.*& l.*10.*diſp.*18.*num.*11. *Reginald.l.*31.*cap.*41.*n.* 316. *Riccius.in praxi fori eccleſ.Deciſ.*235. *Graffius.l.*2.*Deciſ.cap.*60. *Molfeſ.tract.*4.*cap* 14.

Quinimo ſi iſta mulier nouerit, hũc proteruum uirum ſuum ab eccleſiaſtici præcepti obſeruatione, ut miſſæ auditione, in Dei contemptũ,uel chriſtianæ religionis neglectũ, ipſam arcere,cũ hæreſis labe infectus præſumatur,illum ad fidei cenſores deferre debebit. *Pegna.in* 3.*p.Direct.Inq.Comment.* 24.*Marc.Ant.Gen.in Curia Archiep.Neap.cap.*23. *Corrad.in reſp.caſ.conſ.quæſt.*2.

Et reuera ualde timendũ eſt, de huiuſmodi corruptæ vitæ hominibus,qui ludos, tabernas, & cauponas frequentant,ne de fide male ſentiant. Et inter cęteras diuinæ ſcripturę comminationes aduerſus anxios tabernarũ, & ganearum amatores non minima eſt illa uatis regij. *Pſalm.*68. Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum, in retributionem, & in ſcandalum:ibi enim helluones tempus ludendo terunt, in blaſphemias ora laxant,inde ebrij excuntes audaciores ad libidinem fiũt, ad uerberandas infelices uxores,ad dilapidandam domus ſuppellectilẽ,& ad alia facinora perpetrãda prodeunt, atque ita uiuunt, ac ſi eorum Deus Iudex non ſit. Vt proinde Principes, & Magiſtratus ſedulo curare debeant,ne ſubditi ad cauponas ſine cauſa accedant, & ſeueris pœnis tranſgreſſores afficiant. *Belletus. in Diſq. cler. p.*1.§.20.*num.*19. *Scalab. In moral.in Paſſionem Domini.Mor.*7.§.2.*Maiol.in diebus.canicul. tit.de aula.colloq.*5. *Tholoſ.in ſynt. l.*39.*c.*7. Quod aliàs nos animaduertimus.

CAP.

CAP. XV.

QVAESTIO LXVII.

QVOMODO CVM MVLIERE RIXOSA vano corporis cultui dedita, & debitum coniugale marito denegante se gerere debeat Confessarius.

ANtonia Christophori honestæ cōditionis viri vxor, cum natura sit rixosa, litigiosa, & iurgiosa, quod commune est fœminarum ingenium, nam teste Menandro,

Tempestas in domibus, est viris mulier.

A quo non dissidet Iuuenalis,

Nulla fere causa est in qua non fœmina litem Mouerit.

Et *Salomon. Prouerb. cap.* 19. Tecta iugiter perstillātia litigiosa mulier, hæc, inquā, mulier peculiari suo vitio maritum suum ad iracūdiam, & blasphemiam prouocat, & assidue cōtentiones serit, eo inuito eleemosynas tribuit, superflua, ac vana ornamenta, & vestimenta ab eo petens, à quo cum sæpe repulsam patiatur, ei coniugale debitum denegat, tùm ne ipsi rem gratam faciat, & quodammodo vltionem referat, tùm ne multiplicatis filijs, & prole grauetur, quęritur, quomodo in praxi agere debeat Confessarius? R. Primo, patefaciendum ei erit à Cōfessario, mortalem culpam admittere vxorem, quæ contentione, loquacitate, vel iurgijs ad grauē iram, & maledicta maritum incitat, ita vt semper rixæ, & clamores audiantur, & domus misero tumultu misceatur; vt experientia illud fatendum sit, Melius esse habitare in terra deserta, quā cum muliere rixosa, & iracunda. *Prouerb. cap.* 21. Item si debitam subiectionem iusto præcepto non præstet, quale est si contra expressam, uel tacitam eius uoluntatem aliquid notabile expē dat, uel largiatur, (nisi paraphernalia idest aliqua bona ultra dotem, vel artem lucrosam habeat,) & superfluos & uanos ornatus, incompositosque mores exuat, &c. Siquidem notæ sunt mulierum cupiditates, quarum imperfectissimus affectus semp in uestibus, ornamentis, auro, & lapidibus pretiosis gloriā ponit, ut ait. *D. Hier. in reg. sanctim. c.* 28. Hinc Germanorum est dicterium, prouerbij uice apud eos celebratum, quatuor maxime mulieres cupere. Primo, amari, à pulchris iuuenibus. Secundo, plurimis filijs pollere. Tertio, preciosis vestibus ornati, ita ut sua ornamenta secum ēt in sepulchro interri iubeant. Quarto, in domibus dominari. *Tiraq. l.* 3. *connub. n.* 24.

Duo præcipue sunt, quibus honesta mater familias cōmendatur, silētium scilicet, & familię procuratio, nam quò ad Primum Epicarmus aiebat, sermonis parcitatem in muliere probitatis, & sapientiæ esse argumentum. Hinc & *Damasc. l.* 3. *Parал.* 1. Sapiētis, inquit, mulieris est tacere, matrimonij legibus parere, laboranti marito mollibus verbis, ac probis consilijs opitulari, eidem irascenti cedere, &c. Quò ad Secundū, certum est rei domesticæ curam mulieri in primis incumbere, ea nimirū, quę maritus sudore, vel industria sua acquirit, debite, acutiliter domi dispensandi, teste *Arist. l.* 2. *Oecon.* Vnde & *Plutarch. in præcept. connub.* refert. Veneris picturam testudinem, quæ symbolum est silētij, & commorationis in domo, calcasse; & mulieres à luna oportere diuersas esse, quæ quò à sole remotior spectatur, eò clarior apparet; nam uxor modesta, & sapiens præsente tantum uiro à cæteris conspici, eodem absente, domi se cōtinere debet. Cui autem contigit uxor deses, & in compto corporis ornatu reditus profundēs, is certe rem faciet, ut funarius solet, retrogradu nimirum ductu. Quippe uxor debet esse marito subiecta, & fidelis, ob hoc enim comam gerit. *cap. fœmina.* 30. *quæst.* 5. domi manere, & domesticis operibus incumbere, iuxta illud. Vxor tua sicut uitis abūdans in lateribus domus tuę. *Ps.* 127. *Berchor in Dict. v. vxor.* Vnde DD. inferunt, vxorem nō posse sibi aliquid retinere propter obsequia ordinaria, ipsi marito in eius uita impensa, quia gratis ex debito iustitiæ ad ea exhibenda tenebatur, sicque antiquitus quia mulieres maritis deseruire solebāt, vxores ab ugendo nomen deduxisse ferunt; huc enim illud spectat,

Tarquinij corpus bona fœmina lauit, & vnxit.

Ang. in v. vxor. num. 2. *Paul. de Cast. cons.* 124. *Sanchez. l.* 6 *d.* 6. *num.* 14. *Corrad. in addit. ad respons. cas. consc. q.* 115. *Lazar. de monit. sect.* 3. *q.* 9. *n.* 46.

Tandem à peccato mortali nō excusatur, si coniugale debitum reddere non vult, etiam si hoc faciat ne proles multiplicetur. Cōceditur quidem coniuges de cōmuni consensu à copula abstinere, ne plures generentur filij (se cluso tamen incontinentię periculo) eo quod uterq; iuri suo cedat, at negatur alteri coniugi licere debitum subtrahere, ne pluribus onerentur filijs, tùm quia alteri iustitiæ actum petenti iniuriam infert; tùm quia contra matrimonij finem agit, qui præcipuus est prolis procreatio, illo sic attestante, (quod alibi memini,)

Si ducis vxorem, non propter carnis amorem,

Duc, sed eam prehende pro causa prolis habenda.

Et prolis multiplicatæ educationem debet diuinæ dispositioni, ac prouidētiæ relinquere, quæ dat escā omni carni, &c. *DD. in dominic.* 9. *Quadr.* Atque sic sentiunt. *Sanchez. l.* 9. *d.* 25. *Molfes. tract.* 6. *c.* 13. *num.* 15. *Coninch. de matrimonio. disp.* 34. *dub.* 1. *& seq. Bonac. quæst.* 4. *puncto.* 2. *Reginald. l.* 20. *cap.* 4. *num.* 45. *& l.* 31. *num.* 289.

Profecto de nulla re magis sollicitos fuisse ueteres, quā de coniugio apud omnes constat. Ob hanc causam

causam, tàm singulis ciuibus propter priuatam cuiusque familię tranquillitatem, quàm Legislatoribus, & Magistratibus ob cōmunem pacem, & totius reipub. salutem, diligēs cautio, dum de ducenda vxore agitur, adhibēda est, ne vt de senectutem adeptis Cato aiebat; ita de vxorem temere ducentibus iure dicere possimus, Vxorem vt adipiscātur, optāt, eandem ob susceptum onus accusant adepti. Vnde ad coniugum singularē prudentiam spectat, si inopia premantur, & numero prolium sint grauati, pluribusque commode alēdis impares, ex mutuo cōsensu, à coniugij usu abstinere, & à toro seiunctos dormire, quod quò diutius facient, eo facilliorem continentiam experientur. Quod si vir nō consentiat, sed nō obstante liberorum multitudine, ob fornicationis periculum iure suo vti velit, reddēre debebit uxor, aliàs non, saltem sub mortali; quia aliqd' iustitiæ debitum cum ingenti suo incōmodo persoluere non tenetur, cuiusmodi est continua illa solicitudo, labor, & afflictio mentis in tot liberis alendis occupata. *Balthasar. Chauas. de Perfecta Prud. l. 3. cap. 4. Sanchez. l. 9. de matrimonio. d. 25. num. 3. Bonac. quæst. 4. p. 1. num. 12. & seq. Bellar. de art. mor. l. 1. cap. 15.*

Porro quō se gerere debeat coniux cum altero coniuge difficili, & sæuiente, Confessarius ostendet exēplo D. Monicæ matris. D. Augustini, Quædam enim mulieres de virorum iniurijs, assiduisque contentionibus, quibus conflictarentur, conquerebantur; se dicebant mirari, qua illa vteretur viuendi ratione, quibusue esset moribus, quod pacifice cum viro præferocis animi, & christianæ religionis expeite cohabitaret; quibus respōdens Monica, Meç, inquit, sorores vos ipsæ fortassis ad rixas maritos vestros morositate vestra, & cōtumacia impellitis, contentionibusque frigidam quasi suffunditis; eo sum ingenio marito meo vehementissime sæuiente, ego interim taceo, multa dissimulo, animūque precibus ad Deum fundendis occupo. Hisce moribus iracundiam, & furorem mariti mei frāgo, & vt stabili fruamur concordia efficio, &c. *D. Augu st. l. 9. Confess. cap. 9. Daur. tom. 3. tit. 9. cap. 5. exemple. 12.* Et è cōtra vxorem malam pertulit Socrates, vt domi patientiæ scholā haberet, vt scilicet dum in priuatis patietibus vxoris iniurias, & molestias patienter ferebat, insuesceret, & exerceretur, quò cæterorum quoque foris petulantiam, & iniurias facilius toleraret. *Gellius. l. 1. cap. 17.* Vnde & Varro *in satyra. Menip. quam de officio mariti. scripsit.* Vitium, inquit, vxoris, aut tollendum, aut ferendum est, qui tollit vitium, vxorem commodiorem præstat, qui fert, se meliorem facit. Misereatur maritus sexus fragilis, onera eius portet, qui sua vult tolerari, non quia vitijs, & defectib. reciprocis sit ei similis, quo argumēto quidā vxis improbis coniugib. dicebat,

Cum sitis similes, paresque vita,
Vxor pessima, pessimus maritus,
Miror non bene conuenire vobis.

Sed quia ius postulat, ut quod nobis fieri volumus, alijs faciamus. Rationibus potius quàm clamore, aut verbere secum agat. Inter lucta reponat quod deteriorem non sit nactus. Errata minora dissimulet, ne aliàs summum ius summa sit iniuria, & emungēdo sanguinem eliciat. Verborum ineptias surda aure prætereat, contentus dicere cum Iobo, Tanquam vna de stultis mulieribus locuta es; ne domesticis iurgijs tartarea auspicetur, nec fabula fiat vicinorum, de huiusmodi rixis dicentium,

Tot pariter pelues, tot tintinnabula credas
Pulsari.

aut ne suis malò exēplo sit, seu Diabolo ad mutuas rixas subsilienti gratificetur. *Chauas. l. 2. cap. 12.*

QVAESTIO LXVIII.

QVID CVM SACERDOTE POENITENTE agendum, qui ob inimicitiam nihil suis fratribus in testamento reliquit.

LVdouicus sacerdos morbo conflictatus, testamentum condidit, in quo ob quasdam simultates, & dissensiones in diuisione patrimonij inter suos fratres exortas, eos præterijt, & omnia sua bona partim pauperibus, partem hospitalibus domibus, & alijs locis pijs reliquit? Quæritur quomodo cum eo se gerere debeat Confessarius. Resp. Quamuis auaritiæ uitium in omni humano negotio se immisceat, nullibi tamen æque, atque in hæreditate herciscunda, vires suas exercet. Interpone, inquit, Epictetus, inter fratres agellum, & tunc videbis, an vere amēt, ueluti si quis inter catulos colludentes tantillum carnis proijceret, quos statim se mutuo mordentes cerneret.

Verum si fratres Musonij sententiam perpenderent, nullam esse possessionē fratris possessione meliorem, numquam profectò ne se tanto bono priuarent, se ipsos dissociarent. Verum & si in patrimonij partitione iustitia, quæ concordiæ, & pacis est vinculum, eis proposita esse debeat, attamē ad hęreditatis diuisionem eo animo bonum fratrem accedere oportet, ut pro fraterna beneuolentia conseruanda, uelit aliquid detrimenti in his, quæ diuiduntur bonis, capere, si opus fuerit; cum ex sapientis sententia, propter fratrem, & amicum perdenda sit pecunia. Quo nomine Athenodorus celebratur, qui Zenoni fratri ob cuius uaria scelera hæreditatis partem fiscus, inuaserat, partē suam, quamuis multis iniurijs in patrimonij diuisione fuisset affectus, diuisit. Memineritq; frater fraternam beneuolentiam esse omnis amoris ideam, ita ut frater, hoc est fete

fete alter, aut alter ipse, qualis est uerus amicus, appelletur, vt alteri quod sibimet cuperet, optet, & vt naturali sanguinis amori supernaturalis Christi amor adiūgatur, qui illum comitetur, ac perficiat. Siquidem & christiana amicitia mulrū a mūdana differt, illa enim vinculo charitatis, & spiritus nititur, atque cum virtute coniuncta est, mundana vero seu naturalis naturali tantum affectu mouerur, cum omne animal sibi simile diligat, & suo cōmodo studeat, vt proinde non defuerint, qui dixerint, omnem amicitiam mendacē esse, quæ diuino amore & timore non glurinatur. *D. Basilius in Constit. monast. cap. 4. D. Chrisost. hom. 25. in Matth.*

Cum Saluator noster vocari voluit magni cōsilij Angelus, ad illud consilium respexisse videtur, quod de diligēdo inimico dedit, & quod per excellentiam magni consilij nomen meretur; in eo enim præ alijs charitatis feruor splendescit, reliqua consilia Angelos efficiunt, hoc autem Seraphinos quodammodo creat, a deo enim amoris igne ardent, vt supra naturā sicut Seraphini sex alis, vt *Isaias. c. 6.* vidit, volitēt, idest sex feruentib. charitatis actibus ferantur, quos Saluator noster nō solum erga amicos, sed etiam erga inimicos commendauit, & in opere, & veritate, in sex operibus, quæ sunt tāquam sex excellētissimæ perfectionis cōsilia, ostēdantur. Primum, est pro eis orare vt Deus bonum quod eis expedit, largiatur. Secūdum, bene de eisdem loqui & maledicentibus benedicere. Tertium cum nobis occurrūt, salutatione præuenire. Tertio, beneficijs, tàm in anima, quàm in corpore, & rebus externis quatenus nobis licet afficere, & cumulare. Sexto, mutuū postulātibus gratis dare. Sed quoniam mutuum petens eo ipso quod petit, se humiliter subijcit, Sextus erit actus liberaliter, & eleemosynæ nomine id quo indigent, vt eorum miseria subleuetur impertire. *Lud. de P. de christ. perfect. tom. 3. tr. 1. c. 6.*

Vnde dico partes Confessarij esse, diligenter videre, & considerare qđ licet vbi fratres non extreme, vel quasi extreme egeant, liberū sit ipsi Ludouico testatori, cui vult sua relinquere, cum suo iure vtatur, ob scandalum tamen vitandum admonendus est, vt sicut inimicitias, & indignationes deposuit, ita in signum, & argumentum christianæ charitatis, qua in primis sacerdos fulgere debet, bonū pro malo reddat, & aliquid etiam si graui paupertate non premantur, eis leget, cum hic illa Apostoli præceptio militet. *1. ad Timoth. cap. 5.* Si quis suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidē negauit, & est infideli deterior. Præsertim qđ ex charitatis lege frater diues alterum fratrē pauperem alere, & sorori pariter egenti dotem conficere, etiam si clericus sit, de bonis ecclesiæ tenetur. Imò si frater, vel soror in graui necessitate constituti essent, alteri fratri religionem ingredi integrum non esset, si aliunde illorū necessitati prouideri non posset, quia arctius hæc obligatio vrget, quàm religionē ingrediēdi aliàs sanctū, & laudabile cōsiliū.

Quò fit etiam vt expensæ factæ in certā rem per fratrem in re communi cum alio fratre, præsumantur animo non repetendi factæ, præsertim si in illis faciendis de suo animo non fuerit protestatus, nec magna quantitas boni viri arbitrio erogata esset, &c. *Mascard. de probat. concl. 727. & Tusch. v. expensa. cōcl. 641. arg. Nau. cons. 4. de Iureiur. Beia p. 1. casu. 57. Bonac. de cont. disp. 3 quæst. vltim. p. 3. Salon. 22. quæst. 5. de dominio. artic. 4. concl. vltima. Mol. de causis pijs. cap. 20. Reginald. l. 20. cap 4. sect. 3. num. 49. Azor. p 2. l 2. cap. vltimo. Tuschus. concl. 220. verbo charitas. num. 9. Megal. 1. 2. Instit. confess. l. 2. cap. 33. Molfes. tr. 11. cap. 18. num. 85. & tr. 12. cap. 16. num. 34. Mant. de tacitis, & ambig. tom. 1. l. 12. tit. 16.* de quare vide quæ scripsi *in Comment. de hum. vita. stat. p. 2. cap. 22.*

QVÆSTIO LXIX.

QVOMODO SE GERERE DEBEAT Confessarius cum famulo erga dominum contumace, & eius bona surripiente, &c.

Blasius famulus cuiusdam nobilis, cum sit duræ ceruicis, proteruus, & contumax, domini sui iussa paruipendit, atque ideò eidem grauiter irascendi, & blasphemandi occasionem præbet. Insuper domino inscio, aliquoties in hebdomada aliqua comestibilia, uel edulia, ad vxoris suæ, & filiorum suorum vsum aufert, nec alios seruos socios, cum possit, id facere prohibet. At his iussu Domini hæreses ex curiositate audire volētis, legit librū hereticū ex professo de religione tractantem. Quæritur quomodo cū eo se gerere Confessarius debeat? R. Illi. 1. manifestandū est, cum de re graui agitur, lethali noxa animam suam sauciare, cum explorati iuris sit famulos teneri domino suo debitum honorem deferre, nullo modo illum dispicere, iusta eius mandata obseruare, ac fideliter exequi, & iniunctū sibi munus integra fide adimplere, & damnum ipsi in persona, honore, vel in bonis temporalibus imminens, quādad potest auertere. Communis est autem resolutio, famulum non teneri cum propriæ vitæ periculo, bona & uitam domini sui defendere, quia ex communi contractu tantum onus in se suscepisse non censetur, nisi ipse Dominus peculiariter ex conuentione ad sui, & rerum suarum defensionem maiori, & pinguiori mercede eum conduxerit. *Pet. Naul. 3. cap. 1. num. 23. Sayrus. l. 7. clauis reg. cap. 7. num. 12. & l. 9. cap. 15. num. 17. Azor. l. c. cap. 39. Reginald. num. 60. & 63. Bonac. de legibus. d. 6. q. 1. p. vlt. Filiuc. in qq. mor. to. 2. tr. 28. c. 3. q. 11.*

Fatendum tamen est ex communi sententia generaliter à mortali peccato excusari famulos, si inaduertẽtia, vel aliqua passione contemptum excludente, dominorum iussis non obtemperent.

Item quando minimã victualium quantitatem successiue furãtur, et si temporis successu notabilis exurgat quãtitas, modo illa in domo comedẽdo, & bibendo in proprium vsum insumant, &c. famuli enim à communiter accidentibus dicũtur à Plauto homines fures & gulosi. Possent etiam domũ aliqua comestibilia deferre, si hoc cõpensationis causa agerent, vt si cogerentur aliqua obsequia prẽstare, ad quę aliàs non tenerentur. *Vasquez. in opusc. de restit. cap.* 5. §. 1. *dub.* 10. *Bonac. d.* 3. *quaest.* 7. *p.* 4. *num.* 4. *Molfes. tract.* 11. *cap.* 21. *num.* 85.

Quò ad vltimam difficultatem dico, quod licet graues authores senserint, audientes legere libros haereticorum indistinctè excusari ab excommunicatione lata contra legentes eos, siue in causa fuerint vt legerentur siue non, siquidem vi Canonis Bullae Coenae Domini tantummodo legentes, & retinentes comprehenduntur, & cum excommunicatio sit poenarum maxima, eius verba strictè intelligenda sunt, ut tenet. *Vgol. in explicat. Bulla.* §. 1. *n.* 4. *Sanchez. l.* 2. *de pracept. c.* 10. *num.* 48. & *Duard. l.* 2. *can.* 1. *quast.* 48. In praxi tamen tutior videtur eorum sententia, qui tenent, tàm famulum iussu Domini legentem, quàm Dominum lectionem iubentem, excommunicatione in eadem Bulla contẽta affici, quia licet per se ipsum nõ legat, per aliũ tamen id facit. *arg. c. qui per alium. de reg. iu. in* 6. Atque hanc opinionem tuentur. *Sayr. l.* 3. *de cens. cap.* 5. *num.* 12. *Azor. p.* 1. *l.* 8. *cap* 16. *quast.* 4. *Graffius. l* 4. *Decis. cap.* 18. *num.* 45. & *aly.* Non diffiteor tamen vtrumque tàm Dominum quàm seruum ex capite ignorantiae etiam crassae ab hac censura excusari posse, vt per *Duar. l. c can.* 1. *quast.* 36.

Proinde seruis à Confessario inculcandum est, Non semper ex D. Augustini sententia malum, esse nõ obedire praecepto: cum enim Dominus iubet ea quae Deo cõtraria sunt, tunc ei obtẽperandum non est. *c. non semper.* 11. *q.* 3. vt infra de furto dicemus, & fusius animaduerti *in Comment. de stat. p.* 2. *c.* 23.

QVAESTIO LXX.

QVOMODO AGENDVM CVM DOMINO, qui seruos delinquẽtes non corrigit, nec curat vt Dei & ecclesiae praecepta seruent, literas ad amasiam per eos mittit, & eos agrotos ad hospitale mittit, &c.

Dominicus vir patritius, cũ tres habeat in domo sua seruos, & totidem famulas, multum negligẽter se gerit in his, quę ad spiritualẽ ipsorum salutẽ pertinẽt, nec curat quantũ in ipso est, ne iuramẽtis falsis, & blasphemijs, pierẽdis assuescãt, vt catholicè, & ex christianae religionis pręscripto viuãt, debitis temporibus confiteantur, Eucharistiam sumant, missam audiant; & si eorum errata, uel peccata uideat, ea non corrigit, imò permittit seruas cum seruis cum occasione multorũ delictorũ libere conuersari, & per illos ad amasiam propriam literas mittit; qui etiam cum in eadem domo vnũ famulum aegrotãtem haberet, ad ea publica loca misit, quae ex pietate, & misericordia ad pauperes excipiendos, & infirmos curandos extructa sunt.

Quaeritur quid ei consulere debeat? R. Certum quidẽ est dominos illa prima cura vrgeri debere, vt famuli sui boni fiãt, & pro suo captu in vitam ęternam dirigãtur, hoc enim christiana flagirat charitas, hoc iustitiae debitum exigit, & huc spectat Sapientis pronuntiatum. *Eccles. cap.* 7. Seruus sensatus sit tibi dilectus sicut anima tua. Quocirca si ingenui, ac dociles sint, increpatorijs potius uerbis, quàm verberibus, vbi peccabunt, castigari debent; sin autẽ cerebrosi vel arrogantes, diuinae legis violatores, ac scandalũ praebẽtes, ad necessariam seueritatem recurrendũ est. Cumque circa tales oleum & opera perdi videbitur, vel in familiam ex eorum moribus ingens damnum redundare, actum ad suos remitti debẽt, quia omnino praestat nullos habere, quàm ignominia notatos, & liberorũ pestes. Vnde Primo dico, Dominicum à Confessario docendum esse à mortali peccato non excusari, si eorum moribus non inuigilat, & eorum peccata corrigere negligit, & teneri eos dimittere, si uiderit eos obiurgationibus non emendari, nisi probabiliter credat, quod eiecti peiores sint euasuri, aut futurũ speret, ut apud se retenti ad meliorem frugem sint reducendi, quod tamen raro in praxi accidit.

Secundo, lethali proculdubio scelere astringi, cum amatorias literas turpitudinẽ continẽtes, uel ad eam perpetrãdam inuitantes mittit; nec famulos ipsos ad ab eadẽ culpa liberos nõ esse qñ huiusmodi illicita exequuntur iussa, cum eis nefas sit deferre literas, uel scripta, quibus expresse, uel tacitè concubina ad copulam petitur, hoc enim est intrinsice malum, cum cooperatione ad turpem actum coniũctum. Imò addo famulum cum dubitat quid in literis cõtineatur, rationabiliter praesumere posse turpe aliquid contineri, quando foedus amor inter herum & amasiam sibi notus est, & consequenter in eo casu obsequium illud praestare non posse. *Sanchez. l.* 1. *de precept. cap.* 7. *num.* 24. *Molf. tract.* 8. *cap.* 10. *num.* 69. *Bonac. de matrimonio. q.* 4. *p.* 14.

Tertio dico, nõ ei licere aegrotum illum seruum ad Xenodochium mittere, si morbus sit leuis, cui facile remediũ adhiberi possit, sed teneri domi ea suppeditare, quae ad huiusmodi morbum curãdum necessa-

necessaria sunt, cum à christiana charitate valde alienum sit proximo apud se egenti subsidium negare, quod facile, & sine magnis expensis præstare possit. *Sayrus.l.7.cl.reg.cap.7.num.11.Azor.par.2. Iustit.mor.lib.2.cap.39.quæst.4. Genuens. in Praxi Neap.cap.56. Reginald.l.20.num.60.*

Quo quidem in officio erga seruos præstando S. Elzearij comitis Arriani virtus enituit, quem legimus, dicere solitum, nolle quemquam suo pane vesci, quem mortali peccato implicatũ sciret, idque exequebatur, statim enim expellebat, quem turpe aliquid admisisse cognouerat; multas etiam leges præscripserat, quas ab omnibus seruari volebat, & hãc inter aliàs, vt omnes aulici, & milites, quos domi alebat, singulis hebdomadis peccata Confessione expiarent. Blasphemias autem, imò vero sacramenta leuiter pronuntiata nullo modo tolerabat, &c. vt in eius vita apud *Surium.die 27.Sept.*

Diuus etiam Carolus Borr. in cura domesticorum corporibus ex liberalitate impendenda commendatus est, quod famulos suos non vt seruos, sed vt filios, & fratres amauit, & large ea, quæ oportebat illis etiam ægris suppeditabat, &c.

Quæ exempla à Confessario pœnitenti proponenda sunt, simulque illud ab eo admonendum, vt dominus caueat, ne familiam suam non corrigendo, vel ipse praue uiuendo, seruorum peccata propriæ culpæ attribuãtur, siquidem ex Euripidis sententia apud. *Stob.serm.60.* Serui dominorum morbis inficiuntur: nam Dominus tenetur ex delicto familiæ, si est in culpa eam non corrigendo. Idem dicendum de Præposito ad vectigal, de nauta, Rectore Ciuitatis, & etiam Episcopo, &c. *Syl.in v.dominium. Nald.v.dominus. Marc. Ant. Gen. in Man. Prælat.cap.41.Tusch.in v.dñs.concl.615.& v. officiales.concl.99. Io.Choc.in thes. Polit.lib.5.cap.1. Daur.tom.2.c.3.tit.95.exemplo.2.& seq.& Dixi in Comment.de stat.p.2.d.cap.23.*

CAP. XVI.

QVAESTIO LXXI.

QVID CVM SACERDOTE ERGA SVVM Prælatum inobediente agendum sit.

GAbriel sacerdos cum suus Episcopus edixisset, vt omnes sibi subditi sacerdotes, sub pœna suspensionis à diuinis ipso iure incurrendæ ad diœcesanam synodum, & generales supplicationes quæ in rogationum diebus institui solent, accederent, &, vt dicũt, cathedraticũ à iure præscriptũ deferrent, ad eas venire renuit, quæritur an peccauerit mortaliter, in cẽsuram illam inciderit, & quo Confessarius cum eo se gerere debeatR. Quod cum res ab Episcopo imperatę graues sint, & commune bonum tàm sæculare quàm ecclesiasticum concernat; & pœna suspẽsionis inflicta sub reatu mortalis culpæ obligare censeatur, vt ex communi sentẽtia tradit. *Carbo.l.7.de legibus.disp.4.& Duard.in exposit. Bulla Cœnæ Domini.l.3.§.7.& 8.& patet, ex dictis. cap.3.sect.7.quæst.13.* fatẽdum est, mortalem culpam contraxisse, & ipsa censura innodatum esse, si sine iusta causa, & nullo detentus impedimento, ipsius Antistitis iussa violauit, &c. Nã quò ad obedientiam, quàm clerici ratione sui status Episcopo debent, clarum est illi obtemperandum tùm in his, quæ ad ecclesiasticum cultum, & sacramentorum administrationem spectant, tùm in ijs, quæ ad vitæ honestatem, morum reformationem, & ad cõmune bonum pertinent. Hinc D. Hieronymus Nepotianum ad amorem, reuerentiam, & obedientiam erga suum Prælatum excitans dicebat, Esto subiectus Pontifici tuo, & quasi parentem suscipe, amare filiorum est, & timere seruorum, & *D. Bernardus serm.3.de aduentu.* Iustitia, inquit, virtus est, quod suum est vnicuique tribuẽs, tribue ergo tribus quæ sua sunt, Redde superiori, redde inferiori, redde æquali, quod debes, Redde reuerentiam Prælato & obediẽtiam, quarum altera cordis, altera corporis est, nec.n. sufficit exterius obtẽperare Superioribus, nisi ex cordis affectu sublimiter de illis sentiamus, & te ipsa honorẽ exhibeamus. *c.placuit.10.q.3.*

Nec dubium est clericos pręcepto Episcopi in re graui sine rationabili causa non obtemperantes, lethali noxa se obstringere, vt ait. *Syl.in v. obedientia §.7. Ang.in d.v.num.9. Tol.l.8.cap.21. Marc. Ant. Genuens. in Pract.eccles. Triec.8.q.240.DD.*

Hinc multi deducunt, Episcopum tempore necessitatis, vt grassante peste, cogere posse simplices sacerdotes tam seculares quã regulares sacramenta ministrare, & ipsos sub lethalis culpæ reatu obtẽperare teneri; siquidem illo casu extremæ necessitatis quilibet sacerdos etiã si ei nulla animarum cura incumbat, absentibus quoquomodo, siue iuste, siue iniuste pastoribus, lege charitatis, & iustitię legalis vti debent potestate, & gratia sibi à Christo tradita, à censuris, & à peccatis absoluendo, & alia sacramenta administrando. Quæ assertio procedit etiam si sacerdotes sæculares parẽtes pauperes haberent, quos sua industria, & beneficiorum fructibus alerent, qui eisdem presbyteris præcipiunt, vt à loco contagioso recedant, & etiam si regulares se exemptos esse allegarent, nec Superiores suos subditos permittunt, vt reipublicæ illo tempore inseruiant, ne peste infecti cæteros religiosos inficiant.

Adhuc enim illi Episcopo potius obedire tenẽtur, quãdoquidem priuatæ vtilitati commune bonum præferendum est; & istos nempe regulares eadem ratione ipsi Episcopo, & Ordinario Pastori

tetem in posterum ab his flagitijs auertat, illud recolet. *Apostoli. 1. ad Timoth. 4.* salubre enũtiatum, Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ; solet enim Deus filios impios, & parentibus non obsequentes de medio tollerre, è contra benedictionibus, & gratijs augere, prospera multa concedere, vitæq; longitudinem illis impertire, qui genitores suos colunt, hisq; gratiam referunt, à quibus lucis, & vitæ vsuram habẽt. *D. Bernar. Senens. to. 2. dom. 2. Quad. fer. 17. ar. 3. c. 1.* Et quia ut ait. *S. Leo serm. de S. Laur.* Et si facilis ad exhortãdum sit ratio, & efficax ad suadendũ, validiora tamen sunt exempla, quàm verba, & plenius est opere, quã voce docere, aliqua proponet exempla, inter alia illud Alphonsi Regis Aragonum, de quo. *Ant. Panor. l. 2. de eius gestis. cap. 28.* sic loquitur, Alphonsus cum peregre aduenienti Ferdinando patri obuiã progressus, animaduertisset, illum lectica vectari valetudine affectũ, statim equo desilijt, ut patrẽ pedibus comitaretur, & si opus esset, humeris, aut ceruice etiam sustolleret. Cumque è lectica pater identidem cohortaretur, vt exemplo multorum procerum iuxta adequitantium, & ipse quoq; equum ascenderet, Alij, inquit, ò pater, quid ad se attineat, ipsi viderint, ego quidem adduci ipse neutiquam potero, quin Regem, quin patrem, & eundem ægrotum pedibus sequar. Eundem postea decem, ac septem aureorũ millibus funerauit, magno pietatis argumento, hæc ille. Carolus item Iunior, cognomẽto Crassus, Ludouici Gallorum Regis filius à Dæmonio grauiter in præsentia patris, & optimatum eius vexatus est, & in ipsa vexatione confessus, hoc sibi ideo contigisse, quia è contrario patri suo irreuerentiam, & molestiam exhibuisset. *Daur. tom. 2. cap 3. tit. 80. & 82.*

Adeo uero filius de iure naturali, diuino & positiuo patri honorem obedientiam, & reuerentiam præstare debet, ut non ualeat iuramentum, neque alia ipsius filij obligatio subsistat, per quam patri parere nõ teneatur; Ideo si filius è loco non recedere iurauit, nõ est periurus, si paterno iussu discedat. *Feder. de Senis. in d. cons. 191. Tusch. v. filius. concl. 358.* Addo naturalem parentum erga liberos charitatem, ac uicissim officiosam liberorum in suos parentes uenerationem, paternam legitimæ peritionem magna comẽdatione fouere, ut propterea ipsa legitima portio parentibus debita legatis in pias causas factis præferatur, cum etiam pietatem parentibus debitam religionis nomine censeri nonnulli restentur. Bona filij, inquit, Plinius, in Panegyr. sine diminutione pater possideat, nec socium hæreditatis accipiat, qui non habet luctus. *l. & si parentibus. ff. de inoff. testam. cap. 1. de testam. in 6. c. fin. 17. q. 4. Ann. Rob. l. 1. rerum iud. c. 1.*

QVAESTIO LXIV.

QVOMODO CVM PARENTIBVS agendum, qui naturales filios subinde natos ad hospitales domos ablegant, & eorum curam negligunt.

Franciscus cum de Lucretia eius famula, ex damnata, & illicita copula filium suscepisset, statim ex utero matris egressum à se abdicauit, & ad Xenodochium misit, nec de eius alimentis, & educatione ullam nunc curam gerit, quæritur, quomodo in praxi cum eisdem parẽtibus se gerere debeat Confessarius? R. Cum quartum decalogi præceptum ultrò citròque obliget, & implicite parentum erga liberos obligationẽ pariter ad uirtutem pietatis pertinentem comprehendat, fatendum est ipsius pietatis debitum ab eisdemmet parentibus uiolari, & paternum officium ab eis prætermitti.

Primo, si prolem, cum possunt, non alant, etiam si spurij sint, quod si ex aliqua causa, vt delictũ celetur, aut ne aliquo dedecore afficiantur, in hospitali domo filius nutriendus tradatur, pater, & mater prolis omnes impensas factas restituere debent, nisi paupertatis onus eos excuset; cum bona huiusmodi hospitalium ad alendos pauperes, non diuites instituta sint; & quantum ab opulentis consumitur, tantum indigentibus adimatur. *Sayr. l. c. l. 8. cap. 4. n. 21. Reginald l. 22. num. 25. Bonac. de matr. quæst. 4. p. 15. Azor. cap. 5. quæst. 7. Tol. l. 5. cap. 11. & quid dicat. Vgol. de off. Episcopi. p. 1. c. 24. §. 1. n. 6.*

Secundo, non solum alere, & uestire tenentur filias, ac dotare, & si sponte indigne matrimonium contraxerint, ut per *Sanchez. l. 4. de matrimonio. d. 24. & Grat. tom. 2. Discept. For. cap. 213. Bonac. de legibus. d. 6. quæst. 1. p. 6. §. 2.* sed multo magis per se uel per alios instruere, in Dei timore educare, in rebus fidei, & christianæ religionis informare debẽt, & operam dare, ne ipse filij, uel filiæ malis moribus imbuantur; & si per ignorantiam, uel fragilitatem, seu malitiam eos peccare contigerit, paterna charitate corrigere, & ad bonam frugem reducere.

Quod admonet. *Apost. ad Ephes. cap. 6.* cum ait. Vos Patres educate filios uestros in disciplina, & correptione Domini: Et Sapiens. *Eccles. cap. 7.* cum inquit, Filij tibi sunt, erudi illos, & curua illos à pueritia illorum. Siquidem quamuis sensus, & cogitatio humani cordis in malum ab adolescentia sua prona sint; magnopere tamen à parentum pendet industria & cura, deprauatæ naturæ malitiam corrigere, & uirium per bonam educationem in uirtutem commutare, idque eo magis facere debet pater, quod simul cum filio una & eadem persona censetur, & filius pars patris dicitur, & ipso parente defuncto, adhuc per filium viuere existimatur. *Oldrad. cons. 224. Crauet. cons. 1.* Vnde & *Tobias. cap. 10.* filium

filium lumen oculorum suorum appellauit, tùm quia nuptiæ obscuræ videntur, quæ liberorum lumine carēt; tùm quia sicut lumen luminis, ita filius est vera patris imago. Quod officiū in primis Theodosius Imp. erga filios suos præstitit, teste *Niceph. Calist. lib. 14. hist. Eccles. cap. 20.*

Quem imitatus est Carolus Magnus Imper. de quo sic scribitur, Maxima cura filios educauit; nūquam domi sine ipsis cænauit, numquam iter fecit, quin filij adequitarent, filiæ vehiculo extremum agmen claudente subsequerentur, ipsos liberalibus studijs institui iussit. Mares simul ac per ætatem licuit, more Germanorum equis, armis, venationibus exercuit, fęminas vero etiā lanificio, colo, fusoque, ne otio torperent, assuefecit.

Sic Diabolus ob parentū in nō recte educādo negligētiam, puerū extinxit, quatenus reatum suum pater agnosceret, qui paruuli filij animam negligens gehennę ignibus nutriuisset. *ex D. Greg. lib. 4. dialog. cap. 18.* Hæc est potissima causa, cur filij ex illegitimo thoro procreati male audiāt, & malam frugem afferant, quia subinde nati à parētibus abdicantur, & eorum educatio, & recta institutio negligitur; cum tamē D. Anselmi sit illa paterna vox, dum de liberorum etiam naturalium educatione interpellaretur, Cupitis, aiebat, pueros optimis ornari moribus? necesse est, vt cū seueritate disciplinæ, paternæ pietatis, & mansuetudinis leuamen eis impendatis; nam vt ait Seneca, educatio mores facit. *Turrecrem. in cap. si gens Anglorum. dist. 56. Daur. tom. 2. cap. 3. tit. 84. & 85. Io. Bonif. de Institut pueri. christ. l. 1. cap. 1. Io. Dauid. in Verid. christ. c. 48. Maiol. in diebus canicul. de educat. colloq. 3.*

QVAESTIO LXV.

AN CONFESSARIVS PERMITTERE possit, vt idem Franciscus cum Lucreria suspecta fœmina cohabitet, &c.

Poterit ne Cōfessarius permittere, Franciscum cum d. Lucretia simul in eadem domo manere, & cohabitare cum iam notum sit, ex ipsa filium genuisse, & vicini adhuc suspicentur in concubinatu eos viuere, ipse autem illam causam, & excusationem afferat, quod cum ex hospitali domo iam anniculum puerum sustulerit, vt apud se educetur, & ipse sit solutus, parentibusq; orbatus, eo cōsilio, & proposito illū apud se habere intendit, vt ipsa filiū, quō ad auctus fuerit, maiori studio nutriat, &c? Resp. Ex duabus potissimum causis permitti non posse, vt iste Franciscus, cum d. Lucretia cohabitet, tùm quia Primo, ibi relapsus in carnis peccatū periculum subest, cum in proxima peccandi occasione iacere videatur; nam & si cōstanti sit animo in futurum cum ea non peccandi, imò & si multum temporis sit transactum, à quo cum illa se turpiter non se immiscuerit, raro tamen inter quos extitit diuturnum illicitæ concupiscentiæ commercium, dissolui, ac extricari adeo potest, vt non remaneant quædam effrænatæ libidinis scintillæ, quæ mutuo & assiduo conspectu reuiuiscunt. Quandoquidem sicut intra silicis venas ignis latet, qui ferro ictus excutitur; ita peccatorum semina, & cupiditatis ignis in membris quidem nostris oblitescunt, quæ oblatis occasionibus excitantur. Tùm quia secūdo, ibi simul manendo, à peccato scandali, occasione ruinæ, & perperā iudicandi, quæ proximo præbentur, nullatenus excusari potest. Quod quāti faciendum sit. *Apost. ad Rom. cap. 4.* docet cum ait, Noli propter escā destruere opus Dei; nam nomine operis Dei nonnulli per antonomasiam hominem, qui magnum Dei miraculum, & micocrosmos, seu minor mundus dicitur, intelligunt, perinde ac si diceret, Vide quid agas, cum homini scandalum præbes, & eius damnationis causa existis, excellentissimum enim Dei opus, & maximo ab eo pretio habitum perdis. Augustissimum etiam redemptionis opus destruis, quod primum inter Dei mysteria locum tenet, cum proximo tuo scādali, ac offensionis ansam porrigis, ac illū extinguis, pro quo Christus mortem subire dignatus est. Vnde & *gloss. super illud. Psal. 68.* Dederūt in escam meam fel, &c. ait, Illi dant ad bibēdum Christo amarum potum, qui male viuendo scandalum dant ecclesiæ. A quo adeo D. Cyprianus abhorruit, vt in carcerē detrusus paulo post martyrium subiturus, quasdam pias, ac deuotas mulieres admittere noluerit, quæ ad ipsum accesserunt, vt aliqua salutaria monita ab eo haurirent. *Lab. in v. scandalum. prop. 2. Scalab. Moral. 9. in Pass. Domini. cap. 3. §. 1. Marc. Ant. Gen. in Man. Past. cap. 3.* Alijs scandalum præbens duplicis peccati fit reus suorum scilicet peccatorum, & eorum, qui suo exemplo scandalo afficiuntur, nam sicut qui alios ad furandum inuitat, non tantum quod ipse subripuit, sed illud etiam quod comites rapuerunt, restituere debet; ita qui suo malo exemplo alterum ad aliquod malum allicit, se sua culpa & aliorum astringit. Qua propter. *D. Chrisost. tom. 5. serm. contra Concub.* ita esse Deo odibile scandalum docet, vt grauiora peccata, in quib fratris ruina non imminet, dissimulare videatur, non autem leuia, in quibus proximus offenditur, quæ frequenter etiam præsenti vindicta plecti cernimus. Sic sororem. D. Catharinæ Senensis è medio sublatam, & grauissimas Purgatorij pœnas luere coactam fuisse legimus, quod multa vi precum Christi uirginem ad faciem ornandam impulerit, vt illam ad coniugij spem, & mundi amorē alliceret. *Iustin. in Tob. c. 8. vers. 11. in docum. Lud. à Beia. p. 1. respons. cas.*

*caf.consc.casu.*14. *Tuschus.in v.scandalum.concl.* 52.*Molfes.tract.*8.*cap.*10.*num.*37.*Sanchez.l.*1.*de precept.cap.*7.*& sequenti.*

QVAESTIO LXVI.

QVOMODO SE GERERE DEBEAT Confessarius cum coniuge eius, qui compotationibus in tabernis vacat, & ei, totique familiae necessaria denegat, illam sine causa cadit, & contumelijs afficit, &c.

NIcolaus artifex Margatitæ coniugali fœdere iunctus, cum ludo, ganeis, & cōpotarionibus vacare soleat, domum postmodum reuersus, contumelijs, & conuicijs ipsam coniugem afficit, rixis, & iurgijs totā domum cōplet, aliquando eam cædit, & multoties congrua, & necessaria alimenta ei denegat, & sæpe ne sacro, vel missæ intersit, prohibet, ob quæ grauia incommoda eadem eius uxor cohabitare, & debitum coniugale reddere renuit, imò diuortium, & separationem à Confessario petit, quæritur quomodo cum eis se gerere debeat? R. Procul dubio fatendū est maritū hunc ualde coniugali officio decesse, & multipliciter contra omne ius in uxorē, quę socia rei humanæ, atque diuinæ domus suscipitur, delinquere, siquidē cōmunis est DD. sententia, lethale flagitium maritum committere, si absque causa in uxorem uerba ad infamandum apta conijciat, & grauibus iniurijs ipsam insectetur, sine graui necessitate uerberet, absque causa à diuinorum præceptorum impletione impediat, uel alimenta non præstet, seu in necessarijs rebus ei non cōsulat. Cum enim duo sint in carne una, æqualitate quadam decet esse complexos, mutuo se ex charitate diligere, & fouere dēnt, iuxta illud. *Apost.ad Ephes.cap.*5. Viri diligente uxores uestras, sicut & Christus dilexit ecclesiam. *Sayrus. l.*7.*cap.*7.*num.*7.*& seq.Tol.l.*5.*cap.*2. Nec sine causa olim ignis, & aqua à sponsis tāgebantur, ipsaque nupta eiusdem aquæ aspersione lustrabatur, cuius symboli licet uariæ afferantur rationes, illa tamen non improbabilis est, illo mysterio nuptiarum fœdera, & cōmoda significari, quæ ex coniugali amore, & unanimi concordia percipiuntur, cū nihil fere sit in rerum natura, igne iucūdius, nil aqua utilius. Nec nō illo ignis & aquæ tactu, q in domus limine fiebat, participationem, & communionem bonorum, & fortunarū omniū inter coniuges adumbratam fuisse; ut scilicet aliarum rerum omnium non secus atque ipsius aquæ, & ignis usus, cōmunis ipsis esse debeat, &c. Nec inmerito, quondam à nouis nuptis cotonea mala comedebantur, cum enim cor reficiant, & suauem halitum ori inspirent, ueteres admonere uolebant, ut coniūx erga coniugē mundo corde, puris affectibus, ore odorato, & honestos mores spiranti foret. *Schol.ad Alciat.emb.*204.

Quo ēt fit, ut licet annulus ad matrimonij substantiam non pertineat, in signum tamē mutuæ dilectionis datur, ut eorū corda amoris pignore iungantur. Vnde ex communi usu idem annulus uxori à marito pro coniugali benedictione datus eidē ex mariti liberalitate acquiritur. *Lapus. alleg.*57. *Tuschus.in v.annulus.concl.*343. *Surd. Decis.*166. *Nald.v.donatio.num.*17.*& verbo.sponsalia.num.*4. Sic S. Lyduuina Hollandica uirgo sane admirāda eos, qui matrimonio iuncti erant, ut mutuā inter se charitatem seruarent adhortabatur, consilium expetentibus dicebat, Sacrum coniugium dilectissimi inijstis, debetis non solū corpore, sed etiam animis inuicem seruare fidem, & pacē sectari, ut Deus pacis uobiscū sit, ut apud *Sur. in eius vita.* 14. *Apr.* Hinc sequitur, hęc mala quę marito uxori inferuntur, iustā separationis, tàm à thoro, quàm à domo, & cohabitatione, causam pręstare, ac proinde Confessarium ei consulere posse, ut apud ecclesiasticum Iudicem diuortium rationibus deductis, & probatis petat, & sibi dotem restitui, uel alimenta decerni postulet. *Sanchez. de matrimonio. l.*9.*d.*4. *num.* 20.*& l.* 10.*disp.*18.*num.*11. *Reginald.l.* 31.*cap.*41.*n.* 316. *Riccius.in praxi fori ecclef.Decis.*235. *Grassius.l.*2.*Decis.cap.*60. *Molfes.tract.*4.*cap* 14.

Quinimo si ista mulier nouerit, hūc proterutum uirum suum ab ecclesiastici præcepti obseruatione, ut missæ auditione, in Dei contemptū, uel christianæ religionis neglectū, ipsam arcere, cū hæresis labe infectus præsumatur, illum ad fidei censores deferre debebit. *Pegna.in* 3.*p.Direct.Inq.Comment.* 24.*Marc.Ant.Gen.in Curia Archiep.Neap.cap.*23. *Corrad.in resp.cas.consc.quæst.*2.

Et reuera ualde timendū est, de huiusmodi corruptæ vitæ hominibus, qui ludos, tabernas, & cauponas frequentant, ne de fide male sentiant. Et inter cęteras diuinæ scripturę comminationes aduersus anxios tabernarū, & ganearum amatores non minima est illa uatis regij. *Psalm.*68. Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, in retributionem, & in scandalum: ibi enim helluones tempus ludendo terunt, in blasphemias ora laxant, inde ebrij excuntes audaciores ad libidinem fiūt, ad uerberandas infelices uxores, ad dilapidandam domus supellectilē, & ad alia facinora perpetrāda prodeunt, atque ita uiuunt, ac si eorum Deus Iudex non sit. Vt proinde Principes, & Magistratus sedulo curare debeant, ne subditi ad cauponas sine causa accedant, & seueris pœnis transgressores afficiant. *Belletus. in Disq. cler. p.*1.§.20.*num.*19. *Scalab. In moral.in Passionem Domini.Mor.*7.§.2.*Maiol.in diebus.canicul. tit.de aula.colloq.* 5. *Tholos.in synt. l.*39.*c.*7. Quod aliàs nos animaduertimus.

CAP.

CAP. XV.

QVAESTIO LXVII.

QVOMODO CVM MVLIERE RIXOSA vano corporis cultui dedita, & debitum coniugale marito denegante se gerere debeat Confessarius.

ANtonia Christophori honestæ cõditionis viri vxor, cum natura sit rixosa, litigiosa, & iurgiosa, quod commune est fœminarum ingenium, nam teste Menandro,

Tempestas in domibus, est viris mulier.

A quo non dissidet Iuuenalis,

Nulla fere causa est in qua non fœmina litem Mouerit.

Et *Salomon. Prouerb. cap. 19.* Tecta iugiter perstillãtia litigiosa mulier, hæc, inquã, mulier peculiari suo vitio maritum suum ad iracũdiam, & blasphemiam prouocat, & assidue cõtentiones serit, eo inuito eleemosynas tribuit, superflua, ac vana ornamenta, & vestimenta ab eo petens, à quo cum sæpe repulsam patiatur, ei coniugale debitum denegat, tùm ne ipsi rem gratam faciat, & quodammodo vltionem referat, tùm ne multiplicatis filijs, & prole grauetur, queritur, quomodo in praxi agere debeat Confessarius? R. Primo, patefaciendum ei erit à Cõfessario, mortalem culpam admittere vxorem, quæ contentione, loquacitate, vel iurgijs ad graué iram, & maledicta maritum incitat, ita vt semper rixæ, & clamores audiantur, & domus misero tumultu misceatur; vt experientia illud fatendum sit, Melius esse habitare in terra deserta, quã cum muliere rixosa, & iracunda. *Prouerb. cap. 21.* Item si debitam subiectionem iusto præcepto non præstet, quale est si contra expressam, uel tacitam eius uoluntatem aliquid notabile expẽ dat, uel largiatur, (nisi paraphernalia idest aliqua bona ultra dotem, vel artem lucrosam habeat,) & superfluos & uanos ornatus, incompositosque moresexuat, &c. Siquidem notæ sunt mulierum cupiditates, quarum imperfectissimus affectus semp in uestibus, ornamentis, auro, & lapidibus pretiosis gloriã ponit, ut ait. *D. Hier. in reg. sanctim. c. 28.* Hinc Germanorum est dicterium, prouerbij uice apud eos celebratum, quatuor maxime mulieres cupere. Primo, amari, à pulchris iuuenibus. Secundo, plurimis filijs pollere. Tertio, preciosis vestibus ornari, ita ut sua ornamenta secum ẽt in sepulchro interri inbeant. Quarto, in domibus dominari. *Tiraq. l. 3. connub. n. 24.*

Duo præcipue sunt, quibus honesta mater familias cõmendatur, silẽtium scilicet, & familię procuratio, nam quò ad Primum Epicarmus aiebat, sermonis parcitatem in muliere probitatis, & sapientiæ esse argumentum. Hinc & *Damasc. l. 3. Paral. c. 1.* Sapiẽtis, inquit, mulieris est tacere, matrimonij legibus parere, laboranti marito mollibus verbis, ac probis consilijs opitulari, eidem irascenti cedere, &c. Quò ad Secundũ, certum est rei domesticæ curam mulieri in primis incumbere, ea nimirũ, quę maritus sudore, vel industria sua acquirit, debite, ac utiliter domi dispensandi, teste *Arist. l. 2. Oecon.* Vnde & *Plutarch. in præcept. connub.* refert. Veneris picturam testudinem, quæ symbolum est silẽtij, & commorationis in domo, calcasse: & mulieres à luna oportere diuersas esse, quæ quò à sole remotior spectatur, eò clarior apparet; nam uxor modesta, & sapiens præsente tantum uiro à cæteris conspici, eodem absente, domi se cõtinere debet. Cui autem contigit uxor deses, & in compto corporis ornatu reditus profundẽs, is certe rem faciet, ut funarius solet, retrogradu nimirum ductu. Quippe uxor debet esse marito subiecta, & fidelis, ob hoc enim comam gerit. *cap. fœmina. 30. quæst. 5.* domi manere, & domesticis operibus incumbere, iuxta illud. Vxor tua sicut uitis abũdans in lateribus domus tuę. *Ps. 127. Berchor in Dict. v. vxor.* Vnde DD. inferunt, vxorem nõ posse sibi aliquid retinere propter obsequia ordinaria, ipsi marito in eius uita impensa, quia gratis ex debito iustitiæ ad ea exhibenda tenebatur, sicque antiquitus quia mulieres maritis deseruire solebãt, vxores ab ugendo nomen deduxisse ferunt; huc enim illud spectat,

Tarquinij corpus bona fœmina lauit, & vnxit. *Ang. in v. vxor. num. 2. Paul. de Cast. cons. 124. Sanchez. l. 6 d. 6. num. 14. Corrad. in addit. ad respons. cas. consc. q. 215. Lazar. de monit. sect. 3. q. 9. n. 46.*

Tandem à peccato mortali nõ excusatur, si coniugale debitum reddere non vult, etiam si hoc faciat ne proles multiplicetur. Cõceditur quidem coniuges de cõmuni consensu à copula abstinere, ne plures generentur filij (seclusio tamen incontinentię periculo) eo quod uterq; iuri suo cedat, at negatur alteri coniugi licere debitum subtrahere, ne pluribus onerentur filijs, tùm quia alteri iustitiæ actum petenti iniuriam infert; tùm quia contra matrimonij finem agit, qui præcipuus est prolis procreatio, illo sic attestante, (quod alibi memini,)

Si ducis vxorem, non propter carnis amorem,
Duc, sed eam prehende pro causa prolis habenda.

Et prolis multiplicatæ educationem debẽr diuinæ dispositioni, ac prouidẽtiæ relinquere, quæ dat escã omni carni, &c. *DD. in dominic. 9. Quadr.* Atque sic sentiunt. *Sanchez. l. 9. d. 25. Molfes. tract. 6. c. 13. num. 15. Coninch. de matrimonio. disp. 34. dub. 1. & seq. Bonac. quæst. 4. puncto. 2. Reginald. l. 20. cap. 4. num. 45. & l. 31. num. 289.*

Profecto de nulla re magis sollicitos fuisse ueteres, quã de coniugio apud omnes constat. Ob hanc causam

fere alter, aut alter ipse, qualis est uerus amicus, appelletur, vt alteri quod sibimet cuperet, optet, & vt naturali sanguinis amori supernaturalis Christi amor adiũgatur, qui illum comitetur, ac perficiat. Siquidem & christiana amicitia multũ a mũdana differt, illa enim vinculo charitatis, & spiritus nititur, atque cum virtute coniuncta est, mundana vero seu naturalis naturali tantum affectu mouetur, cum omne animal sibi simile diligat, & suo cõmodo studeat, vt proinde non defuerint, qui dixerint, omnem amicitiam mendacẽ esse, quæ diuino amore & timore non glutinatur. *D. Basilius. in Constit. monast. cap. 4. D. Chrisost. hom. 25. in Matth.*

Cum Saluator noster vocari voluit magni cõsilij Angelus, ad illud consilium respexisse videtur, quod de diligẽdo inimico dedit, & quod per excellentiam magni consilij nomen meretur; in eo enim præ alijs charitatis feruor splendescit, reliqua consilia Angelos efficiunt, hoc autem Seraphinos quodammodo creat, adeo enim amoris igne ardent, vt supra naturã sicut Seraphini sex alis, vt *Isaias. c. 6.* vidit, volitẽt, idest sex feruentib. charitatis actibus ferantur, quos Saluator noster nõ solum erga amicos, sed etiam erga inimicos commendauit, & in opere, & veritate, in sex operibus, quæ sunt tãquam sex excellẽtissimæ perfectionis cõsilia, ostẽdantur. Primum, est pro eis orare vt Deus bonum quod eis expedit, largiatur. Secũdum, bene de eisdem loqui & maledicentibus benedicere. Tertium cum nobis occurrũt, salutatione præuenire. Tertio, beneficijs, tàm in anima, quàm in corpore, & rebus externis quatenus nobis licet afficere, & cumulare. Sexto, mutuũ postulãtibus gratis dare. Sed quoniam mutuum petens eo ipso quod petit, se humiliter subijcit, Sextus erit actus liberaliter, & eleemosynæ nomine id quo indigent, vt eorum miseria subleuetur impertire. *Lud. de P. de christ. perfect. tom. 3. tr. 1. c. 6.*

Vnde dico partes Confessarij esse, diligenter videre, & considerare qđ liceat vbi fratres non extreme, vel quasi extreme egeant, liberũ sit ipsi Ludouico testatori, cui vult sua relinquere, cum suo iure vtatur; ob scandalum tamen vitandum admonendus est, vt sicut inimicitias, & indignationes deposuit, ita in signum, & argumentum christianæ charitatis, qua in primis sacerdos fulgere debet, bonũ pro malo reddat, & aliquid etiam si graui paupertate non premantur, eis leget, cum hic illa Apostoli præceptio militet. *1. ad Timoth. cap. 5.* Si quis suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidẽ negauit, & est infideli deterior. Præsertim qđ ex charitatis lege frater diues alterum fratrẽ pauperem alere, & sorori pariter egenti dotem conficere, etiam si clericus sit, de bonis ecclesiæ tenetur. Imò si frater, vel soror in graui necessitate constituti essent, alteri fratri religionem ingredi integrum non esset, si aliunde illorũ necessitati prouideri non posset, quia arctius hæc obligatio vrget, quàm religionẽ ingrediẽdi aliàs sanctũ, & laudabile cõsiliũ.

Quò fit etiam vt expensæ factæ in certã rem per fratrem in re communi cum alio fratre, præsumantur animo non repetendi factæ, præsertim si in illis faciendis de suo animo non fuerit protestatus, nec magna quantitas boni viri arbitrio erogata esset, &c. *Mascard. de probat. concl. 727. & Tusch. v. expensa. cõcl. 641. arg. Nau. cons. 4. de Iureiur. Beta p. 1. casu. 57. Bonac. de cont. disp. 3 quæst. vltim. p. 3. Salon. 22. quæst. 5. de dominio. artic. 4. concl. vltima. Mol. de causis pijs. cap. 20. Reginald. l. 20. cap 4. sect. 3. num. 49. Azor. p 2. l. 2. cap. vltimo. Tuschus. concl. 220. verbo charitas. num. 9. Megal. 1. 2. Instit. confess. l. 2. cap. 33. Molfes. tr. 11. cap. 18. num. 85. & tr. 12. cap. 16. num. 34. Mant. de tacitis, & ambig. tom. 1. l. 12. tit. 16.* de quare vide quæ scripsi *in Comment. de hum. vita. stat. p. 2. cap. 22.*

QVÆSTIO LXIX.

QVOMODO SE GERERE DEBEAT Confessarius cum famulo erga dominum contumace, & eius bona surripiente, &c.

BLasius famulus cuiusdam nobilis, cum sit duræ ceruicis, proteruus, & contumax, domini sui iussa paruipendit, atque ideò eidem grauiter irascendi, & blasphemandi occasionem præbet. Insuper domino inscio, aliquoties in hebdomada aliqua comestibilia, uel edulia, ad vxoris suæ, & filiorum suorum vsum aufert, nec alios seruos socios, cum possit, id facere prohibet. At Bis iussu Domini hæretici ex curiositate audire volẽtis, legit librũ hæreticũ ex professo de religione tractantem. Quæritur quomodo cũ eo se gerere Confessarius debeat? R. Illi. 1. manifestandũ est, cum de re graui agitur, lethali noxa animam suam sauciare, cum explorati iuris sit famulos teneri domino suo debitum honorem deferre, nullo modo illum dispicere, iusta eius mandata obseruare, ac fideliter exequi, & iniunctũ sibi munus integra fide adimplere, & damnum ipsi in persona, honore, vel in bonis temporalibus imminens, quòad potest auertere. Communis est autem resolutio, famulum non teneri cum propriç vitæ periculo, bona & uitam domini sui defendere, quia ex communi contractu tantum onus in se suscepisse non censetur, nisi ipse Dominus peculiariter ex conuentione ad sui, & rerum suarum defensionem maiori, & pinguiori mercede eum conduxerit. *Pet. Naul. l. 3. cap. 1. num. 23. Sayrus. l. 7. clauis reg. cap. 7. num. 12. & l. 9. cap. 15. num. 17. Azor. l. c. cap. 39. Reginald. num. 60. & 63. Bonac. de legibus. d. 6. q. 1. p. vlt. Filiuc. in qq. mor. to. 2. tr. 28. c. 3. q. 11.*

Faten-

Fatendum tamen est ex communi sententia generaliter à mortali peccato excusari famulos, si inaduertētia, vel aliqua passione contemptum excludente, dominorum iussis non obtemperent.

Item quando minimā victualium quantitatem successiue furātur, ēt si temporis successu notabilis exurgat quātitas, modo illa in domo comedēdo, & bibendo in proprium vsum insumant, &c. famuli enim à communiter accidentibus dicūtur à Plauto homines fures & gulosi. Possent etiam domū aliqua comestibilia deferre, si hoc cōpensationis causa agerent, vt si cogerentur aliqua obsequia pręstare, ad quę aliàs non tenerentur. *Vasquez. in opusc. de restit. cap. 5. §. 1. dub. 10. Bonac. d. 3. quæst. 7. p. 4. num. 4. Molfes. tract. 11. cap. 21. num. 85.*

Quò ad vltimam difficultatem dico, quod licet graues authores senserint, audientes legere libros hæreticorum indistinctè excusari ab excommunicatione lata contra legentes eos, siue in causa fuerint vt legerentur siue non, siquidem vi Canonis Bullæ Cœnæ Domini tantummodo legentes, & retinentes comprehenduntur, & cum excommunicatio sit pœnarum maxima, eius verba strictè intelligenda sunt, ut tenet. *Vgol. in explicat. Bullæ. §. 1. n. 4. Sanchez. l. 2. de præcept. c. 10. num. 48. & Duard. l. 2. can. 1. quæst. 48.* In praxi tamen tutior videtur eorum sententia, qui tenent, tàm famulum iussu Domini legentem, quàm Dominum lectionem iubentem, excommunicatione in eadem Bulla contēta affici, quia licet per se ipsum nō legat, per aliū tamen id facit. *arg. c. qui per alium. de reg. iu. in 6.* Atque hanc opinionem tuentur. *Sayr. l. 3. de censu. cap. 5. num. 12. Azor. p. 1. l. 8. cap 16. quæst. 4. Grafsius. l 4. Decis. cap. 18. num. 45. & alij.* Non diffiteor tamen vtrumque tàm Dominum quàm seruum ex capite ignorantiæ etiam crassæ ab hac censura excusari posse, vt per *Duar. l. c. can. 1. quæst. 36.*

Proinde seruis à Confessario inculcandum est, Non semper ex D. Augustini sententia malum, esse nō obedire præcepto: cum enim Dominus iubet ea quæ Deo cōtraria sunt, tunc ei obtēperandum non est. *c. non semper. 11. q. 3.* vt infra de furto dicemus, & fusius animaduerti *in Comment. de stat. p. 2. c. 23.*

QVAESTIO LXX.

QVOMODO AGENDVM CVM DOMINO, qui seruos delinquentes non corrigit, nec curat vt Dei & ecclesiæ præcepta seruent, literas ad amasiam per eos mittit, & eos ægrotos ad hospitale mittit, &c.

Dominicus vir patritius, cū tres habeat in domo sua seruos, & totidem famulas, multum negligēter se gerit in his, quę ad spiritualē ipsorum salutē pertinēt, nec curat quantū in ipso est, ne iuramētis falsis, & blasphemijs, pierēdis assuescāt, vt catholicè, & ex christianæ religionis pręscripto viuāt, debitis temporibus confiteantur, Eucharistiam sumant, missam audiant; & si eorum errata, uel peccata uideat, ea non corrigit, imò permittit seruas cum seruis cum occasione multorū delictorū libere conuersari, & per illos ad amasiam propriam literas mittit; qui etiam cum in eadem domo vnū famulum ægrotātem haberet, ad ea publica loca misit, quæ ex pietate, & misericordia ad pauperes excipiendos, & infirmos curandos extructa sunt.

Quæritur quid ei consulere debeat? R. Certum quidē est dominos illa prima cura vrgeri debere, vt famuli sui boni fiāt, & pro suo captu in vitam ęternam dirigātur, hoc enim christiana flagitat charitas, hoc iustitiæ debitum exigit, & huc spectat Sapientis pronuntiatum. *Eccles. cap. 7.* Seruus sensatus sit tibi dilectus sicut anima tua. Quocirca si ingenui, ac dociles sint, increpatorijs potius uerbis, quàm verberibus, vbi peccabunt, castigari debent; sin autē cerebrosi vel arrogantes, diuinæ legis violatores, ac scandalū præbētes, ad necessariam seueritatem recurrendū est. Cumque circa tales oleum & opera perdi videbitur, vel in familiam ex eorum moribus ingens damnum redundare, actutum ad suos remitti debēt, quia omnino præstat nullos habere, quàm ignominia notatos, & liberorū pestes. Vnde Primo dico, Dominicum à Confessario docendum esse à mortali peccato non excusari, si eorum moribus non inuigilat, & eorum peccata corrigere negligit, & teneri eos dimittere, si uiderit eos obiurgationibus non emendari, nisi probabiliter credat, quod eiecti peiores sint euasuri, aut futurū speret, ut apud se retenti ad meliorem frugem sint reducendi, quod tamen raro in praxi accidit.

Secundo, lethali proculdubio scelere astringi, cum amatorias literas turpitudinē continētes, uel ad eam perpetrādam inuitantes mittit; nec famulos ipsos ad ab eadē culpa liberos nō esse qn̄ huiusmodi illicita exequuntur iussa, cum eis nefas sit deferre literas, uel scripta, quibus expresse, uel tacite concubina ad copulam petitur, hoc enim est intrinsice malum, cum cooperatione ad turpem actum coniūctum. Imò addo famulum cum dubitat quid in literis cōtineatur, rationabiliter præsumere posse turpe aliquid contineri, quando fœdus amor inter herum & amasiam sibi notus est, & consequenter in eo casu obsequium illud præstare non posse. *Sanchez. l. 1. de præcept. cap. 7. num. 24. Molf. tract. 8. cap. 10. num. 69. Bonac. de matrimonio. q. 4. p. 14.*

Tertio dico, nō ei licere ægrotum illum seruum ad Xenodochium mittere, si morbus sit leuis, cui facile remediū adhiberi possit, sed teneri domi ea suppeditare, quæ ad huiusmodi morbum curādum necessa-

necessaria sunt, cum à christiana charitate valde alienum sit proximo apud se egenti subsidium negare, quod facile, & sine magnis expensis præstare possit. *Sayrus.l.7.el.reg.cap.7.num.11.Azor.par.2. Instit.mor.lib.2.cap.39.quæst.4. Genuens. in Praxi Neap.cap.56. Reginald.l.20.num.60.*

Quo quidem in officio erga seruos præstando S. Elzearij comitis Arriani virtus enituit, quem legimus, dicere solirum, nolle quemquam suo pane vesci, quem mortali peccato implicatũ sciret, idque exequebatur, statim enim expellebat, quem turpe aliquid admisisse cognouerat; multas etiam leges præscripserat, quas ab omnibus seruari volebat, & hãc inter aliàs, vt omnes aulici, & milites, quos domi alebat; singulis hebdomadis peccata Confessione expiarent. Blasphemias autem, imò vero sacramenta leuiter pronuntiata nullo modo toletabat, &c. vt in eius vita apud *Surium.die 27.Sept.*

Diuus etiam Carolus Borr. in cura domesticorum corporibus ex liberalitate impendenda commendatus est, quod famulos suos non vt seruos, sed vt filios, & fratres amauit, & large ea, quæ oportebat illis etiam ægris suppeditabat, &c.

Quæ exempla à Confessario pœnitenti proponenda sunt, simulque illud ab eo admonendum, vt dominus caueat, ne familiam suam non corrigendo, vel ipse praue uiuendo, seruorum peccata propriæ culpæ attribuãtur, siquidem ex Euripidis sententia apud. *Stob. serm. 60.* Serui dominorum morbis inficiuntur: nam Dominus tenetur ex delicto familiæ, si est in culpa eam non corrigendo. Idem dicendum de Præposito ad vectigal, de nauta, Rectore Ciuitatis, & etiam Episcopo, &c. *Syl.in v. dominium. Nald.v.dominus. Marc.Ant.Gen.in Man. Prælat.cap.41.Tusch.in v.dñs.concl.615.& v.officiales.concl.99. Io.Choe.in thes. Polit.lib.5.cap.1. Daur.tom.2.c.3.tit.95.exemplo.2.& seq.& Dixi in Comment.de stat.p.2. d.cap.23.*

CAP. XVI.

QVAESTIO LXXI.

QVID CVM SACERDOTE ERGA SVVM Prælatum inobediente agendum sit.

Gabriel sacerdos cum suus Episcopus edixisset, vt omnes sibi subditi sacerdotes, sub pœna suspensionis à diuinis ipso iure incurrendæ ad diæcesanam synodum, & generales supplicationes quæ in rogationum diebus institui solent, accederent, &, vt dicũt, cathedraticũ à iure præscriptũ deferrent, ad eas venire renuit, quæritur an peccauerit mortaliter, in cẽsuram illam inciderit, & quo Confessarius cum eo se gerere debeatR. Quod cum res ab Episcopo imperatę graues sint, & commune bonum tàm sæculare quàm ecclesiasticum concernat; & pœna suspẽsionis inflicta sub reatu mortalis culpæ obligare censeatur, vt ex communi sentẽtia tradit. *Carbo.l.7.de legibus.disp.4.& Duard.in exposit. Bullæ Cœnæ Domini.l.3.§.7.& 8.& patet, ex dictis. cap.3.sect.7.quæst.13.* fatẽdum est, mortalem culpam contraxisse, & ipsa censura innodatum esse, si sine iusta causa, & nullo detentus impedimento, ipsius Antistitis iussa violauit, &c. Nã quò ad obedientiam, quàm clerici ratione sui status Episcopo debent, clarum est illi obtemperandum tùm in his, quæ ad ecclesiasticum cultum, & sacramentorum administrationem spectant, tùm in ijs, quæ ad vitæ honestatem, morum reformationem, & ad cõmune bonum pertinent. Hinc D. Hieronymus Nepotianum ad amorem, reuerentiam, & obedientiam erga suum Prælatum excitans dicebat, Esto subiectus Pontifici tuo, & quasi parentem suscipe, amare filiorum est, & timere seruorum, & *D. Bernardus serm.3.de aduentu.* Iustitia, inquit, virtus est, quod suum est vnicuique tribuẽs, tribue ergo tribus quæ sua sunt, Redde superiori, redde inferiori, redde æquali, quod debes, Redde reuerentiam Prælato & obediẽtiam, quarum altera cordis, altera corporis est, nec.n. sufficit exterius obtẽperare Superioribus, nisi ex cordis affectu sublimiter de illis sentiamus, & re ipsa honorẽ exhibeamus. *c.placuit.10.q.3.*

Nec dubium est clericos pręcepto Episcopi in re graui sine rationabili causa non obtemperantes, lethali noxa se obstringere, vt ait. *Syl.in v.obedientia §.7.Ang.in d.v.num.9. Tol.l.8.cap.21. Marc. Ant. Genuens.in Pract.eccles.Trice.8.q.240.DD.*

Hinc multi deducunt, Episcopum tempore necessitatis, vt grassante peste, cogere posse simplices sacerdotes tam seculares quã regulares sacramenta ministrare, & ipsos sub lethalis culpæ reatu obtẽperare teneri; siquidem illo casu extremæ necessitatis quilibet sacerdos etiã si ei nulla animarum cura incumbat, absentibus quoquomodo, siue iuste, siue iniuste pastoribus, lege charitatis, & iustitię legalis vti debent potestate, & gratia sibi à Christo tradita, à censuris, & à peccatis absoluendo, & alia sacramenta administrando. Quæ assertio procedit etiam si sacerdotes sæculares parẽtes pauperes haberent, quos sua industria, & beneficiorum fructibus alerent, qui eisdem presbyteris præcipiunt, vt à loco contagioso recedant, & etiam si regulares se exemptos esse allegarent, nec Superiores suos subditos permittunt, vt reipublicæ illo tempore inseruiant, ne peste infecti cæteros religiosos inficiant.

Adhuc enim illi Episcopo potius obedire tenẽtur, quãdoquidem priuatæ vtilitati commune bonum præferendum est; & istos nempe regulares eadem ratione ipsi Episcopo, & Ordinario Pastori

parere oportet; neq; obest si dicant ab eius iurisdictione exemptos esse, quia responderi potest à lege charitatis, & legalis iustitiæ exceptos nõ esse, cuius ratione Episcopi regimini in hoc casu subduntur. Quæ enim pro charitate instituta sunt, non debent contra charitatem militare, teste *D. Bernardo. de precepto, & despensatione. cap.* 4. Quin vero isti reliquis simplicibus sacerdotibus magis obligari uidẽtur, tùm propter status perfectionem, tùm propter temporalia beneficia, quæ quotidie à populo recipiunt. Sed quia non desunt qui sentiant, religiosos ab Episcopo ad id cogi non ualere, ut omnis illo tẽpore amputaretur tergiuersatio, prudenter Diæcesanus Pastor ageret, si D. Caroli exemplo facultatem à Summo Pontifice ad id sibi concedi curaret. *Io. Chapeuilla. de administ. sacram. tempore pestis. q. 17. DD. in c. conquerente. de officio. ordin. Reginald. lib. 30. tract. 3. num. 7. & 9. Zerula. in Praxi Epali. in v. Edicta. Bassus. de Curat. anim. p. 3. c. 14.*

QVAESTIO LXXII.

QVOMODO SE GERERE DEBEAT CONfessarius cum Episcopo, qui non per se cũ possit, sed per virum omnino ineptum diœcesim visitat, nec diœcesanam synodum celebrat, &c.

BErnardus cuiusdam amplę diœcesis Episcopus etiam si per se possit, singulis annis suum Episcopatum nõ visitat, sed per alium Canonicũ suum rerum ecclesiasticarum expertem in sacris sanctionibus, ac disciplinis minime uersatũ id officij male præstat, cum enim, ut dixi, inscitia laboret, & seculi voluptatib. deditus sit, in ipso uisitandi actu cum Parochis alea ludere solet, & in conuiuijs lautis, ac splẽdide instructis genio indulgere. Item ob quandam negligentiam, ipse Episcopus diæcesanam synodum, in qua de rebus ad statum suę ecclesiæ pertinentibus tractet, suo tempore conuocare omittit.

Queritur, quomodo eius Cõfessarius in hoc genere se debeat? Resp. Formidabilis est sententia D. Gregorij relati *in cap. quamuis. ext. de reg. iu.* Non excusatur pastor, si lupus oues comedit, & ipse nescit. Episcopi nomen quod græcum est, latine idem significans quod speculator, seu superintendens satis ostendit, eius officium esse super gregem inuigilare, ac spirituali saluti sibi subditorum, siue laici, siue clerici sint consulere, cuius rei gratia multa illi iure cõmuni, siue diuino siue humano incumbunt. *Gloss. in cap. ea qua. ext. de off. Archid. & Socin. cons. 2.* aiunt, ordinarie negligentiã in Prælato, qui aliquid facere tenetur, & non facit, lethalẽ noxam gignere, ut propterea vere scripserit. *D. August. Epist. 147. ad Valer. & refertur. in cap. ante omnia. dist. 40.* Episcopali munere nihil iucũdius, & optabilius esse, si perfunctorie res agatur, nihil uero periculosius, aut miserius, si non sedulo, ac fideliter exerceatur. Vnde dico, Confessarium cauere debere, ne & ipse de eorũ sit numero, de quibus. *Isaias. cap. 56.* ait, Speculatores eius cæci sunt, canes muti, nescientes latrare, dormientes, & amantes somnia, ne sua taciturnitas non sibi tantum, sed & alij tantam perniciem afferat. Patefaciendum est, lethaliter Episcopum delinquere, si cum cõmode potest, per se non visitat, cum, vt ueteri prouerbio effertur, Oculus domini impinguet equum, & pes agrum. Si id muneris per se ipsum obire nõ datur, per idoneum Vicarium cõscientia, & scientia præditum id præstet, licet enim visitandi ius iurisdictionis sit, & præscribi non possit, illud tamen cuicunq; inferiori apto cõcedere põt. *Conc. Trid. sess. 24. cap. 3. de ref. Zabar. cons. 131. Tusch. v. visitandi sus. concl. 221.*

Item si circa vitam, & honestatem clericorum, & morum emendationem & disciplinam nõ inuigilar, & si reformationem à se, & sua familia nõ inchoat, vt docet. *D. Isid. lib. 3. de summo. bon. cap. 32.* & si aptos, ac bonos ministros tã in interiori foro, quã exteriori non eligat, &c. Magno zelo exæstuat Christus, ut Prælati munia sua plene exequantur, nec leuem iram contra eos ostendit, qui illud ad quod tenentur, non implent, quamuis consueta sua misericordia antequã puniat, ad pœnitentiam exhortetur, ut uidere licet in *Apocal. cap. 3.* in Epistola, quam ad Episcopum Sardensem his tremendis uerbis dedit, Hęc dicit, qui habet septem Spiritus Dei, & septem stellas, scio opera tua, & nomen habes quod uiuas, & mortuus es. Quib. verbis miserandam quorundam Episcoporum conditionem dipingit, qui & si Prælatorum nomen, ac dignitatem habeant, interius tamen ob lethalem culpam mortui sunt, eo quod non uigilant, non uisitãt, sed munus suum negligunt, neque ad bonum subditorum attendunt, &c. *Lud. de Ponte. de perfect. hom. christ tract. 7. cap. 17. Caiet. in v. Episcoporum. peccata. Tol. lib. 5. cap. 4. Marc. Ant. Gen. in Man. Past. cap. 41. cap. 56. & 90. & fusius animaduerti. in Comment. de stat. p. 1. c. 6. Vide etiam inf. tr. 15. c. 7. q. 11.*

QVAESTIO LXXIII.

QVOMODO AGENDVM CVM RVSTICIS arma in ecclesia gestantibus, in diebus festis laborantibus, & proprijs Parochis detrahentibus.

IOsephus rusticus Parocho pastori suo ex mandato Episcopi præcipienti, ne quis in ecclesia, dum sacra fiunt arma deferat, ibi dum missæ interest, manuarium tormentũ detinet, nihil eius mandata faciens. Secundo, diebus festis nulla habita præce-

præcepti ratione,nullaque eos cogente causa laboribus suis vacanr, neque si necessitas vrgeat, ab ipso curato laborandi licentiam petunt. Tertio,cum ipse Parochus vir litigiosus à rusticis habeatur,sæpe cum alijs eius famæ detrahit ; ac primitias petenti soluere recusat,queritur quomodo cum eo in pęnitentiali foro sit agendum ? R. Et vt præfracti cordis homini indicādum, lethaliter delinquere, cum suo pastori obedientiam, honorem,& reuerentiam, & debitum subsidium subtrahat,ac Dei ecclesiæque præcepta violent, certū est enim Primo, armorum vsum & delationem de iure cōmuni omnibus prohibitā esse, cum mali animi arma præsumptionem inducāt, nisi ex iusta causa Superioris permissu illa quis deferret. Vnde Pius IV. *in Constit. Incip. cum vices*,vt homicidia committendi occasio submoueretur,sub grauissimis pœnis delationē igneorū tormentorum breuioris mensuræ duorum palmorum in ecclesiastica ditione interdixit. Quam Bullam, & Pius V. in sua pariter *Constit. Incip.cum vices* ad pugiones, & cultellos, sub eisdem pœnis extendit, simulq; Officialibus inhibuit, ne sub pœna excommunicationis & suspensionis, deferendi licentias concedant. Multo magis ipsorum armorum vsus, & gestatio in ecclesia interdicta censetur ,cum cultus,honor,& reuerentia Dei domui debeatur, & Episcopalibus etiam in synodo editis constitutionibus hoc interdicatur. *Cornens.l.3.consf.20. Mascard.de Probat.volum.1.concl.128. Tuscus.v.arma.concl.515.* Vnde & *in Cōcil.Salegustadiensi.c.8.* Sic legitur, Decretū est in eodem concilio,vt nemo gladiū in ecclesia portet, regali tm̄ gradu excepto. Quinimo,Theodosius Imper.vt arma Cęsareæ custodiæ ad tēpli ianuam in eius ingressu relinquantur,quin & diadema regalis maestatis,conueniens esse fatetur. *teste Baron.tom.5.anno Dñi.431.* Caluinistarū hic mos est,qui districtis gladijs ad liba sua procedunt:recte quidē cū profanissima sint,patellę aūt operculū cōuenire dēat. *Chanas.de prud.l.1.c.10* Secundo, exploratiēt iuris est, festos dies ferio, & graui præcepto institutos esse , vt fideles sacris intersint, ab omni sordido, & illiberali opere abstineant, nisi in occurrenribus casibus, à Superiore ex causa facultas concedatur, vt infra *tr.8.cap.5.q.10.* Tertio, satis constat, si detractio contra quemlibet proximum graue peccatum est, multo grauiorem reatum contrahi,si contra Dei Vicarios os laxetur; tanto namque Zelo Deus hoc delictum vetuit, vt merito omnis sensatus homo expauescere debeat, ne in illud temere prolabatur, siquidem aperta est diuina præceptio. *Exod.22.* Dijs non detrahes,hoc est spiritualibus patribus,&c. Quæ quidem vitia & arma in ecclesia deferendi,& in festis laborandi,ac Pastoribus detrahendi, vt rusticis propria, & peculiaria esse dignoscuntur, ita Confessarius studere debet, vt his cognitis opportuna cultura adhibeatur, & nusquam Diaboli callidi hostis artes locum habeant, sed omnino iuuante Deo euanescant. Et quoniam Agricolæ in eo statu cōstituti sunt, vt necessitate maxima astringantur,sūma egestate conflictentur,& perpetuis laboribus frangantur, vt vitam transigant,vt proinde facile,suadente Diabolo,ad dubitandū de diuina prouidentia induci possint,atque à Deo se destitutos esse,& tanquā illegitimos filios tractari conquerantur,non solum quia suos labores , atque incommoda ex aliorum quiete,& commodis metiuntur; sed etiam quia hac ipsa ex causa, quod literarum sint ignari, neque sanctis exercitationib. vacare possint, iter sibi ad Cœlum præcludi existiment, boni Confessarij partes erunt, huiusmodi homines in christiano officio continere,& in Dei fiducia roborare. illudque Tobia monitum ad eorum mentes reuocare , Noli timere fili mi,pauperem quidem vitam gerimus,sed multa bona habebimus,si timuerimus Deum,& recesserimus ab omni peccato , & fecerimus bene. *Tob.c.5.* Atq; sui muneris erit necessitate aut publica vtilitate id exigēte, gratis facultatem impertiri, vt ipsi rustici ruralibus operibus ēt in diebus festis vacent,&c. *Posseuin.de officio.Cur.cap.12.num.13.* Vide *in Comment. de Stat.p.2.cap.17.*

QVAESTIO LXXIV.

QVID CONFESSARIVS CVM PAROCHO agere debeat, qui ea quæ muneris sui sunt negligit, non super gregem vigilat, nec ad bonum illius attendit.

AMbrosius Parochus ruralis raro admodum diebus festis sermonem ad populum sibi credirum habet, nec fere vmquā pueros in Christiana fide erudit, & plus de pecunia, & primitijs, quàm de animarum lucro solicitus in Paschate non confitentes, nec sacrosanctā Eucharistiā non sumentes scrutatur, & in dignoscendis ouibus suis nullam pene curam, & diligentiam adhibet, vt ægrotas sanare,errantes reducere,perditas conquirere, & recuperare possit,&c. Item raro admodū particulas in pixide retentas renouat, neç curat, vt ante sacramentum in ecclesia accēsum lumen adsit. Tandem cū quidā testator Parochię centū aureos simpliciter legasset, qui postea tempore mortis aliam inhabitat, cum illud legatū illi ecclesiæ per Episcopum sit adiudicatum, in cuius Parochia tempore testamēti domicilium habuit, ipse Ambrosius obloquitur, & conqueritur , tanquam iniuste secum actum sit, & suæ ecclesiæ legatū deberetur, quæritur quid Cōfessarius cum eo agere debeat? R. Iam diximus supra *tract.6.cap.30.quæst.37.& hoc cap.quæst.72.*

Negligentiam esse petram scandali, in quam multi animarũ curam habentes impingere solent, quæ cum circa grauem rem versatur, vt in prædictis casibus, mortalem culpam secum affert. *Tol. l. 5. c. 5. Nau de orat. cap. 18. num. 67. Sà in v. eucharistia. num. 34. Fusch. de visit. eccles. l. 1. cap. 5.* Quod quidem vitium ex auaritia potissimũ enasci solet, quæ interdum ita Parochũ trãsuersum agit, vt quæ muneris sui sũt, deserat. Qui postmodũ pecuniæ amor, & augendæ rei cupiditas causa potissimum nepotum, & consanguineorum augendorum eius mentem occupat, vt notatur. *in clem. 1. de excessibus. Prælat.* & alibi à nobis annotatum est.

Quo etiam fit, vt querimonia, quam ob illud legatum fundit iniusta sit, & à sordida habendi cupiditate procedat, cum explorati iuris sit, legatum illi ecclesiæ deberi, in cuius Parochia tẽpore testamenti, non tempore mortis habitauit. vt per *Cynum. in l. 1. C. de Sacrosanctis ecclesijs. Mant. de coniect. vlt. volunt. l. 3. tit. 11. num. 3. Nald. v. Parochus. num. 21.*

Porro difficilis est mali sacerdotis curatio, nam canis vulnera sua lingua lingendo curare solet, qui si in capite sauciatur, perit, quia ad illud lingua nõ pertingit, &c. Ex rerũ terrenarum inordinato affectu tantis aliquãdo tenebris offunditur sacerdotis mens, vt suũ morbũ nõ agnoscat, ac proinde corrigi dedignetur, veritatem audire non patiatur, atque eius plaga insanabilis efficiatur. Nec parũ eius saluti officere videtur, ex inducta cõsuetudine, cuicunque obuio Confessario peccata sua fateri, siquidem, quod sæpe animaduertimus, crebra Confessorum mutatio conscientiæ, atque moribus regendis, & in Dei timore, ac pietatis cultu continendis neque satis accommodata, neque vtilis existimatur. Recte *D. Basilius. in Constit. monast. c. 22.* qui postquam dixit, difficillimum esse se ipsum agnoscere, & curare, eo qđ naturaliter se ipsum quisque amet, facile vero ab alio cognosci, & curari, cum ijs qui alios curant, ad veritatem discernendam proprius non obstet amor, probat alicui certo, ac solido moderatori obedire, qui mores, & affectus nostros diligenter inquirat, & ægritudinibus animi accõmodatum remedium adhibeat, tutissimum salutis præsidium esse.

QVAESTIO LXXV.

QVID AGENDVM CVM POENITENTE, qui Confessarij monita paruipendit, & præseruantem medicinam respuit, &c.

Laurentius pœnitens suum Cõfessarium paruifaciens, & parum suam propriam salutem curans, non ea qua debet fide, eius mandata, & monita excipit, & cum in quoddam carnis vitium facile labi soleat, præseruantem medicinam ei adhibet, vt quod semel in hebdomada confiteatur, septem Psalmos Pœnitentiales recitet, medium aureum pauperibus eroget, & statim admisso peccato aspero fune corpus suum verberet, &c. illam tamen respuit. Et cum in quadam dispẽsatione matrimoniali ob admissum incestum pro pœnitentia à Romana Curia iniunctum esset, vt in fabricam ecclesiæ operam suam conferret, in præterito Iubileo ab electo Cõfessario sibi commutari procurauit, quæritur, an mortaliter peccauerit, & obtenta illa commutatio valeat, & quomodo Confessarius cum ipsomet pœnitente gerere se debeat? R. Inter conditiones, quibus sacra confessio prędita esse debet, ea est, vt sit parere parata, idest vt pœnitẽs Confessario, vt Christi vices sustinẽti, circa omnia, quæ animæ suæ salutem cõcernunt, obremperet. Huc enim vel spectat illud Sapientis. *Eccles. cap. 38.* Honora medicum scilicet tàm spiritualem, quàm corporalem propter necessitatem; vbi nonnulli Confessarium triplici honore afficiendum esse asserũt, nempe honore reuerẽtiæ, hoc namq; spiritualis paternitas exigit, propter quã pœnitentis obseruantia pietate misceri debet: siquidem clarum est, inter patrem, & filium pietatem intercedere, & patri à filio reuerẽtiam, atq; honorẽ deberi, hinc Dominus per *Malach. c. 1.* Si ego pater sum, vbi est honor meus?

Secundo honore obedientiæ dignus est Confessarius, iuxta illud. *D. August. tr. 12. in Ioannem.* Quantum est in medico, sanare venit ægrotum, ipse vero se interemit, qui præcepta medici seruare non vult. Quod si in corporis morbis libenter æger medico morem gerit, etiam si res graues imperet, vt integræ sanitati restituatur, quales sunt abstinẽtiæ, sanguinis emissiones, adustiones, &c. quia sibi persuadet, ad reparandam valetudinam sibi multum conducere; multo magis rationi cõsentaneum est, vt in animæ morbis, & vulneribus pœnitens spirituali medico, vel amaras, & acerbas res præscribẽti se subijciat, q̃quidem illæ ad sanitatem comparandam, & recidiuum euitandũ necessariæ sunt. Et quamuis Saluator noster infirmũ illum in probatica piscina miraculose sanasset, noluit tamen eũ absque graui onere recedere, in quo suam ostenderet obedientiam, ideo dixit, Tolle grabatum tuum & ambula. *Io. c. 5.* vt pœnitentes discant onus portare, quod Confessarij vt plene sani euadant eis salutariter imponunt.

Tertio subuenientiæ vel subsidij honore Confessarius afficiendus est, nam si pauper est ex honestate, & consilio eleemosyna aliqua, & si illam ipse quærere, vel expetere non debeat, adiuuandus est. *Graffius. l. 1. decis. aur. cap. 31. num. 29. & cons. 2. de pœnis, & de cas. reser. l. 2. cap. 11. Barthol. ab Ang. dial. 5. de missa. §. 520. Vgol. de simonia. cap. 40, §. 5.*

Vnde

Vnde ad quæſtionem propoſitam dico, valde difficile eſſe ferre iudicium, an pœnitẽs remedium illud, vel illam pœnam impoſitam ſub culpæ mortalis reatu acceptare debeat, cum alij affirmẽt, alij verius negent, ſi occaſio illa ob quam peccat nõ ſit proxima, modo doleat de peccatis, & in futurũ vitare proponat, & ſi ſalubre ſit conſiliũ aliquando ſi emendatio aliqua nõ appareat, abſolutionẽ differre. *Leonard.Nouellus.in Inſtruct.chriſtiana.ad Parochos.de Sacramento pœnit.* §.*nam imponere.Pet.de Ocha.tract.2.de confeſſione.quæſt.*41.*num.*16. *Sanchez.l.*3.*cap.*5.*num.*17.*&*18 *Lud.de Ponte.tom.*4. *tr.*5.*c.*11. Vide quæ diximus ſupra *tr.*5.*c.*15.*q.*95.

Ad ſecundam quæſtionem dico, commutationem illam pœnitentię, Laurẽtio inceſtuoſo in matrimoniali diſpenſatione impoſitę non valere, cum hoc ad forum externum pertineat. Reſoluti, namque iuris eſt, commutationem hanc à Vicario Epiſcopi delegato in aliud opus fieri poſſe, ſi petens ſit vir nobilis, & delicatus, vt per *Marc. Ant.Genuenſ. in Praxi Neap.cap.*25.*num.*1.*vt etiam annotaui ſupra tract.*5.*cap.*15.*quæſt.*94.

QVAESTIO LXXVI.

AN LETHALITER PECCAVERIT Confeſſarius, qui cunctabundam pœnitentem initio confeſſionis reprehendit, & in progreſſu eundem ad cito ſe expediendum vrſit, & quid de differente ægro abſolutionem vt integra confeſſio perficiatur, &c.

DIonyſius ſacerdos Confeſſarius cum ad eum acceſſerit quidam ignotus, & extraordinarius pęnitens mercator, qui recitata generalis confeſſionis formula, cunctabundus hæret, nihil dicere valens, aut volens, ſtatim ira accenditur, & acerbis, ac inhumanis verbis cum eo vtitur, imò conuicia in ipſum conijcit, &c. Item in confeſſionis progreſſu cum alios pœnitentes circunſtantes videat, ipſum vrget, vt cito ſe expediat, ob qđ ipſum terrefacit, ita vt cite, & integre cõfiteri nõ audeat. Inſuper cum ad audiendã cõfeſſionem cuiuſdam laborantis in extremis vocatus eſſet, & aliqua peccata ille confiteri inciperet, ſed dolore tortus perficere non poſſet, ſecedens abſolutionẽ diſtulit, ſed paulo poſt rediẽs extinctũ eum inuenit, quæritur an in his duobus caſib. mortaliter peccauerit? R. Cõfeſſarius iſte cum à prudentiæ regula longe deflectat, dicendum eſt, ſi hoc in conſuetudine habet, & hoc ſuum peccatum aliàs aduertit, nec ab eo ſe exuere cõtendit, à mortali culpa non excuſari. Certum eſt enim vt alibi *tract.*5.*cap.*11.*quæſt.*70.*& ſeq.* annotaui, Confeſſarium, pœnitentem ſe adeuntem, benignè, comiterque excipere debere, & quantum poteſt effundendi, ſeque penitus patefaciendi fiduciã addere, & ruſticum, eoque loco importunũ pudorem excutere, illumque admonere, vt omnia ſua peccata, quorum recordatur, ac de quibus cõſcientia ipſum magis remordet, & quę ſibi à Dæmone coram Chriſto in iudicio objici timeret, ſtatim exponat, & ſi exiſtimet in aliquo deficere, interrogationibus adiuuare, melius eius conſcientiam excutere debet, & vrbane, ciuiliterque cum eo agere. Rationi cõſentaneum eſt ait quidã Sapiens, vt qui honore, dignitate, ac fortuna alijs præeſt, virtutib. quoque antecellat, quorum præſidio munus à Deo ſibi demandatum rite obire poſſit.

Meminiſſe quoque oportet, nõ eſſe liberum pęnitentes ob concurſum, ita ad ſe expediendum impellere, vt omnia animæ vulnera detegere non audeant, cum integritas cõfeſſionis à Chriſto ſit præcepta, à quo pœnitentium concurſus non excuſat, niſi cum graui neceſſitate ſit coniũctus, vt in bello, vel naufragio contingit; cum præſtet duos bene, quàm multos perfunctorie audire. Auguſtus Cęſar dicere ſolebat, nihil minus perfecto Duci cõuenire, quàm feſtinationem, ac temeritatem, crebroque illud iactabat, Sat cito ſi ſat bene, Feſtina lẽte. Trito adagio effertur, & magiſtra experientia cõprobatur,

Maturandũ quidem eſſe, & accelerandum, paulatim tamen, & præmeditate, ne nimia feſtinatio periculoſa, neue prolonga mora pernicioſa ſit futura; ſed mediocritas in omni negotio ſeruetur, quod duabus notis hieroglyphicis & remoræ, & teli ob oculos Antiqui nobis ponebant, telum enim velocitatis indicium eſt, remora aũt maturitatẽ iunuit. *Caiet.in v.Confeſſor.condit.*3. *Reginal.l.*2.*num.*12. *Turſell.in vita Zauer.l.*4.*cap.*23.*arg.Codronchius de tuta, ac chriſtiana.med.ratione. l.*1.*cap.*15. *Ala. de aduoc. chriſt.quæſt.*33. *Molfeſ. tract.*7.*cap.*22. *num.*28.*Alciat emb.*20.

Inſuper & ſi ad Cõfeſſarij officium ſpectet, aliquando, cum opus eſt, obiurgationẽ adhibere, peccatorũ deformitatẽ objjciendo, pudorẽ, & cõfuſionem ob admiſſa peccata, & timorem ad eadẽ præcauenda excitando, ex prudentiæ tamen præſcripto hoc initio confeſſionis agendum non eſt, ne pœnitentem à ſuis peccatis explicandis deterreat, nec in fine confuſe, & in genere de omnibus eſt reprehendendus, imò nec de ſingulis in particulari, ſed duo, aut tria grauiora, magiſque pernicioſa arripienda ſunt, & pœnitẽs erga illa premẽdus: doctrina enim vniuerſalis parum vtilis eſſe ſolet; quod ſi ad particularia deſcendatur, valde grauis etiam eſſe videtur; ſi vero ad ea, quæ magis noxia ſunt, applicetur, vtilior, ac fructuoſior erit. Cuius rei exemplum in Dei obiurgatione erga Adamum, & Euam primos noſtros parentes cernere licet, quamuis namque multa peccata admiſiſſet, ſcilicet ſuperbię, infidelitatis,

litatis, gulæ, curiositatis, &c. solum tamen eos reprehẽdit, quod ex ligno, de quo præceperat, ne comederent, comedissent, siquidem in eo omnia continebantur. *Genes. cap. 3. Lud. de Ponte l. c.*

Addo ad prudentiam Confessarij, & Parochi illud etiam spectare, quod tradit. *Sanch. l. 2. de matrimonio. d. 38. num.* 11. cum ait, Prudenter agunt Confessarij, dum nõ omnia ad quæ pœnitens tenetur, simul ac prima vice aperiunt, ne deterritus omnino à confessione abstineat; sed paulatim debent eum docere illa ad quæ tenetur: plus enim interdũ dissimulatio ad tempus valet, quam furiosa, & importuna correctio.

Ad secundã quæstionẽ dico, ipsum Dionysium lethalis culpæ reum factum esse, & illius infirmi animæ necatorem, seque ab omni prudentia alienum ostendisse, quãdo enim periculum est in mora, & æger in extremis laborat, sufficit vt voce, vel nutu aliquod mortale, vel veniale peccatum explicet, vt pœnitens absolui possit, & si confessionem perficere nequeat; siqua namque est causa diuidendæ confessionis nulla maior esse potest, quàm impossibilitas, quæ à natura procedit, nec satis est respondere, quod tunc cõtritio illi sufficiat, nam euenire posset, ut tantum esset attritus, qui calore sacramenti contritus fieret, & salutem assequeretur. *Graffius l. 1. cap 26. n. 5. vt attigi infra c. 18. q. 84.*

QVAESTIO LXXVII.

AN REGVLARIS, QVI INVITO SVO Superiore, cum Episcopi tamen approbatione confessiones audit licite, & valide absoluat.

ANdreas Sacerdos regularis, cum à suo Superiore auersum animum habeat eò quod ob qualdam sibi apparentes rationes indignum puter, ob id illum contẽnens, eo incõsulto à Vicario Episcopi facultatem audiendi confessiones in ecclesia sui ordinis obtinuit, & multorum secularium confessiones audiuit, & tempore Iubilei monialium etiam Confessarius extitit, quæritur, an lethaliter deliquerit, & factæ cõfessiones validæ sint, & quomodo cum illo agendum est? R. *D. Thomas. 2. 2. q. 63. art.* 3. In Prælatis virtute prẽditis duas personas honore, & reuerẽtia dignas agnoscit, Alteram propriam scilicet virtutem, quæ ipsam reuerentiã meretur: Alteram Dei & communitatis cui præficiuntur, eo quod dignitatem, atque excellentiam habeant, qua Deum referunt, cuius vices gerũt. Hanc autem reuerentiam religiosus subditus interius, exteriusque præstabit, Interius quidem si Prælatos maiores agnoscat, si dignos honore iudicet, si ex aio, & volunrate se submittat. Exterius vero si illis consueta reuerẽtiæ, ac subiectionis signa exhibeat, illis obtemperet, & non solum opere, sed & voluntate, & iudicio se subdat, quoties nihil Dei præceptis contrarium iniungunt. Quidquid enim Prælatus, aut expresse non dictauit, aut si sciret, gratum, ac ratum non haberet, tanquam germen propriæ voluntatis suspectum habendum est.

Et licet subditus ætate, doctrina, eloquentia, rebus gestis, natalium claritate, ac religionis professione Superiorem antecedat, aut æquet, attamen, quia hoc tpe Superior est, & nũc lc cum Dei tener, honor, reuerẽtia, & obediẽtia subtrahẽda nõ sunt.

Vnde ad quæstionem dico, regularem approbatum ab Episcopo, valide confessiones secularium, non autem fratrum audire, etiam si Prælatus id interdixerit, & solum ab eo ad audiendas virorum confessiones, nõ autem mulierum approbatus esset, sed ab Ordinario simpliciter, & absolute esset admissus. Non tamẽ priuilegijs religionis ei cõcessis quò ab absoluendos seculares à casibus reseruatis, vel dispensandum super vota vti posset, &c. & obedientiæ leges violabit, ac tanquam inobediens ab eo puniri poterit. Secus esset, si ab eodẽ suo Præfecto excommunicationis, vel suspensionis censura affectus esset, quandoquidem excommunicati, ac suspẽsi à iure prohibentur, ne actu iurisdictione potiantur; vel si cum ad virorum tantũ confessiones audiẽdas esset ab Epo admissus, mulierũ & seculariũ, & sanctimonialium confessiones excepisset, cum limitata causa limitatum producat effectum. *Anglef. in flor. theolog. 9. de confessione. difficult. 8. Graffius l. 1. Decis. aur. cap. 13. num.* 88. *Molfes. tract. 7. cap. 1. Rod. tom. qq. reg. quæst. 28. art. 1. Nald. v. monialis.* Idem *Molfes. tract. 7. cap. 14 num.* 85. *Vide infra tract. 15. cap. 3. quæst. 4.*

QVAESTIO LXXVIII.

QVOMODO SVPERIOR REGVLARIS QVO ad excessum, & defectum in officio suo peccet, &c.

EVsebius cuiusdam monasterij regularis Præfectus, cum sit iuuenis, violẽto imperio in sibi subditos vtitur, æqualitatẽ non seruat, tãtum enim vni, vel duobus tribuit, vt alios negligere videatur, senum, & imbecillorum rationem non habet, Zelotypus est, & nimis suspicionibus deditus, regularis disciplinæ obseruantiã in alijs anxie quęrit, cum tamen sibi ipsi plus satis indulgeat, segnis sui exactor, quæritur, an mortaliter peccet, & quid illi à suo Confessario consulendum sit? R. Suppono omnem monasterij potestatem apud Prælatos residere, non solum in his, quæ monasterij commodum, & tẽporale regimen spectãt, sed in illis etiam, quæ ad spirituale incrementum, & ad iurisdictionem pertinent; nam cum religio quædam sit schola medio

dio Superiorū magisterio perfectionem ad discentium, omnino necessarium fuit, vt apud religionis Prælatos huiusmodi iurisdictio resideret, qua & suorum subditorum conscientijs consulere possent, verbum Dei proponere, sacramenta administrare, & reliqua media ad propositam sibi perfectionem conducentia ex officio applicare; quibus etiam iudiciaria potestas adiungitur. Ex quo constat, triplicem iurisdictionem eis competere. Primo œconomicam circa res monasterij temporales. Secundo mere spirituale, versantem circa res interiores, quæ ad spiritualem profectum conducunt. Tertia est huic annexa, & affinis, correctionem respiciens; quę iudicialis potestas dicitur. *Thomas. à Iesu ord. discal. in cap. non dicatis. 12. quæst. 1. p. 3. c. 10. dub. 3.* Quo facto supposito, dico quod bene religiosis domibus esset, si illa D. Gregorij sententia seruaretur, Tales erga subiectos nostros debemus existere, quales nobis si subiecti essemus, nostros vellemus esse Prępositos, &c.

Scitum est illud Oratoris Domitij enuntiatum, Cur ego te habeam vt Principem, cum tu me non habeas vt Senatorem? *c. quorundam. dist. 74. Graffius. in Append. l. 4. cap. 3. cap. esto subiectus. dist. 95.* Hinc 4. *Reg. cap. 2.* dicit Eliseus ad Eliam, Pater mi currus Israel, & auriga eius: Prælatus qui pater dicitur debet esse vt auriga, vt subditos regat, & currus, vt onera portet, & ita imperet suis, vt imperari sibi superior desiderat. Nulla melior, tutiorque regendi regula, nulla prudētis gubernationis certior commonitio est; hæc illum ad omnem ducet mansuetudinem, iracundiæ motus frænabit, fastum qui iuuenis Prelati proprius esse solet, compescet, punitionis rigorem moderabitur, paternum paremque in omnes affectum instillabit, senes, ægros, laboribus fractos diliget, fouebit, ac illis deferet. Bene in hanc rem. *D. Chrisost. hom. 3. ad Pop. Ant. Io à Turrecrem. in reg. D. Benedicti. cap. 64. D. Anton. in 3. p. tit. 19. cap. 11. §. 6. Bussus. de officio. can. cap. 11. Seriban. de relig. guber. l. 2. c. 1. & de medico. relig. l. 1. c. 8.* Non opus est multis sermonibus, neque prolixis legibus, nec varia doctrina, voluntas tua sit lex; Vis beneficia capere? confer beneficium alteri, vis misericordiam consequi? miserere proximi, vis laudari? lauda alium, vis amari? ama; vis partibus primis potiri? cede illas prius alteri.

Fuit semper communis SS. Patrū consensus, qui boni regiminis præcepta tradiderunt, tām ratione eorum qui præsunt, quàm eorum qui reguntur, bonam gubernationem in amore potius, quàm in seueritate, & timore positam esse. Hinc *D. Isid. in Synon.* Superiores, & Prelatos instituēs de beneuolētia potius à subditis cōcilianda, q̄ de timore incutiēdo admonet, Talē, inquiēs, te redde subditis, vt magis ameris, quā timearis, reuerentia. n. ex amore procedit, odium vero timor, & ea est efficit humanæ naturæ conditio, vt amore potius, quàm seueritate vincatur.

Nullum animal morosius homine, nullum maiori humanitate tractandum quàm homo, ait *Seneca. l. 1. de clementia.* Rosę mollitiem si molliter extremis digitorum delibes, flagranti nares perfundit odore, si fortiter premas, acutis spinis pungit. Basilicon naribus leniter admotum cerebri spiritus reficit, duriter tritum scorpionem ingenerat. Naturali insito amore nos magni fieri gaudemus, & vt amorem mutua beneuolētia demereri studemus, ita odium pari auersatione mulctamus. Et sæpe vel apud animalia ratione carentia plus proficit palpus, quàm fustis, & hoc non iucundiorē tantum sed & fœcundiorem vitam facit, siquidem vt ille ait, Amor genituram conciliat, &c.

Sicut ad populorum Præsides, ita ad quoscūque alios, qui aliquam in hac rerum vniuersitate præfecturam gerunt pertinet, diū secum meditari à Deo esse quam habent potestatem, ex *Apost. ad Roman. cap. 13.* vt merito etiam Ethnicus dixerit, Ex Ioue sunt Reges. Item se in suo genere eiusdē vices agere, cui sub vitæ exitum oporteat exactissimā totius villicationis rationem reddere, atque ita nihil esse vnde supercillium attollere debeant, multum vnde sibi metuere. Rectorem te posuerunt, ait diuinus codex. *Ecclesi. c. 32.* nōli extolli, sed esto quasi vnus ex illis, non vtique quò ad exteriorem conuersationem, in qua necesse est moderatam grauitatem colere, ne contemptui apud inferiores sit, sed quò ad interiorem de se sentētiam, cuius erit suggerere, se multis melioribus imperare, indignū esse tali eminentia, Deo gratias agendas, cuius prouidentia sibi nunc dictum est, Ascende superius. Cauendum etiam ne ab officio aberrans mala in se referat, ac contra se summū illum mundi Rectorem exstimulet, in promptu habētem, etiam minimum acceptæ potestatis abusum vlcisci. Cauendum denique ne dignitas illa præcipitij sibi occasio sit, ne sublatus in altum lapsu grauiore ruat. *Chauas. de perfect. prud. l. 2. cap. 12.* Debet quidem Superior honorem sibi delatum cum dignitate tueri, sed non ita eo inebriari, vt qualis ipse reuera sit non obliuiscatur, Honores sæpe mutant mores, sed vt vulgo creditur raro in meliores, quod ex eo accidit, quia plus de nobis quàm sit opinamur, & honorē dignitati delatum nostris meritis non Deo tribuimus, vt asellus ille Isidis sacra ferens, qui ob id intumescens & loris percussus a gasonem sibi dicentem sensit, Non tibi sed religioni. *Aleiat. emb. 7. Tholos. de repub. l. 4. c. 10.* Certe *Cordubensis. in exposit. reg. D. Frāc. quæst. 3.* inter causas ob quas religiosi ordines à perfectione deficiunt, illam etiam ponit, cum ordinis regimen ad hos iuuenes deuoluitur, qui ne-

sciunt

sciunt docere, quod non didicerunt, & cum in sustentatione,& honoribus æque benemeriti,ac malemeriti tractātur. Remedium à reformatione petendum est, à summo capite descendens, sicut vnguentum quod à capite descendit .f. Summo Pontifice in barbam videlicet Generalis Præfecti,deinde in aliorum Prælatorum brachia, ita enim in vestimenta corporis. Aaron .i. totum cætum defluet.

Vnde dico ad iudicandum, & determinandum an iste Superior lethaliter peccet, considerandum esse, an cū Dei, vel proximi notabili læsione sciens hæc vitia admittat, nam cum de mortali peccato quæritur, periculose definitur, nisi expressa veritas habeatur. *D.Thomas. Quolib.9.art.15.*

Et vt cognoscamus, quatenus humana capere potest imbecillitas,num aliqua operatio,vel omissio mortalem, vel venialem culpam inuoluat, notanda est illa communis regula, an huiusmodi hominis operatio, vel omissio voluntaria sit, deinde, an in re graui, vel leui charitati aduersetur, &c. *Molfes.tract.1.cap.18.num.18.*

CAP. XVII.

QVAESTIO LXXIX.

QVOMODO, TAM IN COMMITENDO, quàm in omittendo vrbis Gubernator in officio suo peccet, &c.

CVm triplex sit,vt DD. aiūt,superioritas,quæ in hoc quarto includitur præcepto, oeconomica,spiritualis, & politica, & de duabus aliquid hucusque attigerimus, superest vt de tertia,quę ad reipub. regimen spectat nonnihil addamus, talem vel similem primo loco interrogationem, vel quæstionem seu casum formando.

Lactantius cuisdam vrbis Gubernator, permittere solet, vt turpes comoedię, & obscœna ludorum spectacula in vrbe instituātur,in quib. lasciuæ mulieres in bonorum morum corruptelam in scænam prodeant, quibus etiam ipse aliquando cum nonnullis de Magistratus numero interesse consueuit.

Item sinit vt quę ad humanū victum pertinēt,vt frumētum, & vinū,carnes, pisces,ab aliquib. ciuibus ab vrbe extrahantur, & in alienā ditionem,vbi carius vendentur, transferantur, propter quod in proprio populo penuria inducitur. Eius aures pauperum, & miserabilium personarum querelis non patent,& cum adeunt,semper de occupatione causatur, nobilibus tantum, & optimatibus facilis est aditus. Quęritur an mortaliter peccet,& quomodo cum eo se gerere debeat Confessarius? R. Vere Plinius in Paneg.Traiani. Vita, inquit,Principis censura est,eaque perpetua,ad hanc dirigimur, ad hāc cōuertimur.Siquidem Principem,Gubernatorem, ac Magistratum decet nō se bonum duntaxat præstare, verum etiam pro subditis diligentiam adhibere,vt quàm optimi sint futuri. Quippe hoc fine, vel sæcularis eligitur Princeps, vt per ipsum ciues bene, beateque viuant. Vt enim Boni pastoris est gregem bene pascere; sic ad bonum Rectorem spectat, vt diligenter ciues sibi commissos gubernet, omniaque legibus prohibeat,quæ in reipub. perniciem vergere videntur;quales prædicti abusus profecto sunt.Omnis Superior,& Præfectus,omni pror sus hora paratus esse debet, suorum necessitatibus audiendis,nullum illi tempus importunum.Alciatus misit emblema ad Maximilianum Mediolani Ducem,quo indicat,quanta sit vis concordię,sumpta cōparatione à lyræ temperato, aut cōfuso concentu, ea enim constans ex summis,medijs,& infimis chordis, concinnā reddit harmoniam,si tamen eam vir artis peritus aptauerit.Eodem quoque pacto Respublica ex oīs variæ, ac diuersæ conditionis hominibus composita, firma, ac concordi pace ligatur,si modo Principem idoneum habuerit,qui & consilio,& vsu rerū valeat,quique beneuolentiam, assensum, & commune pacis vinculum inter ciues fouere norit. Delphinus etiam ob magnā in filios charitatem boni Principis typus est,qui in suos paterno animo esse debet, & assidue subditorum incolumitatem procurare,alioqui non Rex, vel Princeps sed tyrannus est, vt in Politicis Aristoles auctor est. Iudices patris nomenclatura honorantur, vt sicut pater filium ab insidiantium laqueis tuetur,ita Principes,& Iudices subiectos ab hostilibus incursibus defendant. Ideo olim apud Romanos Senatores,& Magistratum gerētes patres conscripti dicebātur,quò erga populum subditum paternum animum inducerent. Vnde & *D. Bernard. super cant. serm.23.* Discite,inquit,subditorū vos matres esse debere,non dominos,& si interdum seueritate opus est paterna sit, nō tyrānica,&c. Hinc resoluit. *Marc.Ant.Genuef.Pract.Eccles.Tric.21. quæst.618. ex sententia Io. Francisci. de Ponte in tract. de Pro rege, & aliorum DD.* non incurrere in excommunicationem Principes prohibētes extractionem frumēti, & aliarum rerum ad victum spectantium, & delationem ad Romanam Curiam, quando proprius locus, & populus penuria laboraret, nec Roman. Pontifex, & eius curia sic indigeret, quandoquidem prima charitas à se ipso,& proprio grege incipere debet. *l.præses.vbi gloss. Salycet. & Bald.C.de seruit.& aqua.* Atque ita etiam tenēt. *Vgol. super Bullā Cœnæ Domini.c.8.§.4.& Duard. l.2.can.8.quæst.4.Vide infra tract. 10.c.1.quæst.1.* Patrem se cogitabit Præses, ac matrem, quorum Ostia reserata sunt filijs, quorū necessitatibus pietas,ac vbera pateant,nec patrem tātum, sed & Pastorem,

ftorem, vt fuper commiffo fibi grege inuigilet, ac confideret,non tantum fe charitatis, fed & iuftitiæ legibus teneri; vt proinde concludendum fit, hunc Principē,qui turpes comœdias,vel fpectacula non folum nō prohibet,verum cum malo populi exemplo intereft, & annonam cum tanto eiufdem gregis detrimēto extrahi finit, & pauperib. fe adeuntibus fuis miferijs, & malis remedium petentibus, adeò difficilem aditū præftat,& multorum incommodorum fubditis caufam præbet,à mortali culpa non excufari.*arg. Bonac.de leg.d. 6.quæft.1.p.8. Vide à nobis dicta in Comment. de hum. vit. ftat.p.2. p.1. cap.3.& cap. 14.*

QVAESTIO LXXX.

AN LANIVS PRAESCRIPTVM CARNIBVS à Superiore pretium non feruans, & de eius malo regimine obloquens mortaliter peccet, &c.

MArcus Lanius cum Gubernator fimul cum aliquibus vrbis Decurionibus, pretiū carnibus, quæ vendi folēt,præfcripfiffet, latam legem non feruat eo prætextu quod pretium illud iniufte fit impofitum, quod nil lucretur, & fe indemnem aliter feruare non poffit. Quò etiam fit,vt de malo regimine conqueratur, obloquatur, & linguam in detractionem, & maledictionem Superioris laxet, quæritur,an peccet mortaliter,& ad aliquam reftitutionem teneatur,& quomodo Confeffarius cum eo fe gerere debet? R.Cum parentum nomine non ij tātum accipiendi fint,per quos factum eft, vt lucem hāc afpicerimus,verum etiam omnes,qui alijs præfunt,fiue ecclefiaftici,& religiofi,fiue fæculares fint,cum obferuātia fit virtus qua eos colimus, qui præter parentes nobis præfunt, & ob fuas dotes feu infufas,feu naturales, rempublicam adminiftrant, quibus proinde duplex honor debetur, alter vt ipforum mandata adimpleantur,alter reuerentiæ,vt eos tāquam patres honore profequamur, & eorum difciplinam æquo animo feramus. Hinc fit, vt ifte lanius tùm obedientiæ,ftatutū pretium excedēdo, tùm honoris & reuerentiæ,detrahendo, & obmurmurando leges violet, & mortali culpa fe obftringat. Nifi tamē quò ad pretij taxationem omnes lanij,vel maior pars conqueratur, & euidenter ipfius pretij iniuftitia,& iniquitas appareat,tunc enim illud feruare non teneretur. Sicut etiam fi emptor carnem electam vellet, macellarijs ipfis integrum effet,aliquid pluris vltra taxationem recipere, ratione fcilicet laboris, aut damni, quod in refiduo carnis ex venditione fuftinent, fiquidem alia minus valet,& æftimatur. Eadem ratione dicendum eft, obfoniorum emptori licere aliquid liberaliter dare, vt ei libentius,& gratiofius vendatur, modo iniquæ conuentiones, vel falfa iuramenta cum ab Ædilibus interrogantur,non admifceantur. In dubio vero,an taxatio iufta,vel iniufta fit,omnino illi in foro confcientiæ ftandum eft, quoniam dum in ancipiti fummus, Superioris fententia particulari fubditorum exiftimationi præponderat, cum illius fit præfcribere,& horum fit parere. *Nau.conf.3.de empt.& vendit. Molina.de contract. difp.353.n.24. Rebellus.l.9.quæft. 10. Reginald.l.25.num.284.& feq. Bonac.de cont.difp.3.quæft.2.puncto.4. num.7. Graffius.l.2. Decif.aur.cap.57.arg. Sot.l.6. de iuftitia,& Iu.quæft.3.art.2. Io.Bapt. Corrad in refponf. cafuum.confc.quæft.51. Lopez. in Inftruct.confc.c. 192.Beta.p.1.cafu.64.Molfef.tract.11.cap.5. n.89. vt infra etiam diximus.tract.9.cap 3.quæft.4.*

A peccato ēt detractionis mortali Marcus excufari poffet,& ab onere famā reftituēdi immunis cēferetur, quādo detractio tantū,vt DD. loquuntur, materialis effet,fine praua intentione,& ex loquacitate,& paffione,de malo regimine,cuius notitia, & rumor publicus effe folet, obloqueretur, per ea quæ tradit. *D.Thomas.22.quæft. 73.art.3 vbi Bannes.Salon.& Arrag. Sayrus.lib.12. clauis reg.cap.6.* Certum eft enim Superiores, qui reipub. clauum tenent, effe quafi fignum pofitum ad fagittam,& multorum iudicijs, & odijs patere, & eorum actiones tanquē in fpeculo ab omnibus confpici, at cenfurā fubire.*c.qualiter.& quādo.el.2 ext.de accufat.* Atque huc fpectant Xenophōtis ad Principes monita.*l.8.Cypri.* Neq; enim vos Dij in tenebris operiunt, fed opera veftra neceffe eft femper in propatulo effe apud omnes, quæ fi pura & fine iniuria appareant, reddunt vos inter omnes homines potentiffimos,fin quid iniufti inter vos inuicem cogitabitis,fidei dignitatē apud oēs homines amittetis.

QVAESTIO LXXXI.

AN TVTOR POSSIT VOTVM PERSONALE pupilli irritare, & an pupillus teneatur tutorem pauperem alere, &c.

VIncētius pupillus in 13. annorum ætate conftitutus votum de ingrediēda religione D. Dominici emifit, quod quidē Leonardus eius tutor irritauit, qua irritatione nō obftante, vult illud adimplere. Nec non cōtractum ab ipfo pupillo initum fine eius authoritate, & iuramento firmatum vult refcindere. Item impubertate trāfacta, ipfe tutor in paupertatē incidit, ita vt quo fe alere poffit, nō habeat; quæritur an in primo cafu peccet, ei non obtemperando, & an ipfe tutor illum contractū infringere valeat; & in fecundo, an in foro confcientiæ pupillus teneatur illi cōgrua alimēta præftare? R. Cum apud oēs conftet, tutorem vtriufque fexus

posse omnia prorsus impuberū vota irritare instar patris, cui subinde parēris nomen conueniat, siquidem constans est Scribentium sententia, licere tutori pupillum à religione reuocare, multo magis illius ingressum impedire, qd' mater facere nequit, nisi sit filiorum tutrix. *Syl. in v religio. 2. num. 15. Molfes. tr. 11. c. 13. n. 17. & seq & tr. 13. cap. 10. n. 28.* Et cum ratione aliquarum rerum, moralis, & spiritualis generationis, ac gubernationis sit principiū, sequitur Primo, ob titulum reuerētiæ, obedientiæ, & subsidij, quæ ei debentur, ad vtrumque officium sub lethalis culpæ reatu teneri, idest non integrum ei esse, religionē eo inuito intra illud pueritię tempus ingredi. Secundo, Leonardum tutorē non posse. Vincentij pupilli contractum, siue onerosum, siue lucratiuum infirmare, eum iuramento quod facit de minore maiorem sit roboratus, vt ex communi tradit. *Sanchez. l. 6. de matrimonio. d. 38. n. 13* Tertio conficitur, vel peracta tutela non licere eidem pupillo alimenta in animæ foro tutori denegare. *Sanchez. l. 4 oper. mor cap. 35. num. 60. Surd. de alim. tit. 1. q. 47. Megal. prima. 2. p. l. 2. c. 22. q. 1.*

QVAESTIO LXXXII.

QVOMODO CHARITATEM, ET IVSTITIAM lędat tutor, qui christianis moribus pupillum non instruit, eius bona non conseruat, & quasdam eiusdem pecunias ad vsuram dat, &c.

PRæfatus Leonardus notabiliter negligens est in imbuendo, siue per se, siue per alium pupillo, bonis, ac christianis moribus, illumq; à vitijs, & peccatis præseruando. Secūdo, nō conseruat nec auget ipsius pupilli bona, sine necessitate, vel vtilitate alienat, ac distrahit, & ob suam culpam actiones quasdam amittit. Tertio, quasdam eiusdē pupilli pecunias cum vsurario lucro mutuo dat, quæritur, an in his tribus casibus tutor peccet mortaliter, & quodnam sit in his rebus Cōfessarij munus? R. Supposito, tutores proprie esse, qui principaliter dantur personæ, quæ propter ætatem se defendere nequit, & consequenter rebus, & 14. anno exacto completur. Curatores vero è cōtra dici, qui primario rebus, secundario autem personæ assignantur, & à 14. vsque ad annum 25. durat, dico, tutorem in huiusmodi casibus mortalem culpam admittere. Nam quoad primum haud dubium est, tutorē parentis instar, cui propterea ex huius quarti præcepti præscripto honor debetur, pupillum instituere debere. Siquidē sicut gypso madido statim vtendum est, quod celerrime siccetur: ita statim fingenda literis, ac moribus rudis ætas, priusquam rudior fingentis manum nō admittat. Totius reipub. fundamentum liberorum educationem dicebat Diogenes Pythagoræ auditor, quia facile est tenellos animos cōponere, & quasi sub pollice ad quoduis ducere. Nemo institui recte potest adolescens, qui nequiter fuerit educatus puer; nam vt radix indolem, ingeniumque arboris; sic bene moratam compositamque adolescentiam pueritia ipsa producit. Iacobus Saledeius: *lib. de rectē instit. puer.* Bonam consuetudinem à teneris ir ducere multum est. Primo, enim bonū facilius recipitur, qsiquidem tenera arbor non ægre dirigitur, & facile vestis rectam formā recipit, si nondū prauam susceperit. Secūdo, diutius cōseruatur, quia Quod noua testa capit, inueterata sapit. Tertio vtibus iugum virtutis portatur, fructus. n. primi temporis solent esse gratiores, &c. Quarto, Leulus sustinetur iuxta illud,

Quod male fers, assuesce, feres.

Quinto, tandem iucundius geritur, dicente Seneca, Optima forma viuēdi eligēda est, quam iucundam reddit consuetudo.

Quòad secundum munus illa pariter certa est assertio, tutorem, & curatorem teneri ad damnum culpa sua eueniens, quòd si cum tenerentur, & possent, negotiari omiserūt, fas est pupillo tot pro centum ab eis accipere. *Bemius. cons. 137. Rip. obser. 48. Tholos. in synt. Iu. l. 12. cap. 3. Nau. cap. 25. num. 66. & seq. Rebellus de obligat. Iust. p. 2. lib. 17. quæst. 1.* Quod ad tertium casum attinet, explorati pariter iuris est, cū tutor, vel curator pupilli pecuniam ad fœneratitium lucrum dederint, mortale confiteri se peccatum coniunctam habens restituendi obligationem; quàm restitutionem, si pupillus cui illud accreuit, non faciat, tutor ipse, vel curator illam subeat, licet ad seruandum se indemnem, seruatis debitis conditionibus compensatione vti possit. *Reginald. l. 20. cap. 5. num. 56. Molfes. d. tract. 13. c. 10. num. 25. Tuschus in v. Tutor. concl. 438. Grat. in For. Discep. cap. 240. Syl. & Tab. in v. tutor. dixi in Comment. de hum. vit. Stat. p. 2. cap. 26.*

CAP. XVIII.

QVAESTIO LXXXIII.

SCHOLASTICVS CONTRA CATHOLICAM veritatem à sacris Doctoribus, & à Magistro suo edoctam contemptim altercans, & fraudulenter collegium ingrediens; ac alimenta eidem suo Magistro pauperi denegans, an mortaliter peccet, &c.

SYlvester scholasticus collegialis naturali Philosophiæ studens, contra veritatem ad catholicam fidem pertinentem, quam vt christianus à pueritia hausit, & quam à suo magistro Philosopho pluries edoctus est, cum spernens pertinaciter altercatur, puta animam in via Aristotelica

telica esse mortalem, Et cum Institutoris voluntas fuerit, vt collegiũ ingressuri sint pauperes, ipse aũt sit diues, antequam collegiũ ipsum intraret, ne diuitiarum possessio illi obstaret, reuocabilem donationẽ fecit, nimirum vt omnia donata ei reddantur cum ab illa Academia exiuerit. Item cum cõfectis studijs, ad honorificam quandam, & lucrosam dignitatem sit euectus, suo Magistro ad extremã penę necessitatem, & inopiam redacto opem ferre recusat, quæritur, an in his tribus casibus mortaliter peccauerit, & q̃d consulere ei dẽt Cõfessarius, &c?

Resp. Procul dubio scholasticus iste contra pietatem Deo, & magistris debitam lethaliter deliquit. Primo, cõtra Deũ peccauit, cum per catholicam ecclesiam declarauerit animas ab ipso creatas mortis expertes esse, ac proinde Philosophos in vniuersitatibus generalium studiorum legentes teneri fellere debere opiniones à christiana fide aberrantes, nec contra agnitas veritates disceptãdum esse, vt patet in Bulla Leonis X. *Incip. Apostolici Regiminis.* Quinimo si sit pertinax, & contra id q̃d sancta docet ecclesia, asserere ausus fuerit, animã cum corpore interire, hæresis labe infectus censendus est, &c. *Nau in Man. Præl.* 1. Pietatis etiam magistro debitæ legẽ violauit, cum preceptori idem honor, & eadem fere reuerentia quæ parẽtibus exhibenda sit. *D. Thom. 22. quæst. 102. art. 1. D. Ant. 3. p. tit. 5. cap. 2. §. 11.*

Quod officium S. Ennodius agnoscens dicebat, Genuisse libidinis testimonium est, erudiuisse pietatis. Hinc Plato, vt refert. *Lact. l. 3. diuin. Instit. c. 1.* aiebat, se gratias naturæ agere. Primo, quod homo natus esset, potius quàm brutum animal. Secundo, quod masculus, non fœmina. Tertio, quod græcus, nõ barbarus. Quarto, quod Atheniensis, & tempore Socratis sui institutoris. Sic Hipocrates in formula iuramenti quod à discipulis exigebat, illam in primis præceptionem posuit, se parẽtis loco Doctorem medicũ habituros. Aristoteles. *l. 1. Eth. c. 6.* antequam cõtra Platonis ideas insurgat, commendabili quadam ratione se excusat dicens, quod quamuis sit amica, & sãcta persona illius, qui ideas intraduxit, illiusque honori multum deferendum sit, sanctius tamen est, honori veritatem anteferre. Hoc discipulorum debitum adeò in animo Theodosij senioris insidebat, vt iusserit Arcadiũ, & Honoriũ filios, corã Arsenio Magistro dum docerẽtur astare, &c. Cunque aliquando sedentes illo stante deprehendisset in schola, grauiter eos obiurgauit. Hinc tantopere cõmẽdatur memorabile Gratiani Imperatoris dictum, qui grati animi causa conferẽs Ausonio magistro suo consulatũ, dixit, se soluere q̃d debebat, & adhuc debere q̃d solueat. *Niceph. l. 12. hist. eccl. c. 23. Auson. in act. grat. ad Grat.*

Secũdo clare cõstat, Syluestrũ grauiter, & charitatem, & iustitiam læsisse, cum per fraudem paupertatem fingẽdo, & dolosam donationem faciendo tale collegium ingressus est, vt proinde omne damnum illi Academiæ illatum restituere teneatur, secus vero dicendum esset, si donatio illa esset omni modo inter viuos, & irreuocabilis, vt ex *Nau. & Lopez. ait Rod. p. 1. c. 45. & Fernãd. p. 4. c. 5. §. 5.*

Pietas quoque tertio loco ab hoc discipulo sub reatu mortali lęditur, qui ei in necessitate cõstituto subsidium denegat, cum tàm in foro cõscientiæ, quàm de iure ciuili discipulus cum potest, inopem, & egenum magistrum alere teneatur. *l. 2. §. fin. ff. de orig. Iuris. Innocent. in cap. 1. & 4. extr. de Magistis. Surdus. de alimentis. tit. 1. quæst. 53. Megal. l. 2. Inst. Conf. c. 22. q. 2. Vide de hum. vita. stat. p. 2. c. 11.*

QVAESTIO LXXXIV.

AN SENEM DERIDENS, SVBSANNANS, ac ad iracundiam prouocans, vnde mortuus est, p. m. & irregularis factus fuerit, &c.

BErnardus adolescens nobilis habet in domo Georgium Senẽ pene octuagenarium, quem cum patris sui præceptor, & magister fuerit, ex testamentario ipsius patris præcepto dum viuit apud se tenere, alere, & omnia ad victum, & vestitum necessaria suppeditare tenetur. Et cum proprium adolescentiæ vitium sit leuitas, linguæ incontinentia, & contemptus, ac contumelia, multoties ipsum senem aliquando more decrepitæ ætatis delirantem irridet, contemnit, ac iniurijs, conuicijsque lacescit, & ad grauẽ iram illum data opera prouocat; p̃p quod, vt inquiũt medici, symptomate quodam correptus, paulo post extinctus est. Quẽ Parochus & ipse senex, ab ipsius Georgij familia subito vocatus, sensibus destitutum sub conditione absoluit, etiam si nullum pœnitentiæ signum dare potuerit, quæritur, an mortaliter peccauerit, & irregularitatis labem contraxerit, &c. & an Curatus sic absoluendo benefecerit?

R. Senes demũ ex vi quarti p̃cepti decalogi honore dignos esse, cõis est DD. sentẽtia, iuxta illud celebre Philonis pronũtiatũ, Reuerẽtia erga seniores, & cura talis sit, qualis esse potest germanorũ liberorum erga parẽtes. Quam veritatẽ omnium gentium, atque nationum consensus natura duce confirmat. Insignes erant in hoc officio Lacedæmonij teste *Cicerone l. de senect.* apud quem Lysander dicere solebat, Lacedæmone honestissimum esse senectutis domicilium, nusquam enim tãtum tribui tur ætati, nusquam senectus honoratior, addit que viguisse semper in ea Ciuitate optimam iuuenum educationem, & seueriorem morum disciplinam: vt propterea argumentũ sane ruentis reipub.

grauissime laborantis videatur, quando in ea tantum malum obrepit, vt aut senes derideantur, aut contemnantur. Senes quoque laudantur à Valerio Maximo *l. 2. cap. 1. & Callestrato. I. C. in l. semper ff. de iure immunit. Thoma. à Iesu. de stat. monach. p. 3. cap. 8. Tiraq. in præfat. de iure primog. Palaot. in tr. de bono senect. Ias. in l. cũ quid ff. si cert. pet. Alex. cons. 4. & à me in Comment. de hum. vit. stat. p. 1. c. 3.*

Et omnes nationes, tàm animo impressam hanc opinionem habebant, vt apud eas ipsum nomen senis, & senectutis honoris nomẽ fieret. Apud Hispanos hoc nomen senior significat Dominũ, ac Principem alijs imperantem. Et in priuatis domibus multis in locis obseruari videmus, eos qui familiã regunt, & quibus reliqui parẽt, vt plurimum seniores esse, & communi vocabulo Reggitores appellari, quod ipsi Regum instar omnes domesticos in officio contineant. Homo .n. senior maiori sapientia, rerum experientia, probitate quàm iunior pollet: Adde ob multa priuilegia senectuti concessa etiam si vt humana aliquando fert conditio, senex deliquisse repetiatur, nõ esse torquendum, cum 60. annos excedit, nisi tamẽ sit robustus, &c. Et semper mitiori pœna plectendum esse. *Clarus. §. fin Praxis crim. quæst. 60. & 64. Tiraq. de temp. pœnis. quæst. 8. Farinac. quæst. 92. eodẽ tit. Sfort. Oddus. de in integ. rest. p. 2. q. 80. n. 109. Tusch. in v. senectus. cõcl. 102.*

Hinc & Plato. *lib. 3. de legibus. & 5. de repub. &* Aristoteles. *l. 7. Pol. cap. 14.* Constat, aiunt, seniores imperare oportere, iuniores aũt subesse. Et Plinius auctor est, in grege Elephantorum maximum natu agmen ducere. Quod de formicis quoque in *l. 6. de anim. c. 42.* tradit Ælianus. Cõsentit. *D. Thomas 22. q. 63. art. 3. & Gloss. in cap non est de reg. Iu. in 6.* qui senectutẽ signũ uirtutis nuncupãt, aiuntq; inter maiorem, & minorem reuerẽtiam intercedere, quæ est obseruantiæ actus, & senes propter hoc signum, & argumentum honorandos esse, licet quandoque uirtus deficiat. Cato apud Ciceronẽ *de senect.* refert Senatum à senibus nomen mutuatũ esse, quod & testatur *Ouidius. l. 3. Fast.*

Magna fuit capitis quondam reuerentia cani,
Inque suo pretio ruga senilis erat.
Nec nisi post annos patuit tunc curia seros,
Nomen & ætatis mite senatus habet.

Senectẽ non esse irridendã, minusque contemnendam, sed potius reuerentia, & honore afficiendam innumeris diuinarum scripturarum authoritatibus monemur. Vnde Dominus *Leuit. c. 19.* Coram capite cano consurge, & honora personam senis, & *Sap. cap. 4.* Senectus venerabilis est, &c. Et merito Cato,

Cum sapias animo, noli irridere senectam,
Nam cuicunque seni sensus puerilis inhæret.

Quò sit vt nonnulli hunc extremum humanæ uitæ gradum considerantes, absolute malum, ac miserandum esse pronuntiauerint, cum illa tria bonorum genera, honestum, utile, & iucundum, quibus uniuersa omnia, quæ optari possunt, comprehendi solent, minime huic ætati conuenire arbitrati fuerint; non honestum, cum senectus sit omnis fere officij expers, non utile, cum ætas illa aliena potius ope indigeat, non iucundum, cum senes perpetuo in labore, & solicitudine uersentur. Cõtra uero noxia omnia, & aduersa, quæ ad tria capita sũmatim redigi consueuerunt, animi scilicet, corporis, & externa, in senectam tãquam propriam sentinam, ac miseriarum uallem deriuare conspiciantur. Cuius & uaria incommoda insinuauit Carolus V. nã cum Philippo filio Imperij habenas committeret, totus infletum abijt, dicens, Ne miremini, sunt namque & hæc senectæ perpria, facile lugere, &c.

Insignis est ingratitudo in eos qui strenue laborarũt, dũ uiribus pollebãt, ubi aũt senuerũt, velut inutiles contẽnuntur. Exprobrauit hoc, vt est in apologis, hero suo canis uenaticus senio confectus, Iuuenem amasti, senem odisti. Gratior in Bucefalum equum suum Alexãder Magnus, stabilẽ annonam seni cõstituit, & fructuosæ iuuentutis gratia senem dilexit, & fouit. Aelius Adrianus Romæ ueteranis Doctoribus opes contulit, ac uacare uitæ reliquum iussit. Hinc *Climac. de discret. gradu. 26.* Exhortare, inquit, senes scientia, & actione claros, qui corpora sua in exercitatione cõtriuere, modicum sibi quietis indulgere.

Sic Superior religiosus senes, ac laboribus fractos uenerari, ac colere debet, illorumq; sedulo necessitatibus occurrere, atq; pia manu eos pro ætate quãtum religionis moderatio patietur, indulgentius habere, ut patris, non Iudicis, aut hostis aĩo, & pectore, illos soletur, ac foueat, & iuniores animet, calcarque ad labores subdat, cum uiderint senectutem in honore, ac ueneratione esse. Et sane durissimum est, post ætatem in religione transactam, post ualetudinem laboribus, & sudoribus extritam, studijs, uigilijsq; emedullatam, morosum, difficilemque pati Superiorem, soloque præsentium emolumento, præteritorum obliuione res metiẽtem. Nascuntur hic mœrores, quibus tãquam ingenti mole oppressus succumbit animus, & intus conceptus dolor, postquam intima depastus, est tabescentem animam è statione sua excutere solet.

Proinde ab hac impietate caueat Præfectus, non tàm alijs, quàm sibi consulens, mos enim Dei est graues ætatis huius gemitus audire, nec irrita dolorum uota pertransire, paribusque demum molestijs exercere. Propterea B. Antiochus *hom. 109.* ait, Reuereri senes, eisque debitum honorẽ deferre, Deo acceptum esse, hominibus commendabile, nobisque utile; quia si iuuenes moriemur, mercedẽ a

Deo

Deo recipiemus; sin ad senectutem peruenerimus, nobis à iunioribus eadem reuerẽtia, & honor diuino permissu rependetur. Et si senectus aliquando deliret, non hominis, sed ætatis morbus est; animi enim virtus, quæ in se eadem creditur, pro organi corporei variatione alia, & alia videtur.

Nihil est tamen, quod senes angãtur, & animos despondeant, si ab impijs contemni, ac derideri videantur; nam vt scribit. *D. Ber. super illis verbis 2. Reg. c. 6.* Ludam, & vilior fiam, ludam .f. vt illudar. Bonus ludus, qui hominibus quidem ridiculum, sed Angelis pulcherrimum spectaculum præbet. Bonus nunquam ludus, quo efficimur opprobrium abũdantibus, & despectio superbis. Vide eum *Epist. 87.*

Vnde ad primã propositi casus quæstionẽ deueniendo, dico Bernardum istum adolescentem, qui senem Georgium ad grauem iram iniurijs, & conuicijs sæpe prouocauit, ob quæ interijt, à peccato mortali, & Irregularitate immunem non esse, cum eius crassa culpa, & negligẽtia mors sit secuta. Hæc enim actio ex se illicita, attentis circunstantijs conditionis personæ periculosa erat, & quodammodo ad casum ordinata, &c. *Viual. de Irregularitate ex homicidio. casuali. num. 247. Sayrus. de Irregularitate. l. 7. cap. 6. num. 13. Henriq. de Irregularitate. cap. 15. num. 5. Bonac. de Irregularitate. d. 7. quæst. 4. p. 7. Megal. 3. p. Instit. confess. l. 7. cap. 2. n. 107.*

Ad secundam quæstionem propositam dico, casum hunc in praxi frequentissimum esse ob infinita huius mortalis vitæ accidentia, quib. homines omni tempore subijciuntur, vt proinde quilibet, & in prima, secũda, & tertia vigilia, idest in pueritia, iuuentute, & senectute semper debeat esse paratus. *Luc. cap. 12. & D. Ant. 3. p. tit. 10. cap. 2.*

Propterea prudẽter sicut senẽ decet, egisse Parochus cõprobatur, cũ nõ solũ illorũ piam sententiam secutus est, qui tenent, absolui posse moriẽtem, qui nihil confiteri põt, sed tñ signa contritionis ostendit; vt pectus tundendo, vel Confessariũ vocando, seu similia pœnitẽtię signa pręseferẽdo; sed ẽt fauorabiliori illi opinioni adhæsit, quæ sentit absolutionis beneficium moribundo impendi posse, etiam si nullum confessus sit peccatum, nec Confessarium petierit, nec indicia exhibuerit, ex quib. actus contritionis, vel attritionis, argui possit, modo talis in mortis articulo constitutus christiano more viuere soleret, & bonus, ac fidelis hõ existimaretur, &c.

Quod quidem Doctorum placitum in praxi referunt amplexum fuisse Clementem VIII. Pontificem Maximum, ac prudentissimum virum, cum enim quidam ex fabrica. D. Petri præceps ruisset, & illum cadentem vidisset, absolutionem ei dedit, dicẽs, Si es capax, absoluo te à peccatis tuis, vt refert *Malf. tr. 7. cap. 5. nu. 48.* Quæ sententia illa sane ratione confirmatur, quod in necessarijs ad salutem tutior pars est sequenda, & certiori periculo occurrendum est; sed pœnitentiæ sacramentum sicut & baptismi, necessitate finis (vt aiunt) saltem in voto necessarium est, & morienti etiam in re opus esse, potest supposito quod de facto attritione tantum muniatur, quæ sine sacramento ad salutẽ assequendã non sufficit; & irreuerentiæ sacramenti, vel sacrilegij periculum, tùm conditione apposita, tùm auctoritate. DD. hanc opinionem tuentium, cessare dicitur.

QVAESTIO LXXXV.

VTRVM SENEX CORAM ADOLESCENTIbus obscœna verba proferens, animum prauis desiderijs contaminans, ac mulieri de pudicitia sollicitata asserens per peccata carnis non amitti diuinam gratiam, peccet mortaliter, & tanquam de hæresi suspectus sit ad S. Inquisitionis officium deferendus, & quomodo in hoc casu se gerere debeat Confessarius?

Hieronymus Senex septuagenarius cum in libidinis vitio vsque ad vitæ occasum insorduerit, & callum obduxerit, ex cordis abundantia non desinit coram adolescentibus, & fœminis turpia verba proferre. Imò ob effætas vires cum non possit turpitudinis actibus incumbere, dolet, quod non sit iuuenis, nec turgeant in sanguine venę, illud identidem Virgilianum cum multorum scandalo, & offensione efferens,

O' mihi præteritos referat si Iuppiter annos.

Quinimò cum quędã fęmina quã de pudicitia tentauit, illum obiurgasset, sæpius dixit, delicta carnis non esse peccata, nec per illa diuinã gratiam amitti, quęritur quomodo, tàm cum sene, quàm ista muliere, se gerere debeat Cõfessarius? R. Vere sunt aliqui, qui cum senes annorum diuturnitate sint, pueri tamen censendi sunt, quando scilicet perturbationum impetu aguntur, & tanquam iuniores viuunt; quos ideo Deus per *Isaiam. c. 65.* execratur dicens.

Quoniam puer centum annorum morietur, & peccator centum annorum maledictus erit. Et hos perstringit. *Apost. 1. ad Corinth. 14.* dum eos vocat pueros sensibus: vt merito Diogenes rogatus quid esset in hac vita calamitosissimum? responderit, senex indigens, & senex amatorius. Cui cõsonat Menander, cum dixit, senex amator summum est fortunæ malum; nam & si luxuria vt *Cicero lib. 1. off.* tradit, omni ætati turpissima sit, constat tamen senectuti hanc esse fœdissimam. Nec à veritate alienum est, qđ apud nostrates iactatur, vitia quadam esse, quę Deo, & naturæ, repugnant, hominibusque valde displicent, nimirum adolescentis ignauiam, inopis superbiam, & capularis senis libidinem.

Vnde & veteri prouerbio, Bis pueri senes dicuntur, non tàm propter deficientem in eis ex decrepita ætate mentis vigorem, quàm ob intemperatos, ac iuueniles quos referunt aliquando mores, &c. Quare apud sapientes ea solet esse regula, vt puer, & iuuenem, siue senilem animum non ex annorum numero, nec propter canos, aut rugas, sed ex actionibus ipsis æstiment; siquidem teste *Salom. Sap. cap.* 4. Senectus venerabilis non annorum numero computatur. Multi falso putant solam ætatem quomodocunque vixerint, eos venerabiles facere, quod à veritate alienũ est, sola enim virtus proprie hominem honore dignum reddit, ideo qui in senectute honore affici vult, debet in iuuentute ætatem suam laudabiliter transegisse. Nec seni sufficit, adolescentiæ suæ, & constantis ætatis præteritos labores, & merita recensere; nisi tunc maxime cum senectus aduenit, pietas, vigilantia, & probitas non solum in eo producatur, sed etiam alacrius augeatur, quò animus in senectute magis viget, minusque prauis affectibus permoueri debet, alioquin, vt dicebat Cato, eò res esset indignior, cum cæteræ partes ætatis bene transactæ essent, extremum actum tãquam ab inerti Poeta fuisse neglectum, quandoquidem senectus est peractio ætatis, tãquam fabulæ idest comœdiæ, quæ quinto actu clauditur. Vnde in bona senectute illi mori dicuntur, qui ad magnam satis senectã annos quietos, bonæ famæ, in sana cõscientia, ac Dei amicitia propagarunt. *Iustin. in Tob. c.* 14. *vers.* 14. *Holchot. super Sap. c.* 4. *lect.* 49. *Palaot. de bono senect. p.* 3. *Tiraq. in pref. de iure Primog.*

Propterea dicendum est hunc senem lethali noxa tùm malo desiderio, tùm prauo exemplo se contaminasse. *Sanchez. l.* 1. *de præcept. cap.* 2. *num.* 23. *Reginald l.* 11. *num.* 44. *Molfes. tract.* 8. *cap.* 8. *n.* 49. Et cum ob illa impia verba se de hæresi valde suspectum reddiderit, fœminam de turpitudine attentatam de iure astringi ad illũ violatæ fidei Censoribus denuntiandum, nisi probabiliter præsumere possit ex altera sua secreta admonitione, & fraterna correctione, corrigendum, tunc enim ex communiori DD. sententia, illam ante denuntiationem præmittere deberet; quod tamen attẽta senis, & fœminæ conditione, vix præsumi, ac credi potest. *Alphons. de Cast l.* 2. *de iusta haret. punit. cap.* 25. *Graffius. l.* 2. *decis. aur. cap.* 69. *num.* 18. *Lazarius de blasphemia. quæst.* 12. *num.* 45. *Genuens. in Praxi Neap. cap.* 23. *num.* 10. *Molfes. tract.* 7. *cap.* 24. *Naldus in verbo. accusatio. num.* 1. Vide supra *tract.* 7. *cap.* 2. *quæst.* 14. *& cap.* 6. *quæst.* 28. *& seq.*

Vtrum vero malus senex possit in vitæ postremo limine pœnitere, ac salutem consequi, sæpius à sapientibus dubitari contingit; qua in re sit illa resolutio, quod licet vulgo dicatur, quod peccata iuuenum prædicantur in quale, quia facile per pœnitentiam delẽtur, senũ vero delicta prædicatur in quid, eo qđ eis quasi substãtialiter adhærent, vt loquitur *D. Ant.* 4. *p. tit.* 14. *c.* 6. §. 3. attñ ẽt in vitæ occasu ad Deum conuerti, & saluari possunt, quamdiù .n. in homine manet peccandi potestas manet & pœnitendi vis, ad quam producendam duæ res faciunt, dolor de præteritis, & propositum vitandi in futurum, quamuis de ea confidere valde periculosum sit. *Nau. in c. si qs. de pœn. d.* 7. *Menoch. l.* 6. *præsũp.* 94.

ARTICVLI, QVAESTIONES, ET CASVS aliqui, qui formari in praxi poterunt super quintum Decalogi præceptum. Cap. XIX.

QVAESTIO LXXXVI.

QVID CONFESSARIVS CIRCA QVINTVM præceptum non occides interrogare debeat.

QVid interrogabit Cõfessarius circa quintum præceptum decalogi? R. Cum ad hoc quintum præceptum non occides, omnia peccata pertineant, quibus proximus in sua persona læditur, qualia sunt occidere, vulnerare, mutilare, abortũ procurare, verberare, percutere, opere ignominioso secum agere, non verbo, nam contumeliæ quibus proximus læditur, ad octauũ decalogi præceptum spectant; & homicidium, seu mutilatio, vel percussio quinque potissimum modis fiat, facto, cõsilio, mandato, permissione, auxilio, ad quæ peccata ea omnia reducuntur, quæ ad odium in proximum, inuidiam, scandalum vindictam, bellum, rixam, duellum, &c. tendunt, cum inquam hæc omnia ad hoc quintum mandatum reducantur. Confessarius super hæc capita interrogationes formabit. Primo, de homicidio, percussione, & causa, vel ope præstita. Secundo, de odio, ira, & inuidia, de quibus dixi supra. Tertio, de scandalo, & omissione fraternæ correctionis. Vt autẽ Romanus Catechismus admonet, Pastores, & Confessarij huius præcepti doctrinã fidelib. accurate persuadere debent ob summam vtilitatem, quæ inde manare potest, magna siquidem illa est, quę pacificis hominibus à Domino nostro proposita est fœlicitas, cum ait *Matth. cap.* 5. Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Ad pacificandas autem, & conciliandas hominũ voluntates nulla melior ratio iniri potest, quàm si huius mandati lex recte explicata ab omnibus, vt par est, obseruetur, quoniam tùm sperare licebit, vt summa animi consensione coniuncti homines, pacem, & concordiam colant, & lites, itas, rixas, bella, & cædes deuitent, quæ ab humana natura abesse debent, quandoquidem,

Candida pax homines, trux decet ira feras.

Et

Et licet hæc verba non occides. *Exodi. cap. 20.* valde generalia sint, omnemque occisionem comprehendere videantur, ea tamen sic accipiẽda sunt, vt nec ad plantas, nec ad animalia rationis expertia referantur, vt proinde iure merito quorundam hereticorum error damnetur, qui asserere audebant, animalium carnibus vesci non licere. Nec obstat. *Exodi. cap. 22.* occidentibus bouem, vel ouem proximi pœnam constitui; nam eius rei ratio non est, quod animal inculpare interfici nequiuerit, sed qđ damnum inde illatum compensandum fuerit. *D. Ant. p. 1. cap. 8. tit. 7. Castr. lib. 4. aduer. hæreses. in verbo: cibus. D. Thomas. 22. quæst. 64. art. 1.* Quod annotaui supra *tract. 6. capitulo. 14. quæst. 67. Vide etiam Sayr. l. 7. cl. reg. cap. 8. num. 1. Lessium. l. 2. cap. 9. Reginald. l. 21. c. 1. num. 2. Molfes. tract. 11. cap. 19. num. 1. Farinac. p. 2. tom. 2. l. 14. quæst. 119.*

Porro quam graue peccatum sit homicidium, & qua pœna in foro externo puniatur tradit ibi *Farinac. & Ioseph. Lud. Decis. 62. Clarus. in §. homicidium, & attigimus in Coment. de cas. reser. p. 2. c. 3.*

QVAESTIO LXXXVII.

Qvid sit homicidivm, et qvotvplex, an procurans abortum incidat in casum homicidij voluntarij, quem Episcopi reseruare solent.

QVæritur quid sit homicidium, & quotuplex, & an procurans abortum causa tuendi honoris cuiusdam nobilis defloratæ puellæ dicatur incidere in casum homicidij volũtarij, quẽ multi locorũ Ordinarij sibi reseruare cõsueuerunt. Et quomodo in praxi Cõfessarius se gerere debet? R. Homicidium esse iniustam hominis occisionem vel cæsionem, quod fit per separationem animæ à corpore, & in iure homicidium illud iniuste admissum volũtarium homicidium dicitur, etiam si animatus fœtus in matris vtero perimatur. Quandoquidem in Iure Canonico quoad pœnas cõtrahendas duplex est, scilicet volũtarium, quod ab aliquo vel per se, vel per alium deliberate perpetratur, & sic vt inquiunt DD. per se est interum, volitum, seu procuratum, & casuale, quod præter intentionem agentis contingit. *Nau. cap. 27. num. 240. Tol. l. 5. cap. 6. Bannes. Salon. Arrag. & alij. 22. d. quæst. 64. art. 2.* Licet in dubio, nisi contrarium probetur, non casuale, sed volũtarium, & deliberatum quò ad externum forum præsumatur. *Val. tom. 3. disp. 5. q. 8. p. 1. & 2. Azor. p. 3. l. 2. in principio. Sayrus. l. c. Tabiens. in verbo. homicidium concl. 146.*

Rursus quoddã est simplex homicidiũ, qđ p se, vel per aliũ aperto marte, ferro, vel lapide, seu veneno, vel per cibi subtractionem, siue quouis alio modo cõmittitur. Et quoddam est qualificatum, & proditorium, qđ ab amico nulla præcedente rixa, perpetratur: non tamen homicida proditorius dicitur, qui amicum reconciliatum occidit, ex quo vt DD. loquuntur, amicus reccõciliatus inimico æquiparatur. *Riccius in Decis. Cur. Neap. Decis. 168. Farinac. volum. 1. consil. 75.*

Quinimò si fœtus anima rationali præditus erat, non solum lethaliter deliquit, & in casum reseruatum incidit, sed etiam pœnis affectus est à Sixto V. inflictis in sua constitutione *Incip. effrenatam*, & à Gregor. IV. temperata, quarum præcipua est excommunicatio Episcopo reseruata, ad cuius absolutionem specialis Confessarius ab eo deputari debet. Quam nec medicus effugiet, si vt fœminã prægnantem in vita conseruet, ei cum fœtus animari periculo pharmaca dederit. De qua apud *Sayrum. l. 3. de cens. cap. 34. num. 24. Comit. in resp. mor. l. 4. cap. 13. Suarez. disput. 23. de cens. sect. 7. num. 13. Graffius. de sent. excom. cons. 21. vt dixi in Comment. de stat. p. 2. c. 8. De qua re etiam in seq. q. dictum est.*

Porro conueniunt Philosophi fœtui masculo die quadragesimo post susceptum semen fœminæ verò die octuagesimo animã infundi, idque prolẽ motu quodam intra viscera ostendere; & in dubio animatum, & masculum præsumi, atque ideò irregularem effici, qui post quadragesimum diem aboriri fecerit, licet ex curiæ stylo facilius dispensatio concedatur. *Nau. in cap. si quis. de pœnit. dist. 1. & cons. 22. de homicidio. Henriq. de Irregularitate. l. 14. cap. 15. num. 6. Vinal. num. 230. Quar. in summa Bullarij. in v. Abortus. Sanchez. l. 1. oper. mor. c. 10. n. 43.*

Quæ sup. firmata assertio & in religioso pcedit, si quò ipsius puellæ, vel alterius mulieris turpitudinẽ celaret, vel aliã ob causam, q̃ sibi iusta videretur, abortũ per se ipsum, vel aliũ procuraret, nam præter prædictas pœnas, in casum reseruatũ ex præscripto Clemẽtis. VIII. incideret, etiam si effectus non sequatur, &c. vt explicaui *in Comment. de cas. reser. p. 3. cap. 4. sect. 2. de quo etiam vide Coriol. de cas. reser. reg. p. 2. casu. 6. & Molfes. tr. 7. cap. 20. vt infra.*

QVAESTIO LXXXVIII.

In qvam poenam inciderit regvlaris, qui ad quandam fœminam à morte præseruandam, & ad eius honorem tuendum abortum ei consuluit.

LVdouicus Sacerdos Regularis cum ex sacramentali confessione audiuisset Lucretiã nobilis & honestæ familiæ viduam, ex fornicaria copula concepisse, & nunc in articulo mortis cõstitutam videat, tùm ad illam à morte præseruandam, tùm ad eius honorem tuendum consulit, vt medicinam

Nau cap. 15. num. 12. Vict. in relect. de temp. quæst. vltima. Reginald. l. 21. cap. 4. num. 41. Sà in verbo vita. Arrag. 22. quæst. 64. art. 5.

Quia vero sępe Satanas in Angeli lucis figuram se vertit, ne quis priuatus in hac re labatur, & erret, corporales afflictiones Superioribus suis aperire debet: hac. n. ratione fiet, vt numquam à rectitudinis, ac discretionis tramite deflectat, & plurimum mercedis, ac meriti apud Deum acquirat. Humilitatis siquidem hæc erit prima probatio, si vniuersa non solum quæ agenda sunt, sed etiam quæ cogitantur, seniorum referuentur examini, vt nihil quis iudicio suo credens, illorum per omnia diffinitionibus acquiescat. Diabolus, qui semper circuit quærens quē deuoret, si generosos, & quasi ad omnium virtutum actiones natos animos reperiat, heroum, & insignium sanctorū exempla, & facta in memoriam inducit, quæ tamē eorum vt pote imperfectorum viribus nō respōdent. Et à spiritualis vitæ magistris de simiarū captura similitudo affertur, quas cum venatores capere volunt, magnos calceos parant, quos cum ad venatorum imitationem ipsę simiæ induunt, in eis ambulare non valentes innectuntur, & capiuntur. Eodem modo Dæmon imbecillibus, & imperfectis sanctorum exempla proponit, quæ nondum ferre possunt, vt dum ea assumpserint, in ieiunijs, & alijs corporis afflictionibus discretionis limites transiliant, naturalia dona perdant, sibi inutiles fiant, & alijs quibus cum viuūt intolerabiles. Hinc *Ribera super illud Abac. 1.* Et cibus eius electus, expendens hamum, & instrumenta piscandi Diaboli; His artibus, inquit, & tentationibus eos capit, qui multum in virtute profecerunt, & magnam Deo gloriam, vtilitatem hominibus afferunt: vt propterea non solum iunioribus, sed etiam senioribus & sapiētibus, spiritualis magistri interdum consilio, ne à communi hoste deludantur, opus sit; est enim vetus prouerbium, etiam pisces marinos egere sale, quo incibum condiantur; etenim quamuis viri sapientes in bibliothecarum spatijs in libros demersi tanquam in sapientiæ mari, doctrinarumque vndis natent, attamen cum inde extrahūtur, atque ad res agendas ad se suamque vitam potissimum pertinētes adhibentur, aliorum consilio egent, quo saliantur, vt bene tùm Deo tū hominibus sapiāt. Sic *in Cōment. de stat. p. 1. c. 24.* eadem similitudine vsi diximus, religiosos in campo spiritualis doctrinę educatos, spirituali lectione, & cōcione diligēter audita opus habere, vt à vitiorum corruptione præseruentur, &c. *Nigr. de necess. spir. mag. tr. 1. c. 3. D. Benedictus. in reg. c. 49. Cass. collat. 2. cap. 10. Rossignol. lib. 2. de discip. christ. perfect. cap. 12. & lib. 3. cap. 11. Sayr. l. c. num. 33. Bisfeldius. de tent. & earum remed. cap. 6. Aluarez. de relig. vita. rite instit. sect. 3. cap. 3*

QVÆSTIO XCI.

QVID CONFESSARIVS CONSVLERE debeat Iudici, qui quendam reum impœnitentem ad mortem condemnauit, quid item ipsi reo ad æternam mortem properanti, &c.

SEbastianus Iudex, & cuiusdam vrbis Gubernator in ecclesiastica dignitate constitutus, causas sanguinis agendi à S. Pontifice potestatem habēs, Martinum reum ob quædam flagitia, morti iuris ordine seruato adiudicauit, qui cū post congruum illi concessum tempus, christiano more animam expiare nolit, nec sacra se Eucharistiæ sacramento munire, & certum sit, quod si in tali statu ex hac vita decedat, æternis supplicijs sit addicendus, quæritur quid tàm Iudici, quàm reo consulere debeat Confessarius?

Respondetur, Explorati iuris esse, licite malefactores publica authoritate occidi, quando delictum tanta pœna dignum est, cum ad hunc finem Leges, Magistratus, ac Iudices instituantur, vt respub. in pace viuat, & delinquētes plectantur. *cap. 1. d. 4. Apostol. ad Rom. cap. 12. Aulus. Gellius. lib. 6. Noct. Att. cap. 14. D. Aug. l. 9. de Ciuit. Dei. cap. 16.* Sicut enim pro totius humani corporis bono putridum membrum abscindere licet; sic à repub. sontes qui corrupta sunt membra amputare Iudicibus fas est. Hinc *Paulus de Castro. in l. 3. C. de Episcop. aud.* refert dictum Senecæ, Nō posse pinguiorem victimam Deo mactari, quàm scelestum hominem publica authoritate de medio tolli. Et scite Leo Philosophus cuidam sciscitanti in qua demum ciuitate tuto habitare liceret, respōdit, vbi iustitia viget, qua remota, regna & vrbes, nisi magna sunt latrocinia. Et Plato in *Phadone*, Qui inquit, ob scelerum magnitudinem insanabiles esse videntur, qui videlicet sacrilegia multa, & magna, vel cædes iniquas, vel alia horum similia perpetrauerint, hos omnes conueniens fors merget in Tartarū, vnde nunquam ergredientur, vt dixi supra *tract. 6. cap. 30. q. 131.* Ex qua doctrina consequens est, talem occisionem non esse hoc quinto præcepto vetitam, ac proinde huiusmodi reum ob commune bonum, quod particulari præferendum est, morti addicendum esse, & maxime in hac re, dum ob vnius salutem multi per impunitatem quam fingentes impœnitētiam, consequerentur, perditioni exponerentur, &c. *Sayrus. l. 7. clauis reg. cap. 11. num. 4. Reginald. lib. 21. num. 8. & sequenti. Molfes. tr. 11. cap. 19. num. 125.* Et licet hic in spirituali necessitate sit constitutus, peruersa tamen potius voluntate agi dicendus est, cuius non est tunc habēda ratio, si quatenus æquitas patitur, huiusmodi reis morte damnandis ea

omnia procurentur, & suppeditentur, quæ ad ipsorum spiritualem salutem pertinent. *clem.1. de pænit. & remiss.* Siquidem numquam homo adeo auxilio indiget atque eo temporis articulo, quo naturali, vel violenta morte ex hac vita decedendũ est; vt propterea boni Confessarij partes sint, totis viribus conari, ne humani generis hostis reum seducat, & ad sempiternos cruciatus pertrahat, atque animæ, & corporis vnus, & æternus sit interitus.

Proinde ad inducendum reum ad pœnitendum & in statu salutis ad ex hac vita exeundũ, multum proderit, Infernales pœnas ei proponere, sicut *Mol. fes. l.c.* refert, quendam reum ad mortem damnatum, pœnitere nolentem, nec gehennæ pœnas curantem, viuum nudis pedibus super carbones ignis accensi hac de causa positum fuisse, vt hic & ipsius ignis pœnam experiri inciperet, intrinseco dolore tactum, peccata sua cõfessum fuisse, & cum suæ salutis nõ leuibus argumẽtis decessisse. *Dionysius Carthus. de quatuor. nouiss. de iud. anima. ar. 37. Lud. de Ponte. de perfect. christiana. tom. 4. tract. 5. cap. 15. Vide quæ dixi in tract. de arte adiuuandi. Infirmos. par. 5. cap. 1. & seq. & in Comment. de hum. vitæ stat. par. 2. capitulo. 28.*

CAP. XX.

QVAESTIO XCII.

AN CARDINALIS SACERDOS VRBIS cuiusdam Gubernator possit sine culpa, & irregularitatis nota aliquem morti addicere, An quis exulem proscriptum, & vt aiunt, diffidatum ob odium occidens peccet mortaliter, & aliquid restituere teneatur. An Confessarius simplex possit exulem à quolibet c su reseruato absoluere, &c.

DOminicus Cardinalis Legatus in vrbe Romanæ ditioni subiecta, dum nequiret quendam facinorosum hominem in manu sua habere, vt cõdigno supplicio in eum animaduerteret, confecto, vt aiunt, processu, & lato capitis iudicio, vt contumacem ad mortem condemnauit, & illum vt proscriptum, & exulem declarauit, atque certæ quantitatis pecuniarum præmium proposuit, quò impune à quolibet capi, & occidi possit, hic de multis quæritur. Primo, an Cardinalis iste cum sit sacerdos, sine culpa, ac sine irregularitatis nota, hoc facere possit. Secũdo, an Martinus, qui dictum reum & exulem, ob quasdam inimicitias, odio prosequitur, sine reatu, & obligatione restituẽdi in foro conscientiæ illum occidere valeat. Tertio, an Confessarius ipsum exulem, vel bannitum à quolibet casu reseruato absoluere possit, &c.

Resp. Primo suppono quod ad iustam hominis occisionem quatuor conditiones requiruntur. Primo, vt dixi publica potestas, & iusta causa. Secũdo, vt hi, qui publica authoritate funguntur, & malefactores morti adiudicant, id amore iustitiæ, & publici boni causa, non liuore vindictæ, neque ex delectatione humanum sanguinem fundendi id faciant. Tertio, vt persona, quę ad mortẽ condemnat, non sit ecclesiastica, Summo Pontifice inferior, illicitum est enim ecclesiastico viro in causa sanguinis, mortis, vel mutilationis se immiscere, cum indecens sit, tali munere clericos fungi, qui per susceptos ordines altaris ministerio deputantur. Cæterum cum hæc prohibitio tantum humano iure inducta sit, sit Papam posse eos hac lege soluere, illisque potestatem facere, vt sanguinis causas agentes, nõ peccent, nec in irregularitatẽ incurrant, &c. Quamuis absque hoc priuilegio clerici, vel Prælati iurisdictionem temporalẽ gerentes, possint metu huiusmodi impedimenti irregularitatis cessante, criminales causas alijs à se cõstitutis Iudicibus delegare, &c. *c. Episcopus. tit. ne cler. vel monachi. l. 6. Beta p. 1. respons. casu. 50. Reginald. lib. 21. cap. 1. num. 14. Tholos. in synt. Iur. l. 36. cap. 21.*

Quarta conditio est, vt seruato iuris ordine Iudex, vel vrbis Gubernator mortis sententiam ferat; rei namque homicidij censentur, qui veneno, vel suffocatione, vel aliter secreto de Principis mandato, non citatos, non auditos, non damnatos morti addicunt. Imò eodem peccato inuolueretur Princeps, si iudiciarium ordinem non seruaret, & ex legum præscripto iustitiam nõ administraret; neque enim ait, *Tacitus l. 5. Ann.* Imperio vtendum, vbi legibus agi oportet. Excipitur tamen quando ob publicam bonum iusta subesset causa, vt quando delictum publicum, & notorium esset; & quando reus via ordinaria procedendo propter potentiam puniri nequiret, vel etiam quando extra ditionem ipsius Iudicis foret, nec debita pœna affici posset, vt in præsenti casu supponitur. *Sayrus l. 7. cl reg. c. 11. num. 11. Megalus. par. 2. l. 3. cap. 1. quæst. 1. num. 16. Molfes. tract. 11. c. 19 num. 126. Reginald. l.c. n. 12. Bonac. de cont. d. 2. quæst. vlt. p. 2. Ricci[us]. in Praxi. fori Eccles. Decis. 587.*

Vnde ad primam quæstionem respondendo dico, Cardinalem Legatum Põtificio indulto suffultum, sanguinis causæ se immiscendo non peccare, nec irregularitatem contrahere.

Ad secundam quæstionem pariter assero, diffidatum idest malefactorem, in quem postquam in iudicium citatus fuit, & quia non comparuit, à Gubernatore condemnatus est, data est cuilibet eum interficiendi potestas, inculpate, & absque vllo reatu homicidij, ac sine vlla iniustitia occidi, & de medio tolli posse, modo non ex odio, vel ex alio

prauo

posse omnia prorsus impuberũ vota irritare instar patris, cui subinde parẽtis nomen conueniat, siquidem constans est Scribentium sententia, licere tutori pupillum à religione reuocare, multo magis illius ingressum impedire, qđ mater facere nequit, nisi sit filiorum tutrix. *Syl. in v. religio. 2. num. 15. Molfes. tr. 11. c. 13. n. 17. & seq. & tr. 13. cap. 10. n. 28.* Et cum ratione aliquarum rerum, moralis, & spiritualis generationis, ac gubernationis sit principiũ, sequitur Primo, ob titulum reuerẽtiæ, obedientiæ, & subsidij, quæ ei debentur, ad vtrumque officium sub lethalis culpæ reatu teneri, ideõ non integrum ei esse, religionẽ eo inuito intra illud pueritiæ tempus ingredi. Secundo, Leonardum tutorẽ non posse, Vincentij pupilli contractum, siue onerosum, siue lucratiuum infirmare, cum iuramento quod facit de minore maiorem sit roboratus, vt ex communi tradit. *Sanchez l. 6. de matrimonio d. 38. n. 13.* Tertio conficitur, vel peracta tutela non licere eidem pupillo alimenta in animæ foro tutori denegare. *Sanchez l. 4. oper. mor. cap. 35. num. 60. Surd. de alim. tit. 1. q. 47. Megal. prima. 2. p. l. 2. c. 22. q. 1.*

QVAESTIO LXXXII.

QVOMODO CHARITATEM, ET IVSTItiam lędat tutor, qui christianis moribus pupillum non instruit, eius bona non conseruat, & quasdam eiusdem pecunias ad vsuram dat, &c.

PRæfatus Leonardus notabiliter negligens est in imbuendo, siue per se, siue per alium pupillo, bonis, ac christianis moribus, illumq; à vitijs, & peccatis præseruando. Secũdo, nõ conseruat nec auget ipsius pupilli bona, sine necessitate, vel vtilitate alienat, ac distrahit, & ob suam culpam actiones quasdam amittit. Tertio, quasdam eiusdẽ pupilli pecunias cum vsurario lucro mutuo dat, quæritur, an in his tribus casibus tutor peccet mortaliter, & quodnam sit in his rebus Cõfessarij munus? R. Supposito, tutores proprie esse, qui principaliter dantur personæ, quæ propter ætatem se defendere nequit, & consequenter rebus, & 14. anno exacto complentur. Curatores vero è cõtra dici, qui primario rebus, secundario autem personæ assignantur, & à 14. vsque ad annum 25. durat, dico, tutorem in huiusmodi casibus mortalem culpam admittere. Nam quoad primum haud dubium est, tutorẽ parentis instar, cui propterea ex huius quarti præcepti præscripto honor debetur, pupillum instituere debere. Siquidẽ sicut gypso madido statim vtendum est, quod celerrime siccetur: ita statim fingenda literis, ac moribus rudis ætas, priusquam rudior fingentis manum nõ admittat. Totius reipub. fundamentum liberorum educationem dicebat Diogenes Pythagoræ auditor, quia facile est tenellos animos cõponere, & quasi sub pollice ad quoduis ducere. Nemo instituí recte potest adolescens, qui nequiter fuerit educatus puer; nam vt radix indolem, ingeniumque arboris; sic bene moratam compositamque adolescentiam pueritia ipsa producit. *Iacobus Saledetus lib. de recte instit. puer.* Bonam consuetudinem à teneris inducere multum est. Primo, enim bonũ facilius recipitur, quemadmodum tenera arbor non ægre dirigitur, & facile vestis recẽtem formã recipit, si nondũ prauam susceperit. Secũdo, diutius cõseruatur, quia Quod noua testa capit, inueterata sapit. Tertio vtilius iugum virtutis portatur, fructus n. primi temporis solent esse gratiores, &c. Quarto, Leuius sustinetur iuxta illud,

Quod male fers, assuesce, feres.

Quinto, tandem iucundius geritur, dicente Seneca, Optima forma viuẽdi eligẽda est, quam iucundam reddit consuetudo.

Quoad secundum munus illa pariter certa est assertio, tutorem, & curatorem teneri ad damnum culpa sua eueniens, quod si cum tenerentur, & possent, negotiari omiserũt, sas est pupillo tot pro centum ab eis accipere. *Bemius conf. 137. Rip. obser. 48. Tholos. in synt. Iu. l. 12. cap. 3. Nan. cap. 25. num. 66. & seq. Rebellus de obligat. Iust. p. 2. lib. 17. quæst. 1.*

Quod ad tertium casum attinet, explorari pariter iuris est, cũ tutor, vel curator pupilli pecuniam ad fœneratitium lucrum dederint, mortale confiasse peccatum coniunctam habens restituendi obligationem; quàm restitutionem, si pupillus cui illud accreuit, non faciat, tutor ipse, vel curator illam subeat, licet ad seruandum se indemnem, seruatis debitis conditionibus compensatione vti possit. *Reginald. l. 20. cap. 5. num. 56. Molfes. d. tract. 13. c. 10. num. 25. Tusehus in v. Tutor. concl. 438. Grat. in For. Discep. cap. 240. Syl. & Tab. in v. tutor. dixi in Comment. de hum. vit. stat. p. 2. cap. 26.*

CAP. XVIII.

QVAESTIO LXXXIII.

SCHOLASTICVS CONTRA CATHOLICAM veritatem à sacris Doctoribus, & à Magistro suo edoctam contemptim altercans, & fraudulenter collegium ingrediens; ac alimenta eidem suo Magistro pauperi denegans, an mortaliter peccet, &c.

SYluester scholasticus collegialis naturalis Philosophiæ studens, contra veritatem ad catholicam fidem pertinentem, quam vt christianus à pueritia hausit, & quam à suo magistro Philosopho pluries edoctus est, cum spernens pertinaciter altercatur, pura animam in via Aristotelica

telica esse mortalem; Et cum Institutoris voluntas fuerit, vt collegiū ingressuri sint pauperes, ipse aūt sit diues, antequam collegiū ipsum intraret, ne diuitiarum possessio illi obstaret, reuocabilem donationē fecit, nimirum vt omnia donata ei reddantur cum ab illa Academia exiuerit. Item cum cōfectis studijs, ad honorificam quandam, & luctosam dignitatem sit euectus, suo Magistro ad extremā penè necessitatem, & inopiam redacto opem ferre recusat, quæritur, an in his tribus casibus mortaliter peccauerit, & qd consulere ei dēt Cōfessarius, &cē

Resp. Procul dubio scholasticus iste contra pietatem Deo, & magistris debitam lethaliter deliquit. Primo, cōtra Deū peccauit, cum per catholicam ecclesiam declarauerit animas ab ipso creatas mortis expertes esse, ac proinde Philosophos in vniuersitatibus generalium studiorum legentes tenere debere opiniones à christiana fide aberrantes, nec contra agnitas veritates disceptādum esse, vt patet in Bulla Leonis X. *Incip. Apostolici Regiminis*. Quinimo si sit pertinax, & contra id qd̄ sancta docet ecclesia, asserere ausus fuerit, animā cum corpore interire, hæresis labe infectus censendus est, &c. *Nau in Man. Præl.* 1. Pietatis etiam magistro debitæ legē violauit, cum præceptori idem honor, & eadem fere reuerentia quæ parētibus exhibenda sit. *D. Thom. 22. quæst.* 102. *art.* 1. *D. Ant. 3. p. tit.* 5. *cap.* 2. §. 1 1.

Quod officium S. Enodius agnoscens dicebat, Genuisse libidinis testimonium est, erudiuisse pietatis. Hinc Plato, vt refert. *Lact. l. 3. diuin. Instit. c.* 1. aiebat, se gratias naturæ agere. Primo, quod homo natus esset, potius quàm brutum animal. Secundo, quod masculus, non fœmina. Tertio, quod græcus, nō barbarus. Quarto, quod Atheniensis, & tempore Socratis sui institutoris. Sic Hipocrates in formula iuramenti quod à discipulis exigebat, illam in primis præceptionem posuit, se parētis loco Doctorem medicū habituros. Aristoteles. *l.* 1. *Eth. c.* 6. antequam cōtra Platonis ideas insurgat, commendabili quadam ratione se excusat dicens, quod quamuis sit amica, & sācta persona illius, qui ideas introduxit, illiusque honori multum deferendum sit, sanctius tamen est, honori veritatem anteferre. Hoc discipulorum debitum adeò in animo Theodosij senioris insidebat, vt iusserit Arcadiū, & Honoriū filios, corā Arsenio Magistro dum docerētur astare, &c. Cunque aliquando sedentes illo stante deprehendisset in schola, grauiter eos obiurgauit. Hinc tantopere commēdatur memorabile Gratiani Imperatoris dictum, qui grati animi causa confetēs Ausonio magistro suo consulatū, dixit, se soluere qd̄ debebat, & adhuc debere qd̄ solueraт. *Niceph. l.* 1 2. *hist. eccl. c.* 23. *Auson. in act. grat. ad Grat.*

Secūdo clare cōstat, Syluestrū grauiter, & charitatem, & iustitiam læsisse, cum per fraudem paupertatem fingēdo, & dolosam donationem faciendo tale collegium ingressus est, vt proinde omne damnum illi Academiæ illatum restituere teneatur, secus vero dicendum esset, si donatio illa esset omni modo inter viuos, & irreuocabilis, vt ex *Nau. & Lopez. ait Rod. p.* 1. *c.* 45. *& Fernād. p.* 4. *c.* 5. §. 5.

Pietas quoque tertio loco ab hoc discipulo sub reatu mortali læditur, qui ei in necessitate cōstituto subsidium denegat, cum tàm in foro cōscientiæ, quàm de iure ciuili discipulus cum potest, inopem, & egenum magistrum alere teneatur. *l.* 2. §. *fin. ff. de orig. Iuris. Innocent. in cap.* 1. *& 4. extr. de Magistris. Surdus. de alimentis. tit.* 1. *quæst.* 53. *Megal. l.* 2. *Inst. Conf. c.* 22. *q.* 2. *Vide de hum. vita. stat. p.* 2. *c.* 11.

QVAESTIO LXXXIV.

AN SENEM DERIDENS, SVBSANNANS, ac ad iracundiam prouocans, vnde mortuus est, p. m. & irregularis factus fuerit, &c.

BErnardus adolescens nobilis habet in domo Georgium Senē pene octuagenarium, quem cum patris sui præceptor, & magister fuerit, ex testamentario ipsius patris præcepto dum viuit apud se tenere, alere, & omnia ad victum, & vestitum necessaria suppeditare tenetur. Et cum proprium adolescentiæ vitium sit leuitas, linguæ incontinentia, & contemptus, ac contumelia, multoties ipsum senem aliquando more decrepitæ ætatis delirantem irridet, contemnit, ac iniurijs, conuicijsque lacessit, & ad grauē iram illum data opera prouocat; pp quod, vt inquiūt medici, symptomate quodam correptus, paulo pōst extinctus est. Quē Parochus & ipse senex, ab ipsius Georgij familia subito vocatus, sensibus destitutum sub conditione absoluit, etiam si nullum pœnitentiæ signum dare potuerit, quæritur, an mortaliter peccauerit, & irregularitatis labem contraxerit, &c. & an Curatus sic absoluendo benefecerit?

R. Senes demū ex vi quarti pcepti decalogi honore dignos esse, cōis est DD. sentētia, iuxta illud celebre Philonis pronūtiatū, Reuerētia erga seniores, & cura talis sit, qualis esse potest germanorū liberorum erga parētes. Quam veritatē omnium gentium, atque nationum consensus natura duce confirmat. Insignes erant in hoc officio Lacedæmonij teste *Cicerone. l. de senect.* apud quem Lysander dicere solebat, Lacedæmone honestissimum esse senectutis domicilium, nusquam enim tātum tribuitur ætati, nusquam est senectus honoratior, additque viguisse semper in ea Ciuitate optimam iuuenum educationem, & seueriorem morum disciplinam: vt propterea argumentū sane iuuentis reipub.

grauissime laborantis videatur, quando in ea tantum malum obrepit, vt aut senes derideantur, aut contemnantur. Senes quoque laudantur à Valerio Maximo. *l. 2. cap. 1. & Callestrato. l. C. iul. semper ff. de iure immunit. Thoma. à Iesu. de stat. monach. p. 3. cap. 8. Tiraq. in præfat. de iure primog. Paleot. in tr. de bono senect. Ias. in l. cũ quid ff. si cert. pet. Alex. cons. 4. & à me in Comment. de hum. vit. stat. p. 1. c. 3.*

Et omnes nationes, tàm animo impressam hanc opinionem habebant, vt apud eas ipsum nomen senis, & senectutis honoris nomẽ fieret. Apud Hispanos hoc nomen senior significat Dominũ, ac Principem alijs imperantem. Et in priuatis domibus multis in locis obseruari videmus, eos qui familiã regunt, & quibus reliqui parẽt, vt plurimum seniores esse, & communi vocabulo Reggitores appellari, quod ipsi Regum instar omnes domesticos in officio contineant. Homo .n. senior maiori sapientia, rerum experientia, probitate quàm iunior pollet. Adde ob multa priuilegia senectuti concessa etiam si vt humana aliquando fert conditio, senex deliquisse reperiatur, nõ esse torquendum, cum 60. annos excedit, nisi tamẽ sit robustus, &c. Et semper mitiori pœna plectendum esse. *Clarus. §. fin. Praxis crim. quæst. 60. & 64. Tiraq. de temp. pœnis. quæst. 8. Farinac. quæst. 92. eodẽ tit. Sfort. Oddus. de in integ. rest. p. 2. q. 80. n. 109. Tusch. in v. senectus. cõcl. 102.*

Hinc & Plato. *lib. 3. de legibus. & 5. de repub. &* Aristoteles. *l. 7. Pol. cap. 14.* Constat, aiunt, seniores imperare oportere, iuniores aũt subesse. Et Plinius auctor est, in grege Elephantorum maximum natu agmen ducere. Quod de formicis quoque in *l. 6. de anim. c. 42.* tradit Ælianus. Cõsentit. *D. Thomas 22. q. 63. art. 3. & Gloss. in cap. non est de reg. Iu. in 6.* qui senectutẽ signũ uirtutis nuncupãt, aiuntq; inter maiorem, & minorem reuerẽtiam intercedere, quæ est obseruantiæ actus, & senes propter hoc signum, & argumentum honorandos esse, licet quandoque uirtus deficiat. Cato apud Ciceronẽ *de senect.* refert Senatum à senibus nomen mutuatũ esse, quod & testatur *Ouidius. l. 3. Fast.*

Magna fuit capitis quondam reuerentia cani,
Inque suo pretio ruga senilis erat.
Nec nisi post annos patuit tunc curia seros,
Nomen & ætatis mite senatus habet.

Senectẽ non esse irridendã, minusque contemnendam, sed potius reuerentia, & honore afficiendam innumeris diuinarum scripturarum authoritatibus monemur. Vnde Dominus *Leuit. c. 19.* Coram capite cano consurge, & honora personam senis, & *Sap. cap. 4.* Senectus venerabilis est, &c. Et merito Cato,

Cum sapias animo, noli irridere senectam,
Nam cuicunque seni sensus puerilis inhæret.

Quò fit vt nonnulli hunc extremum humanæ uitæ gradum considerantes, absolute malum, ac miserandum esse pronuntiauerint, cum illa tria bonorum genera, honestum, utile, & iucundum, quibus uniuersa omnia, quæ optari possunt, comprehendi solent, minime huic ætati conuenire arbitrati fuerint; non honestum, cum senectus sit omnis fere officij expers, non utile, cum ætas illa aliena potius ope indigeat, non iucundum, cum senes perpetuo in labore, & solicitudine uersentur. Cõtra uero noxia omnia, & aduersa, quæ ad tria capita sũmatim redigi consueuerunt, animi scilicet, corporis, & externa, in senectam tãquam propriam sentinam, ac miseriarum uallem deriuare conspiciantur. Cuius & uaria incommoda insinuauit Carolus V. nã cum Philippo filio Imperij habenas committeret, totus inflectum abijt, dicens, Ne miremini, sunt namque, & hæc senectæ perpria, facile lugere, &c.

Insignis est ingratitudo in eos qui strenue laborarũt, dũ uiribus pollebãt, ubi aũt senuerũt, velut inutiles contẽnuntur. Exprobrauit hoc, vt est in apologis, hero suo canis uenaticus senio confectus, Iuuenem amasti, senem odisti. Gratior in Bucefalum equum suum Alexãder Magnus, stabilẽ annonam seni cõstituit, & fructuosæ iuuentutis gratia senem dilexit, & fouit. Aelius Adrianus Romæ ueteranis Doctoribus opes contulit, ac uacare uitæ reliquum iussit. Hinc *Climac. de discret. gradu. 26.* Exhortare, inquit, senes scientia, & actione claros, qui corpora sua in exercitatione cõtriuere, modicum sibi quietis indulgere.

Sic Superior religiosus senes, ac laboribus fractos uenerari, ac colere debet, illorumq; sedulo necessitatibus occurrere, atq; pia manu eos pro ætate quãtum religionis moderatio patietur, indulgentius habere, ut patris, non Iudicis, aut hostis aĩo, & pectore, illos soletur, ac foueat, & iuniores animet, calcarque ad labores subdat, cum uiderint senectutem in honore, ac ueneratione esse. Et sane durissimum est, post ætatem in religione transactam, post ualetudinem laboribus, & sudoribus extritam, studijs, uigilijsq; emedullatam, morosum, difficilemque pati Superiorem, soloque præsentium emolumento, præteritorum obliuione res metiẽtem. Nascuntur hic mœrores, quibus tãquam ingenti mole oppressus succumbit animus, & intus conceptus dolor, postquam intima depastus, est tabescentem animam è statione sua excutere solet.

Proinde ab hac impietate caueat Præfectus, non tàm alijs, quàm sibi consulens, mos enim Dei est graues ætatis huius gemitus audire, nec irrita dolorum uota pertransire, paribusque demum molestijs exercere. Propterea B. Antiochus *hom. 109.* ait, Reuereri senes, eisque debitum honorẽ deferre, Deo acceptum esse, hominibus commendabile, nobisque utile; quia si iuuenes moriemur, mercedẽ a

Deo

Deo recipiemus, fin ad fenectutem perueniemus, nobis à iunioribus eadem reuerētia, & honor diuino permissu rependetur. Et si fenectus aliquando deliret, non hominis, sed ætatis morbus est; animi enim vitius, quæ in se eadem creditur, pro organi corporei variatione alia, & alia videtur.

Nihil est tamen, quod fenes angātur, & animos despondeant, fi ab impijs contemni, ac derideri videantur; nam vt fcribit. *D.Ber.fuper illis verbis 2.Reg. c.6.* Ludam, & vilior fiam, ludam .f.vt illudat. Bonus ludus, qui hominibus quidem ridiculum, sed Angelis pulcherrimum spectaculum præbet. Bonus inquam ludus, quo efficimur opprobrium abūdantibus, & despectio superbis. Vide eum *Epist.87.*

Vnde ad primā propositi casus quæstionē deueniendo, dico Bernardum istum adolescentem, qui fenem Georgium ad grauem iram iniurijs, & conuicijs fæpe prouocauit, ob quæ interijt, à peccato mortali, & Irregularitate immunem non esse, cum eius crassa culpa, & negligētia mors fit fecuta. Hæc enim actio ex fe illicita, attentis circunstantijs conditionis personæ periculosa erat, & quodammodo ad casum ordinata, &c. *Vival. de Irregularitate ex homicidio.casuali.num.247. Sayrus. de Irregularitate.l.7.cap.6.num. 13. Henriq. de Irregularitate. cap.15.num.5. Bonac.de Irregularitate.d.7.quæst.4. p.7.Megal.3.p.Instit.confess.l.7.cap.2.n.107.*

Ad fecundam quæstionem propositam dico, casum hunc in praxi frequentissimum esse ob infinita huius mortalis vitæ accidentia, quib. homines omni tempore subijciuntur, vt proinde quilibet, & in prima, fecūda, & tertia vigilia, idest in pueritia, iuuentute, & fenectute femper debeat esse paratus. *Luc.cap.12.& D.Ant.3.p.tit.10.cap.2.*

Propterea prudēter ficut fenē decet, egisse Parochus cōprobatur, cū nō folū illorū piam fententiam fecutus est, qui tenent, absolui posse moriētem, qui nihil confiteri pōt, fed tm̄ signa contritionis ostendit, vt pectus tundendo, vel Confessariū vocando, feu similia pœnitētię signa pręferēdo; fed ēt fauorabiliori illi opinioni adhæsit, quæ fentit absolutionis beneficium moribundo impendi posse, etiam fi nullum confessus fit peccatum, nec Confessarium petierit, nec indicia exhibuerit, ex quib. actus contritionis, vel attritionis, argui possit, modo talis in mortis articulo constitutus christiano more viuere foleret, & bonus, ac fidelis hō existimaretur, &c.

Quod quidem Doctorum placitum in praxi referunt amplexum fuisse Clementem VIII. Pontificem Maximum, ac prudentissimum virum, cum enim quidam ex fabrica. D. Petri præceps ruisset, & illum cadentem vidisset, absolutionem ei dedit, dicēs, Si es capax, absoluo te à peccatis tuis, vt refert *Molf.tr.7. cap.5. nu.48.* Quæ fententia illa sane ratione confirmatur, quod in necessarijs ad falutem tutior pars est fequenda, & certiori periculo occurrendum est; fed pœnitentiæ facramentum ficut & baptismi, necessitate finis (vt aiunt) faltem in voto necessarium est, & morienti etiam in re opus esse potest fupposito quod de facto attritione tantum muniatur, quæ fine facramento ad falutē assequendā non sufficit; & irreuerentiæ facramenti, vel facrilegij periculum, tùm conditione apposita, tùm auctoritate. DD. hanc opinionem tuentium, cessare dicitur.

QVAESTIO LXXXV.

VTRVM SENEX CORAM ADOLESCENTIbus obscœna verba proferens, animum prauis desiderijs contaminans, ac mulieri de pudicitia folicitata asserens per peccata carnis non amitti diuinam gratiam, peccet mortaliter, & tanquam de hæresi fuspectus fit ad S. Inquisitionis officium deferendus, & quomodo in hoc casu fe gerere debeat Confessarius?

Hieronymus Senex feptuagenatius cum in libidinis vitio vfque ad vitæ occasum infor duerit, & callum ob duxerit, ex cordis abundantia non desinit coram adolescentibus, & fœminis turpia verba proferre. Imò ob effætas vires cum non possit turpitudinis actibus incumbere, dolet, quod non fit iuuenis, nec turgeant in fanguine venę, illud identidem Virgilianum cum multorum fcandalo, & offensione efferens,

O' mihi præteritos referat fi Iuppiter annos.

Quinimò cum quędā fœmina quā de pudicitia tentauit, illum obiurgasset, fæpius dixit, delicta carnis non esse peccata, nec per illa diuinā gratiam amitti, quęritur quomodo, tàm cum fene, quàm ista muliere, fe gerere debeat Cōfessarius? R. Vere funt aliqui, qui cum fenes annorum diuturnitate fint, pueri tamen cenfendi funt, quando fcilicet perturbationum impetu aguntur, & tanquam iuniores viuunt; quos ideo Deus per *Isaiam.c.65.* execratur dicens.

Quoniam puer centum annorum morietur, & peccator centum annorum maledictus erit. Et hos perstringit. *Apost. 1.ad Corinth.14.* dum eos vocat pueros fensibus: vt merito Diogenes rogatus quid esset in hac vita calamitosissimum? respondet, fenex indigens, & fenex amatorius. Cui cōsonat Menander, cum dixit, fenex amator fummum est fortunæ malum; nam & fi luxuria vt *Cicero lib. 1. off.* tradit, omni ætati turpissima fit, constat tamen fenectuti hanc esse fœdissimam. Nec à veritate alienum est, qd̄ apud nostrates iactatur, vitia quædam esse, quę Deo, & naturæ, repugnant, hominibusque valde displicent, nimirum adolescentis ignauiam, inopis fuperbiam, & capularis fenis libidinem.

Vnde & veteri prouerbio, Bis pueri senes dicuntur, non tàm propter deficientem in eis ex decrepita ætate mentis vigorem, quàm ob intemperatos, ac iuueniles quos referunt aliquando mores, &c. Quare apud sapientes ea solet esse regula, vt puerilem, siue senilem animum non ex annorum numero, nec propter canos, aut rugas, sed ex actionibus ipsis æstiment; siquidem teste *Salom. Sap. cap.* 4. Senectus venerabilis non annorum numero computatur. Multi falso putant solam ætatem quomodocunque vixerint, eos venerabiles facere, quod à veritate alienũ est, sola enim virtus proprie hominem honore dignum reddit, ideo qui in senectute honore affici vult, debet in iuuentute ætatem suam laudabiliter transegisse. Nec seni sufficit, adolescentiæ suæ, & constantis ætatis præteritos labores, & merita recensere; nisi tunc maxime cum senectus aduenit, pietas, vigilantia, & probitas non solum in eo producatur, sed etiam alacrius augeatur, quò animus in senectute magis viget, minusque prauis affectibus permoueri debet, alioquin, vt dicebat Cato, eò res esset indignior, cum cæteræ partes ætatis bene transactæ essent, extremum actum tãquam ab inerti Poeta fuisse neglectum, quandoquidem senectus est peractio ætatis, tãquam fabulæ idest comœdiæ, quæ quinto actu clauditur. Vnde in bona senectute illi mori dicuntur, qui ad magnam satis senectã annos quietos, bonæ famæ, in sana cõscientia, ac Dei amicitia propagarunt. *Iustin. in Tob. c. 14. vers. 14. Holcbot. super Sap. c. 4. lect. 49. Paleot. de bono senect. p. 3. T iraq. in pref de iure Primog.*

Proprerea dicendum est hunc senem lethali noxa tùm malo desiderio, tùm prauo exemplo se contaminasse. *Sanchez. l. 1. de precept. cap. 2. num. 23. Reginald l. 11. num. 44. Molfes. tract. 8. cap. 8. n. 49.* Et cum ob illa impia verba se de hæresi valde suspectum reddiderit, fœminam de turpitudine attentatam de iure astringi ad illũ violatę fidei Censoribus denuntiandum, nisi probabiliter præsumere possit ex altera sua secreta admonitione, & fraterna correctione, corrigendum, tunc enim ex communiori DD. sententia, illam ante denuntiationem præmittere deberet; quod tamen attẽta senis, & fœminæ conditione, vix præsumi, ac credi potest. *Alphons. de Cast l. 2. de iusta haret. punit. cap. 25. Graffius. l. 2. decis. aur. cap. 69. num. 18. Lazarius de blasphemia. quæst. 12. num. 45. Genuens. in Praxi Neap. cap. 23. num. 10. Molfes. tract. 7. cap. 24. Naldus in verbo. accusatio. num. 1.* Vide supra *tract. 7. cap. 2. quæst. 14. & cap. 6. quæst. 28. & seq.*

Vtrum vero malus senex possit in vitæ postremo limine pœnitere, ac salutem consequi, sæpius à sapientibus dubitari contingit; qua in re sit illa resolutio, quod licet vulgo dicatur, quod peccata iuuenum prædicantur in quale, quia facile per pœnitentiam delẽtur, senũ vero delicta prædicãtur in quid, eo qđ eis quasi substãtialiter adhærent, vt loquitur *D. Ant. 4. p. tit. 14. c. 6. §. 3.* attñ ẽt in vitæ occasu ad Deum conuerti, & saluari possunt, quamdiù .n. in homine manet peccandi potestas manet & pœnitendi vis, ad quam producendam duæ res faciunt, dolor de præteritis, & propositum vitandi in futurum, quamuis de ea confidere valde periculosum sit. *Nauar. in c. si qs. de pœn. d. 7. Menoch. l. 6. pręsũp. 94.*

ARTICVLI, QVAESTIONES, ET CASVS aliqui, qui formari in praxi poterunt super quintum Decalogi præceptum. Cap. XIX.

QVAESTIO LXXXVI.

QVID CONFESSARIVS CIRCA QVINTVM præceptum non occides interrogare debeat.

QVid interrogabit Cõfessarius circa quintum præceptum decalogi? R. Cum ad hoc quintum præceptum non occides, omnia peccata pertineant, quibus proximus in sua persona læditur, qualia sunt occidere, vulnerare, mutilare, abortũ procurare, verberare, percutere, opere ignominioso secum agere, non verbo, nam contumeliæ quibus proximus læditur, ad octauũ decalogi præceptum spectant; & homicidium, seu mutilatio, vel percussio quomque potissimum modis fiat, facto, cõsilio, mandato, permissione, auxilio, ad quæ peccata ea omnia reducuntur, quæ ad odium in proximum, inuidiam, scandalum vindictam. bellum, rixam, duellum, &c. tendunt, cum inquam hæc omnia ad hoc quintum mandatum reducantur, Confessarius super hæc capita interrogationes formabit. Primo, de homicidio, percussione, & causa, vel ope præstita. Secundo, de odio, ira, & inuidia, de quibus dixi supra. Tertio, de scandalo, & omissione fraternæ correctionis. Vt autẽ Romanus Catechismus admonet, Pastores, & Confessarij huius præcepti doctrinã fidelib. accurate persuadere debent ob summam vtilitatem, quæ inde manare potest, magna siquidem illa est, quę pacificis hominibus à Domino nostro proposita est fœlicitas, cum ait *Matth. cap. 5.* Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Ad pacificandas autem, & conciliandas hominũ voluntates nulla melior ratio iniri potest, quàm si huius mandati lex recte explicata ab omnibus, vt par est, obseruetur, quoniam tùm sperare licebit, vt summa animi consensione coniuncti homines, pacem, & concordiam colant, & lites, iras, rixas, bella, & cædes deuitent, quæ ab humana natura abesse debent, quandoquidem,

Candida pax homines, trux decet ira feras.

Et licet hæc verba non occides. *Exodi. cap. 20.* valde generalia sint, omnemque occisionem comprehendere videantur, ea tamen sic accipiẽda sunt, vt nec ad plantas, nec ad animalia rationis expertia referantur, vt proinde iure merito quorundam hæreticorum error damnetur, qui asserere audebant, animalium carnibus vesci non licere. Nec obstat. *Exodi. cap. 22.* occidentibus bouem, vel ouem proximi pœnam constitui; nam eius rei ratio non est, quod animal inculpare interfici nequiuerit, sed qđ damnum inde illatum compensandum fuerit. *D. Ant. p. 1. cap. 8. tit. 7. Castr. lib. 4. aduer. hæreses. in verbo cibus. D. Thomas. 22. quæst. 64. art. 1.* Quod annotaui supra *tract. 6. capitulo. 14. quæst. 67. Vide etiam Sayr. l. 7. cl. reg. cap. 8. num. 1. Lessium. l. 2. cap. 9. Reginald. l. 21. c. 1. num. 2. Molfes. tract. 11. cap. 19. num. 1. Farinac. p. 2. tom. 2. l. 14. quæst. 119.*

Porro quam graue peccatum sit homicidium, & qua pœna in foro externo puniatur tradit ibi *Farinac. & Ioseph. Lud. Decis. 62. Clarus in §. homicidium & attigimus in Comment. de cas. reser. p. 2. c. 3.*

QVAESTIO LXXXVII.

QVID SIT HOMICIDIVM, ET QVOTVPLEX, an procurans abortum incidat in casum homicidij voluntarij, quem Episcopi reseruare solent.

Quæritur quid sit homicidium, & quotuplex, & an procurans abortum causa tuendi honoris cuiusdam nobilis defloratæ puellæ dicatur incidere in casum homicidij volũtarij, quẽ multi locorũ Ordinarij sibi reseruare cõsueuerunt. Et quomodo in praxi Cõfessarius se gerere debet? R. Homicidium esse iniustam hominis occisionem vel cæsionem, quod fit per separationem animæ à corpore, & in iure homicidium illud iniuste admissum volũtarium homicidium dicitur, etiam si animatus fœtus in matris vtero perimatur. Quandoquidem in Iure Canonico quoàd pœnas cõtrahendas duplex est, scilicet volũtarium, quod ab aliquo vel per se, vel per alium deliberate perpetratur, & sic vt inquiunt DD. per se est intẽtum, volitum, seu procuratum, & casuale, quod præter intentionem agentis contingit. *Nau. cap. 27. num. 240. Tol. l. 5. cap. 6. Bannes. Salon. Arrag. & alij. 22. d. quæst. 64. art. 2.* Licet in dubio, nisi contrarium probetur, non casuale, sed volũtarium & deliberatum quò ad externum forum præsumatur. *Val. tom. 3. disp. 5. q. 8. p. 1. & 2. Azor. p. 3. l. 2. in principio. Sayrus. l. c. Tuschus. in verbo. homicidium concl. 146.*

Rursus quod dã est simplex homicidiũ, qđ p se, vel per aliũ aperto marte, ferro, vel lapide, seu veneno, vel per cibi subtractionem, siue quouis alio modo cõmittitur. Et quoddam est qualificatum, & proditorium, qđ ab amico nulla præcedente rixa, perpetratur: non tamen homicida proditorius dicitur, qui amicum reconciliatum occidit, ex quo vt DD. loquuntur, amicus recõciliatus inimico æquiparatur. *Riccius in Decis. Cur. Neap. Decis. 168. Farinac. volum. 1. consil. 75.*

Quinimò si fœtus anima rationali præditus erat, non solum lethaliter deliquit, & in casum reseruatum incidit, sed etiam pœnis affectus est à Sixto V. inflictis in sua constitutione *Incip. effrænatam*, & à Gregor. IV. temperata, quarum præcipua est excommunicatio Episcopo reseruata, ad cuius absolutionem specialis Confessarius ab eo deputari debet. Quam nec medicus effugiet, si vt fœminã prægnantem in vita conseruet, ei cum fœtus animati periculo pharmaca dederit. De qua apud *Sayrum. l. 3. de censur. cap. 34. num. 24. Comit. in resp. mor. l. 4. cap. 13. Suarez. disput. 23. de cens. sect. 7. num. 13. Graffius de sent. excom. cons. 21. vt dixi in Comment. de stat. p. 2. c. 8. De qua re etiam in seq. q. dictum est.*

Porro conueniunt Philosophi fœtui masculo die quadragesimo post susceptum semen fœminæ verò die octuagesimo animã infundi, idque prolẽ motu quodam intra viscera ostendere; & in dubio animatum, & masculum præsumi, atque ideò irregularem effici, qui post quadragesimum diem aboriri fecerit, licet ex curiæ stylo facilius dispensatio concedatur. *Nau. in cap. si quis. de pœnit. dist. 1. & cons. 22. de homicidio. Henriq. de Irregularitate. l. 14. cap. 15. num. 6. Viual. num. 230. Quar. in summa Bullary. in v. Abortus. Sanchez. l. 1. oper. mor. c. 10. n. 43.*

Quæ sup. firmata assertio et in religioso pcedit, si quò ipsius puellæ, vel alterius mulieris turpitudinẽ celaret, vel aliã ob causam, q̃ sibi iusta videretur, abortũ per se ipsum, vel aliũ procuraret, nam præter prædictas pœnas, in casum reseruatũ ex præscripto Clemẽtis. VIII. incideret, etiam si effectus non sequatur, &c. vt explicaui *in Comment. de cas. reser. p. 3. cap. 4. sect. 2. de quo etiam vide Coriol. de cas. reser. reg. p. 2. casu. 6. & Molfes. tr. 7. cap. 20. vt infra.*

QVAESTIO LXXXVIII.

IN QVAM POENAM INCIDERIT REGVLARIS, qui ad quandam fœminam à morte præseruandam, & ad eius honorem tuendum abortum ei consuluit.

Ludouicus Sacerdos Regularis cum ex sacramentali confessione audiuisset Lucretiã nobilis & honestæ familiæ viduam, ex fornicaria copula concepisse, & nunc in articulo mortis cõstitutam videat, tùm ad illam à morte præseruandam, tùm ad eius honorem tuendum consulit, vt medicinam

cinam sibi quidem salutarem, fœtui vero animato periculosam sumat, ob quod consilium fœtu ipso mortuo ex ventre emisso, mulier illa cõualuit, quo facto, pluries postea celebrauit, quæritur quid facere debeat regularis Pœnitentiarius?

R. Illi aperire dẽt mortaliter peccasse, & si fœtus erat animatus excommunicationem, contraxisse, ad quam absoluendam specialiter ab Episcopo Confessarius deputãdus est, & etiam irregularitatem à Papa dispensandã subijsse. Insuper in casum reseruatum suo Prælato incidisse, siquidem ex communi axiomate, Non sunt facienda mala, vt eueniant bona: & si alteri subueniri nequit, nisi alter lædatur, commodius est neutrum iuuare, præsertim cum prolis anima, quæ quàm vita matris altioris ordinis est, hic pereat. Quò fit, vt illud commune proloquium in illo locum habeat,

Displicet imprudens, vnde placere putat.

De iure et ciuili Mulier, quæ sibi vel alteri mulieri fœtũ dolo malo abegerit, si is animatus fuerit, capitali sententia vt homicida puniri debet. *l. Cicero. ff. de pœnis. Tholos. l. 36. cap.* 15. *Clarus. l.* 5. *sent. Iu. q.* 68. *Menoch. de arbit. Iud. casu.* 357.

Quando autem in delinquẽtes disciplina exerceri nequit, vt quia humani iuris non sunt, vel quia eorum crimina, & si nobis nota sunt, manifestis tamen indicijs probari non possunt; & si Dei benignitas pœnas differat, & maleficijs aliquãdo seras inferat, numquam tamen irritas, vt ait Plinius, & vt & Iuuenalis cecinit,

Vt sit magna, tamen certe lenta ira Deorum est.

Cum vero Ludouicus post hoc delictum celebrauit, dico nouã irregularitatis labem non cõtraxisse, iterare namque id quod irregularem efficit, nouam irregularitatem non parit, nec mortaliter peccauit, si ad euitandũ scãdalum, & propriam infamiam diuinis se immiscuit; censura enim irretitus sacrum facere potest, nec per hoc irregularitatem contrahit, si in mora petendę absolutionis non sit, si absque probabili scandali, vel infamiæ periculo à diuinis abstinere nequit. Quãdoquidem naturalis lex de tuenda fama, & euitãdo scãdalo, omni positiuo iure potior est. Et sicut Christi iugum suaue est, ita & ecclesiæ mãdata pie interpretãda sunt, vt non nimis humanę naturæ, & conditioni grauia sint, nec verisimile est mẽtem S. Ecclesiæ esse, cum tàm ingẽti iactura obligare velle. *Lazar. de monit. sect.* 4. *q.* 18. Atq; prędictã nostrã resolutionẽ tenẽt. *Azor. p.* 2. *l.* 2. *cap.* 26. *quæst.* 5. *Pet. Nau. l.* 2. *de restit. cap.* 3. *diff.* 2. *num.* 131. *Sayr. lib.* 1. *clau. regul. Vict. in notis ad Tol. lib.* 5. *cap.* 8. *Quar. in verbo aborsus. cap.* 12. *num.* 20. *Lessius, lib.* 2. *cap.* 9. *dubit.* 10. *Sanchez de matrimonio. lib.* 9. *disput.* 20. *num.* 14. *Reginald. lib.* 21. *cap.* 3. *num.* 36. *& dixi in Comment. de cas. reser. p.* 3. *casu.* 6. *sect.* 2.

QVAESTIO LXXXIX.

QVID AGERE DEBEAT CONFESSARIVS cum eo qui castitatem violare ab impio medico suadetur.

Andreas uir pius, ac multum religiosus cum diuturno, ac contumaci morbo laboret, suadetur à quodam impio medico, ut eiusdem morbi depellendi causa, castitatem fornicando uiolet, atque urget, si hoc non faciat, homicidium in se ipsum admittere? quæritur, quomodo in hoc eius Confessarius se gerere debeat? R. Quàm nefaria, ac detestabilia sint ea consilia, quæ habita solum corporis ratione, in animæ perniciem redundant, ex sacrarum literarum monumentis clarescit, inquit, enim Sapiẽs in *Eccles. c.* 27. Facienti nequissimum consilium super ipsum deuoluetur, & nõ agnoscet, vnde ueniat illi. Ideò propter malũ cõsilium Consiliarij pœnas luunt, siquidẽ malum consilium consultori pessimum. Vnde & *Apost. ad Rom.* 14. Ne ponatis, inquit, offendiculũ fratri, uel scandalum, &c. Idcirco medicus, qui quadam incolumitatis corporalis specie, consilia ac remedia animę saluti aduersantia præbet, illicitam Venerem, ebrietatem, & alia flagitia, suadendo, lethali crimine & æterna pœna digno statim inficitur.

A quo etiam infirmi illa amplectendo non excusantur. Numquam enim fas est, fornicationem, aut pollutionem uoluntariam ad uitam cõseruandam cõmittere; cum actus ille intrinsecè malus sit, qui propter nullum bonum, utilem, ac necessarium finem licite fieri potest. *Sanchez. l.* 9. *de matrimonio c.* 17. *n.* 16. *Henriq. c.* 15. *n.* 4. *& alij cõiter.* Vt proinde mirum non sit, si nonnulli egregij uiti mori maluerint, quàm sic fędari, ut de Michaele Guarino cum magna eius laude sic traditur,

Guarinus Michael iuuenilibus occidit annis,
Moribus ambiguum, maior an ingenio,
Sola Venus poterat lento succurrere morbo,
Ne se pollueret, maluit ille mori.

Nec absimilis fuit Iacobus Rosa adolescẽs Cardinalis ex Lusitanię Rege natus, qui anno 1459. à liminibus Apostolorũ in patriam rediens, Florentiæ morbo retentus est, ut ex eo conualesceret, quidam enim medici parũ probi, castitatis uiolationem ei suaserunt, sed nõ persuaserunt, cum mortem potius oppetere, quam in anima contaminati maluerit.

Sanè si Marius ille Romanus post abscissum sibi crus vnum, in alterius sectionẽ consentire noluit, esto illam medici cõseruandæ uitæ necessariam iudicarent, quanto minus admittẽda est corporis curatio, aię ipsius spiritualem interitũ post se trahens? Conseruanda quidẽ sanitas, sed medijs licitis, quibus lethalis culpa coniũcta nõ sit, & diuini alicuius man-

mandati prævaricatio. Cum Ramises Aegypti Rex Architectis iussisset, nobilissimã surrigere pyramidem, & cauere, ne aliqua ex parte violaretur, atque ad eorum industriam acuendam cuspidi ipsius pyramidis filium suum paruulum alligari præcepisset, cautissime circa eam versati sunt, ne præcipue aliquã ex parte læderetur, cuius proinde salus eis commendatissima lapidi valde profuit. Ita nos oportet ad animæ salutem nostro inclusam corpori præcipue respicere, nec quidquam corporis gratia facere, qđ in eius perniciem cedat. Saluabit enim & in Cœlum attollet sancta hæc sollicitudo non modo animam, sed & corpus ipsum. *Iod. in parenesi christiana. in admonit. ad scortatores. Onuph. Panuin l. de Card. Chauas. de Prud. l. 3. cap. 1.*

Vt omittã ẽt hmõi praua cõsilia sæpius corporis salubritati multũ officere, & magnam morborum cohortem aduehere. Quò fit, vt *Arist. in l. de breuit. vita.* scripserit, mulum longioris esse vitæ, quàm equum, & asinum, ex quibus procreatus est, quia nullus est ei veneris vsus. Imò extat celebre Pythagoræ proloquium, sanitatis fundamẽtum esse, non repleri cibo, laborem non fugere, & à Venere abstinere. *Plut. l. de tuenda valetud.* Atque ex his patet, quid & quomodo consulere ei debeat Cõfessarius. *Tiraq. l. 15. Connub. num. 9. Io. Bapt. Codronchius. de tuta. ac christiana med. ratione. l. 1. cap. 20. Iustinellus. in triumpho Castit. p. 2. effectu. 11. Aldrou. l. 1. de Quadrup. tract. de mulo.*

QVAESTIO XC.

VTRVM IEIVNIIS, AC CORPORIS macerationibus liceat ita carnem domare, vt vita breuiet ac citius absumatur.

LActãtius indiscreto spiritus feruore actus, varijs abstinentijs, corporis afflictionibus, & vigilijs aduertit sibi vitam corripi, nec tamen admonitus ab his desistit, quæritur, an peccet mortaliter, & quomodo cum eo sit à Confessario agendum? R. Suppono corporis sanitatem magnum bonum à Priscis etiam habitam esse, quod singulariter à Deo postularetur, sic enim ille canit,

Orandum est, vt sit mens sana in corpore sano.

Et in prece quam nos fideles etiam ad Deum fundimus, rogamus, vt mẽtis & corporis salutem concedat. Et merito magnũ videri debet, sine quo vix quidquã boni agere possumus, quin potius nobis, & alijs oneri sumus. Ideo Sapiens *Eccles. cap. 30.* Melior est, ait, pauper sanus, & fortis viribus, quàm diues imbecillis, & flagellatus malitia.

Proinde quando hæc nobis obtigit, sapienter ea vtendum est, in res scilicet Deo gratas, nobis cæterisq; salutares, ne forte aliàs nobis pereat, & à Deo reuocetur; eadem pariter est à nobis diligẽter conseruanda, cum semel amissa facile recuperari nequeat. Sed cauẽdum ne in hac re nimij simus, nam vt modetata cura tuendæ ad diuinum obsequium valetudinis laude digna est, ita nimia solicitudo reprobãda est. Idem de corpore sentiendum, quod de oratione rhetorica, quę vt ait. *Quint. in præf. l. 8. Instit.* fit interdum cura nimia deterior. *Chauas. de prud. l. 3. c. 1. & dixi in Cõment. de stat. p. 2. c. 8. & 9.* Hoc supposito dico, Nõ teneri quidẽ hominem vitam quãtum põt producere, nec delicatioribus, ac salubrioribus cibis vti, nec ad seruandã vitam permittere sibi magno cum dolore membrum abscindi, nec extraordinaria, aut valde pretiosa, & laboriosa ad tuendam, vel producendam vitam remedia adhibere; hoc enim non est directe se occidere. Qui tamen ex intentione, aut aduertenter corporis macerationibus vitã sibi abrumpit, mortaliter peccat, nam si id in proximo procurare lethali culpa non caret, multo minus in semet ipso id licet. Sicuti etiam lethali culpa se obstringit sanus, aut ægrotus comedens, aut bibens quamlibet rem eo proposito, vt sibi aliquod salutis nocumentum notabile eueniat. *cap. non mediocriter. de cons. dist. 5. D. Thom. as. 22. quæst. 147. art. 1. ad 2. Sayr. l. 7. clau. reg. cap. 9. num. 32. Balthas. Comengius in tract. de potest. in se ipsum. l. 1. c. 4p. 1. & seq. & l. 2. cap. 6. & 7.*

Et confirmatur, quia corporalis castigatio ex se indifferens est, & solum vtilis iudicatur, quatenus effrænatas passiones compescit, carnem spiritui subijcit, & ad opus pietatis disponit; vnde qui per illam immodice exercitam se in posterũ ad illud faciendum inhabilem reddit, & multo magis si mortem inducat, contra rationem, & pietatem agere censetur. Hinc B. V. M. apud *S. Brigittam. l. 4. reuel. cap. 25.* humanum corpus asino comparat, qui sicut cibo indiget, vt onera portet, sic corpus nostrũ debitum exigit alimentum, vt necessarias functiones peragat. Propterea ne nobis eueniat quod vulgo dicitur, Quia plus lecit, quam petuit idcirco perijt, præcipitur. *Leuit. cap. 2.* In omni oblatione sal idest discretionẽ adhibẽdam esse. Nam sicut iuxta Aristotelis doctrinam. *sect. 31. probl. 20.* Non solum color albus oculis officit, sed ẽt contrarius est, ita etiam prudenti viro non solum excessus circa esculenta & poculẽta, sed etiam defectus nimius vitandus est. Qui nimia se media cõficit, defectu postea virium præscripta ieiunia, & astringentia alia suæ professionis munera præstare nequit, & præterea facile incurabilem morbũ contrahit. Noui ego ait. *D. Hieronym. in Epist. ad Demet.* in vtroque sexu per nimiam abstinentiam cerebri sanitatẽ quibusdam esse vexatam, ita vt nescirent quid agerent. *Cord. l. 1. var. resol. cap. cap. 2. num. 10. Pet. Naa lib. 2. cap. 3. num. 85. Azor. p. 3. l. 2. cap. 3. quæst. 11. & 13.*

Nau.

Nau cap. 15. num. 12. Vict. in relect. de temp. quaest. ultima. Reginald. l. 21. cap. 4. num. 41. Sà in verbo vita. Arrag. 22. quaest. 64. art. 5.

Quia vero sępe Satanas in Angeli lucis figuram se vertit, ne quis priuatus in hac re labatur, & erret, corporales afflictiones Superioribus suis aperire debet: hac .n. ratione fiet, vt numquam à rectitudinis, ac discretionis tramite deflectat, & plurimum mercedis, ac meriti apud Deum acquirat. Humilitatis siquidem hæc erit prima probatio, si vniuersa non solum quæ agenda sunt, sed etiam quæ cogitantur, seniorum releruentur examini, vt nihil quis iudicio suo credens, illorum per omnia diffinitionibus acquiescat. Diabolus, qui semper circuit quærens quẽ deuoret, si generosos, & quasi ad omnium virtutum actiones natos animos reperiat, heroum, & insignium sanctorũ exempla, & facta in memoriam inducit, quæ tamẽ eorum vt pote imperfectorum viribus nõ respõdent. Et à spiritualis vitæ magistris de simiarũ captura similitudo affertur, quas cum venatores capere volunt, magnos calceos parant, quos cum ad venatorum imitationem ipsę simiæ induunt, in eis ambulare non valentes innectuntur, & capiuntur. Eodem modo Dæmon imbecillibus, & imperfectis sanctorum exempla proponit, quæ nondum ferre possunt, vt dum ea assumpserint, in ieiunijs, & alijs corporis afflictionibus discretionis limites transiliant, naturalia dona perdant, sibi inutiles fiant, & alijs quibus cum viuũt intolerabiles. Hinc *Ribera super illud Abac. 1.* Et cibus eius electus, expendens hamum, & instrumenta piscandi Diaboli; His artibus, inquit, & tentationibus eos capit, qui multum in virtute profecerunt, & magnam Deo gloriam, vtilitatem hominibus afferunt: vt propterea non solum iunioribus, sed etiam senioribus & si sapiẽtibus, spiritualis magistri interdum consilio, ne à communi hoste deludantur, opus sit; est enim vetus prouerbium, etiam pisces marinos egere sale, quo in cibum condiantur; etenim quamuis viri sapientes in bibliothecarum spatijs in libros demersi tanquam in sapientiæ mari, doctrinarumque vndis natent, attamen cum inde extrahũtur, atque ad res agendas ad se suamque vitam potissimum pertinẽtes adhibentur, aliorum consilio egent, quo saliantur, vt bene tùm Deo tũ hominibus sapiãt. Sic *in Cõment. de stat. p. 1. c. 24.* eadem similitudine vsi diximus, religiosos in campo spiritualis doctrinę educatos, spirituali lectione, & cõcione diligẽter audita opus habere, vt à vitiorum corruptione præseruentur, &c. *Nigr. de necess. spir. mag. tr. 1. c. 3. D. Benedictus. in reg. c. 49. Cass. collat. 2. cap. 10. Rossignol. lib. 2. de discip. christ. perfect. cap. 12. & lib. 3. cap. 11. Sayr. l. c. num. 33. Bisfeldius. de tent. & earum remed. cap. 6. Aluarez. de relig. vita. ritc instit. sect. 3. cap. 3*

QVÆSTIO XCI.

QVID CONFESSARIVS CONSVLERE debeat Iudici, qui quendam reum impœnitentem ad mortem condemnauit, quid item ipsi reo ad æternam mortem properanti, &c.

SEbastianus Iudex, & cuiusdam vrbis Gubernator in ecclesiastica dignitate constitutus, causas sanguinis agendi à S. Pontifice potestatem habẽs, Marrinum reum ob quædam flagitia, morti iuris ordine seruato adiudicauit, qui cũ post congruum illi concessum tempus, christiano more animam expiare nolit, nec sacra se Eucharistiæ sacramento munire, & certum sit, quod si in tali statu ex hac vita decedat, æternis supplicijs sit addicendus, quæritur quid tàm Iudici, quàm reo consulere debeat Confessarius?

Respondetur, Explorati iuris esse, licite malefactores publica authoritate occidi, quando delictum tanta pœna dignum est, cum ad hunc finem Leges, Magistratus, ac Iudices instituantur, vt respub. in pace viuat, & delinquẽtes plectantur. *cap. 1. d. 4. Apostol. ad Rom. cap. 12. Aulus. Gellius. lib. 6. Noct. Att. cap. 14. D. Aug. l. 9. de Ciuit. Dei. cap. 16.* Sicut enim pro totius humani corporis bono putridum membrum abscindere licet; sic à repub. sontes qui corrupta sunt membra amputare Iudicibus fas est. Hinc *Paulus de Castro. in l. 3. C. de Episcop. aud.* refert dictum Senecæ, Nõ posse pinguiorem victimam Deo mactari, quàm scelestum hominem publica authoritate de medio tolli. Et scite Leo Philosophus cuidam sciscitanti in qua demum ciuitate tuto habitare liceret, respõdit, vbi iustitia viget, qua remota, regna & vrbes, nisi magna sunt latrocinia. Et Plato in *Phadone*, Qui inquit, ob scelerum magnitudinem insanabiles esse videntur, qui videlicet sacrilegia multa, & magna, vel cædes iniquas, vel alia horum similia perpetrauerint, hos omnes conueniens sors merget in Tartarũ, vnde nunquam egredientur, vt dixi supra *tract. 6. cap. 30. q. 131.* Ex qua doctrina consequens est, talem occisionem non esse hoc quinto præcepto vetitam, ac proinde huiusmodi reum ob commune bonum, quod particulari præferendum est, morti addicendum esse, & maxime in hac re, dum ob vnius salutem multi per impunitatem quam fingentes impœnitẽtiam, consequerentur, perditioni exponerentur, &c. *Sayrus. l. 7. clauis reg. cap. 11. num. 4. Reginald. lib. 21. num. 8. & sequenti. Molfes. tr. 11. cap. 19. num. 125.* Et licet hic in spirituali necessitate sit constitutus, peruersa tamen potius voluntate agi dicendus est, cuius non est tunc habẽda ratio, si quatenus æquitas patitur, huiusmodi reis morte damnandis ea

omnia

omnia procurentur, & suppeditentur, quæ ad ipsorum spiritualem salutem pertinent. *clem. 1. de pænit. & remiss.* Siquidem numquam homo adeo auxilio indiget atque eo temporis articulo, quo naturali, vel violenta morte ex hac vita decedendū est; vt propterea boni Confessarij partes sint, totis viribus conari, ne humani generis hostis reum seducat, & ad sempiternos cruciatus pertrahat, atque animæ, & corporis vnus, & æternus sit interitus.

Proinde ad inducendum reum ad pœnitendum & in statu salutis ad ex hac vita exeundū, multum proderit, Infernales pœnas ei proponere, sicut *Mol. fes. l. c.* refert, quendam reum ad mortem damnatum, pœnitere nolentem, nec gehennæ pœnas curantem, viuum nudis pedibus super carbones ignis accensi hac de causa positum fuisse, vt hic ēt ipsius ignis pœnam experiri inciperet, intrinseco dolore tactum, peccata sua cōfessum fuisse, & cum suæ salutis nō leuibus argumētis decessisse. *Dionysius Carthus. de quatuor nouiss. de iud. anima. ar. 37. Lud. de Ponte. de perfect. christiana. tom. 4. tract. 5. cap. 15. Vide quæ dixi in tract. de arte adiuuandi. Infirmos. par. 5. cap. 1. & seq. & in Comment. de hum. vitæ stat. par. 2. capitulo. 28.*

CAP. XX.

QVAESTIO XCII.

AN CARDINALIS SACERDOS VRBIS cuiusdam Gubernator possit sine culpa, & irregularitatis nota aliquem morti addicere, An quis exulem proscriptum, & vt aiunt, diffidatum ob odium occidens peccet mortaliter, & aliquid restituere teneatur. An Confessarius simplex possit exulem à quolibet c. su reseruato absoluere, &c.

DOminicus Cardinalis Legatus in vrbe Romanæ ditioni subiecta, dum nequiret quendam facinorosum hominem in manu sua habere, vt cōdigno supplicio in eum animaduerteret, confecto, vt aiunt, processu, & laro capitis iudicio, vt contumacem ad mortem condemnauit, & illum vt proscriptum, & exulem declarauit, atque certæ quantitatis pecuniarum præmium proposuit, quò impune à quolibet capi, & occidi possit, hic de multis quæritur. Primo, an Cardinalis iste cum sit sacerdos, sine culpa, ac sine irregularitatis nota, hoc facere possit. Secūdo, an Martinus, qui dictum reum & exulem, ob quasdam inimicitias, odio prosequitur, sine reatu, & obligatione restituēdi in foro conscientiæ illum occidere valeat. Tertio, an Confessarius ipsum exulem, vel bannitum à quolibet casu reseruato absoluere possit, &c.

Resp. Primo suppono quod ad iustam hominis occisionem quatuor conditiones requiruntur. Primo, vt dixi publica potestas, & iusta causa. Secūdo, vt hi, qui publica authoritate funguntur, & malefactores morti adiudicant, id amore iustitiæ, & publici boni causa, non liuore vindictæ, neque ex delectatione humanum sanguinem fundendi id faciant. Tertio, vt persona, quę ad mortē condemnat, non sit ecclesiastica, Summo Pontifice inferior, illicitum est enim ecclesiastico viro in causa sanguinis, mortis, vel mutilationis se immiscere, cum indecens sit, tali munere clericos fungi, qui per susceptos ordines altaris ministerio deputantur. Cæterum cum hæc prohibitio tantum humano iure inducta sit, fit Papam posse eos hac lege soluere, illisque potestatem facere, vt sanguinis causas agentes, nō peccent, nec in irregularitatē incurrant, &c. Quamuis absque hoc priuilegio clerici, vel Prælati iurisdictionem temporalē gerentes, possint metu huiusmodi impedimenti irregularitatis cessante, criminales causas alijs à se cōstitutis Iudicibus delegare, &c. *c. Episcopis. tit. ne cler. vel monachi. l. 6. Beia p. 1. respons. casu. 50. Reginald. lib. 21. cap. 1. num. 14. Tholos. in synt. Iu. l. 36. cap. 21.*

Quarta conditio est, vt seruato iuris ordine Iudex, vel vrbis Gubernator mortis sententiam ferat; rei namque homicidij censentur, qui veneno, vel suffocatione, vel aliter secreto de Principis mandato, non citatos, non auditos, non damnatos morti addicunt. Imò eodem peccato inuolueretur Princeps, si iudiciarium ordinem non seruaret, & ex legum præscripto iustitiam nō administraret; neque enim ait, *Tacitus. l. 5. Ann.* Imperio vtendum, vbi legibus agi oportet. Excipitur tamen quando ob publicam bonum iusta subesset causa, vt quando delictum publicum, & notorium esset; & quando reus via ordinaria procederdo propter potentiam puniri nequiret; vel etiam quando extra ditionem ipsius Iudicis foret, nec debita pœna affici posset, vt in præsenti casu supponitur. *Sayrus l. 7. cl reg. c. 11. num. 11. Megalus. par. 2. l. 3. cap. 1. quæst. 1. num. 16. Molfes. tract. 11. c. 19. num. 126. Reginald. l. c. n. 12. Bonac. de cens. d. 2. quæst. vlt. p. 2. Riccius. in Praxi. fori Eccles. Decis. 587.*

Vnde ad primam quæstionem respondendo dico, Cardinalem Legatum Pōtificio indulto suffultum, sanguinis causæ se immiscendo non peccare, nec irregularitatem contrahere.

Ad secundam quæstionem pariter assero, diffidatum idest malefactorem, in quem postquam in iudicium citatus fuit, & quia non comparuit, à Gubernatore condemnatus est, data est cuilibet eum interficiendi potestas, inculpate, & absque vllo reatu homicidij, ac sine vlla iniustitia occidi, & de medio tolli posse, modo non ex odio, vel ex ali[o]

pravo

prauo affectu, sed ex zelo iustitiæ hoc fiat; qd' adeo verum est, vt etiam ipsis exulibus fas sit, tunc & ipsos inuicem occidere. Sed & si qui zelo iustitię exulem extingueret, peccatum euitaret, non tamen irregularitatis labem effugeret. Si autē propter inimicitiam, quam cum ipso gerebat, & ob vltionem illi necem infert, & si lethaliter peccet, nullā tamen restituendi obligationem contrahit, &c.

Ad tertiam quæstionem respondendo, illā quoque certam positionem constituo, à quolibet simplici sacerdote, & à quocunque peccato, & censura absolui posse, quandoquidem cum impune occidi possit, semper in articulo, seu periculo mortis cōstitutus videtur, vt ait. *Vgol. p. 1 de off. Episcopi. cap. 15. §. 8. num. 9. Galett. in Marg. cas. conf. in verbo absoluere. Naldus. in summa. verbo absolutio. à censuris. num. 5. & in verbo. Bānitus. Campan. in Diuers. Iur. Can. Rub. 11. cap. 23. numer. 8. Gaball. casu. crim. 61. Ala. de Aduoc. p. 2. q. 28. Tusch. v. Bannit. concl. 19.* Hic autem à Iudice in vtroque foro duo annotanda sunt, quæ in praxi sępe cōtingere aīaduertimus.

Primo, quod si proscriptus post exilij sententiam appellauerit, non poterit inculpate offendi ex vi statuti permittentis bannitos impune occidi, cum pendente appellatione nihil debeat innouari. *Anchar. in cap. non debet. ext. de testibus. cogen.*

Secundo, qd' ipsos exules in statu ecclesiastico receptans, vel eis opē præstans, diuersas tpales pœnas subit, atque ēt excōicationem latæ sentētiæ per *Constit. Gregor. XIII, Incip. Tanta.* Quam *Sixtus V. in Bulla Incip. Hoc nostri*, cum pœnis in eis contentis confirmauit, sublata tantum ipsa excommunicationis pœna, ne animarum perniciem potius quàm salutem afferret. *Sayrus. l. 3. de cens. cap. 31. num. 17. Nald. in d. verbo Bannitus. num. 8.*

QVAESTIO XCIII.

VTRVM MANDANS ALIQVEM vulnerari, si mandatarius veneno occidat, & ei mortuo pecuniam abstulit, inciderit in casum homicidij voluntarij, an ad d. pecunię ablatę restitutionem teneatur, & an iste mandatarius ecclesię immunitate gaudeat, &c.

LVcas cum à quodam sacerdote iniuria affectus esset, vt de eo vltionem sumeret, centum aureos Andreæ suo amico dedit, quò eum in facie vulneraret, & aliquod signum, vel notam ei inureret, sed nullo modo interficeret: ipse venenum secreto propinauit, & etiam ducentos aureos ei furatus est, nunc hæ tres insurgūt quæstiones. Primo, an cum ipse sacerdos interierit, idem Lucas in casum homicidij volūtarij reseruati ab Episcopo, tàm quò ad occidētes, quā quò ad mādantes, cōsilium dantes inciderit, &c. Secundo, an cum percussionē, vel mutilationem tantum iusserit, ad ducentorum aureorum ablatorum restitutionem teneatur. Tertio, vtrum cum delictum hoc sęculari curiæ innotuerit, hic qui venenū præbuit, & ad ecclesiam vt ad asylum confugit, possit in ea à satellitibus capi, & quid à Confessario agendum, &c?

Resp. Ad 1. dub. reum quidem esse Lucam homicidij quò ad culpam, & irregularitatem, sed non quò ad pœnam casus reseruati, per superius à nobis dicta in diffinitione homicidij. A' quò Andreas veneni præbitor non est immunis.

Ad secundam, non esse obnoxium restitutioni ducentorum aureorum, si neque ea intentione percussionem illam præcepit, neque de eis auferendis quippiam cogitauit, cum causa per se non directe, nec indirecte intenta fuerit. *Beia. p. 2. cas. conf. casu. 1. Bonac. de cont. d. 1. quæst. 1. p. 3. §. 1. & alij cōiter.*

Ad tertiam, d. Andream à loco Deo dicato extrahi posse, cum proditorius homicida dicatur, qui per constitutionem Gregor. XIV. ecclesiastica immunitate non gaudet, vt de communi sententia testatur. *Marius Italia. l. 1. de immunit. Eccles. cap. 5. §. quarto, num. quarto.*

QVÆSTIO XCIV.

NVNQVID DVBIVS DE IVSTITIA belli ad illud proficiscens, & in eo occidens; & ad duellum prouocatus illud acceptans peccauerit, & in censuram inciderit, &c?

ALexander cum subsit cuidam Principi, qui iusto quidem titulo dominium gerit, sed instar tyranni suam, non populi vtilitatem, & cōmodum procurat, iubetur ab eo ad bellum proficisci, quod in alium quendam Principem instruit, qui & si de eiusdem belli iustitia valde dubius sit, illi tamen paret. Et domum post annum reuersus, fatetur se in prælio tres homines aduersę partis occidisse, ac suum socium, & cōmilitonem in duello prouocatū de medio sustulisse, quæritur, an in huiusmodi dubio ad bellum eundo, mortaliter peccauerit, an occidendo in bello eodem crimine se contaminauerit, an per duellum in aliquam cesuram inciderit, & quomodo Cōfessarius se gerere dēt, &c?

Resp. Supponendum Primo est, bellum non dico iniustum, sed ne iustum quidem, absque multis incōmodis geri non posse, vt proinde non absre solis inexpertis vulgo dulce appelletur, & ita per antiphrasim vocatum sit, quod minime bellum sit, militia quasi malitia, sicut Parcæ, qd' nemini parcant, & lucus quod minime luceat, & montes quod non moueantur. Quæ quidem incommoda auertendi gratia, optandū plane vt Principes, & Magistratus

stratus circumspecti sint (si enim quidquam est in mortalium rebus, quod cunctanter aggredi conueniat, certe ipsum bellum est) ne temere vllum aggrediantur, & classicum canãt, si rempub. amant, cuius tutores, & sponsi sunt.

Proinde tria ad belli iustitiam necessaria sunt. Primo, authoritas illud indicentis. Secundo, iusta causa. Tertio, recta intentio, vt ad iustam defensionem, & pro communi bono suscipiatur. Addũt alij iuris formam, vt antequam indicatur, prius ordinaria remedia tententur, cum bellum sicut & excõmunicatio, subsidiarium remedium dicatur. Vt autem hoc melius seruetur, & ne passio intellectum tenebris offundat, & bona obscuret (qua ratione fit vt nemo in propria sua causa, vel suorum iudicet) iusta belli causa magna diligẽtia à probis, & sapientibus viris examinari, & excuti debet, qui cum christiana libertate, sine cupiditate, & metu, qui sunt humanæ vitæ tortores, loquantur. *Tusch. verbo bellum. concl. 34. & seq. Molfes. de tract. 12. c. 3. n. 159.*

Hoc supposito ad primã quæstionem dico, milites vulgares Principi subditos, aut qui tàm tẽpore pacis, quàm belli stipendia accipiunt, posse in causa dubia ad bellum proficisci, & tamdiù in eo manere, quamdiù illud esse iniustum nõ certo constiterit, etiam si Dominus, vel Princeps infidelis, & tyrãnus esset. Qui vero dominationis titulo gaudet, at crudeliter, & male regit, concessa sibi abutitur authoritate, culpa namque in ipsum Principem, & in eius Consiliarios reijcitur, qui vt Honorium admonebat Claudianus, non modo quid liceat, sed etiam quid deceat in vita tàm priuata, quàm publica spectare debent, &c. Secus si esset intrusus, nec legitimo iure dominium obtineret, in quo casu nõ esse illi obtemperãdum, imò manus in ipsum inferri posse, multorum est sententia, & si nullo priuato homini liceat iudicare, ac declarare Superiorem suum tyrannum esse, nec priuata authoritate occidi posse. *Molina. tom. 1. de iustitia. disput. 113. Arrag. 24. Salon. 22. quæst. 64. art. 3. Reginald. l. 21. n. 103. Molfes. tract. 11. cap. 19. num. 132. Benzon. in spec. Episcop. l. 3. q. 3. dub. 3. & omnes alij communiter.*

Ad secundã. q. dico, si conscientia practice dubia ad bellum accessit, nec vmquam illã per se, vel per alium deposuit, mortaliter peccasse, & si postmodum de eiusdem belli iniustitia constiterit, ad illatorum damnorum restitutionem teneri. *Sayr. in claui regia. l. 1. cap. 5. & omnes communiter.*

Ad 3. q. dicẽdum Alexandrũ, in excõicationem Papalem, nisi iuris ignorantia excusetur, incidisse, etiam si (vt falsò iactatur) ob proprij honoris defensionem duellum acceptasset, vt constat ex Cõstitutione Clementis VIII. *Incip. Illius vices, vt animaduerti in Comment. de hum. vitæ stat. p. 2. cap. 15.* Si tamen casus occultus esset, Episcopi ex facultate eis à Concilio Tridentino concessa, à vinculo huius excõmunicationis absoluere possent. *Alex. Pereg. in explicat. d. Bulla. quæst. 37. Duard. in Comment. in Bullam Cœnæ Domini. l. 3. §. 2. quæst. 11. De qua re agimus supra. tr. 5. c. 5. q. 31.*

QVAESTIO XCV.

AN RELIGIOSVS, QVI OB SACRILEGVM adulterium in vitæ discrimen se coniecit, possit absque peccato, & irregularitatis labe inuasorem occidere. Item an sine eadem culpa, & nota furantes res ecclesiæ, & cum ijs fugientes interimere valeat, & in quam pœnam ipsi fures incurrãt, &c.

HEnricus regularis ordine Subdiaconatus insignitus, cum in adulterio sacrilege deprehensus ab adulteræ marito inuaderetur, ipse tùm vt propriam vitam defenderet, tùm ne suam religionem dedecore, & ignominia interdiù fugiendo afficeret (cum tamen fuga sibi consulere posset) inuasorem in eiusdem domo occidit, quæritur an lethaliter deliquerit, & irregularitatis notam contraxerit, &c. Idem cum paulo post tres fures noctu ecclesiæ, & sacrarij suppellectilem, vt vasa argentea, calices, & altarium paramenta auferentes, comperisset, pro earum rerum conseruatione vnum ex furibus ingenti baculo interfecit, an eundem reatũ, & impedimentum canonicũ subierit, & quo cum furibus ecclesiæ effractorib. Cõfessarius se gerere dẽt?

R. 1. Henricũ mortali peccato, & homicidij culpa excusari, licet. n. turpiter, egerit sacrilegiũ admiserit, & sua sponte in tale discrimen se coniecerit, non tamen inuasorem occidendi iuris naturalis defensio ei denegatur, ita vt iure naturæ etiam brutis competat, & ideo vt communiter DD. tradunt, si tuum animal meum aggreditur, & à meo tuum occidatur, illatum damnum tibi restituere nõ teneor. Imò & nocentem aggressorem, vt amentem, furiosum, ebrium, dormientem, sine iniuria, sed non sine iniusta causa me aggredientem, pro mea necessaria defensione occidere possum, modo inculpatæ tutelæ moderamen seruetur, quãdo scilicet id tantum efficitur, quod ad conseruandam vitam, & depellendum damnum necessarium est. Extra quem casum quidquid sit de sæcularib. causa honoris tuendi proximum occidere ei non licet, cum religiosi laus non in armis, audacia, vel in sæculi legibus, sed in humilitate, pietate, ac mortificatione posita sit, vt etiam post alios tradit. *Nald. in verbo defendere.* Immunis etiam erit secũdum aliquos ab irregularitate saltẽ ex eo capite qđ se, & religionis honorẽ, vel bonam famam tuẽdo, quæ per vrbem fugiendo periclitabantur, aggressorem necauit, licet ex alia parte tutius in praxi dicendum sit, illa affici, quod homicidij, quod fugiendo vitare poterat, causa

exti-

extiterit. *Sayrus.de censf.lib.6.cap.17.numer.19. Vinal.in cand. aur. de irregularitate. ex homicidio. num.221. Reginald.l.21.cap.5.num.59. Pet.Nau. l.2.de restit. rerum ablat. cap.3.num.362. Molina. tr.3.de Iust.& In.disp.15. Vgol.de irreg.c.29.§.3.*

Ad secundam quęstionem respondeo, inculpate illum furem ab eo necatum esse, si aliter illa magni pretij bona rueri non posset, adeo vt nec etiam irregularis factus sit. *cap.dilecto.de sent.excomm.in 6. cap.olim.el.1. de restit.spoliat.Pet. Nau.l.c.n.414. Reginald.l.c.n.68. Molfes.num.115. Sayrus, in cl. reg.l.7.cap.10.num.34.Bonac.de censf.d.7. quaest.4. par.6.num.10.Coninch.distinct.18. dubit.9.& alij.* Et licet communiter DD.de bonis laicorum, & religiosorum ad eorum vitam tuendā necessarijs loquantur, de quibus vulgo dicitur, esse secundū sanguinem, iuxta illud,

Viscera nostra tua dilacerantur opes.

Idem tamen dicendum videtur etiam de bonis ad Dei cultum (modo magni momēti sint) spectantibus. *Beia.p.2.casu.2.Incip.sacrista.* Atq; hmōi fures sacrilegij pariter crimen admisisse, & propter furtum ecclesiæ, & sacratij, cum ostiorum, vel parietis effractione, in excōmunicationem incidisse. Qui excōmunicati quamuis ante denuntiationem ab Episcopo absolui possint, dummodo monasterio damnum passo satisfacere velint, postquam tamen semel excōmunicati denuntiati fuerint, à solo Summo Pontifice absolutionis beneficium obtinere possunt. *Nau.cap.27.num.94.Sayr.l.c.l.3.c.29. num.15.& alij communiter.*

Atque hinc colligi poterit, quæ sint Confessarij partes tàm erga Henricum, quàm alios sacrilegos bonorum ecclesiæ subreptores; à lapsu enim carnis voluntario si in religione reseruatus sit, nisi petita, & obtenta à Superiore facultate absoluere ei non licebit, pro irregularitate vero, si quam cōtraxit, ad eundem Præfectum mittet, fures autem ad Episcopum pro excōicationis absolutione diriget, &c.

QVAESTIO XCVI.

NVNQVID PARENTES SVB POENA excommunicationis infantes in lecto, nondum anno expleto, tenere ab Episcopo prohibiti, si casu puer suffocetur, peccent mortaliter, & excommunicatione, ac irregularitate afficiantur.

Gabriel, & Euphemia, coniuges pauperes, infantem secum in lecto hyemali tempore, nondum expleto anno retinētes, illum casu suffocarunt, quęritur an lethaliter deliquerint, & in excōmunicationem ab Episcopo latam inciderint; & cum mortua vxore ipse Gabriel clericalem statum assumere velit, an irregularitatis impedimentum illi obstet, &c. & quomodo in praxi Confessarius in tali casu procedere debet?

Resp. Peccatum mortale admisisse, si probabile periculum talis euētus ab eis præcaueri poterat, & in debita cautela negligentes fuerunt; siquidem vt plurimum retentio infantis in lecto statim secum affert oppressionis periculum, cui verosimiliter se exponere mortalem culpam constituit. *Caiet.in verbo periculum, & in 22.quęst.64.art.8. vbi Salon, & Arrag. Graffius.l.2.Decis.aur.cap.66. numer.22. Vinal. de irregularitate. ex homicidio. casuali.num.243. Sayrus.l.7.de censf.cap.6. num.20. Corradus.quęst.217. Henriq. de irregularitate.cap. 15.num.1.Nau.cap.15.nu. 13. Tol.l.5.cap.7. num. 1. Riccius.in praxi var. resol.resol.40. Possev. de off. Cur. de Baptismo. num. 48.*

Sin autem hic actus ex iustis causis debitis circunstantijs cohonestetur, puta quia lectus est satis extensus, & puer à parentibus distat, & ipsa nutrix quiescens eodem in loco, & situ se inuenire con ueuit, quo dormire incipiendo se ipsam collocauit, aut paruuli implacabilitas hoc exigat, vel si parentes tàm inopes sint, & ob infantis commodum ita reponāt, vt à frigoris iniuria eum rueantur, ipsumque foueant, vel etiam si inter prolem, & parentes seu nutricem dormientes aliquid interponatur, qđ iudicio discreti viri oppressionem prohibeat, &c. si inquam hæc concurrant, & circunstantijs considaratis nulla periculi ratio supersit, certe sinister euentus casualis omnino cēsebitur, nec quidquam omnino voluntarij ēt indirecte habebit, ac proinde nec ad homicidij peccatum, nec ad censuram imputabitur; siquidem vbi peccatum mortale non est, ibi nec excommunicatio, nec reseruatio cadit.

Hinc & *Bonac. de legibus.d.1.q.1.p.7.§.4.n.19.* alio nomine, nempe ex leuitate, vel paucitate materiæ, à mortali, & excommunicatione excusat nutricem, vel aliam fœminam, quæ paruo tempore, verbi gratia duarum, vel trium orationum Angelicarum spatio, infantē sine præscripta debita cautione teneret, nam ex tam breui temporis interuallo probabiliter credi potest, nō graue interitus periculum per se loquendo incurri, nec legislator tàm acri pęna in tam modica detentione ferire voluisse præsumitur. Vnde in *cap consuluisti.2.quęst.5.* non absolute parentibus præcipitur, ne tenellos infantes in proprijs lectulis collocēt, sed admonēdi sunt, & protestandi, ne cum aliquo periculo, aut negligentia eos sic ponant. Et in *cap fin.ext.de his qui filios occid.* dicitur. De infantibus autem qui mortui reperiuntur, cum patre & matre, & non apparet, vtrum à patre, vel matre oppressus sit ipse, vel suffocatus, vel propria morte defunctus, non debent inde securi esse parentes, nec sine pœna; sed tamen consideratio debet esse pietatis, vbi non voluntas,

sed

sed euetus mortis causa fuerit, nam vt inquiunt Iuristæ, Fortuitos casus nullus mortalium præuidere potest, proinde, nec ad culpam imputantur, nisi ea casum præcesserit, veluti si medicus imperite, vel negligēter curauerit. Siquidem malum etiam hoc in republica viget, vt medicis, & aduocatis occidēdi data impunitas videatur, Philemone sic apud Stobæum attestante,

Soli medico, & aduocato,

Occidere licet impune.

Hinc illa infelicis monumenti inscriptio, Turba medicorum me interemit. Imò non solum à casu reseruato, & excommunicatione si sit latæ sententię (non ferendæ, vt in multis diæcesibus ad terrorem, & homines in officio continendos fieri solet) sed etiam ab irregularitate Gabriel immunis erit, ita vt sacros ordines sine dispensatione, nisi aliud obstet, promoueri valeat, si casu, absq; culpa saltem graui infans oppressus, & suffocatus sit, siquidem satis constat, irregularitatem, quæ ob culpam imponitur, ob veniale peccatum non incurri. *Tholos.l.36. cap.20. & DD. supra citati.*

CAP. XXI.

QVAESTIO XCVII.

QVID AGENDVM CVM EO, QVI alterum in duello occidit, & alium aggressorem se defendendo interfecit, & qui cum posset, non impediuit, ne suus Parochus necaretur.

LAzarus vir in armis satis versatus, iniuriosis verbis Clemētis lacessitus, ad singulare certamen eum prouocauit, ob quod ipse Clemens occisus est. Qui rursus à Gaspare fratre interfecti Clementis in loco secreto fraternæ necis vindicandæ causa inuasus, ipsum quoque aggressorē se, vitamque suā defendendo, de medio sustulit. Tertio eum impedire posset, ne Lucas Parochus occideretur, obstare tamen noluit, &c. quæritur, quomodo in actu practico circa istū, tàm quoàd ad culpā, quàm quò ad pœnam, absolutionem, & læsæ charitatis, & iustitiæ violationē Cōfessarius se gerere debeat?

Resp. Quæ ad hanc praxim spectant, abunde, & satis vt puto, attuli *in Comment. de cas. reser. p.2.c.3.* ne tamen hic casus omnino sua dote destituatur, hæc breuiter addemus, illud ad memoriam reducendo, qđ supra insinuauimus, videlicet triplex esse homicidium, vnum secundum corpus tantum, cum quis siue iuste, siue iniuste vita priuatur. De quo Dominus. *Matth.cap.10.* Nolite timere eos, qui occidunt corpus. Quoddam secundum animam tantum, vt cum quis alterum ad peccandum inducit. *cap. homicidiorum, de pœnit. dist.1.* Tertium, secundum animā, & corpus simul, cum scilicet quis abortum procurat, quādo fœtus rationali aīa præditus erat, vel cum adultum hominem mortali culpa infectum interemit, vel se ipsum necat, vterque enim sic oculos claudēs, in anima, & in corpore moritur. *cap. sicut et l.2. ext. de homic. cap. si non licet. 23.q.5.*

Rursus homicidium corporale triplicis est generis, scilicet voluntarium, quod animo occidendi per se, vel directe infertur, vel indirecte, seu in sua causa, vt qui venenum præbet, vel prægnātem grauiter percutit. Secundum casuale, quod præter intentionē accidit, qđ nō imputatur, cum homo rei licitæ operam dabat, & debitam diligentiam adhibuit. Tertiū est necessarium, cum à Iudice ob commune bonum alicui sonti mors infligitur, vel cum ob propriæ vitæ, vel honoris, vel rerū defensionem attentis personarum circunstantijs, & conditionibus perpetratur, his perpensis,

Quò ad primo casus quæstionem, Confessarius Primo videbit an in hoc casu subsit duellum, quod acribus pœnis præsertim excommunicatione à sacris Canonibus, cōcilijs, & Pontificijs sanctionibus puniri solet. Duellum vero est singulare certamen ab vtraque parte sponte susceptum cum periculo occisionis, vel mutilationis membri, seu vulneris, ex cōdicto, idest deliberato animo, determinato loco, & tempore, vt differat à pugna simplici, quæ ex subita rixa oritur, nam si rixando ex subito mentis impetu, & calore iracūdię actus Lazarus Clementem in eodem loco prouocasset, subinde dicens, Distringe ensem vt pugnemus, duellum cōmitrere non diceretur. *Lucas Floren. de Prohibit. duelli. cap. 1.num.4. Alexand. Pereg. de duello. in præfat. Sanch. l.2. oper. mor. cap.39. num.28. Molfes. tract.7.c.18. num.21. Bonacin. de cens. disp.2. quæst.6. puncto 2. num.5. Megal. p.3. Instit. Confess. l.4. cap.4. quæst.3. Riccius. resol 170. Tuschus. in verbo duellum. concl. 1305. Iosephus. Lud. decis. 11. Graff. cons.4. de homicidio. Filliuc. in qq. mor. tract. 29. cap.8. num.170.*

Vnde si ex cōdicto. i. ex pacto inuicē inito locus destinatus est, vt v.g. dicendo Accipe ensem, & ad talem locū accedamus, et si postmodū effectus non sit secutus, cēsendum est, in Bullā Clementis VIII. Incip. Illius vices, incidisse. Hæc enim est communis persuasio, quæ apud peritos fuit, ex qua secuta est praxis, quæ adhuc in sacra Pœnitentiaria viget, vt prouocātes ad duellū etiam effectu non secuto, excommunicati censeantur. Et hic est stylus curiæ, qui facit legem. Vnde sicut de alijs excommunicationibus ex solo ipsius curiæ vsu, & stylo cōstat eas incurri, vt de ingredietibus monasteria etiam non prætextu facultatis, de absoluentibus à casibus reseruatis Papæ, etiam si non prætextu priuilegiorum, & de absoluentibus ab excommunicatione ob extractionem bladorum, quò ad Papalem reseruationem,

tionem, & similibus, eodem modo dicendum erit talem casum comprehēsum esse, ac proinde ab alio quàm ab Apostolica Sede absolui non posse, nisi casus sit occultus, à quo Episcopo, vel deputato absoluere licet; vel & si publicus sit, ob iustum impedimentum Romam adire nequeat, vel etiam nisi ipse Confessarius sit regularis, cui casuum Papalium absolutio in foro cōscientiæ ex Pontificio priuilegio concessa sit, excepto casu prouocantium, & pugnantium in duello iuxta Decretum sacri Concilij Tridentini, & Constit. *Gregor. XIII. Incip. ad tollendum, &c. DD. citati*.

Si tantum in rixa, vel per insidias, seu aliter homicidium cōmissum fuit, cum communiter sit casus Episcopo, reseruatus faculras ab eo vel deputatis petenda erit, &c. Secundò, patefacienda est delicti grauitas. Primo, quod grauissima iniuria Deo infertur, cuius imago, & similitudo offenditur. Secundo reipub. cuius erat membrum. Tertio, priuatis hominibus, quibus charus, & vtilis erat, aut esse poterat, & speciatim domi, & familiæ suæ. Quarto, ei quem vita priuauit, quem necando paruum quendam mundum destruxit; & si forte mortali culpa infectus erat, si pœnitēdi locū non habuit, ad grauissimos, & æternos Inferni cruciatus detrusus fuit; quibus omnibus aliquo pacto faciēda est cōpensatio. Et quod homo non à Deo, nec ab homine iure iussus sanguinem effundat, talem, ac tantam deformitatem, & malitiam habet, ut summopere præ cęteris peccatoribus homicidæ plectendi iudicentur. Hinc Vates regius. *Psal.* 138. Si occideris Deus peccatores, viri sanguinum declinate à me: & per viros sanguinum absque dubio eos intellexit, qui sine rationabili causa, atque legitima iussione à Doctoribus considerata, volūtarium homicidium patrant, qđ iniusta hominis occisio dicitur, & 5. Dei præcepto vetatur, qđ quidē pluribus modis admittitur, vt facto, precepto, consilio, defensione, omissione, permissione, & cooperatione, &c. *Carbo. de restit. q.* 15. *Scalab. in Moral. Pass. Christi Mor.* 26. *cap.* 1. §. 2. *Daur. to.* 2. *c.* 3. *tit.* 97. *Hilaret. ser.* 3. *post. dom. Pass.*

Tertio, vrgendum erit à Confessario duellum (si in illo homicidium admissum sit) ob nullam necessitatem præsertim honoris tuendi, licere suscipere, siquidem illud respuere honorem potius, decus, famam, & existimationem affert; & si quæ iactura in hac re contingat, apud vanos homines, stultos, & huius sæculi amatores dedecus dicitur. Quippe vulgus fluctu mobilius à Seneca dicitur, ignobile dixit Virgilius, bestia multorum capitum ab Horatio appellatum est; & quidam sapiens rogatus quid esset à vero remotius? vulgi sententia, inquit, quidquid enim laudat, vituperio dignum est, quidquid cogitat, vanum, quidquid loquitur, falsum, quod improbat bonum est, quodq; approbat, malum, & quidquid denique extollit, infame. Hinc & *Quint. l.* 1. *orat. Instit. cap.* 14. ait, sermonis vsum vocari sapientum consensum, sicut viuendi assensum bonorum, alioqui si ex eo quod plures ex vulgo faciant, consuetudo nomen accipiat, periculosum præceptum dabit non orationi modo, sed quod maius est vitæ. Quinimò ex Pontificijs sanctionibus duellum offerentes, vel acceptantes infamiæ nota afficiuntur, & ecclesiastica sepultura priuātur. Qua ratione et probabilem esse illam sententiam perspicitur, quę asserit, prouocatum ad singulare certamen, etiam si falso pro excusatione afferat, absque sui honoris iactura, illud recusare non potuisse, si prouocantem occidat, læso, vel eius filijs, & hæredibus illata damna resarcire teneri. *Sayrus. de Irregularitate. l.* 7. *cap.* 11. *num.* 7. *Salon.* 22. *quæst.* 62. *art.* 2. *cont.* 11. *Bannes. ibi q.* 40. *artic.* 1. *in fine. Reginald. lib.* 21. *cap.* 7. *num.* 80. *Carbo. de Pacificat. quæst.* 49. *Pereg. de duello. quæst.* 7. *num.* 3. *&* 5. *& quæst.* 39. *num.* 10. *Mol. d.* 82.

Quarto recolēdum, homicidium puniri. Primo, iure natural, & diuino, siquidem vt supra insinuaui, homicida voluntarius. m. p. & æternæ pœnæ fit reus, & cum iustitiam simul cum charitate violet, quamuis à Iudice ad luendam publicam pœnam iuridice sit damnatus, arbitrio tamen boni viri iuxta locorum consuetudinem, regionis morem, & personarum conditionem; occisi hæredibus ad illatorum damnorum restitutionem tenetur. Vnde homicida, aut vulnerator, qui alium iniuste aggressus est, nō solum tenetur restituere damnum emergens, & integras expensas in morbi curatione factas, sed etiam omne lucrum cessant quātum scilicet illa spes lucri valebat, deductis sumptib. iuxta boni viri arbitriū resarcire obligatur. Verum quia in praxi difficile est ad vnguem diffinire, quid ex iustitia restituendum sit, expedit transactionem, & compositionem cum parte adhibere, cui de iure restitutio facienda est; quæ vt plurimum aliquid remittere solet, & regulariter inter nobiles locum habere non solet. Ita etiam correptū, & vehementi passione commotum, qui semiplene saltem aduertendo quid faceret aliquem occidit, teneri ad aliquam boni viri arbitrio restitutionem, quia cum damno alterius contra iustitiam deliquit, verior in praxi sententia comprobatur. *Bonac. de contract. disput.* 1. *quæst.* 1. *p.* 3. §. 1. *num.* 7. *& disput.* 2. *quæst. vltima. sect.* 2. *pa.* vt etiam animaduertimus. *in Comment. de cas. reser. p.* 2. *cap.* 3. De iure ciuili voluntarius homicida mortis pœna plectitur, eius bona fisco adiudicātur, & alicubi ex municipalib. statutis nec occiso, nec eius ascendētibus, vel descendētibus succedit. *Clarus. in praxi crim.* §. *homicidium. Farinac. tom.* 2. *de homicidio. quæst.* 124. *& seq. Menoch. l.* 4. *præsumpt.* 170. *num.* 14.

De

De iure canonico, & ecclesiastico clericus occisor si sacerdotio sit initiatus. Primo, ab altaris ministerio deponitur, & ad agendam perpetuã pœnitentiam in monasterium detruditur. Et si homicidij qualitas exposcit, de gradu deijcitur, & sęculari curiæ puniendus traditur. *cap. presbiter. dist. 81. cap. sicut dignum. §. clericos. ext. de homicid. Diaz. et Lopez. in praxi crim. canon. cap. 95. Sayrus. l. 5. de censf. cap. 21.* Et licet clericus homicida ipso iure beneficium non amittat, sed per sententiam expoliandus sit, in homicidio tamen, vt aiunt, qualificato, hoc DD. nõ admittunt. *Garzias. de benef. p. 11. c. 10. n. 41.* Item secundo homicida proditorius siue clericus, laicus, ecclesiæ immunitate non gaudet, ex *Constit. Gregor. XIV. Incip.* Hæc perpetua. *Ambros. de immunit. eccles. cap. 6. Mar. Italia. l. 1. cap. 5. §. 4. num. 3. Farinac. de immunit eccles. cap 9.*

Tertio, homicidium voluntarium, siue casuale culpabile, irregularitatis pęna afficit, cum hoc tamen discrimine, vt in voluntario vix, vel numquam à S. Pontifice dispensetur, irregularitas vero ex casuali descẽdens facile ab Episcopo auferatur. *Conc. Trid. sess. 14. cap. 7. Bonac. de cens. & irregularitate. d. 7. quæst. 4. puncto. vltimo. n. 5. & alij communiter.*

Quò ad secundam quæstionem, quę respicit homicidium Lazari factum ad sui defensionem, dico in foro conscientiæ à culpa, & à pœna excusari, si inuasus nequierit aliter vitam suam tueri, & tria interuenerint. Primo, armorum æqualitas. Secũdo, temporis congruitas, & simultaneus conflictus. Tertio, inevitabilis necessitas. Est. n. tritum & cõe scribentium axioma, grauibus, ac luculentis verbis exornatum à *Cicerone. l. 1. officiorum.* Defensionem à iure naturali manare, & vnumquemque magis suæ, quàm alienæ vitæ consulere teneri, etiam si aggressor lethali scelere obstrictus esset, & inuasus certò sciret, illũ in huiusmodi statu oculos clausurum, cum suo iure vtatur, &c. *Iurista. in l. vt vim ff. de iustitia & iure, & in cap. significasti. el. 2. ext. de homicid. D. Thomas. 22. quæst. 64. art. 7. vbi Bannes, Salon. Arrag. & alij.*

Quò tamen ad forum exterius, cum probare nequeat, ad se tuendum occidisse, homicidium fateri non tenetur, in ipsum namque iuris præsumptio militat, proinde iuxta propriam conscientiam iurare poterit, se delictũ illud nõ admisisse. At et in hoc foro iuste se tueri posset, si excipiẽdo probaret, illũ qui ab ipso interfectus est, fuisse in insidijs positum, & ipsum vt occideret expectasse, nam ex com muni opinione, in vtroque foro licet tales insidiatores præuenire, & de medio tollere, dummodo ex huiusmodi insidiis tale periculum adeò præsens immineret, vt non satis tuto vitari posset, nisi insidiator interficeretur, &c. *Menoch. l. 5. de præsumpt. præsumpt. 3. num. 48. Mascard. de Probat. volum. 2. concl. 1367. Farinac. de homicidio. quæst. 125. §. 1. num. 120. Corrad. in respons. cas. consc. quæst. 171. Sanchez. l. 3. oper. mor. cap. 6. Lessius. l. 2. de Iustitia. cap. 31. dubit. 3. num. 14. vt animaduerti in Comment. de cas. reser. p. 2. cap. 3. & post me etiam tradit. Coriol. de cas. regul. reser. p. 2. casu. 5.*

Quod attinet ad tertiã huius casus quęstionem, dico, quod licet Lazarus, qui sine suo periculo prohibere poterat ne ille sacerdos occideretur, & non obstitit, à culpa mortali non excusetur, cum contra charitatis leges deliquerit, sicut & quò ad homicidij peccatum, & reatum necasse dicitur, qui cum posset, fame morientem non pauit. *cap. pasce. dist. 86. Lact. l. 6. diuin. Instit. cap. 11. Tiraq. de temp. pœnis. causa. 44.* quò tamen ad censuram, & irregularitatem, & restituendi obligationem, cum iustitiæ leges non violauerit, eo quod hoc delictum impedire ex officio non teneretur, etiam si ob odium, vel prauum affectum non obstiterit (quidquid aliqui dixerint) immunis censetur, &c. *Innocent. & alij in cap. Petrus. ext. de homicidio.*

Porro iustitię lege cęteri, vt Reges, vel Principes & alij superiores defendere suos subditos tenẽtur, & è contra subditi suos superiores. Patres item, tutores, heri, magistri, Parochi, Custodes, & alij similes: & è contra illos filij, pupilli, famuli, parochiani & sub custodia positi. *DD. in c. quantę. ext. de sent. excõmunicationis. Sayrus. de cens. l. 3. c. 26. n. 24. & l. 7. cap. 4. num. 3. Suarez. tom. 5. disp. 22. sect. 1. numer. 56. Bonac. de cens. disp. 2. quæst. 4. puncto. 3. n. 5. Molina. tom 4. disp. 34. & 52. Philiarc. de officio sacerd. l. 3. cap. 33. Beia p. 1. casu. 60. & alij.*

Quid autem agere debeat Cõfessarius cum homicida occulto, cuius factum alteri tribuitur, Iudice secundum allegata, & probata iudicante, resoluendum est, cum eo agẽdum vt cum homicida voluntario, sed non esse cogendum ad se ipsum prodendum, vt innocentem à morte liberet, sicut ad id astringendus esset, qui alteri falsum crimen imposuisset, pro quo esset morte mulctandus. *Reginald. l. 21. n. 45. & est cõis sent. vt dixi infra. c. 36. q. 131.*

QVÆSTIO XCVIII.

ALLICIENS ALTERVM AD PECCANdum, & ad illicitas voluptates percipiendas, an præter peccatum ad aliquam restitutionem teneatur, &c. An mortaliter peccet fœmina, quę se prębet conspiciendam adolescenti à quò creditur turpiter concupiscendam.

Bernardus adolescens Lucium pariter socium suum in iuuenili ætate constitutum, bonæ indolis, ritè educatum, ac ciuilibus, christianisque moribus imbutũ, prauum, ac diabolicũ ei prębens

consilium, ad fornicandum induxit, sic cum eo verbis agens, Coronemus nos rosis, antequam marcescant: nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra. Fruamur bonis, quæ sunt, & vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter. Vino pretioso, & vnguentis nos impleamus, &c. Quæ sunt verba impiorum, & improborum apud Sapientem *Sap. cap. 2.* quibus se inuicem ad voluptaribus, ac illecebris fruendum inuitant, ac alliciunt; & quibus humani generis hostis. D. Vincentium Ferrerium deliniens, ac demulcens, in perditionis viam trahere conabatur, pœnitentiæ locum semper in senectute locum esse suadens, &c. vt apud *Surium in eius vita. die 5. Aprilis.* Item cum impuro amore erga Lucretiam viduam iuuenem afficiatur, & quotiescunque ab eo cernitur, se probabiliter cõcupisci cognoscat, ipsa à Cõfessario petit, an ab audienda missa abstinere debeat. Quæritur, quodnam peccatam ipse Bernardus admiserit, & an ad aliquam restitutionem teneatur, & quid ei & Lucretiæ consulere debet Confessarius?

Resp. Peccatum spiritualis homicidij cõmisisse, eo grauiori, & iniquiori culpa, quò anima potior est, quàm corpus, vt per *Chrisost. hom. 25. in Epist. ad Rom.* Siquidem vt sapienter ait. D. Augustinus. *relatus in c. noli de pænit. dist. 1.* Cui oẽs subscribunt.

Non debet homo existimare se non esse homicidam, quando fratri suo mala persuadet, occidit enim, & vt sciat, quia occidit, audiat. *Psalmũ 56.* Filij hominum dentes eorum arma, & sagittæ, & lingua eorũ gladius acutus. Quæ quidẽ occisio communi nomine scandalĩ dicitur, qđ teste. *D. Thoma. 22. quæst. 43. ar. 1.* est dictum, vel factum, vel omissum minus rectum præbens alteri occasionem ruinæ. Quod diuiditur in scandalum actiuum, cum quis aliquid dicit, vel facit ea mente, vt alterum ad peccandum inducat. Aut quãdo etiam si huiusmodi desit intentio, actio talis est, vt aliũ in peccatum trahere possit: & passiuum, & est ipsamet spiritualis alterius ruina, vt cum quis ex alterius operibus cadendi ansam captat, &c. Quod etiam est duplex, vnum pusillorum, quando in doctrina, vel moribus infirmi ex dicto, vel facto alterius, siue bonum sit, siue indifferens, delinquendi occasionem sumunt; & Pharisaicum, quod quis ex peruersa mente, ex bonis alterius operibus arripit. Speciale tamẽ scandali peccatum patratur, cum ex certa, & expressa intentione labendi, ac ruendi ansa præbetur, cum voluntas nostra & si cogi ad peccandum nequeat, à causis tamen extrinsecis eam impelli tãquam occasione, si sponte velit, certum apud Theologos sit adeo vt alteri scandalum præbens duplicis etiam peccati reus fiat, sui scilicet peccati, & illius qui suo malo exemplo, & consilio ruendi occasionem sumpsit, & hæc circunstantia necessario in confessione exprimenda sit. *Bonac. de leg. d. 2. quæst. 4. p. 2. Bannes. d. art. 1. Val. tom. 3. disput. 3. quæst. 17. p. 1. Vasquez. opusc. de scand. dub. 1. Sanchez. l. 1. oper. mor. cap. 6. num. 1. Reginald. l. 14. num. 22. Syl. Ang. Tab. & aly. summulary. in v. scandalum. Molfes. tract. 8. cap. 10. Graffius. l. 2. Decis. aur. cap 68. Io. Mald. de virt. theolog. quæst. 43. Azor. p. 2. l. 12. cap. 16. Sayrus. in cl. reg. l. 7. cap 6. Iustin. in Tob. cap. 8. vers. 12. in docum. Card in clem. 1. de officio. ord. Oldr. consil. 268. Tholos. in syntag. Iuris. l. 36. cap. 23. & l. 38. cap. 2. Vide supra. tract. 5. cap. 12. quæst. 75.*

Hinc ad secundam questionem responsio sequitur, vt Bernardus qui prauo consilio, & malis, peruersisque suasionibus socij sui voluntatem ad fornicationis peccatum committendum inflexit, si nullam vim, fraudem, & dolum adhibuit, non ex iustitiæ, sed ex charitatis tantum legibus ad restitutionem teneatur, eo. s. modo, quo quemcunque proximum ratione præcepti de fraterna correctione iuuare debet, illum ad pœnitentiam inducendo, & ad alia bona opera amplectenda suadendo, precibus quoque pro eo ad Deum fusis; libera est enim, vt dixi, voluntas nostra, nec ad malum cogi potest, & neminem iugo seruitutis astrictum possidet Diabolus, nisi propria volũtate deflexerit, & se ei prius peccatorum proprio ære vendiderit. Nec ex iuris regula, vllus ob consilium obligatur, nisi fraudulentum sit, &c. Additur, quod obligatio ad restitutionem ex illata iniuria sequatur, quæ scienti, ac volenti non fit. Licet illud exploratum sit, si d. Bernardus socium suum falso dogmate circa fidem ac mores decepit, vt dicendo fornicationem non esse mortale peccatum, ex iustitia teneri eam deceptionem manifestare, &c. Modus erroris tollendi docebitur infra *in 6. & 7. præcepto.* Interim illud à Confessario seductori Bernardo proponi poterit, vt seducto patefaciat, fornicationem esse peccatũ mortale, & sexto Dei præcepto prohiberi. *cap. meretrices. 32. quæst. 4.* Voluptatem esse malorum escam, qua homo à Diabolo capitur, vt hamo pisces, cum qua mortis æternæ amaritudinem abligurit. Vnde *Mich. cap. 6.* Ambulasti in voluptatibus, vt darem te in perditionem. Quod de impudica muliere scribit Sapiens *Prouerb. cap. 5.* nimirum ipsius cõsuetudinem primum iucundam, ac suauem esse, verum ad extremum absynthio amariorem inueniri, hoc ad omnes mundi voluptates nõ inepte referri potest, scilicet eas demum dolore concludi, iuxta illud,

Sperne voluptates, nocet empta dolore voluptas.

Ad secundam quæstionem dico, quod si Lucretia vidua sciat se à Bernardo turpiter amari, nõ peccat, quoties se eius conspectui se offert, modo eum ad turpem sui amorem prouocare non intendat. Primo enim si ex causa necessaria se exhibeat, vt eundo ad ecclesiam, vicinas, vel consanguineas inui-

inuifendo, & huiufmodi, omnes eam excufant. Si vero abfque neceffitate prodeat, & fe offerat, multi tenēt, eam lethaliter peccare, probabilius tamē alij id negant, quia ob alterius malitiam fua libertate excundi cum proprio incommodo, fe priuare non tenetur, quia hoc potius eft fcandalum acceptum, quàm datum; ficut acceptum cenfetur, quando fœminæ fe fuperflue ornantes fore præuident vt ab alijs impure amentur, modo intentione eos ad libidinem prouocandi hoc non faciant, vt per *Sāchez. l.1. de præcept. cap.6. num.16. Filliuc. tract.28. c 6. quæst.6. num.232. Bonac. de matrimonio. quæst.4. p. 9. n.17 & de leg. d.2. quæst.4. p.2. §.1. n.27. & alios.* Remedium quod huic viduę prębere debebit Confeffarius eft, vt non nifi ex neceffaria caufa à domo pedes efferat, ab afpectibus fe cohibeat, feueriorē, & aufteriorē erga viros fe exhibeat, eorū familiaritatē deuitet, nam ficut fpinæ flores, & lilia tuentur, fic puellæ, & viduæ duritie, & aufteritate honeftatem in fe ipfis, & in alijs conferuant, & à periculo peccandi fe & alios liberant, vt diximus *in Comment. de ftat. p.2. cap.25. & feq.* Quò ad fupra firmatam affertionem videatur ēt. *Molina. tr.4. de iuftitia, & iure. difput.50. Arrag. Bannes, & Salon. 22. quæst. 62. art.2. Sayr. l.11. cl. reg. cap.1. num.9. Leffius. lib. 2. cap.8. dub.2. Reginald. lib.10. num.502. Fauft. d. 36. q.3. l.10. n.303. Bonac. de cont. difp.2. q.1. p.1. n.3.*

QVAESTIO XCIX.

AN PAROCHVS AVDIENS SVVM SVBDItum impia, & fcandolofa verba proferre, Eucharistiam in Pafchate non fumpfiffe, & concubinam domi tenere, peccet mortaliter fi eum non corrigat, &c.

GVlielmus Parochus fupradicti Bernardi proterui, & profligatæ confcientię iuuenis, cum in quodam familiari congreffu, ac conuerfatione, illud prauum datū cōfilium, & impia verba audierit, non folum eum non reprehendit, fed etiam tacet conniuens, ac rem, & execrabilem fermonem in rifum conuertit. Imò cum fciat eum in Pafchate facram Euchariftiam non fumpfiffe, & cōcubinam domi tenere, illum admonere non audet, nec ad Epifcopi Vicarium deferre, eo quod & ipfe timet, ne de quodam turpi admiffo crimine apud eūdem accufetur, Quæritur, an d. Parochus fraternā correctionē omittendo mortaliter peccauerit, & quid in hoc cafu fit à Confeffario agēdum, & quomodo vtrique malo confulendum?

Refp. Abfque dubio dicendum eft, iftum Curatum graui, & mortali culpa fe contaminaffe; nam quamuis fraternæ correctionis præceptū ad oēs in gnē homines pertineat, & fub mortali peccato obliget, eft enim fpiritualis homicij fpecies, proximum non corrigere, & à perditionis ftatu non reuocare, iuxta illud. *Ecclef. c.17.* Vnicuiq; mandauit Deus de proximo fuo, ita vt vere Publianus fcripferit,

Amici vitij fi feras, facis tua,
Cum his conuerfare, qui te corrigant,
Secreto admone amicos, palam lauda.

Nam fi peccat ille, qui egenti proximo pecuniam, aut frumētum abfcondit. *Prouerb. cap.11.* cur non peccabit ille, qui erranti fratri, & famefcenti panem correptionis fubtrahit? & fi inquā hoc munus oēs concernat, Ad Prælatos tū illud in primis fpectat, quorū munus eft, non modo deliquentes cōmonere, fed & acriter, fi opus fuerit, rigideque reprehendere, in eofque pro delicti grauitate animaduertere. Prælatorum vero nomine omnis Superior tàm ecclefiafticus, quàm fæcularis, qualis is demū fuerit, comprehenditur; qui fi officio huic inertia, vel negligentia, feu ficto pietatis titulo defuerint, in fe ipfos vniuerfamque rempub. ac familiam crudeles erunt, ac perniciem effundēt, &c. Sane publicarum calamitatum, quibus boni cum malis æqua forte inuolui videntur, hoc vnum præcipue caufa eft, quod boni præfertim Paftores malos quibus cum verfantur, non corripiunt, non emendant, in viam falutis reducere, & ad Chriftū pertrahere non contendunt, fic. *D. Aug. l.1. de Ciuit. Dei. cap.9.* Ingentem illam vrbis Romæ, totiufq; Italiæ per Gothos fuo tpe vaftationem neglectæ proximorū faluti, ac correptioni attribuit, videatur de hac materia. *D. Thom. 22. q.33. art.2. vbi Bannes, & Mald. Val. d.3. q.9. p.2. Nau. c.24. n.12. Canonistæ. in c. nouit. ext. de Iudicijs. Expofitores. Matth. cap.18. Sotus. in relect. de teg. vel de teg. fecreto. membro.2. quæst.1. Reginald. l.4. num.328. Azor. p.2. l.12. cap.14. Graffius. l.2. Decif. cap.69. Molfef. tract.1. c.17. Sayrus. lib.11. clauis reg. cap.4. num.3. Fernand. in Theol. mor. p.1. cap.3. §.3. Lud. de Ponte. de chrift. hom. perfect. p.1. tract.3. cap.9. & p.2. tract.3. c.6. Roder. de perfect. relig. p.3. tract.8. cap.1. & feq. Io. Dauid. in Verid. chrift. cap.50. Fab. Iuft. fuper Tob. cap.1. verf.15. & cap.3. verf.10. docum.1. Scrib. in medico relig. l.1. cap.5. Stap. in dominica 18. poft Pent.*

Porro vt ifte Parochus huiufmodi fuum fubditum corripere teneatur, nonnullæ circunftantiæ concurrere debent. Primo, vt certo fciat, vel probabiliter dubitet, illum in tali concubinatus mortalī peccato iacere, unde ut ueritatem eruat, debet caute eius uitam inquirere, fiquidem Prælati, ut pater fpiritualis eft, partes funt, fubditorum uiuendi rationem ad paterne corrigendum, uarijs argumentis, & coniecturis uenari: nulla namque eft Paftoris excufatio, fi lupus oues comedit, & Paftor nefciat. Propterea Prælati in facra pagina appellantur fpeculatores, vigiles, & cuftodes, qui de ouibus fibi cō-

missis, rationem reddituri sunt. Idem dicendū de Præfectis regularib. erga subditorū mores dignoscendos, patribus erga filios, magistris, vel pædagogis circa discipulos, & alumnos, tutoribus erga pupillos, &c. Quib. omnibus, vt dixi, competit super gregem vigilare, & eius morbis remedia adhibere, non tantum eum illos certo norunt, sed etiam cum illorum habent indicia, quæ timendi occasionem præbent. Cauēdum autem est eis ne subditis objiciant tanquam certum, quod est dubium, ne alios, qui rem ignorant, peccatum aliquod in particulari suspicari faciant, de quo infamia aspergantur, in eo enim cum obligatione ad famæ restitutionem grauiter peccare possent.

Prælatus, inquit D. Benedictus in *sua regula c. 64.* non debet permittere nutriri vitia, sed prudenter, & cum charitate ea amputare, prout viderit nō sit zelotipus, & nimis suspiciosus, quia nunquā requiescet; caueat ne quid nimis, ne dum nimis cupit eradere æruginem, frangatur vas. Vt enim vitreum vas infringi solet, si nimis dure, & aspere tractetur, mundatur autem si leniter cum eo agatur: ita peccatorem aliquando asper corrector exasperat, lenis autem emendat. Iuuabit diligens personarum, & morborum consideratio, prudentū medicorum more, neque .n. omnium conditio, morbusque eadem medicamenta admittit, & grauissimus error illorū est, qui in omni populo, persona, ætate, morbo, tempore, eadem pharmaca adhibenda censent, lenia enim quidam maximo admittūt fructu, dura noxio fere euentu hauriunt, potentioribus alij extimulandi sunt, q mollia cōtemnunt. Sed regulariter errat superior, cum ab acrioribus medicationem inchoat, siquidem à mitioribus curatio instituenda est, nec ad illa veniendum, nisi vis mali molliora respuat: ac tùm etiam caute, & prudēter ad ignes, aut nouaculas eundum, vt æger sentiat, non voluntate medici, sed morbi necessitate ad illa trahi, &c *Scriban in Medico relig. l. 1. c. 7.*

Secunda conditio est, vt congruo loco, tēpore, ac modo, hæc correctio fiat. Celebris est Pythaci sententia, Noris tempus. Medicus in dandis medicamentis tempestiuitatem obseruare nouit, sicut ille inquit,

Temporibus medicina valet. E contra nihil est in morbis magis periculosum, quàm immaturum pharmacum. In lege ueteri circuncisio vsque ad octauum diem differebatur, quia vt tradit Aristot. *lib. 7. de hist. anim. c. 12.* Tenerrimus est fœtus toto illo tempore, quod antecedit. Olitoribus lex dicitur, ne sub ardente Sole plantas irrigent, quia tunc propter caloris inopiam, radicalis plantarum humor absumitur, itaque primum languēt, deinde intereunt. Atque his affine est illud Ipocratis, Cum morbi vis est maxima, vtendum victu tenuissimo; & in morbis acutis raro vtendū medicamento purgante, nec vero id nisi considerate faciendū. Et quia ex Seneca nō in facto laus est, sed in eo quēadmodū fiat. Corripiēdus est ꝓximus in spū humilitatis, ac lenitatis, ac reprehensionis aculei ad mansuetudinis silicem obtundendi. *Apost. ad Gal. 4. c. cū beatus d. 45. Conc. Trid. ses. 13. c. 1.* Item intra domesticos parietes, iuxta illud,

Secreto admone amicum, palam lauda. In domo iusti ait *D. Prosper sent. 163.* etiam qui imperant eis seruiūt, quibus videtur imperare, quia nō dominandi imperant cupiditate, sed officio consulendi, nec principandi superbia, sed prouidendi beneficentia, *Et D. Bonau. de sex alit c. 7.* satisfactionē, inquit, imponite, per quam agnoscat pondus reatus sui, ita tamen clementer & cautè, sicut tibi met velles alium compati, si tali peccato derelinqueres.

Tertio dēt ēt spes emendationis adesse, quoties enim correctio profutura non speratur, corrigere non tenemur, cum opus inutile amplectendum nō sit, iuxta illud adagium, Ignē ne gladio fodito, de his dici solitum, qui frustra moliuntur, quod effici nullo pacto queat, teste Platone. *libro 6. de legibus.* Hinc Confessarius, vel Parochus pœnitentem corrigere non tenetur, à quo nouit matrimoniū illegitime cōtractum, sed nullum ex correctione fructū sperat. Idem dicendum de eo, qui cōtractum vsurarium inijt, inuincibiliter nesciēs, esse vsuræ vitio affectum, aut qui inualide Cōfessus est, aut qui iniustè primogeniturā possidet, &c. Pœnitens autem inuincibili ignorantia laborare dignoscetur, ita ut admonere non teneatur, si bono modo, & cum dexteritate intelligere curet, an in bono statu se constitutum credat, uel an læsam conscientiam habeat, caute tamen ne malæ fidei dubietatem ingerat, &c. *Sanch. lib. 2. de matrim. d. 38. Bonac. de matr. q. 3. p. vlt. & de legib. d. 3. q 4. p. 7. Guttierez. eodem tract. c. 48.*

Quarto reqritur vt corrigēs nō in eodē inuoluatur uitio; ne ei objiciatur, Medice cura te ipsū, siquidē

Turpe est Doctori, cum culpa redarguit ipsum.

Ab hoc tamen corripiendi officio non excusatur Parochus in eadem naui existens, modo emendationem in se ipso procuret.

Qd̄ si hmōi circunstantijs vestita correptio apud d. Bernardū non proficiat, iuxta Euāgelicum ordinem, Epō, vel eius Vicario denūtiandus est, etiam si aliquam famæ iacturam ipse Parochus timeat.

Quandoquidem spirituales Prælati, vt Episcopi, Curati, & alij grauibus subditorum necessitatibus per hanc correptionem cum temporalium bonorum detrimento, uitæ quoque periculo, si correctionis futuræ, & salutis impendendæ spes effulgeat, opitulari tenentur. Quod constat *Io. cap. 10.*

Bonus

Bonus pastor animam suam ponit pro ouibus suis. Quam assertionem cōis scribētium sententia confirmat vt in supra & infra citatis authoribus videre licet. Legitur de quodā bono sacerdote animarum Curatore, vt refert. Vmbertus *in reg. D. August. c. 164.* quod quando aliquos in Parochia sua habebat, quos corrigere non poterat, eorum nomina in schedula describebat, & illa ad Episcopum deferēs ei dicebat, Domine Reuerēdissime, Hos quos mihi inter alios commisistis, resigno, & relinquo, quia eos vt scabie infectas oues sanare non possum, & ipsorum correctio vires meas excedit, &c.

Conseruāda quidē est hominis existimatio quò ad licet, verū cū salus sine nominis detrimēto cōparari nequit, aīæ vita nominis decori præferēda est, & morbus Præfecto, qui publicā personā gerit prodēdus est, vt pro sui officij facultate peccantē coerceat, & plectat, quantum vel ad ipsius salutem, vel ad publicam aliorum vtilitatem opus esse intelliget. Si forte Bernardus animi nūc ægritudine laborans ægre etiam correptionem ferre videatur, medici tamen spiritualis postmodū salubrem manum experiens, collatum in se beneficium commendare cogetur. Remedia, aiebat Plutarchus, statim mordent, postea sanitatem conferunt, & voluptate perfundūt; ita salubria monita initio amara sunt, mox correcto iucundissima; & omnes æquo animo correptionem ferētes, bonam spem melioris beatitudinis exhibent. Sanè Amandus Episcopus Argentinensis, cum aliquando Romam venisset, in Ecclesia S. Petri pernoctauit, vbi ei apparuit S. Petrus, iussitque, vt pergeret ad Dagobertum Regem, ac de peccatis suis eum corriperet, qđ & fecit; & cum verbum salutis prædicat, regno extruditur; sed tandem resipiscēnti Dagoberto Amandus gratus fuit, &c. *Daur. in Catech. hist. p. 4. c. 7. tit. 17. exēp. 1.* Non est tamen improbanda eorum sententia, qui asserūt, Parochū à culpa excusari, si probabili mortis, vel alterius grauis damni existēte metu, ad Episcopum eos non deferat, qui tempore ab ecclesia præscripto pœnitentiæ, vel Eucharistiæ sacramentum non susceperunt, præsertim si alia ratione resipiscēdi spes adsit, cum ecclesia pia mater, cum tanto discrimine uelle obligare non censeatur. Atque idē in his S. Inquisitionis officio, aut legitimo Superiori eos non denuntiant, quos ex eorum Edictis sub excommunicationis pœna deferre tenentur. *Bonacin. de legibus. dist inct. 2. quæst. 8. p. 2. numer. 10. Gen. in Praxi. Neap. cap. 23. numer. 8. & Lazar. de monit. sect. 2. quæst. 14. & attigi supra tract. 5. cap. 8. q. 51. & 56.* Vide etiam *Petrum Besseum. Maur. Hilaret. & Iosephum à Costa. Fer. 3. post Dominica 3. Quadrages. Tol. lib. 5. cap. quinto. Posseu. de officio. Curati. capit. 12. numer. 5. Vmbertum. in regul. D. August. cap. 164.*

ARTICVLI, CASVS, ET QVÆSTIONES super sextum Decalogi præceptum. Cap. XXIII.

QVAESTIO C.

QVOMODO CIRCA SEXTVM PRAECEptum se gerere debeat Confessarius?

QVid interrogare debet Confessarius circa sextum decalogi præceptum, & qua praxi erga pœnitentem vti, &c?

Resp. Satis apud omnes cōstat, in hoc sexto præcepto; Non mochaberis. *Matth. cap. 5.* non solum adulterium prohiberi, sed etiam omnem actum carnalem voluntarium interdici, siue sit copula, siue pollutio carnalis, seu alius actus ad copulam disponens; siue sit actus exterior, in aliquo facto, aut dicto consistens, vt sunt libidinosi aspectus, contactus, & oscula, impudicus sermo, lasciuæ cantiones, siue quid ad impudicitiam inducere valens. Seu sit actus interior, vt sunt libidinosæ cogitationes, consensus in turpem actum, delectatio morosa, & alia. Prohibetur vero principaliter viri adulterium, tùm quia vir ad resistendum fortior est, vxoremque sua virtute vincere, & exēplo regere eum oportet, tùm vt multorum virorum peruersitas compescatur, qui perfricta fronte, & omni abiecto pudore, thori fidē violant, & de sua incontinentia, & turpitudine gloriantur, &c. Adulterium quoque hic exprimitur, quia præter deformitatem, ac malitiam, quæ ipsi cum alijs carnis, ac luxuriæ speciebus cōmunis est, iniustitiæ etiam peccatum in proximū, ac ciuilem, politicamque societatem adiunctum habet.

Et quoniam prauitas luxuriæ à fine indebito petenda est, siquidem actus venereus malus esse conspicitur, quando quis illo contra rationis ordinem, ac finem à Deo & natura ordinatum, nō modo debito, ac conuenienti vtitur; ideo quot deformitates in ipso fine reperiūtur, tot luxuriæ species esse contingit, quæ ad sex reducuntur, & sunt fornicatio, adulterium, incestus, raptus, stuprum, sacrilegium, & vitium contra naturam, vt supra luxuriæ vitium expendentes animaduertimus.

Primo, ergo Confessarius ex prudentiæ præscripto interrogare poterit de turpibus cogitationibus, consensu, ac morosa delectatione. Secundo, de verbis lasciuis, actibus libidinosis, &c. Tertio, de supradictis luxuriæ speciebus, fornicatione, adulterio, &c. paulatim scilicet à cogitationibus ad verba, deinde ad actus progrediendo quantum sufficit ad peccati naturam, & speciem cognoscendam, & conueniens remedium adhibendum.

Admonet vero Romanus Catechismus Parochos & Confessarios, in hac materia explicanda cautos,

cautos, & prudētes esse debere, vt rem tectis, & honestis verbis, commemorent, ut pote quæ moderationem potius, quàm orationis copiam desideret, verendum est enim ne dum ij late nimis explicare, & interrogare student, in illarum rerum sermonem forte incidant, vnde excitādæ, potius libidinis materia, quàm restinguēdæ illius ratio emanare solet; stulti namque, ut est in adagio, sicut turdi malum sibi giguūt, idest verbis suis captiui fiunt, quemadmodum uisco sui stercoris capitur turdus. *Reginal. l. 2. n. 35. Molfes. tr. 7. c. 22. n. 3. & 15. & alios.*

QVAESTIO CI.

QVOMODO SE GERERE DEBEAT Confessarius cum pœnitente, qui in præteritis confessionibus peccata interna numquam expressit, & dubitans libros vetitos legit, &c.

MIchael Eques vir solitus ex patriæ more nobiles, ac liberales coniugatas feminas amicitia comprehendere, & obsequio tueri, atque amatoriam, ut aiunt, artem exercere, alia peccata cōfitetur, morosas tamen delectationes non exprimit, nec circunstantias personarū, circa quas huiusmodi delectationes uersatę sunt, neque numerum talium delectationum explicat. Item dubitans an quidam liber esset auctoris hæretici, qa de rebus christianæ fidei, ac bonis, castisque moribus repugnantibus agebat: sæpius illum legit, & diù apud se retinuit, interrogatus nūc à Cōfessario de his peccatis cogitationis, quæ contra sextum, & nonum præceptum committi solent, respondit, se numquam peccata interna, & mentalia, nec quò ad speciem, nec quò ad numerum fuisse confessum, tùm quia tàm in consensibus, ac desiderijs, quàm in morosis delectationibus culpam subesse posse ignorabat, eo quod ad externum opus nō prodijssent; tùm etiam quod in ante actis cōfessionibus à sacerdotib. numquam interrogatū fuisse asserat, &c. nec de huius libri lectione quidquā admonitū. Quæritur, an hęc ignorantia illum excuset, quid de alijs sacerdotibus, qui in his non scrutandis defecerunt, an præcedentes confessiones iterandæ sint, & quomodo nunc præsens Confessarius se gerere debeat?

Resp. Istum Michaelem in foro conscientię à lethali noa nō excusari, cum sit nobilis Eques, & liberaliter in vrbe educatus, quando peccata interna non expressit, nec morosas delectationes etiam si occultissimæ sint, & tantum aduersus duo vltima decalogi præcepta commissa, quæ vt ait *Conc. Trident. de pæn. sess. 14. c. 5.* nonnumquā aīam grauius sauciant, & periculosiora sunt his, quę in manifesto admittuntur. Nec à peccato eximi potuit, cum ex more patriæ artem amandi exercēs, illis nobilibus coniugatis mulieribus inseruiuit, nam cum hæc actio ad finem cum illis matrimonium contrahendi esse non potuerit, certa eius apparet iniquitas & iniustitia, cui etiam mali exempli, & scādali saltem apud probos & sapientes uiros crimen annectitur. A mortifera quoque culpa liber non erit, cum dubitans, an aliquis liber hæreticus esset illum legit, & apud se retinuit, licet excommunicationem in Bulla Cœnę Domini non contraxerit, siquidem ea scientiā requirit, qua ambigens, ac anceps caret, vt per *Megalum. 3. p. Instit. confess. l. 3. cap. 1. num. 46.*

Illam tñ non effugisset, si non ignorando eum esse hæreticum legisset, etiam si de hæresi, ut aliqui graues. DD. uolunt, non exprofesso, sed obiter tractet, ut per *Duard. in Bulla Cœnæ Domini. l. 2. can. 1 q. 39.* Quam rem tetigimus supra *tr. 7. c. 2. q. 9.* Sicut etiam in illam incidisset, si nō dolo malo, sed ob curiositatē, sciēter illum librum volutasset. *Vgol. in Comment. de cens. Pap. par. 2. cap. 1. vers. ac eorundem. numer. 3.*

Dico tamen quod si homo rudis foret, qui hæc interna peccata, quæ diximus ignoraret, à peccato mortali excusari posset, & per cōsequens ad iterandas præteritas confessiones non teneretur. Nam & si in decalogi præceptis, quæ ex primis iuris naturæ principijs dimanant, & quę à quouis homine nullo fere negotio deduci possunt, inuicibilis ignorantia dati nequeat, ut Deum esse colendum, parētes honorandos, &c. reliqua tamen etiam ad longū tempus inculpate ignorati possunt; nec enim simpliciū, & idiotarum personarum animum peccati cogitationum fœditas, & turpitudo adeo pulsat, ut antequam admoneantur, à diuinæ legis transgressionis noxa ad aliqđ tēpus excusari non ualeant. *Val. 1. 2. disp. 6. quæst 6. puncto. 1. Azor. l. 1. cap. 13. quæst. 1. Sanchez. l. 1. oper. mor. cap. 16. num. 33. Sayr. l. 2. clau. regul. cap. 9. num. 18.* Sicut etiam non est reficienda, uel iterum repetenda eius cōfessio, qui probabiliter existimat se dispositum, quamuis uere non sit, quàm confessionem DD. informem appellant. Et rudis homo, qui ob ignorantiam, peccatorum numerum omisit, detecto errore, confessiones quidem reiterare non tenetur, sed uerisimilem numerum exprimere, & Cōfessarius id exigere debet. *Nau. cons. 12. de pœnit. & remiss. Regins casu. 27. Zerula. in Praxi pœnit. cap. 12. quæst. 50.*

Potius dicendum graui scelere ob docendi negligētiam eorum Parochos, & Pastores obstringi, totam ēt culpā in Confessarios reijciendā, qui cum pœnitentium confessiones audiunt, de cogitationum peccatis & alijs nō interrogant. Cū tñ certum sit, quod sicut Deus bonam uoluntatem cum exequendi facultas deest, præmio afficit. *cap. magna. de pœniten. distinct. 1.* quod & illum Ethnicum

non

non latuit, qui ut sæpe repetiuimus, dixit,

Vt desint vires, tamen est laudanda voluntas,
Hac ego contentos auguror esse Deos.

Ita etiam praua desideria impune abire haud patitur, alio sic attestante,

Has patitur pœnas peccandi sola voluntas,
Nam scelus intra se se tacitũ qui cogitat vllum,
Facti crimen habet.

capit. cogitationis. de pœniten distinct. 1. vbi Nau. Vnde *& S. Odo. in vita S. Geraldi Comitis,* Verũ est inquit, illud prouerbiũ, quia uoluntas pro opere cõputatur, nam & ille qui fratrem odit, homicida esse perhibetur, & Ioannes Euangelista passionis calicem bibit, cum tamen in pace quieuerit. Et *S. Gregorius. l br. 21. mor. capit. 4.* Sic autem Dominus uniuscuiusque considerat uias, sic dinumerat gressus, ut nec minutissimæ quidem cogitationes eius iudicio, ac uerba tenuissima, quæ apud nos usu uiluerũt, indi cussa remaneant. Vnde *& Bellarm. de art. bene mor. l. 1. cap. 13.* sic loquitur, Non desunt, quod magis admirandum est, qui peccata interna, vt desideria fornicationis, adulterij, homicidij, furti, arbitrentur non esse peccata, nisi opere cõpleantur; imò uero neque aspectus impudicos, uerba lasciua, in peccatis numerẽt, & tamen Dominus ipse disertis uerbis loquitur, cum ait. *Matth. cap. 5.* Qui uiderit mulierem ad concupiscendũ eam, iam mœchatus est in corde suo. Oportet igitur, ut si qs conscientiæ suæ consulere uelit, & utilem ac salutarem confessionem facere, primum libellum aliquem de arte recte confitẽdi peccara inueniat, aut certe Cõfessarium pium & doctum consulat, deinde in cor suum ingrediatur, & non cursim, ac breuiter, sed accurate ac serio conscientiã suam excutiat, & diligenter cogitationes, desideria, uerba, & facta, nec non omissiones examinet, & pio, ac perito medico animarum cõscientiam suam aperiat, &c. hæc ille. Et apud omnes in confesso est, Confessarium, qui non solum Iudicis, & Medici, sed etiam Doctoris munere fungitur, teneri ea omnia pœnitentem docere, quæ ad rectam faciendam confessionem sunt necessaria, & in quibus videt pœnitentem ipsum ob inscitiam, vel malitiam deficere, sua industria supplere. *Beia. p. 1. resp. casu. 9.*

Porro qua prudentia in cogitationibus scrutandis Confessarius vti debeat; quomodo circa illas peccare contingat, quæ remedia prauis earum suggestionibus adhibenda sint, supra annotauimus. *tract. 5. cap. 13. quæst. 84. & seq. & tract. 7. c. 1. q. 8.* Sed qđ ad præsentẽ rem spectat, nec ẽt hic omittendũ, Confessarij munus esse pœnitentẽ docere, quatuor potissimum modis in cogitatione peccatum in omni delictorum genere contingere. Primo, cum mens circa aliqua vana versatur, & tunc est veniale peccatum. Secundo, cum absolute in aliquod mortale peccatum consentitur, & in hoc casu lethalis contrahitur culpa. Tertio, cum conditionaliter in tale peccatum voluntas fertur, pura si quis diceret, si absque infamia, & periculo tale delictum puta fornicationis, vel adulterij admittere possem, &c. Et in hoc absq; dubio mortale conflatur peccatum, secus esset si quis hac ratione diceret, si talis actus nõ esset culpa, illũ cõmitterem, &c. veniale nãque peccatum, sed tamen periculosum hic agnoscitur. Huc refertur quando in opus non malum simpliciter, sed illicitum propter suum statum fit consensus, vt si vir Deo per solemne votum dicatus diceret, si non essem religiosus, non fierem, In qua apposita conditione non plus, quàm venialis lubrica rũ culpa inuoluitur. Quarto, qñ cogitãdo delectatio morosa interuenit, cum. s. quis voluntarie delectatur de actu malo cogitato, sine desiderio talem actum perficiendi, in qua mortiferam noxam latere DD. omnes fatentur. *vt per Caiet. communiter receptum in summa in v. cogitatio. Bonac. de matrimonio. p. 7. quæst. 4 Nald. v. delectatio, & alios.*

Partes igitur Confessarij erunt, pœnitẽtem admonere, quod licet in mundi Tribunalibus cogitationis peccata non puniantur. *l. cogitationis. ff. de pœnis, & communem asserit. Clarus in praxi crim. S. fin. quæst. 91.* In foro tamen conscientiæ, & in Dei iudicio sola cogitatione, eo modo quo diximus, culpa cõmitri põt, & plectitur. Vnde Sapiens. *Sap. c. 1.* Peruersę, inquit, cogitationes separanr à Deo, & in cogitationib. impij interrogatio erit, Et Lucianus, Homines celabis aliqđ insolens faciẽdo, at nõ celabis Deum etiam cogitans. Hinc Tridentini Patres. *sess. 14. c. 5.* Ex his, aiunt, colligitur, oportere à pœnitente omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem, conscientiam habent, in confessione recenseri, ẽt si occultissima illa sint, &c. Proinde ipse Confessarios hoc errore detecto, Michaelem pœnitentẽ interrogare debebit, vt verisimili modo explicet quas prauas cogitationes, & circa quas personas habuerit, & quoties toto tempore vitæ suæ admittere potuerit, &c.

QVAESTIO CII.

QVOMODO AGENDVM CVM SCHOLAsticis contubernalibus, turpiloquijs, ac lasciuis tactibus, sordescentibus, &c.

MElchior scholasticus nobilis, cũ duobus alijs suis sodalibus in eadẽ domo vitam degens solet quotidie cum his turpia verba miscere, & petulantia quadam, ac ioci causa, vt lætos dies transigant, se inuicem osculari, ac lasciuè tangere consueuerunt, quæritur, quænam circa hos procaces iuuenes sint Confessarij partes?

Resp.

Resp. Reuera, vt alias animaduerti, ex *D. Hier. Epist. 2. ad Nep.* sententia, Adolescentia multa corporis bella sustinet, & inter incentiua vitiorum, & carnis titillariones, quasi ignis in viridib. lignis suffocatur. Nec opus est multiplices illius impetus, ac potius furores recensere, qui in prouerbium transierunt, quo dicitur, Via viri in adolescentia *Prouer. c. 30. Et Iob. cap. 13.* consumere me vis peccatis adolescentię meæ. Cui concinit. *Dauid. Psalm. 24.* Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris. Ac vt obseruat. *Pineda d. c. 13.* Adolescentium propria sunt peccata ex ignorãtia commissa, & propterea dictum est alio in loco Ab alienis parce seruo tuo. *Psalm. 18.* nam aliena videntur esse vitia, quę ignorantia, aut errore committimus, & tamen vt ait D. Hieronymus, cum non sit voluntas in crimine, error in culpa est. Et vt admonet. *Conc. 4. Tolet. can. 23. relatũ in c. omnis ætas. 12. q. 1.*

Prona est omnis ætas ab adolescẽtia in malum, nihil enim incertius, quàm adolescentium vita. Ob hoc cõstituere oportuit, ut si qui in clero adolescentes existunt, oẽs in uno cõclaui atrij commaneant, ut lubricæ ætatis annos non in luxuria, sed in disciplinis ecclesiasticis agant, probatissimo seniori deputati, quem magistrum disciplinæ, & testem uitæ habeant. Certum est enim quæ semel in adolescentia didiceriũt, numquam dedıscere, prauisque motibus tãquam ossibus quibusdam totam eorum uitam sustẽtatam, in dies difficiliorem, & ad flectendum duriorem euadere, iuxta illud,

Ars fit vbi à teneris crimen condiscitur annis
Vt merito unus ex familiaribus Iobi de uiro impio dixerit, Ossa eius replebuntur uitijs adolescentiæ eius. *Iob. cap. 20.*

Proinde si cõstet eos gratia venereæ delectationis captandæ turpia loqui, & se impudice tangere; illis ab ipso Confessario aperiendum est, lethalem culpam admittere, & patefaciendã esse circunstantiam personæ, circa quam turpis illa delectatio habita fuit. Sicut enim quò ad opus externum, nõ solum exprimere oportet peccatum in genere, ut luxuriam perpetrasse, sed speciem etiam addere necesse est, vt fornicationis, adulterij, &c. Ita etiam ad perfectam peccati notitiam comparandam, & pœnitentis statum dignoscendum, in morosis delectationibus, aspectibus, tactibus, uerbis impudicis obseruandum est, ut scilicet ipsarum materia, & qualitas personarum, ut masculorum, virginum, coniugatarum, &c. in cõfessione aperiatur, vt ex communi ait. *Sayrus. l. 8. cl. reg. cap. 6. num. 20. Sanchez. de matr. l. 9. disp. 46. n. 18. Azor. p. 3. lib. 3. cap. 25. q. 5. Bonacin. de matrimonio. quæst. 4. puncto 9. quæst. 4. nu. 16.* Vide supra *tract. 6. cap. 13. quæst. 61. & seq.* Vrgebit, Bene natis male uiuere turpe esse, iuxta illud Horatij, & Sophoclis.

Dedecorant bene natos culpæ.
Generosa sic sunt pectora; turpia odio
Habent, honesta gloriosa existimant.

Quibus subscribit *Seneca. Epist. 39.* dicens, Habet hoc in se generosus animus quod conciratur ad honesta, neminem excelsi ingenij uirum humilia delectant, & sordida. Ad mẽtem eorum reuocet, illud quod admonet Sapiens *Eccles. cap. 12.* Memento creatoris tui in diebus iuuẽtutis tuæ, antequam ueniat tempus afflictionis, & appropinquent anni, de quibus dicas, Non mihi placent. Hinc *D. Ber. Epist. 104.* ad Gualterium scribens, anxietatem eam ani mi illi serio ob oculos ponit, in qua extremo iudicij die futurus est, si inueniatur nil egisse amplius de immortali, & rationali spiritu suo, quàm quoduis pecus de suo, cum brutus spiritus non uiuat, nisi quamdiù uiuificat, &c.

Proponet quantum à uitio luxurię Scholasticos scientiarum cupidos cauere oporteat, cum nihil sit tàm ingenijs mortiferum, quod à studijs, & honestis actionibus reuocet, quam petulantia. *Guliel. à Monte. Laud. in clem. 1. de Magistris, vt obseruaui in Comment. de hum. vita stat. par. 2. cap. 11. & vide supra tract. 6. cap. 16. quæst. 85.* Eriget firmum propositum emendationis, & aduersus hęc uitia remedia pręscribet, ut tùm hęc tùm similia, auferre quatenus fieri potest, occasiones illa fouentes, otium fugere, alicui spirituali lectioni semel in die incumbere, cum in hæc peccata labi cõtinget, aliquid pœnæ soluere, B. Mariæ opem ad pudicitiã impetrandam implorare, sacramenta pœnitentię, & sanctissimæ Eucharistiæ frequentare, est enim frumẽtum electorum, & uinum germinans uirgines. *Zach. cap. 9.* Si Confessarius nullã in his emendationem uideat, expediet aliquando absolutionis beneficiũ differre, quod tamen cum humanitate, & dexteritate facere debet, cum debeat esse humilis, patiens, & indignationem deuitans, ne pœnitẽtes animum abijciant, aut seueritate exasperẽtur. Quippe cum sacramentum pœnitentiæ, ex se graue sit, & multa contineat, quæ debilibus metum incutiant, & negotium facessant, Ministri Christi est, onus illud quo ad fieri potest, alleuare, lenitate potius quàm rigore vtendo. *Henriq. l. 1. de pœnit. cap. 24. Lud de Ponte. tom. 4. tract. 5. cap. 11.*

QVAESTIO CIII.

QVID AGENDVM CVM FILIO FAMILIAS qui cum nobili puella sponsalia contraxit, & postea cum meretrice fornicatur, cui prius spoponderat, & quid de nummis quos illa improba famina ipsi filio familias surripuit, &c.

Balthasar filiusfamilias ex honesta, & nobili prosapia natus, cum meretricijs amplexibus deditus

deditus nesciens,ut ipse ait,fornicationē peccatum esse mortale,aīam,corpus,famā,domus,pprię existimationē,& paternā substantiā,facultatesq; prodigeret,ipsius parentis,cōsanguineorū,ac amicorū sua sū,quò ex tam misero statu eriperetur,& immaculato thoro christiano homine dignam vitā transigeret, sponsalia cum Lucretia puella ex spectato & claro genere orta contraxit, quæ ad maius robur illis adiungendum iusiurandi religione firmauit; interim cum Dorolice meretrice,quam deperibat, & qua cum diù consuetudinem habuit, per vnam noctem se cum decumbens se immiscuit, cui procax ac furax scortū 40.aureos, quos in domo patris ipse paulatim corrasit, surripuit. Cum verò nūc de ipsis sponsalibus, & matrimonio futuro, inter omnes cōstet,& iam ipsi meretrici hoc notum factum fuerit, eadem insurgit, sibi prius duobus transactis annis à Balthasare de sibi eam in vxorem ducēda datam esse fidem, quæritur quæ nam in hoc casu sint Confessarij partes?

Resp. Vere *Ælianus.l.1.de animal.c.23.& Alciat. emb.75.* dixerūt, Vt fargus piscis facilè à piscatoribus capitur, si caprinā pellē induerint(genus enim hoc piscis quodam naturę instinctu caprarū amore detinetur) ita amasius visa quadam formosula,vel potius laruata fęmina deperit, cuius laqueis irretitus vix se inde extricare pōt, adeo vt ei etiam accidat,quod Rhetoribus contingere scribit Seneca,vt vitia sua,& intelligant,& ament, & quod propriè dixit Ouidius,

Et tadet, & amore ardeo;

Sentit amans sua damna ferens, tū haret in illis.

Hinc amantibus,& meretriciarum artium sectatoribus flauus color tribuitur ob pallorem ex amoris dementantis affectu contractum.

Apiriedū est ergo Primo, miserū fuisse huius fornicarij iuuenis statū,cū semp fere in mortali peccato iacuerit,fornicatio namque .i. concubitus soluti cum soluta,qui scilicet à coniugio,à uoto ab ordine sacro,à religione,vel à cognatione liberi sunt,lethalem culpam secum trahit, à qua neminem ordinarie,& in urbibus, uel oppidis, ciuiliter educatum ignorantia excusare potest;naturali enim pręcepto prohibetur, quod ab utentibus ratione, nullo modo ad longum tempus, ut superius dixi, ignorari potest, cum ipso naturalis ingenij lumine constet, fornicationem fini repugnare, propter quem Deus humanum concubitum concessit; quandoquidem clarum est, talem finem non solum esse liberorum susceptionem, sed etiam eorum sustentationem,& educationem, quæ fieri nequit, nisi illi certum patrem habeant, prout in coniugio, nō in fornicatione contingit. *Azor.tom.1.l.1.cap.13.quaſt.1. & tom. 3.l.3.cap.4.quaſt.1. Filiuc. in qq.mor.tom.2.tract. 30.cap.2.quaſt.7.num.50.* Et licet meretrices ab Ecclesia,& Pastoribus tolerētur, hoc tamē ideò fit, vt grauiora damna, & incommoda deuitentur, & promiscuæ luxuriæ, fœdissimæque coniunctiones auertantur, iuxta illud,

Ferre minora volo, ne grauiora feram.

vt Castoris exēplo docet Alciatus. *emb.252.arg.c. duo.mala.diſt.13.idē in l. Maſſurius.ff.de verb ſig. Menoch.de arbit.Iud.caſu.328. Farinac.tom.4. de delict.car. quaſt.136.& ſeq.Tholoſ.libr.10. cap.2. Graffius.l.2. Decif.aur. cap.75. num.4. & l.2.cap. 124.Comit.l.3.quaſt.5.Zerula.in Praxi.Episcopali. in v.Lupanaria.Tuſch.in v.meretrix.concl.211.*

Quò fit, vt in foro cōscientię licite ab eis ob præstitum corporis vsum pretium exigatur ac retineatur; (quāuis meretriciū tributū à Princib. vel Ciuitatū Magistratib. impositū à nōnullis improbetur.) Atque eis locantes domos à peccato excusentur, modo in peccatum non cōsentiant,& honestis personis vicinis graue detrimentum non immineat,vt proinde cogi etiam possint aliquod signum ferre, vt ab honestis, & coniugatis mulieribus discernantur. Idem dicendum de famulis, qui meretrici,vel concubinæ inseruiunt,coquendo cibos ad mensam ministrando, lectum sternendo,&c. Et de aurigis, qui rhēda de vno loco ad alium mercede sibi data eas cōducūt,vt .s. à culpa excusentur,modo vt dixi earū peccatis nō cōsentiāt. *Carbo.de reſt.q.48.Sayr. in cl.reg.l.10.tr.2.c.3.n.33.Leſſ.l.2.c.24.d.7.n.40. Val.tom.3.d.5.quaſt.20.p.5.Azor.p.2.l.12. cap.18. quaſt.3.Sanchez.l.1.oper.mor cap.7.num.20.Marc. Anton.Gen.in praxi Neap.cap.23.in annot. Decius. in l.ſemper.ff.de reg.Iu.Molfeſ.tom.8.cap.10.n.60. Bonac.de matrimonio.quaſt.4.puncto.14.num.6.Reginald.l.10.num.191. Regius.caſu.8. Benedictus. Ægidius.in tract.de Iure,& priuileg. honeſt. art.9.*

Porro quomodo Cōfessarius in audiendis confessionibus se gerere debeat videndus est. *Megal p. 1.Inſtit.confeſſ.l.6.in append. Viual de confeſſione. num.59. & dixi ſupra tract.5.c.13.quaſt.82.*

Secundo à Confessario manifestādum est,sponsalia ēt iuramento cum Lucretia cōfirmata per superuenientem sponsi fornicationem dissolui posse. *c.25. ext. de iure iurando.* vbi duplex huius resolutionis affertur ratio, sed illa potissima est, quod illa promissa, & illud iuramentum,tacitam includunt conditionem,nisi alter in thorum futurū peccet, frangenti enim fidem fides seruanda non est: Et quia ob hoc fornicans de fide in posterum seruanda valde fit suspectus. *Sanchez.l.1.de matrimonio.quaſt.50. Bonac.quaſt.1. puncto.8. & alij.*

Tertio dicendū ab eo est,40.aureos clam à scorto subreptos d. Balthasari filio familias, illorū dominiū nō habēti,restituēdos eius patri esse,pauca illa quantitate sibi retenta,quam pro dato sui corporis vsu, arbitrio boni viri sibi deberi existimat. Et si enim,

enim, vt dixi, meretrix fœdam, ac turpem illam artem exercendo, mortali culpa se contaminet; non tamen peccat, si moderatum pretium, & mercedem ex tali actu accipiat, & retineat etiam ab eo sibi datam, qui sui iuris non est, sed patriæ potestati subiectus, ob ipsius nobilis parentis tacitum consensum, qui cum sciat, iuuenes vix posse sine aliquo dispēdio vitam trāsigere, & miseri mundi leges, & amicorum familiaritatem sic exigere, implicitā quandam licentiam, & facultatem ad quasdam vanas expensas concedere videtur. *Beia.p.1.casu.60. Carbo.l.c. Graffius.conf.2.num.18. de furtis.Salon.22. quest.66.art.3. Bonac.de cont.d.2.quaest.10.p.1.n.6.* Meretricem autem testamenti factionem habere actiuam, vt de meretricio quæstu acquisitū disponere possit, & passiuam ut de alieno testamento capere ei liceat, quia prohibita non reperitur, scripsit *Crauetta.conf.203.& Menoch.de Præsumpt. libr.6. præsumpt. 16.*

Quarto est illud ab ipso enuntiandum, cum valde dispar sit Balthasaris, & Doroleis cōditio, cum ille sit nobilis, & diues, hæc vero pauper, vilis, & infamis, non teneri inuitis parentibus, cum propriæ familiæ dedecore illam ducere, nec ad aliud ipsum iuuenem astringendū esse, quàm ad illud dandum quod pro illicito corporis vsu tradito iustum stipendium censebitur. *arg. Beia.l.c.casu.18. Graffius.l.2. cap.79.num.11.& alij. Et infra de stupro dicemus.* Partes igitur Confessarij erunt Balthasarem pœnitentem appositis rationibus à turpi meretricio statu auertere; nemo enim dubitat meretrices etiam de iure ciuili infames esse, ac proinde qui eis copulantur, earundē qualitates asciscere, meretrix enim dicitur quasi me retro trahēs à bono opere, scilicet virginitate, vel castitate; & ideo meretricem in vxorem ducens de iure infamiam contrahit, ita vt illa defuncta, à sacris ordinibus vt irregularis arceatur. Et ipsæ meretrices in causis criminalibus testimonium ferre non possunt. *Farinac. de testibus.quaest. 56.art.10.* Quod tamen Iudicis arbitrio relinquit. *Menoch. de arbit. Iud. casu.535.* Sed absolute eas non esse idoneas testes ex communi ponit. *Masc. tom.3.de probat.concl.1357.* Hinc est, quod si quis fratrem, sororem ve habens, talem mulierē sibi hæredē instituat, fratri ac sorori inofficiosi testamenti querela competit. Et tāta est earum flagitiosæ vitæ turpitudo, ac fœditas, vt ob eam filia exhæredari à patre possit. Consulet etiam ipsi pœnitenti, vt cum Lucretia si ipsa consentiat, coniugium ineat, vt sancto fœdere iunctus, à vetita libidine se purum, & integrum seruet. Nam ut etiam tradunt scribentes in *l.1.ff solut.matr.* Reipublicæ interest, matrimonia legitime contrahi, quò ciuitas liberis personis repleatur; cum vxor nobilis dignitatis, non fœdæ voluptatis nomen sit.

QVAESTIO CIV.

Quomodo cum concubinario se gerere debeat Confessarius si in mortis articulo constitus concubinam in vxorem ducere velit, &c.

Vincentius causidicus, cum cōcubinam domi habeat, & ex ea filium ex voto susceperit, (vouit .n. centum se ecclesiæ daturū, si ex amica filium haberet,) necessitate vrgēte illum domi baptizauit, nunc in mortis articulo cōstitutus, vt prolem legitimam reddat, vult eam in uxorem ducere, & matrimonium coram Parocho, & uno teste omissis denuntiationibus celebrare, quod & re ipsa præstitit, quæritur, quid in hoc casu sint boni Confessarij partes?

Resp. Supponendo concubinatum esse fornicationē cum soluta, uel cum vidua, ita continuatum, vt quodāmodo talis sit cohabitatio, qualis in coniugio cernitur. *Syl. in te concubinarius. Mascardus. de Probat. volum.1. concl.34 Riccius. in Decis. Cur. Neap. Decis.76.T ol.l.1.cap 47.* Quod flagitium licet eiusdem sit speciei, vt est cum meretrice, & uidua; in hoc tamen grauius est, quod vsu perseuerat, & eo magis si scandalum (ut euenire solet) subesset; Periculosissimum quoque, & difficillime eliminatur, cum homo semper maneat in statu, & proposito peccandi; circa quod extirpandum multa statuit Concilium Tridentinum. *sess.24.c.8.* quæ tàm laicos, quàm clericos concernunt, ibique decernitur, cōcubinarios sæculares acriter ab Ordinarijs puniri posse, & gladio excommunicationis feriri, & clericos suspensione percelli debere. *Farinac.p.2.tom. 2.quaest.138. Bened. Aegidius. de iure honest. ar.21.*

Propterea dico, Primo istum Vicentium, male causam animæ suæ agentem, à Confessario absolui non posse, nisi re ipsa à concubina separetur, etiam si in mortis articulo iaceat, & letifero morbo conflictetur, nisi opportunitas eam eijciendi tunc deesset, quia illo tempore eam expellendi firmum propositum sufficeret. Quod tamen ualde rarum est in huiusmodi corruptæ uitæ hominibus, ut his uerbis ostendit. *D. Anton. p.2.tit.5 cap.2.§.3.& Sayrus. l.8 clauis reg.cap.4.num.9.* Legitur de quodā concubinario, quod cum esset infirmus, & Confessor quidam eum uisitās absoluere nollet, nisi de domo concubinam eijceret, ille assensit, sicque sumptis cum multis lacrymis omnibus sacramētis decessit, cumque iste Confessor, qui sanctus erat uir, pro eo oraret, existimans propter pœnitentiam ad Purgatorium transisse, ei quadam uice apparuit asserens, se damnatum esse, eo quod ficte pœnituit, intendens concubinam iterum assumere, si periculum illud mortis euasisset, hæc illi. Vt proinde uerum esse

esse constet, quod ait. *Baldus.in cap.in literis.extr. de testibus.& Mascard. de Probat.vol.1.concl.*340. quod turpis amotis insania occæcat, & perdit homines infelices,& profligatos,cuiusmodi sunt concubinarij. Solemnissimum est illud Saluatoris nostri monitum, si oculus tuus scandalizat te abscinde eum,&c. *Matth.c.*5.cōtra prescindēdas delinquēdi occasiones. Vbi aduertit S. Petrus Apostolus, vt refert. *S.Clemens.l.7. recognit.* non dixisse Dñm nr̄m si occulus tuus,aut manus tua scādalizauit te, sed si scandalizat,& ad peccandū prouocat,qa non vult te expectare donec cecideris,sed tēpestiue,& qñ periculum imminet eam temoueas,ne in eo desis ad quod iure teneris. Nec oculi,aut sinistræ manus meminit,sed dextram expressit, quæ magis necessaria est, & pluris æstimatur, & tibi adhærescit, vt intelligas,quamcunq; personam,aut aliam tem etiam si ea maxime opus habere videaris, aut valde sit pretiosa, reijciendam esse, si amittendi animam occasionem affetat, iuxta illud, *Nahum.c.1.* Sicut spinæ se inuicem cōplectuntur, sic conuiuium pariter potantium consumētur quasi stipula ariditate plena. *Lud.de Ponte tom.3.tract.1.cap.4.*

Si vero iste concubinarius domi concubinā non habeat, nec mors instet,nec tempus desit, ante absolutionem experientia aliqua de eius continentia sumenda est,presettim quando sæpe se ab ea seruaturum proposuit,nec seruauit: nisi tàm apetta præbetet doloris signa,& firmi emendationis propositi,vt nihil appareret,cur absolutio differri deberet; quod tñ,vt dixi,in hmōi farinę hominibus raro admodum accidere pōt. *Tol.l.5.c.10.Reginald.l.22. n.21.Bonac.de matr.q.4.p.14.n.11.Molf.tr.8.n.85.*

Secundo dico,causidicum istum, qui vouit dare centum ecclesiæ, si ex concubina filium susciperet, valde votum nuncupasse;& si enim hoc ex re mala proueniat, est tñ quoddā naturale bonū, & vouentem adimpleta cōditione obligat, à quo tñ Cōfessarius in mortis articulo dispēsare nō valet, cum disce dere cū votis Cęli ingressui nō obsistat. *Idē Molf tr. 11.c.16.n.12.Rod.in sum p.1.c.59.n.15.& aly cōtter.*

Tertio dico, istum Vincentium patrem, qui in necessitate filium ex concubina natum domi baptizauit, eam ducete non posse, cum spiritualis cognatio obstet, quam ex eo baptismo in illo necessitatis casu collato oriri ad dirimendum subsequens matrimoniū cōstans est, DD.sentētia. *Sanch.l.7.de matr.d.62.n.11.Guttier.de matr.c.100.n.12.Idem Bonac.q.3.p.5.§.2.num.11.& aly.vno consensu.*

Ex alio etiam capite hoc matrimoniū nullum, & inualidum redditur, quod non seruata substantiali Triden. Concil. forma celebratum sit, siquidem quidquid sit de denuntiationibus,quas Parochum in mortis articulo probabile est posse remittere(Tridētini Patres *c.1.de refor.mat. sess.24.* irritarunt cōtractum,cui ipsum matrimonij sacramentum innititur, si alitet in quocunque casu celebretur, quàm in præsentia Parochi, vel alterius sacerdotis de eius licentia,& duorum, vel trium testium. *Sanchez.de matr. lib.3.d.7.n.15.d.9.n.17. & d.17. n.4.Gutierez.de matr.c.61.Molf.tr.4.c.8.10.Chap. de necessitate administrandi sacramenta temp. pest. & communis est.vt per Barbos.in d.c.1.*

Quò vero ad pœnitentiā iniūgendā Cōfessarius considerate debet,sit ne concubinatius publicus,an secretus, atq; ostensa ptius huius vitij fœdirate,ac nequia, iuxta ctiminis quantitatē,personæ qualitatem,grauiorē,ac mitiorem pœnitentiam imponet, prout alias animaduerti. Aperiēdum ei ab eodem Cōfessario est, quā male Aduocatus iste vocationi ac obligationi suæ respōderit, & munus suū impleuetit, tam turpem vitam cum tāta populi offensione agendo,cum ad ipsum maxime spectet. honeste viuere,alterum non lædere,& ius suum vnicuique tribuere. Quippe in iure aduocati,& causidici sacer dotes vocantur, eo qđ sacrosanctas leges tractent, & publici iutis sint ministri, vt proinde tùm in se, tùm in alijs illud obseruare debeant. Vnde & *Bald. consilio* 254. Aduocatus, inquit, conscientiam rectam, & piam habere debet, ac propterea in dubijs opinionibus religioni, ac piæ causæ fauere eum pat est. Ad quod pertinet illud. *D. Ambrosij. Epist.32.ad Valent.Imper.* Quod alijs ptęscripsisti, præscripsisti & tibi,leges enim Impetator fert,& ipse instat,quas primū ipse custodiat. Vide *in Comment.de hum.vita stat. p.2. cap.1.& 5.*

Sane valde turpe est,& ignominiosum, vt Aduocati, & Iureconsulti mores ipsi offendant, quorum se consultores,& vindices esse glotiantur, atque ita in se approbent, quod in alijs reprobant,vt dici talibus merito possit, Medice cura te ipsum. Et quamuis simplex, ac proprie sumptus concubinatus iure ciuili punibilis non sit, attamen quia iute naturali, diuino,ac Pontificio illicitus est,ac reprobatus, honestati aduersatur,& bonos motes aperte offendit, negari non potest, lethalem culpam secum inuoluere,turpem ac fędum esse,& apud probos,graues, ciuilesque viros,concubinarios male audire,turpitudinisque notam incurrere, quos turpes personas esse scripsit. *Aymon.cons.*229.inde infetens ad inofficiosi testamenti querelam fratri competentem,vt supetiori quæstione animaduerti, & eum sequitur. *Benedictus Ægydius.de iure honest. artic.* 8. Atque insuper deducunt, milites armatæ militiæ, aliorum militiarum ordinum candidatos, clericos sacris initiatos,& aduocatos, non posse concubinis donare,aut in testamēto relinquere,excepta remuneratoria donatione, quæ probatis meritis, infra eorum æstimationem toleratur.

Quomodo vero concubinatus in foro externo

probetur, & præsumatur, videndus est. *Mascar. vol. 1. concl. 342. Tuschus verbo concubinatus concl. 167. Menoch. l. 6. de Præsumpt. præsumpt. 54. & de arbit. Iud. casu 418. Farinac. d. quæst. 138. Natta cons. 42.*

CAP. XXIV.

QVAESTIO CV.

QVID ET QVOMODO IN PRAXI agere debeat Confessarius cum eo, qui virginem violauit, &c.

HEnricus, cum Lucretiæ puellę amore flagraret, importunis precibus pulsatam sub promissione matrimonij eam turpiter cognouit, cum autem tempore Paschatis ad confessionem expiandam animam accessisset, & illum Confessarius ad ipsam puellam ducendam in vxorem obligasset, multiplicem excusationem affert. Primo, quod ficte huiusmodi coniugium promisit. Secundo, quod eam virginem non reperit. Tertio, quod eius parentes illud recusant, & si secus fecerit, eum domo excludere minantur. Quarto, quod non contrahendi matrimonium votum habet. Quæritur quomodo tàm cum stupratore, quàm cum dicta Lucretia se gerere debet Confessarius?

Resp. Suppono Primo, stuprum esse illicitam deflorationem virginis, sub parentum, vel tutorum cura viuentis. Quodquidem per se peculiarem deformitatem cōtinet, etiam si inuita non sit, sed consentiens violetur, atque adeo specialem iniuriam in ipsam puellam, & in eius parentes, & tutores illatam, sub quorum custodia manet, eo quod per illud claustrum virginale reseretur, cui per se Superiorum custodia debetur. Et etiam quia futurus maritus grauissime offenditur, dum ratione virginitatis illam ducit, &c. Et secundum receptiorem sententiam, est et speciale peccatū in cōfessione exprimendum quò ad puellam, quæ mentalem consensum in rem veneream præstitit; siquidem peccata voluntatis, oris, & operis eiusdem sunt speciei, & solum secundum maiorem, vel minorem perfectionem differunt. ex *D. Thom. 1. 2. quæst. 52. ar. 7.* & per consequens stuprum mentale, quod est voluntas habendi copulam cum virgine, vel cum sit virgo, mente se contaminauit, eādem speciem cum reali stupro haurit, qd' est ipsa copula. Verū tamen est, fœminā quæ se primo polluit, nō teneri in confessione suæ virginitatis hanc circunstantiā exprimere, quia non peculiare stuprum, sed peccatum contra naturam perpettat, per quod nō naturalem, sed virtuosam virginitatem, vt aiunt, amittit, vt propterea virgo sic corrupta in sanctimonialem sacrari possit, cum adhuc naturalem corporis integritatem retineat. *Regius casu 18. & Bonac. de matr. q. 4. p. 17. Lessius l. 2. c. 10. d. 1. Sayr. l. 8. cl. reg. c. 4. n. 9. Val. tom. 3. d. 9. q. 3. p. 3. Tol. l. 5. c. 11. Graff. l. 2. cap. 79. Azor. p. 3. l. 3. c. 11. Reginald. l. 22. num. 22. Molfes. l. 8. c. 8. n. 188. Roder. to. 1. qq. reg. q. 64. ar. 3.*

Quo supposito, dico nonnullis assertionibus, Henricum teneri puellam sibi matrimoniali fœdere iungere, non quidem ea ratione, quod importunas preces adhibuerit, quibus copulam extorserit, cum communior, ac probabilior sit sententia, illas coactioni non comparari, modo non adsint minæ, vel metus, & dummodo fęmina sui copiam animo repugnanti, ac quasi coacta non concesserit; nam huiusmodi preces voluntarium consensum non auferunt; quamuis .n. illa nisi obiectis blanditijs, muneribus, & importunis postulationibus non assentiret, non tamen inde sequitur, ipsam voluntarie, ac sponte non consentire, instar illius, qui muneribus in aliquem officium aliquod confert. *Bonac. d. quæst. 4. puncto. 17. num. 13. & alij.*

Nec ad eam ducendam tenetur ratione fictæ promissionis, cum nulla fuerit, sed ob damnum illatum, cum hac fraude virginitatem abstulerit, quę in puella semper præsumitur, nisi illa contrarium fateatur, & nisi aliud, qd' valde difficile est, ab aduersa parte probetur; licet aliqui senserint, dicēti se per vim corruptā non esse facile credendum, vt lepido exemplo probat. *Hostiens. in cap. cōtinebatur. num. 5. de desponsat. impub.* & alio pio, & egregio facto ostendit. *Fulg. l. 4. rerum. mem. c. 3. & Daur. tom. 4. cap. 7. tit. 41. exemp. 4.* Verum hanc nostram communem assertionem tuentur. *Mascar de Probat. volum. 3. concl. 1337. & concl. 1410.* Menoch. *l. 6. de præsumpt. præsumpt. 89. Sanchez de matrimonio l. 7. disput. 113. num. 10. & l. 6. disp. 27. Graffius de sentent. excommunicationis. cons. 23. numer. 23. Clarus in praxi crim. in § stuprum. versic. sed pone. Anton. Thesaur. in Decis. Pedam. decis. 3. Diax. & Lopez. ibi in pract. crim. can. cap. 85. Farinac. de delict. car. q. 147. §. probatio stupri.* Marius. *Anton. lib. 3. var. resol. resol. 7.*

Excipitur tamen si is stuptator qui ficte promisit, vult quidem illam ducere, sed vel ipsa, vel ipsi parentes recusant, satisfacit enim si ad matrimonium cum ea ineundum paratus sit, cum hoc in corporis pretiū spoponderit, ergo quamdiù per ipsum non steterit, quominus coniugium sequatur, ab omni alia obligatione liber est. *reg. 41. de reg. Iu. in 6.*

Prętertim si Henricus, & Lucretia nō essent valde inæqualis sortis, ita vt ipsa credere non posset, nec deberet, ratum virum tàm abiectam puellam in vxorem ductarū; nam si generis, vel diuitiarum admodū notabilis esset inæqualitas, & dispar conditio puta, ille nobilibus ortus parentibus, illa agricolę cuiusdam, vel mæchanici artificis filia, eo casu illam

illam esse deceptam non præsumeretur; cum satis constet, vsu receptum nõ esse, tàm dispares coniungi, facileque suspicari potuisset, promissum illud non animo adimplendi emitti, sed eam ad sua praua desideria adducendi. Imò non teneri eam ducere, et si puella status disparitatem ignoraret, communior est. DD. sententia. Sicuti frequentiori calculo receptũ est, ad nil teneri, qui rem habuit cum fœmina corrupta, quæ tamen virgo repurabatur, si nulla uis, vel fraus adhibita est; nam si voluntarie solicitationi consensit, sibi infam ã quam forte subijt, vt quia peperit, impurare debet. *Sanchez. l.1.de sponsa disp.10.n.20. Guttierez. de matrimonio num.9. Bonac.quæst.1.puncto.2.num.8 & seq.*

Addo ecclesiasticum Iudicem matrimonium filijs familias interdicere posse, quando periculum subesset, ne magnum scandalum ex eo oriturum esset, ipsi enim incumbit rixas, & discordias, aliaque quæ reipub. & familiarum pacem perturbare possunt, auertere. Atq; ipse filius sic contrahendo, graui culpa se inficeret; sicut enim Aristoteles præceptorem dicebat præsidere pueris, sicut mens sensitiuo appetitui præest, eo quod sibi ipsis prospicere non possunt, ita vaga illa, & incõsiderata iuuenum libido alliganda est fræno patris, & Magistratuum impetio, ne tàm suæ, quàm paternæ familiæ, & reipub. incorrigibile accersat infortunium; Parentes enim, & Superiores præ ætate, & cœco errore carentes rectius sapiunt, & quid expediat, vident, vt ait ille apud Comicum,

Tibi me est æquum consulere pater.

Nau.cap.14.num 15. Sayr.l.7.cl.reg.cap.5.num.12. Menoch.tom.1.consi.69.num.36. *Idem Sanchez.l.4. d.23. Bonac.quæst.4.p.17. num.25.*

Tandem dico, Henricum non eximi ab obligatione ducendi Lucretiam eo quod votum non contrahendi matrimonij alias emiserit, siquidem data fides, & damnũ illatum puellæ ex lege iustitiæ iuri voti emissi præualet, quando puella votum promittentis ignorauit, vt per *Sanchez.l.1.de matrimonio disp.45. Bonac.quæst.1.p.5.nu.7. Lessium.l.2.c.10. dubit.4.* vbi etiam in simili re resoluit, vouentẽ dare centũ in eleemosynam, si postea alteri damnum inferat, quod tanti æstimetur, nec aliunde habeat, vnde illud compenset, illa centum quæ Deo vouerat, pro damni compensatione dare teneri, siquidem strictæ iustitię obligatio debito religionis prępónderat, &c. sequitur *Barth.à Fausto.de restitut. disput.24.& alij ex recentioribus.*

Nam licet etiam absolute loquendo actus matrimonij contrahendi non sit per se materia apta voti, quia non est de meliori bono, cum inducat effectum repugnantem statui religionis, ac castitatis, vt est resolutus fidei articulus, in quatuor tamen casibus tale votum validum esse potest. Primo si ex præcepto qs teneatur matrimoniũ cõtrahere, vt ob commune bonum, & pacem alicuius regni. Secundo, si medium necessarium ad vitandum incontinentiæ periculum censeatur, cum melius sit nubere, quàm vri, &c. Tertio, si fiat intuitu pietatis, vt ad tollendam ex turpi lucro, & infelici statu meretricem, vel periculo pauperem virginem. Quarto, quando quis vouisset ducere virginem à se corruptam, data fide matrimonij, tunc.n. præter votum vrget fides, & damnum tertij, in cuius præiudicium voto recedere non potest. *Filliuc.tract.26.capit.2. numer. 62. Molfes.tract.11.capit.15. numer. 36.* Atque ex his facile colligere poterit Confessarius, quid in praxi quò ad cõscientiæ forum, in hoc casu obseruare debeat; de qua re ex professo egimus in *Comment. de cas.reser.pun.2.capit.4. casu.4.sect.4.* Quomodo vero in mundi tribunalibus stuprũ probetur, & puniatur, & ad quod forum spectet. Vide *Clarum in Praxi crim in §.stuprum. Mascard.concl. 1410. Tusch.concl.711. Tholos.in syntag.Iu.lib.36. cap.9. Farinac.tom.2.quæst.197. Menoch.de arbitr. casu.288.& in addit.*

QVÆSTIO CVI.

AN QVI EMISSO RELIGIONIS VOTO fide de matrimonio contrahendo data, virginem deflorauit, teneatur potius cum ea matrimonium inire, quàm votum adimplere, &c.

SIluester post emissum votum religionem D. Francisci ingrediendi, Martham uirginem data fide de matrimonio contrahendo deflorauit, qui cum ex consilio cuiusdam Theologi voto per ingressum eiusdem ordinis satisfecerit, Martha vt virginitatis defectum tegeret, & tanquam virgo nuberet, cum consilio, & ope suæ auiæ medijs quibusdam vtitur, quæritur an ille Theologus bene cõsuluerit, & quid de puella amissam virginitatem simulãte, & eius auia auxilium dante, & procurante, vt tali tecto defectu sua neptis alteri nubat, &c.

Resp. Valde probabilẽ esse Theologi sentẽtiam, qui negat illam posse ducere, quia ratione promissionis non tenetur, siquidem nulla fuit, tãquam rei illicitæ contra votum facta, neque etiam ratione damni, quia violans virginem, nuptijs non promissis, cum ea matrimonium contrahere non cogitur, sed aliter satisfacere potest; perinde autem est promissionem non adesse, vel eam nullam, vel inualidam esse. Sic *Nau.consil.21.de sponsa. Roder.in summa.p.2.c.208.n.11. Vival.3.p.cand.aur.c.14.n.65.*

Probabilius tamen dicendum videtur, teneri eam ducere, quãdoquidem ex communi omnium consensu, votum non obligat rebus notabiliter mutatis, hic autem insignis valde mutatio conspicitur,

cum arctissimũ iustitiæ vinculũ (qđ fortius q̃ illud charitatis stringit) superuenerit, & grauissimũ proximi damnum, si votum impleatur, immineat, &c. Quæ secunda opinio intelligenda est si fœmina illius votum ignorabat, si enim nosset se ipsam deciperet, & alter votũ adimplere teneretur. Sic tenet. *Sanchez.l.1.disp.45. Reginald.l.25.num.95.& lib. 31.num.158. Lessius.lib.2.cap.10.dub.4. Coninch. disp.23.dubit.3.num.24. Guttierez.de matrimonio. cap.25.num.7. Bonac.quæst.1 puncto.5.n.7.& alij.*

Secundo dico, si verisimile sit fore vt numquam vir id vitium percipiat, vel eo percepto, non valde ægre ferat, nulla est culpa, vel leuis tegere, vel alijs licitis remedijs ad celandum vti. Si autem probabile sit maritũ illius defectus notitiam habiturum, & ægerrime laturum, male vxorem tractaturũ, vitamque discordijs, ac rixis, transigendam fore, lethale peccatum erit, eo suppresso defectu, illi nubere; grauis etenim scandalorum ansa præbetur, multorumq; criminum occasio porrigitur, quæ omnia tùm charitatis, tùm iustitiæ lex vitare iubet. Idem *Sanchez.l.6.disp.27.num.7. Nau.in cap.inter verba.concl.1.coroll.16. num.60.11.quæst.3.& alij.*

Porro praxis quã generaliter erga stupratorem Confessarius seruare debet, est, vt Primo sacrilegij, & stupri criminis grauitatem pœnitenti ostendat, & quàm acri animaduersione dignum sit patefaciat, nam virginitatis bonum incomparabile, & irrecuperabile per illud aufertur. Si enim ob rei temporalis furtum fures, vt videmus, in crucem adigun tur; quanto magis eodem supplicio digni videntur, qui virgineum florẽ, & tàm pretiosum thesaurum callide, & violenter eripiunt? *Iodocus in praxi crim. cap.92.rubrica de stupro. Farinac.de delictis carnis. quæst.147.§.stuprum. Peraldus in summa.tom.2.c. 6. Menoch.l.2.de arbit. Iud.casu.287.*

Proinde etiam si virgo sponte se violanti cõsenserit, debet pœnitentiam tanquam grauis peccati reo imponere, non item restitutionem vrgere tanquam ex iustitia faciendã seu ei seu parẽtibus, cum volenti, & scienti nõ fiat dolus, vel iniuria, bene tñ ad aliquid ex misericordia impendendũ, presertim si ipse diues sit, & fœmina pauper suadebit. Quod si illa sponte non consenserit, sed ab illo coacta sit siue falsis promissionibus, siue cum iuramẽto, siue absq; eo, debebit ipsum compellere ad ducendam illam in vxorem, aut saltem ad damnum illatum resarciendum, siue dotem dando, siue aliud præstando, quoàd boni viri arbitrio ipsum damnum sufficienter cõpensetur, quando illam ducere nõ potest, aut quia disparis est conditionis, aut quia renuit illi nubere, aut quia parentes nolunt, aut quod ex huiusmodi coniugio scandalum, seu graue aliud malum securũ timetur. *Salon.22.q.62.ar2.cont.5. Mol.de Iustitia, & Iu.tom.4.disp.106. Vasquez. de restit. cap.3.§.2.dub.1. Guttierez.de matrimonio.cap.10. Rebellus. de Iustitia.p.1.l.3.quæst.8. Less.l.2.c.10. dub.2. Mald.tract.3.cap.4.dub.3.& seq. Reginald.l. 10.num.326. Bonacin.de matrimonio.quæst.4.p.17.* Vbi etiam resoluunt, stupratorem non teneri ad restitutionem puellæ, vel parentibus faciendã, quando ipsa puella violatori restituendi obligationem condonauit, siquidem cum ei, non parentibus damnum resarciendũ sit, iuri suo cedere potest: Idem statuunt, si virgo deflorata obijt, antequam nuberet, quia nullus ob id detrimentum patitur, & hæc subsidiaria obligatio, & personale debitũ videtur.

Quòd si hæc puella sic corrupta fallaci mundo vale dicere velit, & Deo in aliquo sanctimonialiũ monasterio famulari statuerit, & consilium à Confessario petat, an tuta conscientia hoc facere possit, dicendum ab illo est, etiam si occulte per carnalem copulam violata sit, nõ posse in sacrarum virginum chorum coaptari, nisi à Sũmo Põtifice, seu, vt multi volunt, ab Episcopo dispensationem obtineat, modo tñ in illa vrbe, vel regione vsu receptum sit, vt eadem legis solutio, vel dispensatio petatur. *Rod. tom.1.regul.q.quæst.64.artic.3. Miranda.de Monial.quæst.7.art.8. Azor.p.3.l.3.cap.12. Viual.p.3. cand. aur. cap.5.num.37. Bonacin.de matrimonio. quæst.4.puncto.16.num.6.*

QVAESTIO CVII.

QVOMODO AGENDVM CVM RAPTORE & rapta, quæ post matrimonium ratum ad religionem confugit, &c.

Stephanus nobilis scholasticus Margaritæ puellæ amore captus, inuitis parentibus causa libidinis explendæ, blanditijs, & precibus ex Bononia ad quandam urbem eam traduxit, vbi cum per sex menses ibi moram traxissent, nec illam puellã sceleris grauitate retardatus turpiter cognouisset (statim enim ac illuc peruenit, cuiusdã nobilis matronæ fidei eam commisit) nunc ibi cuiusdam Parochi, & duorum testium præsentia ipsam sibi in matrimoniũ coniunxit, non tamen illud cõsummauit; cum autem Dei spiritu ducta, & cuiusdã boni Confessarij regularis suasu, ad quoddam sanctimonialium monasterium cõfugisset, vt ibi omnibus diebus vitæ suæ in sanctitate, & iustitia Deo seruiret, inde etiam pretio dato per quendã virum, & quandam fœminam abduxit, vt matrimonium consummaret, & eam vt suam vxorem haberet, Quæritur quomodo Confessarius in foro interno se gerere debeat?

Resp. Suppono Primo, raptus crimen atrocissimum, pessimum, maxime detestabile, ac grauissimum esse, ex quo plura scandala, & crebra homici-

dia

dia oriri solent, quod iura ita abhorrent, vt transactionem seu compositionem fieri in eo prohibeant. Et proprie raptum dici, quando persona aliqua inuita, vel resistentibus eius parentibus, seu illis, sub quorum custodia degit, ad matrimonium contrahendum, vel etiam (quidquid aliqui conrarium senserint) ad libidinem cum ea explēdam, per vim abducitur. *cap. lex illa. 36. quæst. 1. D. Thomas. 22. quæst. 154. art. 7. Clarus. in praxi crim. in §. raptus. Farinac. l. c. quæst. 145. §. raptus. Azor. p. 3. l. 3. c. 14. Sanchez. l. 7. disput. 12. & 13. Reginald. l. 22. num. 28. Sayr. l. 7. cl. reg. cap. 5. num. 1. Molina. tom. 4. disp. 105 Molfes. tract. 4. cap. 11. num. 28. Bonac. de matrimonio. quæst. 4. p. 18. num. 1.*

Secūdo suppono post matrimonium ratum, & non consummatum, posse quem religionem intrare, eoque profitente, alteri integrum esse cum quo voluerit cōtrahere, posseq; coniuges per duos menses à contractu inito consummationem differre, vt interim deliberent, an religiosum statum amplecti velint. Ad consummationem autem requiritur viri seminatio intra vas, ēt si virgineum claustrum non frangatur. Sicut è contra si sponsus vas fœminę penetret, nō tamē intra vas semen effundat, receptior est sententia, coniugium illud consummatum non dici; licet verū sit, sponsum voluntarie id facientem ob damnū illatum mulieri defloratæ per eius vasis penetrationem, à religionis ingressu arceri. In foro vero externo sponso asserenti se nō seminasse fides nō præstabitur, quia in causa propria testis, & contra iuris præsumptionem deponit, nam in dubio ex quo id frequenter contingit, semen emisisse præsumitur. In foro tamen cōscientię quod præsumptionibus non innititur, & in quo veritas attenditur, ei credetur, &c. *DD. supra, & Sanchez. l. 2. de matrimonio. d. 21. Reginald l. 31. num. 39. Coninch. d. 26. dub. 4. Molfes. tract. 4. cap. 6. num. 42.*

RESOLVTIO CASVS, ET QVAESTIONVM.

QVo fundamento iacto, dico Confessarium, cum eo vt raptore agere debere, nam non solum raptor dicitur, qui fœminam causa cōtrahendi matrimonij de loco ad alium traduxit: sed etiam qui ob explendam libidinem hoc fecit, etiam si postea cum ea rem non habeat, & in via pœniteat. Nec excusatur à crimine raptus, & à pœnis contra illud inflictis, si puella, vel alia fœmina sponte consentiat, modo parentes, vel hi, quorum curæ subest, sciant & renuant, vt contra nonnullos, ait. *Bonac. quæst. 4. de matrimonio. puncto. 18. Henriq. de matrimonio. cap. 14. num. 4. Roder. in summa. cap. 231. num. 1. Rebellus. de obligat. iust. l. 3. quæst. 11. num. 6. Mascar. de probat. volum. 3. concl. 1253. num. 27. & colligitur ex D. Thoma. d. art. 7.*

Proinde omnes illas pœnas subit, quas Tridentini Patres contra raptores constituerūt. Prima est vt raptor, & omnes cōsilium, auxilium, & fauorem præbentes, ipso iure excommunicatione feriantur, perpetuò sint infames, & omnium dignitatum incapaces, & si clerici sint, de proprio gradu deijciendi. Addunt etiam, raptorem teneri raptam dotare, siue eam ducat, siue nō, & quia hoc Iudicis arbitrio faciendum relinquitur, ante eiusdē sentētiam hoc onus subire nō cogitur. De infamia, & incapacitate idem multi sentiunt; siquidem huiusmodi pœnas non tenetur quis in se ipsum exequi. Excommunicatio autem ante vllam sententiam incurritur, licet de iure communi nemini reseruetur. Secunda est, vt matrimonium inter raptorem, & raptam contractum inualidum sit, donec hæc extra illius potestatem abducta, in loco tuto, ac libero constituta, plane uoluntarie, ac libere in illud consentiat. Atq; idem de sponsalibus dicēdum est, prout sacra Cardinaliū Congregatio declarauit. *Conc. Triden. sess. 24. cap. 6. de reform.* Atque hic perspicitur, male illis Parochum cōsuluisse, dum matrimonium illud celebrauit, antequam puella in suam pristinam libertatem uindicaretur. Imò ex alio capite eisdem afficitur pœnis, & ipsum matrimonium, si ualidum esset, infringeretur, cum ipsam Margaritā puellam cum qua coniugium inijt, sed illud non cōsummauit, ui per se, uel per alium è monasterio abstraxit, quando illa ante coniugij consummationem, duorum mensium spatio sibi à iure cōcesso uti uolebat; siquidem spōsa intra illud bimestre iure debitū denegandi gaudet, ut interim de eligendo statu deliberare ualeat. *c. ex publico. de conuer. coniug. Azor. l. c. cap. 14. quæst. 4. Bonac. d. p. 18. num. 13. Mol. tom. 4. dist. 108. numer. 7. Molfes. tract. 4. cap. 6. num. 46.* Imò satis probiliter sentit. *Coninch. in d. d. 26. dub. 4.* cum asserit, Quantumcunque temporis spatium sit à contracto matrimonio elapsum, modo non sit consummatum, siue iure, siue iniuria id contigerit, utramque partem ius ingrediendi religionem habere, quia iura absolute concedere uidentur facultatem ingrediendi religionem ante matrimonium consummatum. *c. 7. & 14. de conuers. coniug.* & tantum illos duos menses statuunt, ut coniux ad consummādum, uel ingrediendum cogi possit, non autem, ut postea ad religiosum statum conuolare nequeat, hoc enim nullibi cauetur, &c.

Vnde etiam animaduertere debebit Confessarius, an illi quibus Stephanus vsus est ad extrahendam puellam è monasterio, eius septa ingressi fuerint, quia in excommunicationem Summo Pontifici reseruatā inciderūt. Item an aliqua extet Constitutio Episcopalis, quæ sub pœna excommunicationis, uel casus reseruati, abductionem puellarum per se, uel per alium è monasterijs prohibeat, nam

facultas etiam absoluendi ab Ordinario petenda esset. *Azor.p.1.l.13.cap.8.quæst.3.Vict.in annot.ad Tol.lib.1.cap.2.*

Porro qua pœna raptor de iure ciuili afficiendus sit, omnium est consensus, de iure communi mortis pœnā plectēdum fore, & ad eius probationem necessario vim vel mulieri, vel parētibus illaram probandam esse. *Lud.Ioseph. Decis.12. & 19. Masc. volum.3 concl.1253. Farinac.l.c. Tuschus. verbo. raptus.concl.6.& aly.* Qui tamen mulierē, vel puellam amoris vi adactus rapuisse probatur, non pœna mortis, sed mitiori puniri solet, cum nil sit illo furore vehemētius, quem retinere perfectæ est philosophiæ. *§.illud in Authen. Quibus.mod.nat.effici.leg.* Atq; sic consuluit. *Bursat.cons.445.& resoluit. Farinac.de temp.pœnis.quæst.98.causa.13.*

CAP. XXV.

QVAESTIO CVIII.

QVID AGENDVM CVM ADVLTERIS, an coniugatus alteram coniugatam cognoscens duplex peccatum admittat, an adultera pretium sibi datum retinere possit, & pro libito disponere; an maritus adulterum in flagranti deprehensum mutilans mortaliter peccet, & irregularis fiat; an adulter ab vxore innocente debitum petere possit; num adultera coniugi prolem non suam pandere teneatur, &c.

MAtthæus vir coniugatus nobilis, ac diues Luciā pariter Nicolao in matrimonio iūctam turpiter cognouit, magno pretio ꝓ opere peccaminoso ei persoluto, quos cū Nicolaus ipse in flagranti crimine deprehēdisset, adulterum aggrediens ei brachium ense mutilauit, Lucia vero adultera fuga sibi consulens in domū paternā se recepit, quę postmodū cōfitens probabiliter asserit se ex eodē adultero grauidā effectam. Quæritur, qđ nam sit in hoc casu practico boni, ac prudentis Cōfessarij officiū?

Resp. Hic casus multas difficultates inuoluit. Prima est an coniugatus aliam nuptam mulierem cognoscens duplex adulterium admittat. Secūda, an pecuniam sibi ab adultero datam possit eadem rea mulier retinere, & pro libito disponere. Tertia vtrū Nicolaus eius coniux cum Matthæum mutilauit, peccauerit mortaliter, & si defuncta vxore velit clericalem statum assumere, obstet ei irregularitatis impedimētum. Quarta, an ipse mæchus Matthæus cum conualuerit, possit debitum ab innocēte vxore petere. Quinta utrum Lucia teneatur si illegitima proles nascatur, marito ipsi reuelare, &c.

Quò ad Primā suppono ante oīa, adulteriū esse alterius thori violationem, & ideò adulterum dici quasi ad alter, quia ad alterius thorum labefactandum accedit, vt docet. *D.Thomas.22.q.154.art.8.* & constituit distinctam speciem per specialem deformitatē, quā accipit ex eo, quod per ipsum violatur coniugij fides, & sāctitas, & grauis sane iniustitia admittitur. Quod aliquādo est simplex, vt quoties solutus cum coniugata rem habet, vel coniugatus cum solutā, nō tamē dicitur adulterium, si quis cum sponsa alterius cōmisceatur, licet illam circunstantiam mortaliter peccatum multum aggrauantem ex multorum sententia exprimere teneatur. Aliquando est duplex, vt si coniugatus cum coniugata rem habeat, vt proinde huiusmodi circunstantię ex communi opinione in confessione aperiendæ sint. Et vt ait. Catechismus Romanus, Et si omnis luxuriæ species in sexto decalogi pręcepto sit vetita, speciatim tamen adulterij mētio facta est, quia præter turpitudinem, quæ illi cum alijs intemperantię generibus communis est, iniustitiæ quoq; peccatum non solum in proximum, sed etiam in ciuilem societatem adiunctum habet. Quod quam graue, execrandum, & exitiosum sit facinus, passim tàm veteres, quàm recentes testantur historię, & scriptorum monumenta cōprobant, dum vnusquisque in huius sceleris indignitatem inuehitur, vt per *Mascardum volum.1.de Probat.concl.57. Farinac.de delict.car.quæst.140. Tiraq.l.13.connub. Lud.de Ponte.tom.2. de perfect.hominis.tract.5.cap.5. Tholos.in syntag. In.l.36.cap.6. Menoch.l.2.de arbit.Iud.casu.289. Lopez.in annot.ad Diaz.capit.86.* prout etiam ego annotaui *in Comment.de hum.vita stat.par.2.cap.19.& in his Comment.varijs in locis.*

Secundo est illud obseruandum, in hac re pares esse viros, & vxores, adeo vt non liceat vni alterius thorum contaminare, absque grauis flagitij reatu; christiana namque religio illud in vtroq; sexu pari ratione condemnat, & eadem à viro, quæ ab vxore debetur castimonia, & fides. Et iniquum est, vt maritus pudicitiā ab vxore exigat, quàm ipse illi non præstat. *cap.christiana.32.quæst.5.cap.nemo 32.q.4.* Licet communiter ob maius dedecus, & infamiam quæ domui, familiæ, generique inuritur, nonnulli asserant, mulieris adulterium cæteris paribus esse grauius quàm viri; alio tamē respectu, turpiori scelere virum adulterum obstringi, quod cum vir plus rationis, & ingenij habeat, vir enim à virtute dicitur, eum deceat vitæ exemplo coniugem præcellere, virtute præire, & ducatum præstare.

Vnde ad primam quæstionem respondendo, dico, virum coniugio iunctum, qui alienā mulierem coniugatā cognoscit, duplex adulterium perpetrare, quia duplicem personam cōtra iustitiam violat, nempe contra propriam vxorem, & contra cognitę mulieris maritum, sicut qui vno ictu duos interficit, &c. *Azor.p.3.cap.7.quæst.2.Less.l.4.c.3.dub.10.*

Nald.

Nald. in verbo adulterium.n.15. Bonac.de matrim.q.4.p.15.num.3. Molfe.ſ.tract.8.cap.7.num.27.& tr.8.cap.8.num.193.& communiter omnes.D.D.

Quippe non ſolum virgines, & continentes verum etiam coniugati per rectã fidem, honeſtatem, & bonam operationem placentes Deo, ad æternam merentur beatitudinẽ peruenire, & tales etiam dicuntur caſtitatem ſeruare, cum caſtæ cẽſeantur nuptiæ, & cum propria vxore caſtus concubitus. *c. nycena. diſt.31. Caſſan. in Catalogo. gloria mundi. p.3. conſid.41.* Quod tacit ad reſolutionem quæſtionis de legato viduæ relicto donec caſte, ac honeſte vixerit, vt illi ad ſecũda vota trãſeunti iure debeatur, de qua per *Bart. & alios. in l. mulier. §. cum proponeretur. ff. ad Trebell. & Abb. in cap. quod à te. ext. de cler. coniug.* Quam ſententiam probabilem exiſtimat. *Sanchez. l.7. de matrimonio. diſp.91. n.4. & 16.* Licet illam ut pote probabiliorem, & vſu, praxique receptam ſequatur, quæ diſtinguit inter conditionem à marito, uel ab alio iniunctam, ut primo caſu ſecundæ nuptiæ tanquam marito inuiſæ excludantur, in ſecundo uero non; & ſi contrarium indiſtincte ſentiat *Ægid. de Iure honeſt. art.6.*

Ad 2. quæſt. Reſp. Luciam nuptam, quæ ſemel aut bis collapſa eſt, pretium abſque reſtitutionis nexu recipere, ac retinere poſſe, & adulterũ in aĩe iudicio illud ei, ſoluere teneri; nam licet flagitia ipſa in nupta, vel ſoluta ſint lege damnata; datio tamen interdicta nõ cenſetur, ſed iuſtitiæ actus eſt à nullo vitio imperatus, ſiquidem illa corporum conceſſio ratione conſenſus illius, qui operas locat, & ob voluptatem ipſius, qui eas conducit, pecunia æſtimabilis eſt, niſi iuſtę æſtimationis exceſſus pro perſonarũ ratione immodicus eſſet. Quamuis quò ad forũ exterius, inter nuptam & meretricem hoc ſit diſcrimen, quod illi actio petendi ſibi debitum in iudicio denegatur, huic autem mercedem petere apud Iudicem à iure conceditur. Quò fit, vt hęc Luciã de ſic acquiſitis, & ſibi ab amaſio donatis clam marito pro libito diſponere queat, &c. *Sot. l.4. de iuſtit. & iur. q.7. art.1. Circ. in reg. peccatnm. p.2. §.2. Graffius l.2. deciſ. aur e.124. & conſ.2. tit. de furtis. Regius in reſp. conſc. caſu 8.*

Ad 3. q. dico, q̃d quid ſit de foro exteriori, in foro cõſcientiæ in quo Dei Eccleſia mundanis legibus nõ cõſtringitur, Nicolaum nec à peccato mortali, ſi deliberatio non defuit, nec ab irregularitatis labe, immunem eſſe, ac proinde ad ſacros ordines promoueri non poſſe, niſi à ſummo Pontifice diſpenſetur, vel ſaltem ab Epiſcopo ſi delictum occultum ſit, nam licet occiſio & mutilatio quò ad irregularitatem incurrendam æquiparentur, quò tñ ad pœnã, & diſpenſationẽ eadẽ non ſunt, ac proinde irregularitas ob mutilationẽ cõtracta ab Epõ; auferri põt. *Suarez. to.5. d.44. ſect.2. n.4. Reg. l.30. tr.2. n.91. Rod. tom.1. qq. reg. q.24. art.10. Sanchez. de præcep. l.1. c.10. n.49 & l.7. de matrim. d.16. Gen. in Praxi Neap. c.67. Sayr. l.7. cl. reg. c.10. n.8. Leſſ. l.2. c.9. n.16. Reg. l.21. n.17.* Ratio vero peccati quò ad hunc caſum eſt, q̃d eccleſia expreſſe hoc prohibuit, declarans hoc modo interficientes, uel mutilantes, homicidas eſſe, & quintum præceptum, non occides uiolare. *clem.1. de homicidio.* Secundo, quia hęc licentia nõ eſt nimis extendenda dum alia adſunt remedia, quibus ſuo honori ſatisfacere poſſunt, ut illos corã Iudice accuſando, &c. Atque hoc modo quemuis in domo tua impune occidẽdi daretur occaſio, fingendo quod cum filia, uel uxore rem turpem habere uoluerit. Cur uero nec ab ab irregularitate excuſandus ſit, ea afferri ratio poteſt, quod & ſi leges ciuiles, & canonicæ in foro externo occiſionem, & mutilationẽ impune permittant, pęnam ob iuſtum dolorem remittentes, ſiquidem deprehendẽtem uxorem & adulterum in flagranti crimine iudicant maritum tàm uehementi paſſione tunc opprimi, ut uix aliud pro illo tempore deliberare potuerit: ob quam etiam cauſam eccleſia eum qui in clericũ cum ſua uxore, matre, ſorore, uel filia turpiter deprehenſum, uiolentas manus iniecerit, uel etiam, ut aliqui uolũt, indeliberato animo occiderit, ab excommunicationis ſententia excipit, quod iuſtum illum dolorẽ tunc temporis temperare non potuerit. *cap. ſi vero. el.1. extr. de ſent. excomm. Sayr. l.c. & de cenſ. l.3. cap.27. n.23 Molina. tom.4. de iuſtitia. tract.3. diſp.7. num.3. & diſp.55. num.6. Bonac. de cenſ. quæſt.4. pun.4. n.12.* Quò tamen ad irregularitatem dicendum eſt eo quod priuata authoritate culpate, & cum reatu lethalis culpæ mutilauerit, ipſius irregularitatis notã ex delicto deſcendentem ab Epiſcopo tamen, vt dixi, diſpenſabilem contraxiſſe, idque eo magis q̃d irregularitas multoties ſine culpa ob perfectæ lenitatis defectum incurritur, vt per eundem. *Sayrum. l.6. cap.15. Vgol. de Irregularitate. cap.5.* Idem *Bonac. d.7. q.4. ex c. fin. ne cler. vel monach. l.6.*

Ad 4. quæſtionem reſpondeo, adulterum ius petendi debitum amittere. & vxorem innocentem ipſum virum adulterum dimittere, eique debitum nagare poſſe, quod ſi viri adulterium notoriũ eſſet, integrum vxori foret, propria authoritate, & abſq; iudicio eccleſiæ ab eo diuertere, etſi ob euitandum ſcandalum Iudicis ſententia expectari debeat. *cap. chriſtiana. 22. q.2. cap. ſignificaſti. ext. de diuortijs.* In praxi tamen quò ad forum externum, ob ſolum uiri adulterium, niſi ſecum adulteram tanquã concubinam retineat, quò ad thorum, & cohabitationem diuortium fieri nõ ſolet. *Riccius. in Praxi matrimonio. deciſ.236. Reginald. l.31. num.319. Molfeſ. tract.4. cap.14. num.19. Mald. in ſumma. art.8. & ſeq. Biſfeld. de matrimon. cap.18. difficult.3. Sanchez.*

chez.l.1.de matrimonio.disp.68.num.4.& l.10.disp. 22.num.5.Coninch.disp.35.num.2.Bonac.quaest.4. puncto.5.num.10. Et quæ de viro dicuntur quò ad ius coniugale amittendum, de vxore etiam intelliguntur,cum par debeat esse conditio. Quinimo si maritus suspicionem participationis in vxoris crimine vitare non potest,eam dimittere tenetur sub pœna peccati mortalis,ne .s.in illius delicta cõsentire videatur, vt est communis DD.sententia. Hinc fit,vt vir facto diuortio, si innocens est, possit religionem ingredi,& culposa vxor in sæculo innupta manere,& se continere cogatur,& è contra. *Sanch. l.10.disp.11.Reginald.l.31.num.327.Molfes.tract. 4 cap.14.num.52.* Itidem si maritus vxorem adulteram etiam ignorans cognoscat,bigamus, & irregularis fiat,vt proinde si illam mori contingat,ipse vir ab ecclesiasticis ordinibus arceatur,&c. *Vgol.de Irregularitate.c.56.§.2.n.7. Sayrus.l.6.c.4.n.19.*

Ad 5.demum dubitationem respõdeo, has statuens positiones. Primo quidẽ adulteram nõ teneri, cum vitæ periculo,aut famæ,seu honoris,marito prodere filium ex improbato congressu,vel adulterio natũ esse; & si quidam nimis licenter dicant,teneri aliqñ ẽt cum vitæ periculo. Secundo, nec vero filius cogitur matri credere, etiam cum iuramento id asserenti, tùm quia melior est conditio possidentis,tùm quia alleganti suam turpitudinem cum alterius præiudicio nulla debetur fides, tùm qđ matrimonij fauor semper præualet cum filius numquam ex illegitimo thoro genitus præsumatur. Si tamẽ id credat,vt quia mater sufficiẽter id probat, vt spurius esse conuincatur, prout qñ certis argumentis asserit,maritum fuisse impotentem, aut eum toto eo tempore,quo filius cõcipi potuit, fuisse absentem,hæreditate se abdicare debet, cum moraliter certus fit,eam sibi nõ deberi,nisi iam illam præscripsisset, & per tẽpus à iure diffinitũ suam effecisset,&c. vt est communis DD.sententia.

Tertio, adulter ad nullam restitutionem astringitur,si probabiliter filium esse suum dubitat,secus vero si credat, nam non solum educationis expensas,sed si filia fuit,dotẽ à patre putatiuo impensam restituere tenetur; vt fuse disserunt Canonistæ *in c. officij.ext.de pænit.& remiss. Theologi. in 22.q.62. art.6.Summulary.in verbo.adulterium. Nau.c.16. num.49.Tol.l.5.cap.11.Sayrus.l.8.clauis.reg.cap.3. Lessius.l.2.cap.10.dub.7. Cou.in reg.peccatum.p.1. §.2.n.6.de reg.Iu.in 6.Vasquez.de testam.c.5 §.1. d.10.& aly multi.* De qua re alibi meminimus.

Porro Confessarius cum adulteræ confessiones excipit, raro admodum eam cogere debet, adulterium suum prodere, nisi cum certus est, se profuturum, & nullum scandalum, vel incommodum futurum timeri. Cõsultius aget,si doceat occurrere filiorum legitimorũ damno, bona paraphernalia tradendo, sumptus in corporis cultu minuendo, tanquam industria apis in domo laborando, & filium adulterinum(quatenus potest)ad religionis ingressum inducendo. Neque vt aliqui volunt, adigẽda est,vt in mortis articulo hoc detegat,tùm quia, ut dixi, filius hoc credere non tenetur,tùm quia in praxi nũquam fere huiusmodi manifestatio prodest; ut omittam accidere posse, ut si ipsa ab infirmitate liberetur,à marito de medio tollatur,vel si de hac vita decedat, adulterina etiã proles,nec non Confessarius occidatur. vt ait *Henriq. l.11.c.21.nu.3. Bonac.q.4.pun.15.nu.23.Faustus de restit. d.22.q.12.& aly.*

Coniugi in adulterij scelus prolapso eius grauitatem,& fœditatem,diuinamque ultionem proponet,S.Ludouici Galliarum Regis exemplũ pœnitenti objiciet,qui cum à medicis quibusdam impijs absente Regina monitus esset, vt si sanitatem recuperare vellet, cum quadã pulcherrima ancilla rem haberet, hæc pio sane animo extulit verba.

Malle se millies mori,quàm fidem coniugis suæ violare, & tale malum exemplum, ac scandalum suis subditis exhibere. *Io.Gerson.tract.8.super Magnificat,* refert sapientẽ quandam, & honestã mulierem,cum additis etiam diuitiarũ, ac munerum promissionibus,solicitaretur,respõdisse,Bona quæ promittis,propter corpus meum habendum sunt, sed illud uiro meo donaui,oportet igitur illum horum bonorum esse consortem, uadam proinde uirum meum primum interrogatura,& si ille consenserit,quod petis præstabo. O utinam matronæ cũ ab adulteris procacibus infestantur,hæc responderent,neque faciles aures uetulis lenonibus, & matia, montesque pollicentibus præberent. Nam neque Eua si aures serpenti nõ porrexisset, sed dixisset,uadam uirum meum consultura tanto, scelere se obstrinxisset, *Gen.c.3. Gaud. in Expl. cathol.p.3. expl.33.arg.Catechis.Rom.super 6.pracept.*

Proponet pœnitenti Matthæo.honeste uiuere, præceptum quidem iuris esse, quod omnes ligat, arctius tamen nobiles, & illustres homines astringere, sicut enim eorum uirtus præstantius elucet, ob bonum exemplum, quo alios ad illam trahit, in quem sensum aliqui Patres illud sponsæ ad sponsum *Cant.c.1.* interpretantur, Trahe me post te curremus,in odorem unguẽtorum tuorum: ita ipsorum crimina magis conspicua sunt,& deteriora reputantur,quàm si eadem ab alijs inferioris ordinis hominibus perpetrarentur, ut ex Iuuenali ait *gl.in c.2.de translat.Episc.& Cagnol. in l.si qua illustris C.ad Sen.Cons.Orfic.* Indus quidam domi suæ in oculis coniugis concubinã alebat, non tàm ut uenerem expleret, quàm ut coniugem irritaret, huic nocturna, per tenebras uisam esse aiunt horribilem Dæmonum cateruã, qui cubantis pre-

mentes fauces animam intercluderent, ut ne manum quidem ad imprimendum pectori crucis signum admouere posset, uerum implorata à coniuge Dei matre, melius ei factum esse. Postero die positis rite noxis, sic deinceps est immutatus, vt eundem esse hominem non agnoscerent.

Illud de quadam nobili matrona fertur, quod cum per omnem fere uitam nefariæ libidinis contagione turpiter polluta uixisset, tandem crimini obnoxia uita excesserit. Cuius cadauer in tumulū illatum immanissimus serpens frequentare cœpit, ea nimirum ratione, ut quam uiuentem in crimen pertraxerat, mortuam etiam sua sæuitia penitus depasceret, &c. *Daur. in Catechis. histor. tom. 2. c. 3. tit. 103.* Feruens galli erga suas gallinas amor viros admonet, ut uxores suas omnibus scortis abiectis, quæ mera maritorum pestis sunt, ac pernicies, ament. Quare ueteres insignis, legitimique matrimonij coniunctionem significaturi mortuorum sepulchris gallum, & gallinam se inuicem osculātes insculpebant. *Aldr. de auib. l. 14 & l. 1. de quadru ped. tract. de Elephante*, ubi tradit, hoc animal adeo adulteros odio prosequi, ut de eis mortis ēt pœnas sumat, ac petulātes homines ad se accedentes à castis, & moderatis, indita quadam ui, internoscat, &c. Ælianus quoque *l. 14. cap. 35. & Scholiastes in Cōment. ad Alciat. emb. 47.* tradunt. Porphirionem auem muliebris pudicitiæ obseruatorē esse, matrisque familias adulterium suspendio suo indicare; hincque abdito naturæ arcano colligi, quàm turpe, & flagitiosum sit adulterium, cuius actu vel clanculario, huiusmodi auis vita priuetur, &c.

Postremo pro criminis grauitate, congruam ēt pœnitētiam iniunget, ita tamē caute, ne occultum crimē prodatur, aut eius suspicio alteri coniugi ingeratur. Et cum hoc crimen quando de pœna infligenda agitur, sit mixti fori, Iudices tā ecclesiastici, quā sæculares debitis pœnis in adulteros tàm christianæ reipub. perniciosos animaduertent. Siquidem Magistratus lenitas improbitatem alit, atque corroborat, ac eius humanitate, & clementia, mag na ad delinquendum facinorosis fenestra aperitur. Multitudinis hæc est cōditio, vt necessitati potius quàm rationi, & pœnis, quā honestati pareant, ideoq; iumentorū instar animaduersionibus coercendi sunt, & in officio continendi. *Arist. l. 1. Rhet. cap. 12. & in 10. Eth. c. vlt. Plut. de Sera num. vind. Tympius in spec. boni Magist. p. 2. sign. 51.*

Quomodo vero adulterium in mundi, & externi fori tribunalibus probari ad puniēdum, & ad effectum faciēdi diuortium possit, docent. *Menoch. l. 5. de præsumpt. præsumpt. 41. Mascar. de Probat. vo. n. 1. concl. 59 & seq. Farinac. de delict. car. q. 140. Malfes. tract. 4. cap. 14. num. 23. Riccius. in praxi fori. Eccles. Decis. 238. Zerula in praxi Episcopali. p. 2. in verbo adulterium, & in praxi pœn. cap. 22. q. 21. Syl in verbo adulterium. §. 7. num. 9. & verbo diuortium. §. 7. num. 10. Tuschus. in v. adulterium. concl. 225. Tholoson. in syntag. l. u. l. 36. cap. 6. Clarus. in §. adulterium.* Vbi etiam tradunt, quando agitur de separatione quò ad torū, causam adulterij ad ecclesiasticum forum pertinere; hæc enim spiritualis causa cēsetur; vbi vero tractatur de pœnis ob ipsum delictum infligendis, vt dictum est, esse mixti fori, & locum præuentioni dari. Regulariter vero cum graue sit delictum de iure non præsumitur; hinc filius ex coniugata natus, quæ adulterium cōmisit, non ex adulterio, sed ex legitimo marito progenitus censetur, & in fauorem matrimonij in vtroque foro in dubio iudicandū est: quæ assertio vera est ēt si talis mulier cum adultero cohabitet, dummodo marito ad vxorem liber pateat accessus, ita vt ex eo filius concipi potuerit. *l. filium. ff. de his, qui sunt sui, vel alieni iuris l. miles. §. defuncto. ff. ad l. Iul. de adult. Menoch. l. 6. de præsump. præsump. 53. Viuald. in Cand. aureo. p. 2. cap. 21.* Qua ratione etiam fit, vt quidquid vxor acquirit, in dubio ex bonis mariti acquisiuisse præsumatur, ne alioqui ex turpi quæstu id ad eam peruenisse censeatur. *l. Quintus. Mutius. ff. de donat. inter virum, & vxorem.* Non est tamen dubitandum, quin muliere contrarium probante, ista præsumptio cesset, vt puta si constare faceret, illa bona ante matrimoniū habuisse, & in dotē nō esse assignata; vel ēt cōstante matrimonio ex aliquo titulo acquisiuisse, puta si fuisset nutrix, obstetrix, chirurga, lanifica, & id genus; aut cōsentiente marito, separatim negotiata esset, vel si nupsisset marito pauperi, & ipsa diues esset, vt p *Boerium. Decis. 81. Tuschum. verbo vxor. concl. 394. Mascar. v. bona. concl. 213. & v. mulier. concl. 1076. Riccium collect. 150. Vtuinum in Comm. concl. l. 1. de præsumpt. concl. 15. Nald. verbo vxor. num. 6.*

CAP. XXVI.

QVAESTIO CVIII.

QVOMODO CVM INCESTVOSO homine se in praxi gerere debeat Confessarius?

Sebastianus vir rusticus Dei timore abdicato, habuit rem cum Catharina improba fœmina semel contra naturam, & iterum naturali modo, postmodum duobus annis elapsis, cum eius consobrina Lucrētia matrimonium bona fide contraxit. Deinde cum ipsam Catherinā pauperem, parētibus orbatā, pietatis causa in domo propria aleret, ac retineret, multoties quoq; se cum ea immiscuit, quæritur quomodo Cōfessarius in hoc casu in praxi se gerere debeat?

SVP-

SUPPOSITA, ET PRAENOTIONES.

REsp. quod cum hic casus circa delictum incestus verfetur, fupponēdum eſt Primo, inceſtum, qui nil aliud eſt quàm conſanguineorum, vel affinium abuſus, graue, & valde deforme delictum eſſe, repugnat namque reuerentiæ cognatis, & affinibus debitæ, vt tradit. *Thoma. 22. quæſt. 154. art. 9. & alij DD. communiter*. vt propterea Apoſtolus in priori *ad Corinth. 5.* tantopere exaggeret, & execretur huiuſmodi turpitudinē cum perſona tantum affine commiſſam; & Sixtus V. Pontifex Maximus inceſtuoſis in ſtatu eccleſiaſtico mortis pœnā inſlixerit, teſte *Farinac. de delict. carn q. 149.* Quod peccatum eò grauius eſt, quò perſona cum qua copula habetur, eſt magis coniuncta. Hinc cæteris paribus, grauior, & turpior eſt cum cōſanguinea, quàm cum affine, & iniquior, ſi in primo, quàm in ſecundo gradu committatur, ita vt iure optimo hoc peccatum ob ſui grauitatem in multis diœceſibus ſit reſeruatum vſque ad ſecundum gradum, & ideo gradus ſit in confeſſione exprimendus etiam ſi inceſtus inter ſe ſpecie non differant, &c.

Tantā vero deformitatē hoc delictum inuoluit, vt D. Paulus non niſi contra inceſtuoſos, blaſphemos, vel hæreticos, & huiuſmodi profligatæ vitæ homines excommunicationis cenſuram pronūtiaſſe legatur. *1. ad Tim. 1. ad Tit. c. 3.* Quo ēt ſpirituali gladio S. Dunſtanus Epiſcopus quendā Magnatem inceſtuoſum perculſit, & ab eccleſiæ liminibus ſeiunxit, vt apud *Sur. in eius vita 19. Maij. & Baron. tom. 10. anno 970.* Vnde Dæmon, cum quādam domum obſideret, & eccleſiaſticis adiurationibus pelleretur, cōfeſſus eſt, ſe vim aquæ benedictæ ferre non poſſe, dicens ſe in nefarium quēdam ingredi, qui cum propria filia inceſtum commiſerat, vt hinc peccatores intelligāt, quàm graue periculum eis immineat, vt ait. *Marſ. Colum. de aqua benedicta. cap. 6. ſect. 3.* Vnde idem *Farinac. d. quæſt. 149. p. 1. num. 2.* ait, Quanto fornicatio eſt inter crimina leuior, tanto inceſtus eſt ſuo ſcelere grauior, vt proinde indifferenter cum quibus libidinoſus, & impudicus affectus ducit, congredientes, æquiparantur aſinis, iumentis, canibus, & alijs brutis animalibus, qui in carnali copula nullam rationē ſeruant, &c. In quod ſcelus ruſticos, & agricolas facile labi ſolere animaduerti *in Comment. de vi taſtat. p. 2. cap. 17. oblig. 10.*

Secundo ſupponendū eſt, conſanguinitatē eſſe aliquarum perſonarum vinculum ab eodem ſtipite deſcendentiū, carnali propagatione cōtractum. Affinitatē vero eſſe propinquitatē duarum perſonarum, quarum vna cum conſanguinea alterius copulam habuit. Hinc matrimonium cum cōſanguineis vſque ad quartum gradum contrahi nequit, neque etiam cum affinibus vſque ad eundem quartum gradum, quando ex copula licita affines effecti ſunt ex inconceſſa vero coniunctione; vſque ad ſecundum gradum impediuntur. *cap. extraordinaria. 35. quæſt. 3. cap non debet. ext. de conſang. & affin. Conc. Trid. ſeſſ. 24. de ref. cap. 4. Theologi. in 22. quæſt. 154. art. 9. Sot. in 4. diſt. 37. quæſt. 1. ar. 2. Archid. & Turrecrem. in cap. lex illa. 36. quæſt. 1.*

Tertio, ex prædictorum Doctorum ſententia, ad perfectum, & conſummatum inceſtum neceſſario exigi, vt ſit conſanguineorum, vel affinium perfecta, & naturalis, hoc eſt ex parte ſaltem viri in debito vaſe facta commixtio, ſiquidem neque per impudicos actus, neque per oſcula, neque per reſerationem, vel penetrationem clauſtri virginalis, ſine concubitu, imò neque per ſeminis extra naturale vas effuſionem, neque per nefariā ſeminationem contra naturam, proprie inceſtus committi dicitur; cum nec affinitas contrahatur, niſi ſeminatio uiri intra vas fœminæ fiat, &c. *Sanchez l. 2. de matrim. diſp. 21. & l. 7. diſp. 64. Reg. l. 31. num. 144. Coninch. d. 32. num. 45. Guttierez. de matrimonio. cap. 87. numer. 15. Bonac. quæſt. 3. p. 12. num. 21. Molfeſ. tract. 4. cap. 10. num. 101.*

Quarto, inceſtum duos precipue effectus parere. Primus eſt, eum qui illum commiſit, non poſſe à ſua coniuge debitum petere, nam qui in primo, uel ſecundo gradu cum conſanguinea uxoris rem habuit, fit uxori affinis in eo gradu, in quo fœmina turpiter cognita eſt uxori conſanguinea; & ſi ignorantia iuris, & huius pœnæ excuſet, ut ab hoc iure coniugale debitum poſtulandi non arceatur, vt infra etiam dicam. Secundus eſt, ut poſt uxoris mortem (ubi hoc uſu ſit receptum) niſi ab Epiſcopo diſpenſetur, aliam ducere non ualeat, cum apud omnes in confeſſo ſit, Epiſcopum, & etiam religioſos pontificio priuilegio gaudentes, ſuper utroque nempe poteſtate petendi debitū, & matrimonium cotrahendi, ubi eſt uſus diſpēſationem petendi, diſpenſare poſſe. *Bonac. quæſt. 4. de matrimonio. puncto 16. Idem Sanchez. l. 7. diſp. 15. 16. & 64. Zecch. de caſ. reſer. c. 15.* De qua re etiam inferius dictum eſt.

RESOLVTIO CASVS, ET QVAESTIONVM.

HIs ſic præ habitis dico, Cōfeſſarium animaduertere debere, an Sebaſtianus cum Catharina ſe commiſcendo, in debito uaſe ſeminauerit, nam ſi ſeminis effuſio in eo ſecuta non fuerit, uel non naturali modo, nullū ortum eſt affinitatis impedimentum contra *Garz. de benef. p. 8. c. 3. n. 98.* Si uero intra fœmineū uas ſemen fuderit, cum ipſe Sebaſtianus vxori Luciæ tiæ per illicitā copulā affinis factus fuerit, & impedimētum matrimoniū impediens, & dirimens in ſecundo gradu, ex ea prouenerit,

uenerit, si spes proficiendi affulgeat (quod raro in rusticis contingit, qui difficile admodum separantur, nec se continent, &c.) aperire debet ipsum coniugium inualidum esse, & propterea quò ad torum separandos esse, donec dispensatio à Romana Curia per viam Pœnitentiariæ, si res occulta sit, obtineatur. *Coninch. d. 33. num. 44. Naldus. in verbo dispensatio. num. 9. & 19. & in v. incestus. num. 6.*

In cuius humili supplicatione illud aduertendũ est, vt omnia vere, & fideliter narrentur, ne impetrata postmodum gratia subreptitia, vel obreptitia reddatur, prout si per viam sacræ Pœnitentiariæ dispensatio petatur, exprimendum est Primo, quod hoc impedimentum affinitatis est in secundo gradu. Secundo, quod est occultum. Tertio, quod matrimonium bona fide, & cum ignorantia huiusmodi obicis initum est, & in facie ecclesiæ cõtractum. Quarto, quod (si ita est) scandalum esset in separatione, vt quia ex illo nati sint filij, &c. *Sanchez. l. 8. de matrimonio. disput. 34. Reginald. l. 31. num. 193. Coninch. de matrimonio disput. 33. dub. 5. Bonac. de matrimonio. quæst. 3. p. 15. & de legibus. d. 1. quæst. 2. puncto. 4. Molfes. tract. 4. cap. 12.*

Cõfessarius vero cui dispẽsationis literę dirigun tur, si sit in iure canonico Doctor, vel in sacra Theogia magister, vel Pœnitẽtiarius deputatus, seu aliàs hoc priuilegio aperiendi, & exequendi Romanas Pœnitentiariæ literas munitus, si viderit preces veritati niti, obseruabit Primo, non esse necessarium, vt pœnitens cui dispensatio cõcedenda est confessionem sacramentalem faciat, cum in commissione tanquam conditio non exigitur. Secũdo, eius prudentiæ relictum esse, vt pœnitentiam iniungat, cum à d. Pœnitentiaria præscripta non est. Tertio, ei pœnitenti, vno Confessario dispensationem negante, alium adire licere, ipsamque solũ in foro conscientiæ prodesse, ita enim semper in huiusmodi facultate exprimitur. Quarto nõ esse matrimonium validum, antequam Ordinarius, vel Confessarius vi Pontificij mandati, vel Summi Pœnitentiarij dispenset. Incestus tamen post dispensationem commissus, antequã Ordinarius expediat, & applicet, non efficit, vt necessariũ sit nouam dispensationem impetrari. *Sanchez. l. 8. disp. 25. num. 4. Riccius. in praxi fori. eccles. decis. 241.* Et si probabilis etiã sit cõtraria opinio. *vt p Graff. cons. 4. de temp. ordinat. Fillinc. tr. 10. c. 10. n. 337. Naldum. in v. dispensatio. n. 15. Henriq. l. 2. de matrim. cap. 2. §. 5. inclinare videtur. Garzias. de benef. p. 8. cap. 3. num. 7. & Possen. de officio. Cur. in declar. fac. cong. num. 149. vt infra etiam suo loco dicemus.*

Quinto obseruandũ, hoc matrimoniũ qđ ob occultũ impedimentũ inualidũ est, corã Parocho, & testibus, ac denuntiationibus minime celebrãdum esse, quando aliàs ab ipso Sebastiano, & Lucretia impedimenti inscijs in facie ecclesiæ, cum debitis solemnitatibus est contractum; vnde tunc satis erit secreto consensum renouare, ita tamen caute, vt si alter est illiusmet impedimẽti ignarus certior non fiat. *Sanchez. l. 2. disp. 37. nu. 9. Bonac. quæst. 3. puncto. 15. Beia. p. 2. respons. casu. 2. Io. Bapt. Corrad. in resp. cas. consc. q. 141. Gambarup. de casib. reser. casu. 22. Vide infra t. 13. de artic. super matr. c. 11. q. 23.*

Sexto annotãdum, quod si Sebastianus post refectum, & instauratum matrimonium, cum Lucretia vxoris suæ consobrina rem habuit, non solũ peccatum incestus admisit; sed etiam sic peccans facultate coniugale debitum subinde petendi, ut supra aduerti, priuatur, & præterea in criminis pœnam non potest alteri, si super uiuat, in matrimonio coniungi; super utroque tamen licebit Episcopo, & ab eo deputatis dispẽsare. Qua facultate certum est etiam, ut dixi, nonnullos religiosos ob Pontificium priuilegium gaudere, &c. *Sanchez. l. 8. de matrimonio. disp. 16. Molfes. tract. 4. cap. 12. num. 41.*

Et si etiam aliqui uelint, ignorantiã huius pœnæ vel legis excusare, ut delinquens absque dispensatione nubere, & debitum petere possit. Item ubi non est consuetudo ut dispẽsatio petatur, illa opus non esse. *Henriq. l. 12. de matrimonio. cap. 2. num. 3. & 4. Nau. cap. 22. num. 75. Chap. de cas. reser. c. 14. Bonac. de matrimonio. quæst. 4. p. 2. & p. 6.*

Septimo, à Confessario prouidendum est, ut in futurum delinquendi occasio auferatur, curando vt pœnitentiæ sacramentũ sit sibi ueluti claua Herculis, qua renascentia hydræ capita conterantur, ac prosternãtur; quod singulariter in peccatis carnis, sed maxime incestus obseruari debet propter consanguineorum, & affinium cohabitationem, quę in hac parte Confessarijs maximam difficultatem, & familijs scandalum afferre solet. *Vinius. Decis. 196. Riccius. p. 2. Decis. Cur. Archiep. Neap. Decis. 48. Menochius. l. 5. Præsumpt. præsumpt. 17.*

Animarum namque medicus audita confessione, & omnibus examinatis, priusquã ad sacramentalem absolutionem deueniat, omnino studere debet, ut pœnitens non recidere firmiter proponat, ne sit sicut canis reuersus ad uomitum, & sus lota in uolutabro luti, qđ assequetur, si peccatorum proximas occasiones declinauerit, illas scilicet, quæ semper, uel quasi semper perpensa personæ qualitate, ad lethaliter delinquendum inducit. Siquidẽ Confessarium circa suam obligationẽ, & officium duobus potissimum modis peccare contingit. Primo, si circa materiam, formam, uel intentionem deficeret, qua in re peccatũ sacrilegij contraheret, nam hic defectus circa substantialia uersatur. Secundo, pluribus etiam modis circa accidentalia, & rectam administrationem delinquit, ut si in mortali existens, uel aliqua censura innodatus administret, pœni-

pœnitenti condignam satisfactionem non imponat, proximam peccandi occasionem ei nō amputet, &c. *Molfes. tract. 7. cap. 24. num. 7.*

Ad memoriam reuocandum, vt lapsui obnoxius firmiter proponat, se certam aliquam pœnitētiam expleturum, si denuo relabatur, quadam ratione sibi legem imponens, qua se ipsum ab hoc teterrimo vitio coerceat: Ingens est enim relapsus tùm perniciesi de qua Dominus. *Matth. c. 2. & Luc. 11.* Fiunt nouissa hominis illius peiora prioribus, tùm etiam turpitudo de qua *2. Pet. 2.* Non est autem consultum ad eandem difficultatem superandam, vel iurare, vel vouere se numquā in illud flagitium prolapsurum, ad quod magna procliuitas, & occasio impellit. *arg. c. clericos. ext. de cohabit. cler. & mul.* Vnde & Molanus *de pijs testam. cap. 51.* testatores, aut morituros admonet, ne imprudēter coacta iuramenta exigant, vt. v. g. quod vxor relicta iuret se vidualem uitam seruaturam, id enim ipsi contorali ob carnis stimulos quibus forte urgebitur, nō expediet, idcirco ob incauti periurij periculum, ab huiusmodi exactione à Cōfessarijs retrahēdi sunt.

Propterea urgendū est à Cōfessario, ut illa Catharina affinis à domo Sebastiani, si commode fieri potest, dimittatur, sin minus quatuor concurrentibus circunstātijs absolui poterit. Primo, si adsit uera peccatorum præteritorum contritio, vel pœnitudo. Secundo, propositum in posterum non peccandi. Tertio, credulitas quod Deo iuuante non peccabit, quia numquam solus cum sola conuersabitur. Quarto, quod subsit aliqua rationabilis causa illam fœminam à se, uel domo non abdicandi, puta quod ipsa non habeat quo se alere possit, & periculum sit, ne data licentia deterior fiat, &c.

Præseruantem pœnitentiam imponet, ut si amplius in hoc incestus scelus eum labi contigerit, sequenti die in pane & aqua ieiunet, aliquo flagello se uerberet, & si expedire uiderit, aliquando absolutionem differat; nam ut ait. *D. Anton. p. 2. tit. 5. cap. 5.* per incestum equo & mulo homo similis efficitur, qui se continere nequeunt, nisi in passionum motu aliqua externa vi cohibeantur, iuxta illud, Nolite fieri sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus, in chamo, & fræno maxillas illorū constringe. *Psalm. 31.* Qua etiam ratione. *Tobias. c. 6.* spurcos homines ac salaces, qui ut libidini uacent, Deum à sua mente excludunt, equo, & mulo comparat. Atq; ideo reprehensionibus etiā durius cum hoc rustico aget, ut admonet, *Idem S. Ant. 3. part. tit. 17. c. 19.* Rusticæ progeniei, ut plurimum illud *Habac. cap. 1.* adaptatur, Facies hominis quasi pisces maris; quę uerba declarans D. Ambrosius ait, Inter omnia animalia nullū est pisce intractabilius, nec vllus hominum illum mansuescere uidit, uel saltem tactum manus tetre solitū: huius naturæ rustici esse dignoscuntur, nam quamtumuis benigne, & comiter cū eis agas, semper agrestes, & obduratos experieris. Qđ et annotaui *in Cōment. de stat. p. 2. c. 17.*

QVAESTIO CIX.

QVID AGERE, ET QVOMODO se gerere debeat Confessarius cum Sacerdote Curato, qui filiam spiritualem ad turpia sollicitauit, cum ea se commiscuit, & prolem ab ea suscepit, &c.

Martinus animarum Curator, sui gradus, & status oblitus, abdicato à se Dei timore, Annam uiduam suam filiam spiritualem, quam scilicet baptizauit, & in sacramentali iudicio pluries eius confessionem excepit, in ipsa confessione semel ad turpia sollicitauit, & tandem bis in propria domo cum ea sacrilegam copulam habuit, ex qua filium suscepit, & apud se retinet, & alit cum aliquorum scandalo, uel suspicione, qui de perpetrato delicto probabiliter dubitant, & filium suum esse suspicātur; quæritur qđ in præsenti casu quò ad theorem, & praxim agere debeat Confessarius?

Resp. Iste Parochus non animarum curator, sed dissipator merito dicitur, longe distans ab illa D. Gregorij Nazianzeni admonitione. *in Apologet.* Officium sacerdotis circa hunc duplicem cardinem versatur; Primo in anima sua purgari debet, deinde purgare alios, sibi sapere, & alios sapientiores efficere, lumen esse, & cæteros illustrare, ad Deum accedere, & alios eòdem inuitare: denique sanctus esse sibi, & alios ad ueram sanctitatem pertrahere. Sane quid fœdius, horribilius, ac execrabilius impudico sacerdote? ita ut hoc solo incōtinētię nomine cōtemptibilis apud omnes, & inuisus reddatur; faciliùs enim sæculares homines iracundiam, ambitionem, auaritiam, & quodcunque aliud uitium in suo fere tolerant sacerdote; si impudicum uiderint, uel saltem suspicentur, statim despiciunt, & horrent, sacramenta auersantur, & à rebus diuinis animum despondent. Vnde proditum est, tempore Gregorij VII. cum in Germania passim sacerdotes contra cælibatus legem coniugio uterentur, & incontinenter uiuerent, in tantam contemptionem sacramenta deuenisse, ut etiam laici passim illa administrarent. *Val. tom. 4. disp. 9. quast. 5. p. 5.* Et Martinus Delrius. *l. 3. disq. mag. p. 1. quast. 2.* quærens cur Deus maleficos rebus sacris abuti patiatur, hanc his uerbis subinde intulit rationem.

Præcipuam causam puto esse irreuerentiam ipsorum sacerdotum, & clericorum, uasa Domini non eo honore, quo oportet, habentium, nec se ipsos castos, & puros à labe peccatorum, & ut decet, sanctificatos exhibētium, sic enim prouocant in caput suum

suum propheticam comminationẽ, Incensum abominatio est mihi, &c. *Isaia. cap. 1.*

RESOLVTIO CASVS, ET QVAESTIONVM.

His sic prælibatis, Dico hunc sacerdotem, qui primo illam viduam quam in confessione audiuerat, & ad turpitudinem in sacramentali iudicio, vel prope, imò absque confessione, in loco ad eam excipiendam deputato, solicitauit, peccatum incestus, & sacrilegij simul perpetrasse, & valde de hæresi suspectum se reddidisse, ita vt ab ipsa eadem fœmina ad violatæ fidei Censores sit deferendus. Oportet namq; his diebus, quibus peccatis nostris promerentibus, admirabile hoc sacramentum pœnitentię spiritualium omnium infirmitatum singularis medicina, ab hæreticis impugnari solet, sacerdotes in hoc delinquentes acriter puniri, ne ex eorum delictis ipsi hæretici christianam religionem proscindẽdi, ac carpẽdi ansam arripiãt, & ne frigescente charitate, ac pietate, occasio detur maritis, vxores, ac filias ab hoc sacramento retrahendi, vt habetur in Bulla Pij IV. *Incip. venerabili. De qua apud Roder. tom. 7. qq. regul. quæst. 27. art. 1. & Franciscum Longhum. de cas. reser. p. 1. sect. 2. artic. 22. Molfes. tract. 7. cap. 24. num. 29. Bened. Aegid. de Iu. hom. artic. 11. Riccium. resol. 414.*

Quinimo facta relatione à Cõgregatione Illustrissimorum Cardinalium S. Inquisitionis coram Sanctissimo Paulo V. Pontifice Maximo, qđ multi Confessarij tractant cum mulieribus in confessionali, vel loco deputato ad audiendas confessiones, extra occasionem confessionis, de rebus inhonestis, ipse Papa Dei in terris Vicarius sanciuit, vt contra huiusmodi Confessarios in S. Officio procedatur. Quod etiam nuper decreuit Gregor. XV. *in Constit. Incip. vniuersi gregis*, vbi mandat omnibus Confessarijs, vt suos pœnitentes quos nouerint fuisse ab alijs solicitatos, seu secum de inhonestis, & turpibus in cõfessionali solum tractasse, & locutos esse, moneant de obligatione eos denuntiandi, vt etiam per *Long. l. c. & Naldum in v. Confessarius, & supra innui.* Quippe optandum fuisset in clero quod in primitiua ecclesia fuit, & qđ de Germanorum moribus scribit Tacitus, Apud Germanos plus boni mores valent, quàm alibi bonę leges. Sed quia non eadem vota sunt, ex malis moribus bonas, ac seueras leges nasci oportuit, quæ clericos in sancto, ac honesto officio continerent.

At vero quatenus Martinus Annam extra confessionem non solum ad tupitudinem verbis solicitauit, sed etiam re ipsa copulam cum ipsa habuit, licet grauem culpam contraxerit, & largo sumpto vocabulo peccatũ incestus admiserit, eo quod eius sacramentalem confessionem audierit, & proprie etiam vereque incestus reus fuerit, quia illam baptizauit; & grauissimũ sacrilegij facinus perpetrauerit, tàm ratione abusus sacramenti, quàm ratione voti castitatis, quo ipse Parochus insignitus est; licet inquã, tàm impie deliquerit, de hæresi tamen suspectus non est, nec Inquisitoris censuram subire debet, cum tantum contra castitatis, & temperantiæ virtutem peccasse censeatur. Si tamen actu mulier illa est pœnitens sacerdotis, cui ordinarie cõfiteatur, & si baptismũ illi nõ administrauerit, probabile est esse circstantiã necessario in confessione exprimendam, cum huiusmodi crimen iure ecclesiastico specialiter prohibitũ sit, videatur. *Nau. l. 5. de haret. cõs. 2. & authores citati. item Graff. l. 2. decis. aur. cap. 48. num. 16. & cons. 1. l. 3. tit. de cognat spirituali. Azor. p. 3. l. 3. cap. 9. Sanchez l. 7. de matrimonio. disput. 55. Steph. Quar. in summa Bullary. in v. confessor. Frãciscus Leo. in foro eccles. par. 3. c. 37 Vgol. de officio Episcopi. p. 1. cap. 15. §. 9. Genuensis. in Praxi Neap. cap. 81. Bonac. de matrimonio. quæst. 4. p. 16. Bened. Aegidius. in tract. de iure, & priuileg. honest. art. 11. Filliuc. tract. 10. cap. 5. quæst. 5. Galganettus. de Iure publico. l. 3. tit. 94. nu. 52.* De qua re breuiter egimus *in Comment. de cas. reser. cap. 4. casu. 3. sect. 3. & de hum. vita stat. par. 1. cap. 16. & 17. & tetigimus etiam supra tract. 5. c. 21. quæst. 1. 22.*

Porro quod attinet ad confessionem d. Martini Confessarius qui illã excipit videre debet, an casus solicitationis filiæ, vel filij spiritualis, seu copulæ attentatæ sit in sua diæcesi reseruatus, quia sic ad superiores Iudices esset mittendus, vel absoluendi facultas petẽda. Si vero hæc ad turpem actum prouocatio in confessione, vel prope eam, vel etiam in loco ad audiendas confessiones destinata facta fuerit, cum non leuem hæresis suspicionem contraxerit, interrogãdus erit, an aliquem errorem in intellectu habeat, vt cognoscere possit, an in Bullam Cœnæ Dñi inciderit, &c. per ea quæ à nobis alias dicta sunt, pręsertim sup. *tr. 7. c. 4. c. 19. & c. 5. q. 22.*

Quod vero spectat ad secundam partem casus, quomodo scilicet se gerere debeat cum Martino, qui ex filia sua spirituali filium suscepit, quem domi cum aliquorum scandalo alit, illi à Confessario consulendum est, vt extra domum hoc paternum officium præstet, aliàs contra proprium munus peccat, eo quod Parocho specialiter incumbat curaprocurãdæ salutis suorum subditorum; eosque bonis moribus instruere, verbo, & exemplo pascere, & pro uirili omni studio ad Deum trahere debeat. Et si enim explorati iuris sit, filijs spurijs, & incestuosis à parente uel sacerdote alimenta deberi, si aliunde sustentari nõ ualeant, & nõ tantum de bonis patrimonialibus, sed etiam de beneficialibus, & redditibus ecclesiæ modo in subsidium, & moderate faciat, posse filiam spuriam, & incestuosam

Tt dotare,

dotare, nam dos, & alimenta æquiparantur, quod procedit etiam si ipsa filia matrimonii sine patris licentia nupsisset (quo alimẽtorum nomine ea omnia intelliguntur, quæ pro personæ conditione necessaria sunt, vt victus, vestitus, habitatio, medicina, & id genus alia) id tamen ita caute, & secreto agendum est, vt cum populi offensione, & scandalo eius filius nõ agnoscatur, cum filius apud se manens paternæ incõtinentiæ subinde viuũ, & efficax sit argumentum. *Azor. p. 2. l. 2. cap. 4 quæst. 7. & cap. 12. quæst. 4. Surdus de alimentis tit. 1. quæst. 10. & consf. 509. vol. 4. Garzias. Mastrillus. tom. 4. Decis. 144. Nau. in Comment. de spol. cler. in exposit. Bullæ Py V. contra illegitimos notab. 9. Card. Paleot. in tr. de not. his, & spur. cap. 48. Reginald. l. 25. num. 626. Quar. in summa. Bull. in v. illegitimi, & Megalas. 2. par. Instit. consf. l. 2. c. 29. quæst. 2. Nald. in v. clericus. num. 15. & in v. incestus. num. 7, & v. alimenta. numer. 1. Tusch. v. alimenta. concl. 282. Riccius resol. 32. Bonac. de legibus d. 6. quæst. 1. p. 6. §. 2. num. 7. Bened. Aegid. l. c. Comit. l. 1. respons. mor. quæst. 75. Sà in verbo. filius*,

Adde in detestationem huius criminis, non licere filijs clericorum illegitimis, quodcunque beneficium obtinere, aut quoquomodo ministrare in ecclesijs, vbi eorum parentes beneficium aliquod ecclesiasticum habuerunt, ex Concil. Trid. *sess. 24. de refor. cap. 15* Quæ dispositio ampliatur, vt quæcunque Episcopi tolerãtia eis non suffragetur, cum contra Cõcilium dispẽsare non valeat, Imò neque Apostolica sufficeret dispensatio, nisi in specie dispensetur ad obtinenda beneficia in ecclesia, in qua pater habuit, & alijs Decretis, concilijs, & Apostolicis cõstitutionibus expresse derogetur. *vt per Garziam. de benef. p. 7. cap. 3. Riccium. in collect. Decis. p. 4. collect. 1367. in fine.* Patrem tamen clericum habentem facultatem transferendi pensionem posse illam transferre in filium illegitimũ resoluunt. *Gigas. de Pens. quæst. 86. Paris. de resig. benef. l. 6. q. 4. num. 2. Azor. p. 2. l. 8. cap. 8. quæst. 7. Garzias. d. cap. 3. num. 34. Grat. in Discept. forens. c. 397. & Ricc. l. c.*

Pœnitẽtiam grauem pro modo culpæ iniunget, eique aperiet, si delictum probatũ fuerit, in foro externo deponendum esse. *c. si quis sacer. 30. q. 1. Abb. in c. vlt. ext. de purg. canon. Felyn. & Dec. in cap. at si clerici. ext. de Iudicijs. Diax. in praxi can. crim. cap. 82. Riccius in praxi fori eccles. Decis. 376.*

Quomodo vero in foro externo incestus probetur, & puniatur docet. *Mascar. volum. 2. de Probat. 13. q. 3. Tuschus. verbo. incestus concl. 69. Farinac. quæst. 48. & Bened. Aegid. l. c.* Vbi subdit, Cautus vero Iudex esse debet ne temere cõdemnet, quem sacer vitæ status com nend it, vnde maius scandalũ inde surgentis dam num oriatur; in manifestum ergo fornicatorẽ, vel sacrilegum stricte animaduertat; non manifestum manifestari non sinat, memor eius, quod de Cõstantino Imperatore legitur. Nec enim oportet sacerdotum peccata vulgo innotescere, ne illis offensus ad delinquendum audacior ipse reddatur. *Simancas. in Cathol. Instit. tit. 8. n. 13.*

REMEDIA CONTRA SACERDOTIS luxuriam.

Remedia contra luxuriæ luem præscribet, de quibus supra *tract. 6. cap. 13. quæst. 64.* Illud tantum nunc repetere placet, optimum præsidium ad Templum Dei inuiolatum conseruandum fore, si Parochus consideret, se pretiosum hunc thesaurum in vasis fictilibus habere, quæ minimo quouis incursu frangi solent; vnde eadem cautione, & diligẽtia vtatur oportet qua rem pretiosissimã in vitreo vase circũfert, diligẽter inspiciat, & quib. cum conuersetur, quò animus suus inclinet, vbi figat pedẽ, nec de se ipso confidat, aut quidquam præsumat.

Secũdo, externos sensus custodiat per hos enim quasi per fenestras mors in animã ingreditur. *Hier. capit. 9. & Cassianus. libr. 6. Instit capit. 2. Catechis. Rom. super 6. precept. §. sed maxime.*

Tertio, exordijs malarum cogitationum, quæ sunt pice viscosiores statim occurrat, & serpẽtis caput suggestionis initio cõterat. est enim vulgatum axioma, paruum errorem in principio in fine maximum fieri, quod verum esse videmus in curatiõne morborum, in templorũ ædificatione, ciuitatum, ac rerum publicarũ gubernatione, &c. Idẽ plane in moralibus accidit, in animi morbis curandis, in spirituali perfectionis exercitio, vt vere dixerit. *Seneca l. 6. de benef. cap. 3.* Vna salus rebus est, occurrere ad primos rerũ impetus. Hinc & *D. Chrysost. hom. 87. in Matth.* loquens de Iuda proditore, quem pecuniæ amor ab initio non cohibitus ad proditionem pertraxit, Hac via, inquit, omnia scelera fieri videbis; nemo enim repente ad extremam improbitatem insilijt: habet quippe insitum quendam animа pudorem, quem subito calcare, ac proijcere nõ potest, sed sensim, ac paulatim ex negligentia perit, &c. *Bassus. de Cur. anim. p. 3. cap. 3. Io. Bapt. Constant. in Admonit. ad Parochos. p. 1. tit. 2. c. 18. Nig. in tract. de Cur. min. p. 2. arg. 3. axiom. 4.*

Cauebit ne in posterũ illam filiam spiritualem qua cum rem turpem habuit, in sacramẽtali iudicio audiat, noua enim præberetur occasiõ, vt iterum ad præteritas irritaretur illecebras, quod impudentissimum esset sacrilegium: & si factũ notum esset, scandalum gigneretur, quod vix sine mortali culpa fieri potest. *D. Thom. in addit. ad 3. par. quæst. 20. art. 2. Sot. in 4 dist. 18. quæst. 4. art. 2. Corrad. in respons. quæst. 13.*

Delicti grauitatem ostẽdet, & eius curandi difficultatem palam faciet, Confessarius siquidem luxu-

luxuriæ morbi condirlo facile contrahitur, sed difficile sanatur. Vnde SS. Patres tradunt, animas nostras cæteris quidem peccatis tanquã puluere asperg i, eo quod diuinę gratiæ ope facile sicut puluerem ea excutere possumus, at carnis voluptates luto, ac scabiei comparant, quia sicut eorum maculæ turpiter fœdant, ita difficile lauantur, & absterguntur. Idque eo magis in sacerdote, & animarum Curatore procedit, cum eò periculosius sit vulnus, & ægrius curetur, quò nobiliori parti infligitur. Hinc nota est illa D. Gregorij Nazianzeni similitudo, quod splendidæ vestis lutulentiores sunt sordes; & in cãdidissimo panno maculæ magis cõspicuæ sunt, & nisi magno studio, & labore tolli queunt. Accedit, qđ ex eo peccato sacramẽtorũ contẽptus nascitur, quãdoquidẽ ex luxuria amor sui, & Dei odium promanat, vnde paulatim indurescit, & in malo magis confirmatur sacerdos; ex quibus illud videtur esse consequens, vt omne studium in his fugiendis adhibere debeat, quæ libidinosæ voluptatis irritamenta esse possunt, & quibus castitatis virtus, tanta cum iactura, & scãdalo violatur, ac perditur; nam vt ait. *S. Eph. tom. 2. par.* 34. Varijs modis athletas idest sacerdotes, & religiosos Diabolus circa carnalis voluptatis cõcupiscentiã acrius oppugnat. Addat maximis vtique supplicijs luxuriosos semper à Deo punitos esse, quod suæ dignitatis obliti, similes bestijs efficiantur, & cælestibus contemptis delitijs, stercora amplexentur; longe tamen maiora tormenta impudicis sacerdotibus parata esse, quia in tanta diuinorum charismarũ copia, & cum Deo cõsuetudine, post solemne castitatis votum, in tàm vilem rem se ipsos abijciant, vt eorum causa diuina mysteria infidelibus ludibrio sint, & ab ipsis etiam fidelibus parui fiãt, atq; ideo efficiãt, vt ij audacius in peccatoribus sordibus iaceant, clericorum videlicet mores imitati, quos ramen virtutum duces, & magistros esse oporteret. *Fornar. In instit. conf. tract. 2. cap. 3. Gisbert. de vita Eccles. cap.* 39.

Tandem illi admẽtem rediget, Diabolum illos imitari, qui sapidis quibusq; rebus veneua miscent, quo facilius incautos in errorem, & interitũ trahãt: vt sub bonarũ rerum specie, & prętextu in immania præcipitia conijciat; neque .n. quæ apertã improbitatem cõtinent, Dei seruis propinare solet; scit .n. se repellẽdum; nec quisquam palam porrecta venena prudẽs haurit; sed dulcibus virus permiscet, vt dum auidi in cibum ferũtur, mortem celerius accersant.

QVAESTIO CX.

QVOMODO CONFESSARIVS SE GERERE debeat cum sacrilego sanctimonialis violatore?

IVlius cuiusdam sanctimonialis prauo, & impuro amore captus, bis obreptitia licentia ad monasterium malo fine accessit, vt colloquendo, & de rebus turpibus verba miscẽdo, sensuali, & voluptuosa conuersatione se oblectaret, &c. randẽ quia in malo nemo repẽte fit sũmus, sed paulatim de virtutis habitu deijcitur, & in scelera ruit, & vt ille ait,

Vulnus alit venis, & cæco carpitur igni,

ex condicto duos, vel tres pedes monasterij septa ingressus, ipsam sacram virginem violauit, & cum ex scelesto congressu impurus amor, & cæca libido vires sumpserit, eiusdẽ sanctimonialis imaginẽ in annulo insculptam retinet. Quæritur quodnam sit in hoc casu Confessarij munus?

Resp. Ex duplici capite iniquitas huius pœnitentis dignoscitur. Primo, quia sine Superioris facultate, vel saltem subreptitia, cum finxit recta intentione, & negotij peragendi causa, ad illud monasterium velle accedere, vt sic facilius à monialium Vicario licẽtiam extorqueret, sicque obedientiam, & veritatem violauit, & boni viri officio defuit, iuxta illud,

Quis bonus est?

Qui consulta patrum, qui leges, iuraque seruat. Siquidem ab antiquis vsque temporibus sancitum fuit, vsuque receptũ, & obseruatum, vt nulli etiam honestę personę, nisi rationabilis, & manifesta causa existat, & de illius ad quem pertinuerit speciali licentia, ingressus, vel accessus ad moniales pateat; vt sic à publicis, & mundanis conspectibus separatæ, omnino seruire Deo valeãt liberius, & lasciuienđi opportunitate sublata eidem corda sua, & corpora in omni sanctimonia diligentius custodire, vt ait. *Bonif. VIII. in cap. 1. de stat. reg. in* 6. Vnde vt magis homines à sanctimonialium conuersatione abstineant, sanxerunt iura, vt sub perpetua clausura maneant, iuxta formam ibi traditam, & singulis annis etiam si exemptæ sint. per Ordinarios visitari deberent. *Clem. attendentes, de stat. reg. Conc. Trid. sess. 25. de regul. c. 5. & 9.* Vnde generaliter loquendo, etiam soli iuri communi innitendo, omnibus in vniuersum viris secularibus, & ecclesiasticis, atque etiam religiosis, nisi ex iusta, & rationabili causa, & licentia, accessus ad monasteria monialiũ prohibitus est, vt probat. *Miranda de sac. monial. quæst. 4. art.* 1. Imò ipsis regularibus sub pœna priuationis officij, & vocis actiuæ, & passiuæ, quæ ad lethalem culpam obligat, à sacra Cardinalium Congreg. id inhibitum est. *Barch. de monial. cap. 9. Graffius. p. 2. de regul. consf.* 2. Hinc licet ipsas moniales alloqui ex se nec mortale, nec veniale peccatum inuoluat, licet tamen ob periculum grauis mali hoc interdicere, & vbi postea ab Episcopis facta est reseruatio, ob eam satis colligitur, eos ad mortiferam noxam obligare velle. *Gambarup. de cas. reser. c. 1. num. 29. Flor. pun. 1. cap. 1. §. 1. & ante eos diximus. in Comment. de cas. reseru. p. 2. cap. 5 sect.* 1.

Secundo, quia hic scelestus execrandum sacrilegij crimen perpetrauit, cum tàm turpiter moniali Deo dicatæ se coniunxit; huius enim flagitij reos filios perdirionis appellat Apostolus, vt habetur *in Concil. Arelat. de quo in capit. sciendum. 27. quæst. 1.* Vt propterea qui carnis contagione monialem cognoscit, quatuor grauissima delicta incestum, adulterium, stuprum, & sacrilegium, cum maxima iniquitate commitere dicatur, & pœna acerrima puniatur, nempe in clericis depositione, perpetuoque carcere, velut etiam in moniali, quæ se violari permisit. Item sacrosanctæ eucharistiæ priuatione; licet misericorditer viaticum in vitæ fine concedatur. In Laicos vero vltimo supplicio, & bonorum monasterio adiudicatione, animaduertitur. Licet de consuetudine hæc pœna mitigari soleat, vt sit perpetui carceris, quando non est notoria scandalosa, vel continuata. *Decius in cons. 338. Graffius lib. 5. cons. 2. de adult. Farinac. de delict. car. q. 146. §. sacrilegium. Archid. & Turrecrem. in cap. impudicas. 27. quæst. 1. Tuschus. verbo monialis. concl. 337. & verbo. sacrilegium. concl. 6. num. 10. Marta de Iurisdict. par. 2. cap. 26. Lapus. allegat. 54. Clarus. in §. fornicatio. num. 17.*

Quò ad absolutionẽ vidẽdum est, an accessus ad monasterium sit casus reseruatus, & an aliquam excommunicationem annexam habeat. Bononiæ enim non tantum hic casus reseruatione, sed etiam excommunicationis pœna affectus est, si quis ad turpem, & malum finem, qui in aliquem externum actum prodierit, eò accesserit, & de rebus, v. g. turpibus monialẽ allocutus fuerit. Secus. n. dicendum esset, si malum propositum solum in mente retinuisset, & licitos, honestosque solummodo sermones cum eadem moniali miscuisset; nam tunc in casum quidem reseruatum, non tamen in excommunicationem incidisset, siquidem iuxta legale axioma, Ecclesia nõ iudicat de occultis, & propositum in mente retentum, nihil quò ad forum externum operatur, est enim simile posthumo, qui nisi in lucem prodeat, nihil agit & in consideratione non habetur. *cap. erubescant. dist. 32. l. si repetendi. C. de condict. ob causam. Tusch. in v. propositum. cõcl. 919.*

Quinimò cum ad tam graue scelus committendum monasterij septa ingressus fuerit, etiam si clausuram per duos tantum pedes sit transgressus, excommunicationem Summo Pontifici reseruatam procul dubio non effugit. Per cõstitutionem Pij V. *Incip. Circa Pastoralis*, & aliam Gregor. XIII. *Incip. Vbi gratia.* A' qua tamen (quidquid aliqui dixerint) si occultus sit casus, facultate Concilij Tridentini *sess. 24. de refor. c. 6.* Episcopo absoluere licet, *vt obseruauimus supra tract. 5. cap. 5. quæst. 31.*

Porro Confessarius cui absoluendi à casibus reseruatis, & ab hac excõmunicatione facultas data est, omni conatu studeat vt pœnitens sceleris grauitatem agnoscat. Quandoquidem vt ait. *D. Gregor. p. 2. Pastor. cap. 4. & habetur. in cap. sit Rector. d. 43.* Clauis apertionis est sermo correctionis, nã increpatio culpam detegit, quam sæpe nescit ipse et qui perpetrauit. Vrgeat præter æternæ miseriæ barathrum Deum solere in hoc peccatum maximis calamitatibus, plagis, & infortunijs acriter animaduertere. *Lamas. in sum. p. 3. c. 8. §. 14.* Et vt ait. *D. Bernard. Senens. fer. 6. post. Domin. de Passione. serm. 48 cap. 2.* Scelesti, qui cum Christi sponsis sacrilegium perpetrare audent, considerent, quod scriptum est,

Moritur arreptus monacha quicunque potitur.

vt dixi *de cas. reser. p. 2. cap. 5. sect. 1.*

Auferat iterum peccandi causas, cum vera pœnitentia sit peccatorum causas, & occasiones excidere, & earum suggestionibus aditum non indulgere. *c. satisfactio. de pæn. d. 3.* Nec prius absoluat, quàm illius monialis imaginem, cuius inhonesto amore afficitur, prorsus abiecerit, lacerauerit, aut combusserit, cum propter illã in statu peccati mortalis sit cõstitutus. Amasiorum enim munera, & simulachra nõ esse vel post conuersionem retinenda, facit à simili ratio, quæ legitur *in cap. mulier. 15. quæst. 1.* Vbi pecus à quo mulier ascendi voluit, interfici iubetur, quia tali flagitio cõtaminatum, indignam refricat facti memoriam. Sic & quis corporaliter auelli iubetur, ubi carnis illecebris deseruiuit, ne in mẽtis aspectu apponatur, quod sæpe ibi vel cogitauit, uel gessit, atque sic tenet, *Philiar. de officio. sacerd. p. 1. l. 3. cap. 9. Sayrus. in claui reg. l. 4. cap. 7. num. 2. Nald. in verbo amasius.* Quippe libidinoso amatori proposita semper est tantum fœda delectatio ex illius aspectu, amplexu, & consuetudine percipienda, quam deperit, infinita post se detrimẽta trahens, inter quę innumeræ sunt execrandæ blasphemiæ, dum insanus amator eam quam turpiter amat, & quam semper præsentem habere cupit, Deam uocat, uel cordis sui idolum. &c. *Chauas. de prud. l. 1. cap. 8. §. 7.*

Congruam pro modo culpæ pœnitentiam imponat, attendendo, vt quoad fieri põt, & quatenus spiritus, & prudentia suggesserit, pro delicti qualitate sit iusta, statui pœnitentis conueniens, & salutaris ad præteritorum peccatorum vindictam, morbi medicamentum, & nouæ vitæ custodiam. *Concil. Trident. sess. 14. capit. 8. Caiet. in verbo. satisfactio, & Nau. cap. 26. num. 21. & alij.*

Tandem Confessarius pœnitentem admoneat, vt in posterum, à minimis principijs caueat, quæ animam turpi concupiscentia labefactare possint, iuxta illud. *S. Ephræm. in Parænesi. num. 3.* Omnem turpem concupiscentiam etiam minimam detestare, caueasque hominis aspectum, nisi necesse sit, vt vere te ipsum obseruans, & in minimis te muniens in gra-

in grauiores molestias non incidas, neque protsus tentationibus vincaris, &c. Vnde & *D.Gregor. Nazianz. in documentis ad virg. Deo sacratas.* Vbi dixit, parua uitia non esse parui ponderis ęstimanda, sic ait,

Qui paruis obuius ibit,

Is numquam praeceps scelera in grauiora feretur. Bonarũ quippe mentium est, & à paruis abstinere, & cordis naturam imitari, quod vt nobilissimum est, ita nihil noxium pati potest. Illa enim I.C. dicta, Modicũ non nocet, de minimis non curat Prætor, modicum pro nihilo reputatur, intelligi debent spectato Iudicum more, qui in grauibus occupati negotijs minima tum rerum, vel culparũ actiones, & causas non recipiunt, vt etiam Superiori quæstione significaui.

CAP. XXVII.

QVÆSTIO CXI.

QVID CONFESSARIVS REGVLARIS, cum religioso agere debeat, qui votiuam castitatem violauit?

Anselmus vir claustralis æditius, & sacratij monasterij custos, cum aduentante nocte templi valuas clauderet, & impudicam quandam fœminam in ecclesia solam comperisset, illam Dæmone actus in ipsius sacrarij, vel sacristiæ cubiculum introduxit, atque ibi cum ea turpitudinē perpetrauit, atq; pro mercede ob luxuriosum actum cum ea habitum, quēdam Agnum cereum benedictum, & aliquas sanctorum reliquias dedit, quæritur, quomodo in hoc casu regularis Confessarius se gerere debeat?

Resp. Nulli dubium est hunc casum ad sacrilegij peccatum pertinere, cum sacrilegium quatenus est luxuriæ species, his quatuor potissimum modis dicatur. Primo, cum quis rem habet cum persona per votum ad seruãdam castitatem dicata, vt cum moniali professa, de qua supra in præcedenti casu. Secundo, si quis votum simplex castitatis habens rem turpem admittat, vel è contra. Tertio, si religiosus tria vota professus aliquod carnis peccatum perpetret. Quarto, si Presbyter, Diaconus, vel Subdiaconus, eodem peccato se contaminet, cum vt notum est, sacris ordinibus castitatis votũ sit annexũ, &c. Idem peccatum committeretur, si in loco sacro luxuriæ actus exercerentur; & si seminis effusio in terra, vel in naturali mulieris vase fieret, locus sacer violaretur; ita vt ecclesia (si hoc notorium sit) denuo consecranda sit. *cap. fin. de consf. Ecclesia, vel Altaris, & c.1. eodem tit. in 6. Sà in verbo. ecclesia. num. 19.*

Proinde in actu practico, Primo videndum est à Cõfessatio, an illud cubiculum sacrario proximum sit sacratum, ita vt per sacrilegij scelus ibi commissum sit pollutum. Qua in re verior videtur illa sententia, quæ asserit, sacristiam, seu sacellum nomine loci sacri non comprehendi, vt per *Sanchez. l.9. de matrimonio. disp. 15. num. 31.*

Perspiciendum erit etiam, an idem sacelli locus sit ab eiusdem religionis statutis clausuræ destinatus, vt dignosci possit, an Anselmus in suspensionē, & etiam excommunicationem Romanæ sedi reseruatam inciderit, eo qđ temerè, ac sacrilegè mulierem illam intra septa monasterij receperit, &c. *Rod. p. 1. quæst. 66. artic. 1. Vinald. de suspens. num. 118. Rayner. cap. 3. in fine. Suar. tom. 5. d. 22. sect. 6. n. 14. vt dixi infra tract. 11. cap. 9. quæst. 10.*

Cum vero valde probabile sit, vnum tantũmodo sacrilegij peccatum ab eo patrari, qui cum sit simul sacerdos, & religiosus professus, aliquod luxurię flagitium cõmittit, sequitur, d. Anselmũ se accusantem de admissa turpitudine, satisfacere dicendo in cõfessione se esse religiosum, vel sacerdotem, vel Diaconum, seu Subdiaconum; nõ teneri autem ad hæc exprimēda, cum ipse Confessarius talem eum esse cognoscit. *Henriq lib. 5. de pœnit. cap. 5. num. 6. Roder. p. 1. cap. 53. num. 5. Lessius. l. 4. cap. 3. dub. 12. Sanchez. l. 7. de matrimonio. d. 27. num. 27. Bonacin. quæst. 4. puncto. vltimo. num. 28.*

Manifestabit, aliud sacrilegij genus ab eo, & fœmina simul patratũ esse, cum ob pretium luxuriosi actus res sacræ sunt ab eodem datæ, & ab improbo scorto acceptæ, siquidem tunc specialiter rei sacræ iniuria infertur, &c. proinde, cum dominiũ in eam translatum non sit, tùm ratione rerum sacrarũ, quæ ab hominum comercio sunt exemptæ; tùm ob personam dantem, quæ sui iuris nõ est, nec quidquam inconsulto Superiore, absque paupertatis voti violatione alienare potest, sequitur, sacrilegam illam mulierem ad monasterio restituendũ teneri. *Azor. p. 3. l. 3. c. 27. q. 5. & p. 1. l. 12. c. 12. Less. l. 2. c. 41. d. 9.*

Pœnitentem absoluendi facultatem, si casus ex Clementis VIII. præscripto reseruatus sit, à Superiore petet, & pœnitentiam delicto, & personæ congruentem iniunget: nam vt alias etiam annotauimus, Confessarius patris, medici, magistri, & iudicis officio fungitur, vt pater nec indulgentior, nec seuerior, quàm par est, esse debet, sed sic filium, vt reum percutere, vt eum paternis vlnis amplectatur, vt medicus est, pœnitēti ægro, & sauciato accõmodata remedia admouete eum oportet, religioso pęnitenti non peregrinationes imponens, cum sui iuris nõ sit, nec eleemosynas, cum nil proprij habeat, nec alias seueras pęnas, cum religio sit ei quoddam martyrij genus, & quadā sanguinis effusio in quotidiana mentis, & corporis mortificatione. Quippe grauis in humanis error est, omnes ad eadē cogere,

eisdem fouere, & pascere, eisdem mederi velle, eadem munia, onera, & remedia eadem præscribere. Neque enim eadē fert omnia tellus, sed alia, atque alia pro terrarū conditione. Quatenus magistri officium sustinet, ei incumbit errantē pœnitentem in Dei viam reducere, eum in fuga vitiorum, & virtutum adeptione instruendo. Prout vero Iudicis munere fungitur, ad eum spectat, in peccatorem tanquam reum iustam proferre sententiam, soluendi ligandum, aut soluendum ligandi periculum vitando. *Coriol. de cas. reser. regul. p. 1. sect. 2. art. 1.*

QVAESTIO CXII.

QVOMODO AGENDVM CVM CAPELLANO sacerdote, qui Parochianam in confessione sine absolutione audiuit, eucharistiam et sine stola administrauit, & à Dæmone instigatus ipsam spiritualem filiam impudice tangens, impuritatem passus est, &c.

LEonardus Viceecuratus, seu vt vulgo dicitur Capellanus, Sulpitiam Parochianā in quadam reconciliatione audiuit, non tamen absoluit, sed impensa benedictione, & deprecatoria prece prolata à se dimisit, & postmodum Sacramentum Eucharistię in ecclesia, cum superpelliceo, non cum stola administrauit, & successiue multoties missam celebrauit, post duos transactos menses, libidinis ardore permotus, eius pudēda in domo sua manibus tāgens impuritatem passus est, & si copulam, vel concubitū se verbis nō petijsse asserat, &c. Quæritur, an cum in quadam diæcesi lata sit suspensio contra Parochos sacramenta, sine superpelliceo, & stola administrantes; Et casus copulæ attentatę cum filia spirituali sit reseruatus, quomodo se gerere debeat Confessarius?

Resp. Pro euidentiori dicendorum elucidatione supponendum est, Inter species peccatorum luxuriæ, quæ contra naturā dicuntur, hæc numerari, voluntariam pollutionem, seu mollitiem, sodomiam, & bestialitatem. Addunt alij coniunctionem indebito modo factam, vt cum masculus cum fœmina in naturali vase congreditur, sed præpostere, retro accedendo, &c. Siquidem peccatū contra naturam qui est actus cōtra ordinem, quem natura, vt fi qui possit generatio, postulat, multis modis contingit. Primo, quando semen emittitur, & carnalis voluptas absq; naturali coniunctione per sui corruptionem quæritur. Secundo, quando debitus sexus non seruatur, vt cum masculus cum masculo, vel fœmina cum fœmina se commiscet; vel quādo debitum vas non seruatur, vt cum mas cum fęmina extra vas & instrumētum à natura ordinatum congreditur, quām esse speciem sodomiæ multi Doctores fatentur, imò communem esse sententiam ait. *Sayr. l. 7. de censu. cap. 12. num. 23.* Tertio, quando debita persona eiusdem generis, vel speciei non adhibetur, vt cum quis cum bestia, vel cum Dæmone copulam habet. Quarto, quando coniunctio naturalis quidē est, sed indebita, vt dixi, ratione fit, vt cum vir etiam legitimo toro coniunctus, cum vxore præpostero situ concumbit, nec honestas coniugij leges seruat.

Et licet hæc materia lubrica sit, & castis auribus molesta, à Cōfessarij tamen cognitione aliena esse non debet, quò adiuuandis in spiritu fidelibus necessariam scientiam, & notitiam sibi comparet. Recolendū est, omnia munda mundis, & solem immunda, & fœda loca lucis suæ radijs penetrare, nec per hoc fędari, aut deturpari; & Scriptoribus pro animarum salute licere debere, quod medicis pro corporū incolumitate concedi solet, res suis verbis, vt facile percipiantur, exprimere. Et quamuis scribendo, vel docendo, vel interrogando, aliqualiter inuite in mente labafectari videantur, & aliquādo serenitatem conscientiæ perdant, quæ inturpibus versando, varijs carnis motibus agitatur, attamen vt loquitur. *D. Gregor. p. 2. Past. c. 5.* Tanto facilius eorum tentatio eripitur, quanto misericordius ex aliena tentatione fatigantur. Sacerdotes, inquam, & animarū medici, radijs Solis similes esse debent, qui luti, ac latrinatum contactu non inficiuntur, & Adamanti, qui in igne positus non calefit, &c.

RESOLVTIO CASVS, ET QVAESTIONIS.

HIs præhabitis dico, quod si ex impotentia, vel necessitate stolam, quia ea carebat, in administranda sacrosancta Eucharistia non adhibuit, vel quia ex inaduertentia, seu obliuione illam omisit, à suspensionis censura, & irregularitate immunis erit, &c. Quandoquidem excommunicatio, suspēsio, interdictum, & etiam irregularitas ex delicto proueniens, ob ignorantiam iuris, vel facti, & ob venialem culpam non incurritur. *Sanchez. l. 9. de matrimonio disp. 32. Suarez. tom. 5. d. 28. sect. 4. Miranda. in Man. Prel. reg. tom. 2. quæst. 36. artic. 6. Coninch. in Comment. de sacr. & cens. de susp. disput. 15. dub. 3. num. 24. Sayr. de cens. l. 7. cap. 9. num. 22.*

Quò vero ad casum reseruatum, mihi dicēdum videtur, in pollutionem volūtariam saltem in causa, & in ipsum casum reseruatum indirecte incidisse, cum negari non possit, Vicepatochum nomine Curati quò adhoc censeri; siquidem subrogatus sapit naturā illius, in cuius locum sufficitur; & quamuis sacramentum pœnitentiæ proprie non administrauerit, ob quod filiationem spiritualem, vt DD. loquuntur, contraxerit, sed tātum sacram synaxim in Altari præbuerit, ipsa tñ mulier, quā tam impudenter domi suę tetigit, ad proximū copulæ actum

deue-

deueniens, & si verbis illam non attentauerit, parochiana sua dicitur, & expressis verbis in casu comprehenditur. Nec Doctores desunt, qui asserant filiam spiritualem dici, quæ sit tantum de eius Parochia. *Abb.in cap.fin.de Purg.Can. Dec.in cap.at si clerici.num.23 1.ext.de Iud. Gutierez.l.2.can.q7. cap.7.num.47. Diax.in pract.crim.can.c.84. Azor. p.3.l.3.cap.9.quæst.6.vt dixi in Comment.de cas.reser.p.2.cap.4.casu.3.sect.3.*

Quod ad praxim absolutionis attinet, post obtentam absoluendi facultatem, à Confessario manifestandum est, præter sacrilegij crimen, pollutionione in quam cōsensit, peccatum contra naturam, æterno supplicio dignum peccasse, iuxta illud *Apostoli.1.ad Corinth.6.* Molles Regnum Dei non possidebunt. *D.Thom.22.quæst.154.art.11. Lessius.l. 4.cap.3.dub.14.Sanchez.l.9.d.45. Reginald.lib.22. num.39.Sayrus.l.8.cl.reg.cap.5.num.6.* Cuius vitij fœditatem, & grauitatem sentiens Ethnicus Martialis *lib.9.* ad Ponticum ait, ... (*gens,*

Hoc nihil esse putas, scelus est mihi crede, sed ingens
Quantumuis animo concipis ipse tuo.

Et licet pollutiones, ex communi sentētia, si secundum se sumantur, sint eiusdem speciei, cum eandem deformitatem cōtra rectam rationē habeant, ratione tamen circunstantiæ, & per accidens diuersam specie malitiam inuoluunt, vt proinde sint in confessione explicandæ, vt hic sacerdos sacerdoris nomine indignus facere debet, exprimēdo, an mulier illa circa quam se polluit, virgo sit, soluta, coniugata, sanguine coniuncta, &c. Polluens se tamen extra fœmineum vas, modū exprimere non tenetur, quo se polluit, vt intra tibias, mammas, &c. sed sufficit confiteri, se semen extra uas emisisse. Et quod dicitur de maribus, & viris, de fœminis etiam pari ratione dicendum est; cum certum sit, mulieres tàm nocturna, quàm diurna pollutione inquinari solere. Vbi etiam illud obseruandum est, quod licet Confessarius non cogi debeat ad denegandam ei absolutionem, qui sæpius in mollitiem, vel pollutionē ex carnis fragilitate incidit, huiusmodi enim occasio extrinseca, & remota censetur, cum illam expellere, & abdicare non teneatur: verum tamen est, absolutionis beneficium illi impendēdum non esse, quando illius turpitudinis causam, & occasionem abscindere potest, eamque non abscindit, vt quando ex aspectu, vel contactu alicuius fœminæ, cum qua versatur, solet pollui, vel in fœdas cogitationes consentire, vt in præsenti sacerdote cōtingit. *Axor.p 3.l.3 cap.23.quæst.2. Bonac.quæst.4.de matrimonio.p.10.num.15. Graffius.lib.2.decis.cap.88. Molfes.tract.8.cap.8.num.212. Bisfeldius.in tract. de tentat. cap.8.* Vrgebit hoc delictum ratione sacerdotalis dignitatis augeri, cum maior in honore debeat in sanctitate excellere, & vt ait. *D.Chrisost.relatus in cap.homo.dist.40.* Homo christianus fortiter cadit in peccatum propter duas causas, aut propter magnitudinem peccati, aut propter altitudinem dignitatis. *Riccius.Decis.167.*

QVAESTIO CXIII.

QVID AGENDVM CVM CONFESSARIO fragili, qui cum fœminarum confessiones audit, polluitur, & cum eo, qui à sacro abstinet eo quod noctu in somnis fœdatur.

Epiphanius Confessarius religiosus dum in sua ecclesia fœminarum confessiones circa res turpes audit, cum admodum debilis, & fragilis sit naturę, inuoluntaria pollutione fœdari solet, dubitans tamen, an superior animæ portio aliquando succubuerit. Cum vero cuiusdā mulieris nuptæ nobilis, ac iuuenis, cōfessionem exciperet, erga quam impuro, ac sensuali amore afficiebatur, (proximus est enim, & facilis gradus ab amore spirituali, & honesto ad carnalem, & incōcessam Venerē,) & de quodam peccato ad coniugale debitum spectante se accusaret, se ipsum impudice tangens, & consentiens in pollutionem lapsus est.

Quæritur, an in casum lapsus carnis voluntarij opere consummati, qui in religione sua reseruatur, inciderit? Et quomodo se gerere debeat Confessarius? Et quid cum eo in praxi agendum, qui noctu impuritate in somnis sæpe contingente fœdari solet, qui propterea à sacro, & missa celebrāda abstinete multoties vellet?

Resp. Suppono quod ut aliqua sit moralis occasio pxima peccati duo requiruntur. Primo, ut uel ex suo genere talis sit, quæ fere semper homines similis cōditionis ad huiusmodi peccatum inducat, vel saltem per experiētiam cognoscatur, quasi semper hunc hominem ad talem lapsum impellere; vnde proxima occasio non censetur, quando ea idonea cautio adhibetur, aut ita res mutatę sunt, ut periculi periculum cesset. Secūdum est, ut huiusmodi occasio uoluntaria sit, cum nullum sit peccatum nisi voluntarium; inuoluntaria autem occasio censebitur, quando moraliter uitari non potest, aut quādo grauis causa ad exponēdum se tali periculo urget. *Suarez.de pœnit.tom.4.d.32.sect.2.Reginal.l.5.nu. 63.& l.8.num.19.Sanchez.in sum.l.1.c.8. Bonac. de matrim.q.4.p.14.*

His positis dico, quod Regularis iste reuera à regula, & rationis, uirtutisque tramite deflexit, cum cōtra castitatis votū turpitudinis peccato se ipsum contaminauit, & casus reseruati nexu se obstrinxit, explorati namque iuris est, religiosum indictam sibi continentię legem uiolare, & mortalem culpam sacrilegij cōtrahere, quoties aliquē luxuriæ actum

excr-

exercet, qui in sexto decalogi præcepto prohibetur, cum omnes luxuriæ species perpetuæ castitatis voto aduersentur.

Porro per lapsum carnis volūtarium opere consummatum, qui in suo religioso ordine ex præscripto Clementis VIII. reseruatur, intelligitur omnis carnalis peccati species, cū seminis effusione, quocunque modo actu exteriori procurata, siquidem voluntaria pollutio opere consummata est lapsus carnis, & consequenter casus reseruatus, dummodo Superior reseruās ad lapsum carnis cum socio, siue in tertiam personam rationem nō habuerit. Ad voluntariam vero pollutionem requiritur, vt per extrinsecam actionē consentiente voluntate se deturpet, siue per se ipsum id faciat, proprijs, vel alienis manibus, siue quouis alio modo id procuret, vt mouēdo se super cubile, vel alia quauis ratione per corporis motum, nam si seminis effusio sequatur, iam erit carnis lapsus voluntarius, & lethale flagitium & grauius, quando opera alterius personæ id succedit, propter participationē in alterius peccato, vt per *Caiet. in d. art. 11. & Sayrum. l. c. num. 6. & 7. Molfes. tract. 7. cap. 20. num. 99. & sufficienter, explicaui, in Comment. de cas. reser. p. 3. cap. 6.*

Confessarius, vt hunc regularem virum in salutis viam dirigat, illi ad mentem reducere debet, qđ superius animaduertimus, *tract. 5. cap. 16. q. 100.* Inter maxima certamina, quæ à Cōfessario, & animarū medico necessario subeunda sunt, præcipuum circa castitatem versari, cum enim in eius explēdo officio sæpe turpia, & obscœna peccata audire, & interrogare debeat, caro autem ex se sit ad malum propensa, facile concutitur, & oppugnatur, & nisi eius castitas fortis, ac strenua sit, cito succumbet. Et quamuis in omnibus animæ negotijs tractandis, quilibet fidelis prudens sicut serpens, & simplex sicut columba esse debeat, in pudicitia tamen procuranda, idem monitum maioris ponderis, ac momenti esse conspicitur, præsertim in ipso Confessario, siquidem anima instar columbæ pura, ac casta, nisi simul, & serpentis astutia, ac prudentia muniatur, planè ab Infernali serpente decipietur, qui mille artibus, & laruis luxuriæ fœditatem tegit, vt castitas imperceptibiliter sensim lædatur, & destruatur. Proinde Confessarium iusto Loth similem esse oportet, de quo *D. Pet. Apostolus, 2. Pet. 2.* ait, quod habitans in Sodomis, ubi tot carnales sordes uidebat, & audiebat: ipse tamē aspectu, & auditu iustus erat, adeoque procul à uoluptate aliqua ex his suscipienda aberat, ut ingenti potius afflictione, ac cruciatu ob easdem afficeretur. Eius etiam cōscientia quasi uiscosæ anserum pennæ esse debent, quæ humorē non admittunt, nec madescunt, quantumuis immergantur, sed puræ ut prius, siccæque emergūt. Tāta est Dæmonis astutia, ac feritas, ut nisi lux, & cœlestis fauor illū reprimens adsit, nulla sit humana sapientia, quam non seducat, neque fortitudo, quàm non uincat, nec sanctitas, quam non prosternat; teste *D. Hieronymo in regulis Monach.* Maledictus Leuiathan cū de hoc uitio aliquos aggreditur, præsertim pios, ac religiosos, qui solent esse cibus eius electus, vultum suum tribus potissimum laruis tegere solet. Primus est titulus religionis, ac prætextus necessitatis, ac pietatis, quo impellit ad conuersandū cum personis, quæ sanctitatem præseferunt, siue in earum, siue in nostrum commodum, nam illis non aduertētibus, spiritualem amorem in carnalem conuertit, rerum piarum, & urgentium obligationes fingit, ut ex necessaria in speciē conuersatione, ad profanam transeatur, & pallio necessitatis fœda sensus uoluptas tegatur. Secundus titulus est cognationis, persuadet enim non subesse periculum, ubi ipsa natura ostio uitium occlusit, & cognatio suspicionē remouet, ut pugnam securam efficiat: cum tamen agente Diabolo, etiā cum sanguine iunctis scelus perpetratum reperiatur, siquidem aliqū magis delinquitur, ubi à suspicione delictum pōt esse tutum. *c. 1. tit. de cohabit. cler. & mul.* Tertius est quoq; falsæ securitatis prætextus, quasi ob senectutē, aut longam castitatis experientiam aut generis nobilitatem, & officij authoritatem, lapsus periculum non subsit, aut similes alias ob causas, quæ ut apparētis uirtutis species sunt, umbram versipellis Behemoth suffulciunt. *Iob. cap. 40.*

Ad hæc omnia incommoda auertenda nullum aliud remedium efficacius Sapiens. *Prouerb. cap. 7.* adinuenit, quàm associari sibi Diuinam sapiētiam, & numquam à latere suo ueram prudentiam repellere: hæc est namque, qua Leuiathan latuas remouet, hęc Behemoth vmbras illustrat, & fraudes detegit, à quibus cautissime fugit, quandoquidem in hoc uitiorum genere fugere est uincere, quod *Apostol. 1. ad Corinth. 6.* insinuat dicens, Fugite fornicationem.

Quippe periculum perdendæ pudicitiæ semper à religioso metuendum est, propter innatum impetum, atque ardorem libidinis ex natura corrupta, qui præsente obiecto magis, ac magis exardescens, illud inflammare, atque exurere contendit. Dæmone per eam occasionem vtrimq; tædas, ac malleolos subijciente, proinde vt Alexander Magnus dicere solebat, Nihil tuto in hoste despiciendum. Hæc præcipitia qui salutem amat, caueat; vno leui flatu, aut prolabentis in hoc lubrico vestigij lapsu mors continetur.

Tētatio carnis nō pugnādo, sed fugiendo, vt dixi, vincēda est; arduum. n. nimis est deuitare telum, quod blāde iacitur; cum teste *Seneca. tract. 8.* Pestis blāda sit luxuria. Et vt aiebat quidam strenuus nostri temporis miles, minus malum est dici, Hic se à bello

bello subtraxit, quàm hic victus iacuit. Siquidem non turpe est fugere, quoties hosti dare locum expedit. Hinc Antigonus Imper. referente Plutarcho *in Apoph.* cum aliquando imminentibus hostibus cederet, se nequaquam fugere, sed vtilitatē, & salutem à tergo sitam quærere dicebat.

Vnde iste Cōfessarius si iam aliàs expertus est, se dum fœminarum confessiones audit, voluntarie pollui, neque emēdationis spem probabiliter concipit, & postquam proprijs, vel alienis precibus se muniuit, cum fragilis sit, subsistere non posse videt, in conscientiæ foro hanc occasionem deserere, & ab hoc munere se abdicare tenetur.

Qui enim adeò debiles sunt, vt hoc votum custodire non possint, apti non sunt, vt Confessarij munere fungantur. Quādoqui. Iam ex Euangelica veritate, Quid prodest homini, si vniuersum mūdum lucretur, animæ vero suę detrimentum patiatur? Et valde vituperandum est, ac improbandum, in apertum discrimen se sponte conijcere, &c. *D. Thomas. quo libr. 3. artic. 9. Caiet. in opus. tom. 1. tract. 22. de pollutione, ex audientia. Confess. quæst. 1. art. 1. & 2. Sanchez. libr. 9. de matrimonio. disput. 45. numer. 6.*

Res ipsæ aīa carētes à quib. ad alias quędā trāsit utilitas, sibi primū cōsulentes, satis ostēdunt, quàm cum proprio dispēdio eis prodesse refugerēt. Ventriculus ex chylo prius necessariū alimētum sumit, quàm ad iecur reliquum trāsmittat, & iecur ex sanguine quem elaborat, quàm ipsum per corporis uenas diffundi sinat. *Galen. ad Aphoris.* 18. *l.* 2. Iubetur homo alijs utilis, & bonus esse, sed ita ut minime sibi perniciosus sit. Hinc Sapiens. *Eccles. cap.* 29. Recupera proximum secūdum uirtutem tuā, & attende tibi, ne incidas. Aliàs Confessarius bene in uirtute firmatus, licite confessiones audit, in quibus aliqua turpia referuntur, & circa illa cogitat, & inquirit, ut alicui spirituali morbo medeatur; & quò prædicta magis sensualem commotionem excitāt, eò maiorem causam ut cohonestētur, requirunt, ut ad uidendas res turpes urgentior causa exigitur, quàm ad eas auribus excipiendas, iuxta illud,

Segnius irritant animum demissa per aurem,
Quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus, &c.

Et cum iste Confessarius sit religiosus, cuius voluntas à Superioris decretis, ac placitis dependet, tenetur hoc impedimentum in genere illi significare, & illi aperire salua religione, & propriæ animæ salute huic audiendarum confessionum saltem fœminarum muneri incumbere non posse: cui postmodum Antistes pietatis cultor libēter complacere, & morem gerere debet. *D. Basilius. in Constit. monast. c.* 8. *Pet. ab Ocha. in tr. de sacr. tr. 4. de matrimonio. q.* 12. Cum salax animal sit passer domesticus, & libidinis titillatione multum pruriat, ideo homines salaces, fragiles, & ad Venerem multum proni, metaphorice passeres dicuntur, nam non solum visa fœmina hæc animalcula semen emittūt, verum etiam tantum eius audita voce; quam salacitatem considerans Iulius Cæsar Scaliger passeres hac de causa infames haberi dicebat, &c. vt per *Aldrou. in tract. de auibus. de passere. l.* 15.

Admoneatur ergo hic fragilis sacramenti pœnitentiæ minister, ne sibi cōtingat, quod infirmis natatoribus, qui dum socijs pene submersis, & inter aquas cū morte luctantibus auxilio volūt esse, cum illis submerguntur, & vndarū fluctibus obruuntur.

De eo autem quod secundo loco quærebatur, quomodo scilicet Confessarius cum eo sacerdote, qui eo quod sæpe noctu in somnis impure fœdari solet, à sacris celebrandis abstinet, &c. breuiter nunc dico, Gabrialem *super Canonem missæ. lect.* 10. vnica positione huius quæstionis resolutionem dare, quæ hic sufficiet, Pollutus in somnis absque consensu in vigilijs sequente, vel præuio, dum se non sentit magis hebetem, & per cogitationes ad carnalia reflexum, alijs impedimentis non obstantibus, etiam extra casum necessitatis, aut remouendi scandali, pōt sine peccato, & meritorie celebrare dum deuotio trahit, pietas suadet, & susceptum officiū exigit. Eum sequitur. *Brulefer. in 4. sent. d. 25. quæst. 12. & Lexicon theologicum. in verbo pollutio.* dum sic loquuntur, Nulla pollutio inchoata, & perfecta in somnis, est peccatum mortale, quia nullum peccatū mortale est, nisi sit voluntarium, cum etiam nullus possit peccare mortaliter, nisi habeat vsum liberi arbitrij, quod in somno non accidit. Et ad celebrādum eo modo quo possumus, sufficit qđ non habeat quis conscientiam de peccato mortali, & quod non habeat legitimum impedimentum, vt si quis haberet stomachum oneratum, vel alio modo, & quod talis præparatio non excludat totaliter deuotionem: sed fieri potest, vt pollutus in somno hæc tria habeat, ergo necessario à sacris mysterijs arceri non debet. Et quantum ex Doctoribus colligere licet, ex triplici causa etiam inculpate misteria in somnis contingere potest. Prima est spiritualis extrinseca, cum ad talem effectum, Dæmonis ope dormientis phantasmata ad talem effectum commouentur, Diabolus enim, qui numquam dormit, sed semper humanam studiose cōtendit impedire salutē, sæpe solet nocturna illusione mētes Dei cultorū perturbare, & scrupulos inijcere, quibus impacatum animū reddit, Secūda est animalis intrinseca, cum ex præcedentibus cogitationibus cōtingit, vt dum interdiù peccata carnis in confessione audiuit, vel per studium lubricis materijs ob bonum finem vacauit. Tertia est intrinseca corporalis, cum seminalis humor in corpore superabundat, & natura per turpia etiam phantasmata superfluum expellit; vt etiam accidit ob renum caliditatem, vel debi-

debilitatē virtutis retentiuæ feminis,& ob nimiam abstinentiam. Addo si postquam ex lumbis excisa est impuritas,estque;in naturali motu, dormiēsexpergefieret, non retinendo haud peccat, cum vix impedire possit, nam ipsa quò ad meritum, vel demeritum magis secūdum principium,quàm secundum finem iudicanda est. Et tunc expedit quietis manibus non hic, vel illic tangendo, signo crucis, vel breui oratione, ut Deus in adiutorium meum intende,se munire,ne Deus lapsum in turpem delectationem permittat. *Sanchez.l.9.de matrimonio, d.17.num.17. Roder.p.1.summa.cap.210. Henriq. l 8.de euch cap.51. Azor.p.1.l.10.cap.31.quæst.14. Berard.in summa Cor.de euch. num.65. Bisfeld.de tent.& earum remed.cap.8. Bonac.de sacr.d.4.q.6. p.2.num.3. Molfes.tract.3.cap.8.num.56.& tract.7 cap.20.num.103. Fillluc.tom.4.cap.8.quæst.8.*

Hinc *Sot.in 4.sent.d.12.q.1 ar.7.* nō laudat Carthusiensium institutum, qui nocte etiam citra culpam polluti mane non solum non celebrant, sed neque ad gradus Altaris accedunt. Vide quæ de S. Cælestino diximus supra *tract.4.cap.16. quæst.150.*

CAP. XXVIII.

QVAESTIO CXIV.

QVOMODO, CVM EO AGENDVM QVI nefandum peccatum exercuit, religionem ingredi statuit,& clericalem statum assumere, ac pœnam relapsus sponte sibi ipsi per votum indictam non soluit; An Episcopus Sacerdotibus,vel alijs clericis in sacris constitutis ob hoc crimen pœnam suspensionis ipso facto incurrēda statuere possit,&c.

GAspar vir profligatę vitæ,& à Deo derelictus in nefandū,ac abominabile scelus,cum duobus fratribus interse pueris sæpe incidit, & continuato quodam vsu illud cum alijs exercuit, ita vt in Castro vbi habitat, eius delictum omnibus fere notū sit,&ideo ob illud flagitiū apud honestas personas male audiat; qui tū vouit quotiescūque se in illud præcipitaret, se duos aureos Christi pauperibus erogaturū,quam pęnam numquā soluit Nunc ad mentem redactus, tempore Iubilei à Sāctissimo nostro Pontifice indicti, vult omnes animæ suæ sordes generali confessione diluere, & clericalem statum assumere, vel religiosam vitā in Cappucinorū ordine transigere, qui est perfectus pęnitētiæ status de male acta vita Deo pro viribus satisfacere, & ei in sanctitate,& iustitia in posterum deseruire; quæritur,quomodo ei consulere Confessarius debeat. Item cum Mauritius cuiusdā vrbis Episcopus peccatū nefandū sibi reseruauerit, ac simul in synodalibus cōstitutionib. sanxerit,vt clerici in sacris constituti illud perpetrantes sint ipso facto à diuinis suspensi, & à participatione quorumcunq; fructuum communis,vt aiunt,massæ, Claudius sacerdos,& in Cathedrali Ecclesia Capellanus in huiusmodi scelus miscre lapsus est,vnde itidem quæritur,an iste Ordinarius talem suspensionis pęnam statuendo prudenter fecerit, & an iste sacerdos transgressor inculpate possit ei non obtemperare?

Resp. Hoc nefandum crimē, quod tàm cum maribus, quàm cum feminis committitur, sic dictum est, quod ob sui enormitatem pudico ori loqui nefas sit,& castis auribus audire. *cap.in eo 32.quæst.4.* Eius fœtor in sola cogitatione animam meam replet,puder illud nominare,charitatis tamen,& animarum zelus contra illud insurgens silere non patitur,vt pudorem vincat necessitas,& verecundiam scribēdi,& docēdi vtilitas superet. Vnde & Regius vates diuini amoris igne animarumque salutis zelo succensus, uehementi ardore in tam nefarij criminis reos paratius inuehēs clamat. *Psal.c.13.* Corrupti sunt,& abominabiles facti sunt in studijs suis, non est,qui faciat bonum,non est usque ad unum. In quibus uerbis huius scelesti peccati triplicē horrorem exprimit. Primus est horror corruptionis,ibi corrupti. Secundo abominationis,cum ait,& abominabiles,&c. Tertius est horridus fœtor reprobationis,cū subdit, In studijs suis non est,&c. Propter primum Dominus. *Ioannis.cap.5.* dicit,Surge scilicet à tanta corruptione,ob Secundū ait, Tolle grabatum tuum, idest tàm abominandi flagitij tędam voluptatem, eam in piæ pęnitentiæ onus conuertendo. Propter Tertiū,idest horrorem reprobationis subdit, ambula.s. per uirtutum itinera, usque in finem perseuerando, ut fuse prosequitur. *D.Bernard.Senen p.2 sec.6.post primam Dom. Quad ser.15.& Lopez.in scholys.ad Diax.cap.88. D.Ant.p.2. tit.5.cap.4. Farinac. de delict.car.quæst.148. Mascard.de Prob. volum.3.concl.1313. Roder.in summa.p.1.cap.219. Quarante.in verbo sodomia.*

Huius delicti grauitas aliqua ex parte ex pęnis innotescit,quæ pro illo à iure infliguntur.

Primo enim pœna ignis punitur, siquidem non debet uiuere homo super terram,qui cum sit homo humano more non uiuit. Propter quod etiam tres Ciuitates Deo ultore cęlesti igne consumptæ sunt,& duæ ob uicinitatem perierunt. *Genes.cap.19. Alber.de Ros.in v.sodomia.* Solet etiam ab Ordinarijs locorum, & à religiosorum ordinum Prælatis reseruari, si actus sit opere consummatus,ut dixi, *in Comment.de cas reser.p.2.cap.4.casu.5.sect.5.& p.3.cap.5.casu.9.* Est etiam crimen mixti fori, ita ut vterque Iudex tàm ecclesiasticus, quàm secularis de eo cognoscere possit,&c. *Clarus.in §.sodomia. Zerula.in Praxi.Episcopali.p.2.v.sodomia.*

Secundo, uxor à uiro de hoc uitio tentata ab eo diuer-

diuertere potest. *Menoch.lib.1.de arbit.Iud.cent.3.casu.286. Clar.in praxi crim.quæst.37. & §. sodomia.vbi Baiard. Riccius in praxi matr.decis.237.& in Decis.Cur.Neap.Decis.118.Tusch.in v. sodomit. crim.concl.316. Bursat.cons.58. Sanchez.l.10.de matrimonio.disp.4.Reginald.l.31.num.320. Faris. decis.178.Campan in Diuers.Iu.Can.Rub.11.cap.22.Bonac.de matrimonio.quæst.4.puncto.11. Molf. tract.4.cap.14.num.38.*

Non tamen solus eius conquestus sufficit, quia esset testis in facto proprio, nisi etiã aliquod aliud indicium cõcurrat, vt quod maritus sit solitus, cum alijs hoc facinus ꝑpetrare, &c. vt præfati DD. prosequuntur. Vbi etiam addunt, attentantem de hoc pessimo crimine impune ab attentato, vel solicitato interfici posse, sicut puellæ propriæ pudicitiæ insultantem occidere concedunt.

Tertio, est ipso iure infamis, & si eius crimen notorium sit, irregularis quoque efficitur. *Sayrus. l.7.de cens.cap.12.num.24.Vgol.de Irregularitate. capit.43. §.2.& alij communiter.*

Quartó, clericus hoc vitium, & scelus exercens, iure veteri deponitur, ac in monasterium detruditur. Iure vero nouo per Cõstitutionem Pij V. omni clericali priuilegio, officio, beneficio, dignitate post sententiam priuatus, è gradu deijcitur, & sæculari brachio traditur. *Nau.cap.27.num.249. Sanchez. l.2.oper.mor.cap.22.num.20. Azor p.3.l.3.cap.19. Auila.de cens.d.4.dub.7.Graff.l.2.decis.c.90.Vgol. & Sayr.l.c Farinac.de delict.car.quæst 148.nu.30. Bonac.d.quæst.4 p.11. Quar.in summa.Bullarij.in verbo sodomia.*

Quò ad primæ quæstionis resolutionem, & quò ad praxim pęnitentialem, Confessarius Primo aperire pœnitenti debet in casum Episcopo reseruatum incidisse, Ordinarij namque locorum, vt dixi; hoc crimen vt grauissimum ab inferiorum sacerdotum iurisdictione subtrahere solent, si tamen delictum sit consummatum & perfectum, idest facta seminatio in vase obscœno, vel etiam ex multorum sententia si membrum ex partibus pudendis extrahat, & extra vas semen effundat. *Longhus.de cas.reser.reg.p.2.casu.9. Molfes.tom.7.c.20.n.109.* Est etiam probabilis sententia, hunc casum alia ratione reseruatum reddi, quod duobus inter se fratribus abusus sit, licet hoc in praxi non recipiatur. *Zecchius.de cas.reser.cap.15. Azor.p.3.l.3.cap.18. Filliuc.tom.30.cap.5.quæst.10.*

Secũdo illi vidẽdũ est, an hic pęnitẽs ex sola passione, an vero ex hæresi in hoc scelus inciderit, nec .n. homo à Deo sic derelinqtur, vt in tàm abominabile peccatum prolabatur, nisi prius in perfidia cordis sui cæperit à Deo per infidelitatem recedere, vt sic sentiat, sicque viuat, quasi non sit Deus. Qua ratione in Aragoniæ Regno hæreticæ prauitatis Censores contra hoc flagitium committentes iudicium exercẽt, vt refert, *Ignatius Lopez.in Schol.ad Diaz. d.c.88. Simancas in Cathol. Instit. tit.50.num.30.*

Tertio, delicti grauitatem exagerãdo ad verum animi dolorem, & pęnitentiam inducere debet, ea tamẽ dexteritate, & prudẽtia, ne in desperationem eum conijciat. Siquidem huius criminis rei si in eo inueterati sunt, filij diffidentiæ in iure dicũtur, quia tanta vi infelices eorum animæ rapiuntur, ac constringũtur, vt de propria salute diffidant, & à veniæ consequendę spe excidant, & difficillime ad Deum reuertantur; cum tamen nemo desperãdus sit dum in hoc corpore constitutus est. *Gloss in c clerici.ext. de excess.Pralat.cap.vt clericorum. de honest.cler.c. ancillam.32.quæst.2 D.Ber.Senen.d serm.15.c.3.*

Quidam iuuenis hoc cœno inquinatus repente Dei vltione correptus, diros clamores edebat, monitus, vt confessione animi sordes elueret, Inferni fores patentes, Dæmonesque ad se rapiendum paratos à se videri asseruit, & cum qui aderant, hortarentur, vt se crucis signo muniret, vultum auertit, & horribiles clamores ingeminans misertime expirauit. *Thom.Cantip.l.2.Apum.cap.30. Vict.in notis.ad Tol.lib.1.cap.74.*

Quarto, auferat occasiones intrinsecas, quæ ad hoc execrandum delictum inducere possunt, vt superbiã, incõsiderationem extremi iudicij, otium, & delitias. Item extrinsecas, quę in illud facile impellũt, vt cum pueris simul habitare, vel cõuersari, &c. *D.Ant.l.c.*§.1. Mutare locũ faciat, nam cum mutatione loci mutatur mẽtis affectus. *c.mulier.15.q.1.*

Quinto, certiorem illum faciet, irregularitate ex infamia cõtracta impediri, nisi per Papam dispensetur, quominus clericalem statum assumat, per ingressum tamen religionis (ad quam ab ipso Cõfessario suadendus erit) ex vsu & priuilegijs aboleri multi DD. sentiunt, modo illa religio sit à S. Apostolica Sede approbata, & ingressus sit per professionem confirmatus, qua quis fit religionis membrum, & in vnum corpus redigitur. *Reg.l.30.n.18.*

Siquidem vi Iubilei liberali, & munifica manu Domini nostri S. Pontificis concessi, non tribui facultatem irregularitatem tollẽdi, ex claro Bullæ tenore constat, quod visitato more comparatum est.

Ad secundã quæstionem dico Confessariũ, qui facultate in Iubileo delegata vota dispensandi, vel commutandi potitur, posse etiam non solum obligationem voti pęnalis, verum etiam pęnam per fractionem eiusdem voti incursam, ex causa commutare, vel relaxare; nam qui votum nõ pęnale emisit quotidie certam eleemosynam erogandi, potest illius cõmutationem tàm quò ad præterita, quã quò ad futura ab Episcopo, vel ab alio, & si illud fregerit obtinere, vt communis praxis docet, ergo etiam ei integrum est, commutationem, vel relaxationem

voti

voti pœnalis consequi, non solum quò ad futuram obligationem, uerum etiam quò ad pœnam, quam ob voti violationem subijt, cum ad illam solum ex vi ipsius voti teneatur, ita. *Suar. de voto. l. 6. cap. 20. num. 19. & Bonacin. d. leg. d. 4. quæst. 2. p. 7. §. 4. numer. 18. Fillluc. tr. 26. cap. 10. q. 8.* contra *Nau. cons. 23. de voto, & nonnullos alios.* Clari etiam iuris est, omne votum, & omnem pœnam per religionis ingressum tolli, cum rei tracti reus non sit, qui temporale obsequium in perpetuam obseruantiam commutat. *cap. 4. ext. de voto. cap. admonere. 33. quæst. 2.*

Tandem annotandũ est pro praxi, ex receptiori sentẽtia, criminis socio asserenti se fuisse de hoc flagitio tentatum, vel muliebria passum, in foro externo fidem non præstari, nec ad torturam indicium facere, nisi alia requisita concurrant, vt quia puer clamare auditus fuerit, solus cum solo in cubiculo sit repertus, sinistra accusati vel imputati fama, &c. Quod etiam in viro erga mulierem locum habet. *Grammaticus. decis. 40. Baiardus. in addit. ad Clarum. in §. sodomia. Farinac. de indic. ex tort. quæst. 43. & de delictis carnis. quæst. 148. & cons. 25. Mascard. de Probat. volum. 3. concl. 1313. Genuens. in Praxi. Cur. Neap. cap. 82. Riccius. p. 2. decis. 39. Molfes. tract. 7. cap. 20. num. 113.* quidquid contra sentire videatur. *Tusch. v. sodomiticũ vitiũ. concl. 317.*

Ad tertiam quæstionem respõdendo dico, quod licet Episcopus baculo suo pastorali conformis esse debeat, vt blandis verbis deuios trahat, tractos confirmet, & incorrigibiles acribus pœnis corripiat, vt ait Geminianus *in suis synodalibus sermonibus:* & lethaliter præcipue peccet Prælatus, qui circa vitam & honestatem clericorum, & morum reformationem non inuigilat, vt colligitur ex *Clem. 1. de vita, & honest. cler. & Conc. Trid. cap. 1. sess. 22. de refor.* Nihilominus Zelus quo in corrigendis delinquẽtibus armatus esse debet, secundum scientiam adhibendus est, vt faciat quæ iuste ex prudentiæ, & discretionis præscripto agenda sunt; si enim talis suspensio ab Episcopo lata valeret, causa foret vt sacerdos ille a diuinis abstinendo, & fructus communis massæ non percipiendo, si non verbo, saltem facto se ipsum proderet, cõtra illud, D. Chrysostomi monitum, Non dico tibi, vt te prodas, neque apud alium te accuses, sed obedire te oportet Prophetæ dicenti, Reuela apud Deum viam tuam. *cap. quis aliqũ. §. non dico tibi. de pœn. d. 1. vbi Nau. hoc notat,*

Hinc namque etiam fit, vt Sacerdos, & Cõfessarius, pro occulto peccato quantumuis graui manifestam pœnitentiam iniungere nequeat, ne ex ea in delicti notitiam deueniri possit. Quare cum hic Episcopus hanc pœnam ipso facto incurrẽdam statuere non valuerit, fit vt iste sacerdos aliàs ob tàm nefarium flagitium sacerdotio indignus, nõ abstinendo à diuinis, & distributiones, ac fructus communis massæ percipiendo, noui peccati reus non fiat, nec irregularitatem contrahat, siquidẽ sic obediendo, infamiam subiret, quod naturali iuri repugnat; sufficere debet casum criminis nefandi esse reseruatum, & ab inferiorũ Confessariorum iurisdictione eius absolutionẽ esse subtractam, & à superiori Iudice petendã esse: in quo postmodũ absoluendo Pœnitẽtiatius, quæ paulo superius indicauimus, & quæ in *Comment. de cas. reser. p. 2. cap. 4.* aperuimus obseruare debebit.

Admonẽdus aũt erit Eps ab eo, qui ei à cõfessionibus adest, vt in posterum cautius, prudentius, & maturius, quæ sui muneris sunt agat, ne eius authoritas vilescat, si ab eo gesta, vel decreta retractãda, vel reuocanda sint, vt aduertit. *Castrens. l. 1. consil. 404. & Tusch. v. Episcopalis. authoritas concl. 235.* atque hanc quæstionem sic in terminis sic resoluit. *Graffius. consil. 8. tit. de pœnit. & remiss.*

QVÆSTIO CXV.

QVOMODO AGENDVM, CVM EO QVI cum Bellua, & Dæmone congressum habuit.

QVintilianus in omnem insanam libidinem præceps, & in omnes vetitas fœdasque voluptates effusus, in mentis cæcitatem, & insaniam raptus, cum equa, quam domi habebat, turpissime se commiscuit, in quo scelere, cum per multos annos insorduisset, quotannis in Paschate à suo Parocho absolutus fuit, eo quod cum à suo Episcopo facultatem absoluendi à vitio nefando obtinuisset, ab hoc etiam liberandi licentiam sibi competere putabat. Postmodum cum immodico cuiusdam mulieris amore flagraret, quacum nec prece, nec pretio, nec vi, doloue potiri liceret, vltima experiri statuit. Conciliatum igitur magicis cantionibus Dæmonem rogitat, vt se voti compotem faciat, ad omnia se paratum descendere ostendens, si eo quod expeteret, frueretur. Proinde Diaboli iussu à Christo defecit, seque totum illi tradidit, conceptis ab illo verbis, & chirographo suam obstringens fidem (vsque eo impuras mentes voluptatis amor excæcat.) Sequẽti nocte Dæmon ad iniquitatis opera aerium corpus assumens, sub specie illius mulieris ei apparuit, & se vt succubus illi supposuit, ac bestialitatis flagitium perpetratum est, siquidem cum Dæmone concubitum ad eam reuocant Doctores? Quæritur, quid in praxi agendum est à Confessario?

Resp. Suppono inter plagas quibus humanũ genus est affectum, concupiscentiam præcipuè connumerari, quæ post amissam originalem iustitiam soluta contra spiritum assidue pugnat. Qui quidem affectus quãtum imperium in rationẽ acceperit, & contra

contra quàm debiles sint vires aduersus ... tum huius indomitæ feræ,plurimorum vita ... ,qui tàm immenso turpissimarum voluptatum ... ndio flagrant, vt pene ad insaniam redigantur . ... tantur nouę,& inauditæ libidinum inuětiones, quibus hominũ quorundã concupiscẽtia bestiarum cupiditates superat,&c.*Cambrec.de stud.perfect.l.1.c.18.*

Quocirca non abs re apud Euripidě Veneri Hecuba exprobat, quod amentiæ sit Dea, teste *Arist. l.2. Rhet.cap.24.* Qua ratione Phidias Veneris statuam, quam ipse ex ebore & auro confecerat, ita efformauit,vt altero pede testudinem solã inter animantia sine corde premẽtem exprimeret, iudicans illos excordes, & sine intellectu efficere, quos suo igne incendit,vt merito etiam. *Homer. in odyss.4.& Plutarch.in Grill.* homines libidine in bruta quodammodo transformari doceant.

De bestialitate , quod malitiæ grauitate sodomiam,vel nefandum crimen superet,ratio ipsa naturalis, & conscientiæ dictamen , quod ne quidem in improbissimis hominibus penitus extinguitur, satis superque vnicuique testificatur; certe cum sodomiam in se perinde includat, ac adulterium fornicationem,differentiam lethaliter aggrauantem, super addendo , grauissimæ iniquitatis , ac malitiæ censenda est,quam sacra pagina indicauit,cum in illius detestationem statuit,non modo illius perpetratorem , sed etiam bestiam,cum qua perpetrata fuerit,morte delendam esse. *Leuit.cap.18.& c.20. Roland.l.1.cons.7.Boer.decis.316. Clarus.in praxi, crim.in v.fornicatio.vers.cum animali, Tol.l.5.cap. 13.Reginald.l.22,num.51.Turrecrem.in c.mulier. 15.q.1.Tholos.l.35.c.14.* Falsum tamen videtur bestialitatem reseruatam censeri in ijs locis,in quibus sodomia reseruatur , eo quod illa hac grauior sit. Siquidem reseruatio, cum odiosa sit, secundum verborũ proprietatẽ accipiẽda est, &c. *Bonac. de matr.q.4.p.12.*cõtra *Quar.in v. sodomia,& alios.* Vide tũ à nobis dicta in *Cõment de cas.res.p.2.c.4.*

Verum cuius speciei fuerit bestia, cum qua tàm nefandum scelus commissum est , non est necesse Confessariũ inquirere, quia inde non variatur peccati species,nisi forte,vt in casu nostro,bestia infernalis fuerit,seu Dęmon incubus,aut succubus,quia cum tunc species mutetur, coniunctam habet pacti cum Dæmone malitiam necessario aperiendam in cõfessione , de qua Confessarius interrogare dẽt,vt sic remediũ adhibere possit, & noscat,an absoluendi facultate potiatur, vel ad violatæ fidei censores mittere debeat,&c.vt in pręsenti casu cum d. Quintiliano facere debet. Aduertunt etiam DD.quod si Dæmon sub belluæ , aut hominis specie,cum muliere congrediatur, & in eius vas humanum semen ab aliquo viro exceptum transfundat, si ex tali copula fœmina prolem gignat, fœtus ipse illius esse dicitur,à quo semen decisum est. Item & si concubitus cum Dęmone eiusdem sit speciei,cum semper idem moriuum formale nẽpe suppositum alterius speciei interueniat ; ex affectu tamen ad fęminam , vel virum potest esse fornicatio,vel sodomia,vel incestus,&c.*Caiet.cõmuniter receptus.22. quæst.154. art.11.ad 3. Graff.l.2.decis.cap.89. Mart.Delrius. l.2.disq.mag. quæst.15.& l.6.cap.2. quæst.3. Perer. cap.6.in Genesim. Comit.l.4.respons.mor. quæst.18. Vict.in notis ad Tol.l. 5.c.13.Filliuc.tr. 30.c.8.q.11.*

Quò ad cõfessionem, & absolutionem, obseruet Confessarius, quò ad primam partem casus ,

Primo,quod vt supra aduerti, non est necessario exprimenda circunstantia belluæ , cum qua est habita copula , cum specie non differant.

Secundo, cum conijcit pœnitentem pudore victum cunctabundũ huiusmodi carnis obscœnitates subticere velle, animum ei subinde addere debere, humanũ & mitem se exhibẽdo, atq; ostẽdendo nimiam erubescentiã esse atrocissimũ animę hostem, nec peccata dimitti,nisi in confessione detegantur, & verecundiam deuictam esse maximam satisfactionis partem . *cap.quem pœnitet.de pœnit.dist.1.*

Quod maxime circa rusticos obseruãdum erit; qui cum in hoc flagitij genere delinquere soleant, rustico etiam pudore detenti illud non fatentur. De quorum moribus, & ingenijs loquens Marcellus Donatus *in suis in Ælium Lampridium Comment.* Rustici , inquit , animalia sunt media inter bruta,& homines,plus rationis expertes, quàm rationis capaces, quod norunt illi, qui malo suo genio acti,cum illis conuersari coguntur,hæc ille. Verũ nimis acris est eius insectatio, cũ in his sint & in alijs statib. boni,&mali reperianẽ. Hinc Euripides,

Mortalium res si cunctas examines ,

Inuenies in plerisque turpitudinem.

Et vt dicere solebat Architas , Quemadmodum si summã diligentiam etiam adhibeas,tamen piscem sine spinis non inuenies , sic neque hominem , qui non dolosum,fraudulentũ,spinosumque quiddam habeat admixtum. *Mascardus.de Probat.volum.2. concl.*1315.Atq; huc spectat illud regij vatis. *Psal.* 115. Omnis homo mendax,quod non peculiariter intelligendum videtur de mẽdacio falsitatis, quod ab ore egreditur,verũ generalius de vanitatis mendacio, quod in humana vita & conuersatione reperitur, quæ enim virtutis sunt paucissimi , vitia vero vel malitiam pene omnes sectantur , vt ibi Titelmannus exponit.

Tertio præmittẽdum est, bestialitatẽ solere esse casum Epis reseruatũ,& cum grauissimũ sit crimen, omni conatu Confessariũ niti debere, vt à pęnitẽtis aĩa radicitus euellatur,& sibi cauẽdũ,ne sine facultate ab illo absoluat, aut absq; remedijs dimittat.

Quarto,quando in casibus ab Episcopo reserua-

tis actus sodomiticus reseruatus inuenitur, tantum de sodomia intelligitur, quam canonica iura nefandum crimen appellant.

Quando autem vitium contra naturam reseruatum reperitur, tàm sodomiam, quàm bestialitatem comprehendere dicitur. *Berarduc. in summa Corona. p. 1. c. 2. de circunstantijs peccatorum. n. 16. Sayr. in cl. reg. l. 8. cap. 5. num. 20.* Sed cum in casu occurrenti dubium sit, quę nam sit Episcopi mens, ad eum pro interpretatione recurrendum est. Interim bona tàm absoluentis quàm absoluti fides eos securos, & tutos reddit.

Quinto, iterum labendi occasiones esse amputandas, vt. s. illud animal pœnitens, si dominus est, à se abdicet; nec enim sufficit hirundines expellere, nisi nidus destruatur, vt sæpius admonuimus.

Sexto, quia bestiale scelus admisit, iniungat ut belluarum more per aliquot dies nihil igne coctum comedat, cibum absq; manuum ministerio sumat, & sola aqua sitim extinguat, vt scripsi *in Comment. de cas. reser. p. 2. cap. 4. casu. 5. sect. 6.*

Quomodo porro ad secundam partem casus de congressu cum Dæmone Cõfessarius se gerere debeat, uide supra *tract. 7. cap. 5. quæst. 18.*

QVAESTIO CXVI.

QVID, ET QVOMODO CVM CONIVGIbus agendum, qui naturali quidem, sed indebito modo se coniungunt, & an alter sine alterius coniugis licentia habitum ex voto mutare possit?

MArcellus uir coniugatus uolẽs legitimę uxori suæ copulari, quò se exciteet, uel maioris voluptatis captandæ gratia, copulam cum ea sodomiticam inchoat, non animo consummandi, nisi intra legitimum uas, nec cum periculo extra illud effundendi. Item secundo præpostere ad illam accedit vase debito utendo, corrupta tamen intentione, uel illicitum cõgressum cogitando, & aliquando ipsi uxori succumbit, &c. Tertio, dum uir cum uxore rem habet, sacras Reliquias ad collum apensas defert. Quarto, ubi maritus iam seminauit, & à coniugali congressu discessit, femina quò & ipsa seminet, se tactibus prouocat.

Tandem cum uarijs Confessariorum obiurgationibus pudefactus hæc uitia à se abiecerit, & ad meliorem frugem redactus fuerit, sine coniugis suę consensu habitum mutauit, & uestibus ordinis. D. Francisci se ex uoto induit, qui quidẽ habitus cum horrorem quendam generet, ac subinde obligationi debito modo reddendi debitum quodammodo officiat, uotum illud irritauit. Quæritur quomodo Confessarius se cum his gerere debeat?

Resp. Hic uir in honestas, & castas coniugij leges absque dubio peccat, cum enim matrimonium sanctum sit sacramentum, & bonum beatificum, sanctè ẽt & debita intentione, ac rõne tractandum à coniugatis est, nam nulla actio põt esse cum uirtute coniuncta, nisi recta per se fit, & rectè exerceatur. Hinc *Alciat. emb. 192.*

Maxima debetur thalamo reuerentia; coniux
Alternum debet coniugi & obsequium.

Proinde cauere debent, ne in suis dictis, uel factis honestatis, & uerecundiæ fines transiliant, sed coram Deo, & Angelis se stare meminerint, ne eis obijciatur, quod Angelus Raphael Tobiæ dixit, Hi qui coniugium ita suscipiunt, ut Deum à se, & à sua mente excludant, & suæ libidini ita uacent, sicut equus, & mulus quibus non est intellectus, habet potestatẽ Dæmoniũ super eos. *Conc. Trid. sess. 24. de mat. c. 10. Conin. d. 34. d. 1. Tob. c. 6. vbi. Iustin.*

Vnde quò ad primam partem aperire ei debet Confessarius, semper culpam admisisse mortalem sodomiæ inchoatæ, tùm quia utrique uase indebito utũtur, à quò natura ipsa abhorret, tùm quia ipsi coniuges possunt alia uia minus turpi se ad copulã præparare. Quod si uir superficie duntaxat præposteri uasis sua uerenda refricaret, cessante omni pollutionis periculo, à mortali peccato excusari possent. Sic contra *Nau. cens. 7. de pœnit. & remiss. tenet. Sanchez. l. 9. de matrimonio. disp. 17. num. 4. & Bonac. quæst. 4. puncto. 11. & alij.*

Quò uero ad secũdæ quæstionis partem eis manifestare debet, naturalem copulam indebito modo factam, ut retro accedendo, sed in naturali uase vxori succumbendo, sedendo, stando, &c. mortiferam noxam æterna dannatione dignam secum inuoluere quoties tãta inordinatio interuenit, ut sequi non possit generatio; prolis namque finis deluderetur, ad quem ipsa copula instituta est, & ad quem semen à natura ordinatum est. Quia tamen generationem in prædictis casibus raro admodum accidit impediri, cũ matrix per attractionis modũ semen recipiat, raro ẽt dicẽdum est lethalẽ culpam in prædicta coniũctione cõtingere, nisi aliqua praua intentione seu cogitatione afficiatur, uel aliqua alia adsit circũstãtia, quæ mortalẽ malitiã adijciat, à qua hic Marcellus, vt supponitur nõ est immunis.

Proinde grauiter alio nomine à Confessario arguẽdi sũt hi coniuges, vt pote brutis aĩalibus peiores, & turpiores, qui in hmõi actibus naturalẽ modum seruãt, nisi aliqua necessitas ipsos coniugatos excuset, vt quia vir sit circa virilia fractus, vel ob pinguedinẽ, nisi retro (naturaliter tamen) accedat, non possit cum vxore congredi, vel illa sit grauida, nec aliter cognosci queat. Posset etiam à Cõfessario in congressu maritali variatio situs tolerari, modo in debito vase semen fundatur, si hoc fiat ut maritus, ab alieno thoro retrahatur; nam iuxta vetus axio-

axioma, De duobus malis minus est eligendū. Quò allusit qui dixit,

Ferre minora volo, ne grauiora feram.

l.quoties nihil ff. de reg.Iu.cap. 1. *dist.* 13. Ex qua positione inferunt plerique DD.cōfitentem situm extraordinarium maioris voluptatis captandæ gratia adhibitum, legitimo uase seruato, non esse necessario interrogādū de seminis effusione, an extra vas euenerit nec ne, vel expertus ne sit illius periculum, siquidem hæc non frequenter, sed rarissime accidunt, &c. *Graffius. l.* 2. *decis.cap.*82. *num.* 17: *Nau.cap.*16. *num.*42. *Azor.p.*3. *l.*3. *cap.*21. *Henriq. l.*11. *de matrimonio.cap.*16. *num.*6. *Coninch.d sput.* 34. *dub.*9. *num.*8. *Reginald l.*31. *num.*335. *Sāchez. l.*9. *disp.*16. *num.*3. *Bonac. quæst.*4 *p.*13. *Molfes.tr.* 4. *cap.* 12. *num.*61.

Ad tertiam quæstionē dico, quod licet cum uxore congredi, reliquias in collo gestando, nonnulla irreuerentia contra earum cultum committatur, non tamen notabilem deformitatem necessario confitendā continet. Cuius non mediocre signum est Doctores de sexto præcepto eiusq; circūstantijs necessario aperiendis agentes, hanc prætermisisse. Quamuis Cōfessarij partes sint pœnitentes admonere, ut cum coniugalis actus exercendus est eas à collo deponant, nec quippiam contra honorem eis debitum admittant; merito enim. *D. Damascenus. lib.*4. *de Orth. fide. cap.* 1. Sanctorum Reliquias fontes salutiferos vocat; ex quibus si religiose colantur, & tractētur, plurima ad nos beneficia manant. *Azor.p.*1. *l.*9. *cap.*8 *quæst.*6. *Sanchez. l.*2. *de præcept. cap.*40. *num.*28. *Bonac. de legibus. d.*3. *quæst.* 1. *p.*4. *num.*8. *Io. Baptista. Signius. de reliq. & vener. sanct. capit.* 43.

Ad quartam quęstionem dico, quod (& si aliqui repugnent) si vir postquam seminauit, ante vxoris seminationem se retraxit, integrum est vxori se donec feminet tactibus excitare, quia Primo graui a lioqui afflictione vexaretur, si libidine excitata ita remanere cogeretur, vt experiētia rerum magistra manifestum fit. Secundo, eo quod idem actus reputetur, cum ea quæ incontinenter fiunt censeantur inesse, & illi tactus ad cōpletum coniugalem actum ordinantur, qui in vtrusque seminatione consistit: Et quamuis vxoris semen ad generationem necessariā non sit, est tamen valde vtile, cum ad formandum pulchriorē fœtum adiuuet. Tertio, sicut coniugi se ad copulam pręparare licet, ita etiam actum copulę perficere: quamuis hoc in viro nō procedat, qui postquā sęmina se retraxit tactib. se polluit, &c. *Sanchez. l.*4. *de matrimonio. d.* 14. *num.* 12. *Bonacin. de matrimonio. quæst.*4. *p.*6. *num.* 15. *Lessius. in noua edit. l.*4. *cap.*3. *dub.*14. *Filliuc. tr.* 10. *p.*1. *cap.*9. *q.*9. qui probabilem esse sententiam, aiunt & rem hanc esse potius in sinu Doctorum seruandam, quàm passim aperiendam, sicut in alijs particularibus casibus in hac lubrica materia contingere solet.

Ad quintam quæstionem dico, coniugem alterius coniugis votum, habitum scilicet tertij Ordinis D. Francisci assumendi irritare posse, quod debito coniugali honeste, & moderate reddendo aliquo modo obstet, quia neuter sui corporis potestatem, quò ad illud debitum persoluendum habet, ex *Sanchez. l.*9. *de matrimonio. d.*3. *num.*9. *Laur. Guadag. in Thesaur. doct. Chr. in* 2. *præcept. decal. tit. de voto.* Vt omittam etiam plerumque votum quarundam vestium habitum induendi, vt albas in honorem B.M.V. vel cinericium ob D. Francisci memoriam & huiusmodi, indifferens & vanum esse, nisi tales colores ex alio bono fine cohonestarentur, vt quia per albedinem vouens puritatem B. Mariæ Virginis imitari conaretur, & per leucophæum D. Francisci mortificationem per vitæ asperitatem exprimere studeret. *Caiet. v. votum. cap.*2. *Azor. p.*1. *l.* 11. *cap.* 14. *quæst.* 5. Idem *Sanchez. l.*4. *de præcept. cap.*7. *num.* 11. *Molfes. tract.* 11. *cap.* 15. *num.*30.

Et hæc sufficiāt quò ad magis principales interrogationes, & casus, qui in articulis circa sextū præceptum decalogi fingi, & pro Examinatorum prudentia ex subiecta materia formari possunt, nam quæ ad decimum mandatum spectant, & interna peccata respiciunt, iam initio capitis dixi ad sextum hoc præceptum à Confessario referri posse.

ARTICVLI, ET QVÆSTIONES ALIquæ super septimum præceptum Decalogi. Cap. XXIX.

QVÆSTIO CXVII.

QVID CONFESSARIVS PRACTICE interrogare debeat circa septimum Decalogi præceptum, & quid in illo contineatur, &c.

QVid Confessarius interrogare debet circa septimum decalogi præceptum, & quid in illo cōtinetur, & quomodo in praxi se gerere debet?

Resp. Hactenus excussimus præcipuos articulos circa præcepta, quę ad bonorum corporis tùm proprij, tùm alieni conseruationem spectabant; nunc alij articuli super cætera præcepta superadduntur, quibus externa bona contra aliorum iniurias muniantur. Neque n. satis uisum est Deo Optimo Maximo hoc septimo præcepto furtum externo opere perpetratum cauisse, sed in decimo qnoque internam de furando cupiditatē prohibet. Ex quo diuinæ legis supra humanas leges puritas, & excellētia dignoscitur, cum hæ de internis actibus minime iudicent. Actus uero interior peculiari mandato in furto, & adulterio prohibeatur, quod in his tantum duobus obiecta boni speciem præseferunt, in furto

quidem boni utilis, in adulterio delectabilis, quæ animum pelliciunt, ac demulcent.

In cæteris autē nulla immediate boni hmōi ſe ſpecies objicit, quin potius homicidium v.g. & falſitas ex ſe inuiſa, & odibilia ſunt, & tantum in gratiam alterius per accidens, ut ob uindictam, iram, auaritiam, & ob alias affectiones appetuntur.

Proprerea Confeſſarij, ut Catechiſmus Romanus admonet, debent hunc locum callere, & Parochi urgere aſſidue, ac diligenter huius præcepti vim, & ſententiam explicare, ob duas præcipue cauſas à Tridentinis Patribus conſideratas.

Prima pp SS. Patrum, & chriſtianæ diſciplinæ magiſtrorū exemplum, ueterem enim eccleſiæ morem fuiſſe, ut huius præcepti uis, & ratio auditoribus inculcaretur, indicat illa apud Apoſtolum objurgatio eorum, qui cæteros ab hoc uitio maxime deterrerent, quibus ipſi cumulati reperiebātur, qui enim, inquit ad *Rom.* 2. alios doces, te ipſum nō doces, & qui prædicas non furandum, furaris?

Secūda propter doctrinæ utilitatem, nam huius doctrinæ bono, & frequens illorum, & horum temporum furti peccatum corrigitur, & rixæ, ac lites ſedantur, aliæque ſimiles malorum cāuſæ, quæ furto commoueri ſolent, &c. Si namque unuſquiſque ſuo contentus eſſet, omnium iurgiorū materia amputaretur; at ubi eſt meum, & tuum frigidum illud verbum, ibi quidquid eſt malorū in uitam noſtram inuehitur, innumeraque gignuntur bella. *l. fin. C. finium regund. D. Chryſoſt. in orat. de S. Philog. Catechiſ. Rom. ſuper hoc præcepto. ſect.* 1. Sane bonorum diſtributiones iam inde ab initio iure gētium conſtitutæ, diuinis, humaniſq; legibus obfirmatæ ſunt, quare illas ratas eſſe oportet, & unuſquiſque niſi humanam ſocietatem tollere uelit, ea tātum tenere debet, quæ ſibi iure obtigerunt: qui enim ſecus faciunt, dum ſuo malo deſiderio extrinſecus furātur, Dei iudicio intrinſecus expoliārur, & animam tanta ſterilitate percutiunt, vt nihil amplius producat, qđ in horreū mentis reponār. Et quidē ut loquitur, *D. Chryſoſt hom. 9. in 1. ad Corinth.* 4. Fures intrinſecus Dæmones ſunt, extrinſecus crudeles feræ, & feris ſæuiores. Quare nō mirum ſi, ut aliās aduerti, D. Auguſtinus. *l. 2. conf. c. 4. & 6.* adeo furtū ſit abominatus, ut in minima quantitate à ſe puero commiſſum etiam adultus ubertim defleuerit. *Iuſtin. in Tob. cap. 2. verſ. 19. doc. 2.* Et teſte Tholoſano. *l. 37. ſynt. Iu. c.* 1. Furtū maius, & grauiſſimū peccatorum dempto adulterio exiſtimabat idem Chryſoſtomus. Vlpianus *in l. probrum. ff. de verb. ſig.* Furtum & adulteriū natura turpia tradit. Plinius. *l. 11. c. 16.* refert natura apes etiam fures, & mulierum menſes odiſſe, & ideo ferunt raram furtiuam tantum fertilius prouenire, & apes furtiuas peſſime.

Cæterum quia huius precepti vis latiſſime patet, ita ut in eo nedum de iniuſta rei alienę acceptione, ſed ēt de retentione agatur, ideo ſuper tria capita interrogationes inſtitui poſſunt. Primo Confeſſarius interrogare poterit de furto tām ſæcularium, quam eccleſiaſticorum, rapina, ſacrilegio, & re inuenta. Secundo, de iniuſtitia, cōtractibus uſurarijs, ſimonia, ludo, &c. Tertio, de rei alienę iniuſto uel iniuſto titulo detentione, piorum legatorum debito, decimarum, ac primitiarum ſoluendarum obligatione; atque in his decimum præceptum, & auaritiæ peccatū comprehēdet. De qua re ſuperius diximus, quò recurrēdum eſt. De contractibus uero, & reſtitutione in genere inferius ſuo loco laconico ſtylo more noſtro agemus, utiliores quæſtiones, & caſus, tàm Examinatoribus quàm Confeſſarijs ad ſuum munus obeundum neceſſarios, excerpendo.

QVAESTIO CXVIII.

AN LEGATA IN TESTAMENTO MINVS ſolemni relicta debeantur, & propria authoritate poſſit quis ea vendicare, & an res furtiua præſcribi poſſint, &c.

Barnabas, cum eiā Franciſco amicitia, & cognatione ſibi coniuncto, ducentum aurei, & vnus equus in teſtamento minus ſolemni, cui nempe unus teſtis de ſeptem à iure requiſitis deerat, relicti eſſent, nec in iudicio illa legata uendicare poſſet, clam illa ſurripuit, & poſtmodū ipſum equum Andreæ uendidit; lata eſt ſubinde ad eius querelā excōmunicatio ab Ordinario loci contra fures, detentores, & ſcientes huiuſmodi furtum admiſſum, & non reuelantes, &c. Item cum par bouū furto ablatorum bona fide emiſſet, & 4. annorum ſpatio poſſediſſet, poſtmodū eos furtiuos eſſe deprehendit, & domini hæredibus reſtituere renuit, eo quod cuiuſdam l. C. conſilio eos præſcripſiſſe aſſerat. Accedit ad confeſſionem, & prædicta narrat, quæritur quid ei Confeſſarius conſulere debeat?

PRAENOTIONES, ET SVPPOSITA.

Reſpondetur ſupponendo ante omnia, furti nomen deduci à furuo, ſeu fuſco, eo quod clam, obſcuro & nocturno tempore fiat: nam qui male agit, odit lucem. *§. furtum. in Tit. de obligat. quæ ex delict. naſ. l. 1. ff. de furtis. vbi DD.*

Vnde & nox à nocendo dicitur, quia eo potiſſimum tempore aduerſarij officere ſoleant, cum tenebræ ad delinquēdum inuitent, & nox furtorum, & aliorum ſcelerum ſecretaria dicatur (ſicut ſol, & lux eorundem index appellatur) iuxta illud,

Nocte vagatur adulter,
Vt iugulent homines, ſurgunt de nocte latrones.

Pro-

Propterea ad furtum occasio sæpe improbum inuitat, vt cum aliquid incustoditum videt surripiat: nam & Cicero Verris furta vehementer exaggerat, quod ad tantam impudentiam deuenisset, vt non per præstigia, sed palam per potestatem, suo imperio ostiatim tota oppida cōpilaret, cum cęteri Prætores improbi auertere aliquid de publico clam solerent, & aliquid de priuato nonnumquam occulte auferrent. *Farinac. de furtis. quæst.* 155. *num.* 8. *Bonifac. de furtis.* §. *de inuito. num.* 25. *Maiorag. l.* 1. *in Rhet. Arist. Pold. Rip. de actis temp. noct. cap.* 2.

Secundo, furtum esse contrectationem rei alienæ, mobilis, fraudulenta, inuito Domino, lucri faciendi gratia, siue ipsius rei, vel vsus, possessionisue. Quod lege naturali, diuina, atque humana prohibitum est admittere: ēt si legamus olim apud Lacedæmonios furtum non in vitio, sed in laude fuisse, si tamen clanculum, & astute factum fuisset; nec fures in ipso furto deprehenderētur. Hinc adolescentulus cum vulpeculam subtractam sub tunica celasset, & eius latus vsq; ad viscera hæc bestiola corrosisset, ac de hoc postmodum argueretur, non aliter, respondit, erat faciendum, moriendum enim erat potius in doloribus, quàm in manifesto furto deprehendi, vt refert. *Plut. in Lacon. apophteg. & Fab. Inst. super Tob. cap.* 2. *versf.* 19. *Tholos. in syntag. Iu. l.* 37. *c.* 1. Quò fit, vt in christianis legibus furtum ex se licitū fieri non possit, quamuis alienæ rei vsus licitus aliquando ex consuetudine introduci queat, vt v. g. quod in alienis pratis animalia pascātur, &c. *Nau. de lege pœnal. nu.* 38. & 40. *Nald. in v. furtum. num.* 1. *Ioseph. Ludou. Decis.* 1.

Quod quidem furtum à rapina per hoc differt, quod furtum, vt dixi, clam & absque violentia perpetratur, ignorante domino, rapina vero palam, & violēter, conscio dño rem suā sibi auferri; vt proinde furtum, & rapina in rōne iniuriæ specie differāt.

Tertio, notandū furtū ꝑ varietate rerū, quę auferuntur adhuc aliter diuidi, vt dicatur sacrilegium, qñ rei sacræ fit furtum; si homo seruus vel liber abducatur plagiatus; si aliquid de grege surripiatur abigeatus; si quid de publico ærario tollatur peculatus nominetur. De quo postremo furti genere loquens aliquando D. Gregorius Nazianzenus dicebat, plures ex his, qui præsunt, ex publicis facultatibus Briarei manibus rapere. Atque huc respexit Alciatus cum scripsit. *Emb.* 148.

Exprimit humentes quas iam madefecerat ante
Spongiolas cupidi Principis arcta manus,
Prouehit ad summum fures quos deinde coercet,
Vertat vt in fiscum quæ male parta suum.

In quibus furti speciebus ex circunstantijs variæ etiam sunt peccatorum genera notabilem furto simplici turpitudinem adijcientia, & proinde in confessione à pœnitentibus aperiendæ.

Quarto, furtum ex suo genere esse mortale peccatum, charitati, & iustitiæ contrarium. Qđ etiam ex multis criminibus patet, quæ furtum cōsequi solent, fiunt enim iudicia temere & inconsulto, multa de multis inde erumpunt odia, inimicitiæ suscitantur, & interdum acerbissimæ innocentium hominum damnationes succrescunt. Postremo id ex necessitate ostenditur, quæ diuinitus est omnibus imposita satisfaciēdi ei, cui aliquid ademptum est. Non enim remittitur peccatum nisi restituatur ablatum. *c. peccatum. de reg. Iu. in* 6. *Baronius. tom.* 12. *anno.* 1168. *Daur. tom.* 2. *cap.* 3. *tit.* 114. *exemp.* 16. *Tusch. v. restitutio. concl.* 303. Quæ tamen restitutio difficillima, & rarissima est, quod *Abacuch. Propheta. cap.* 2. his verbis ostendit, Væ ei, qui multiplicat non sua, & aggrauat contra se densum lutum. Appellat densum lutum rerum alienarum possessionem, vnde emergere, & expedire se homines difficillime possunt. *Catechis. Rom.* 7. *precepto Carbo. de restit. quæst.* 41. Qua ratione D. Ludouicus Galliæ Rex furtum pessimum, & pene inter vitia supremum esse dicebat, rogatus autem causam, quia inquiebat, res ablatas iusto domino restituere ita molestum est, vt verbum ipsum dum profertur os & linguam exulceret.

Quando vero furtum est de re minima, venialem tantum culpam secum inuoluit, nisi animi intentio sit multum surripiendi si posset, aut inueniret; aut nisi modica res sublata magna causa damni, aut ingentis scandali occasio foret, & huiusmodi.

Porro quantitas rei, quæ ad constituendam materiam peccati mortalis sufficit, arbitrio prudentis viri varijs perpensis circunstantijs metienda est.

Quamuis dari etiam possit aliqua pecuniæ quātitas, quæ absque vlla habita ratione personæ fit mortalis, vt furtum trium aureorum in Principe, vel Magnate; In cōmunibus personis, quatuor vel quimque Iuliorum: in pauperibus duorū Iuliorum.

Adeo autem boni, ac sancti viri furtum abominati sunt, vt inter alios. *D. Aug. l.* 2. *confess. cap.* 4. vt supra prælibaui, furtum in minima quantitate à se puero commissum etiam adultus fleuerit. Qua forte ratione nonnulli DD. asserere falsò tamen ausi sunt, furtum in quacunque quantitate etiam modica, modo ex malitia, & cupiditate rei alienæ fiat, semper lethalē esse culpam. Nam & *Plato.* 12. *de legibus.* ait, quod qui rem paruam sustulit, & si minori vi, quàm qui rem magnam, æqua tamen cupiditate & iniquitate furatus est, &c. *Salon. Arrag. & alq. in* 22. *q.* 66. *ar.* 6. *Canonista. in c.* 1. *ext. de furtis. Syl. & aly. summularij. in v. furtū. Nau. in Man. cap.* 17. *num.* 4. *Tolet. l.* 5. *cap.* 16. *Sayrus. in cl. regul. l.* 9. *cap.* 15. *num.* 12. *Azor. p.* 3. *lib.* 5. *cap.* 13. *quæst.* 2. *Graffius. l.* 2. *Decis. cap.* 93. *num.* 27. *Pet. Nau. de restitut. l.* 3. *cap.* 1. *num.* 39. *Reginald. l.* 22. *num.* 19.

Secundo, quia hic scelestus execrandum sacrilegij crimen perpetrauit, cum tàm turpiter moniali Deo dicatæ se coniunxit; huius enim flagitij reos filios perditionis appellat Apostolus, vt habetur *in Concil. Arelat. de quo in capit. sciendum. 27. quæst. 1.* Vt propterea qui carnis contagione monialem cognoscit, quatuor grauissima delicta incestum, adulterium, stuprum, & sacrilegium, cum maxima iniquitate committere dicatur, & pœna acerrima puniatur, nempe in clericis depositione, perpetuoque carcere, velut etiam in moniali, quæ se violari permisit. Item sacrosanctæ eucharistiæ priuatione; licet misericorditer viaticum in vitæ fine concedatur. In Laicos vero vltimo supplicio, & bonorum monasterio adiudicatione, animaduertitur. Licet de consuetudine hęc pœna mitigari soleat, vt sit perpetui carceris, quando non est notoria scandalosa, vel continuata. *Decius in cons. 338. Grassius lib. 5. cons. 2. de adult. Farinac. de delict. car. q. 146. §. sacrilegium. Archid. & Turrecrem. in cap. impudicas. 27. quæst. 1. Tuschus. verbo monialis. concl. 337. & verbo. sacrilegium. concl. 6. num. 10. Marta de iurisdict. par 2. cap. 26. Lapus. allegat. 54. Clarus. in §. fornicatio. num. 17.*

Quò ad absolutionē vidēdum est, an accessus ad monasterium sit casus reseruatus, & an aliquam excommunicationem annexam habeat. Bononiæ enim non tantum hic casus reseruatione, sed etiam excommunicationis pœna affectus est, si quis ad turpem, & malum finem, qui in aliquem externum actum prodierit, eò accesserit, & de rebus, v. g. turpibus monialē allocutus fuerit. Secus. n. dicendum esset, si malum propositum solum in mente retinuisset, & licitos, honestosque solummodo sermones cum eadem moniali miscuisset; nam tunc in casum quidem reseruatum, non tamen in excommunicationem incidisset, siquidem iuxta legale axioma, Ecclesia nō iudicat de occultis, & propositum in mente retentum, nihil quò ad forum externum operatur, est enim simile posthumo, qui nisi in lucem prodeat, nihil agit & in consideratione non habetur. *cap. erubescant. dist. 32. l. si repetendi. C. de condict. ob causam. Tusch. in v. propositum. cōcl. 919.*

Quinimò cum ad tàm graue scelus committendum monasterij septa ingressus fuerit, etiam si clausuram per duos tantum pedes sit transgressus, excommunicationem Summo Pontifici reseruatam procul dubio non effugit. Per cōstitutionem Pij V. *Incip. Circa Pastoralis*, & aliam Gregor. XIII. *Incip. Vbi gratia*. A' qua tamen (quidquid aliqui dixerint) si occultus sit casus, facultate Concilij Tridentini *sess. 24. de refor. c. 6.* Episcopo absoluere licet, *vt obseruauimus supra tract. 5. cap. 5. quæst. 31.*

Porro Confessarius cui absoluendi à casibus reseruatis, & ab hac excōmunicatione facultas data est, omni conatu studeat vt pęnitens sceleris grauitatem agnoscat. Quandoquidem vt ait. *D. Gregor. p. 2. Pastor. cap. 4. & habetur. in cap. sit Rector. d. 43.* Clauis apertionis est sermo correctionis, nā increpatio culpam detegit, quam sæpe nescit ipse et qui perpetrauit. Vrgeat præter æternæ miseriæ barathrum Deum solere in hoc peccatum maximis calamitatibus, plagis, & infortunijs acriter animaduertere. *Lamas. in sum. p. 3. c. 8. §. 14.* Et vt ait. *D. Bernard. Senens. ser. 6. post. Domin. de Passione. serm. 48 cap. 2.* Scelesti, qui cum Christi sponsis sacrilegium perpetrare audent, considerent, quod scriptum est,

Moritur arreptus monacha quicunque potitur.

vt dixi *de cas. reser. p. 2. cap. 5. sect. 1.*

Auferat iterum peccandi causas, cum vera pœnitentia sit peccatorum causas, & occasiones excidere, & earum suggestionibus aditum non indulgere. *c. satisfactio. de pœn. d. 3.* Nec prius absoluat, quàm illius monialis imaginem, cuius inhonesto amore afficitur, prorsus abiecerit, laceraverit, aut combusserit, cum propter illā in statu peccati mortalis sit cōnstitutus. Amasiorum enim munera, & simulachra nō esse vel post conuersionem retinenda, facit à simili ratio, quæ legitur *in cap. mulier. 15. quæst. 1.* Vbi pecus à quo mulier ascendi uoluit, interfici iubetur, quia tali flagitio cōtaminatum, indignam refricat facti memoriam. Sic & quis corporaliter auelli iubetur, ubi carnis illecebris deseruiuit, ne in mētis aspectu apponatur, quod sæpe ibi vel cogitauit, uel gessit, atque sic tenet, *Philiar. de officio. sacerd. p. 1. l. 3. cap. 9. Sayrus. in claus reg. l. 4. cap. 7. num. 2. Nald. in verbo amasius.* Quippe libidinoso amatori proposita semper est tantum fœda delectatio ex illius aspectu, amplexu, & consuetudine percipienda, quam deperit, infinita post se detrimēta trahens, inter quę innumeræ sunt execrandæ blasphemiæ, dum insanus amator eam quam turpiter amat, & quam semper præsentem habere cupit, Deam uocat, uel cordis sui idolum. &c. *Chauas. de prud. l. 1. cap. 8. §. 7.*

Congruam pro modo culpæ pœnitentiam imponat, attendendo, vt quoad fieri pōt, & quatenus spiritus, & prudentia suggesserit, pro delicti qualitate sit iusta, statui pœnitentis conueniens, & salutaris ad præteritorum peccatorum vindictam, morbi medicamentum, & nouæ vitæ custodiam. Concil. Trident. *sess. 14. capit. 8. Caiet. in verbo. satisfactio, & Nau. cap. 26. num. 21. & alij.*

Tandem Confessarius pœnitentem admoneat, vt in posterum, à minimis principijs caueat, quæ animam turpi concupiscentia labefactare possint, iuxta illud. *S. Ephram. in Parænisi. num. 3.* Omnem turpem concupiscentiam etiam minimam detestare, caueasque hominis aspectum, nisi necesse sit, vt vere te ipsum obseruans, & in minimis te muniens

in gra-

in grauiores molestias non incidas, neque prorsus tentationibus vincaris, &c. Vnde & *D. Gregor. Nazianz. in documentis ad virg. Deo sacratas.* Vbi dixit, parua uitia non esse parui ponderis æstimanda, sic ait,

Qui paruis obuius ibit,

Is numquam praeceps scelera in grauiora feretur.

Bonarũ quippe mentium est, & à paruis abstinere, & cordis naturam imitari, quod vt nobilissimum est, ita nihil noxium pati potest. Illa enim I. C. dicta, Modicũ non nocet, de minimis non curat Prætor, modicum pro nihilo reputatur, intelligi debent spectato Iudicum more, qui in grauibus occupati negotijs minimarum rerum, vel culparũ actiones, & causas non recipiunt, vt etiam Superiori quæstione significaui.

CAP. XXVII.

QVÆSTIO CXI.

QVID CONFESSARIVS REGVLARIS, cum religioso agere debeat, qui votiuam castitatem violauit?

ANselmus vir claustralis æditnus, & sacrarij monasterij custos, cum aduentante nocte templi valuas clauderet, & impudicam quandam fœminam in ecclesia solam comperisset, illam Dæmone actus in ipsius sacrarij, vel sacristiæ cubiculum introduxit, atque ibi cum ea turpitudinẽ perpetrauit, atq; pro mercede ob luxuriosum actum cum ea habitum, quẽdam Agnum cereum benedictum, & aliquas sanctorum reliquias dedit, quæritur, quomodo in hoc casu regularis Confessarius se gerere debeat?

Resp. Nulli dubium est hunc casum ad sacrilegij peccatum pertinere, cum sacrilegium quatenus est luxuriæ species, his quatuor potissimum modis dicatur. Primo, cum quis rem habet cum persona per votum ad seruãdam castitatem dicata, vt cum moniali professa, de qua supra in præcedenti casu. Secundo, si quis votum simplex castitatis habens rem turpem admittat, vel è contra. Tertio, si religiosus tria vota professus aliquod carnis peccatum perpetret. Quarto, si Presbyter, Diaconus, vel Subdiaconus, eodem peccato se contaminet, cum vt notum est, sacris ordinibus castitatis votũ sit annexũ, &c. Idem peccatum committeretur, si in loco sacro luxuriæ actus exercerentur; & si seminis effusio in terra, vel in naturali mulieris vase fieret, locus sacer violaretur; ita vt ecclesia (si hoc notorium sit) denuo consecranda sit. *cap. fin. de cons. Ecclesiæ, vel Altaris, & c. 1. eodem tit. in 6. Sà in verbo. ecclesia. num. 19.*

Proinde in actu practico, Primo videndum est à Cõfessario, an illud cubiculum sacrario proximum sit sacratum, ita vt per sacrilegij scelus ibi commissum sit pollutum. Qua in re verior videtur illa sententia, quæ asserit, sacristiam, seu sacellum nomine loci sacri non comprehendi, vt per *Sanchez. l. 9. de matrimonio. disp. 15. num. 31.*

Perspiciendum erit etiam, an idem sacelli locus sit ab eiusdem religionis statutis clausuræ destinatus, vt dignosci possit, an Anselmus in suspensionẽ, & etiam excommunicationem Romanæ sedi reseruatam inciderit, eo qđ temerè, ac sacrilegè mulierem illam intra septa monasterij receperit, &c. *Rod. p. 1. quæst. 66. artic. 1. Vinald. de suspens. num. 118. Rayner. cap. 3. in fine. Suar. tom. 5. d. 22. sect. 6. n. 14. vt dixi infra tract. 11. cap. 9. quæst. 10.*

Cum vero valde probabile sit, vnum tantũmodo sacrilegij peccatum ab eo patrari, qui cum sit simul sacerdos, & religiosus professus, aliquod luxuriæ flagitium cõmittit, sequitur, d. Anselmũ se accusantem de admissa turpitudine, satisfacere dicendo in cõfessione se esse religiosum, vel sacerdotem, vel Diaconum, seu Subdiaconum; nõ teneri autem ad hæc exprimẽda, cum ipse Confessarius talem eum esse cognoscit. *Henriq. lib. 5. de pænit. cap. 5. num. 6. Roder. p. 1. cap. 53. num. 5. Lessius. l. 4. cap. 3. dub. 12. Sanchez. l. 7. de matrimonio. d. 27. num. 27. Bonacin. quæst. 4. puncto. vltimo. num. 28.*

Manifestabit, aliud sagrilegij genus ab eo, & fœmina simul patratũ esse, cum ob pretium luxuriosi actus res sacræ sunt ab eodem datæ, & ab improbo scorto acceptæ, siquidem tunc specialiter ei sacræ iniuria infertur, &c. proinde, cum dominiũ in eam translatum non sit, tùm ratione rerum sacrarũ, quæ ab hominum comercio sunt exemptæ; tùm ob personam dantem, quæ sui iuris nõ est, nec quidquam inconsulto Superiore, absque paupertatis voti violatione alienare potest, sequitur, sacrilegam illam mulierem ad monasterio restituendũ teneri. *Azor. p. 3. l. 3. c. 27. q. 5. & p. 1. l. 12. c. 12. Less. l. 2. c. 41. d. 9.*

Pœnitentem absoluendi facultatem, si casus ex Clementis VIII. præscripto reseruatus sit, à Superiore petet, & pœnitentiam delicto, & personæ congruentem iniunget: nam vt aliàs etiam annotauimus, Confessarius patris, medici, magistri, & Iudicis officio fungitur, vt pater nec indulgentior, nec seuerior, quàm par est, esse debet, sed sic filium, vt reum percutere, vt eum paternis vlnis amplectatur, vt medicus est, pœnitẽti ægro, & sauciato accõmodata remedia admouere eum oportet, religioso pęnitenti non peregrinationes imponens, cum sui iuris nõ sit, nec eleemosynas, cum nil proprij habeat, nec alias seueras pęnas, cum religio sit ei quoddam martyrij genus, & quędã sanguinis effusio in quotidiana mentis, & corporis mortificatione. Quippe grauis in humanis error est, omnes ad eadẽ cogere,

eisdem fouere, & pascere, eisdem mederi velle, eadem munia, onera, & remedia eadem præscribere. Neque enim eadē fert omnia tellus, sed alia, atque alia pro terrarū conditione. Quatenus magistri officium sustinet, ei incumbit errantē pœnitentem in Dei viam reducere, eum in fuga vitiorum, & virtutum adeptione instruendo. Prout vero Iudicis munere fungitur, ad eum spectat, in peccatorem tanquam reum iustam proferre sententiam, soluendi ligandum, aut soluendum ligandi periculum vitando. *Coriol. de cas. reser. regul. p. 1. sect. 2. art. 1.*

QVAESTIO CXII.

QVOMODO AGENDVM CVM CAPELLANO sacerdote, qui Parochianam in confessione sine absolutione audiuit, eucharistiam et sine stola administrauit, & à Dæmone instigatus ipsam spiritualem filiam impudice tangens, impuritatem passus est, &c.

LEonardus Vicecuratus, seu vt vulgo dicitur Capellanus, Sulpitiam Parochianā in quadam reconciliatione audiuit, non tamen absoluit, sed impensa benedictione, & deprecatoria prece prolata à se dimisit, & postmodum Sacramentum Eucharistiç in ecclesia, cum superpelliceo, non cum stola administrauit, & successiue multoties missam celebrauit, post duos transactos menses, libidinis ardore permotus, eius pudēda in domo sua manibus rāgens impuritatem passus est, & si copulam, vel concubitū se verbis nō perijsse asserat, &c. Quæritur, an cum in quadam diæcesi sita sit suspensio contra Parochos sacramenta, sine superpelliceo, & stola administrantes; Et casus copulæ attentatę cum filia spirituali sit reseruatus, quomodo se gerere debeat Confessarius?

Resp. Pro euidentiori dicendorum elucidatione supponendum est, Inter species peccatorum luxuriæ, quæ contra naturā dicuntur, hæc numerari, voluntariam pollutionem, seu mollitiem, sodomiam, & bestialitatem. Addunt alij coniunctionem indebito modo factam, vt cum masculus cum fœmina in naturali vase congreditur, sed præpostere, retro accedendo, &c. Siquidem peccatū contra naturam qui est actus cōtra ordinem, quem natura, vt sequi possit generatio, postulat, multis modis contingit. Primo, quando semen emittitur, & carnalis voluptas absq; naturali coniunctione per sui corruptionem quæritur. Secundo, quando debitus sexus non seruatur, vt cum masculus cum masculo, vel fœmina cum fœmina se commiscet; vel quādo debitum vas non seruatur, vt cum mas cum fęmina extra vas & instrumētum à natura ordinatum congreditur, quàm esse speciem sodomiæ multi Doctores fatentur; imò communem esse sententiam ait. *Sayr. l. 7. de cens. cap. 12. num. 23.* Tertio, quando debita persona eiusdem generis, vel speciei non adhibetur, vt cum quis cum bestia, vel cum Dæmone copulam habet. Quarto, quando coniunctio naturalis quidē est, sed indebita, vt dixi, ratione fit, vt cum vir etiam legitimo toro coniunctus, cum vxore præpostero situ concumbit, nec honestas coniugij leges seruat.

Et licet hæc materia lubrica sit, & castis auribus molesta, à Cōfessarij tamen cognitione aliena esse non debet, quò adiuuandis in spiritu fidelibus necessaria in scientiam, & notitiam sibi comparet. Recolendū est, omnia munda mundis, & solem immunda, & fœda loca lucis suæ radijs penetrare, nec per hoc fędari, aut deturpari; & Scriptoribus pro animarum salute licere debere, quod medicis pro corporū incolumitate concedi solet, res suis verbis, vt facile percipiantur, exprimere. Et quamuis scribendo, vel docendo, vel interrogando, aliqualiter inuite in mente labafactati videantur, & aliquādo serenitatem conscientiæ perdant, quæ in turpibus versando, varijs carnis motibus agitatur, attamen vt loquitur. *D. Gregor. p. 2. Past. c. 5.* Tanto facilius eorum tentatio eripitur, quanto misericordius ex aliena tentatione fatigantur. Sacerdotes, inquam, & animarū medici, radijs Solis similes esse debent, qui luti, ac latrinarum contactū non inficiuntur, & Adamanti, qui in igne positus non calefit, &c.

RESOLVTIO CASVS, ET QVAESTIONIS.

HIs præhabitis dico, quod si ex impotentia, vel necessitate stolam, quia ea carebat, in administranda sacrosancta Eucharistia non adhibuit, vel quia ex inaduertentia, seu obliuione illam omisit, à suspensionis censura, & irregularitate immunis erit, &c. Quandoquidem excommunicatio, suspēsio, interdictum, & etiam irregularitas ex delicto proueniens, ob ignorantiam iuris, vel facti, & ob venialem culpam non incurritur. *Sanchez. l. 9. de matrimonio. disp. 32. Suarez. tom. 5. d. 28. sect. 4. Miranda. in Man. Prel. reg. tom. 2. quæst. 36. artic. 6. Coninch. in Comment. de sacr. & cens. de susp. disput. 15. dub. 3. num. 24. Sayr. de cens. l. 7. cap. 9. num. 22.*

Quò vero ad casum reseruatum, mihi dicēdum videtur, in pollutionem volūtariam saltem in causa, & in ipsum casum reseruatum indirecte incidisse, cum negari non possit, Viceparochum nomine Curati quò adhoc censeri; siquidem subrogatus sapit naturā illius, in cuius locum sufficitur; & quamuis sacramentum pęnitentiæ proprie non administrauerit, ob quod filiationem spiritualem, vt DD. loquuntur, contraxerit, sed tātum sacram synaxim in Altari præbuerit, ipsa tñ mulier, quā tam impudenter domi suę tetigit, ad proximū copulæ actum

deue-

deueniens, & si verbis illam non attentauerit, parochiana sua dicitur, & expressis verbis in casu comprehenditur. Nec Doctores desunt, qui afferant filiam spiritualem dici, quæ sit tantum de eius Parochia. *Abb. in cap. fin. de Purg. Can. Dec. in cap. at si clerici. num. 23 1. ext. de Iud. Gutierez. l. 2. can. q. cap. 7. num. 47. Diaz in pract. crim. can. c. 84. Azor. p. 3. l. 3. cap. 9. quæst. 6. vt dixi in Comment. de cas. reser. p. 2. cap. 4. casu. 3. sect. 3.*

Quod ad praxim absolutionis attinet, post obtentam absoluendi facultatem, à Confessario manifestandum est, præter sacrilegij crimen, pollutione in quam cōsensit, peccatum contra naturam, æterno supplicio dignum peccasse, iuxta illud *Apostoli. 1. ad Corinth. 6.* Molles Regnum Dei non possidebunt. *D. Thom. 22. quæst. 154. art. 11. Lessius. l. 4. cap. 3. dub. 14. Sanchez. l. 9. d. 45. Reginald. lib. 22. num. 39. Sayrus. l. 8. cl. reg. cap. 5. num. 6.* Cuius vitij fœditatem, & grauitatem sentiens Ethnicus Martialis *lib. 9.* ad Ponticum ait,

Hoc nihil esse putas, scelus est mihi crede, sed ingens,
Quantumuis animo concipis ipse tuo.

Et licet pollutiones, ex communi sententia, si secundum se sumantur, sint eiusdem speciei, cum eandem deformitatem cōtra rectam rationē habeant, ratione tamen circunstantiæ, & per accidens diuersam specie malitiam inuoluunt, vt proinde sint in confessione explicandæ, vt hic sacerdos sacerdotis nomine indignus facere debet, exprimēdo, an mulier illa circa quam se polluit, virgo sit, soluta, coniugata, sanguine coniuncta, &c. Polluens se tamen extra fœmineum vas, modū exprimere non tenetur, quo se polluit, vt intra tibias, mammas, &c. sed sufficit confiteri, se semen extra uas emisisse. Et quod dicitur de maribus, & viris, de fœminis etiam pari ratione dicendum est; cum certum sit, mulieres tàm nocturna, quàm diurna pollutione inquinari solere. Vbi etiam illud obseruandum est, quod licet Confessarius non cogi debeat ad denegandam ei absolutionem, qui sæpius in mollitiem, vel pollutionē ex carnis fragilitate incidit, huiusmodi enim occasio extrinseca, & remota censetur, cum illam expellere, & abdicare non teneatur: verum tamen est, absolutionis beneficium illi impendēdum non esse, quando illius turpitudinis causam, & occasionem abscindere potest, eamque non abscindit, vt quando ex aspectu, vel contactu alicuius fœminæ, cum qua versatur, solet pollui, vel in fœdas cogitationes consentire, vt in præsenti sacerdore cōtigit. *Azor. p. 3. l. 3. cap. 23. quæst. 2. Bonac. quæst. 4. de matrimonio. p. 10. num. 15. Graffius. lib. 2. decis. cap. 88. Molfes. tract. 8. cap. 8. num. 212. Bisfeldius. in tract. de tentat. cap. 8.* Vrgebit hoc delictum ratione sacerdotalis dignitatis augeri, cum maior in honore debeat in sanctitate excellere, & vt ait, *D. Chrisost. relatus. in cap. homo. dist. 40.* Homo christianus fortiter cadit in peccatum propter duas causas, aut propter magnitudinem peccati, aut propter altitudinem dignitatis. *Riccius. Decis. 167.*

QVAESTIO CXIII.

QVID AGENDVM CVM CONFESSARIO fragili, qui cum fœminarum confessiones audit, polluitur, & cum eo, qui à sacro abstinet eo quod noctu in somnis fœdatur.

Epiphanius Confessarius religiosus dum in sua ecclesia fœminarum confessiones circa res turpes audit, cum admodum debilis, & fragilis sit naturæ, inuoluntaria pollutione fœdari solet, dubitans tamen, an superior animæ portio aliquando succubuerit. Cum vero cuiusdā mulieris nuptæ nobilis, ac iuuenis, cōfessionem exciperet, erga quam impuro, ac sensuali amore afficiebatur, (proximus est enim, & facilis gradus ab amore spirituali, & honesto ad carnalem, & incōcessum Venerē,) & de quodam peccato ad coniugale debitum spectante se accusaret, se ipsum impudice tangens, & consentiens in pollutionem lapsus est.

Quæritur, an in casum lapsus carnis voluntarij opere consummati, qui in religione sua reseruatur, inciderit? Et quomodo se gerere debeat Confessarius? Et quid cum eo in praxi agendum, qui noctu impuritate in somnis sæpe contingente fœdari solet, qui propterea à sacro, & missa celebrāda abstinere multories vellet?

Resp. Suppono quod ut aliqua sit moralis occasio pxima peccati duo requiruntur. Primo, ut uel ex suo genere talis sit, quæ fere semper homines similis cōditionis ad huiusmodi peccatum inducat, vel saltem per experiētiam cognoscatur, quasi semper hunc hominem ad talem lapsum impellere; vnde proxima occasio non censetur, quando ea idonea cautio adhibetur, aut ita res mutatæ sunt, ut peccandi periculum cesset. Secūdum est, ut huiusmodi occasio uoluntaria sit, cum nullum sit peccatum nisi voluntarium; inuoluntaria autem occasio censebitur, quando moraliter uitari non potest, aut quādo grauis causa ad exponēdum se tali periculo urget. *Suarez. de pœnit. tom. 4. d. 32. sect. 2. Reginal. l. 5. nu. 63. & l. 8. num. 19. Sanchez. in sum. l. 1. c. 8. Bonac. de matrim. q. 4. p. 14.*

His positis dico, quod Regularis iste reuera à regula, & rationis, uirtutisque tramite deflexit, cum cōtra castitatis uotū turpitudinis peccato se ipsum contaminauit, & casus reseruati nexu se obstrinxit, explorati namque iuris est, religiosum indictam sibi continentiæ legem uiolare, & mortalem culpam sacrilegij cōtrahere, quoties aliquē luxuriæ actum

excr-

exercet, qui in sexto decalogi præcepto prohibetur, cum omnes luxuriæ species perpetuæ castitatis voto aduersentur.

Porro per lapsum carnis voluntarium opere consummatum, qui in suo religioso ordine ex præscripto Clementis VIII. reseruatur, intelligitur omnis carnalis peccati species, cũ seminis effusione, quocunque modo actu exteriori procurata, siquidem voluntaria pollutio opere consummata est lapsus carnis, & consequenter casus reseruatus, dummodo Superint reseruãs ad lapsum carnis cum socio, siue in tertiam personam rationem nõ habuerit. Ad voluntariam vero pollutionem requiritur, vt per extrinsecam actionẽ consentiente voluntate se deturpet, siue per se ipsum id faciat, proprijs, vel alienis manibus, siue quouis alio modo id procuret, vt mouẽdo se super cubile, vel alia quauis ratione per corporis motum, nam si seminis effusio sequatur, iam erit carnis lapsus voluntarius, & lethale flagitium & grauius, quando opera alterius personæ id succedit, propter participationẽ in alterius peccato, vt per *Caiet. in d. art. 11. & Sayrum, l. c. num. 6. & 7. Molfes. tract. 7. cap. 20. num. 99. & sufficienter, explicaui, in Comment. de cas. reser. p. 3. cap. 6.*

Confessarius, vt hunc regularem virum in salutis viam dirigat, illi ad mentem reducere debet, qđ superius animaduertimus, *tract. 5. cap. 16. q. 100.* Inter maxima certamina, quæ à Cõfessario, & animarũ medico necessario subeunda sunt, præcipuum circa castitatem versari, cum enim in eius explẽdo officio sæpe turpia, & obscœna peccata audire, & interrogare debeat, caro autem ex se sit ad malum propensa, facile concutitur, & oppugnatur, & nisi eius castitas fortis, ac strenua sit, cito succumbet. Et quamuis in omnibus animæ negotijs tractandis, quilibet fidelis prudens sicut serpens, & simplex sicut columba esse debeat, in pudicitia tamen procuranda, idem monitum maioris ponderis, ac momenti esse conspicitur, præsertim in ipso Confessario, siquidem anima instar columbæ pura, ac casta, nisi simul, & serpentis astutia, ac prudentia muniatur, planè ab Infernali serpente decipietur, qui mille artibus, & laruis luxuriæ fœditatem tegit, vt castitas imperceptibiliter sensim lædatur, & destruatur. Proinde Confessarium iusto Loth similem esse oportet, de quo *D. Pet Apostolus, 2. Pet. 2.* ait, quod habitans in Sodomis, ubi tot carnales sordes uidebat, & audiebat: ipse tamẽ aspectu, & auditu iustus erat, adeoque procul à uoluptate aliqua ex his suscipienda aberat, ut ingenti potius afflictione, ac cruciatu ob easdem afficeretur. Eius etiam cõscientia quasi uiscosæ anserum pennæ esse debent, quæ humorẽ non admittunt, nec madescunt, quantumuis immergantur, sed puræ ut prius, siccæque emergũt. Tãta est Dæmonis astutia, ac feritas, ut nisi lux, & cœlestis fauor illũ teptimens adsit, nulla sit humana sapientia, quam non seducat, neque fortitudo, quàm non uincat, nec sanctitas, quam non prosternat; teste *D. Hieronymo in regulis Monach.* Maledictus Leuiethan eũ de hoc uitio aliquos aggreditur, præsertim pios, ac religiosos, qui solent esse cibus eius electus, vultum suum tribus potissimum laruis tegere solet. Primus est titulus religionis, ac prætextus necessitatis, ac pietatis, quo impellit ad conuersandũ cum personis, quæ sanctitatem præseferunt, siue in earum, siue in nostrum commodum, nam illis non aduertẽtibus, spiritualem amorem in carnalem conuertit, rerum piarum, & urgentium obligationes fingit, ut ex necessaria in speciẽ conuersatione, ad profanam transeatur, & pallio necessitatis fœda sensus uoluptas tegatur. Secundus titulus est cognationis, persuadet enim non subesse periculum, ubi ipsa natura ostio uitium occlusit, & cognatio suspicionẽ remouet, ut pugnam securam efficiat: cum tamen agente Diabolo, etiã cum sanguine iunctis scelus perpetratum reperiatur, siquidem aliqñ magis delinquitur, ubi à suspicione delictum põt esse tutum. *c. 1. tit. de cohabit. cler. & mul.* Tertius est quoq; falsæ securitatis prætextus, quasi ob senectutẽ, aut longam castitatis experientiam aut generis nobilitatem, & officij authoritatem, lapsus periculum non subsit, aut similes alias ob causas, quæ sunt apparẽtis uirtutis species sunt, umbram versipellis Behemoth suffulciunt. *Iob. cap. 40.*

Ad hæc omnia incommoda auertenda nullum aliud remedium efficacius Sapiens. *Prouerb. cap. 7.* adinuenit, quàm associari sibi Diuinam sapiẽtiam, & numquam à latere suo ueram prudentiam repellere; hæc est namque, qua Leuiathan laruas remouet, hæc Behemoth vmbras illustrat, & fraudes detegit, à quibus cautissime fugit, quandoquidem in hoc uitiorum genere fugere est uincere, quod *Apostol. 1. ad Corinth. 6.* insinuat dicens, Fugite fornicationem.

Quippe periculum perdendæ pudicitiæ semper à religioso metuendum est, propter innatum impetum, atque ardorem libidinis ex natura corrupta, qui præsente obiecto magis, ac magis exardescens, illud inflammare, atque exurere contendit. Dæmone per eam occasionem vtrimq; tædas, ac malleolos subijciente, proinde vt Alexander Magnus dicere solebat, Nihil tuto in hoste despiciendum. Hæc præcipitia qui salutem amat, caueat; vno leui flatu, aut prolabentis in hoc lubrico vestigij lapsu mors continetur.

Tẽratio carnis nõ pugnãdo, sed fugiendo, vt dixi, vincẽda est; arduum, n. nimis est deuitare telum, quod blãde iacitur; cum teste *Seneca, tract. 8.* Pestis blãda sit luxuria. Et vt aiebat quidam strenuus nostri temporis miles, minus malum est dici, Hic se à bello

bello subtraxit, quàm hic victus iacuit. Siquidem non turpe est fugere, quoties hosti dare locum expedit. Hinc Antigonus Imper. referente Plutarcho *in Apoph.* cum aliquando imminentibus hostibus cederet, se nequaquam fugere, sed vtilitatē, & salutem à tergo sitam quærere dicebat.

Vnde iste Cōfessarius si iam aliàs expertus est, se dum fœminarum confessiones audit, voluntariè pollui, neque emēdationis spem probabiliter concipit, & postquam proprijs, vel alienis precibus se muniuit, cum fragilis sit, subsistere non posse videt, in conscientiæ foro hanc occasionem deserere, & ab hoc munere se abdicare tenetur.

Qui enim adeò debiles sunt, vt hoc votum custodire non possint, apti non sunt, vt Confessarij munere fungantur. Quādoquidem ex Euangelica veritate, Quid prodest homini, si vniuersum mūdum lucretur, animæ vero suę detrimentum patiatur? Et valde vituperandum est, ac improbandum, in apertum discrimen se sponte conijcere, &c. *D.Thomas. quo libr. 3. artic. 9. Caiet. in opus. tom. 1. tract. 22. de pollutione, ex audientia. Confess. quæst. 1. art. 1. & 2. Sanchez. libr. 9. de matrimonio. disput. 45. numer. 6.*

Resipsæ aīa carēres à quib. ad alias quędā trāsit utilitas, sibi primū cōsulentes, satis ostēdunt, quàm cum proprio dispēdio eis prodesse refugerēt. Ventriculus ex chylo prius necessariū alimētum sumit, quàm ad iecur reliquum trāsmittat, & iecur ex sanguine quem elaborat, quàm ipsum per corporis uenas diffundi sinat. *Galen. ad Aphoris. 18. l. 2.* Iubetur homo alijs utilis, & bonus esse, sed ita ut minime sibi perniciosus sit. Hinc Sapiens. *Eccles. cap. 29.* Recupera proximum secūdum uirtutem tuā, & attende tibi, ne incidas. Aliàs Confessarius bene in uirtute firmatus, licite confessiones audit, in quibus aliqua turpia referuntur, & circa illa cogitat, & inquirit, ut alicui spirituali morbo medeatur; & quò prædicta magis sensualem commotionem excitāt, eò maiorem causam ut cohonestētur, requirunt, ut ad uidendas res turpes urgentior causa exigitur, quàm ad eas auribus excipiendas, iuxta illud,

Segnius irritant animum demissa per aurem,
Quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus, &c.

Et cum iste Confessarius sit religiosus, cuius voluntas à Superioris decretis, ac placitis dependet, tenetur hoc impedimentum in genere illi significare, & illi aperire salua religione, & propriæ animæ salute hnic audiendarum confessionum saltem fœminarum muneri incumbere non posse: cui postmodum Antistes pietatis cultor libēter complacere, & morem gerere debet. *D. Basilius. in Constit. monast. c. 8. Pet. ab Ocha. in tr. de sacr. tr. 4. de matrimonio. q. 12.*

Cum salax animal sit passer domesticus, & libidinis titillatione multum pruriat, ideo homines salaces, fragiles, & ad Venerem multum proni, metaphoricè passeres dicuntur, nam non solùm visa fœmina hæc animalcula semen emittūt, verum etiam tantum eius audita voce; quam salacitatem considerans Iulius Cæsar Scaliger passeres hac de causa infames haberi dicebat, &c. vt per *Aldrou. in tract. de auibus. de passere. l. 15.*

Admoneatur ergo hic fragilis sacramenti pœnitentiæ minister, ne sibi cōtingat, quod infirmis natatoribus, qui dum socijs pene submersis, & inter aquas cū morte luctantibus auxilio volūt esse, cum illis submerguntur, & vndarū fluctibus obruuntur.

De eo autem quod secundo loco quærebatur, quomodo scilicet Confessarius cum eo sacerdote, qui eo quod sæpe noctu in somnis impure fœdari solet, à sacris celebrandis abstinet, &c. breuiter nunc dico, Gabrialem *super Canonem missæ. lect. 10.* vnica positione huius quæstionis resolutionem dare, quæ hic sufficiet, Pollutus in somnis absque consensu in vigilijs sequente, vel præuio, dum se non sentit magis hebetem, & per cogitationes ad carnalia reflexum, alijs impedimentis non obstantibus, etiam extra casum necessitatis, aut remouendi scandali, pōt sine peccato, & meritorie celebrare dum deuotio trahit, pietas suadet, & susceptum officiū exigit. Eum sequitur. *Brulefer. in 4. sent. d. 25. quæst. 12. & Lexicon theologicum. in verbo pollutio.* dum sic loquuntur, Nulla pollutio inchoata, & perfecta in somnis, est peccatum mortale, quia nullum peccatū mortale est, nisi sit voluntarium, cum etiam nullus possit peccare mortaliter, nisi habeat vsum liberi arbitrij, quod in somno non accidit. Et ad celebrādum eo modo quo possumus, sufficit qđ non habeat quis conscientiam de peccato mortali, & quod non habeat legitimum impedimentum, vt si quis haberet stomachum oneratum, vel alio modo, & quod talis præparatio non excludat totaliter deuotionem: sed fieri potest, vt pollutus in somno hæc tria habeat, ergo necessario à sacris mysterijs arceri non debet. Et quantum ex Doctoribus colligere licet, ex triplici causa etiam inculpate miseria in somnis contingere potest. Prima est spiritualis extrinseca, cum ad talem effectum, Dæmonis ope dormientis phantasmata ad talem effectum commouentur, Diabolus enim, qui nunquam dormit, sed semper humanam studiose cōtendit impedire salutē, sæpe solet nocturna illusione mētes Dei cultorū perturbare, & scrupulos inijcere, quibus impacatum animū reddit, Secūda est animalis intrinseca, cum ex præcedentibus cogitationibus cōtingit, vt dum interdiù peccata carnis in confessione audiuit, vel per studium lubricis materijs ob bonum finem vacauit. Tertia est intrinseca corporalis, cum seminalis humor in corpore superabundat, & natura per turpia etiam phantasmata superfluum expellit; vt etiam accidit ob renum caliditatem, vel debi-

debilitatē virtutis retentiuæ seminis,& ob nimiam abstinentiam. Addo si postquam ex lumbis excisa est impuritas,estquè in naturali motu, dormiēs expergesieret, non retinendo haud peccat, cum vix impedire possit, nam ipsa quò ad meritum, vel demeritum magis secūdum principium, quàm secundum finem iudicanda est. Et tunc expedit quietis manibus non hic, vel illic tangendo, signo crucis, vel breui oratione, ut Deus in adiutorium meum intende, se munire, ne Deus lapsum in turpem delectationem permittat. *Sanchez. l.9. de matrimonio. d.17. num. 17. Roder. p.1. summa. cap. 210. Henriq. l 8. de euch cap. 51. Azor. p.1. l. 10. cap. 31. quæst. 14. Berard. in summa Car. de euch. num. 65. Bisfeld. de tent. & earum remed. cap. 8. Bonac. de sacr. d. 4. q. 6. p. 2. num. 3. Molfes. tract. 3. cap. 8. num. 56. & tract. 7 cap. 20. num. 103. Filliuc. tom. 4. cap. 8. quæst. 8.*

Hinc *Sot. in 4. sent. d. 12. q. 1 ar. 7.* nō laudat Carthusiensium institutum, qui nocte etiam citra culpam polluti mane non solum non celebrant, sed neque ad gradus Altaris accedunt. Vide quæ de S. Celestino diximus supra *tract. 4. cap. 16. quæst. 150.*

CAP. XXVIII.

QVAESTIO CXIV.

QVOMODO, CVM EO AGENDVM QVI nefandum peccatum exercuit, religionem ingredi statuit, & clericalem statum assumere, ac pœnam relapsus sponte sibi ipsi per votum indictam non soluit; An Episcopus Sacerdotibus, vel alijs clericis in sacris constitutis ob hoc crimen pœnam suspensionis ipso facto incurrēda statuere possit, &c.

GAspar vir profligatę vitæ, & à Deo derelictus in nefandū, ac abominabile scelus, cum duobus fratribus inter se pueris sæpe incidit, & continuato quodam vsu illud cum alijs exercuit, ita vt in Castro vbi habitat, eius delictum omnibus fere notū sit, & ideo ob illud flagitiū apud honestas personas male audiat; qui tū vouit quotiescūque se in illud præcipitaret, se duos aureos Christi pauperibus erogaturū, quam pęnam numquā soluit Nunc ad mentem redactus, tempore Iubilei à Sāctissimo nostro Pontifice indicti, vult omnes animæ suæ sordes generali confessione diluere, & clericalem statum assumere, vel religiosam vitā in Cappucinorū ordine transigere, qui est perfectus pęnitētiæ status de male acta vita Deo pro viribus satisfacere, & ei in sanctitate, & iustitia in posterum deseruire; quæritur, quomodo ei consulere Confessarius debeat. Item cum Mauritius cuiusdā vrbis Episcopus peccatū nefandū sibi reseruauerit, ac simul in synodalibus cōstitutionib. sanxerit, vt clerici in sacris constituti illud perpetrantes sint ipso facto à diuinis suspensi, & à participatione quorumcunq; fructuum communis, vt aiunt, massæ, Claudius sacerdos, & in Cathedrali Ecclesia Capellanus in huiusmodi scelus miserè lapsus est, vnde itidem quæritur, an iste Ordinarius talem suspensionis pęnam statuendo prudenter fecerit, & an iste sacerdos transgressor inculpate possit ei non obtemperare?

Resp. Hoc nefandum crimē, quod tàm cum maribus, quàm cum fęminis committitur, sic dictum est, quod ob sui enormitatem pudico ori loqui nefas sit, & castis auribus audire. *cap. in eo 32. quæst. 4.* Eius fœtor in sola cogitatione animam meam replet, puder illud nominare, charitatis tamen, & animarum zelus contra illud insurgens silere non patitur, vt pudorem vincat necessitas, & veretundiam scribēdi, & docēdi vtilitas superet. Vnde & Regius vates diuini amoris igne animarumque saluris zelo succensus, uehementi ardore in tam nefarij criminis reos paratius inuehēs clamat. *Psal. c. 13.* Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studijs suis, non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum. In quibus uerbis huius scelesti peccati triplicē horrorem exprimit. Primus est horror corruptionis, ibi corrupti. Secundo abominationis, cum ait, & abominabiles, &c. Tertius est horridus fœtor reprobationis, cū subdit, In studijs suis non est, &c. Propter primum Dominus. *Ioannis. cap. 5.* dicit, Surge scilicet à tanta corruptione, ob Secundū ait, Tolle grabatum tuum, idest tàm abominandi flagitij tędam volupratem, eam in piæ pęnitentiæ onus conuertendo. Propter Tertiū, idest horrorem reprobationis subdit, ambula s. per uirtutum itinera, usque in finem perseuerando, ut suse prosequitur. *D. Bernard. Senen p. 2 fer. 6. post primam Dom. Quad ser. 15. & Lopez. in scholijs. ad Diax. cap. 88. D. Ant. p. 2. tit. 5. cap. 4. Farinac. de delict. car. quæst. 148. Mascard. de Prob. volum. 3. concl. 1313. Roder. in summa. p. 1. cap. 219. Quarante. in verbo sodomia.*

Huius delicti grauitas aliqua ex parte ex pęnis innotescit, quæ pro illo à iure infliguntur.

Primo enim pœna ignis punitur, siquidem non debet uiuere homo super terram, qui cum sit homo humano more non uiuit. Propter quod etiam tres Ciuitates Deo ultore cęlesti igne consumptæ sunt, & duæ ob uicinitatem perierunt. *Genes. cap. 19. Alber. de Ros. in v. sodomia.* Solet etiam ab Ordinarijs locorum, & à religiosorum ordinum Prælatis reseruari, si actus sit opere consummatus, ut dixi, *in Comment. de cas. reser. p. 2. cap. 4. casu. 5. sect. 5. & p. 3. cap. 5. casu. 9.* Est etiam crimen mixti fori, ita ut vterque Iudex tàm ecclesiasticus, quàm sæcularis de eo cognoscere possit, &c. *Clarus. in §. sodomia. Zerula. in Praxi. Episcopali. p. 2. v. sodomia.*

Secundo, uxor à uito de hoc uitio tentata ab eo diuer-

diuertere potest. *Menoch.lib.1.de arbit.Iud.cent.3.casu.286. Clar. in praxi crim.quæst.37. & §.sodomia.vbi Baiard. Riccius in praxi matr.decis.237.& in Decis.Cur.Neap.Decis.118.Tusch.in v. sodomit.crim.concl.316. Bursat.cons.58. Sanchez.l.10.de matrimonio.disp.4.Reginald.l.31.num.320. Faris.decis.178.Campan in Diuers.Iu.Can.Rub.11.cap.22.Bonat.de matrimonio.quæst.4.puncto.11. Molf.tract.4.cap.14.num.38.*

Non tamen solus eius conquestus sufficit, quia esset testis in facto proprio, nisi etiã aliquod aliud indicium cõcurrat, vt quod maritus sit solitus, cum alijs hoc facinus ꝑpetrare, &c. vt præfati DD. prosequuntur. Vbi etiam addunt, attentantem de hoc pessimo crimine impune ab attentato, vel sollicitato interfici posse, sicut puellæ propriæ pudicitiæ insultantem occidere concedunt.

Tertio, est ipso iure infamis, & si eius crimen notorium sit, irregularis quoque efficitur. *Sayrus.l.7.de cens.cap.12.num.24.Vgol.de Irregularitate.capit.43.§.2.& alij communiter.*

Quarto, clericus hoc vitium, & scelus exercens, iure veteri deponitur, ac in monasterium detruditur. Iure vero nouo per Cõstitutionem Pij V. omni clericali priuilegio, officio, beneficio, dignitate post sententiam priuatus, è gradu deijcitur, & sæculari brachio traditur. *Nau.cap.27.num.249. Sanchez.l.2.oper.mor.cap.22 num.20. Azor p.3.l.3.cap.19. Auila.de cens.d.4.dub.7.Graff.l.2.decis.c.90.Vgol.& Sayr.l.c. Farinac.de delict.car.quæst.148.nu.36. Bonac.d.quæst.4.p.11. Quar.in summa.Bullarij.in verbo sodomia.*

Quò ad primæ quæstionis resolutionem, & quò ad praxim pœnitentialem, Confessarius Primo aperire pœnitenti debet in casum Episcopo reseruatum incidisse, Ordinarij namque locorum, vt dixi, hoc crimen vt grauissimum ab inferiorum sacerdotum iurisdictione subtrahere solent, si tamen delictum sit consummatum & perfectum, idest facta seminatio in vase obscœno, vel etiam ex multorum sententia si membrum ex partibus pudendis extrahat, & extra vas semen effundat. *Longhus.de cas.reser.reg.p.2.casu.9. Molfes.tom.7.c.20.n.109.* Est etiam probabilis sententia, hunc casum alia ratione reseruatum reddi, quod duobus inter se fratribus abusus sit, licet hoc in praxi non recipiatur. *Zecchius.de cas.reser.cap.15. Azor.p.3.l.3.cap.18. Filliuc.tom.30.cap.5.quæst.10.*

Secũdo illi vidẽdũ est, an hic pœnitẽs ex sola passione, an vero ex hæresi in hoc scelus inciderit, nec enim homo à Deo sic derelinquitur, vt in tàm abominabile peccatum prolabatur, nisi prius in perfidia cordis sui cœperit à Deo per infidelitatem recedere, vt sic sentiat, sicque viuat, quasi non sit Deus. Qua ratione in Aragoniæ Regno hæreticæ prauitatis Censores contra hoc flagitium committentes iudicium exercẽt, vt refert, *Ignatius Lopez.in Schol.ad Diax.d.c.88. Simancas in Cathol. Instit. tit.50.num.30.*

Tertio, delicti grauitatem exagerãdo ad verum animi dolorem, & pœnitentiam inducere debet, ea tamẽ dexteritate, & prudẽtia, ne in desperationem eum conijciat. Siquidem huius criminis rei si in eo inueterati sunt, filij diffidentiæ in iure dicũtur, quia tanta vi infelices eorum animæ rapiuntur, ac constringũtur, vt de propria salute diffidant, & à veniæ consequendæ spe excidant, & difficillime ad Deum reuertantur; cum tamen nemo desperãdus sit dum in hoc corpore constitutus est. *Gloss in c clerici.ext.de excess.Prælat.cap.vt clericorum. de honest.cler.c.ancillam.32.quæst.2 D.Ber.Senen.d serm.15.c.3.*

Quidam iuuenis hoc cœno inquinatus repente Dei vltione correptus, diros clamores edebat, monitus, vt confessione animi sordes elueret, Inferni fores patentes, Dæmonesque ad se rapiendum paratos à se videri asseruit, & eum qui aderant, hortarentur, vt se crucis signo muniret, vultum auertit, & horribiles clamores ingeminans miserrime expirauit. *Thom.Cantip.l.2.Apum.cap.30. Vict.in notis.ad Tol.lib.1.cap.74.*

Quarto, auferat occasiones intrinsecas, quæ ad hoc execrandum delictum inducere possunt, vt superbiã, incõsiderationem extremi iudicij, otium, & delitias. Item extrinsecas, quę in illud facile impellũt, vt cum pueris simul habitare, vel cõuersari, &c. *D.Ant.l.c.*§.1. Mutare locũ faciat, nam cum mutatione loci mutatur mẽtis affectus. *c.mulier.15.q.1.*

Quinto, certiorem illum faciet, irregularitate ex infamia cõtracta impediri, nisi per Papam dispensetur, quominus clericalem statum assumat, per ingressum tamen religionis (ad quam ab ipso Cõfessario suadendus erit) ex vsu & priuilegijs aboleri multi DD. sentiunt, modo illa religio sit à S. Apostolica Sede approbata, & ingressus sit per professionem confirmatus, qua quis fit religionis membrum, & in vnum corpus redigitur. *Reg.l.30.n.18.*

Siquidem vi Iubilei liberali, & munifica manu Domini nostri S. Pontificis concessi, non tribui facultatem irregularitatem tollẽdi, ex claro Bullæ tenore constat, quod visitato more comparatum est.

Ad secundã quæstionem dico Confessariũ, qui facultate in Iubileo delegata vota dispensandi, vel commutandi potitur, posse etiam non solum obligationem voti pœnalis, verum etiam pœnam per fractionem eiusdem voti incursam, ex causa commutare, vel relaxare; nam qui votum nõ pœnale emisit quotidie certam eleemosynam erogandi, potest illius cõmutationem tàm quò ad præterita, quã quò ad futura ab Episcopo, vel ab alio, & si illud fregerit obtinere, vt communis praxis docet, ergo etiam ei integrum est, commutationem, vel relaxationem

voti

voti pœnalis consequi, non solum quò ad futuram obligationem, uerum etiam quò ad pœnam, quam ob voti violationem subijt, cum ad illam solum ex vi ipsius voti teneatur, ita. *Suar. de voto. l. 6. cap. 20. num. 19. & Bonacin. d. leg. d. 4. quæst. 2. p. 7. §. 4. numer. 18. Fillinc. tr. 26 cap. 10. q. 8.* contra *Nau. cons. 23. de voto, & nonnullos alios.* Clari etiam iuris est, omne votum, & omnem pœnam per religionis ingressum tolli, cum rei tracti reus non sit, qui tempo. rale obsequium in perpetuam obseruantiam commutat. *cap. 4. ext. de voto. cap. admonere. 33. quæst. 2.*

Tandem annotandū est pro praxi, ex receptiori sententia, criminis socio asserenti se fuisse de hoc flagirio tentatum, vel muliebria passum, in foro externo fidem non præstari, nec ad torturam indicium facere, nisi alia requisita concurrant, vt quia puer clamare auditus fuerit, solus cum solo in cubiculo sit repertus, sinistra accusati vel imputati fama, &c. Quod etiam in viro erga mulierem locum habet. *Grammaticus. decis. 40. Baiardus. in addit. ad Clarum. in §. sodomia. Farinac. de indic. ex tort. quæst. 43. & de delictis carnis. quæst. 148. & cons. 25. Mascard. de Probat. volum. 3. concl. 1313. Genuensis in Praxi. Cur. Neap. cap. 82. Riccius. p. 2. decis. 39. Molfes. tract. 7. cap. 20. num. 113.* quidquid contra sentire videatur. *Tusch. v. sodomiticū vitiū. concl. 317.*

Ad tertiam quæstionem respōdendo dico, quod licet Episcopus baculo suo pastorali conformis esse debeat, vt blandis verbis deuios trahat, tractos confirmet, & incorrigibiles acribus pœnis corripiat, vt ait Geminianus *in suis synodalibus sermonibus:* & lethaliter præcipue peccet Prælatus, qui circa vitam & honestatem clericorum, & morum reformationem non inuigilat, vt colligitur ex *Clem. 1. de vita. & honest. cler. & Conc. Trid. cap. 1. sess. 22. de refor.* Nihilominus Zelus quo in corrigendis delinquentibus armatus esse debet, secundum scientiam adhibendus est, vt faciat quæ iuste ex prudentiæ, & discretionis præscripto agenda sunt; si enim talis suspensio ab Episcopo lara valeret, causa foret vt sacerdos ille à diuinis abstinendo, & fructus communis massæ non percipiendo, si non verbo, saltem facto se ipsum proderet, cōtra illud, D. Chrysostomi monitum, Non dico tibi, vt te prodas, neque apud alium te accuses, sed obedire te oportet Prophetæ dicenti, Reuela apud Deum viam tuam. *cap. quis aliqū. §. non dico tibi. de pœn. d. 1. vbi Nau. hoc notat.*

Hinc namque etiam fit, vt Sacerdos, & Cōfessarius, pro occulto peccato quantumuis graui manifestam pœnitentiam iniungere nequeat, ne ex ea in delicti notitiam deueniri possit. Quare cum hic Episcopus hanc pœnam ipso facto incurrēdam statuere non valuerit, fit vt ille sacerdos aliàs ob tàm nefarium flagitium sacerdotio indignus, nō abstinendo à diuinis, & distributiones, ac fructus communis massæ percipiendo, noui peccati reus non fiat, nec irregularitatem contrahat, siquidē sic obediendo, infamiam subiret, quod naturali iuri repugnat; sufficere debet casum criminis nefandi esse reseruatum, & ab inferiorū Confessariorum iurisdictione eius absolutionē esse subtractam, & à superiori Iudice petendā esse: in quo postmodū absoluendo Pœnitētiarius, quæ paulo superius indicauimus, & quæ in *Comment. de cas. reser. p. 2. cap. 4.* aperuimus obseruare debebit.

Admonēdus aūt erit Eps ab eo, qui ei à cōfessionibus adest, vt in posterum cautius, prudentius, & maturius, quæ sui muneris sunt agat, ne eius authoritas vilescat, si ab eo gesta, vel decreta retractāda, vel reuocanda sint, vt aduertit. *Castrens. l. 1. consil. 404. & Tusch. v. Episcopalis. authoritas concl. 235.* atque hanc quæstionem sic in terminis sic resoluit. *Grassius. consil. 8. tit. de pœnit. & remiss.*

QVÆSTIO CXV.

QVOMODO AGENDVM, CVM EO QVI cum Bellua, & Dæmone congressum habuit.

Quintilianus in omnem insanam libidinem præceps, & in omnes vetitas fœdasque voluptates effusus, in mentis cæcitatem, & insaniam raptus, cum equa, quam domi habebat, turpissime se commiscuit, in quo scelere, cum per multos annos insorduisset, quotannis in Paschate à suo Parocho absolutus fuit, eo quod cum à suo Episcopo facultatem absoluendi à vitio nefando obtinuisset, ab hoc etiam liberandi licentiam sibi competere putabat. Postmodum cum immodico cuiusdam mulieris amore flagraret, quam cum nec prece, nec pretio, nec vi, doloue potiri liceret, vltima experiri statuit. Conciliatum igitur magicis cantionibus Dæmonem rogitat, vt se voti compotem faciat, ad omnia se paratum descendere ostendens, si eo quod expeteret, frueretur. Proinde Diaboli iussu à Christo defecit, seque totum illi tradidit, conceptis ab illo verbis, & chirographo suam obstringens fidem (vsque eo impuras mentes voluptaris amor excæcat.) Sequēti nocte Dæmon ad iniquitatis opera aerium corpus assumens, sub specie illius mulieris ei apparuit, & se vt succubus illi supposuit, ac bestialitatis flagitium perpetratum est, siquidem cum Dæmone concubitum ad eam reuocant Doctores? Quæritur, quid in praxi agendum est à Confessario?

Resp. Suppono inter plagas quibus humanū genus est affectum, concupiscentiam præcipuè connumerari, quæ post amissam originalem iustitiam soluta contra spiritum assidue pugnat. Qui quidem affectus quātum imperium in rationē acceperit, &

contra

contra quàm debiles sint vires aduersus [illegible] tum huius indomitę feræ, plurimorum vita [illegible], qui tàm immenso turpissimarum voluptatum [illegible] ndio flagrant, vt pene ad insaniam redigantur [illegible] tantur nouę, & inauditæ libidinum inuétiones, quibus hominũ quorundã concupiscentia bestiarum cupiditates superat, &c. *Cambrec. de stud. perfect. l. 1. c. 18.*

Quocirca non absre apud Euripidẽ Veneri Hecuba exprobat, quod amentiæ sit Dea, teste *Arist. l. 2. Rhet. cap. 24.* Qua ratione Phidias Veneris statuam, quam ipse ex ebore & auro confecerat, ita efformauit, vt altero pede testudinem solã inter animantia sine corde premẽtem exprimeret, iudicans illos excordes, & sine intellectu efficere, quos suo igne incendit, vt merito etiam. *Homer. in odyss. 4. & Plutarch. in Grill.* homines libidine in bruta quodammodo transformari doceant.

De bestialitate, quod malitiæ grauitate sodomiam, vel nefandum crimen superet, ratio ipsa naturalis, & conscientiæ dictamen, quod ne quidem in improbissimis hominibus penitus extinguitur, satis superque vnicuique testificatur; certe cum sodomiam in se perinde includat, ac adulterium fornicationem, differentiam lethaliter aggrauantem, super addendo, grauissimæ iniquitatis, ac malitiæ censenda est, quam sacra pagina indicauit, cum in illius detestationem statuit, non modo illius perpetratorem, sed etiam bestiam, cum qua perpetrata fuerit, morte delendam esse. *Leuit. cap. 18. & c. 20. Roland. l. 1. cons. 7. Boer. decis. 316. Clarus. in praxi, crim. in v. fornicatio. vers. cum animali, Tol. l. 5. cap. 13. Reginald. l. 22. num. 51. Turrecrem. in c. mulier. 15. q. 1. Tholos. l. 35. c. 14.* Falsum tamen videtur bestialitatem reseruatam censeri in ijs locis, in quibus sodomia reseruatur, eo quod illa hac grauior sit. Siquidem reseruatio, cum odiosa sit, secundum verborũ proprietatẽ accipiẽda est, &c. *Bonac. de matr. q. 4. p. 12.* cõtra *Suar. in v. sodomia, & alios.* Vide tñ à nobis dicta in *Cõment. de cas. res. p. 2. c. 4.*

Verum cuius speciei fuerit bestia, cum qua tàm nefandum scelus commissum est, non est necesse Confessariũ inquirere, quia inde non variatur peccati species, nisi forte, vt in casu nostro, bestia infernalis fuerit; seu Dęmon incubus, aut succubus, quia cum tunc species mutetur, coniunctam habet pacti cum Dæmone malitiam necessario aperiendam in cõfessione, de qua Confessarius interrogare dẽt, vt sic remediũ adhibere possit, & noscat, an absoluendi facultate potiatur, vel ad violatæ fidei censores mittere debeat, &c. vt in pręsenti casu cum d. Quintiliano facere debet. Aduertunt etiam DD. quod si Dæmon sub belluæ, aut hominis specie, cum muliere congrediatur, & in eius vas humanum semen ab aliquo viro exceptum transfundat, si ex tali copula fœmina prolem gignat, fœtus ipse illius esse dicitur, à quo semen decisum est. Item & si concubitus cum Dęmone eiusdem sit speciei, cum semper idem motiuum formale nẽpe suppositum alterius speciei interueniat; ex affectu tamen ad fęminam, vel virum potest esse fornicatio, vel sodomia, vel incestus, &c. *Caiet. cõmuniter receptus. 22. quæst. 154. art. 11. ad 3. Graff. l. 2. decis. cap. 89. Mart. Delrius. l. 2. disq. mag. quæst. 15. & l. 6. cap. 2. quæst. 3. Perer. cap. 6. in Genesim. Comit. l. 4. respons. mor. quæst. 18. Vict. in notis ad Tol. l. 5. c. 13. Filliuc. tr. 30. c. 8. q. 11.*

Quò ad cõfessionem, & absolutionem, obseruet Confessarius, quò ad primam partem casus.

Primo, quod vt supra aduerti, non est necessario exprimenda circunstantia belluæ, cum qua est habita copula, cum specie non differant.

Secundo, cum conijcit pœnitentem pudore victum cunctabundũ huiusmodi carnis obscœnitates subticere velle, animum ei subinde addere debere, humanũ & mitem se exhibẽdo, atq; ostẽdendo nimiam erubescentiã esse atrocissimũ animę hostem, nec peccata dimitti, nisi in confessione detegantur, & verecundiam deuictam esse maximam satisfactionis partem. *cap. quem pœnitet. de pœnit. dist. 1.*

Quod maxime circa rusticos obseruãndum erit; qui cum in hoc flagitij genere delinquere soleant, rustico etiam pudore detenti illud non fatentur. De quorum moribus, & ingenijs loquens Marcellus Donatus *in suis in Ælium Lampridium Comment.* Rustici, inquit, animalia sunt media inter bruta, & homines, plus rationis expertes, quàm rationis capaces, quod norunt illi, qui malo suo genio acti, cum illis conuersari coguntur, hæc ille. Verũ nimis acris est eius insectatio, cũ in his sicut & in alijs statib. boni, & mali reperiant. Hinc Euripides,

Mortalium res si cunctas examines,
Inuenies in plerisque turpitudinem.

Et vt dicere solebat Architas, Quemadmodum si summã diligentiam etiam adhibeas, tamen piscem sine spinis non inuenies, sic neque hominem, qui non dolosum, fraudulentũ, spinosumque quiddam habeat admixtum. *Mascardus. de Probat. volum. 2. concl. 1315.* Atq; huc spectat illud regij vatis. *Psal. 115.* Omnis homo mendax, quod non peculiariter intelligendum videtur de mẽdacio falsitatis, quod ab ore egreditur, verũ generalius de vanitatis mendacio, quod in humana vita & conuersatione reperitur, quæ enim virtutis sunt paucissimi, vitia vero vel malitiam pene omnes sectantur, vt ibi Titelmannus exponit.

Tertio præmittẽdum est, bestialitatẽ solere esse casum Epis reseruatũ, & cum grauissimũ sit crimen, omni conatu Confessariũ niti debere, vt à pęnitẽtis aĩa radicitus euellatur, & sibi cauẽdũ, ne sine facultate ab illo absoluat, aut absq; remedijs dimittat.

Quarto, quando in casibus ab Episcopo reserua-

 tis

tis actus sodomiticus reseruatus inuenitur, tantum de sodomia intelligitur, quam canonica iura nefandum crimen appellant.

Quando autem vitium contra naturam reseruatum repetitur, tàm sodomiam, quàm bestialitatem comdrehendere dicitur. *Berardue. in summa Corona. p. 1. c. 2. de circunstantijs peccatorum. n. 16. Sayr. in cl. reg. l. 8. cap. 5. num. 20.* Sed cum in casu occurrenti dubium sit, quę nam sit Episcopi mens, ad eum pro interptetatione recurrendum est. Interim bona tàm absoluentis quàm absoluti fides eos securos, & tutos reddit.

Quinto, iterum labendi occasiones esse amputandas, vt .s. illud animal pœnitens, si dominus est, à se abdicet; necenim sufficit hirundines expellere, nisi nidus destruatur, vt sæpius admonuimus.

Sexto, quia bestiale scelus admisit, iniungat ut belluarum more per aliquot dies nihil igne coctum comedat, cibum absq; manuum ministerio sumat, & sola aqua sitim extinguat, vt scripsi *in Comment. de cas. reser. p. 2. cap. 4. casu. 5. sect. 6.*

Quomodo porro ad secundam partem casus de congressu cum Dæmone Cōfessarius se gerere debeat, uide supra *tract. 7. cap. 5. quæst. 18.*

QVAESTIO CXVI.

QVID, ET QVOMODO CVM CONIVGIbus agendum, qui naturali quidem, sed indebito modo se coniungunt, & an alter sine alterius coniugis licentia habitum ex voto mutare possit?

MArcellus uir coniugatus uolēs legitimę uxori suæ copulari, quò se excitet, uel maioris voluptatis captandæ gratia, copulam cum ea sodomiticam inchoat, non animo consummandi, nisi intra legitimum uas, nec cum periculo extra illud effundendi. Item secundo præpostere ad illam accedit vase debito utendo, corrupta tamen intentione, uel illicitum cōgressum cogitando, & aliquando ipsi uxori succumbit, &c. Tertio, dum uir cum uxore rem habet, sacras Reliquias ad collum apensas defert. Quarto, ubi maritus iam seminauit, & à coniugali congressu discessit, fęmina quò & ipsa seminet, se tactibus prouocat.

Tandem cum uárijs Confessariorum obiurgationibus pudefactus hæc uitia à se abiecerit, & ad meliorem frugem redactus fuerit, sine coniugis suę consensu habitum mutauit, & uestibus ordinis. D. Francisci se ex uoto induit; qui quidē habitus cum horrorem quendam generet, ac subinde obligationi debito modo reddendi debitum quodammodo officiat, uotum illud irritauit. Quæritur quomodo Confessarius se cum his gerere debeat?

Resp. Hic uir inhonestas, & castas coniugij leges absque dubio peccat, cum enim matrimonium sanctum sit sacramentum, & bonum beatificum, sanctè ēt & debita intentione, ac rōne tractandum à coniugatis est, nam nulla actio pōt esse cum uirtute coniuncta, nisi recta per se fit, & rectè exerceatur. Hinc *Alciat. emb. 192.*

Maxima debetur thalamo reuerentia; coniux
Alternum debet coniugi & obsequium.

Proinde cauere debent, ne in suis dictis, uel factis honestatis, & uerecundiæ fines transiliant, sed coram Deo, & Angelis se stare meminerint, ne eis obijciatur, quod Angelus Raphael Tobiæ dixit, Hi qui coniugium ita suscipiunt, ut Deum à se, & à sua mente excludant, & suæ libidini ita uacent, sicut equus, & mulus quibus non est intellectus, habet potestatē Dæmoniū super eos. *Conc. Trid. sess. 24. de mat. c. 10. Conin. d. 34. d. 1. Tob. c. 6. vbi. Iustin.*

Vnde quò ad primam partem aperire ei debet Confessarius, semper culpam admisisse mortalem sodomiæ inchoatæ, tùm quia utrique uase indebito urūtur, à quò natura ipsa abhorret, tùm quia ipsi coniuges possunt alia uia minus turpi se ad copulā præparare. Quod si uir superficie duntaxat præposteri uasis sua uerenda refricaret, cessante omni pollutionis periculo, à mortali peccato excusari possent. Sic contra *Nau. ecens. 7. de pænit. & remiss. tenet. Sanchez. l. 9. de matrimonio. disp. 17. num. 4. & Bonac. quæst. 4. puncto. 11. & alij.*

Quò uero ad secūdæ quæstionis partem eis manifestare debet, naturalem copulam indebito modo factam, ut retro accedendo, sed in naturali uase vxori succumbendo, sedendo, stando, &c. mortiferam noxam æterna dannatione dignam secum inuoluere quoties tāta inordinatio interuenit, ut sequi non possit generatio, prolis namque finis deluderetur, ad quem ipsa copula instituta est, & ad quem semen à natura ordinatum est. Quia tamen generationem in prædictis casibus raro admodum accidit impediri, cū matrix per attractionis modū semen recipiat, raro ēt dicēdum est lethalē culpam in prædicta coniūctione cōtingere, nisi aliqua praua intentione seu cogitatione afficiatur, uel aliqua alia adsit circūstātia, quæ mortalē malitiā adijciat, à qua hic Marcellus, vt supponitur nō est immunis.

Proinde grauiter alio nomine à Confessario arguēdi sūt hi coniuges, vt pote brutis aīalibus peiores, & turpiores, qui in hmōi actibus naturalē modum seruāt; nisi aliqua necessitas ipsos coniugatos excuset, vt quia vir sit circa virilia fractus, vel ob pinguedinē, nisi retro (naturaliter tamen) accedat, non possit cum vxore congredi, vel illa sit grauida, nec aliter cognosci queat. Posset etiam à Cōfessario in congressu maritali variatio situs tolerari, modo in debito vase semen fundatur, si hoc fiat ut maritus, ab alicuo thoro retrahatur; nam iuxta vetus axio-

axioma, De duobus malis minus est eligendũ. Quò allusit qui dixit,

Ferre minora volo, ne grauiora feram.

l. quoties nihil ff. de reg. Iu. cap. 1. dist. 13. Ex qua positione inferunt plerique DD. cõfitentem situm extraordinarium maioris voluptatis captandæ gratia adhibitum, legitimo uase seruato, non esse necessario interrogãdũ de seminis effusione, an extra vas euenerit nec ne, vel expertus ne sit illius periculum, siquidem hæc non frequenter, sed rarissime accidunt, &c. *Graffius. l. 2. decis. cap.* 82. *num.* 17: *Nau. cap.* 16. *num.* 42. *Azor. p.* 3. *l.* 3. *cap.* 21. *Henriq. l.* 11. *de matrimonio. cap.* 16. *num.* 6. *Coninch. d. sput.* 34. *dub.* 9. *num.* 8. *Reginald l.* 31. *num.* 335. *Sãchez. l.* 9. *disp.* 16. *num.* 3. *Bonac. quæst.* 4. *p.* 13. *Molfes. tr.* 4. *cap.* 12. *num.* 61.

Ad tertiam quæstionẽ dico, quod licet cum uxore congredi, reliquias in collo gestando, nonnulla irreuerentia contra earum cultum committatur, non tamen notabilem deformitatem necessario confitendã continet. Cuius non mediocre signum est Doctores de sexto præcepto eiusq; circũstantijs necessario aperiendis agentes, hanc prætermisisse. Quamuis Cõfessarij partes sint pœnitentes admonere, ut cum coniugalis actus exercendus est eas à collo deponant, nec quippiam contra honorem eis debitum admittant; merito enim. *D. Damascenus. lib.* 4. *de Orth. fide. cap.* 1. Sanctorum Reliquias fontes salutiferos vocat; ex quibus si religiose colantur, & tractetur, plurima ad nos beneficia manant. *Azor. p.* 1. *l.* 9. *cap.* 8 *quæst.* 6. *Sanchez. l.* 2. *de præcept. cap.* 40. *num.* 28. *Bonac. de legibus. d.* 3. *quæst.* 1. *p.* 4. *num.* 8. *Io. Baptista. Signius. de reliq. & vener. sanct. capit.* 43.

Ad quartam quęstionem dico, quod (& si aliqui repugnent) si vir postquam seminauit, ante vxoris seminationem se retraxit, integrum est vxori se donec seminet tactibus excitare, quia Primo graui alioqui afflictione vexaretur, si libidine excitara ita remanere cogeretur, vt experiẽtia rerum magistra manifestum fit. Secundo, eo quod idem actus reputetur, cum ea quæ incontinenter fiunt censeantur inesse, & illi tactus ad cõplerum coniugalem actum ordinantur, qui in vtrusque seminatione consistit: Et quamuis vxoris semen ad generationem necessariũ non sit, est tamen valde vtile, cum ad formandum pulchriorẽ fœtum adiuuet. Tertio, sicut coniugi se ad copulam pręparare licet, ita etiam actum copulę perficere: quamuis hoc in viro nõ procedat, qui postquã fęmina se retraxit tactib. se polluit, &c. *Sanchez. l.* 4. *de matrimonio. d.* 14. *num.* 12. *Bonacin. de matrimonio. quæst.* 4. *p.* 6. *num.* 15. *Lessius. in noua edit. l.* 4. *cap.* 3. *dub.* 14. *Filliuc. tr.* 10. *p.* 1. *cap.* 9. *q.* 9. qui probabilem esse sententiam, aiunt & rem hanc esse potius in sinu Doctorum seruandam, quàm passim aperiendam, sicut in alijs particularibus casibus in hac lubrica materia contingere solet.

Ad quintam quæstionem dico, coniugem alterius coniugis votum, habitum scilicet tertij Ordinis D. Francisci assumendi irritare posse, quod debito coniugali honeste, & moderate reddendo aliquo modo obstet, quia neuter sui corporis potestatem, quò ad illud debitum persoluendum habet, ex *Sanchez. l.* 9. *de matrimonio. d.* 3. *num.* 9. *Laur. Guadag. in Thesaur. doct. Chr. in* 2. *præcept. decal. tit. de voto.* Vt omittam etiam plerumque votum quarundam vestium habitum induendi, vt albas in honorem B. M. V. vel cinericium ob D. Francisci memoriam & huiusmodi, indifferens & vanum esse, nisi tales colores ex alio bono fine cohonestarentur, vt quia per albedinem vouens puritatem B. Mariæ Virginis imitari conaretur, & per leucophæum D. Francisci mortificationem per vitæ asperitatem exprimere studeret. *Caiet. v. votum. cap.* 2. *Azor. p.* 1. *l.* 11. *cap.* 14. *quæst.* 5. Idem *Sanchez. l.* 4. *de præcept. cap.* 7. *num.* 11. *Molfes. tract.* 11. *cap.* 15. *num.* 30.

Et hæc sufficiãt quò ad magis principales interrogationes, & casus, qui in articulis circa sextũ præceptum decalogi fingi, & pro Examinatorum prudentia ex subiecta materia formari possunt, nam quæ ad decimum mandatum spectant, & interna peccata respiciunt, iam initio capitis dixi ad sextum hoc præceptum à Confessario referri posse.

ARTICVLI, ET QVÆSTIONES ALIquæ super septimum præceptum Decalogi. Cap. XXIX.

QVÆSTIO CXVII.

QVID CONFESSARIVS PRACTICE interrogare debeat circa septimum Decalogi præceptum, & quid in illo contineatur, &c.

QVid Confessarius interrogare debet circa septimum decalogi præceptum, & quid in illo cõtinetur, & quomodo in praxi se gerere debet?

Resp. Hactenus excussimus præcipuos articulos circa præcepta, quę ad bonorum corporis tùm proprij, tùm alieni conseruationem spectabant; nunc alij articuli super cætera præcepta superadduntur, quibus externa bona contra aliorum iniurias muniantur. Neque. n. satis uisum est Deo Optimo Maximo hoc septimo præcepto furtum externo opere perpetratum cauisse, sed in decimo quoque internam de furando cupiditatẽ prohibet. Ex quo diuinæ legis supra humanas leges puritas, & excellẽtia dignoscitur, cum hæ de internis actibus minime iudicent. Actus uero interior peculiari mandato in furto, & adulterio prohibeatur, quod in his tantum duobus obiecta boni speciem præseferunt, in furto

quidem boni utilis, in adulterio delectabilis, quæ animum palliciunt, ac demulcent.

In cæteris autē nulla immediate boni hmôi se species objicit, quin potius homicidium v.g. & falsitas ex se inuisa, & odibilia sunt, & tantum in gratiam alterius per accidens, ut ob vindictam, iram, auaritiam, & ob alias affectiones appetuntur.

Propterea Confessarij, ut Catechismus Romanus admonet, debent hunc locum callere, & Parochi urgere assidue, ac diligenter huius præcepti vim, & sententiam explicare, ob duas præcipue causas à Tridentinis Patribus consideratas.

Prima pp SS. Patrum, & christianæ disciplinæ magistrorū exemplum, ueterem enim ecclesiæ morem fuisse, ut huius præcepti uis, & ratio auditoribus inculcaretur, indicat illa apud Apostolum objurgatio eorum, qui cæteros ab hoc uitio maxime deterrerent, quibus ipsi cumulati reperiebātur, qui enim, inquit ad *Rom.2.* alios doces, te ipsum nō doces, & qui prædicas non furandum, furaris?

Secūda propter doctrinæ utilitatem, nam huius doctrinæ bono, & frequens illorum, & horum temporum furti peccatum corrigitur, & rixæ, ac lites sedantur; aliæque similes malorum causæ, quæ furto commoueri solent, &c. Si namque unusquisque suo contentus esset, omnium iurgiorū materia amputaretur; at ubi est meum, & tuum frigidum illud verbum, ibi quidquid est malorū in uitam nostram inuehitur, innumeraque gignuntur bella. *l. fin. C finium regund. D. Chrysost. in orat. de S. Philog. Catechis. Rom. super hoc præcepto. sect.* 1. Sane bonorum distributiones iam inde ab initio iure gētium constitutæ, diuinis, humanisq; legibus obfirmatæ sunt, quare illas ratas esse oportet, & unusquisque nisi humanam societatem tollere uelit, eā tantum tenere debet, quæ sibi iure obtigerunt: qui enim secus faciunt, dum suo malo desiderio extrinsecus furātur, Dei iudicio intrinsecus expoliātur, & animam tanta sterilitate percutiunt, vt nihil amplius producat, qđ in horreū mentis reponāt. Et quidē ut loquitur, *D. Chrysost hom.9. in 1. ad Corinth.* 4. Fures intrinsecus Dæmones sunt, extrinsecus crudeles feræ, & feris sæuiores. Quare nō mirum si, ut aliàs aduerti, D. Augustinus *l.2. conf. c.4. & 6.* adeo furtū sit abominatus, ut in minima quantitate à se puero commissum eriam adultus ubertim desleuerit. *Iustin. in Tob. cap.2. vers.19. doc.2.* Et teste Tholosano *l.37. synt. iu. c.*1. Furtū maius, & grauissimū peccatorum dempto adulterio existimabat idem Chrysostomus, Vlpianus *in l. probrum. ff. de verb. sig* Furtum & adulteriū natura turpia tradit. Plinius *l.11. c.16.* refert natura apes etiam fures, & mulierum menses odisse, & ideo ferunt iuram furtiuam tantum fertilius prouenire, & apes furtiuas pessime.

Cæterum quia huius pręcepti vis latissime patet, ita ut in eo nedum de iniusta rei alienę acceptione, sed ēt de retentione agatur, ideo super tria capita interrogationes institui possunt. Primo Confessarius interrogare poterit de furto tàm sæcularium, quàm ecclesiasticorum, rapina, sacrilegio, & re inuenta. Secundo, de iniustitia, cōtractibus usurarijs, simonia, ludo, &c. Tertio, de rei alienę iusto uel iniusto titulo detentione, piorum legatorum debito, decimarum, ac primitiarum soluendarum obligatione; atque in his decimum præceptum, & auaritiæ peccatū comprehēdet. De qua re superius diximus, quò recurrēdum est. De contractibus uero, & restitutione in genere inferius suo loco laconico stylo more nostro agemus, utiliores quæstiones, & casus, tàm Examinatoribus quàm Confessarijs ad suum munus obeundum necessarios, excerpendo.

QVAESTIO CXVIII.

AN LEGATA IN TESTAMENTO MINVS solemni relicta debeantur, & propria authoritate possit quis ea vendicare, & an res furtiua præscribi possint, &c.

BArnabas, cum ei à Francisco amicitia, & cognatione sibi coniuncto, ducentum aurei, & vnus equus in testamento minus solemni, cui nempe unus testis de septem à iure requisitis deerat, relicti essent, nec in iudicio illa legata uendicare posset, clam illa surripuit, & postmodū ipsum equum Andreæ uendidit; lata est subinde ad eius querelā excōicatio ab Ordinario loci contra fures, detentores, & scientes huiusmodi furtum admissum, & non reuelantes, &c. Item cum par boūū furto ablatorum bona fide emisset, & 4. annorum spatio possedisset, postmodū eos furtiuos esse deprehendit, & domini hæredibus restituere renuit, eo quod cuiusdam I.C. consilio eos præscripsisse asserat. Accedit ad confessionem, & prædicta narrat, quæritur quid ei Confessarius consulere debeat?

PRAENOTIONES, ET SVPPOSITA.

REspondetur supponendo ante omnia, furti nomen deduci à furuo, seu fusco, eo quod clam, obscuro & nocturno tempore fiat: nam qui male agit, odit lucem. *§. furtum. in Tit. de obligat. quæ ex delict. nasc. l.1. ff. de furtis. vbi DD.*

Vnde & nox à nocendo dicitur, quia eo potissimum tempore aduersarij officere soleant, cum tenebræ ad delinquēdum inuitent, & nox furtorum, & aliorum scelerum secretaria dicatur (sicut sol, & lux eorundem index appellatur) iuxta illud,

Nocte vagatur adulter,

Vt iugulent homines, surgunt de nocte latrones.

Pro-

Propterea ad furtum occasio sæpe improbum inuitat, vt cum aliquid incustoditum videt surripiat: nam & Cicero Verris furta vehementer exaggerat, quod ad tantam impudentiam deuenisset, vt non per præstigia, sed palam per potestatem, suo imperio ostiatim tota oppida cōpilaret, cum cęteri Prætores improbi auertere aliquid de publico clam solerent, & aliquid de priuato nonnumquam occulte auferrent. *Farinac. de furtis. quæst.* 155. *num.* 8. *Bonifac. de furtis.* §. *de inuito. num.* a 5. *Maiorag. l.* 1. *in Rhet. Arist. Pold. Rip. de actis temp. noct. cap.* 2.

Secundo, furtum esse contrectationem rei alienæ, mobilis, fraudulenta, inuito Domino, lucri faciendi gratia, siue ipsius rei, vel vsus, possessionis ue. Quod lege naturali, diuina, atque humana prohibitum est admittere: ēt si legamus olim apud Lacedæmonios furtum non in vitio, sed in laude fuisse, si tamen clanculum, & astute factum fuisset; nec fures in ipso furto deprehenderētur. Hinc adolescentulus cum vulpeculam subtractam sub tunica celasset, & eius latus vsq; ad viscera hæc bestiola corrosisset, ac de hoc postmodum argueretur, non aliter, respondit, erat faciendum, moriendum enim erat potius in doloribus, quàm in manifesto furto deprehendi, vt refert. *Plut. in Lacon. apophteg. & Fab. Inst. super Tob. cap.* 2. *vers.* 19. *Tholos. in syntag. Iu. l.* 37. *c.* 1. Quò fit, vt in christianis legibus furtum ex se licitū fieri non possit, quamuis alienæ rei vsus licitus aliquando ex consuetudine introduci queat, vt v.g. quod in alienis pratis animalia pascātur, &c. *Nau. de lege pœnal. nu.* 38. *&* 40. *Nald. in v. furtum. num.* 1. *Ioseph. Ludou. Decis.* 1.

Quod quidem furtum à rapina per hoc differt, quod furtum, vt dixi, clam & absque violentia perpetratur, ignorante domino, rapina vero palam, & violēter, conscio dn̄o rem suā sibi auferri; vt proinde furtum, & rapina in sōne iniutiæ specie differāt.

Tertio, notandū furtū ꝑ varietate rerū, quę auferuntur adhuc aliter diuidi, vt dicatur sacrilegium, qñ rei sacræ fit furtum; si homo seruus vel liber abducatur plagiatus; si aliquid de grege surripiatur abigeatus; si quid de publico ærario tollatur peculatus nominetur. De quo postremo furti genere loquens aliquando D. Gregorius Nazianzenus dicebat, plures ex his, qui præsunt, ex publicis facultatibus Briarei manibus rapere. Atque huc respexit Alciatus cum scripsit. *Emb.* 148.

Exprimit humentes quas iam madefecerat ante
Spongiolas cupidi Principis arcta manus,
Prouehit ad summum fures quos deinde coercet,
Vertat vt in fiscum quæ male parta suum.

In quibus furti speciebus ex circunstantijs variæ etiam sunt peccatorum genera notabilem furto simplici turpitudinem adijcientia, & proinde in confessione à pœnitentibus aperiendæ.

Quarto, furtum ex suo genere esse mortale peccatum, charitati, & iustitiæ contrarium. Qđ etiam ex multis criminibus patet, quæ furtum cōsequi solent, fiunt enim iudicia temere & inconsulto, multa de multis inde erumpunt odia, inimicitiæ suscitantur, & interdum acerbissimæ innocentium hominum damnationes succrescunt. Postremo id ex necessitate ostenditur, quæ diuinitus est omnibus imposita satisfaciēdi ei, cui aliquid ademptum est. Non enim remittitur peccatum nisi restituatur ablatum. *c. peccatum. de reg. Iu. in* 6. *Baronius. tom.* 12. *anno.* 1168. *Daur. tom.* 2. *cap.* 3. *tit.* 114. *exemp.* 16. *Tusch. v. restitutio. concl.* 303. Quæ tamen restitutio difficillima, & rarissima est, quod *Abacuch. Propheta. cap.* 2. his verbis ostendit, Væ ei, qui multiplicat non sua, & aggrauat contra se densum lutum. Appellat densum lutum rerum alienarum possessionem, vnde emergere, & expedire se homines difficillime possunt. *Catechis. Rom.* 7. *præcepto Carbo. de restit. quæst.* 41. Qua ratione D. Ludouicus Galliæ Rex furtum pessimum, & pene inter vitia supremum esse dicebat, rogatus autem causam, quia inquiebat, res ablatas iusto domino restituere ita molestum est, vt verbum ipsum dum profertur os & linguam exulceret.

Quando vero furtum est de re minima, venialem tantum culpam secum inuoluit, nisi animi intentio sit multum surripiendi si posset, aut inueniret; aut nisi modica res sublata magna causa damni, aut ingentis scandali occasio foret, & huiusmodi.

Porro quantitas rei, quæ ad constituendam materiam peccati mortalis sufficit, arbitrio prudentis viri varijs perpensis circunstantijs metienda est.

Quamuis dari etiam possit aliqua pecuniæ quātitas, quæ absque vlla habita ratione personæ sit mortalis, vt furtum trium aureorum in Principe, vel Magnate; In cōmunibus personis, quatuor vel quimque Iuliorum: in pauperibus duorū Iuliorum.

Adeo autem boni, ac sancti viri furtum abominati sunt, vt inter alios. *D. Aug. l.* 2. *confess. cap.* 4. vt supra prælibaui, furtum in minima quantitate à se puero commissum etiam adultus fleuerit. Qua forte ratione nonnulli DD. asserere falsò tamen ausi sunt, furtum in quacunque quantitate etiam modica, modo ex malitia, & cupiditate rei alienæ fiat, semper lethalē esse culpam. Nam & *Plato.* 12. *de legibus.* ait, quod qui rem paruam sustulit, & si minori vi, quàm qui rem magnam, æqua tamen cupiditate & iniquitate furatus est, &c. *Salon. Arrag. & alq. in* 22. *q.* 66. *ar.* 6. *Canonistæ. in c.* 1. *ext. de furtis. Syl. & aly. summularij. in v. furtū. Nau. in Man. cap.* 17. *num.* 4. *Tolet. l.* 5. *cap.* 16. *Sayrus. in cl. regul. l.* 9. *cap.* 15. *num.* 12. *Azor. p.* 3. *lib.* 5. *cap.* 13. *quæst.* 2. *Graffius. l.* 2. *Decis. cap.* 93. *num.* 27. *Pet. Nau. de restitut. l.* 3. *cap.* 1. *num.* 39. *Reginald. l.* 22. *num.* 19.

Mald.tract.4. cap.1.dub.3. Bonac. de cont.d.2.q.8. p.1.Lessius.l.2.cap.12.num.29. Longus.de cas.reser. p.2.cap.8. Miranda.in Man.Prælat. regul.tom.1.q. 28.artic.17.Zanard.in Direct.theol.p.3.cap.11.Rebell.p.1.de oblig.iust.l.3. quæst.15.

Huic aũt furtivitio potissimũ dediti sunt rustici, vt ait. *Mascar.vol.1.de Probat.q.8.n.25.& Bonif.in tract.de furtis.§.mobilis.num.3.* vt propterea.*Cato.lib.de re rustica.cap.2.* scriptum reliquerit, Villici officia esse, Disciplina bona vti, ferias seruare,& ab alieno manũ abstinere, & Poetę fabulati sint, Agricolam quẽdam aliena subtrahentem, in formicam à Dijs tuisse cõuersum, Et ideo *Horat.sat.1.l.1.* formicæ furum naturam tribuit dicens,

Ore trahit quodcunque potest, atque addit aceruo.

Et si fatendum sit, ob penuriam, & necessitatem à peccato eos excusari. Necessitas enim non modo legi non subiacet, sed ipsa sibi legem facit. *Abb. & aly.in cap.3.de furtis.Tiraq.de retract.§.26.nu.16. Mant.de coniect.vlt.volunt.l.8.tit.5.nu.10.Tusch. verbo.necessitas.concl.19.*

CASVS ET QVAESTIONIS RESOLVTIO.

HIs præiactis, Respondetur, Barnabam nec charitatem, nec iustitiam læsisse, cum sibi in testamẽto minus solemni relicta surripuit, si seruatis debitis conditionibus, compensatione vsus est, & vt vulgo dicitur, iustitiam sibi proprijs manibus administrauit; cum apud Doctores exploratum sit, ex tali testamento, cui aliqua solemnitas ab humano iure requisita deest, naturalem obligationem oriri, quæ in foro conscientiæ obliget, ac proinde licite retineri, quod ex eo siue titulo hæreditatis, siue legati possidetur. *l. inutiliter. C.de fideicomm. Mol.de iustitia.tom.1. disp.81. Sayr.l.3. clauis reg.c. 7.num.8. Less.l.2.cap.19.dub.3.num.14. Reginald.l. 25.n.105.Surd.l. 2.Decis.Decis.346.n.25. Ala.de adu.christ.p.1.quæst.66. Molfes.tract.9.c.7.n.61.*

Cæterum ad iustam compensationem hæc conditiones requiruntur, Primo, vt debitum ex iustitia & non ex sola charitate, vel gratitudine descendat. Secundo, vt sit liquidum & certum saltem ex parte accipientis. Tertio, vt non plus accipiatur, quàm sibi ex iustitiæ legibus debetur, nã ratione excessus furtum esset, cum restituendi obligatione. Quarto, vt iuris ordine seruato, & etiam extra iudicium debitum illud sine graui iactura recuperari non possit. Quinto, vt compensans sibi caueat, ne inde aliquid scandali, aut damni alteri sequatur. Sexto, vt idem caueat, ne alter à quo accipitur, vel hæredes ipsius denuo restituere compellantur, vel etiam vltro restituant putantes se ad id teneri.

Quibus conditionibus concurrentibus, cum excusatione à peccato, datur etiam immunitas ab excommunicatione lata in tales res retinentes, scientes, &c. ita vt illa non ligentur, cum iniustam acceptionẽ præsupponat, quę restitutione resarciẽda sit. *Reginald.l.23.n.7. Lazar.de Monit.sect.2.quæst.8. Bonac.de cens.d.2. quæst.6.puncto.1. num.25. & de contract.d.1.quæst.vltim.p.2.§.2.Barthol.à S. Fausto.disp.2.quæst.33.& dixi infra cap.31.quæst.115.*

Addo etiam publicam potestatem sine peccato furti vel rapinæ, seruato iuris ordine, posse aliquid capere: sicut etiam in iusto bello ad suum recuperandum fieri solet. Infideles autem qui christianorum bona retinẽt, vt Turcæ, per vim etiã illis publica potestate priuari possunt. At priuata authoritate rem propriam ab alio auferre per vim non licet, nisi incontinenter, dũ sibi à raptore auferretur. Quod si aliter recuperare non posset nisi per vim, hoc liceret, secluso tamen scandalo, & cessante spe, quod per Iudicem id cõsequi posset. *Pet.Nau.l.3.rerum. ablat.cap.1.numer.410. Filliuc.tract.3. cap.10.q.9. Farinac. de furtis.quæst.175.*

Verum in foro externo, si per Iudicem hæredibus ab intestato ipse Barnabas restituere cogeretur, ratione scandali uitandi, quod accepit nempe 200.aureos, & pretium equi venditi, restituere deberet, cum iudiciũ in inuitũ reddatur. Sicut etiam in eodẽ foro cum Iudex ex eius implorato officio, vel per generalẽ inquisitionẽ procedit, bonæ famæ & fidei emptorẽ cogere põt, vt doceat à quo rẽ aliquã furtiuã emerit. *Clar.in §.furtũ.* Et licet legatario pro consecutione legati tres competãt actiones, nempe personalis, descendens ex testamento, & aditione hæreditatis, per quam se obligare censetur ad adimplendum quidquid defunctus iure debet. Secunda hypothecaria, qua donec legatũ soluatur, omnia bona testatoris sibi obligata, & vt aiunt, hypothecata habet. Tertia rei vendicatio ob dominium rei legatæ, quod recta via à die mortis testatoris in legatarium transiuit; & si, inquã, legatarius his actionibus muniatur, non tamen propria authoritate in foro externo legatum capere potest, sed de manu hæredis sumere tenetur, aliàs in commissum caderet, vt per *Farinacium.de furtis.quæst. 175 num.316.& Molfes.tract.13.cap.5.num.116.*

Ad illam porro quæstionem respondendo, qua quærebatur, an Barnabas illud par bonum quos post exactum quatuor annorum spatium furtiuos esse cognouit, domino restituere teneatur, dico resolutiue, reiecto illius I.C. falso consilio, restitutioni eum obnoxiũ esse, nam res furtiuę, & vi possessæ, nempe quæ furto acquisitæ sunt, vel per vim possidentur, præscribi prohibentur, cum in his lex vsucapionem inhibeat, non solum in fure, & iniusto possessore, sed etiam in quocunque alio, qui bona fide ab ipso fure emerit. Quod de præscriptione longi temporis ordinarij, vt triennij, decennij, aut viginti anno-

annotum intelligitur, fecus autem effet de præfcriptione, quæ longiffimi temporis, v.g. 30. vel pluriũ annorum fpatio perficitur. Vnde falfa deprehenditur fententia Soti dicentis. *l.4.de iuftitia. quæft.5. art.4.* hæredem latronis, & eum qui rem furtiuam ab eodem fure emit; poffe tempore Ordinario vfu capere; Iuribus enim, & communi DD. fententiæ repugnat; Hinc *Syl.in verbo.præfcriptio.2.quæft.12. & Lopez p.1.Inftruct.confc.cap.130. Sayr.l.9.clau. reg.cap.12.num.6.& alij.* inferunt, eum qui Breuiarium a fure emit, quod 29. annis bona fide poffedit fi mala fides fuperueniat, domino reftituere teneri, quia res furtiua nõ nifi 30. annorum curriculo præfcribi poteft. Vbi obferuandum eft à Confeffario, in hac materia non ius ciuile, fed Canonicas leges attendendas effe, quæ dum adeft mala fides, perfcriptionem ẽt per mille annos non admittũt. *Molf. tr.12.c.3.n.252.et alij cõiter.* Vide *inf.tr.10.c.3.q.6.*

QVÆSTIO CXIX.

NVM ALIQVID DE MANIBVS CLERICI per vim extrahens peccet peccato rapinæ, an excommunicatione afficiatur, & an fi illud alicui donet, donatarius reftituere teneatur, &c.

MIchael Clericus minoribus ordinibus initiatus Danieli Subdiacono duos nummos au reos, & quẽdam librum, quos manibus tenebat, per vim in eius domo furripuit, quem (nũmis apud fe retentis) Petro amico, & focio dono dedit, quæritur, an furti, vel potius rapinæ peccato deliquerit, an in aliquam cenfuram inciderit, & an Petrus ipfum furtiuum librum Michaeli, vel potius Danieli reftituere teneatur?

Refp. Rapinæ crimen admififfe, vt proinde rapiens non fatisfaciat, confitendo, fe rem proximi furatum effe, fed explicare debet circunftantiã mutantem fpeciem, nempe per vim fuftuliffe, nam ad rationem rapinæ vis illata perfonæ, ac animus eam inferendi requiritur; vnde fi quis noctu domum alterius ingrediatur animo accipiendi iniufte quidquid in ea inuenerit, paratus vim inferre, etiam fi neminẽ intus reperiat, qui refiftere poffit, rapinam, non furtum, neceffario in confeffione exprimẽdam committere dicitur. *Tufch.v.rapina.concl.3. Fauft. de reftitut.tit.de furto.d.2.quæft.6. Arrag.& Salon. 22.quæft.66.art.4.* Infuper in excõmunicationem. *cap. fi quis fuadente Diabolo.17.quæft.4.* incidiffe, cum per ipfam ablationem iniurius in clericum fuerit, & violentam manum intulerit. *Sayr. de cenf.l.3. cap.26.num.15. Bonac.d.2.quæft.4.par.1. num.14. Graffius l.2. Decif.cap.49. num. 12.*

Tertio dico, tem domino reftituere debere, vt eft communis DD. fententia. Licet fecus dicẽdum foret, fi ipfe Petrus illam bona fide emiffet, cum probabilius fit fcribentium placitum, poffe ei à quò accepit reddere, vt fuum pretium recuperet. *Nau.cap. 27.num.9. Beia.p.1.cap.63. Fernandes.p.1.fumma. cap.18.§.1. Salon.& Arrag.22.quæft.62.art.6. Val. difp.5.quæft.6.puncto.4. Pet.* Nau.*l.3.cap.4 de reft. p.3.dub.4.num.195. Lazar.de Monit.fect.4. quæft. 3. Nald.in ver.alienum, & verbo.emere,* & alibi pro fubiecta materia tetigimus.

QVAESTIO CXX.

NVNQVID EMENS À DEFRAVDANTE gabellas peccet, & reftituere teneatur, & quid fi mentiatur res quas defert effe fuas, &c.

LVcas Clericus beneficio donatus, cum Cæfare fratre fuo feculari in eadem paterna domo cohabitans, & indiuiduam vitæ cõfuetudinem ducens, pro eo illiufque familiæ vfu, quafdam fericas merces emit à mercatore, quem debitum vectigal defraudare nouit, quæritur an furti peccarum admiferit, & reftituendi obligationem contraxerit; & an idem cenfendũ fit fi vt morem gerat, & tem gratam faciat Petronio amico fuo laico eius merces in vrbem portat mentiendo, & dicendo fuas effe, in mente intelligẽdo iuxta fenfum illius triti adagij, Amicorum omnia funt communia?

Refp. Suppofito triplici illo clericorum priuilegio, fcilicet fori, canonis, & immunitatis rerum, de quò infra *tract.11.cap.4.quæft.4.* Præfuppofita etiam illa communi affertione, fubditos iuftas gabellas, feu vectigalia foluere teneri, nam cum Princeps caput fit reipub. debeatque eius commoditati, ac neceffitati cõfulere, atque in promptu ea media habere, quibus fuo tempore id faciat; hęc autem inter cætera pecuniæ fint, futuræ neceffitatis fideiuffores, patet penes illum ius effe vectigalia, vel tributa colligendi; fiquidem tefte *Tacito.l.4.* Nec quies gentium fine armis, nec arma fine ftipendijs, nec ftipendia fine tributis effe poffunt. In quibus fane illa cautio adhibenda eft, ne grauia, aut intolerabilia fint, & vt æqualiter imponantur; vt pro rebus ad proprium vfum delatis, nifi ex magna caufa, & neceffitate, & ab hominibus excẽptis nempe ecclefiafticis non exigantur. *Bonac.de contract.d.2. quæft.9. Fauft.de reft.d.33. Fillinc.tract.28.cap.7. Molfef. tract.12.cap.22.* contra *Duard.in Bulla Cænæ Domini.l.2.can.5.q.12.* qui vna cum *Ang.Nau.& Beia.* fentit, gabellas etiam etiam iuftas, & his fupradictis conditionibus veftitas, citra culpam fraudari poffe, fi eas eludentibus pœna conftituatur.

Hoc fuppofito, dico Primo, Lucam nõ peccaffe, nec ad vllam reftitutionem vectigalis conductoribus faciendam teneri, etiam fi venditor ipfe non fatisfaciat, modo ad huiufmodi dolum, & fraudem com-

committendam cooperatus non fuerit, siquidem onus soluendi gabellam emptori non imponitur, sed venditori, qui res vehit, & venales proponit, cui emptor in ea defraudatione ab illo emendo cooperati non cēsetur, quia subinde vtitur iure, quod habet sibi & familiæ de necessarijs mercibus apud venales proponentem prouidendi, ac de pecunijs mutuo accipiendis apud vsurarium paratum cum fœnore dare. Quæ assertio multo magis procederet, si pro suo tātum vsu, vel eius familiæ merces emeret, ac aduheheret, nam nec publicanis exigentibus soluere tenetur, quandoquidē clerici omnes incedentes in habitu, & tonsura, & de mandato Episcopi alicui ecclesiæ, vel pio loco inseruientes, quò ad res quas pro suo vsu, & familiæ non ad negotiandum emunt, ab omnibus vectigalibus, & tributis immunes sunt, ita vt lex, vel consuetudo in contrarium, vt pote contra ecclesiasticam libertatem, irrita sit, &c. Cōmunior tñ videtur esse opinio. & in praxi alicubi recepta, qđ si Clericus simul cum laico bona patrimonialia à seculari tributo exempta possideret, quod pro parte sua tantum esset immunis, sed laici pro sua portione vectigal soluere tenerērur; nam cum Clericus pro cōmuni, & indiuiso cum fratribus laicis manet, ipsi sola hac immunitate gaudent, vt milites, & alios officiales hospitio recipere non cogantur. *Molfes. de contr. tr. 2. cap. 22. n. 166.* Quò ad primam partem casus videatur. *Pet. Nau. l. 3. cap. 1. num. 269. Lessius. l. 2. cap. 33. dub. 9. Reginald. l. 10. num. 303. Malderus. tract. 5. cap. 6. dubit. 15. Bonac. de cont. disp. 2. quæst. 9. p. 1. num. 10. Nald. verbo emere. n. 13. Riccius. resol. 187. Faustus. q. 38.* Pro secunda late prosequens. *Garzias. p. 2. de benef. cap. 3. Vasquez. in opus. de restit. cap. 6. §. 1. dubit. 2. Duard in Comment. in Bulla Cœna Domini. l. 2. can. 18. quæst. 4. & seq. idem. Bonac. l. c p. 2. Lud. Carbo. in tr. de restit. quæst. 33. Quaranta. in v. vectigalia.* De eo autem quod tertio loco quæritur, an Lucas peccauerit, & iustitiam læserit, dicendo, res quas deferebat, esse suas intelligendo in mente sua iuxta sensum illius prouerbij, Amicorum omnia sunt cōmunia, de quo apud *Manut. in Adagijs. v. Amicorum communia, & Eucrard in top. leg. in loco à primo ad vltimum.* dico Lucam huiusmodi mendacium officiosum amico, perniciosū publicanis, proferēdo, tùm charitatis lethaliter in re graui peccando, tùm iustitiæ leges violasse, ac proinde restitutionis obligationem subijsse, vt per *Roland. à Valle. tom. 3. consil. 79. num. 99. Tusch. verbo gabella. concl. 12. num. 18. Farinac. de furtis. quæst. 172. num. 30.*

Quippe probo viro cauendum, ne amici gratia quidquam honesto, rationi, æquitati, & christianis legibus faciat: stomachus probe affectus imitandus, qui cibos salutares admittit, noxios respuit. Prima amicitiæ lex est, ait Cicero, vt neque rogemus res turpes, neq; faciamus rogati. O improbam priuatorum necessitudinem, hostem iustitiæ, & rebus publicis exitialem. Qui turpe aliquid ab amico petit, hoc ipso de eo male sentit, & iniuria cum afficit, indicans turpitudine, & iniustitia delectari, neque enim aliàs postularet, sicut nec à Catone probatissimo viro, ad quem Cicero, O te fortunatum Marce Cato, à quò rem improbā petere nemo audet. Cum Publicani iustam interrogandi causam haberent, an res quas in vrbē ex alienis locis Lucas deferebat essent vectigalis, vel gabellæ solutioni subiectæ, ei fas nō fuit mentiri amphibologicis verbis vtendo, iuxta à nobis tradita. *tract. 7. c. 9. q. 44. & nouissime. à Bonac. de leg. d. 4. quæst. 1. puncto. 12. & Fausto. d. 33. quæst. 29.*

CAP. XXX.

QVAESTIO CXXI.

QVOMODO AGENDVM CVM FILIO FAmilias aliquid de bonis patris surripiente, & quomodo cum vxore ex bonis mariti subtrahente, &c.

IOannes filius familias quandam pecuniæ quantitatem patri surripuit, tùm vt quædam ad vestitum spectantia emeret, tùm etiam vt in ludis, & commessationibus insumeret. Item Aurelia vxorata solet de bonis communibus clam quædam interuertere, vendere, & in pecuniā redigere, partim, vt nonnulla in familiæ regimine necessaria comparet, partim etiam vt in eleemosynas pro communi totius domus spirituali bono eroget, &c. Quæritur quomodo in his casibus se gerere debeat Confessarius?

SVPPOSITA, ET PRAENOTIONES.

REspōdetur supponēdo Primo, quadruplex peculij genus filijs familias competere posse, scilicet castrense, quod in militia, vel eius occasione partum est, vt stipendia militum, & aliorum, qui castra sequuntur, vel quod in obsequio Principis, aula, seu curia regia acquiritur, &c. Peculium quasi castrense est quod conflatur ex bonis acquisitis per officiū aduocati, medici, tabellionis, aut per professionem vnius ex septē artibus liberalibus, aut scientiæ superioris. Ad quod illud reuocatur quod clericus ex officio, vel beneficio ecclesiastico sibi comparat, ac quod à patre filio ad ordines sacros suscipiēdos pro patrimonio assignatur, vel quod filiæ in dotem datur. Et de vtroq; hoc peculio filius familias pubes libere disponit. Aduētium est, quod ex bonis acquiritur, quæ filius sua industria, vel iure hæreditario,

ditario, à matre, vel consanguineis, aut amicis, aut quibuscunque alijs sibi adiungit; Et hoc quò ad vsum fructum, & administrationē ad patrem pertinet, nisi qui res filio familias reliquit, conditionem appposuisset, vt etiam vsus fructus eidem filio acquiratur.

Profectitiū est illud, quod filius causa, & intuitu patris adipiscitur, vel quod ex paternis bonis, sine proprio labore, & industria consequitur, v.g. si prędium à patre sibi datum ad partem augmenti alteri locet, aut pecuniam mercatori ad lucrū det: tunc quæ sic proueniunt, profectitia sunt, & ad patrem tàm quò ad proprietatem, quàm ad vsumfructum spectant. *Lessius.l.2.cap.4.dub.3.Sayrus.l.9.cl.reg. cap.16.num.15.Mascar.de Probat.concl.1158.Filliuc.tract.31.cap.4.Azor.p.2.lib.2.cap.22.Oinot.& Iasin §.actiones.Instit.de act.Molf.tr.12.c.2.n.25.* Vbi autem non constaret quomodo, & cum qua pecunia filius lucratus fuisset, quid de lucris ipsis sit agendum, videndus est. *Roland.l.2.consf.90.& l.3.consf.54.Menoch.l.4.consf.364.& de præsumpt.l.3.præsupt.50.*

Secundo supponendum à nobis est, tria esse coniugum bona, quædam propria viri, vt paterna, & quæ ex sua sola industria sibi acquirit, vel aliàs non collaborando, vel non concurrente vxore sibi parit. Quædam propria vxoris, vt paraphernalia, successiones hæreditariæ, legata, vel præter dotē donata. Quædam denique sunt vtrique cōmunia, quę constante matrimonio ab vtroq; coniuge suas explentes partes, & in ferēdis oneribus matrimonij cooperādo operaq; rei domesticę adiuuādo acquisita sūt.

Hinc cum vxor diuinæ, atque humanæ domus sit socia. *l.4.C.de crim.expil.hæredit.* viro in communi societate operari debet, & quidquid acquirit, in dubio ex bonis viri acquisiuisse præsumitur, vt per *Boer.Decis.81. Graffiū.consf.2.de furtis.*

RESOLVTIO CASVS ET QVAESTIONIS.

HIs sic suppositis dico, Primo Ioannē filiumfamilias, qui ex bonis quorum possessionē & vsumfructū hēt pater subtraxit, peccasse mortaliter peccato furti, & cum iustitiā quoq; læserit, ad restitutionem teneri; de bonis namque aduentitijs, & profectitijs non potest nisi secūdum permissionem patris disponere, qđ regulariter boni viri arbitrio remittitur, qualitate personarum, & patrimonij viribus perpēsis; proinde si eo inuito aliquid notabile accepit, ex bonis castrensibus, vel quasi castrēsibus, si habet, restituere eum oportet, si illis caret, debebit in hæreditatis diuisione, quod surripuit in partem suam computare (nam vt ait. *Ang.in §.igitur.Instit. per quas personas.nob.acq.* graue, ac luctuosum reputatetur si id quod vnus suis laboribus, & industria, prosperaque fortuna lucratus est, alteri non laboranti nec acquirenti, imò consumenti concedere deberet) nisi forte constet alios fratres tantundem expendisse, vel patrem cōdonasse, vel verosimiliter condonaturum si ipse filius petijsset, &c. tunc enim non circa acceptionis substantiam, sed circa illum occulte accipiendi modum inuitus censetur, vt de famulorum furtis dixi sup. *tr.7.c.15.q.69.* Et dixi supra aliquid notabile, &c. non modo .n. notabilis summa ex regulis aliorum furtorum metienda est, sed ex propria materia, attentis omnibus circūstantijs; vnde tres aurei parenti diuiti sublati materia grauis respectu filij non cēsetur, siqu idem pater vsque ad talem summam inuitus esse nō solet. Idemque de furto vxoris dicēdum est, debet namq; esse maior summa ad mortale peccatū constituēdum, quā sit in alijs furtis. Si vero parētibus ignorātibus in exigua quātitate aliquid surripuerit, furtū multo minus committeret, quia parētes tales acceptiones permittere probabiliter iudicantur. Similiter si pater sit crudelis, & tenax, & cum possit, in necessarijs deficiat, tunc integrum est filio tentatis prius facilioribus vijs, clam sibi necessaria absque furti reatu parare. In quo ne tanquam in propria causa inique iudicet, par esset prudentis Cōfessarij iudicio, & consilio vti. Vnde & inferunt. DD. ex hoc capite lethalis furti reum filium non fieri, si aliquid moderatum in comessationes, ludos, eleemosynas, honestam recreationem, iuxta status cōditionem expendat, cum pater non admodum inuitus censeatur, &c. *Bonac.de cont.d.2.quæst.10.p.1.num.5. Molfes.tract.11.c.21.num.70.Filliuc.tr.32.c.10.n.261.*

Addo filiosfamilias furāte vna cum socio paterna bona, si excommunicatio contra non reuelantes feratur, cum verisimile sit patrem filium nolle excommunicatione ligari, ipse quidem ab ea immunis erit, non sic autem socius prædictus, in quo non eadem militat ratio. Vbi tamen filius de furto à patre remissionem obtineat, socios quoq; & cōplices à restitutione liberat, vt puta familiarem, qui sciens tet filio ad talem furtum perpetrandum opem tulit. *Vgol.de officio.Episcopi.par.2.cap.45.§.5.Nald. v.filius.num.3.Lazar.de monit.sect.3.quæst.8.*

Secundo dico, vxores de communibus bonis notabilem quantitatem sine virorum expressa, vel tacita licentia accipere, & distrahere non posse, & si aliter fecerint, à culpa mortali, & à vinculo excōicationis (si feratur) nō excusabuntur, siquidē cōstante matrimonio administrationem non vxores, sed viri habent: vnde si vxor bonis paraphernalibus, vel extra dotem gauderet, similem summam viro suo compensare teneretur, dummodo consuetudo, aut specialis Prouinciæ, vel Ciuitatis lex huic rei non repugnet, vt esse illa cēsetur, quæ in quibusdam locis fert, vt omnia mulieris mobilia bona sint vtriq;

com-

communia, ex quo sequitur, vt nulla parapherna-lia habeat, de quibus pro arbitrio disponere possit, vt ait. *Syl. in v. Paraphernã.* & *Reg. l. 4. n. 275.* Procedit vero supra firmata assertio, Primo nisi vxor à qua maritus ad onera matrimonij sustinenda sufficiẽtem dotẽ accepit, lucretur per artẽ quã nouit, vt puta texendi, aut faciẽdi, aut acu pingẽdi, alienos pueros lactãdi, vendẽdi, aut emẽdi, aut alia similia, debitam tñ domus curam, & administrationẽ non deserẽdo. Idem dici potest quando vir pro suis expensis certam quantitatem vxori assignauit, sed ipsa parce viuendo, defraudans genium, totum non cõsumit, nam qđ relíquũ est, distrahere ac dispo-nere pôt. Eadẽ ratio militat, cum vir incidit in amentiam, vel abest, & vxor domũ regit, & huiusmodi.

Secũdo, quãdo saltem non adest prẽsumpta viri licentia, quæ quidem cẽsetur esse habita ratione ad mutuum amorẽ, loci cõsuetudinem, rerum affluentiam, & rerum ipsarum de quibus disponit conditionem. Sicut etiam nõ peccant saltẽ grauiter, nec restituere tenentur ancillæ, erogantes pauperibus minuta, ex tacito dominorum consensu. Et etiam pauperes mulieres sibi ipsis victum quærere non valentes, & mendicare erubescentes, quę aliqua ab his surripiunt, de quibus probabiliter credũt, quod rogati darent, licet existimẽt nolle clam accipi; vnde & absolui possunt, licet abstinendi propositum non habeant, &c. vt per *Nau. cons. 1. & 2. tit. de furtis. Sayrus. Decis. 1. & 2.*

Tertio, nisi ea expendat in vtilitatẽ ẽt viri, cum v. g. solitas, & moderatas eleemosynas impendit, nam ubi est consuetudo ut nuptæ tales dent, ẽt viris prohibentibus, ex multorum sentẽtia, eas erogare possunt, nam excessum tantum vetare censentur; & nisi marito cũcta per ludum, uel luxum abligurienti bona subtrahat, uel si de bonis mariti accipiat, ut domus, uel familiæ necessitatibus ipso non prouidẽte succurrat. Sicut uxor in casu cõfiscationis bonorũ mariti, necessaria suppellectilia abscondere pôt, nec ob monitoriales literas reuelare tenetur, vt per *Io. Bap. Corrad. quæst. 215. & Lazar. sect. 3. de monit. quæst. 10. Faustum. de furto. d. 2. q. 22.*

Quarto, ni bona illa capiat, ut extraneis extremè, uel quasi extremè egentibus subueniat, multo magis, ut patris, uel matris, uel filiorum primi matrimonij, aut fratris, uel sororis necessitatibus tàm vitæ, quàm status occurrat, cum huiusmodi personis alimenta præstare, dummodo possimus, iure teneamur, si tamẽ uiri familia æquali necessitate non prematur, cum tunc potior debeat esse domini possidentis conditio.

Quinto, modo ne uxor de bonis cõmunibus accipiat pro restitutione male ablatorũ à marito, ad quam eum aliter inducere non potuit; nam sicut vxor necessaria ad salutem corporis viri sui prouidere tenetur, etiam si inuitus sit, & ægre ferat, ita multo magis quæ ad salutem animæ spectant.

Atque idem statuendum est de uiro quando de vxoris bonis, uel cõibus aliquid notabile clam subtrahit. Est ẽt apud oẽs in cõfesso, vt sup. dixi, maiorem quantitatẽ requiri ad constituendũ peccatum mortale furti filiorum, uxorum, & maritorum, quàm in extraneorum furtis sufficiat. *Reginal. l. 20. c. 2. n. 27. Molina. to. 1. tr. 2. d. 242. & tom. 2. de cont. d. 274. Sayrus. l. 9. cl. reg. cap. 16. Lessius. l. 2. cap. 12. dub. 14. Pet. Nau. lib. 3. de restit. cap. 1. num. 164. Roder. p. 1. cap. 15. & capit. 92. Molfes tom. 11. cap. 21. num. 67. & 81. Salon. & Arrag. 22. quæst. 66. art. 3. Bonac. de cont. d. 2. quæst. 10. p. 1. & 2. Nald. in verbo vxor. & in ver. furtum. Filliuc. tract. 32. cap. 10.*

QVAESTIO CXXII.

VTRVM VOTIVAM PAVPERTATEM violet religiosus, si volentẽ ei donare eum roget, vt extraneo, vel suo consanguineo det, & an ex eleemosyna sibi data possit pios, ac spirituales libellos emere vt pœnitentibus donet, &c.

PAulus Sacerdos in insigni religione professus. Andreã suum pœnitẽtem uolẽtem sibi duos aureos, & quędã comestibilia donare, absq; sui Superioris licentia rogat, ut potius det cuidã suo consanguineo, quod re ipsa præstitit. Item ex quadam pecuniarum quãtitate ad dimidium aurei nummi ascendente, quam ex audiendarum confessionum munere lucratus est, quosdam spirituales libellos emit, & duabus mulieribus suis pœnitentibus, & sibi deuotis inscio suo superiore largitus est, quæritur, an lethaliter furti peccato deliquerit, uotũ paupertatis uiolauerit, in casum quartum, & quintum, in sua religione reseruatum, qui est proprietas, & furtum de rebus monasterij quod sit peccatum mortale, lapsus fuerit, & in pœnas Constitutionis Clementis VIII. *Incip. religiosæ congregationes* incide-rit? Et quomodo ei consuler debeat Confessarius?

SVPPOSITA ET PRAENOTIONES.

REsp. suppono Primo paupertatis uotum à religioso in professione emissum in hoc consistere, ut nihil proprium, ac per modum dominij indepẽdenter à uoluntate Superioris possideat, & affectum ẽt sic possidẽdi à se abdicet; per illud enim votũ religiosus pollicetur, se neque habiturum, nec recepturum liberam facultatẽ circa rem aliquam, neque etiam usurpaturum inconsulto Superiore quasi dominum. Ex quo patet illud uiolari, si aliquid absque expressa, uel interpretatiua Præfecti facultate sibi ascribat, si aliquid occultet, ne ipse

Præ-

Præses accipiat, si extraneis donet, & in facultatibus monasterij damnum inferat, furetur, &c.

Ac quidem si res esset notabilis, adeo graue peccatum id esset, ut qui in illo moriens deprehensus sit iubeatur in sterquilinio cum ea sepeliri. *cap. cum ad monasterium. ext. de stat. monach.* Si vero res parui esset momẽti, venialis esset culpa, da qua D. Dorotheus ait, Stultitiæ quoddam genus est, res valde ptiosas reliquisse, & nimiũ postea affectũ in paruis rebus collocare; qui etiã Dositeum discipulũ suum nimium ad cultrum quo panẽ scindebat affectum, sic præstrinxit; Vis seruus esse huius cultri, an Christi? huiusmodi enim affectus insignis tepiditatis in Christi amore indicium est. *Lud. de Ponte. tom. 3. de perfect. tr. 6. c. 6. Nigron. de Cur. minim. p. 2. arg. 8.* Et horum omnium fundamentalis est ratio, quia rem independẽter à volũtate alterius quasi dñs religiosus vsurparet. Si tñ Superior tenax, & austerus subdito necessaria denegaret, sibi fas esset de monasterij bonis, vel aliunde etiam eo inuito prouidere, cum actum dominij non exerceat, sed iure naturæ vtatur. *Bonac. l. c. puncto. 3. Gratianus. de disciplina regul. cap. 10. §. 2. Thomas. à Iesu de stat. monach. p. 4. cap. 10. dubit. 2. Megalus. 12. par. Instit. confess. l. 2. cap. 27. quæst. 3. num. 66. & Val. tom. 3. d. 10. q. 4. p. 3. Faustus. de furto. d. 2. quæst. 23. Sanchez. l. 7. de præcept. cap. 20.*

Secũdo notandũ, religiosum professum strictiori subiectione cõstringi quã filiusfamilias, minori vero quàm seruus, quia licet per obediẽtiæ votũ suorum Prælatorum arbitrio se addixerit, aliqua tamen libertate potitur, quæ in hoc consistit, quod Prælatorũ imperium ciuile, politicum, & spirituale sit, & ad subditorum commodum, & vtilitatem referatur; Dominorum vero in seruos regimen dispoticum sit, potestatem in eos tanquam in suam possessionem exercens, eorum operas in propriam vtilitatem conuertens, &c. Vnde *Rebell. de Iustitia. p. 1. l. 3. quæst. 15. sect. 3. & Sanchez. l. 7. de præcep. cap. 20. num. 3.* censent, quantitatem furti vel proprietatis ad lethalem culpam constituendã pensandam esse iuxta quantitatem requisitam ad furtum mortale filiorum, quia non sunt Prælati credẽdi magis inuiti quò ad rem clam à religiosis acceptã, quàm parentes carnales circa filios suos, cum non minus sed magis subditos diligere debeant. In hoc tamen inter alia seruilis cum religioso statu cõuenit, quod sicut ille quidquid propria industria, & labore acquirit, Domino acquirit, ita iste monasterio comparat, ac adipiscitur, vt proinde monasterium succedendi capax in omnia bona professi succedat; religiosus enim per solemnem professionem tàm se, quàm sua omnia monasterio dedicat, ita vt omnis eius opera suo ordini debita sit, &c. Qua ratione sub Prælatorum suorum obedientia se ipsum frangens, & sub eorũ manu se humilians in æterna gloria Sanctorum Martirum choro coniungendus est, vt habetur in reuel. *S. Geltrudæ. l. 4. cap. 57. & late prosequitur. Plat. l. 2. de bono stat relig. c. 12. & annotat. Molfes. tract. 1. cap. 11. n. 57.* Atque quò ad firmatam resolutionem sic sentit *Sot. l. 4. de Iustitia, & Iu. quæst. 2. art. 2. Abb. in c. fin. ext. de regul. Reginald. l. 4. num. 272. Euerardus. in top. legali. in loco à seruo ad monachum. Beia. p. 2. casu. 32. & alij.*

RESOLVTIO CASVS ET QVAESTIONVM.

His sic suppositis, dico Paulum qui sine Superioris licentia volentem sibi donare rogat, vt potius suo consanguineo impendat, votum paupertatis non frangere, nec Clementis VIII. Constitutionem violare, modo prius expresse vel tacite donum illud non acceptauerit; siquidẽ tàm votum quàm Pontificius motus alienationem absque debita facultate prohibẽt, at in hoc casu alienatio non adest, cum ea sit rei acquisitæ distractio, Paulus autem non acquisiuit, cum hoc sine acceptatione fieri nequeat: quod patet quia offerenti donum gratias non egit, sed protestans se nolle accipere dixit, ea re non indigeo, gratum mihi facies, si meo consanguineo dederis, &c. Sicut etiam voti paupertatis non sit religiosus reus, si absque Superioris licentia, pecunias in pauperes distribuẽdas accipiat, non enim eas recipit, vel retinet tanquam proprias, nec tanquam dominus, sed vt alieno nomine nempe tradentis pauperibus tribuat; qua muis fortasse peccare posset, si sua regula, aut constitutione, pecuniã per se vel per alium quoquomodo distribuendam recipere prohiberetur. *Sanchez. l. 6. de matrimonio. disp. 4. num. 7. & lib. 7. de præcept. cap. 19. num. 74. & cap. 30. num. 4. Bonacin. de cont. d. 12. p. 1. Rodriq. in exercitijs spiritualibus. p. 3 tract. 3. cap. 15. Fillinc. tr. 34. cap. 3. q. 8. Grattan. in Discept. Forens. c. 102.*

Ad secundam partem quæstionis pariter dico, non excusari eum à proprietatis & furti vitio, & casus reseruati innodatione, si expressa vel saltem tacita sui Præfecti licentia non intercedat, cum rem notabilem, nempe summã duorum vel trium Iuliorum, quæ culpam mortalem constituit, indepen. denter à Superioris voluntate vsurpet, quandoquidem, vt dixi, quidquid propria industria acquirit, monasterio acquirit. *Conc. Trid. sess. 25. de reg. cap. 3. Rod. tom. 3. qq. regul. q. 29. art. 10. Sayr. l. 9 clau. reg. cap. 16. num. 20. Bonacin. l. c. d 2. quæst. 10. p. 3. Molfes. tract. 7. cap. 20. 4. casu. Coriol. de cas. reser. p. 2. casu. 8. Thomas. à Iesu. de statu. Monach. p. 2. c. 1. Paulinus Bertus. in exposit. Bulla Clementis. VIII. de largit. mun. Graffius. tom. 2. cons. 3. tit. de regular. Vide infra cap. 32. quæst. 20.*

Aliquibus tamen videtur, religiosum absque pro-

proprietatis labe, posse deuotis ac suis personis benefactricibus aliquid præsertim ad pietatem spectans donare, à quibus temporalia subsidia recipiunt; cum, vt ipsi aiunt, hoc sit antidoralis gratificatio, & non propriè donatio, cum omnia iura permittant, vt benefacienti benefaciamus, &c. Quod tamen non admitterem, nisi, vt dixi, licentia saltem tacita Superioris ex religionis vsu accederet. *Filliuc. tr. 28. c. 5. q. 7. Cordub. super reg. D. Franc. c. 6. q. 6. Sanchez. l. 7. de pracep. cap. 19. num. 7.*

QVAESTIO CXXIII.

AN RELICTVM MONIALI CVM CONDITIONE vt nihil monasterio acquiratur, valeat. Item an annuum censum sibi assignatum apud se retinere possit, ac cum ipso negotiari.

Ebroniæ moniali professæ relictū est legatum, 30. aureorum, singulis annis ei soluendorum, cum hac conditione vt nihil monasterio acquiratur, sed tantum illius sit religiosæ. Item portionem bonorum præter dotem monasterio datam, à parentibus, vt in necessarios sibi vsus insumeret, relictam, apud sed retinet, & negotiatur, oues emēdo, & in societatem dando, quod lucrum partim in extraneis donādo, partim in cella exornanda impendit, Præfecta monasterij vidente, sed tamen inuite & pene coactè tacente. Quæritur quomodo se gerere debeat Confessarius?

Resp. Supponendum est, quadruplicem esse licētiam, Prima est expręssa, cum Superior expressis verbis aliquid faciendi subdito facultatem concedit. Secunda tacita, seu præsumpta, quam scilicet idem Prælatus cōcessisset, si ab eo petita fuisset, vel cum videt aliquid fieri tacet, & conniuet. Tertia est debita seu iusta, quādo aliquod se offert negotium adeo iustum, ac necessarium, vt Præfectus teneatur illam concedere, & quam si neget, irrationabiliter inuitus sit futurus. Quarta est coacta, vel vi extorta de qua *Pet. Clun. l. 4. epist. 22.* Sed dicis, inquit, obedientiæ limitem nō excessi, quia patris permissione remansi, sed tùm non eam spontaneam accepisti, sed extortā importunis precibus rapuisti, hoc plane non fuit obedire, &c. Vnde religiosus, qui siue verbo, siue aliquo signo Superiori metū infert, eo quod sibi licētiam denegari ægre ferat, vel aliàs ira obmurmuret, vt ipse Rector probabiliter timere posset, ne aut auarus, aut nimis rigidus habeatur, aut ne ab officio deijciatur, tunc rectè cōsensus approbatiuus non præsumitur. *Dionys. Carthus. de perfect. monast. art. 11. Cordub. super reg. D. Franc. cap 6. quæst. 6. Thomas. à Iesu. de stat. monach. p. 3. cap. 10. dubit. 1. & 2. & alij communiter.*

RESOLVTIO CASVS ET QVAESTIONVM.

His sic præcognitis, dico non posse fieri legatum, vel aliud relinqui religiosæ professæ, vt illud independenter ab eius Præfecta possideat, hoc .n. omnimodo paupertatis voto repugnaret. Posset tñ ita legari, vt nihil monasterio acquiratur, sed totum ad vsum ipsius monialis pertineat; nam vt legatum illud sustineatur, & valeat, verba illa intelligi debent, vt conuentui nihil ratione vtilitatis directè accrescat, nō autem respectu iuris. Et est sensus, vt Præfecta, vel monasterium, cōniuentibus oculis relicti administrationem habere permittat, vt eius redditus in necessarios vsus, victus & vestitus, & hmōi, vtiliter & honestè expēdat; nā tunc indirectè aliquod commodum in ipsum conuentum redundaret, cum ab his sibi incumbētibus oneribus releuetur, &c. Non tamē intelligitur, vt illa monialis ad sui libitum possit illos redditus expendere, ac de illis tanquam domina disponere, quia nec Præposita illam facultatem dare posset. *Abb. in cap. monachi. ext. de stat. monach. Graffius. l. 3. Decis. aur. cap. 5. numer. 41. Roder. tom. 2. qq. regul. quæst. 125. num. 2. & 3. Miranda. in tract. de Monial. quæst. 10. art. 2. Molfes. l. c. tract. 7. cap. 20. cas. 4. Reginald. l. 18. num. 402. Lessius. l. 2. cap. 41. dub. 9. F. Thomas. à Iesu, Carm. de statu monach. p. 2. cap. 6. Rota nouiss. p. 2. Decis. 216. Nald. verbo monialis.*

Quod si Superior vel Præfecta non consentiat vt huius legati cōmodum ad religiosam illam pertineat, continuo nullum erit, atque ad hæredē pertinebit; deficiente conditione sub qua relictum est, nec sufficit initio semel consentire, si postea licentiā auferat, hæc enim dispositio tractum, vt aiunt, successiuum habet ex præsumpta testantis aut donantis voluntate. *Sanchez. l. 7. de pracep. cap. 17. Mant. de coniect. vlt. vol. l. 3. tit. 5.*

Vnde si monachus, vel monialis hæres instituatur confestim eius monasterio defertur si in communi sit bonorum capax; siquidem religiosus quidquid post professionem acquirit, monasterio adiungit; putat tamen *Nau. Comment. 2. de regul. nu. 22.* quem alij sequuntur, quod religiosus, vel religiosa, benemerita, sine culpa possit Superiorem, vel Præfectam rogare, vt aliquid de rebus in vsum habitis, in aliquem pium, & honestum vsum tribuat, tunc enim nihil disponit, sed volūtati Superiorum relinquit. Et quia religiosus non pōt habere proprium, sed etiam voluntate caret, ideò independenter à suo Prælato contrahere nequit, ac proinde Cœnobium nec pro delicto ipsius, nec pro debito contracto tenetur, nisi sit in totius cætus vtilitatem cōuersum, vel Prælati iussione factum. Aliqui tamen volunt, quod religioso mutuanti, vel deponenti sine Prępositi sui licentia, eius debitor restituens liberetur,

tur,

tur, etiam si ad monasteriū res non perueniat, vt de filiofamilias etiam resoluunt. *DD.in cap.quanto.de officio ord.Syl.v.religio.8. num.3. Molfes.tract.12. cap.4.num.108. Nald.in verbo religiosus. num.31. Sa in v.monasterium. Molina.disp.140. Lessius.l.2. cap.41.dubit.11. Filliuc.tract.31. cap.3.*

Ad secundam quæstionem respondendo dico, hanc monialem in pessimo statu versari, & ei illud *Cassiani.l.7.cap.19.* recte adaptari posse; Et Senatorem perdidisti, & monachum nō fecisti. Sic enim negotiari, ac proprios redditus sic tenere, & administrare, cum votiua paupertate pugnat.

Ad hoc namque vt prædictos annuos census, tuta conscientia, & salua religione, Sanctimoniales habere, ac retinere possint, hæ sequētes conditiones requiruntur.

Primo, vt non illos habeant quò ad dominium tanquam suos proprios, cum illorum sint omnino incapaces; sed solummodo quò ad merum simplicemq; vsum facti sibi conuenientē, atque decentem, pro subleuandis particulatibus necessitatibus, nec illorum pecuniam ad negotiationē lucri comparandi gratia exponant.

Secundo, vt non illis abutantur, in malos, vanos, atque profanos vsus expendendo, vt excludantur superflua, & vetita, quæ religiosæ paupertati minime cōueniunt, vt horologia rotata, & affabre facta, reliquiaria valde curiosa, & pretiosa, imagines etiā multi valoris, specula, & similia.

Tertio, vt habeant eos ex expressa, aut saltem tacita suorum Superiorum licentia, nam vt dictū est, ad hoc vt relig.osus quispiam saltem quò ad forum conscientiæ possit aliquid habere, dare, donare, vendere, seu rem aliquam in suum vsum destinatā distrahere, non est simpliciter necessarium, vt expressis verbis concedatur, sed sufficit, vt sit præsumpta, & generalis, quam Superior, si subditus, vel subdita petijsset, facile ac liberaliter concessisset. *Coriol.p.2. de cas.res.casu.4.num.19. Miranda.tom.1.quest.28. art.16. Graff.l.3. Decis.cap.5.num.54.* Non sufficit tamen per minas, vel importunas preces, vel per querelas, ac mœrores extorta licentia, quæ quàm damnabilis sit, ostendit. D. Bernardus sic *Epist.87.* ad Ogerium scribens, Bene licentiam quidem quæsisti, sed quomodo non licebat, ac per hoc non accepisti, sed extorsisti; extorta autē seu coacta licentia, licentia non est, sed violētia. Quod ergo tua importunitate victus Episcopus fecit inuitus, non fuit absoluere, sed abrūpere, &c. Nec ad tacitā licētiam præsumendam sufficit, qđ Prælatus videat aliquid sine eadem licentia fieri, & taceat, nam ex hoc silentio consensus permissiuus, & non approbatiuus colligitur; multa enim ad maiora mala euitanda Superiores permittere solent, proinde approbatio necessaria est, quando scilicet Superior expresse approbat, vel approbaturus probabiliter creditur si sciret. Vbi aduertēdum est sm̄ varias religiosorum ordinum consuetudines, & varios Prelatorum mores, & subditorum conditiones, maiora, vel minora esse in ipsis subditis motiua, vt huiusmodi tacita licentia, eaque magis vel minus extensa, ab eis præsumi possit. *Thomas.à Iesu de stat.monach.p.3.cap.10. dubit.1. Faustus.de vitio propriet.d.34. quæst.10. Mcg.12.p.Instit.confess.l.2.cap.27.quæst.3.*

Quarta cōditio est, vt possessio & administratio pecuniarum, & censuum prædictorum, non penes se habeatur, sed apud illam religiosam, quæ à Præfecta designatur, & in monasterijs communiter Depositaria nuncupatur, cui post ipsam Prælatam suas necessitates syncere referat, & causam exponat, ob quā depositā pecuniā postulet. *Nau. Comment.2.de regul.num.14. Azor.p.1.l.12.cap.9.quæst.2. Ioannes.à Cruce.de statu relig.l.1.cap.3.dub.2. Beia.4. par.respons.casu.32. Miranda.l.c.quæst.9.art.1.2. concl. Cord.in summa cas.consc.quæst.54. Pet.Nau. de restit.l.3.cap.1.num.166.*

Hodie tamen vt moniales annuos redditus possidere valeant, Pontificiam dispensationem necessariam esse aliqui dicunt, qđ nihilominus in praxi non seruatur. *Quar.in v.casus. Riccius.resol.194.*

CONSECTARIA.

Porro quæ praxis sit seruanda à Confessario erga religiosum, vel religiosam proprietatis vitio laborantem, videnda sunt, quæ tradidimus *in Comment.de casibus reser p.3.cap.3.casu.4.& cap.5. casu.8.* Illud tantum hic adijciam, quod licet multi docti viri senserint, Bullam Clementis VIII. quò ad pœnas, quę in illa continentur, non esse vsu receptam, quidquid de vsu, & obseruantia sit, ad illius tamen interpretationem annotandum est, quod si quantitas, quam regularis, vel monialis largita est, summam duorum aureorum nō excedit, peccatum quidem furti admittere censetur, & in casum reseruatum quò ad religiosos mares incidere, sed non easdem pœnas subire; vt viuæ vocis Oraculo d. Clementem VIII. Summum Pontificem declarasse refert. *Molfes.tom.7.cap.20.num.86.* & tenet *Filliuc. tom.2.tr.34.c.3.q.9* quod alibi etiam notauimus.

Et quibus satis colligi potest, quā insigni scientia, & cana prudentia clarere debeant Sanctimonialiū Cōfessarij. Vnde vere *D. Ant.3.p.tit.20.c.2. §.3.& Conc.Colon.3.cap.8.* Confessor, aiunt, monialibus tribuatur, qui non solū sit honestus, sed etiam sciat, quæ spectant ad vitam religiosam, vt valeat eis facere conscientiam de transgressionibus suis, prout decet. De qua quidem materia ab Episcopis, & eorum Examinatoribus interrogandi, ac examinandi sunt. Quod si præ idoneorum penuria adhuc

Xx rudis,

rudis, ac iuuenis sacrarum virginum confessionibus audiendis præficiendus sit, ipse consilio, ope, & seniorum ductu se muniat, & illorũ prudētiæ innitatur, qui in huiusmodi munere, tàm theorica, quam practica scientia sunt versati, siquidem ex Menandri sententia,

Sapiens eris, sapientibus sæpe assidens.

Ac quemadmodum corporum medici in experimento, & praxi, antequam ad eam artem exercendam accedāt, duos annos cõsumere solent; sic multo magis animarũ medici futuri, cum senibus agere debent; & tùm ab his, tùm à libris, alienas cõscientias moderandi, & quæstiones, controuersiasque, quæ suboriri possunt, explicandi, solidã doctrinam percipere eos oportet. Aduertat autẽ Confessarius qui Sanctimonialium confessiones excipit, nõ posse eas à censuris absoluere, à peccatis reseruatis liberare, super earum vota dispensare, &c. nisi ab Episcopo, vel eius Vicario expressa facultas cõcedatur.

Ad hoc autem vt ex concessa authoritate ab his absoluere & dispensare valeat, non sufficit vt solum suos casus impertiat, quia appellatione casuũ censuræ non veniunt, & à diuersis non fit illatio, sed de eisdem specialis mentio fieri debet. *arg. cap. fin. de officio. Vicarij. l. 6.* Secus esset si Episcopus diceret, Quò ad regimen animarũ monialium, in foro conscientiæ, vel pœnitentiæ, concedo tibi omnẽ meam authoritatem, tunc enim intẽtio ipsius omnia prædicta vnico verbo concedẽtis sufficeret, iuxta illud,

Quidquid agunt homines, intentio iudicat omnes. Zerula in praxi Episcopali in v. casus reseruati, & in Praxi Pœnit. cap. 24. quæst. 19.

QVAESTIO CXXIV.

QVOMODO AGENDVM CVM SACRILEGIS, qui res ecclesiæ sunt furati, & quomodo cum propola earum rerum emptore, &c.

Bernardus cuiusdam religionis conuersus professus, & Antonius tyro vel nouitius, vna cũ Andrea viro sæculari simul ex condicto in ecclesia, & sacrario eiusdem religiosi ordinis furati sunt reliquias, calices, pixidem, vestes altaris, & huiusmodi, quas subinde res Blasio propolæ malæ fidei emptori vendiderunt, prædicta regulari Confessario narrant, quæritur, quid respondere, & quod consilium præbere eis debeat?

Resp. Primo suppono ex *D. Bonauent. de sex alis cap. 3.* Quod in hoc differũt laudabiles religiones, & iam collapsæ, non quod nullus peccans in laudabilibus reperiatur, sed quod nullus impune peccare sinatur, & peccandi aditus studiose præcludantur. Proinde non est quod sæculares homines inde scandalum sumant, vel contra religiosos ordines obloquantur, nec ob turpes aliquorum lapsus vniuersum cætum damnent. *cap. quantumlibet. d. 47. D. Chrysost. l. 3. contra vitup. vitæ monast* vt adnotauimus. *in Comment. de cas. res. p. 3. c. 1. & inf. tr. 10. c. 2. q. 4.*

Vnde dico primo, Hos facinorosos, ac pene ad extremũ perditos homines graue sacrilegij crimen perpetrasse, cum sacra de loco sacro tàm impie abstulerint. *c. si quis. 17. quæst. 4. Val. tom. 3. d. 6. quæst. 15. p. 1.* In quo peccato duæ malitiæ distinctæ aduersus duas discretas virtutes latent, nempe contra iustitiam, & religionem. Imò ratione venditionis Reliquiarum, & alterius suppellectilis sacræ quatenus talis est, nouam etiam sacrilegij deformitatem inuoluit; cum vt notum est, ab humano commercio exemptæ sint. *§. sacra. Instit. de rerum diuis.* Et dictum est sacrilegium eo qđ res sacras peculiariter diuino cultui dedicatas, vt sunt omnia sacramenta, & sacrãmentalia, ecclesiæ suppellex, & huiusmodi, lædit, ac violat, vt ait. *D. Thomas. 2. 2. q. 99. art. 1.* Vnde est illud adagium, A sacris abstinendæ manus. Et vulgo quoque, vt alibi aduerti, creditum est fatum ei instare, qui sacris rebus, ac Deo dicatis manus iniecerit, aut qui pios homines ac sacris mysterijs fungentes oppugnarit; quod ab Homero his verbis significatum est,

Cum diuo certare viro, simulatque cupit quis,
Cuique Deus bene vult, damnum huic certe imminet ingens.

De qua re multa exẽpla refert. *Duar. tom. 2. c. 3. tit. 108.* Experti sunt plures Principes in Gallia, ac Germania, ait. *Tholos. in synt. Iu. p. 3. l. 33. c. 17. & seq.* quantum postetis nocuit ex adipe ecclesiæ domos paternas, & proximorum ditasse; ad tempus quippe modicum durarunt hæ sacrilegæ ex Abbatijs, & Episcopatibus compilatæ opes, & cum istarum ruina propriæque euanuerunt; & qui istis vsi sunt, vel eorum filij misere perierunt. Sanè male parta cum male dilabuntur, bene parta sed à male partis polluta, secum communione pertrahunt. Hinc teste *Iodoco. in praxi crim. c. 3. Tusc. in v. sacrilegiũ. conclus. 6. Menoch. de arbit. Iud. casu. 389. & Claro. in §. sacrilegium.* generalis fere totius orbis vsus obseruat, vt omnes sacrilegi, qui tàm Iudicis sæcularis, quàm ecclesiastici iurisdictioni subijciuntur, siue rem sacram in loco sacro, siue rem sacram in loco profano, siue rem profanã in loco sacro furati sint, in externo foro de iure ciuili mortis pœna plectantur. Sed de iure Canonico, quod æquitatem, & lenitatem semper ante oculos habet, & capitalem pœnam non agnoscit, mitiori animaduersione puniuntur: ita vt quidam sacerdos qui de loco sacro rem sacrã surripuerat per quinquennium in Curia Neapolitana ad triremes damnatus fuerit, vt post alios notat. *Riccius. p. 2. Decis. Cur. Neap. Decis. 293. & Molfes. tract. 11. cap. 7. num. 20.*

Secun-

Secundo dico, Bernardum conuersum in casum in sua religione reseruatũ incidisse, tùm rõne furti, tùm & ob furtiuã noctu è monasterio egressionem, nec proinde absolutionis beneficio donari posse, nisi ab eo, qui hac facultate pollet. Qua tamen reseruatione non ligatur Antonius nouitius, nam si ad præcepta regulæ non tenetur, cum professionem nõ emiserit, à fortiori neque, (quidquid aliqui senserint,) hoc casu furti reseruati constringitur. *Azor. p.1.l.12.cap.2.quæst.10. Coriol.p.1.sect.3.art.18. Vgol.de officio Episcopi.p.2.cap.39 num.1. Graffius. in append.an Decis.lib.1.cap.7.num.67. Nald.ver. monitij.num.7. Roder.tom.1.qq.regul.q.21.art.11.*

Tertio, tàm Bernardum, quàm Antonium, & Andream Laicum, excommunicationis vinculo affectos esse, si valuas ecclesiæ, vel muros, seu etiam sacrarij vectes furti causa fregerunt, vel etiam si Sacrosanctę Eucharistię custodiam, seu pixidem, cum ostioli ruptione, surripuerunt: à quo excommunicationis vinculo si ab Episcopo denuntiati sunt, à solo Papa sunt absoluendi. Addo quod hanc censuram non effugisset, si res ecclesiæ, vt imagines, vestes sacras, & huiusmodi combussisset; nam in ecclesiam ignem immitrens effractoris nomine censetur. *Suar.tom.5.disp.22.sect.2.num.15. Lessius.l.2.cap.45.dub.4. Nald.ver.ecclesia.num.21. Nau.cap.17. num.95. Zerula in praxi pænit.cap.12.quæst.15. Sayrus.l.3.de cens.cap.39.num.14.* Idem *Graffius.l.4. Decis.cap.19.num.5.*

Quinimo si animo à religione recedendi monasterij septa egressus est, excommunicatione Præfecto suo Generali, vel Prouinciali pro cuiusq; ordinis instituto, vel priuilegio reseruata, ob apostasię crimen irretitus censebitur. *Bannes.22.quæst.12. ar.1.vt dixi in Comment.de cas.reser.p.3.c.1.sect.2.*

Quarto demum assero, Blasium propolam, qui emit in proprium commodum, sciens, vel scire debens tẽpe emptionis, res illas esse furtiuas, lethalis culpæ obnoxium factũ esse, & in foro externo tanquam furem, vel furti participẽ puniri posse. Non tamen simoniæ reum habendum fore, si calicẽ, pixidem, & alia ratione materiæ, & non consecrationis dato pretio emit. Nec in conscięntiæ, vel poli foro posse illas alteri vendere, sed etiam non recepto, uel soluto pretio, monasterio vt uero domino restituere debere. *Salon.22.quæst.62.art.5.cont.4. Sayr.l.10. cl.reg.tract.2.cap.3.num.5. Mol.tom.1. tract.2.disp.35. Clarus.in §.furtum.num.17. Natta.conf.436. Menoch.l.5.de præsump.præsumpt.29. num.22. Covar.in tract.de iuris, & facti ignor.tom. 1.cent.2.dist.79.num.3. Lazar.de monit.sect.4.q.2. num.10. Carocius de re furtiua.quæst.13. Farinac. de furtis.quæst.175.cap.6.& seq.* Vbi tradit generaliter emẽtem ignoranter rem furtiuam non peccare, nec de furto teneri, licet postea certior factus dño ẽr, vt dixi, nõ refuso pretio restituere teneatur; & in dubio ignorantiam potius quàm scientiam præsumi, nisi clam uel paruo pretio emerit, uel criã res empta conditioni ementis non conueniat, vt si caupo libros, vel calices siue alia ecclesiastica paramenta emisset, &c. Item rem furto ablatam penes aliquem inuentam contra ipsum indicium ad torturam facere, nisi sit bonæ famæ, ut sunt, ut ipse ait Reuenditores, vel prout vulgo dicunt, Strazaroli Bononienses, uel nisi dicat se ab incognitis emisse.

CAP. XXXI.

QVAESTIO CXXV.

AN INVENTA RESTITVENDA SINT, & an qui aliquid incompensationem retinet ad praeceptum Iudicis reuelare teneatur, an inueniens pecuniam in domo empta restituere teneatur.

Epiphanius per quandam viam transiens, casu crumenam inuenit, in qua 30. nummi aurei, & duo annuli multi pretij includebãtur, qđ inuentum in illius uię Parochia per Capellanum proclamari fecit, cum uero nullus earum rerum dominus comparuisset, sibi retinuit, & per tres annos bonafide posedit. Insurgit & palam fit ille nunc qui res illas amisit, & sibi restitui postulat, quæritur, quomodo Cõfessarius in hoc casu in praxi se gerere debeat. Item cum Lucretia sua soror esset ab Hermete cum promissione eam ducendi in uxorẽ, & dotandi uiolata, 40. aureos in atrio eius domus in sudariolo inclusos inuenit, quos subripuit, eo qđ promissis stare nolit, nec eam ducere, nec dotem assignare velit, queritur, an cum ipso Hermete defuncto, nũc eius hæredes monitoriales literas emiserint, Epiphanius huius rei conscius reuelare teneatur, &c. Insuper cum quandam domum à Panphilo dato pretio emerit, & in quodam eius muro quasdas absconditas pecunias inuenerit, quæritur pariter an, & cui restituere teneatur?

Resp. Ad primam quæstionem respondendo resolutorie more nostro dico, qđ explorati iuris est, rerum amissarum inuentores dominos non effici, sed eas sibi usurpantes furtum committere, iuxta illud vulgatum axioma, Si quid inuenisti, & non reddidisti, rapuisti. Et ut ait. *Catechis. Rom. super 7. præcep.* Furum nomine ueniunt appellandi qui furto sublatas res emunt, uel aliquo modo inuentas, occupatas, uel ademptas retinẽt. Quãdo autem ob aliquod impedimentum, uel quia consumptę sunt, restitui non possunt, tunc pretium supplendum est. *l.falsus.§.qui alienum.ff.de furtis. cap.si quid inuenisti.14.q.5. Bonif.in §.contrectatio.n.141.& seq.*

Secundo, exploratũ est, omnium scribentiũ consensu, inuentorem omni adhibita diligentia teneri ad inquirẽdum illorũ dominũ, prout publicis præconibus, vel quibusdam schedulis templorum valuis affixis, seu alijs vijs pro rei qualitate, & quantitate tentatis; qui si inueniatur, illi rem suã restituere debebit, deductis expẽsis, quas in illa inquisitione fecit. In huiusmodi autem incertis rebus nil pretij accipere fas esset, nisi quod dominus gratis, & libere, ac sine vllo coactionis genere, inuentori exhibere voluerit, vel nisi ex pacto, vel statuto aliquid inuentoribus promissum sit. Sed licitum inuentori aliquid præmij petere, modo vi aut minis non exigat, sed precibus postulet probabilis est sententia, *Azor. p. 3. l. 4. cap. 27. Megalus, 2. par. Instit. Confess. l. 2. cap. 4. quæst. 2. num. 33. & alij.*

Tertio, si diligenti facta inuestigatione, dominus nõ appareat, iuri naturæ, gentiũ, positiuo communi, tàm ciuili quàm canonico inhærendo, inuentori, præsertim si pauper sit, rem illam sibi retinere integrum erit. Imò si sufficienti domini inquisitione peracta, bonafide res inuentas in pauperes erogauit, vel vt indigus in proprios vsus expendit, nil amplius restituere tenebitur, etiam si verus dominus postmodum compareat; siquidẽ ille recte suam obligationem expleuit, & bona fides non patitur, vt bis idem exigatur. *cap. bona fides. de reg. Iu. n. 6.*

Addo vel si diues esset inuentor, & probabilem, DD. sententiam secutus, illas res mobiles inuentas retinuisset, præscripsisset, vel vsucæpisset, idest per trięnij spatium integra fide possedisset, ille qui erat ipsarum rerum mobilium dominus, omne ius amisisset, quandoquidem pręscriptio, uel vsucapio (pro eadem. n. re accipi solent) quæ per continuationem tpis à lege constituti perficitur, à restitutionis obligatione, non solum in externo tribunali, sed etiam in foro poli, & conscientiæ excusat. *Per. Nau. l. 4. de restit. cap. 2. dub. 9. num. 78. Bannes, Salon, & Arrag. 22. quæst. 66. ar. 5. Sayr. in claui reg. l. 10. tr. 4. c. 2. n. 32. Duar. in Bulla Cęnæ Domini l. 2. can. 4. q. 21. Syl. in v. inuẽta.* vt infra in art. de restitutione dicemus.

Cum vero satis constet, Epiphanium in perquirendo domino debitam, & sufficientem diligẽtiam non adhibuisse, cum in vna tàm ampla Parochia in ampla Ciuitate edictũ affigi curauerit, &c. ius illi non suffragari Confessarius censere debet, ac proinde ad vero domino restituendum astringi, nec illi peccata dimitti, uisi ablata si pôt restituat. *Daurus. in Catechis. hist. tom. 2. cap. 3. tit. 114. exemp. 5.*

Ad secundam quæstionem respondendo dico, Epiphanium ad monitorias generales non teneri reuelare ea, quæ sua soror in compensationem damni stupro illati, & dotis sibi non solutæ retinuit, cũ certum sit, in omnibus casibus in quibus sibi recompensans reuelare, aut restituere non tenetur, & per consequens monitorij excommunicatione non ligatur, nec quemcunque alium scientem in eisdemmet casibus ad denuntiandum obligari, etiam si excommunicatio specialiter contra scientes, & non reuelantes feratur, quia cum excommunicatio principalem non comprehendat, multo minus non denũtiantem. Quinimo id procedit & si literæ monitoriales expresse præcipiant ut res restituantur, aut reuelentur, etiam si in compẽsationem debitorum teneãtur, uel ita acceptas esse sciatur: nam prędictæ literæ intelligi debent, quando compensatio iniusta fuit, uel quando dubitatur, iusta ne an iniusta sit ipsa compensatio. Quandoquidem ad iustam compensationem hæ conditiones requiruntur. Primo, vt debitum sit ex iustitia, non ex sola charitate, aut gratitudine. Secundo vt debitum sit certum, ac liquidum. Tertio, vt plus non accipiatur quàm sibi ex iustitiæ lege debeatur, nam ratione excessus furtum consurgeret cũ restituendi obligatione. Quarto, vt uia iuris, aut etiam extra iudicium, vel sine notabili iactura, sua debitũ recuperare nequeat. Quinto, vt scandalum, uel alteri damnum non sequatur. Sexto, vt cautio adhibeatur, ne debitor, uel eius hæredes iterum æs alienum soluant. Quibus conditionibus concurrentibus, unicuique compensatione, vti licet. Imò & si prædictæ omnes circũstantiæ non interueniant, peccabit quidem creditor in hoc casu sibi in causa propria ius faciens, si tamen certũ erat, sibi tantũdem deberi, ad accepti restitutionem non tenebitur. *Menochius. de arbit. Iud. casu. 516. Grassius. lib. 2. decis. aur. cap. 93. Lazar. de monit. sect. 2. quæst. 8. & seq. Bonac. de contract. d. 1. quæst. vltim. p. 2. §. 2. & alij communiter*, & indicauimus etiam supra hoc tract. *cap. 29. quæst. 118.*

Ad tertiam quæstionem dico, Epiphanium qui in pariete domus emptæ pecuniam depositam, uel reconditam inuenit, teneri priori domino, vel eius hæredibus restituere, quia credendum est eius esse, vel alterius antiquioris, cuius ille est successor; illa enim pecunia non est thesaurus, quem in agro empto inuentũ tuta consciẽtia retineri posse certũ est, cũ ille in nullius bonis esse cẽseatur, & uenditor tantum agri superficiem uendat, ut ex communi traditur. *Sayrus. l. 9. cl. reg. cap. 9. nu. 8. & Salas. de empt. & vend. dubit. 36.*

QVAESTIO CXXVI.

FVRTVM QVA POENA TÀM IN FORO externo seculari, ecclesiastico, & regulari, quàm in interno, quò ad pœnitentiale, & conscientiale iudicium puniatur.

QVænam est pœna furti, tàm in foro ciuili, & politico, & ecclesiastico, quàm in iudicio regulari, ac religioso, & in animæ foro constituto? Resp.

Resp. Apud mundi tribunalia si ciuiliter agatur, in furto occulto duplum, & in manifesto quadruplum restituendum est; si uero criminaliter, in simplici furto fustigationis, exilij, uel triremium pœna infligitur, & aliquãdo etiam fures maxime uiolenti & famosi ad mortem condemnantur. Illud autem à Iudicibus obseruandum est, quod cum tota ratio cur fures punire, ac suspẽdere liceat, sit commune bonum, & damnum proximo illatum, consequenter non nisi cum magna prudentia, & maturitate in hac re procedere debent: neque enim qui egestate oppressus, & nõ ex malitia furatus est, aut quid modicum abstulit, statim morte plectendus erit, sed legum rigor pro delicti, & personæ qualitate temperandus erit, & locorum consuetudines, & municipalia statuta in hac re prudẽter obseruanda erunt. *Sot.l.5.de Iust.& iu.quæst.3.art.3. Iason. in §.ex maleficijs.instit.de act. Boer. Decis 173. Franc.Marc.p.2.quæst.6.Cou.l.2.var.resolut.cap.9. Menoch.de arbit Iud.casu.295. Sayr.lib.9.cl.reg. cap.15.num.34.Clarus.in §.furtum. Farinac.in praxi crim.p.1.tom.1.quæst.23.*

Quippe cum furta humanã societatẽ uehementer lædant, ideo Draco Atheniensium legislator etiam capitis pœnam his constituit, qui olera, ac leuiores fructus abstulissent. Imper. Seuerus adeo fures odio prosecutus est, ut ante conspectũ suum eos admittere nollet, sed pœnis grauissimis afficeret. Zeno seruum furaces (ut seruorum ingenijs insitum est) manus habẽtem, cædi iussit, cumque se excusaret, sibi in fatis esse, ut furaretur, & in fatis, inquit, est ut cædaris. Furta apud Locrenses oculorum priuatione plectebantur. E' diuerso Lycurgus, ut supra dixi, Spartanis furta impunita esse uoluit, quò magis ingenia acuerentur, animoque solerti, ac uegeto essent: deprehensi uero in furto uerberebantur, non propter ipsum furtum, sed quia illud occultare nesciuissent, ut in eius uita Plutarchus auctor est, *& Alex.ab Alex.l.6.dierum gen.cap.*10. Eodem iure qui furtiuam rem emit, eam cui furto subtracta est restituere tenetur, etiam si pretium non restituatur, nisi per tabellionis manum protestaretur, quod eam nomine eius, cuius est, emerit, & quod reddere paratus est persoluto sibi pretio, qđ emendo dedit. *DD.in l.inciuile. C.de furtis. Franc. Marcus. Decis.7 & 8.& alij DD.communiter.*

Ex cõmuni etiam Iuristarum placito, Qui emit in proprium commodum, dubitans ipso emptionis tempore, rem illam esse furtiuã, æternæ mortis iaculo se conficit, nec potest illam alteri vendere, aut contractum cum latrone rescindere, sed illam vero domino restituere tenetur, perinde ac si mala fide emisset. Imò etiam in foro exteriori si vir iste mala fama notatus esset, tanquam fur puniri posset. *Salon.22.quæst.62.ar.5.concl.3.Clarus.loco inf.citan.*

Quomodo vero furtum in externo foro probetur, vel prẽsumatur, & quando pro rebus subtractis, seu super earum valore, & quantitate actori iuramentum detur, &c. tradit *Mascard.volum.2.de probat.concl.*1330.*Menoch.l.6.de præsumpt.præsumpt.* 61.*idem Franc.Marcus.Decis.9. Bonifacius.de furtis.§.vel etiam num.28. Farinac.de Inquisit.quæst.* 2.*Clarus.in §.furtũ. Tusch.in v.furtũ. concl.* 560.

De iure Canonico fures sacrilegi pœna ecclesiastico Iudici arbitraria puniuntur, & excommunicationis gladio percelluntur. *cap.conquæsti.extr.de sent.excom.* Eisdem Pontificijs sanctionibus publici latrones qui per vim aggrediuntur, & deprẽdantur, ac homines publice spoliant, ecclesiastica immunitate non gaudent; vt patet in *Bulla Gregor. XIV. Incip. Cum alias. apud Ambros.in eius Comment.cap.2. Megalum.in 3.p.Instit.confess.l.*42.

Item naufragantisi bona surripientes in excommunicationis nexum in Bulla Cœnæ Domini reseruatum incidunt. *Sayrus.de cens.l.3.cap.8. Vgol.in Bulla Cænæ Domini.p.2.c.4. Duard.l.2.can.4.q.1.*

Apud regulares in furta in religiosis ordinibus perpetrata, pro Prẽsidẽtis arbitrio, acriter animaduertitur, & reseruatione afficiuntur. *Molfes.tract.7. cap.20.nu.*80. Furtum namque in religioso grauior culpa quàm in sæculari censetur, quia non solum diuinam legem vtrique communem de non furando violat, sed etiam paupertatis votum transgreditur, ita vt religiosus qui sine maiorum permissu in cœnobio sibi aliquid de eius bonis aut capit, aut donat, fur simul & sacrilegus sit, quod quia in religiosis ordinibus aliquando contingit, annotarunt. *Vasquez.12.d.99.cap.4 num.20. Lessius.l.2.c.41. num.79. Sanchez.l.4.de præcept.cap.11. num.27.& l.7.cap.20.num.7. Sayr.l.9.cl.reg.cap.16.num.21.*

Quæ autẽ quantitas requiratur adhoc vt lethalem culpam & casum reseruatum constituat, cum nulla certa regula decerni possit, arbitrio prudẽtis viri relinquendum est: nihilominus verius & communius dicendum videtur quantitatem trium, uel quatuor Iuliorum sufficere. *Coriol l.c p.2.casu.8. Sanchez. d.cap.20.num.4. Molfes.num.*88. Et vt cognoscatur, quàm graue malum sit in religione furari, & vt tale facinus ab ea explodatur, adijciam verba. *Roder.tom.2.qq.regul.quæst.38.artic.1.* Nimis rigide, religiose tamen se gerit Ioannes Trullus, ait enim quod est graue crimen in religione peccatum furti, & vt incorrigibilis est expellendus, ita quoque fur in religione est puniendus. Quod si contra obijcias, ait, qua ratione propter furtum, quod duntaxat est damnum tẽporale, abijciendus est frater, pro quem Christus mortem pertulit? respondetur, quod fures in religione non solum temporalibus rebus, sed ẽt spiritualibus nocent, deinde sanctam Cõgregationem conturbant, bonumq; aliorũ spirituale impediunt.

diunt. Est quoque alia ratio in ipsorum furum vtilitatem,ut cum expulsos se intueantur,confusione, tribulationeque percussi ad cor reuertātur,&c. hæc ille, eumq; sequitur. *Coriol. p. 2. de cas.reser.cap.*8.

Quod ad animæ uel pœnitentiale forum pertinet, Confessarius censere debet furem mortalē culpam cōtrahere, nisi materiæ paruitas,vel extrema, seu quasi extrema necessitas illam acceptionem excuset. *c.si quis propter.ext.de furtis. Dec.& Caguol. in l.quæ propter.ff.de reg.iu.* Et cum iustitiæ leges violet, admonēdus erit ad totius damni reparationem teneri,qđ dominus ex re sua ablata passus est, seu lucrum cessans,siue damnum emergēs dicatur; nam iniquus possessor cum totius detrimenti causa existat, ad illud resarciendum ab ipso Confessario astringēdus erit. Simulque certior faciendus,iuxta vulgarum proloquium,diuino iudicio neminem re furtiua diù lætari, sed imò ab alijs nequioribus furibus ipsam rem eidē abripi; ut de se ipso ille ingenue fassus est, qui in suis ædibus hoc distichon inscripsit,

Congeries lapidum varijs constructa rapinis,
Aut vret, aut ruet, aut raptor alter habebit.

Ad hęc homines furaces,ac rapaces qui ex aliorum incommodis sua commoda parare student, in hoc mundo etiam supplicia ordiri,quæ deinde apud Inferos in æternum expendent,ut horrendo exemplo ostendit. *Duaret.in* Catechis. *histor. tom.2.cap.3. exemplo.6.* Item ad mentem reuocabit, Male parta male dilabi, salem illuc abire unde dimanauerat, & nil esse tàm occultum, quod Deo, & natura ipsa volente,non reueletur. Vnde etiam refert Solinus in Sardinia quosdam reperiri fontes,quorum a quis oculis furtum negantis ablutis,si is peieraſſet, cęcitate furtiua ipsa res detegebatur, si autem uere iurasset,clarius subinde intuebatur,vt refert *Bonif.in* §.*furtum.num.*32.*&* §.*contrectatio.n.*134.*Scholiastes.ad emb.Alciati.*129 Quocirca vtTridentini Patres.*super* 7.*Catechismi Rom.perceptum* admonet, quorundam furum,ac raptorum excusationibus,& imprimis nobilium, qui dicunt se non cupiditate, aut auaritia, aliena capere, sed causa tuedæ amplitudinis familiæ,cuius existimatio, & dignitas ruerет,à Confessario respondendum est, nullam esse rationem alteri detrahendi,& res proprias augēdi, nisi Dei præcepta seruauerint, quibus contemptis, fundatæ,& optime constitutę opes euertuntur, Reges è solio exturbantur, & in eorum locum infimi interdum homines diuinitus vocantur.

Postremo notandum, furtum inter casus fortuitos numerādum esse, maxime si ab eo commissum est, cui confidendum erat, & à quo diligentissimus non præcauisset,vt à coniuncta persona, ideo verisimilitudinibus,coniecturis,& pręsumptionibus probandum est,vt per *Syl.Ang.Tab. Rosellam,& alios Summularios.in v.casus fortuitus.Sebast. Medices.de casibus fort.p.*1.*quæst.*13. *Bonif.de furtis.* §.*corporalis.num.*54.*Mascard.volum.*1.*v.casus fortuitus concl.*261.*& volum.*2.*v.furtum.concl.*831.*Menoch. libr.*6.*de præsumpt.præsumpt.*61.*Tusch.v.furtum. concl.*608. Sed huiusmodi decisio pro foro externo valet, nam in interiori etiam furtum ab extraneo commissum ad casum fortuitum pertinere potest,si nimirum supposita debita diligentia, nihilominus ablatum sit depositū, vt quia potio somnum inducens illi est propinata. *Filliuc.tract* 33.*c.*9.*n.*142. Nam in foro conscientię,& in iudicio poli fictiones vel præsumptiones non admittuntur,sed sola & nuda veritas attēditur,vt per *DD.in cap. iuuenis.ext. de spons.Feder.de Senis.cons.*21. *Auchar.cons.*411. *Tusch.v.forus conscientiæ. concl.*447.& per ea quæ deduximus supra *tract.*5.*cap.*8.*quæst.*53. Sic in simili dicimus, quod cum in aliquo decreto quò ad aliquem actum licentia in scriptis haberi debet, vt in Concil.Triden.*sess.*23.*de refor.cap.*1.*& sess.*25. *de regul.cap.*5.in foro conscientiæ sufficit quod oretenus sit concessa, cum in eo solū quod ex parte rei verum est consideretur, & sufficiat quod consensus iure naturali requisitus interueniat. *Gambarup.de cas.reser.cap.*3.*num.*25.*Graffius.de sent.excomm. consil.*22.*num.*38.

ARTICVLI, QVÆSTIONES, ET CASVS, qui super Octauum pręceptum Decalogi formari poterunt. Cap. XXXII.

QVÆSTIO CXXVII.

QVID IN OCTAVO DECALOGI PRAECEpto contineatur, & quid acquomodo circa illud Confessarius interrogare debeat.

QVid in octauo decalogi præcepto cōtinetur, & quid ac quomodo Confessarius interrogare debet?

Resp. Aliàs in negatiuis secundæ tabulæ præceptis dictum est,prohiberi nocumenta,quæ aut factis,aut verbis proximo inferūtur, cumq; hactenus de his per vtiliores,ac frequētiores quęstiones,quæ in furto consistunt, peractum sit,rectus ordo postulat,vt quomodo etiam verbis proximus offendi soleat, differatur, qđ præsertim falsum testimonium contra ipsum ferendo contingit,de quo in pręsenti. Nā per prohibitionē falsi testimonij in primis peccata,quę in iudicijs committi solent, vetantur,quæ perpetrantur,aut falsum dicendo, aut verum quod necessitas exigit, supprimendo,aut quando tegendum reuelando, in quod vitium referuntur in primis Iudicum iniquitates,aduocatorum,causidicorum, tabellionum, accusatorum, reorum, & testium

ftium mendacia, & periuria, & cætera crimina.

Deinde secundario & minus principaliter verba cum proximi iniuria extra iudicium prolata interdicuntur, prout iudicia temeraria, mẽdacia, detractiones, assentationes, maledicta, probra, contumeliæ, & alia huiusmodi, quę famosis libellis committuntur, & demum simulationes, cum homines aliud verbis efferunt quàm in animo habeant.

Quamobrem rectè obseruarunt Tridentini Patres diligentem huius præcepti, & officij explicationem, ac admonitionem non solum vtilem esse, sed etiam admodum necessariam. Primo quia linguæ vitium quod hic prohibetur, latissime patet, docet hoc D. Iacobus illis verbis: Si quis verbo non offendit, hic perfectus est vir: quod etiam illa Prophetæ sententia confirmatur, *Psalm.* 15. Omnis homo mendax; vt propemodum vnum hoc sit peccatum, quod ad omnes homines pertinere videatur. Secundo quia ex hoc vitio innumerabilia fere mala proficiscuntur, teste eodem Apostolo in sua *Epistola cap.* 5. Videmus enim sæpe maledici hominis culpa, facultates, famam, vitam, animæ salutem amitti, vel eius qui læditur, quod contumelias patienter ferre non possit, sed eas iniquo animo persequatur: vel eius qui lædit, quod prauo pudore, & falsa cuiusdam existimationis opinione deterritus adduci non possit, vt illi qui offensus sit satisfaciat. Quippe lingua vniuersitas iniquitatis est. *Iacob. c.* 3. *& Prouerb. cap.* 18. Cuius remedia sunt, vt homo primo cor suum sanctis cogitationibus occupet. Secundo, silentium seruet, cum in multiloquio non desit peccatum. Tertio vitatio consortij male loquentium, quia amicus stultorũ eorum similis efficitur. Quarto extirpatio curiositatis, qua vt precipua radice elisa, rami, frondes, ac fructus pereunt. Hinc *Io. Euer. in Prato spir. c.* 187. Qui, inquit, continere vult linguã, obstruat aures ne multa audiat. Et *D. Chrysostomus. hom.* 50. *in Matt.* Magis vertice ipso capitis linguã tuã custodi; regius quidã equus est lingua, si ei frænum immiseris, doctrina tua gradatium fecetis, ascendet eum Rex, & in eo quiescet; si autem nullo fræno domueris, sed huc atque illuc infrenẽ iactari permiseris, Diaboli eum vehiculum fecisti. Et qui linguam suam nõ plus peccato inquinari quàm cætera membra timet, suis vel porci potius quàm hominis naturam referre videtur, ille enim rostrum in lutũ figit & pedem proijcit, nec magis ori quã pedi parcit. Et iure nec sine causa protulit. *D. Iacobus. c.* 3. Lingua nostra ignis est, vniuersitas iniquitatis; vbi Gloss. ait, vniuersitas quia per eam fere cuncta facinora aut concinnantur, vt furta ac stupra, aut parrantur, vt periuria falsa testimonia, & huiusmodi, lingua enim in humido, seu in lubrico est, & ideo de facili labitur. Vnde Anacharsis interrogatus quid esset in homine pessimum, & quid optimum? respondit lingua, sentiens idem membrum plurimam vtilitatem afferre si recta ratione gubernetur, pestilentissimum, si secus. Addo etiã insana, & lauta conuiuia declinãda esse, merito enim *D. Gregorius. hom.* 40. quærẽs cur diues in Inferno cruciarus linguam suam refrigerari postulet, cum tamen sacra scriptura non de loquacitate, sed de tenacitate, & edacitate eum sugillauerit, quia, inquit, in conuiuijs abundare loquacitas solet, &c. qđ & alibi animaduerti. Vnde optimum remedium est, vt homo oris portam uallis & aggeribus cingat, qui sunt firma proposita eas personas declinandi, cum quibus per linguam peccare solet, vel loca in quibus loquendo delinquere consueuit, vel silentium seruandi illis horis, in quibus facilius homo labitur, vt hora post cibum sumptum, &c. *Perald. in summa vit. tom. 2. p. 3. de peccatis lingua. Catechis. Rom. in hoc precepto. Sayr us. in cl. reg. l.* 12. *cap.* 1. *Reginald in præfat. lib. 9. super* 8. *precepto.*

Vnde Confessarius Primo interrogare poterit de peccatis Iudicum, accusatorũ, reorum, testium, aduocatorum & aliorum, qui iudicia constituunt.

Secũdo, de peccatis linguę, quę alteri detrimentum extra iudicium afferre possunt, vt de mendacijs, detractionibus, & simulationibus.

Tertio, de suspicionib. & iudicijs temerarijs, &c.

QVAESTIO CXXVIII.

STATVTA LAICORVM EXCLVDENTIA religiosos à successione, & de non serendo oriza & alsa, qua aerem inficere apta sunt, an religiosos & clericos ligent, & an sæculares Iudices clericos aliquando in iudicium trahere possint, &c.

Galeacius cuiusdam Ciuitatis Gubernator, & Prætor, Primo cum Decuriorum assensu statutum condidit, ne religionem ingrediens, vel ingressus, in bonis agnatorũ, vel cognatorum, nisi in tanta portione, & quantitate succedat. Secũdo edicto cauit, ne quis in ditione sua, vel in agris sibi subiectis, audeat hordeum, vel aliud semen serere, quod aerem inficere solet, sub pęna 500. aureorum fisco applicandorum; contigit, vt Basilius in diæcesi Parochus, edictũ illud orizam seminando violauerit, propter quod ab eiusdem sæcularis Magistratus satellitebus captus est, & eadem pęna mulctatus. Item tertio loco eum in in iudicium traxit, & filiæ, quam ante clericatum ex quadã sua famula susceperat, dotem cõstituere coegit, quam ei denegabat, eo quod ipso inuito matrimoniũ contraxerit, quæritur, quomodo in his casibus se gerere debeat Confessarius?

SVP-

SVPPOSITA ET PRAENOTIONES.

Resp. Supponendum est, Iudicem, vt recte, & valide iudicium exerceat, quinque conditionibus muniri debere, videlicet potestate iudicandi, veritate, forma iuris, scientia, & animi puritate. Nam quò ad primã, quæ ad rem nostram facit, certum est ex Philosophiæ, Theologiæ, & Iuris principio, duo esse quibus omnis humanorũ actuum constat effectus, voluntas scilicet, & potestas, quorum alterum si desit, nihil est, quod explicari queat. Et sicut agens passum nequaquam vincere potest, nisi intra suæ actiuitatis (vt dicunt) sphærã cõtineatur; Ita Iudex in quemquam qui sibi minime subiectus sit, iudicium ferre non valebit. Tu quis es, qui iudicas alienum fratrem? ait Apostolus ad *Rom. c. 14.* Siquidẽ scriptum est in lege, Per alienam messem transiens falcem mittere non debes, falcem enim iudicij mittere non potes, nec debes in eam segetẽ, quæ alteri commissa est. *Deut. cap. 23. cap. scriptum est. 6. q. 3. Boetius. lib. 4. de consolat. Philos. prosa. 2.* Hinc & *Plato in Gorgia, & Aristoteles. lib. 5. Polit. cap. 9.* tradideri ũt humanas actiones vt à nobis feliciter perficiantur, tria exigere, quorum primum est scire, tum velle, tum posse. Et *D. Thomas. q. 60. ar. 1.* vt iudicium, ait, rectum sit, tria requiruntur, nempe vt procedat ex Iudicis auctoritate, iustitiæ affectione, & prudẽtiæ rectitudine; si primum desideretur, dicitur vsurpatum, si secundum, peruersum, & iniustum, si tertium temerarium. Ex quorum defectu Iudicantem varijs modis peccare contingit, inter quos precipuus ille censetur, si in ecclesiasticas personas iudicium exercet, aut statuta contra eorum libertatem, & ecclesiæ immunitatem condit, vel si causas ad suum forum non pertinentes, & à sæculari iudicio exemptas cognoscere, & iudicare audet; qñquidem graue sacrilegij crimen admittit, actum nullum, & inualidum reddit, & in excommunicationem in Bulla Cœnæ Domini contẽtam incidit. *Molfes. tr. 8. c. 13. n. 12. Chanas. de Prud. l. 2. c. 6. §. 2.*

Secundo suppono parentes teneri præstare alimenta filijs, & dotem filiabus, nisi iustam exhæredandi causam habeant, quod non solum in legitimis, sed etiam in naturalibus, & illegitimis procedit, quoniam absoluti iuris est, alimenta, & dotem in iure æquiparari, & patrem etiam si clericus sit, ad alimẽta iure naturę teneri. Quinimo communis est sententia, filium naturalem institui posse vniuersalem hæredem à suis parentibus, si ipsi legitima prole careant, relicta tamen ascendẽtibus legitima portione, vt per *Molinam. tr. 2. de Iustitia. disp. 166. Reginald. lib. 25. num. 626. Bonacin. de contract. & testam. disput. 3. quæst. vltima. puncto. 3. num. 3.*

Addunt multi parentes teneri saltẽ mediocrem diligẽtiam adhibere, vt bona pro ipsis comparent, quò secundum proprium statum se alere possint, & post eorum mortem, sufficientẽ hæreditatem iuxta sui status conditionem habeant. *Molfes. tract. 11. c. 18. n. 83.* Est quoque apud omnes constitutum, patrem teneri filiæ nubenti dotẽ constituere etiam si filia diues sit, aut monasterium ingredi velit, aut patre inuito, vel indigno nubat, siquidem filia inuitis parentibus seruata Concilij Tridentini forma, etiam indigno nubens hæreditate priuari nequit, ne ea libertas tollatur, quę ad matrimonium requiritur, nisi filia sit minor 25. annis, & parentibus volentibus eam in matrimonio coniũgere id ipsa renuerit, & luxuriosam, turpemq; vitam degere elegerit. *Sanchez. l. 4. de matr. disp. 24. Bonac. de legibus. disp. 6. q. 1. p. 6. §. 3.* Vide quæ scripsimus infra *tract. 9. cap. 12. quæst. 27.*

RESOLVTIO CASVS ET QVAESTIONVM.

His sic suppositis, ad casus responsionem deueniendo, dico Primo Confessarij partes esse, has culpas, & contractas pœnas ipsi Galeacio Iudici, & Decurionibus aperire debere: statutum namque prædictum excludens religiosos, vel in totum, vel in parte à cognatorum successione, vel cuiuslibet alterius ex defectu potestatis nullum est, vt potẽ ecclesiasticam libertatem violans; & si enim huiusmodi Decretũ editum supponatur ad opulentam agnationem conseruandam, in quo publicus fauor versari videtur, nihilominus ad aliquam legem condendam non modo causæ iustitia requiritur, sed etiã legislatoris authoritate opus est, quę in præsenti casu deficit. Et licet religiosus per professionem mundo moriatur, non tamen iura naturalia, & sanguinis nobilitatem amittit. *Sanchez. de præcep. l. 7. c. 2. tr. 12. Duard. in Bulla Cœnæ. l. 2. can. 15. q. 19.* Itẽ statutum de non ferendis fœminibus, quæ aerem inficere apta sunt, &c. & si ob cõmunem vtilitatem, & cuncta rei publicæ bonum, cuius clerici pars existunt, latum sit, nec ex vi potestatis, nec ex naturalis rationis virtute ecclesiasticas personas ligat, nec in foro conscientiæ eos astringit, & multo minus ipsos clericos illud violantes pœnis afficere potest. Sicut etiam dicimus, Clericos non ex vi sæcularium edictorũ pretium mercibus præscriptum, sed ex naturalis iustitiæ, ac æquitatis dictamine seruare debere, qđ tñ si nõ faciant, & si peccẽt, à laica nihilominus potestate in eos animaduerti nõ põt, nam ẽt in publicum cõmodum, & bonum concernentibus, Clerici Laicorum sanctionibus, sine Papæ, vel Episcopi assensu, & speciali approbatione non comprehenduntur, quia spiritualis, ac temporalis potestas genuino discrimine inter se diuiduntur, iuxta illud,

Diuisum imperium cum Ioue Cæsar habet.

DD. in

DD.in cap.nouit.extr.de indicijs.cap.solita.extr.de maiorit.& obed.cap.ecclesiæ S.Mariæ.extr.de constitut.cap.non minus.de immunit.eccles.D.Thomas.1.2.quæst.96.ar.4.Sot.in 4.d.25.quæst.2.art.2.Nau.cap.23.n.88.Vincent.de Franchis.Decis.9.Marta.in tract.de Iurisd p 4.cent.1 casu.1.& 2.& 15.Io.Pet.Surdus.cons.301.Duard.in Bulla Cœnæ Domini.lib.4.can.15.quæst.18.& seq. Marc.Ant.Gen.in Praxi Archiep.Neap.c.9.& c.92.Menochius.l.9.& 10.cons.1001.Azor.p.1.l.5.cap.12.Carbo.de legib.l.9.d.14.Zerula.in Praxi Episcopali.in v.Pragmatica.Cou.l.3.var.resol.c.14.Salas.in tr.de empt.& vēd.d.9.Molf.tr.12.c.5.n.137.Megalus.22.l.2.c.6.q.10.& to.3.ad cons.Neap.p.12.tit.de iure cōgrui.

Quò etiam fit, vt ius congrui non habeat locum quò ad ecclesiasticos vendentes res stabiles ecclesiæ,nec quò ad Laicos easdem ecclesijs vendentes; nam lex ciuilis,vel Laicorum consuetudo de rebus ecclesię nil disponere potest,&c.*Megal.& Molf.l.c.*

Secundę quæstionæ respondendo, dico Galeacium Prętorem præter graue scelus,quo se obstrinxit, in eandem excōmunicationem ex hoc quoque capite incidisse, cum Blasium in iudicium traxit, & dotem filiæ soluere coegit; cum hoc munus Episcopo,vel Vicario de iure incumbat; & ex communi.DD. placito,ecclesiastici ad sæculare forū trahi nequeant,etiam si æs alienum cōtraxerint,aut delictum perpetrauerint, antequā ad ecclesiasticum ordinē eue&ti fuerint,vt per *Duard.cum cōi in Comment.in Bulla Cœnæ Domini.l.2.can.15.q.11.nu.4.* Partes ergo Confessarij erunt Galeacium Gubernatorem de suo malo statu admonere,& animę remedia ei adhibere,sibi enim Sacramenti pœnitentiæ minister persuadere debet, vltimum officij sui finem esse,erga sibi commissos pręstare, quod Apostolus dixit ad *Coloss.1.* Corripientes, & docentes omnem hominem in omni sapiētia,vt exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Iesu.Cum ei potissimū tria necessaria sint,nēpe Primo sciētia, & rerum ad mores spectantium solida cognitio.

Secundo charitas, quæ ad voluntatem benefaciendi,& iuuandi cupidam refertur. Tertio,loquendi libertas,vt omni trepidatione semota, pœnitenti verū aperiat & cum opus est arguat. Sicuti etiam boni pęnitetis munus est Cōfessarij monita libenter amplecti, & ab eodem præscripta fideliter exequi. Vnde *Canas.de Prud.l.1.cap.9.* Quia,inquit,vt integre,recteque confitearis, opus sæpe est à te varia quæri; Sacerdos autem viros morosos, aut primarios interdum interrogare non audet, adde illi hac in parte animum, si huius ordinis sis, & pete vt suo iure tecum agat, eademque confidentia, & libertate qua cæteros admoneat,ac etiam reprehendat. Q ęre tibi piūm,ac prudentē,quia si talis sit,adeo non te minoris faciet,quàm prius etiam grauia narrantem,vt ex aduerso tanto pluris facturus sit, & ad malum tuum ingemiturus,quāto te sæuerioi cui tui accusatorem sentiet hæc ille.

QVAESTIO CXXIX.

QVOMODO AGENDVM CVM REO QVI productis falsis testibus aduocati,& causidici praue consilio, veritatem in iudicio negauit, quo factum est,vt Iudex eum absoluerit,& sic institiam, & fiscum deluserit, & quid de negāte falso mutuū acceptum, & occulta crimina testibus obyciente?

THeodorus,cum Ciuitatis suę statuto vetitum sit,ne quis sericū, vel aliud simile merciū genus extra eiusdem vrbis ditionem deferat, sub pœna amissionis earum rerum, & duorū mille aureorum, de huiusmodi crimine apud Iudicem accusatus fuit, ob qđ in carcerē coniectus est, vbi cuiusdā aduocati consilio,& alterius causidici, vel procuratoris ope duos falsos testes adducit, qui iusiurandi religione adhibita, asserunt huiusmodi merces non fuisse ex earū numero, quæ municipali lege prohibentur, & sic fiscum defraudauit, ac delusit. Item cum à Gaspare centum mutuo accepisset, & confecta scriptura esset amissa, tantumq; per duos testes ipsum mutuum probari posset, ab ipso aduocato sic doctus positioni de mutuo factæ respondit,non mutuo recepi,& si recepi,illud restitui;& productis testibus,vt illorum dicta infirmaret, occulta crimina aperuit vt crimē falsi aliàs commissum,& excōicationis censuram, à qua absolutos eos esse non constet,&c. Quæritur,qđ in praxi in propositis casibus sit à Confessario in pœnitentiali foro agendum?

SVPPOSITA ET PRAENOTIONES.

REsp. Suppono illam inter cæteras conditiones, quæ in aduocatis, ac causidicis desiderantur,quod vera consulant, & afferant, incerta,et falsa deuitent: in quo genere grauiter, & cum animarum suarum pernicie delinquere solēt, quod ad defendendos reos, suorum clientum nomine hortantur,ac docent testes,vt falsum dicant, imò ipsos clientes etiam ad peierandum inducunt,per iocum iactantes,præstare esse martyrem,quàm Confessorem,qui nō solum hæc peccata esse non agnoscunt, verum etiam inde superbiæ,& iactātiæ occasionem arripiunt,quod opera, & consilio suo multi rei Iudicum laqueos effugiant: sed quam infelix, & misera sit eorum sors, vitæ exitus comprobabit. Sapienter Alexander ab Alexādro, vt in eius vita scribitur,vbi in iudicijs gratia, ac corruptionibus omnia transigi videret,relicto foro,& causarum actionibus,in humanioribus studijs, sibi ac musis viuens

ætatem

ætatem consumpsit, satius esse ducens, modico ciuilique cultu contẽtum viuere, quàm per fas & nefas, marsupiũ implere, & animi bona turpi quæstu, pessimoque exemplo fœdare. Vide quæ de Aduocatorum statu, & obligat. diximus *in Comment. de hum.vit.stat.p.2. cap.5.*

Secundo supponendum est, quod cum verba, scripturę, nutus, & huiusmodi alia, partim à natura, partim ab hominibus introducta sint, vt sententiarum nostrarũ signa, & interpretationes essent, manifestum est, grauiter eum peccare, qui aliud per ea proximis significat, quàm mente gerat: sic namque illos circumuenit, cõtra rectam rationem agit, humanam societatem violat, se improbũ testatur, & ad execrabile periurium sibi viam parat. Et licet omne mendaciũ vt pote deterrimũ, sit cauendum, præcipue tñ illud, per quod diuino adducto testimonio falsum in iudicio cõfirmatur, cum triplicem inuoluat deformitatem, nẽpe ex falsitate, ex periurio, & ex iustitiæ violatione, vt dixi *in Comment. de cas. reser. p.3. cap.4. sect.1.* Vnde dico, hoc falsum testimonium, quo tàm Theodorus, quàm aduocatus, causidicus, & duo illi testes inficiũtur, multiplicem deformitatẽ, vt dixi, implicare, primo periurij, contra secundum decalogi præceptum. Secundo, iniustitiæ, contra septimũ, cum fisco per illud damnum intulerint. Tertio falsitatis, octauum Dei mandatum violando, proinde videndũ est, an periurij peccatum sit ibi Episcopo reseruatum, ne sine debita facultate ipse Cõfessarius absoluat, non tamen cogendi sunt ad aliqđ damnũ fisco resarciẽdum; cum ex notissimo iuris axiomate, Pęna ante Iudicis condemnationem non debeatur, intolerabilisque esset lex, quæ homines adeo adstringeret, vt proprijs bonis, quantumuis locupletati, sua sponte se abdicarent, eaque fisco offerrẽt, iuxta à nobis supra tradita, *tr.5.c.8.q.55.& per Sanchez l. 10. de mat.d.8.n. 14.& per Beiã p.1.resp.ca. consc.casu.58.& Regium casu. 11. Sayrum.l.12.cl.reg.cap.17.num. 18.& alios communiter.*

Secus dicendũ est, si ob falsum testimoniũ cõuictus quispiam est, qui morti addicitur, siquidẽ falsus ipse testis tenetur etiã cum vitæ periculo illum à morte eripere, in quam adegit. Sed si quis crimen commisit, ob quod ille falsò condemnatur, & nihil illi imposuit, nulla lex homicidij reum se ipsum prodere cogit. *Sot.l.4.de Iustitia.& Iu.quæst.6.artic.3.* Idem *Sayr.l.c.cap.19.num.2. Graffius.lib.2. Decis aur.cap.132.num.29.& consi.2.de homic.p.2. diff.2. Pet.Nau.l.2.de restit.c.1. num.76. Io.Bapt. Corradin resp.mor.quæst.128. Reginald.l.21.num. 167. De qua re infra in hoc tract. latius dicemus.*

Aliud etiam resoluẽdum est, si Iudex per iniquitatem reum ad pœnam lege præscriptam non condemnet; si tabellio in scriptis falsum apponat, aut verum subticeat; si testes veritatem negent, de qua iuridice interrogantur, propter quæ reus iustæ pœnæ non adiudicatur, sed ab ea absoluitur; oẽs enim isti pœnam ad quam reus explicata veritate cõdemnatus fuisset, soluere tenentur, & omne damnum iniuste fisco illatũ compensare. *Beia, & Regius.l.c. Bonacin.de legibus.d.10.quæst.3.p.4.num.7.*

Ad secundam q. dico, si Theodorus centum aureos mutuo datos à Gaspare, reuera accepit, humanas aures periurium, & mẽdacium perhorrescere, quod ipse & aduocatus sua sor cõmittunt, & insuper ob iustitiæ leges violatas obnoxios se facere restitutioni damnorum, quæ ipse Gaspar creditor patitur. Itidem ad famam testibus ablatam restituendam teneri, cum occulta crimina ad falsum defendendum obiecerunt, siquidem contra testes veros id est veritatem in aliqua re deponentes, crimina vera sed occulta opponi nequeunt. Imò contra testem etiam falsum crimina occulta, vel secreta aperire non licet, nisi hæ conditiones interueniant. Primo, vt reus iuste se defendere nequeat, nisi occulta delicta, & infamiam objiciendo. Secũdo, vt non nisi illa crimina opponantur, quæ fidem ipsius debilitare possunt. Tertio, vt damnum imminens testi, ex oppositione criminis occulti cõparetur cum detrimento, quod reus absque tali obiectione subiret, quia grauis iactura testis leui incommodo ipsius rei præponderare debet; quæ omnia in omni iusto iudicio tàm ciuili quàm criminali ante oculos habenda sunt. *Tol.l.5.cap.60. Salon.22.quæst. 70.artic.3. Val.tom.3.d.5.quæst.14.p.3. Reginald. l.24.num.140. Bonac.de legibus.d.10.quæst.3.p.2. num.10. Ala.de aduoc.christ.p.1.quæst.74.*

QVAESTIO CXXX.

QVID CVM RELIGIOSO OBSERVANDVM, qui fratris crimen sine præuia admonitione ad Superiorem detulit, & de proprietate accusauit, &c.

Octauianus sacerdos regularis vidit Blasium collegam suum in eodem monasterio commorantẽ, semel noctù eiusdẽ conuentus septa egredientem, atque eum non bene à se dilectum nulla adhibita admonitione, Prælato singula Prouinciæ collegia visitanti denuntiauit, propter quod in carcerem eum detrudi iussit. Itẽ eum accusauit quod, absque Præfecti domus licentia D. Licinio in eodem conuentu socio quædam scripta donauit, quæ conciones & lectiones ad casus consciẽtiæ spectantes continent, vnde petit eum declarari proprietarium, & in pęnas in Bulla Clemẽtis VIII. de largitate munerum contẽtas, atq; in casum in religione reseruatum incidisse. Nec non eisdem pœnis subijci possu-

postulat, eo quod ab externis suis deuotis, ac pœnitentibus nummos accipiat, ac inscio Præfecto necessarios sibi libros emat, quos apud se in cella retinet, quæritur quid sapiens Confessarius circa hos casus consulere debeat?

SVPPOSITA ET PRAENOTIONES.

RESP. Dubium non est regularem Prælatum in primis cum Iudex sit futurus, in ecclesiasticis sanctionibus regulari scientia, hisque quæ ad iudiciarium ordinem spectant, versatum esse debere. Siquidem teste D. Bernardo, Pastori tria conueniunt, Bonitas, disciplina, & scientia. Bonitas attrahit, disciplina corripit, & scientia docilem reddit, vt quæ muneris sui sunt, rite explere queat.

Monasteriorũ pariter Pœnitentiarij cum in foro interno, & pœnitentiali Iudices, & Doctores sint, eadem sufficienti peritia muniri debent, vt docere possint quando quis aliquod delictum reuelare teneatur; & quando nam rei Iudici interroganti verum fateri debeant. Vnde prudenter quidam religiosus ad audiendas confessiones recens admissus, ad quem quidam Iudex pro abstergẽdis animę sordibus accesserat, cõfestim dixit se huiusmodi farinæ hominum confessiones minime excipere.

Secundo præsuppono, veriorem, & communiorem videri sententiam, peccatum esse mortale, & contra Christi præceptum, tàm Prælati præcipientis sine secreta monitione occultum fratris peccatum prodere, quàm ipsius qui obtẽperat; ac proinde grauissimorũ virorũ iudicio, in maximo errore versari religiosos, qui in uisitationibus fratres de aliquo occulto crimine correctos, vel non seruato ordine fraternæ charitatis, qua probabiliter ipsi mederi possint, temere ad Visitatores deferũt; modus enim in Euangelio de ordine correctionis præscriptus æque religiosos, atque alios fideles ligat. Et quamuis ipsi regulares quò ad ea quæ vouent, sui iuris non sint, quò tamen ad famæ conseruationem propriæ sunt potestatis, neminique subijciuntur. *D. Thomas. 22. quæst. 33. art. 7. Sayrus. in cl. reg. l. 11. cap. 4. num. 13. & seq. Lopez. p. 1. instruct. conscientia cap. 69. Nau. cap. 24. num. 14 Bannes. 22. quæst. 33. art. 8. Val. tom. 3. disp. 3. quæst. 10. pun. 5. Bisfeldius. in Ench. theol. past c. 3. de correct. frat. Franc. Aret. in pract. crim. can. capit 3. Cortol. de cas. reser. regul. p. 2. cap. 5. §. 3. Roder. tom. 2. qq. regul quæst. 19. ar. 4. cõtra Sanch. & alios ab eo relatos. l. 6. de præcep. c. 18.*

Tertio, vt reus coram Iudice veritatem fateri teneatur, tria requiruntur, Primo, vt interrogans sit verus, & legitimus eius Iudex. Secũdo, vt delictum sit ad minus semiplene probatũ, hoc est per vnum saltem testem omni exceptione maiorem, aut per indicia illi testi ęquipollentia, aut per infamiam ad minus per duos testes probatam, iureiurando asserentes, se à pluribus personis non discolis, neque inimicis, sed fide dignis audiuisse. Tertio, vt probatio sit iam in processu posita, & reo manifestata, vt sciat, in quonam statu res versetur, videatque se iuste à Iudice interrogari, ac proinde eius mandato obedire teneri. *Nau. cap. 25. num. 35. & cap. 18. nu. mer. 58. Bannes. Salon. & Arrag. 22. quæst. 69. art. 2. Azor. p. 3. l. 13. cap. 25. dub. 3. Lessius. l. 2. cap. 31. dubit. 3. Reginald. l. 24 num. 39. Carbo. de restit. q. 51. Beia. p. 1. casu. 32. & p. 3. casu. 17. Sayrus. l. c. lib. 12. cap. 17. Molfes. tract. 11. cap. 11. nu. 77. vt attigi etiam supra tract. 5. c. 16. quæst. 96.* Est tamen multorum probabilis sententia, vt quamdiù sit euadendi spes, etiam si reus iuxta prædicta legitime interrogetur criminis veritatem fateri non teneatur, vt quia adesset solum semiplena probatio, vel alia pręcederent indicia, quæ solum ad torquendum reum sufficiunt; siquidem tale præceptum prudẽter interpretari debemus, vt humanæ conditioni sit accommodatum. *arg. cap. erit autem lex. d. 4. vt ibi per citatos Doctores, vt infra etiam de hoc dicemus.*

Tertio supponendum est, loquendo nunc de religiosis subditis, de iure cõmuni nihil donare posse, ne quidem ad causas pias, nisi ex beneplacito suorum Superiorum, siue sit expressum, siue tacitum; cum enim nil proprium habeant, nullius etiam rei dominium in alium transferre possunt. *cap. non dicatis. 12. quæst. 1. capit. cum ad monasterium. extr. de stat. monach. Lessius. l. 2. cap. 18. dub. 11. Filliuc. tract. 34. c. 3. quæst. 4.* At Constitutione Clementis VIII. *Incip. religiosæ Congregationes*, prohibentur donare omnes regulares vtriusque sexus, siue sint superiores, siue subditi, siue officiales, siue simplices religiosi. Et in ea præscribitur modus in aliquibus casibus donandi; & Primus quidem est, quãdo in Capitulo generali ex iusta causa fit aliqua donatio. Secundus, quando donantur leuiora esculenta, & pocuknta, seu ad religionem, vel deuotionem spectantia: taxatio autem rerum minimarum quantitatis ad Superiores spectat, vt Expositores illius Bullæ testatur. Communiter vero ex praxi religionum quæ sunt in viridi obseruantia, duorum aureorum valor tàm quò ad religiosos inter se inuicem donãtes, quàm quò ad exteros, minima excedere non censetur, si cum facultate Superiorum donatio fiat; & si aliqui ad summam trium, quatuor, vel quinque Iuliorum strictius redigant.

Et licet, vt dixi, multi velint vt religiosi donando summam, quæ in se sit peccatum mortale, vt duorum vel trium Iuliorum, in illas pœnas incurtant, verior tamẽ & receptior est opinio, vt si quantitas duos aureos non excedat, & si regularis mortaliter peccet, & casu reseruato afficiatur, nõ tamen Constitutionis Clementinæ pœnas subeat, vt per

Filliuc.

Filliuc.l.c. & Molfes.tract.7.capit.20. numer.86. Circa quas pœnas, quæ præcipue sunt priuatio officiorum, & vocis actiuæ & passiuæ, obseruãdum est, quod licet religiosi ex delicto occulto perpetrato illas ipsofacto contrahant, nemo tamen ob officio, & voce actiua, & passiua se abdicare tenetur, quãdo per huiusmodi renuntiationẽ, fama, honorque periclitaretur, vt per *Sorbum in annot. ad Comp. Priuileg. Mend. v. Dare. Sayr.l.3.cl.reg. cap.10.num.85. & Filliuc.l.c.quæst.11.*

Sed quidquid de hoc sit, hæc regularibus prohibita largitio non intelligitur de donatione illarum rerum, quæ sunt partus intellectus, vt conciones, lectiones, & huiusmodi scripta, quæ non sunt res monasterij, ideo religiosi ea licite sibi inuicẽ dare possunt, vt Clementẽ VIII. declarasse refert. *Coriol. de cas.res.p.2.casu.8.* Hanc porro Constitutionem in his quæ per se voto paupertatis nõ repugnant, vbique receptam non esse multi affirmant; ideo sicut Confessarius pœnitenti regulari, & sæculari consulere non debet vt qualemcunque vsum cum præiudicio Bullæ sequatur, ita ille condemnandus non est, qui legitime præscriptam suæ prouinciæ consuetudinem obseruaret.

Quarto suppono qđ adhoc vt religiosus sit proprietarius, & in casum proprietatis in religione reseruatũ, & in pœnas à Cõstitutione Clemẽtis VIII. inflictas incidat, necesse est, Primo vt rem alicuius momenti saltem dimidij aurei tanquam dominus possideat, siue sint pecuniæ, siue aliæ res; recepta est enim cõmuniter doctrina tradita à *Nau. Comment. 2. de regul. num.2.* quidquid sub votum paupertatis stricte sumptum cadit, aut esse pecuniam, aut æstimabile pecunia. Secundo, vt eam clam absque licentia, siue expressa, siue tacita retineat; nam adhoc vt religiosus quippiam possit dare, donare, vel aliquid retinere, &c. saltem quò ad forum cõscientiæ non est simpliciter necessarium, vt sit expressa, & specialis, sed sufficit, quod sit tacita, & generalis, cum eadem sit ratio taciti, & expressi, & furtum sit cõtrectatio rei alienæ inuito domino: & religiosus posset rationabiliter præsumere de consensu Prælati, si hic esset pastor discretus, nõ scrupulosus nodum in scirto quærẽs, & ille esset familiaris, virtute præditus, vir grauis, & de religione benemeritus, vt per *Mirandam. in Mant. Præl. reg. tom.1. quæst.28. art.14. Faustum. de vitio propriet. disput.34. q.10. & 36. Less.l.2. de Iustitia. cap.41.dub.9.* Tertio requiritur, vt religiosus non habeat animũ paratum ad resignandũ in manibus Prælati, si eam petat.

RESOLVTIO CASVS ET QVAESTIONVM.

Confessarius ergo respõdere poterit, Octauianũ, non ex christianę prudẽtię, charitatisque præscripto egisse cum Blasium de occulto crimine, nulla fraterna admonitione præcedenti, ad Superiorem detulit. Item ipsum Superiorem pariter non iuridice, statim ad vnius forte aduersi, æmulatoris, & inimici relationẽ, ipsum Blasium cum tanta eius famę iactura in carcerem detrusisse; non.n. omnia à Prælato credenda sunt, quę ad eum de subditis deferũtur; notissimæ quippe sunt calunniæ, quæ cõtra bonos viros, vel in religiosis ordinibus, ab inuidis, & maleuolis vt præ alijs amentur confinguntur.

Propterea consulto omnia aget, & ante tacitus apud se diligens sit veritatis inuestigator, & omni affectu deposito momẽta discutiat, & serię rei agendæ consiliarios suos subinde adhibeat. Sciatque in omni delatione, potiorẽ autem reo concedendam, & ad nullius etiam magni viri accusationem iudicium firmandum, & indubitatam rem in animum admittendam, certus magnam partem dubio inniti fundamẽto; ac memor sit, faciliorem esse tardioris credulitatis, nimiæque cunctationis, quàm nimiæ credulitatis, ac præferuidæ properationis veniam. Nusquam è solis, & nudis delationibus ad aliquid opere explendum procedat; nam si innocens reus deprehendatur, mœrore contabescet, ac magnus religionis cultor ceca Superioris executione cadet, omni frequenter reparationis spe erepta, &c. *Scrib. de Sup. relig. l.1. cap.20. ex cap. si quid vero. dist.86. Innocent. III. in cap. pœnit. extr. de præsump. vt dixi in Comment. de hum. vit. stat. p.1.c.22.* Insuper respõdebit eũdem Blasiũ, vt reũ accusatũ, nõ teneri suum crimen occultũ Superiori nõ legitime interroganti aperire; cum testis nõ sit omni exceptione maior, sibi infensus, nec delictum vllis indicijs, vel infamia laboret. De qua re vide in eisdem *Comment. p.2. cap.4.*

Addo, vt supra insinuaui, aliquibus grauibus virus, non sine solidis rationum fundamentis improbabile non videri, reum mortifere non peccare, negando crimen, præsertim in causa capitali, aut vbi de graui dedecore agitur, quamdiù euadendi spes affulget, etiam si iuridice interrogetur: cum nemo contra se teneatur exhibere id, per quod sibi negotium facessat, & ipsa tã vehemens inclinatio, quam natura ad sui conseruationem indidit, satis indicet, hanc ei facultatem per licita media se tuendi concessisse. *Pet. Nau. l.2. cap.4. num.142. Lessius lib.2. cap.31. dubit.3. num.16. Arrag. 22. quæst.69. artic.2. Roder. in regul. qq. tom.2. quæst.19. art.4. Reginald. lib.24. num.37.*

Ad tertiam quęstionem dico, quod cum Blasius regularis sua scripta, siue proprij ingenij partus, conciones, lectiones donauit, tàm à casu reseruato, quàm à pœnis in Bulla Clementis VIII. contentis immunis est cum, vt in suppositis significaui, hmõi res à largitione inter religiosos facienda excepetit.

Iudem

Itidem assero quod si inscio superiore acceptis ab externis nummis libros emerit, videndum est, an his pecunijs, & libris vtatur absque Superioris voluntate expressa, vel tacita, an secus: si primum contra paupertatem delinquit, & in casum reseruatum incidit, non tamen pœnas Clementis VIII. subit, cum nil largiatur, Cõstitutio autem de donatione vel largitione loquatur. Imò non est condemnandus tanquam paupertatis violator, quamdiù eos in cubiculo tenet palam expositos, omnibusque obiectos, nam quidquid hoc modo religiosus hẽt, Superiorum suorum voluntati, potestatique subijcitur. *Azor. p. 1. l. 12. cap. 12. quæst. 3. Coriol. de cas. reser. p. 2. casu. 4.*

CAP. XXXIII.

QVÆSTIO CXXXI.

QVID CVM POENITENTE AGENDVM, qui ex lenibus indicijs alterum de nefando vitio iudicauit, & hæreticum esse suspicatus est, &c.

PEtronius cum vidisset Andreã iuuenem cum quodam spectatæ, & elegantis formæ puero sæpius colloquia miscere, ac secum tàm per vrbem incedendo, quàm in priuatis ædibus conuersari, im puro amore erga eum affici, & pessimũ vitium cum eo perpetrare iudicauit, quem postea animi sui con ceptum duobus socijs manifestauit. Itẽ cum Ioannem cerneret quodam Quadragesimæ die corpore specie sano, ac valido carnes comedentem, & à proprio Parocho reprehensum, quod proximo Paschate præterito animam sacramentali confessione, non expiasset, nec sacram synaxim ex christiano more sumpsisset, suspicatus est eum hæresis labe infici, propter quod eius consortium, & consuetudinem vitat, inde alijs suspicandi simultatem aliquam, vel inimicitiam inter ipsos intercedere, ansam & occasionem præbẽs. Insuper cum per violatæ religionis Iudicem per monitoriũ propositum esset præmium 500. aureorum indicanti delictum eorum, qui Sanctorum Imagines impie, & sacrilege deturpant, ex aliquibus leuibus indicijs motus ipsum Ioãnem ad S. Inquisitionis officium detulit ex quo tamẽ nihil probatum est. Quæritur quomodo in præsenti casu tribus partibus vel capitibus constanti se gerere Confessarius debeat?

SVPPOSITA ET INSPECTIONES.

REsp. Supponendum est ex à nobis adductis, supra *tract. 6. cap. 26. quæst. 118.* iudicium temerarium esse internum mendacium, seu falsum mentale testimonium contra proximum, cum quis scilicet ex læuibus, & insufficientibus indicijs, certum & deliberatum in re graui contra alium iudicium fert, vt cum iudicat ipsum lethaliter delinquere, aut in statu peccati mortalis iacere; siquidẽ ad mẽdacium spectat, si certo id definiamus, quod an tale sit, nescimus; sicut ad periurium pertineret, si contra religionis virtutem de eodem iuraremus.

Mirum est autem, quantum humana mens ad praua iudicia, & suspiciones concipiẽdas procliuis sit, ita vt aliquando. D. Io. Chrysostomus dixerit, Ab hoc vitio neque sæculi hominem, neque monachorum vllum facile inuenies liberum; cum tamen libido, aut voluptas nulla sit in illo, sicut in cæteris solet esse peccatis, sed potius multus labor, cum humano corde nihil incomprehensibilius sit, &c. *Nau. cap. 12. num. 8. & cap. 18. num. 9. Salon. Arrag. & Val. in 22. quæst. 60. art. 3. Sayr. l. 12. cl. reg. cap. 3. Reginald. l. 24. cap. 2. num. 20. Fabian. Iustin. super Iob cap. 2. vers. 21. docum. 1.*

Secundo præmittendũ est, suspicionis, quę iudicium quoq; temerariũ comprehẽdit, tres esse gradus ex *D. Thoma. in d. art. 3. & ibi interpretibus.*

Primo quando quis de alterius bonitate dubitare incipit, quod tãtum venialem culpam secum affert, attamen ex multorum DD. sententia mortalis esse posset, quando ex leuibus indicijs grauissimum malum de proximo voluntarie, & id aduertens, suspicaretur, vt quod esset hæreticus, nefandi peccati lue laboraret, patriæ proditor esset, &c. *Salon, & Arrag. d. ar. 3. Val. puncto. 3. Sayr. l. c. num. 8.*

Secundo, quando quis certo de alterius malitia, ex incertis signis iudicat, quod ex omnium placito mortale peccatum est, si materia super quam iudicium deliberate fertur, grauis sit. Ex physiognomia tamen licet aliquando probabilia iudicia facere, nam & *Paris. de Puteo. in tract. de sindicatu. & Blanc. in tract. de indic. num 405. & seq.* tradunt se bis ob ipsã physiognomiã iudicĩũ fecisse, vt vnũ ob bonam corporis speciem innocẽtem iudicauerint, & alterum turpi laborantem, reum censuerint, nec huiusmodi falsam fuisse censuram, nam ita re ipsa fuisse, postea se reperijsse testantur. Et vt ait *Abb. in cap. quia diuersitate. ext. de conceß. prab.* Raro accidit, vt in corpore deformi nobilis formosusq; animus habitet, siquidem teste *Galeno. l. de temper.* Natura membra componit prout moribus animę conuenit. Vnde & Martialis Zoilum quendam ex oris deformitate malum esse suspicatus est, atque ideo dixit,

Crine ruber, niger ore, breuis pede, lumine læsus,
Rem magnam præstas Zoile, si bonus es.

vt per *Tiraq. l. 2. connub. & Lopez. in Schol. ad Diax. cap. 17.* Vbi notant, non solum ab ordine suscipiendo eos repellendos esse, qui moribus iacturam ali-

quam fecerunt, sed eos etiam qui eorum culpa, vel sine culpa aliquam corporis labem contraxerunt, nam deformis facies malos mores arguit, vt & de Iuliano Apostata fecit. D. Gregor. Nanzianzenus. Et de Mahumete. D. Isidorus Hispalensis. *Mascar. de Probat. concl. 831. volum. 2.*

Quin & Socrates illud Zopyri iudicium de ipso ex physionomia factum, illum scilicet stupidum, & libidinosum esse, verum asseruit, nisi naturæ indecentes motus philosophiæ studio compressisset, vt auctor est, *Cicero in lib. de facto.* Verum ex christianarum legum præscripto, haud liceret ex corporis dispositione, vel physiognomia, absq; graui culpa de alterius malitia certum, ac determinatum iudicium ferre. *Io. Aquilanus. serm. 16. & ex communi sententia tradit. Sanchez l. 2. de pracep. c. 38. n. 44.*

Tertio, quando Iudex ex sola suspicione ad iudicandum, & ferendam sententiam inducitur, quod crimen esse mortale, charitatique, ac iustitiæ repugnare dignoscitur. Aliquæ tamen suspiciones dantur, quæ ad probationem sufficiunt, vt si nudus cum nuda in eodem lecto sit repertus, vel aliquis iuxta occisum districto ense, & sanguine cõsperso deprehendatur, &c. *cap. dixit. 32. quæst. 1.* Vel si citatus ad respondendum de fide, veluti in ea vehementer suspectus non comparuit, & excommunicationẽ per annum pertinaci animo pertulit; anno enim elapso ex hoc facto hæreticus reputatur, & sicut talis damnatur. *cap. cum contumacia de haret. l. 6.*

Itẽ aliæ sunt ꝓbabiles suspiciones, ex quib. infamia nascitur, vt si qs male audiẽs solus cũ sola muliere iuueni, vel puero loqui reperiatur. Itẽ si qs diebus vetitis ab esucarniũ non abstineret, ecclesiæ sacramẽta ꝓscriptis tẽporibus nõ reciperet, hęc nãque suspicionẽ malę credulitatis pariunt, probationem tamen in contrariũ recipiunt. *Pegna in 3. p. Direct. Inquisit. Comment. 34. Molfes. tract. 11. c. 22. n. 158.*

RESOLVTIO CASVS QVAESTIONIS

ET ex his Cõfessarius facile deducere poterit, quomodo pręsenti casui satisfacere possit, dicendo quò ad primam partem, Petronium mortiferæ noxę reum factum esse, cum Audream de tàm turpi, ac nefario flagitio, nullis alijs adiunctis circunstãtijs aliud suadẽtibus, temere iudicauit, cum vt ait ille, Bonus vir etiam criminis suspicionem vitare debeat; & cum illud iudicium non manifestatis leuibus indicijs subinde alteri prodidit: nã cum non solum charitatis, sed etiam iustitiæ leges per detractionem violauerit, restituendi famam obligationem contraxisse censendum est. Qua sane in re inertes muscas imitatus est, quæ prætermissis, quæ in corpore integra sunt, ad vlcera conuolant, & etiam araneam, quæ ipsas muscas inuolans, eas postmodum in venenum conuertit.

Quippe pessimi est Trapezitæ virtutibus posthabitis vitia librare, & venari; quod ne faciendum quidem esse cum de aduersarijs agitur, monet suo exẽplo. *Quintilianus.* Cuius. *l. 7. c. 1.* hęc sunt verba, Erat mihi curæ in cõtrouersijs forẽsibus nosse omnia, quę in causa versarẽtur; & nõ minus pro aduersa parte, quàm pro mea cogitabã, &c. *Rebellus. l. 2. de restit. quæst. 10. sect. 10. num. 4. Azor. p. 3. lib. 13. cap. 11. quæst. 1. Bonac. de cont. d. 2. quæst. 7. p. 2.*

Insuper cum secundo loco Ioannem ex vnico, vel duobus actibus trãsgressionis præceptorum ecclesiæ consultò, & aduertenter, hæreticum esse suspicatus sit, & cum multorum scandalo ab eius amicitia, & consuetudine se subtrahat (vt nonnulli Doctores sentiunt) à mortali peccato nõ excusatur. Cui sententiæ, & si quò ad secundam partem de scandalo, & offensionis occasione data subscribam, quò tamen ad primam solam suspicionẽ, esse peccatum mortale in praxi non facile admittendam existimo, cũ suspicio nil certi affirmet, & iudicium assensum suspẽdat, &c. *Comis. l. 4. respons. Mor. quæst. 46. Caiet. in verbo. suspicio. Pet. Nau. l. 2. de restit. cap. 4. num. 453. Lessius. l. 2. cap. 29. dub. 3.*

Tertio existimo non rectè fecisse, nec à graui culpa excusari, si ob leuem suspicionẽ, & ob signa, quę facile fallere possunt, Ioannẽ de tanto crimine denuntiauit, siquidem vt aliàs animaduertimus, Edicta quibus aliqua quæ scimus denunciare, vel deferre iubemur, eos nõ ligant, qui quoquomodo audierunt, vel suspicãtur, sed eos tantum, qui illud per visum, vel alium sensum corporeum sciunt, vel per cõfessionem eius, qui illud commisit, aut quod pro indubitato habetur, seu saltem ab aliquo fide digno, qui illud sciebat, audiuit. *ex Nau. in cons. 3. tit. de hæret.* Pariter puto ipsum Petroniũ non posse in vtroque foro præmium 500. aureorum consequi, nam adhoc vt ob tale edictum denũtians mercedẽ illam lucretur, necesse est vt probet; sic enim ex generali consuetudine, & praxi receptum esse DD. testantur, atque ideo in huiusmodi monitorijs exprimi solet, quod delictum deferens impunitatem, & præmium adipiscetur, modo illud ita patefaciat, vt de delinquentibus certis constando possit specialiter de eodem delicto inquiri, & id qđ prętẽditur consequi. verba .n. cũ effectu intelligenda sunt, vt per *Iul. Clarum. l. 5. sent. in. §. fin. q. 27. Lazar. de monit. sect. 4. q. 7. Nau. cons. 19. de sent. ex. comm. Tusebus. in v. verba legis. concl. 90.*

Quæ autem indicia leuia dicantur, quæ temerarium iudicium, vel suspicionem in qualibet materia mortale peccatum constituere possunt, cum certa regula dari non possit, prudentis arbitrio relinquuntur. Si enim petulãs personarum suspectatum quæ male audiant, & malo notentur nomine,

in

in suspecto loco intercedat con'ortium, sufficiens causa ad aliquid mali iudicandum esse posset, & Petronius à culpa temerarij iudicij excusari valeret siquidem perpensis circumstantijs, virum probum, & prudentem ad id iuducere posset. Item conditio personæ de qua iudicium concipitur, perpēdenda est, nam vt ait. *Gregor. de Val tom. 3 disp 5. q 4. pun. 3.* Siquis virum religiosum temere iudicaret obnoxiū esse alicui peccato veniali ex quibusdam, quæ non minus religiosos infamāt, ac notāt quàm quædam peccata mortalia sæculares; cuiusmodi peccata venialia sunt mendacia frequentia, & varia genera læuitatum, ob quæ indigni reputantur religiosi muneribus conuenientibus instituto sui ordinis, hæc enim & similia iudicia, & si ratione læuis materiæ secundū se venialia sint, attamen considerata persona, notabiliter eam lædunt, & inter grauia censenda sunt. Eadem ratione licet allocutio alicuius grauis personæ in loco secreto, sit læue indicium ad suspicandū de eo malum, quia ad meretricis conuersionem ordinari potest, at in procaci iuuene ad de eodem male suspicādum sufficiens argumentum præbet, & ideo prudētis viri arbitrio, iudicanda reliquuntur, vt dixi supra *tract. 6. c. 26. quæst. 118. & seq.*

Porro quilibet fidelis sedulo, & diligēter cauere dēt, ne ex aliqua actione sua alteri scandali, vel offensionis ansam præbeat, serio namq; nos admonet. *Apostolus ad Thess. 1. c. 5.* ab omni specie mali abstinendum esse, (vt etiam traditur *in cap. cum ab omni. ext. de honest. cler.*) docens, licita etiam & vtilia aliquando nobis relinquenda esse, quæ speciem mali habent, ne scandalo pusillis simus, nam vt uel sapienter protulit. *Cicero. l. 1. offic.* Negligere quid de se quisque sentiat, non solum arrogantis est, sed etiam omnino dissoluti. Hinc veniale peccatum lethale efficitur, quando ex illo graue scandalum, aut dumnum proximo ingeritur: ex *Sanchez. & communi. l. 1. de precept. c. 6. & 7. & Reginald. l. 14. n. 22.* vt proinde apud Deum non solum suorum peccatorum fit reus, sed illorū quoq; qui suo malo exemplo offenduntur. *Iustin. super Tob. cap. 8. vers. 12. in doc.* Ex qua regula infertur, etiam si quis concubinarius non sit, si tamen pro tali habetur, non solum fœminam ex domo eijcere teneri, sed etiam suspectam non adire, aliàs à Confessario absoluendus non est, ex *Nau. cap. 16. num.* 20 quem recentiores sequuntur, & *Gambar. p. de cas. refer. casu. 3.* Et mater, v. g. habitās cum filia turpē vitā cum vicinorum scandalo ducēte, si apud eos lenocinij, vel cōsensus in eius peccata suspicionem & notam subit, è domo abire adigenda est, & de similibus casibus sæpius in praxi contingentibus iudicandum est.

Vbi tamen illud est aduertendum, aliud esse iudicare de re ipsa, aliud de persona, non etenim peccat, qui videns, v. g. Ioannem carnes in Quadragesima comedentem, actum illicitum ab eo exerceri iudicat, modo illum illicite id facere, & sine facultate iudicium non ferat. *D. T hom. quæst. 60. art. 4.* cui omnes scribentes subscribunt, vt per *Sayr. d. cap. 3. num. 26. & Molfes. l. c. num. 179.*

Itidem nos non teneri opera bona relinquere, vt aliorum pharisaicum scandalum euitemus, cum scilicet quis ex malitia ex pietatis operibus scandalum sumit, quod aliàs animaduertimus ex *Sāchez. lib. 1. de præcep cap. 6. & 7. & Molf. s de communi tenentes. tract. 2. cap. 10. & Labat in app. ad conc. in v. scandalum proposit. 3.*

Quæ uero remedia Petronio sint à Confessario contra temerarium iudicium danda, petere poterit ex traditis supra *tract. 6. cap. 26. num. 120.*

Quibus hoc nunc adijcere placet, Inter cætera, quæ in familiæ alicuius directione, & mutuo cum alijs commercio difficilia occurrunt, non postremum occupare locū simplicitatem cum prudentia nosse coniungere; nimia namq; synceritas, & candor cum magno prudentiæ præiudicio decipi soler, & nimia prudentia, & cautela suspecta est cum non læui synceritatis, ac christianę simplicitatis detrimento. Idcirco Dominus qui de Cœlis in terras descendit, vt iustitiæ viam nobis panderet. *Matth. cap. 10.* præcepit, vt essemus prudētes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ, nempe vt à columba ipsam puritatem, & mansuetudinem acciperemus, abiecta uecordia, & insipientia, ne de nobis dicatur, quod olim de Ephraim *Osea. cap. 7.* protulit. Sicut colūba seducta non habēs cor. E' serpentibus vero prudentiam, & cautelam disceremus, vafricie, & dolo relictis, ne scilicet curiosè, temerè ac peruersè aliorum vitam inspiciamus, ac scrutemur, modo tamen in rebus tùm proprijs, tùm aliorum, quæ nobis incumbunt, stupidi, ac negligentes non simus. Quandoquidem cum de damno aliquo vitando, vel remedio alicui futuro malo adhibendo agitur, licet suspicari, & in dubio in deteriorē partem interpretari, non quidem iudicando aliquem improbū esse, sed vt ab eo caueamus, de cuius probitate incerti sumus. Sic namque plures à culpa excusantur, qui aliquem ignotum in domos suas admittentes bonis suis cauent, ac si dubia illius esset bonitas, dummodo pro improbo illum non habeant, nec vt talem eius famam denigrando, apud alios non prodant.

Prudenter quoque se Superiores gerunt, qui ob aliqua dubia indicia subditos obiurgant, & illis corrigendis alia remedia tanquā malis admouent, non vt tales apud eos iudicentur, sed vt in christiano officio eos contineant, & ad perfectionem perducant. Cauere tamen debent, ne modū excedant, vel illos alijs suspectos reddant, aut de illorū virtu

tibus diffidere videantur, iuxta illud, Suspicionibus securis admouẽda; Si .n. superiores pſertim religiosi imprudentibus apprehenſionibus, ac ſuſpicionibus teneantur, vniuerſam domeſticam gubernationem euertent, inuiſi, graueſque ſuis fient, neq; apud tales ſubditorum virtus, probitaſq; annis plurimis teſtata, nec probata innocẽtia, nec ratio locum habebunt. Cumq; perpetuo tanquam fluctibus anxietate mens iactetur, mille cogitationibus ſe ſuoſque cruciabunt: & vt ingenioſa ſuſpicio eſt, in vna mille difficultates inuenient, quibus ſe ipſos, ac ſubditos inuoluant, quin illis impedimento erunt, ne generoſo auſu ad magna tendant, ſæpeque cauſam præbebũt, vt & ad præclara, & illuſtria nati, in otio torpeant, & ab ijs muneribus excludantur, in quibus ingẽti nominis diuini propagatione, proximorumque ſalute occupari poterant, &c. *D. Thom. d. art. 4. Leſſius. d. cap. 29. numer. 42. Sayr. d. cap. 3. num. 25. Reginal. l. 24. num. 29. in fine. Molfeſ. num. 177. Pet. Nau. num. 449. Bonac. l. c. queſt. 7. p. 3. num. 3. Scriban. in medico relig. l. 3. cap 49. Diſcipulus. ſerm. 90. Buſtus. p. 1. ſerm. 36. Io. Aquil. ſer. 5. prima Domen. Quadrag. ſerm. 16. Stap. Dom. 1. poſt Pent.*

QVAESTIO CXXXII.

QVAENAM SINT CONFESSARII PARTES cum pænitente notario, qui vt cum pellice matrimonium iniret, excondicto vxorem propriam necauit, eff nxẽ illam in adulterio deprehendiſſe, & poſtea cum ipſa amica coniugium iniuit; & quid cum eodem ſi contra iurata ſtatuta, legata pia infra præſcriptum tempus gratis non denuntiat, & ſcripturas celat, &c.

VEſpaſianus tabellio cum odio vxorem ſuam proſequeretur, & diabolico aſtu totũ amorem in Luciã etiam pellicem traduxiſſet, vt illam ſibi in matrimonium coniungere occaſionem haberet, mutua conuentione cum concubina inita, ipſam ſuam coniugem de medio ſuſtulit; & vt ſæcularis iuſtitiæ pœnas declinaret, & ne Parentũ vxoris odiũ, ac inimicitiam ſubiret, effinxit, illam in adulterio flagranti crimine deprehendiſſe, & quod ſæpe admonitam, nec emendari, nec ad ſanam mentem redire volentem, quò proprio honori conſuleret, eam interimere coactus eſt, atq; ita cum amica matrimoniũ contraxit. Quæritur, an famam ipſi vxori, & eius cõſanguineis ablatã, honoremque læſum reſtituere teneatur, an illud matrimonium valeat, & quænam ſint in hoc caſu probi, ac prudentis Cõfeſſarij partes. Item cum iurauerit ſe ſuæ artis ſtatuta ſeruaturum, inter quę illud eſt, vt notarij legata pia gratis Epiſcopo infra tres mẽſes à morte teſtatoris denuntiare teneantur, ipſe tamen ex obliuione & inconſideratione ſæpe hoc officium omittit, & cum illud præſtat, hmõi legata Rectoribus eccleſiarum, ſeu piorum locorũ, quibus relicta ſunt, accepta pecunia notificat, qui poſtea Epiſcopo denũtiant. Interdum etiam in gratiam partis quaſdam ſcripturas donis corruptus cælauit, quæritur quomodo in hoc etiam ſe gerere debeat Confeſſarius?

SVPPOSITA ET PRAENOTIONES.

RESp. Supponẽdum in primis eſt, famam eſſe, illæſæ dignitatis ſtatum, vita, & moribus comprobatum. Vel eſſe claram illam notitiã, quam alij de nobis habent, quã celebritatẽ, & bonum nomen poſt mortẽ etiam manere conſtat, per bonam enim famam ille, qui è vita deceſſit, adhuc ea in hominum opinione fruitur, iuxta illud *Eccleſ. cap. 41.* Curã habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille theſauri pretioſi. Vnde & Cato admonebat,

Omnia ſi perdas, famam ſeruare memento.

Et Pindarus,

Felix, quem bona detinet fama.

Vnde cauſa famæ ex. I. C. ſententia, cauſę vitæ æquiparatur, ita vt aliqui voluerint, vaſallũ ita feudum amittere cum bonam famam Domini ſui non tuetur, ſicut quando eiuſdem vitam non defendit. *Menoch. l. 5. præſumpt. 49. num. 7.* Falſa quippe eſt ſæpe & mala fama bonorum, quam Deus permittit in eorundem humiliationem ſuſcitari, vt in timore ſuam ſalutem operentur. *Tholoſ. lib. 31. capit. 39.*

Dicitur autem fama quaſi famula, quia tanquam ſerua eſt, ſemper cum domina ideſt virtute permanens, & à tergo ſequens. Et quidam ſcite famam, & gloriam deſcribentes dixerunt, eas eſſe virtutis vmbram, virtutem enim bonum nomen ſequitur, vt vmbra corpus. Alij vt Crocodilum eſſe affirmarunt, cuius ea eſt natura, vt ſequentem fugiat, & fugientem ſequatur, nam vt ait

Alanus de planctu naturæ,

Veræ famę hęc eſt glorioſa proprietas, vt appetitores ſui contemnat, appetat contemptores; famam fugiendo conſequitur, quam in conſequendo perderet. Hinc eſt vt famæ reſtitutio maioris obligationis, & ſtrictioris ſit vinculi, quàm aliarum quarum cunque rerum exteriorũ cõpenſatio, ita vt non ſolum viuentibus, & hac præſenti luce fruentibus; ſed etiam vt dixi defunctis, & vniuerſę carnis viam ingreſſis debeatur. *Beia. p. 2. reſponſ. caſu. 1. Carbo. de reſtit. queſt. 16.*

Secundo prænotandum eſt, communiter, & regulariter nullum aſtringendum eſſe ad reſtituenda bona inferioris ordinis per ea quæ ſuperioris conditionis ſunt, vt res & facultates cum damno famę, famam cum corporis iactura, corporis bona cum

detri-

detrimento animæ; siquidem honor & fama maior est pecunia, fama & honore corpus, corpore vero anima præstat, & magis æstimanda.

Tertio mēdacium esse falsam vocis significationem, cum intentione fallendi; quod adeò natura sua malum est, vt nec pro vitæ conseruatione, aut hominum salute, aut quacunque ex causa mentiri liceat. *cap. super eo extr. de vsuris. Lessius. libr. 2. c. 47. dub. 6. Reginal. l. 24. n. 7. Molf. tr. 11. c. 22. n. 50.*

Quod triplex est, officiosum, qd̄ nemini nocet, sed ob aliquod cōmodum alicui prodest, iocosum quo tantum leuis delectatio quæritur, vt cum quis colloquio aliquod verbum falsum placendi studio miscet. Et hæc duo genera venialē tantum culpam secum afferunt; ad periurium tamen viam parant, nam reuera vt scribit. *Cicero orat. pro Roscio Amer.*

Qui semel à veritate deflexit, nō maiori religione ad periurium, quàm ad mēdacium perduci consueuit. Sicut etiam loquacitas mentiendi periculo exponit, vt proinde qui mentiri non vult, verbis sobrius esse debeat, & loquendi pruritum frænare, Vas illud olim immundum habitum est, cui operculum defuit. *Num. c. 19.* Et os claudere numquam apud Hippocratem aliquid portendit mali; aperire autem non raro mali ominis, vt cum æger hiante ore dormit vel morti proximus est.

Perniciosum mendacium est, quod alicui in rebus spiritualibus, vel temporalibus officit, & in re graui lethalem culpam, & restituēdi obligationem inuoluit. De quo intelligendum est illud *Sap. cap. 1.* Os quod mentitur, occidit animam, & *Psalm. 5.* Perdes omnes, qui loquuntur mendacium.

Quarto obseruandū, detractionē esse ablationē famę p verba, cum intentione directe vel indirecte alteri nocēdi; quæ si in re graui fiat, cū charitatem, & iustitiam lędat, ad peccatū mortale, & restitutionem obligat, grauius tamen peccat, qui falsum crimen alteri imponit, quàm qui verum, sed secretum & occultum crimen reuelat. Neque solum peccat mortaliter, qui detrahit, sed etiam qui dettahentem audit, si obsistere possit, & ex odio proximi, vel ex mala causa gaudeat. Hinc *D. Bernar. l. 2. de consid.* Detrahere, aut detrahentem audire, quid horum damnabilius sit, non facile dixerim.

Porro detractio à susurratione differt, qd̄ hæc amicitiam, illa vero honorē, & famam tollit. De qua re vide. *Thomam. 22. quæst. 73. & 74. vbi Bannes. Salon. Arrogonius, & alij. Sayr. lib. 12. cl. reg. cap. 5. & 6 Tol. l. 5. cap. 67. & alibi repetiuimus.*

Quarto præmittendū est, vt deduximus *in Comment. de hum. vita stat. p. 2. cap. 6.* in notarijs, vel tabellionibus, ut recte suo munere fungantur, requiri in primis scientiam cum diligentia iunctam; unde si ex eorum imperitia, uel lata negligentia, pars aliquod damnum patitur, & mortaliter peccant, & ad restitutionē tenentur. Et DD. obseruant, eorum ignorantiam, & negligentiā plurima damna, & lites parere, & multorum conscientias in ingentia discrimina conijcere. Secundo ueritatem, & fidelitatem, nam propter fidelitatem sui officij iurare solent, se illud legaliter obituros. Quæ quidem fidelitas, & veritas consistit, Primo, vt ab omni falsitate caueant, quæ est mutatio ueritatis cum dolo, & malitia. Secundo, vt instrumenta, quę ab eis exiguntur, non celent, ut legata facta in testamentis à se conscriptis præsertim ad pias causas significent. Possunt autem quicunq; tabelliones per Commissarios fabricæ de urbe cogi ad aperienda testamenta post annum à die obitus testatoris, sub pœna excō cationis latę sentēt ę soluta ill's debita mercede, vt habetur *in Constitut. Pij IV. Incip. Et si per diuersos,* vt per *Sayrum. in claui reg. l. 12. cap. 25. n. 15. & in alia Pij V. Incip. Exigit,* de qua apud *Quar. in v. fabrica.* Tertio in eis iustitia requiritur, quę in duobus consistit, nempe ut instrumēta illicita, uel iniusta non conficiant, sic enim præter peccatum, restitutioni obnoxij essent. Secundo, vt iusto precio sint contenti, & ut pro re illud non exigant, quæ gratis fieri debet; & pro his ob quæ mercedem exigere possunt, illud precium nō excedant, quod frequenter est à lege taxatū, nam vltra illud aliquid in notabili quātitate recipientes mortaliter peccāt tùm peccato iniustitiæ, ac ideo cū obligatione ad restitutionem, tùm etiam peccato periurij, nam in creatione sua iurare solent se fideliter, ut dixi, munus suum executuros, & leges circa illud latas obseruaturos. Si tamen aliquid ultra gratis & sponte donatum accipiant, non peccant, nec ad restitutionem tenentur, nisi sit speciale statutum quo etiam sponte oblatum recipere prohibeantur. In quo tamen casu quidquid sit de peccato, ad sic acceptum restituendum non obligātur, cum talis lex dominiū eorum, quæ sic gratis offeruntur, non impediat.

A peccato ēt & restitutione excusari posset, si taxatum pretiū esset exiguū, & rerū cōditiones essent mutatæ, uel extraordinarium laborē impendissent, & omnes notarij, uel maior pars sic in praxi obseruarent; iuramentum enim seruandi omnia statuta, intelligitur, si sint iusta, & nisi vsu sint abrogata. *Sayr. l. c. Mol. tom. 1. de Iustitia. d. 83. Sanchez. l. 3. de præcept. c. 14 n. 14. Azor. p. 1. l. 11. c. 8. q. 8. & alij. vt supra tract. 7. cap. 9. quæst. 46.*

RESOLVTIO CASVS ET QVAESTIONVM.

Quibus perpensis fundamentis, facile Confessarius proposito 1. casui satisfaciet, dicendo Vespasianum graui, & enormi flagitio se contaminasse, & coniugalia iura uiolasse, nam cum vir, & uxor indiuiduam uitæ consuetudinem, societatemque ineant, efficianturque duo in carne una,

dubium non est, quin debeant non tantum interno actu, sed externis etiam amoris signis, & argumentis se inuicem colere, proprios defectus mutuo tolerare, fidem seruare, ac sibi subiectionem, dilectionem, & mutuam reuerentiam exhibere.

Propterea debere ei defunctę, eius hęredib. con. sanguineis superstitibus, damnum famę illatum resarcire, si sine propriæ vitæ periculo id agere possit, pandendo se, illam falso diffamasse, sicca ebrietate obrutum illam occidisse, &c. Siccam ebrietatē cum Ludouico Viues eam appello, quæ non ex vino immodice hausto nascitur, sed ex turbid. animi motibus, qui omnē rationis vsum, atque iudicium homini eripiunt; nam vt etiam ait. *D. Hier. in suis in Ezech. Comment. cap.* 44. Ebrietas non solum in potione vini, sed in omnibus rebus ostenditur, quibus & in contractibus, & in sæculi negotijs, ac damnis, lucris, amore, & odio, mens inebriatur, ac fluctuat, & statum suum tenere non potest, &c. Hæc tamen restitutio in praxi valde difficilis erit & raro sine periculo grauis scandali fieri poterit. *Salon. 2.2. q. 62. art. 2. concl. 21 Beia. p. 2. respons. cas. consc. casu. 1. Bonacin. de cont. d. 2. quæst. 4. puncto. vltimo Carbo. de restit. q. 22. Fillinc. tr. 32. c. 9. & alij DD cōiter.*

Secundo dicendo matrimonium cum Lucretia initum ex impedimento criminis inualidum esse, vt propterea separari debeant, donec (quod difficile erit) à Summo Pontifice dispensatio obtineatur. *cap. si quis. 31. quæst. 1. cap. 1. extr. de Conuers. Infid. Sanchez lib. 7. d. 79. Guttierez. de matrimonio. c. 96. Conuch. d. 31. dub. 5. idem Bonacin. de matrimonio. q. 3. p. 6. Vide infra tract. 10. cap. 2. q. 4.*

Quò ad secundū casum, & 2. quęstionē dico, Vespasianum ex obliuione, vel inconsideratione legata pia post tres menses Episcopo non denūtiantem, à culpa mortali excusari, & per consequens à casu reseruato, & excommunicationis cēsura, si illis afficiatur; reminisci enim omnium actualiter est supra hominis facultatem, & illa actualis obliuio inuincibili ignorantiæ æquiparatur, vt per *Caiet. 1. 2. q. 6. art. 8. & in summa in v. inconsideratio. Syluest. in verbo. naufragium. in fine. Vasquez. 1. 2. d. 107. c. 3.* Ex qua positione multę morales quæstiones in praxi quotidie occurrentes resoluuntur. Vbi autem seruatur vt notarij non Episcopo, sed Rectoribus ecclesiarum, & piorum locorum legata notificēt, qui postea ea ipsi Ordinario significēt, à peccato etiam immunes essent, cum consuetudo sit optima legum interpres, origo, forma, & principium omnium iurisdictionum, & veritati æquiparetur. *Afflict. Decis. 166. & 173. Craneta. cons. 238.*

Quò attinet ad precio accepto reuelanda hmōi pia legata, dico si pretiū accipiat, turpiter ab eo recipi, cū gratis id facere teneatur, quò vero ad dandā copiam relictorū piorum, credere nō teneri, nisi soluta prius debita mercede, cum lex naturæ dictet, vt mercenarius ea sit dignus. *Luc. cap. 10.* & notarij stipendiū, si de publico nō habet, semper exceptum videtur. *Nau. cap. 25. num. 54. Tol. l. 5. cap. 62. Gambar. nump. de cas. reser. cap. 14.*

At ab aperta culpa, & iniustitia, atque infidelitate non liberatur, cum in gratiam vnius partis pecunia corruptus instrumentum occultat, in quo altera pars, quod sibi debitum est, recuperare nequit, in quo cum iniuriosus sit, ad damni illati, & pecuniæ acceptæ restitutionem tenetur, &c *Sylu. verbo. Tabellio quæst. 8. Nau. l. c. num. 52. Sayr. d. l. 12. cl. reg cap. 25. num. 14. Reginald l. 25. num. 688. Molfes. l. 8. cap. 13. num. 28. Fillinc. tr. 40. c. 10. n. 298.*

Porro cum animæ defunctorum quatuor modis soluantur, oblationibus sacerdotum, precibus Sanctorum, charorum eleemosynis, & ieiunio cognatorum; & ignis Purgatorij omnibus pœnis maior sit, quæ in hac vita sentiri possunt, vt ait. *D. August. relatus. in cap. qui in aliud. dist. 25.* A Confessario notario patefaciendum est, quàm graue delictum sit defunctorū voluntates non exequi, & pia lagata non denuntiare, ex quorum executione animæ ex purgatorio carcere liberantur.

Illa vero legata pia dicūtur, quæ in aīæ remediū relinquūtur; & quæ pietatis intuitu legātur ecclesijs, hospitalibus, monasterijs, & alijs pijs locis, vel miserabilibus personis. Quæ quidem his ēt priuilegijs gaudent, qđ ad ipsorum firmitatem duo testes sufficiunt, & debentur quouis modo testamentum ex defectu solemnitatis sit nullum; nec ex illis Trebellianica detrahitur, & alijs quoq; prærogatiuis potiuntur, vt per *Molfes. tract. 13. cap. 5.*

CAP. XXXIV.

QVAESTIO CXXXIII.

QVOMODO AGENDVM CVM SACERDOTE, qui in Laicum contumeliosus fuit, quomodo etiam cū Laico, qui ipsum iniuria affecit, & detractorijs verbis à beneficio consequendo impedivit; & quid cum eo, qui mandauit aliquem occidi, & postea mandatum reuocauit, & tamen mandatarius non illum, sed alium necauit?

DOn. Melchior Sacerdos cum suri cum Sigismundo laico ciue aleis luderet, iræ perturbatione abreptus, eum contumeliosis quibusdam verbis affecit, ipse vero Laicus eodem furore ebrius infamem eum compellās, lusorias chartas in ipsius caput iniecit, & præter hoc vlciscendi se causa permotus, cum quædam Parochialis Ecclesia vacaret, & iuxta Concilij Tridentini formam, proposito edicto, ad examen, atque concursum nomen suum describi

describi fecerit, ad Episcopũ, & Examinatores eum detulit, ipsumque nõ esse animatum cura dignum asseruit, quod aleæ, Veneri, & Baccho deditus esset, &c. propter quod fuit ab illo curato beneficio exclusus. Cum autem domum reuersus cuidam fratri suo insisteret, vt nacta opportunitate ipsum Sigismundum percuteret, & non multo post mandatum reuocauerit, eius nihilominus frater putans noctu ipsum Sigismũdum occidere, Blasium eius fratrem interemit. Quæritur, quid in hoc duplici casu Confessarius consulere debeat?

Resp. Non mentitus est qui dixit, inter alia peccata quæ ex ludo prodeunt, etiam cõtumelias, conuicia, rixas, percussiones, & interdũ homicidia produci, vt experientia rerum magistra vel in præsenti casu aliqua ex parte ostendit. *D. Anton. 2. par. tit. 1. cap. 23. §. 6. & supra animaduerti. tr. 7. cap. 5 q. 24.*

SVPPOSITA ET PRAENOTIONES.

SVpponendum est Primo, contumeliam à contemnendo dictam, quia nemo nisi quem contemnit, tali iniuria afficit, nihil aliud esse, quàm opprobrium quoddam, quo quis alteri honorem aufert, deducẽdo in eius notitiam, vel aliorũ aliquid, ex quo ille inhonoratur, ac dehonestatur.

Quæ quidem dehonoratio tribus præcipue modis committitur. Primo cõtumeliosis verbis coram illo, quem iniuria quis afficere vult, prolatis. Secundo eisdem verbis in ipsius absentia, ea tamen intentione, vt ad eius notitiam hoc deueniat. Tertio libello famoso, vt sic ipsius honor penes alios lædatur, & contumelia ad illius quoque notitiam & aures perueniat, siue hæc per se ipsum, siue per alium eius nomine fiant. Quæ porro contumelia differt à detractione, improperio, & cõuicio, nã vt dixi, contumelia honorem in præsentia lædit, detractio vero famam occultè & in absentia carpit, & bonum nomen, ac existimationem lacerat.

Per contumeliam defectus culpæ refertur, vt si v. g. vocetur quis fur, hæreticus, spurius, adulter, simul & corniger, vt fecit ille, qui in quendam scomma iaciens dixit,

Cornua qui faciunt, nec cornua ferre recusent.

Conuicium est quo alicui culpæ defectus obijciuntur, vt si appelletur claudus, cæcus, strabo, & huiusmodi. Improperium vero est exprobratio beneficij tempore necessitatis, & indigentiæ ei collati. Tandem quatuor modis contumelia inferri potest. Primo animo, & affectu fratrem dedecore afficiendi. Secundo intentione corrigendi tantum, vt in superioribus erga inferiores contingere solet; quia tamen raro admodum & difficile hoc absque culpa fieri solet, ideo. SS. Patres admonent, tutius esse ab hmõi cõtumeliosis verbis abstinere, cũ inde subditi potius exacerbari, quàm emendari soleant. Tertio veluti per iocum, & facetiam contumeliam conijciendo. Quarto ex quadam inconsideratione & indeliberatione, vt qui ira correptus, & accensus contumeliam profert. Ex quibus quatuor modis cognosci poterit, quando contumelia fit formalis, quando scilicet quis proximi honorem lædere intendit, & quando materialis, qua sine tali intentione, aliqua contumeliosa verba promit; simulque de mortali vel ueniali peccato ex circunstantijs iudiciũ ferendũ sit. Ob hanc. n. causam ait. *D. August. l. 21. de Ciuit. Dei. c. 27.* Multa peccata uenialia occulta esse Deus voluit, ut periculosissimũ sit de his definire, ne studium proficiendi ad omnia peccata cauenda pigrescat, &c.

Secundo suppono eum qui impedit boni consecutionem, in quod ius perfecte acquisitum habetur, quod in rem uocatur, ut per donationem inter viuos, uel alio titulo legitimo, uel imperfectum ius quod ad rem nominatur, ut per promissionẽ, testamentum, concursum, & huiusmodi, restituere tenetur, & quidem totum primo modo, si certũ ex iustitia debebatur, etiam si vis, uel fraus non sit adhibita. Secundo uero modo, uel totum, uel partem perpensis circunstantijs arbitrio boni uiri, ut uidelicet attendatur bonum, à quo alter impeditus fuit, non fuisse bonum in re, sed in spe, quæ minus ualet, ut colligitur. *ex D. Thoma. & ibi Caiet. Arrag. & Salon. 22. quæst. 62. art. 2.*

Tertio præmittendum est, quod infra etiam suo loco prænotauimus *in art. restitut. tract. 10. cap. 1. quæst. 2.* in materia restitutionis, & irregularitatis, quò ad læsam iustitiam nouem modos à Doctoribus cõmuniter obseruari, qui his carminibus continentur. *Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus.*

Participans, mutus, non obstans, non manifestans. Quia uero *ex D. Augustini sententia, relati in cap. magna. 22. quæst.* 4. Magnæ sapientiæ est, reuocare hominem quod male locutus est, ideo si mandans, v. g. homicidiũ, uel mutilationem fieri, mandatum suum reuocat, & reuocatio mandatario innotescat, tàm à restitutionis obligatione, quàm irregularitatis incursu liber erit, vt per *Sayrum. de communi testamentum in claui reg. l. 10 cap. 7. num. 8. & de Irregularitate. lib 7. cap 2. num. 13. & Bonac. de cens. d. 1. quæst. 2. p. 6. & de cens. d. 1. q. 1. p. 6.*

RESOLVTIO CASVS ET QVAESTIONVM.

HIs sic suppositis, dico Melchiorem cum Sigismundo laico sic ludentem, contra proprium sacerdotale munus, & decorum deliquisse: clericis namque & religiosis aleæ ludus & taxillorum, sub pœna lethalis culpæ prohibitus est, in õllis interesse, & ludẽtium participes esse est illis interdictũ.

cap.

cap. pen. de vita, & honest. cler. c. cum inter dilectos. extr. de excess. Prælat.

Idque merito. Primo, quia clerici, & alij in Domini sortē vocati alijs forma, & bene viuēdi exemplum esse debent. Secundo, quod à sæcularibus rebus, & negotijs se abstinere, & diuinis vacare eos oportet. Tertio, quod, vt supra insinuaui, ex ludis plurima mala nascuntur, vt desiderium lucrandi, & omnium malorū radix cupiditas, multiloquia, multiplicata mendacia, verba otiosa, obscœna, rixæ, & odia, blasphemiæ, contumeliæ, bonorū scandalum, temporis iactura, & bonorum præsertim ecclesiasticorum consumptio, vt per *Archid. in c. Episcopus. d. 35.* Nihilominus ēt hic ludus clericis à Doctoribus permittitur. Primo si non ad lucrum, sed recreandi animi causa eo vtantur. Secundo si sine dolo, & fraude paruam quantitatem insumant. Tertio, vt absit scādalum, nec cum laicis, vel in eorum ædibus, neque cum vilibus personis, & minus cum mulieribus ludāt. Quarto si raro, & breui tempore in huiusmodi exercitio versentur, vt per *Vgol. p. 1. de officio Episcopo. cap. 13. §. 25. Nau cap. 19. numer. 9. Viuium. in Sylu. opin. opin. 467. Rotā. diuers. p. 1. decis. 426. Bellettum. in Disq. Cler. p. 1. §. 24.* & per ea quæ tradidimus supra *tract. 1. cap. 8. q. 39.*

Aperiendum est à Confessario mutuis cōtumelijs, & conuicijs inter se iactatis Melchiorem & Sigismundum mortalem culpam admisisse, nisi subreptio, & actus imperfectio eos excuset. Cū tamen omnes contumeliæ sint eiusdem speciei, in confessione sat erit dicere, contumelia proximum meum affeci; nisi contumeliæ grauitas adeò augeatur, vt eius expressio in sacramentali iudicio necessaria sit, vt si illum hæreticum, sodomitam, vel patriæ proditorem appellasset; præsertim sacerdotem, cui ob ordinem sacrum quo insignitur, honor, & reuerentia iure merito debetur. *Alciat. Emblem. 7.*

Insuper d. Sigismundum in excommunicationem ob sacrilegam clerici percussionem incidisse. *ex cap. si quis suadente Diabolo. 17. quæst. 4.* A qua etiā pœna primi motus, & indeliberatio immunem reddere solent. Imò excōmunicatio hęc non incurritur, quando percussio leuis est, & venialis, etiam si lethalis sit ob prauam percutiētis animum, vt per *Sayr. l. 1. de cens. cap. 9. num. 7. Guttierez. in can. qq. l. 1. cap. 5. num. 13. Sanchez. lib. 2. de præcept. cap. 8. num. 7. Reginald. l. 9. cap. 9. num. 168. Suarez. tom. 5. disp. 18. sect. 4. num. 4. Con. in cap. alma mater. p. 1. §. 9. num. 2.*

Item si vindictę causa illum sacerdotē apud Episcopū accusauit, vt eundem met ab ecclesiastici beneficij consecutione impediret, detractionis peccato, se graui noxa infecit, multo magis si illa vitia, quibus sacerdos laborabat, occulta erant.

Insuper si obstitit, ne illud beneficium consequeretur, quod sine tali arte, ac fraude facile obtinuisset, ad aliquam restitutionem arbitrio boni viri astringendus erit. *D. Thomas 22. q. 62. art. 2. vbi Bannes Salon. & Arrag. Graffius. l. 2. decis. cap. 131. Vasquez. de beneficijs. cap. 2. §. 4. dub. 19. num. 127. & 143. Filliuc. tract. 32. cap. 7. quæst. 1. Bonac. de cont. disp. 1. quæst. 2. p. 12. Lessius. l. 2. c. 12. dub. 18.*

Dum autem quęritur, quomodo cum Melchiore agendum sit, qui Sigismundum percuti iussit, & postea mādatum reuocauit, &c. Dico quod sic rem illicitam imperando, animam lethali peccato sauciauit, ab irregularitate vero, & quidquam restituendi nexu liber erit, si homicidiū in eius fratrem Blasium secutum est, postquam reuocatio mandati eidem fratri suo innotuit, facta enim reuocatione efficax causa damni non censetur. Quod procedit, siue expresse hæc reuocatio fiat, hoc est per epistolam, vel internuntios, siue per signa, significādo ne vllo modo mandatū exequatur. Si autem ante executionem mandati reuocatio ad notitiam mandatarij non peruenit, Melchior proculdubio & ab irregularitatis labe, & restitutionis obligatione immunis non erit. Ipse uero frater Melchioris sacerdotis, absq; dubio restitutioni obnoxius erit etiam si Blasium Sigismundi fratrem occidere non intendcret; quod officium, si idem delicti author sit occultus, & soluendo sit, cum se prodere nō teneatur, per tertiam personam præstare poterit. Et hæc est communis sententia teste *Sayro. de cens. & Irreg. l. 7. cap. 2. num. 13. Bonac. de cont. d. 1. quæst. 2. p. 6. numer. 5. & Barthol. à S. Fausto. de restit. d. 4. quæst. 57. & seq. contra Bannes, & Arrag. 22. q. 62. art. 7.*

Porro laborare dēt Cōfessarius, & studere, vt pœnitentes in pristinā gratiam redeant, & amicitiam inter se concilient. Quid uero consilij dare debeat inquirentibus quo honor per contumelias ablatus inuicem restituatur, non est facile aliud in genere consulere, quàm vt id eligant, & sequantur, quod bene ponderatis circunstantijs inuenerint ad reconciliationem valere. Sed quò ad sæcularem, qui sacerdotem ipsum lusorijs chartis percussit, dicendū videtur, ad veniæ petitionē per se, vel per alium faciendam cogendum esse, si id commode fieri potest, cum hic modus ad conciliandos, & placandos animos valde efficax, & idoneus censeatur; non tū adeo necessarius, quin omitti possit, si alia honoris læsi resarciendi ratio sufficiens occurrat, vt nonnumquā iudicari poterit offensi ad conuiuium inuitatio dando illi honorificum locum, eique amice propinando, &c. *D. Anton. 2. par. tit. 7. cap. 6. §. 5. Aug. in ver. contumelia, & ibi additio. Graffius. p. 2. de sent. excom. consil. 1. diff. 3.* Idem *Bonacin. l. c. d. 2. quæst. 5. p. 2.*

Vrgere debet vnumquemque teneri animum contumelijs ferēdis paratum habere, quandocunque

que expedierit, non tamen semper cogi eas ferre; quando autem eas repellere oporteat, nec contemnere liceat, prudentis est definire per ea quę fraternæ charitatis ratio in occurrenti casu exigit. Quod quidem ex duobus potissimum capitibus dignosci potest, quorum prius est bonum eius, qui contumeliam, vel conuicium infert, nempe vt ipsius tumentis animi insolentia reprimatur, ne talibus iniurijs assuescat, iuxta illud *Prouerb. cap. 26.* Respōde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur. Posterius est aliorum bonū, tàm præsentium, quàm absentium, quorum profectus ex propria tolerantia impendiri posset. De quo. *D. Greg. hom. 9. in Ezech.* Hi, inquit, quorum vita in exemplo imitationis posita est, debent si possunt, detrahentium sibi verba compescere, ne eorum prædicationem non audiāt, qui audire poterant, & in prauis moribus remanentes bene viuere contemnant, &c. Hinc grauiter peccare Episcopum asserunt, DD. si iniustam & irrogatam infamiā à se repellere non studeat, cum inde oues scandali ansam arripiant, nisi se innocentem ostendat, nec posse famam suam alijs necessariam remittere. *D. Thomas. 22. quæst. 72. art. 3. vbi Salon, & Arrag. Sayr. l. 12. cl. reg. cap. 4. num. 11. Reginald. l. 24. nu. 103. Molfes. tr. 11. cap. 22. num. 194. Carbo. de pacific at. cap. 41. Sà in verbo. Episcopus. n. 13. Fernandes. p. 4. cap. 7. §. 1. num. 12.*

Et licet læsus vel iniuriam passus reconciliationem petere, vel veniā postulare aliquo iure iubente non teneatur: de perfectionis tamen debito, ex Patrum sententia, hoc facere deberet, vt duplicem coronam cōsequatur, tùm quia iniuriam passus est, & indulsit, tùm quia prior rogauit, & christianę humilitatis actum exercuit.

De necessitate tamen nō tenetur offensorem ad familiaritatem admittere, & specialis amoris signa ostendere, nisi ratione scandali, aut nisi odij in alterutro fouēdi id occasio foret, &c. vt dixi supra *tr. 7. c. 25. q. 119.* Et ex communi omnium sapientum sententia, Nulla est maior & illustrior victoria, quā illa, qua quis se ipsū vincit. Et magnanimus numquam iudicat sibi contumeliam fieri, iuxta illud,

Ingenuitas non recipit contumeliam.

QVAESTIO CXXXIV.

LIBELLOS FAMOSOS CONFICIENTES quomodo peccent, quibus pœnis subijciantur, ad quid teneantur, & quomodo in diuersis casibus se gerere Confessarius debeat, &c.

Alexius cum Hippolitā puellā sibi in vxorem dari postularet, Petrus puellę pater Andreæ vt poti ditiori, in matrimonio eam coniunxit, Alexius amore captus, qui oculos cordis excæcat, & nihil aliud amantem, nisi id quod amat, cogitare permittit, aliquo interiecto tempore, cor adedens curis, & hominum vestigia vitans, famosum libellum contra d. Hippolitam confecit, & ad Ciuitatis fores affixit, de quo Marcellus innocens accusatus fuit, qui torturæ, & acribus tormētis subiectus, cum illa sustinere non valeret, illius auctorē se esse confessus est, propter quod capitali pœnæ à Iudice addictus fuit, quem tamē Sebastianus ipsius Marcelli amicus non esse huius criminis reum, sed Alexium probe nouit. Quæritur quomodo hic casus sit à Confessario explicandus, & quod consilium dandum, remediumque subinde adhibendum?

Resp. Casus hic contumeliæ & detractionis iniquitatem continēs multas secum difficultates dissoluendas inuoluit, Prima est ad quid teneatur Alexius ob crimen, de quo Marcellus falso imputatur, Secundo, an hic tormentorum vi falsum de se Confessus mortalis culpæ reus factus fuerit, & sub eiusdem reatu in extremo vitæ periodo debeat se retractare, & palinodiam canere. Tertio ad quid Sebastianus à Cōfessario astringēdus sit. Quò ad primum dicendū est, eum induci debere ad tantæ nequitiæ detestationem, nullam ei vtilitatem afferentis, sed potius grauissimum detrimētum, spoliationis .s. charitatis, thesauri incōparabilis. Quā quæso indignum, & à christiano officio tàm alienam illius famam tàm impie carpere, & lacerare, quem tenetur sub pœna æternæ damnationis sicut se ipsum diligere, & cui non esse faciendum, quod sibi fieri nolit, ipso naturalis rationis lumine cognoscit? Cęterum cęcus est omnis amans, vt dixi, & sæpius animaduerti, & Cupidinis uis homines ad insaniam adigit, iuxta illud *Virg. l. 4. Aeneid.*

Vritur infelix Dido, totaque vagatur
Vrbe furens.

Sic enim & *Oldradus. cons. 210.* quēdam tanquam furiosum excusat, qui vt quadā muliere potiretur, quā deperdite amabat, magicas imagines ad eam rem, vt ipse putabat, accōmodatas confecerat, Dæmonesque inuocarat. *Tiraq. de temp pœnis. causa. 4. Iul. Clarus. §. fin. quæst 60. vers. est & amor. Farinacius. in tract. pariter. de temp. pœnis. quæst. 98. causa. 13. num. 88. Riccius. collect. 1843.*

Vbi aiunt, amorem etiam in crimine libelli famosi saltem à pœna ordinaria in foro externo excusare; & in Mediolanensi ditione quendam fuisse absolutum, qui contra quandā puellā, cuius amore captus erat, famosum libellum diuulgauerat, tanquam quod ex nimia amoris vehementia mentis compos non esset.

Sed quò ad restitutionem, vel opem Marcello ferendam fatendum est, ex communi sentētia, non teneri Alexium cum vitæ periculo innocentem à morte

morte eripere, nec suæ familiæ quidquam restitue-re, expresse hoc affirmat. *Sot. l. 4. de iustit. q. 6. art. 3.* quem alij sequuntur, *vt Salon. 22. quæst. 62. art. 2. Graffius. cons. 1. de iniurijs. Corrad. quæst. 128.* differentiam cõstituentes inter eum qui ob falsum testimonium conuictus morti addicitur, quia, vt superius dixi, si iam mortuus nõ est, tenetur profectò ẽt cum vitæ periculo eum à morte eripere, in quã illũ falso testimonio adegit, & inter eũ qui de crimine falsè condemnatur, quod tu commisisti. Enimuero si tu illi non imposuisti, nihil tua refert, ob idque nulla lex te ipsum prodere cogit, aut quidquam restituere. Sicut etiam si v. g. Petrus occulte famulis suis iussisset alterius domum comburere, & à ministris iustitiæ Antonius tãquam incendiarius comprehẽsus fuisset, Petrus ei damnũ iniuste patiẽti restituere nõ tenetur, sed is qui eũ inique & cõtra ius accusauit, aut iudex qui forte iuris ordine nõ serua to eum condemnauit; cum hæc iactura non immediate eius causa, quamuis illius occasione sit secuta, vt per *Faustum. de restit. d. 4. quæst. 58.* Secus esset dicendum si animo nocendi alteri, quis homicidium commisisset, v. g. Petrus aio Ioanni damnum inferendi, Paulum occidit, credẽs quod Iudex contra ipsum Ioannẽ procederet, eo quod nouerat inter Ioannem & Paulum occisum inimicitiam, & simultatem intercessisse, quæ ad illud homicidium perpetratũ indicia sub ministrant, cum Petrus prauo animo hoc egerit, procuIdubio ad restitutionẽ tenetur, vt ex *Soto. Corduba. & Medina,* ait *Io. Bapt. Corradus in resp. mor. quæst. 128. in Addit. Rebellus. lib. 3. quæst. 11. & Roder. p. 1. summa cap. 13. contra Less. lib. 2. cap. 9. dubit. 16. Faustum. de restitut. d. 25. quæst. 19. & alios. Vide infra tr. 7. cap. 36. q. 131.*

Honorem tamen & famam Hippolitæ, eiusque familiæ ablatam, & omne illatum damnum resarcire tenetur Alexius, eo modo quo fieri potest, retractando quod publice contra eam euulgauit, vt contraria scriputa confecta, & proprij Confessarij testimonio cõfirmata, seu voce præconis, vel Concionatoris, suppresso tñ semper authoris nomine. Notificanda est ei peccati enormitas, ob quam huius criminis rei de iure ciuili mortis pœna plectuntur *vt toto tit. de libellis famosis. Rebell. l. 4. de oblig. Iust. quæst. 7. Clarus. in praxi crim. §. fin. quæst. 68. num. 25. Tusch. in ver. libellus famosus. concl. 321. Cha as. de prud. l. 2. cap. 7. §. 2. Tympius. in speculo Magistrat. signo. 51. §. huc pertinẽt.* Et ex Canonum prçscripto excommunicationis gladio feriri iubentur. *cap. quidam maligni. c. si qui inuenti. 5. quæst. 1.* Imò *Alex. IV. in Constit. Incip. Ex alto.* excommunicationem Summo Pontifici reseruatam tulit in eos, qui famosos libellos contra statum Ordinis Prædicatorum, vel Minorum euulgant. Quod priuilegium ad alios etiam religiosos, quibus illorum priuilegia communicata sunt, extendi potest.

Multo magis si libellos famosos contra Sũmum Pontificem, vel aliquem Cardinalem componunt, vt ex multis Põtificijs Constitutionibus refert. *Salon. 22. q. 72. art. 3. & Sayrus. l. 11. cap. 6. num. 29. & l. 12. c. 4. n. 10. Bonac. de cont. d. 2. q. 4. p. 10. Molfes. tr. a. 11. c. 22. n. 92. vt dixi supra tr. 6. c. 10. quæst. 51.*

Vnde isti libellos famosos conficientes, edentes, vel diuulgãtes, graui morbo maledicendi angi arguuntur, quando vt sic detrahant, quatuor bonorũ genera periculo exponunt. Primo animã, cum ipso iure in certis casibus excommunicati sint, & sic in Diaboli manu remaneãt, qui eis vtitur sicut mulio iumẽto suo. Secundo vitam, nam vt diximus, capitalis pœna aduersus eos decreta est. Tertio famam nam tales infames, & intestabiles efficiuntur. Quarto omnes fortunas, siquidem ex locorum statutis bonorum proscriptio, vel confiscatio in eosdem infligitur. In aliquibus etiam locis libellos famosos edentes, vel diuulgantes, casu Episcopo reseruato afficiuntur; cum enim ex iure grauiota peccata reseruari debeant, maximam profectò iniquitatem hæc scriptio, seu diuulgatio literarum sine nomine ad infamandum continere conuincitur. *Graffius. in Pract. cas. reser. lib. 1 cap. 19. Gambarupt. casu. 14.* Vbi etiam refert in diœcesi Mediolanensi latam esse excommunicationem contra scribentes, edentes vel diuulgãtes libellos famosos contra quamlibet personam, à qua censura absolui nõ possunt, nisi fama, & honore restituto cui detractum est.

Sane misertima experimur esse tempora in quæ incidimus, ob effrænem quorundam licentiam in concinnandis, spargendisque famosis libellis, & bonis quibusque viris per eos traducendis; quia licet eorum vitam non petant, quos criminantur & lancinant, bono nihilominus nomini multum officiũt, quod à multis vitæ anteponitur; eius vero iactura ingentibus etiam doloribus præfertur. Quare cum dixisset Cicero, Dolorem existimo maximum malorum omnium, statim subiunxit, etiam ne maius, quàm dedecus? Non audeo id quidem dicere, & me pudet de sentẽtia esse deiectum. Improbã hanc libidinem in tanta præsertim hominum credulitate, profligate studebit etiam prudens vrbis Gubernator, & Magistratus, nisi velit & ipse talium scriptorum nemini parcentium aculeis configi. Multitudinis hæc est cõditio, vt necessitati potius quàm rationi, ac pœnis quàm honestati pareant, ideo iumentorũ instar animaduersionibus coercendi sunt, ac in officio continendi. Historicorum quippe alia est ratio quamdiù occulta defunctorum, aut superstitum peccata non produnt, sed notoria tãtum, ac in iudicio probata, publici iuris faciunt, vt ad aliorum documentum superiorum temporum annales habeantur, & vniuersi peruerse agere metuãt, præsen-

ſentiẽtes ſcripto ſimiliter apud poſteros diffamatos iri. Hiſtoriarum enim lectio, & notitia plurimũ ad prudentiam comparandam confert, maxime ſi ad vſum trãsferatur. Vidit hoc in primis Polybius *lib.* 10. cum ſcripſit, Optima videtur eſſe ad verã vitam inſtitutio experientia, quæ fit ex commemoratione rerum ab alijs geſtarum. *Salon. 22. quæſt. 72. art. 2. concl. vltima. Ioannes Choch. in Polit. Theſ. l. 2. c. 14.*

Alia itẽ eſt eorũ ratio, qui alicubi ex recepto viu ſchedulas accuſatorias in vrnã in præcipuis templis expoſitam mittere dicuntur, cuius clauis, Epiſcopi aſſenſu, penes Magiſtratum reſidet, in quibus locus, tempus, complices, & teſtes criminis exprimi ſolent: hæ namque chartulæ, vel ſchedæ non propriè libelli famoſi, ſed accuſatorij, vel denũtiatorij cẽſentur, occaſionem tantum Iudicibus prębentes inquirendi, & vtiliter mala quãplurima detegendi, quæ puniri reipublicæ intereſt. *l. ſi ita vulneratus. ff. ad l. Aquil. cap. vt fama. ext. de ſent. excom. Charas. de prud. l. 2. cap. 7.*

Ad ſecundam quæſtionem dicendum eſt, Marcellum ſe ipſum falſo infamantem de peccato pro quo morte afficiendus eſt, aut membro mutilãdus, culpæ mortalis reum fieri, etiam ſi tormentorum metu id faciat, ac proinde teneri in fine vitæ ſe retractare, ſi nõ ratione famæ, cuius eſt dominus, certe ratione propriæ vitæ, cuius priuationi per ſui infamationẽ iniuſte cauſam præſtat, perinde ac alius falſus teſtis, qui tale teſtimonium contra ipſum tuliſſet. Verumtamen ſi nihil ſe ex retractatione profuturum ſperat, cum Iudex eum morti ſecundum allegata, & ꝓbata addixerit (vt alibi aduertimus) nihil obſtare videtur, cur tacere nõ poſſit, cum tunc eius taciturnitas cauſa mortis dici nõ poſſit, vt probabilius ſentiunt. *Mol. de Iuſtitia. & Iur. tract. 4. diſp. 37. num. 18. & ſeq. Sylu. in verbo detractio. q. 3. Abb. in cap. ex parte. el. 2. ext. de ſepul. Graffius. conſ. l. tit. de iniurijs, & in Deciſ. aur. l. 2. cap. 138. n. 15. Reginald. l. 24. num. 90. Sayrus. l. 11. cl. reg. c. 3. n. 44. Leſſius. l. 2. cap. 11. num. 49.*

Ad tertiam dubitationem reſpondendum cenſeo, Sebaſtianum qui ſcit Alexium, nõ Marcellum fuiſſe illius libelli, & criminis auctorem, teneri ex charitatis lege, etiam non rogatum Iudici veritatem aperire, nemo enim ius habet conſeruandi famam proximi cum tanto detrimento, quod inde alteri iniuſte obueniret, iuxta illud. *Prouerb. c. 24.* Erue eos qui ducuntur ad mortem: ſi tamen id in iudicio probare poſſet, & mortem per hoc. d. Alexius probabiliter ſubiturus nõ eſſet; cum damnum quod ex ſola famæ amiſſione ſequitur, non ſit tanti, vt eius ratio præ alterius vita haberi debeat, &c. *arg. Lopez. p. 2. Inſtruct. conſcientia. cap. 268. Mol. ſeſ. tr. 11. cap. 22. num. 78. Leſſius. l. c. num. 57. Reginal d. l. c. num. 92.*

CAP. XXXV.

QVAESTIO CXXXV.

QVID ET QVOMODO AGENDVM CVM muliere maledictiones, & imprecationes in filios proijcere ſolita cum familia, & vicinia ſcandalo maritum ad iracundiam prouocante, eo quod contẽdat in iurepatronatus dotis datę annexo ius præſentandi ad ſe ipſum non ad maritum ſpectare, & quid de ea ſæpius Confeſſarium mutante.

MArgarita aliàs honeſta matrona ad iracundiã procliuis, ex inoliro vitio, ſæpius in die ſolet in filios paruulos ſe ipſam infeſtantes maledictiones proijcere, vt dicendo collũ tuum diſrumpatur, Diabolus te abripiat, &c. totã domũ cõtentionibus, rixis, & clamoribus non ſine familiæ & vicinorum ſcandalo complet; & cum in dotalibus rebus ius patronatus ſit annexum, nõ ſolum domi, ſed & in iudicio contendit prǽſentandi ius ad ſe ipſam, non ad maritum ſpectare, ex quo fit, vt ipſum coniugẽ ad iracũdiam & blaſphemias prouocet, & cũ à proprio Confeſſario acriter de hoc eſſet reprehenſa, illum deſeruit, & modo ad hunc modo ad illum ſacerdotem quietis impatiens, & loco conſiſtere neſciens, pro animæ ſuæ expiatione accedit. Quæritur quomodo nouus Confeſſarius cum hac fœmina ſe gerere debeat?

SVPPOSITA ET PRAENOTIONES.

REſp. Suppono Primo, maledictionem eſſe imprecationẽ alicuius mali quatenus malũ eſt, in aliquam rationalẽ creaturã iactatam; quæ cum oretenus fiant, vel vt aiunt, materialiter proferatur, ad contumeliam pertinet, vt de hoc ſatis à nobis dictum eſt ſupra *tract. 6 c. 18. quæſt. 94.* Et maximum eſſe linguæ vitium conſtat. *ex D. Iacobo. c. 3.* Vide & *Quint. l. 12. orat. Inſtit.* poſtquam dixit caninam eſſe eloquentiam maledictis vti ex Appij Claudij teſtimonio addit, vitium eſſe animi, quo maleficus à maledico non diſtat, niſi occaſione, ſubindicans conuiciatori, ac maledico ad malefaciendum, & nocendum aduerſario promptam eſſe voluntatẽ, modo lædendi tempus & locus daretur.

Et licet amor ſanctus quo proximum proſequi tenemur, in duobus conſiſtat, quæ Ariſtoteles *l. 1. Rhet. cap. 4.* mirabili mẽtis acumine complexus videtur illis verbis, Amare eſt velle alicui quæ bona putat, illius non ſui gratia: vera autem bona apud fideles proprie dicantur ſupernaturalia, vt Deus, ſtatus gratiæ, remiſſio peccatorũ, vita æterna, progreſſus in virtutibus, mors bona, &c. Temporalia autem & humana quatenus ad illa referuntur, impro-

properia tamē vel imprecationes, quatenus ad proximi correctionem diriguntur, non mala & à charitate aliena dici possunt, iuxta illud regij vatis, *Psalm.* 68. Appone iniquitatem super iniquitatem eorum, & non intrent in iustitiam tuam & *Psal.* 82. Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine. Est enim imprecatio mali tēporalis tantum ad spirituale bonum eorū relata, in quorum caput aduocatur, cum sæpe vexatio det intellectum, & qui fuit stultus in culpa fiat sapiens in pœna, secundum illud, Malo accepto stultus sapit.

Secundo parentes ad tria potissimum erga filios teneri, Primo ad educationem. Secundo ad eruditionem, seu instructionem, & boni exempli exhibitionem. Tertio ad correctionē vel obiurgationem, vt ex verbis Sapientis elicitur dicentis. *Eccles. c.* 7. Filij tibi sunt, erudi illos, & curua eos à pueritia eorum, vt insinuaui supra *tract.* 7 *cap.* 14. *q.* 62. *& seq.* & tradidi *in Comment. de hom. vit stat. p.* 2. *cap.* 20.

Tertio ad officium proprie Confessarij pertinere, vbi opus est arguere, & in salutis viam dirigere, pœnitentis vero partes esse, consilia, documenta, & obiurgationes libenter, & æquo animo excipere, vt *l. c. dixi. p.* 1 *cap.* 16 *& cap.* 17. *& supra cap* 32. *q.* 128.

Quarto magnam esse inolitæ cōsuetudinis vim, vt quasi altera affabricata natura dicatur, cui proinde male & difficile admodum resistatur, & illi deteriores, licentiores, & ad malum procliuiores sint qui diutius in aliquo vitio inhæserūt, gradus addentes gradibus, quàm qui remotioribus tātum dispositionib. alicui peccato obligati sunt. Ex quo è contra colligitur, quantum intersit bonam cōsuetudinem arripere, Primo enim bonum in iuuentute facilius apprehēditur, & de facili vestis rectā formam recipit, si nondū prauā suscepit. Secundo diutius conseruatur, nam quod noua testa capit, inueterata sapit. *Prouerb. cap.* 22. *& Horat. l.* 1. *Epist.* 3. Siquidem qđ in pomis notat Accius, itidē in humanis negotijs cum virtute coniunctis accidit, quæ dura, & acerba nascuntur, post mitia, & iucunda fiunt, &c. vt scripsimus etiam supra *tr.* 7. *c.* 17. *q.* 82.

RESOLVTIO CASVS, ET QVAESTIONVM.

Dico ergo Margaritam non excusari à lethali culpa, si deliberatè, aduertenter, & ex corde malum quod fil js imprecatur, re ipsa illis euenire cuperet. A' qua tñ multi parentes excusant, qui ex passione, vel inolito vsu filios maledicunt, asserētes hanc esse differentiam inter blasphemiam, & maledictionē, ut blasphemia ex vsu prolata fere semper mortale peccatum sit, quia blasphemia est irreuerentia contra Deum, quæ semper cōmittitur, siue aduertatur, siue non. At maledictio est desiderium mali, sed desiderium sine aduertentia esse nequit. Alij tamen etiam si maledictiones (si graues sint) sine tali intentione proferantur, uix à mortali noxa eximunt, cum sint quoddā blasphemiæ genus, nec sine magno scandalo, & pessimo exemplo audientium euomantur, & pietati erga liberos debitę omnino repugnent: ut proinde asperius & uehementius increpandi sint parentes, ut ab illis plurimum abstineāt, & filij ut ab illis sibi caueant, omnemque occasionem ad illas eosdem prouocandi deuitent, quandoquidem *& Plato in* 4. *et* 11. *de legibus, & refert et Tholos. in syntag. Iu. part.* 2. *l.* 11. *cap.* 5. ait, animaduertendum ne parentes nostri offensi aliqua mala nobis imprecentur, à Dijs enim exaudiri. Quod & *Salon.* 22. *q.* 76. *art.* 2. *concl. vlt.* his uerbis testatum reliquit, Singulare huius rei exemplum est, quod in Ciuitate Panormitana accidit, ubi cum mulier filium moleste lachrymantem maledixisset, tradēs illū Diabolo, statim ille sub specie deformis Æthiopis apparens, arreptum puerum deferebat. Quod cernens misera mater dicti pœnitēs, Deiparæ Virginis opem implorās protinus clamauit, ut sibi succurreret; illam pijssima Virgo & si indignam exaudiens, statim adfuit, una manu paruulum gestans, alia baculum, quo Æthiopem illum percutiens fugauit; puerumque illum matri suæ restituit, illam admonens, ut pœnitentiam ageret, & à simili maledictione perpetuò abstineret, &c. hæc ille.

Vrgebit Confessarius huiusmodi imprecationibus, & maledictionibus superfedendum, & abstinēdum esse, quibus præterquam qđ filij nihilo meliores, imò peiores euadunt, maximam inde perniciem hauriunt, adeo ut deuotionis huiusmodi fulmen ad extremū pertinere malū olim ēt, vt dixi, apud Ethnicos crederetur. Si utcūque ingenui sunt filij, non tàm metu, clamoribus, minis, aut uerberibus, quàm maternis, blandisque monitis ad sui rationē officij inducendi sunt. Scite proinde *Apost. ad Colos.* 3. Patres nolite ad indignationē prouocare filios uestros, ne pusillo aīo fiant. Sed neque defuit è profanis qui diceret, Pudore, & liberalitate contineri liberos satius est quàm metu. *Terent. in And.* Addit. *Papin. in l. si quando. C. de inoff. testam.* Meritis prouocandi liberi sunt ad paterna obsequia. Nec excusationē admittat Cōfessor qđ nōnulli parentes obiurgati afferre solent, ob morē hunc natis imprecandi, iram cœcam, ac repētinam sibi obrepsisse; nec enim omnino illos hæc responsio expurgat, quia sæpe usque eo repentina non est, ut non uiderēt, aut uidere potuerint, se quod non licet facere, more ferarum irasci, non præmeditata loqui, iræ temere habenas laxare; nam neque apud Iudicem excusantur, qui dicunt se iræ impetu, aut linguę lubrico calumniam fecisse. Et blasphemiæ rei sunt, qui ira correpti in impia uerba prorumpunt, esto Deo per illa conuicia ri expresse non intendant.

Chauar.

Chauas. de pruden. lib. secundo, capit. 12. §. *secundo.*

Addet spiritualis pater, iure aliquando mulieribus obijci, quod sint Angeli in ecclesia, & Dæmones in domo; nam ex Aristotelis testimonio *l.* 8. *de animal.* & experientia constat, negari non potest, quin mulier sit maioris pietatis, religionis, & misericordiæ, quã uir, sed maioris inuidiæ, lites, & contentiones facilis serere, & sæpe domos clamoribus, & imprecationibus complere. Et licet mulierũ officium sit domus curam habere, & parta cõseruare, & pro hac parte necesse sit ut multa uideant, & corrigant, studere tamen assidue debent prout admonet. *Apost. ad Ephes.* 4. ut omnis amaritudo, ira, & indignatio, clamor, & blasphemia, cum omni malitia, ab eisdem tollatur.

Ad secundam quæstionem breuiter respondendo dico, quod cum dominium rerum dotalium saltem, ut Iuristę loquũtur, ciuiliter, & maxime quando res dotales æstimatæ traduntur, in maritũ transeat, & penes eum remaneat, ut per *Tuschum. de communi te stautem in v. maritus. conclusione.* 90. *v. dos. concl.* 936. *v. vxor. concl.* 389. *& Garziam. de benef.* 5. *p. cap.* 9. *num.* 164. consequenter etiam ius patronatus illis annexum ad ipsum maritum transfertur. *ex cap. cum secundum. ext. de iure patro.* atque ad eum solum nõ ad vxorem præsentare spectabit, vt resoluit, idem *Garzias. l. c. num.* 177. ac proinde ipsa Margarita omni tàm priuata quàm publica lite, & contentione deposita, pro honore, amore, & obedientia, quæ uiro suo exhibere eam par est, libenter acquiescere, & hoc ius ei cedere debebit. Ex his enim inferunt. DD. uxorem grauiter conscientiam suam vulnerare, dum notabiliter inobediens est circa ea, quæ ad bonos mores, & domus gubernationem pertinent, cum in his uiro de iure subiecta sit, & etiam lethali delicto se obstringere, dum maritum rixis, contentionibus, aut uerbis in grauem iram, uel blasphemiam prouocat, tunc nãque mariro debitam reuerentiam & amorem non præstat, ut ait. *Nau. cap.* 14. *num.* 20. *Tol. l.* 5. *cap.* 2. *Sayr. in cl. reg. l.* 7. *cap.* 7. *num.* 10. *Reginald. l.* 20. *num.* 44. *& seq. & alij communiter.* Et cum mulieres suapte natura superbæ sint, tumẽtis, atq; elati animi, ambitiosæ, atque potestatis auidæ, teste *Alb. in l. aduer sus. C. de crim. exp. hered.* & cum inter superbiæ species numeretur ambitio, iactantia, inanis gloria, loquacitas, curiositas, pertinacia, contentio, impatientia, libertatis amor, quibus addictas esse fœminas morales philosophi tradunt, propterea Confessarius ad sanandum Margaritæ animum, opportuna antidota adhibebit, de quibus diximus supra *tract.* 6. *de articulis circa superbiam.* Ei suggeret annulum, quem in digito gestat esse unionis torquem, quæ coniugum corda coniũgat, ut sint duo in carne una. *cap. nostrates. cap. fœmina.* 30. *quæst.* 5. *Angelus. consf.* 109. *Tusch. verbo. annulus. cõcl.* 345. *& verbo. vxor. concl.* 386.

Ipsam vt pote inferiorem debere marito palato, (propriam frangendo voluntatẽ) se aptare, vt illam felicitatem experiatur, de qua Sapiens *Eccles. c.* 25. ait, in tribus beneplacitũ est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo, & hominibus, concordia fratrum, amor proximorum, & vir ac mulier bene sibi consentientes, vt scriptum reliquimus *in Comment. de hum. vita stat. p.* 2. *cap.* 19.

Admonebit pœnitentem fœminam, prauum, ac detestabilem esse abusum ordinarium, ac consuetum Confessariorum mutandi, siquidem ex Senecæ sententia, Non coalescit planta, quæ sæpe transfertur; & nihil adeo sanitatem impedit, quàm medicorũ crebra mutatio, vt per *Syluest. in v. medicus. q.* 7. *Et aduerti. in d. Cõment. de stat. p.* 2. *c.* 16. *& c.* 17. Quemadmodum .n. medici, qui naturã, temperamentumque corporis in infirmis perspectum habent, non facile mutari solent, quod morbis necessaria facilius inuenire remedia norint: sic neque pœnitentes nisi ex causa, & magno delectu à consuetis medicis suis spiritualibus discedere debẽt, cum ij melius animarum vulneribus adhibere opportuna, ac utilia instituta possint. *Florentius. Harmen. in Instit. vitæ christ. l.* 2. *cap.* 21. *D. Carol. apud Possen. in Biblioth. select. l.* 3. *cap.* 23. *Arias. de perfect. spirituali. p.* 2. *cap.* 11.

Proponat relapsum ualde periculosum esse, tùm ex parte Diaboli, qui maiorem iurisdictionem in pœnitentem sibi comparat; tùm ex parte Dei, quia magis ab eo derelinquitur; siquidem languor prolixior medicum aggrauat, & interdũ misera morte vlciscitur; tùm etiam quia, ut dixi, per peccandi vsum praui habitus generantur, ita ut quando delinquendi consuetudo in morali periculo relabendi constituit, pœnitens illam circũstantiam necessariò confiteri debeat. *Syluest. in verbo. confessio.* 1. *q.* 9. *Suarez. tom.* 4. *disp.* 22 *sect* 4. *Roder. p.* 1. *c.* 53.

Peracta confessione, reprehensiones, & monita adhibeat; correptio namque non solum præteritos lapsus reparat, sed eius etiam timor ab eisdem præseruat, cum multo facilius sit labi, qñ eius timor deest, qui corripere potest; & ubi non est correptio, ibi sit corruptio. Propterea D. Bernardus dicere solebat, se magis timere peccatum occultum, quàm publicum, correptio enim ad publicum deserẽdum adiuuat, ad fugandum uerò occultum deest: & ubi non est corripientis uerecundia, & timor, tenratior quasi de uictoria securus accedit, ut proinde facilior sit in culpam lapsus. Et D. Chrysostomus, Ob id, inquiebat, maiora scelera subeunt, quod minoribus debita correctio nõ adhibetur. Imò causa cur adeò fideles à christiana perfectione distent, ea ab aliquibus dignoscitur, quod in republica potius

hemicrania quàm podagra laboretur, hoc est culpam in capite quod hemicraniæ morbo vexari solet, idest in superiore inhærere potius quàm in pedibus, qui podagra obsidētur, idest in subditis, quia Superiores, & animarum Rectores languidi malis per correctionem non obsistunt, nec medentur.

Præseruantem pœnitentiam imponet, vt quotiescunque in posterum in idem peccatum relabetur, genibus flexis ter Orationem dominicā, & Angelicā salutationē recitet, ter pectus percutiat, illa verba pronuntians, Deus propitius esto mihi peccatrici, & in spiritu humilitatis, ac in animo contrito terrā osculetur, & Angelo suo custodi se cōmendet. Ita enim fiet, vt diuina fauēte gratia, ab huiusmodi excessibus hæc mulier in posterum abstineat, & prauos habitus exuat. Nam cum eorum tres fontes, & radices sint, nempe concupiscētia, quam nemo mortalium sine speciali priuilegio euadere potest, naturalis habitudo, vel complexio, quæ ipsam concupiscentiam adiuuat, ac malam eius conditionem, ac tyrannidem deteriorem facit. Tertio consuetudinis vis, ac improbitas. Triplici etiam ratione insiti mali mores, & peruersi habitus propelluntur. Nempe ope diuinæ gratiæ, cessatione à prauo opere, & actibus contrarijs, cum pœna aliqua à se, ob cautionem in futurum persoluta, vt dixi supra *tract. 6. cap. 31. quæst. 132.*

Quippe Confessarij prudentia in sex rebus præcipue elucere debet. Primo in pœnitentis examine, vt verisimilia tantū ex cuiusque statu roget, ne simpliciores ignota peccata doceat. Secundo, in monendo incauto pœnitente, si præuideat complicem sine necessitate proditurum. Tertio in relinquendo illum in bona fide, quando ex manifestatione nihil se profuturum putat, vt præcipue in impendimētis matrimonij in praxi accidere solet. Quarto in applicandis medijs ipsi pęnitenti accommodatis, quæ ad duo dirigi debent, nempe ad concipiendum dolorem ex parte Dei offensi. Secūdo ad propositum non peccandi de cætero, peccandi occasiones auferendo. Quinto in iniungenda salutari pœnitentia, quæ & peccatis, & pœnitenti consentanea sit. Sexto in eo promouēdo ad christianam perfectionem neque enim Cōfessarij munus in impertiendo tantum absolutionis beneficio absoluitur, sed cum magistri, medici, & spiritualis patris personam sustineat, debet confitenti salutis monita dare, vt non solum peccatorum grauitatem agnoscat, & congruam pœnitentiam de his agat, sed etiam de virtutum virtutem ambulet, vt vbi abundauit delictum, super abundet & gratia, & tandem ad eum spectat, ipsum pœnitentem in omni virtutum genere ad spiritualem progressum instituere, vt annotauimus supra *tract. 5. cap. 11. quæst. 69. & tract. 6. cap. 1. in suppositis, & alibi.*

QVAESTIO CXXXVI.

QVOMODO CONFESSARIVS CVM ADVlatore agere debeat, &c.

EVangelista qui à cuiusdā Episcopi confessionibus est, vt eiusdem gratiam ineat, initamque conseruet, fere semper ei adulatur, & gratijs litat, etiā si eum officium suum non rite exequentem videat; siquidem numquam cathedralē ecclesiam (à quo iudicium incipere debet) nec alias tàm vrbis quàm diœcesis ecclesias visitat, circa cleri vitam, & honestatem non vigilat, & eius reformationi non incumbit. Congregatione doctorum virorum pro bono regimine non cogit, nec peritorum consilium petit, &c. ita vt quę ad Dei cultum spectant, in malo versentur statu. E' contra cum cuiusdā vicini Episcopi vigilantiam, & diligentiam in his quæ Dei sunt exequendis, ab aduenis laudari, & commendari audiat tacet, & dolet, quod alij de illo bene loquantur, &c. quæritur quomodo qui nunc huius sacerdotis, & spiritualis patris confessiones excipit, cum eo se gerere debeat?

R. Pro faciliori huius negotij explicatione fusius suppono, christianæ charitatis virtutē ipsos fideles, qui reipublicæ sūt partes, sermonū suauitate vnire, ac cōglutinare, quibus omnes allicit, eisq; bonum, quod potest, præstat, nunc illos laudando, & honore afficiendo, nunc excusando, defendendo, eorumque causam in quibus expedit, propugnādo. In hoc tamen duo extrema cōtingere solēt, scilicet nimietas, & parcitas, parci in hoc deficiunt, quod proximi bonum in loco, & tempore, & occasione tacent, in quibus ad rem fuisset, illud serio manifestare.

Quod licet interdum ex quadam ad loquēdum naturali ineptitudine proueniat, nā vt ait Sapiens, *Eccles. c. 20.* Est tacens non habens sensum loquelę, vt plurimum tamen ex rancore, aut inuidia oritur, cuius proprius effectus est, vt si non male de alijs loquatur, taceat nihilominus quod in eis bonum est, doloreque afficiatur, quod alij ipsos commendent. Siquidem detractio directe, & indirecte committitur. Primo modo proximo falsum crimē imponendo. Secundo verū quod audiuimus uerbis augendo. Tertio occultum, & si verum reuelando. Quarto honestum factum in eius prauam intentionē detorquendo. Secūdo modo quatuor pariter modis fieri solet. Primo negando bona proximi cum illa concedere, & fateri teneamur. Secundo reticendo, cum illa pandere oporteret: nam ex Iurisconsultorum sententia occultator alienæ laudis furi similis esse traditur. *Fran. Curt. cons. 66.* Tertio aliena merita minuēdo. Quarto frigide, & remisse laudando, quandoquidem ex Phauorini Philosophi placito apud *Gellium. li. 9. noct. Att. cap. 3.* Peius est frigide laudare,

laudare, quàm apertè reprehendere. *D. Thomas. 22. quæst. 73. art. 1.*

In extremum nimietatis incidũt, qui plus quàm par sit alios laudãt, quod vitium adulatio vocatur, quæ ex quatuor potissimum circunstantijs vitiosa redditur. Primo cum male ab alijs facta laudantur, propter quod in malo suo statu perseuerandi occasio præbetur. Quod Dauid *Psalm. 9.* insinuat dicẽs. Quoniã laudatur peccator in desiderijs aĩę suę. Nec dubiũ, qn in hoc casu lethale peccatũ admittatur, si id qđ laudatur est tale; veniale vero, si leue sit. *ex D. Thoma. 22. quæst. 115. art. 2. Reginald. l. 24. n. 170. Ang. Syluest. & Tab. in ver. adulatio, Viguer. in Instit. c. 5. §. 13. vers. t. & Gisbert. de eccles. vita. c. 75.*

Quæ quidem adulatio non statim officit, sed nequitiæ semina in eo relinquit, cum excusatur quod turpe est, vituperatur quod honestũ, quia illud sensibus blanditur, & corruptæ naturæ illud aduersatur. Adulatio, ait Q. Curtius, perpetuum malũ Regum est, quorum opes sæpius quàm hostis euertit. Quare certa pernicies Principi imminet, qui adulationi potius, quàm admonitioni aures præbet.

Secundo cum quis ob solam externam speciem laudibus extollitur, tanquam sanctum cum prædicando, quem exterius bene compositum videt, contra illud Sapiẽtis. *Eccles. cap. 11.* Non laudes virum in specie sua.

Tertio cum probabiliter timetur, ne laus nostra probum hominem ad elationẽ, & inanem gloriam impellat, ob quam à virtute si qua præditus est, excidat, aut illam imminuat. Quod *l. c.* idem ecclesiasticus innuit dicẽs, Ante mortem ne laudes quemquam. *Graffius. l. 2. Decis. aur. cap. 139.*

Quarto cum laudes nostras cõ præcipue dirigimus, vt hominibus placeamus, siue vt illi nos laudent, siue vt aliquod temporale cõmodum, & emolumẽtum venemur. Etsi qui aliquod beneficiũ per adulationem consecutus est, illud resignare, vel restituere ex communi sententia non teneatur; nam vt simonia vere ac proprie committatur, requiritur vt pro spirituali, pretij nomine, quid pecunia æstimabile tribuatur, at laudes & huiusmodi etiã falsæ adulationes, quæ ob id fiunt, quò laudatus ei beneficium conferat, pecunia æstimabiles non sunt, ergo in ipsis simoniaca labes non contrahitur, vt propterea beneficium restituendum non sit. Excipitur tamen vbi laudes, & adulationes esto natura tales non sint, pro pretio tamen fierent, & acciperentur tũc. n. intentione simonia committitur, quãuis proprio, ac vere dici nequeat; & ob id eius generis non est, quæ censura ab ecclesia puniatur. *Caiet. in verbo. simonia. Nau. cap. 23. num. 102. Vgol. de simonia. tab. 1. cap. 60. arg.*

In his ẽt tribus casibus, aliqñ cum lethali culpa cõsideratis circũstantijs, adulator inimicũ quidem blandum, sed amicum valde crudeliẽ agit, ob graue quod proximo infert, detrimẽtum: nam homo qui blandis, fictisque sermonibus loquitur amico suo rete expandit gressibus eius. *Prouerb. cap. 29.* Quod expressius adhuc Deus per *Isaiam cap. 3.* admonuit dicens, Popule meus qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant. Adulator est sicut scorpio, & apis, scorpius enim facie blanditur, sed cauda ferit; Apis vero mel in ore gerit, sed à posteriori parte pungit: sic adulator coram laudat, at procul vituperat. Hinc Cato,

Noli homines blandos nimio sermone probare,
Fistula dulce canit, volucrem dum decipit auceps.

Cauendum à fele, qui vt prouerbio effertur, prius lambit, & postea rodit. Tria sunt, quæ hoc vitium à nobis abigunt. Primo bona cõscientia, vt cum quis laudatur, ad illam se colligat. Secundo difficilis auditus, vt scilicet syrenarum cantus surda aure pertranseat. Tertio humilitas, vt magis homo à quolibet reprehẽdi, quàm ab adulatore laudari malit. Humilis est sicut balsamũ, si purum est ima petit, si falsũ supernatat. *Tossign. in Dict. Cõcion. v. adulatio.* Adulatio pessimũ malum, magnæ fortunæ comes, in aulis Principum plerumque dominatur. Hinc *Baldus. l. 1. cons. 326.* ait quod magna fastigia hoc solo priuãtur, quod præ timore, vel nimia reuerentia nõ est, qui verum dicat, vt merito. *Plut. in tract. de discrim. adul. & amici* dixerit, Diuitum, & Regum filios nihil recte neque bene discere, præterquam equitare, certum est enim ab equo feliorem deijci, qui equitandi ignarus fuerit. *Schol. in embl. Alciat. 35. Mascard. de probat. volum. 1. concl. 56. Tusch. tom. 1. concl. 220. Catel. Cotta. in v. Princeps. Finus. de reg. Iu. hom. 3. Tholos. de repub. l. 8. cap. 7.*

Proinde Principes vitos quærere deberent, qui eis vera dicerent, tunc namque eorum imperium, & iurisdictio optime se haberet, nam *D. Thomas. de reg. Prenc. l. 2. cap. 8.* docet inter alias causas cur Romanum dominium diũ seruatum fuerit, & auctum, hanc fuisse, quia erat animus in consulendo liber, cuilibet enim de consultoribus facultas inerat libere, & palam veritatem promendi, cum vero paulatim hęc dicendi facultas diminuta fuit, sensim etiã imperium diminutionem fecit. Notiores autem esse adulationes in publicis, quã priuatis personis, & negotijs esse, & assentari ac placita loqui, in consilio, reipublicę perniciem maximam inferre testatur Demosthenes. *orat. 2. in Philip. &* idem *Tholos. syntag. Iu. l. 39. cap. 9.*

Perniciosa quippe res est adulatio, siquidem cuius aures clausæ sunt veritati, vt verum audire non possit, eius salus omnino desperanda est. Quare perfectionis cupidus summe hoc vitium horrere debet ob ingens damnum, quod suæ & proximorum animis affert. Adulator est Diaboli propinator & Infe-

rorum

rorum Sacerdos, Presbyter enim à placebo Domino vesperas incipit, & mox ad sepulchrum cadauer deducit, & effert; longe satius esset si à Psalmo Dirige inchoaret. Opportunum etiam repellendi adulationem remedium est amaris delectari, nam dulce est naturæ amicum, sed corpus obstruit. Quare scite D. Ambrosius adulationem velut cicadam esse asserit, quæ si oleo inundatur perit, nam præcluditur, & respirare nequit, sed si aceto aspergatur, statim surgit, & reuiuiscit. Non tamen propterea prudentes laudes, & ex charitate, tẽpore, & loco prouenientes prętermittendæ sunt, quãquidem interdum

Anima dat gloria vires,
Excitat auditor studium, laudataque virtus
Crescit, & immensum gloria calcar habet.

Hoc nihilominus munus erga pœnitentem à Confessarij Christi vices gerentis ministerio alienũ esse debet, cui si blanda, & perniciosa adulatione pœnitentes fouet, sic per *Ezech. cap. 3.* comminatur dicens, Vę qui cõsuunt puluillos sub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis ad capiendas animas. Datur quippe tàm animaliũ, quàm hominũ venatio, & venari homines nil aliud est quàm decipere & fratrem suum circumuenire; quæ quidem venatio omnibus hominibus prohibita est, cum crimen immane cẽseatur, & clam, hostili animo, prętextuque beneuolẽtiæ fiat, cõque perniciosior, quò proditorie, & oblinitus nocet aculeus. Hocque venandi vitium tàm ecclesiæ inuisum est in ecclesiastico viro, vt illa *in Concilio 4. Carthag. c. 59.* decreuerit, vt etiam habetur *can. 4. distinct. 46.* Clericus, qui adulationibus, & proditionibus vacare deprehẽditur, ab officio degradetur. Et rectè tales pediculis similes esse dicũtur, qui à morientibus non discedunt, nisi sanguis sit extinctus, quo nutriri solent. Attollũt quippe assentatores vitia, & vitutum nominibus insigniunt, quod dum fit ipsis vitijs calcar additur. Est namq; malũ immedicabile quando vitia vt virtutes laudantur, vt iam pecces non modo non dolens, sed etiam gaudens, ait *Plut. l. 16. de discrim. adul. & amici.* Quos propterea Salomon. *Prouerb. c. 16* his verbis perstringit, Vir iniquus lactat amicum suum, & ducit eum per viam non bonã. Vbi etiam Doctores obseruãt, rectè adulationem lacti comparari, vt ostẽdatur, probro verti homini adulto adulationem amare; sicut barbatum virum puderet, à matemis mamillis, & ab vberibus pendere, & ibi lac sugere.

Et ex his colligi potest, quomodo Confessario Episcopi alter hic spiritualis medicus consulere debeat, nempe illi aperiendum esse, graui culpa se ipsum contaminasse, cum adulando, Episcopum pœnitentem cum tanta subditorum pernicie seduxit, & alteri vicino Episcopo indirecto modo sic detraxit; virtus namque iustitiæ ad quam spectat proximorum iura tueri, merito debet omnes sermones nostros comitari, vt tres prauas linguas compescat, quarum Sapiens. *Eccles. cap. 28.* meminit, quia earum munus, & occupatio non alia est, quàm male de proximis loqui, honorem & reuerẽtiam illis debitam auferendo; aut famam, bonumque nomen, quod apud alios habent, obscurãdo, & amicitiam, mutuamque concordiam inter alios dissoluendo. *Lud. de Ponte. p. 2. de perfect. christiana. tract. 3. c. 9. & seq. Perald. in summa virt. tom. 2. cap. 7.*

QVAESTIO CXXXVII.

QVID CVM SVSVRRONE IN CASV practico honoris aucupandi agendum sit, & quid cum religioso inscio suo superiore noctu è monasterio egredienti?

MIchael Angelus Sacerdos regularis & claustralis, vir doctus ac eruditus, cum videret Hieronymum socium, & collegam suum maxima amicitia, & familiaritate cum Prælato Prouinciali coniũctum, qua ne monasterij præfecturam venaretur, probabiliter dubitabat, cum tamen non ita dignus, & idoneus censeretur, inuidiæ vel æmulationis cuiusdã aculeis actus, quibus spirituales etiam viri aliqũ stimulari solent, vt hmõi dilectionem, & propensionem ab eo abstraheret, & in se vnum deriuaret à ꝓprio monasterio inscio suo Superiore noctu discedens, ipsum Prouincialem in vicina vrbe commorantem conuenit, & omni studio eiusdem fœdus susurratione dissoluere nixus est, quod & obtinuit, illum excludens, & se ipsum in locum exclusi intrudens, simulque Couentus Prior, & Præpositus creatus est. Quæritur an tàm callida arte vtens lethaliter deliquerit, & an huiusmodi dignitatis collatio in eum facta valida sit, & cum nocturno tempore cum socio è cœnobio inconsulto Præfecto exiuerit, an in casum in sua religione reseruatũ (qui est nocturna è conuentu egressio, etiam non animo apostatandi facta) ipse & socius inciderint?

Resp. Pręmitto ex à nobis traditis supra *tract. 6. cap. 25. quæst. 116.* Susurrationem nihil aliud esse, quàm oblocutionem, id est peruersum sermonẽ occulte contra proximum factum, quò inter aliquos inita amicitia dissoluatur; in hoc enim à detractione differt, quæ famam lædit, & à contumelia, quæ alterius honorem violat; at susurratio, (quæ tamen vtriusque tàm detractionis quàm contumeliæ aliquid admixtum habet) amicitiam ingens hominis bonum tollere prætendit. *D. Thom. 22. quæst. 74. art. 1. vbi Bannes, Arrag. & Salon. Nau. cap. 18. num. 13. Filliuc. tract. 40. cap. 5. Bonac. de cont. quæst. 6. p. 1. & 2. vt etiam dixi supra tract. 62. c. 25. d. q. 116. & in Comment. de cas. reser. p. 3. cap. 7. sect. 1.*

RE-

RESOLVTIO CASVS ET QVAESTIONVM.

Hoc ſuppoſito dico, etiam ſecluſa inuidia, Michaelem Angelum non excuſari à peccato mortali, vel veniali, charitati, ac iuſtitiæ repugnanti, mortali quidem, ſi Hieronymus in notabile damnum incurrat, aut aliquod bonum quod ſalua religione, & religioſa conſcientia prætendere poterat, ex ablatione talis familiaritatis amittat; veniali vero, ſi læſio parua ſit; ſiquidem alicui non licet alterum ob propriam vtilitatem lædere, etiam ſi ſolum aliquos eius naturales defectus narret, aut alios veros referat, etiam ſi nec proximi infamia, nec odium, vel inuidia, eius mētem inflammet, ſed ſolum hoc agat, vt æmulus ab illa familiaritate excidat, manente amicitię ſubſtantia, quò ipſe in Prę lati gratiam ſe inſinuare poſſit. Nec valet illa quæ ab aliquibus affertur ratio, quod amicitia gratuitũ ſit bonum, à libera amici voluntate dependens, in qua nemo ius habet, &c.

Nam licet amicitiæ, & familiaritatis bonũ gratis conferatur, & gratis negari poſſit, poſtquam tamen quis in illam admiſſus eſt, ius habet, ne illa, abſque cauſa, & ſuo damno priuetur.

Hinc ſequitur, ex iſta ſuſurratione, præter culpam, reſtituendi quoque obligationem conſurgere, cum explorati ſit iuris, ex peccato contra iuſtitiam damnum illatum reſarciendi onus exoriri.

Superbiæ quoque vitio ac præſumptionis ipſius Michaelis Angeli animum infectũ fuiſſe cõſtat, qui monaſterij præfecturã affectauit, cum vt dixi, viro erudito, & ſapienti ſatius ſit, honores, & dignitates mereri, quàm illis augeri, & fungi, vt propterea etiam dixerit Plato, Bonos imperare nolle, ſi non illis neceſſitas imponatur. Niſi tamen appetitus ille moderatus fuerit, & in honeſtum finem relatus, non vt præſit, ſed vt proſit, & virtutis ſuæ præmio promptiori, & alacriori animo Deo ſeruiat: ſiquidem, vt ſupra animaduerti. *tract. 6. cap. 2. quæſt. 6.* Licite ſapientes Superiores & Præfecti tàm ſæculares, quàm regulares, præmia ſubditis proponunt, vt eos ad virtutum actiones accendant, cum honos alat artes, & virtutẽ velut vmbra corpus ſequatur, vt proinde eius appetitus, ſi moderationis finẽ non tranſilit, honeſtus ſit, & culpa careat. *Nau. cap. 23. num. 15. Tol. l. 8. cap. 23. Reginald. l. 12. cap. 4. n. 31.* Huiuſmodi quoque ad præfecturam electio valida erit, ſi ex religionis inſtituto, debitis ſeruatis conditionibus à Prouinciali cum Diffinitorũ ſuorum ſecretis votis celebrata fuerit. *Conc. Triden. ſeſſ. 25. de regul. cap. 6. Miranda in Man. Prælat. tom. 2. q. 17. art. 1. concl. 4. & quæſt. 23. art. 29. Leſſius. lib. 2. cap. 19. num. 34. Molfeſ. tract. 8. cap. 12. num. 45.*

Sed ſi electio huius Superioris, vel Officialis eſſet inter fratres Minores de obſeruantia, cum ſub quadam ſubornatione ſit facta, irrita ſaltem in foro externo videtur, & ipſe ſubornans pœna excommunicationis Summo Pontifici reſeruata obſtrictus maneret, vt habetur in *Conſtitut. Pij V. Incip. Paſtoralis officij.* de qua apud *Nau. cõſ. 20. de ſent. excom. & Nald. in ſumma. in verbo eligere. num. 25.*

Ad ſecundam quæſtionẽ dico, Michaelem cum Georgio laico ſeu cõuerſo, in caſum in ſua religione reſeruatum incidiſſe, cum eorum egreſſio ſit nocturna, furtiua, & extra monaſterium, nam religioſorũ clauſura requirit, ne ullus regularis cuiuſcumque ordinis, ſine Superioris licẽtia, præſertim ad diſtantem locũ eundo, ſepta monaſterij exeat, neque cum illa, niſi iuſta, & rationabili neceſſitate, uel vtilitate id ſuadente. *cap. placuit. 16. q. 1. Neque domo egredi debet, niſi cum quo ſocio Superiori viſum fuerit, qui quidem ſocius ſit teſtis, cuſtos, & adiutor. *D. Auguſt. in reg. cap. 10. & 20. Baron. tom. 12. anno 1194.* Vnde & Vrbanus IV. *in regula Monialium S. Claræ, vt refertur. in Compen. Priuileg. Mend. in v. Ingredi monaſteria. §. 7. & à Miranda in tract. de ſac. monial. quæſt. 2. art. 17.* cum dat facultatem Confeſſarijs monialiũ, ut pro adminiſtratione Sacramentorum tempore infirmitatis, monaſterij ſepta ingredi poſſint, ſubdit, Caueãt etiã ut quamdiu Confeſſarius & ſocius intra monaſterium fuerint, nullatenus ſeparentur. Imò aliqui tantum inſtituto cum ſocio prodeundi tribuerunt, vt dixerint regularẽ factum Epiſcopum teneri de honeſtatis, & decentię debito, ſocium Ordinis apud ſe habere, vt per *Sanchez. de præcept. lib. 6. cap. 6. num. 21.*

Et ſi ſemper damnoſa eſt egreſſio è monaſterio, quando debitis modis non fit, perniciosiſſima profecto eſt, cum nocturno tẽpore contingit, nam tunc etiam ſi ut DD. loquũtur, religioſus animum apoſtatandi non habeat, & lethali culpa, & caſu reſeruato afficitur; ſiquidem clam & noctu facta fraudis argumentum habent, dicente. *Seneca Epiſt. 97.* Bona conſciẽtia prodire vult, ipſas nequitia tenebras amat. Et lucem odit, qui male agere intẽdit. *Anch. conſ. 175. Cranetta. conſil. 31. Abb. in cap. 1. de cland. deſpoſ. Tuſch. in v. clandeſtinitas. concl. 285. & ver. lucem. concl. 447. Polid. Ripa de act. temp. noct. cap. 2. vt etiam inſinuaui ſupra tract. 7. cap. 29. quæſt. 118. & ex profeſſo egimus. in Comment. de caſ. reſer. p. 3. cap. 2. ſect. 1.*

Vnde monaſterij Pœnitentiarius, ſicut in prima quæſtione facultatem liberãdi ab excõmunicatione Papali, quam ob ſubornationẽ incidit, à Romana Sede petere debet, uel à Generali, uel Prouinciali, ſi actus eſt occultus, *ex cap. liceat. Concil. Trid. ſeſſ. 24. de refor. per ea qua ex multorum DD. ſententia tradidimus. ſupra tract. 5. cap. 5. quæſt. 31.*

Ita etiam quò ad caſum egreſſionis è monaſterio abſoluendi authoritas ab eiſdem Superioribus

regularibus postulanda est. *Molfes.tract.7.cap.21.* Porro quomodo Michaelis Angeli superbiam,& ambitionem sanare debeat,videat supra *tract.6.capit.2.quæst.6.& infra quæst.sequenti.*

CAP. XXXVI.

QVAESTIO CXXXVIII.

QVID AGENDVM CVM MVRMVRATORE contra Deum & Principem,ob non consecutos, quos prætendebat honores.

REmigius I.C.vir aliàs æque probus,ac eruditus,cum per multos annos in Principis sui aula ætatem suam transegisset,nec vllum vmquam commodum,præmium,vel honorem,ex labore suo, seruitio, ac virtute, & eruditione reportasset, imò paupertate,& miseria perpetuò conflictatus fuisset, ac tanquã infami dignitatum fores numquã ei patuerint,cõtra Deum,& ipsum Dominũ suum Principem obmurmurat,ac querelas fundit, & melioris fortunæ totam spem abijciens,animum despondet, apud socios & collegas suos efferens,satius esse, huius vitæ voluptatibus indulgere, quàm virtuti incumbere,cui ob huius temporis nequitiam,nullum exhibetur præmium,nec cõdignus honor tribuitur. Quæritur,quomodo se cum eo gerere debeat Confessarius?

SVPPOSITA ET PRAENOTIONES.

REsp. Sane rara auis in terris, nigroque simillimus Cygno ille est,quem non teneant, stipent, ambiant comites illi quinque Plautini amatoris,videlicet cura,miseria,ęgritudo animi,lachrymæ,& lamẽtatio. Vnde suppono,murmurationem nihil aliud esse, quam querelam,cum impatientia, in his,quæ homo æquo animo,ac patiẽter ferre debet. Et licet à multis cum detractione, & susurratione confundatur,differunt tamen, quia detractio proximi famam lædit, susurratio amicitiam tollit, sed murmuratio de suis calamitatibus conqueritur. *c.si quis el.1.dist.90.* Quæ aliquando contra Deum committitur, vt cum alicui displicet, quod prosperitatem vel aduersitatem in hoc sæculo secundum hominum merita non tribuat, sicut ille dixit,

Fortuna immeritos auget honoribus,
Fortuna innocuos cladibus afficit,

Et vates regius *Psal.72.* Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei, quia zelaui super iniquos, pacem peccatorum videns, &c.

Vel quod mundum non iuste regat, vel oĩa casu fiant,iuxta illud Claudiani christiana luce carẽtis, ac ideo res humanas sanctuarij lance non librantis.

Sæpe mihi dubium traxit sententia mentem,
Curarent Superi terras,aut nullus inesset
Rector,& incerto fluerent mortalia casu,&c.

Et aliquando contra homines præsertim Superiores effunditur,deplorando,bonos, ac doctos deprimi,improbos,ac ignaros extolli,& augeri,sicque in honoribus, & oneribus deferendis non ex iustitiæ distributiuæ legibus secum agi, &c. De qua re extat illud Emblema,

Sarcinulis oneratur equus, sacra gestat asellus,
Munera partiri, tàm male France doles?

Quo significatur,aliquando rerũ imperitos,ac planè rudes, honoribus tàm ciuilibus quàm ecclesiasticis,ac regularibus admoueri,generosos, ac eruditos ad infimas curas ablegari. *Minoes.emb.7.Holchot.super Sap.cap.1.lect.9. Cassaneus.in Catol.gloriæ mundi.p.1.cõsid.43. Peraldus.in sum. virt.ac vit. p.1.de peccatis lingua. Ang.Syl.& Tab.in v.murmuratio. Reginald.l.24.num.173. Molfes.tract.11.capit.22.num.135.Io.Carthag.l.8.hom.3. Laur.Scalab.in Mor.in Pass.Domini. Mor.27.cap.1.§.1.*

CASVS ET QVAESTIONVM RESOLVTIO.

IStum ergo Remigium Confessarius admonebit à probitatis gradu excidisse, ac lethalis culpæ labe se fœdasse, cum in Deum sic murmurando insurrexit. Imò si hanc murmurationẽ vsurpauit cum intellectus errore,credendo Deum esse iniustũ,non gerere debitam hominum curam,aut in ea cura temere procedere, vel quid simile,hæresis quoq; eluuie inficitur, & in excommunicationem in Bulla Cœnæ Domini latam incidit. Quippe redigendus est intellectus in obsequium Christi, & humiliter dicendum cum Dauide *Psalm.118.* Iustus es Domine,& rectum iudicium tuum,& *Psalm.50.* Tibi soli peccaui, & malum coram te feci, vt iustificeris in sermonibus tuis,& vincas cum iudicaris.

Neque enim sensus hominis ad æternorum profunditates consiliorum attingere queunt, nec ij sumus qui diuinam manum ad iustitiæ trutinam expendere velle audeamus. Dispensatori summo arbitrio suo agendum est, nec eius consilia in disquisitionem ab humana mente vocanda sunt.

Discat non murmurare, qui mala patitur, etiam si ignorat, cur patiatur. Per hoc quisq; se iuste pati arbitretur, quia ab illo iudicatur, cuius numquam iniusta sunt iudicia, ait, *D. Isid.l.3.de summo bono.* Vnde & *Seneca.Epist.14.* Optimum est,inquit,pati,qđ emendare non possis, & Deum à quo auctore cuncta proueniunt, sine murmuratione comitari. *Et Boetius l.4.de cons.met.6.*

Sedet interea conditor altus,
Rex & dominus,fons,& origo,
Rerumque gerens flectit habenas,&c.

Ac,

Ac, vt ipse alibi ait,

Peruersis resident celso mores solio,
Latet obscuris condita virtus
Clara tenebris, iustusque tulit
Crimen iniqui,&c.

Frequentissime vsu euenire videmus, vt qui plus emolumenti reipub. afferunt, & vberrimos fructus in publicum producunt, ij ab omnibus lacessantur, proterantur, vulgo ludibrio sint, & mille mala patiantur; contra vero deperditos, ac nullius frugi homines (si modo hominis nomine digni sunt.) sua ignauia, ignorantia, & fordida sterilitate nō solum securos viuere, sed etiam ad summum honorum & opum culmen facili prouehi cernimus, vt ait. *Schol. in Emb. ad Alciat.* 193. Diogenes Magnates, & Locupletes caprificis similes esse aiebat, quorum fructibus corui tantum vescerentur, non enim studiosos beneficio, sed sycophantas afficiunt, ac fouent. At hæc omnia vere ac iusto Dei iudicio aguntur, qui cū in sua dispositione non fallatur, suos electos, & bene merētes non falsis hic & caducis bonis, sed in cœlo veris, ac solidis præmijs cumulare statuit: Quippe lapides ad Cœlestē domum ædificandam electi in hac lachrymarū valle tunsionibus, ac pressuris expoliri debent, vt in templorum dedicatione sancta canit ecclesia. Et ex christiana fide dicendum est, dignitates, & honores à Diuina prouidentia, non casu, & fortuna præstari, cum à Deo omnis potestas sit, Bona enim & mala, vita, & mors, paupertas, & honestas ab eo sunt. *Eccles. cap.* 11. Vt propterea & sapiens Cato scite admonuerit,

Si tibi pro meritis nullus respondet amicus,
Inculpare Deum noli, sed te ipse coerce.

Sane qui diuinæ prouidentiæ se subtrahunt, atque rectam fidem abnegant, nullo firmo fundamento nixi fluctibus iactantur, & facile illos tentationū & calamitatum torrentes abripiunt, omnes vitæ labores, actiones, structuramque vniuersam subuertunt, obruuntque. Agnoscēda est tàm ab ecclesiasticis, & regularibus, quàm à sæcularibus viris Diuina prouidētia in honoribus cōsequendis, ad eos .n. aliquos Deus nō vocat, quia nō vult, nō vult vero quia optimus pater (cui cura est de omnibus) eorum saluti tale munus haud expediens ducit. *Bassus. de cur. anim. p.* 1. *cap.* 6. Hinc Theodoretus super *Psal.* 54. ait, Nostri & negotiorum nostrorum cura in Deum proijcienda, gubernatorem habeas Deum, & aurigam, & res tuæ ab illa prouidentia pēdeant, nam hoc modo inconcussus manebis, & immutabilis. Hinc Christus Pilato dixit *Io. c.* 19. Non haberes potestatē aduersus me vllam, nisi tibi datum esset desuper; hoc est, vt multi DD, exponunt, nisi ex Diuina patris dispositione id factum esset: aduersa enim Dei prouidentiæ consideratione leuiora fiunt. Et vt ait. *Leand. Galganett. Deus Luc. c.* 14. *dixit*, Vade & recumbe in nouissimo loco, in quo vnusquisque sedere debet, & expectare Dominum dicētem, Ascende superius, & postea obedire, teste *D. August. in serm. de communi vita cler. & D. Thoma* 22. *quæst.* 185. *art.* 2.

Idque eo etiam nomine facere debet vir prudēs quod vt ait Seneca Pumilio etiam si in monte consistat, pusillus est, colossus etiam in puteo magnus, sapiens .n. in quacunq; fortuna suis bonis magnus est; stultus etiā in summa fortuna humilis & imus. Quod & Salomon indicat. *Prouerb. cap.* 26. Cum ait, Sicut qui mittit lapidem in aceruum Mercurij, sic qui dat insipienti honorem. Timere debet christianus ne momentanea, & terrestris felicitas sibi ob quædam peracta bona concedatur, & ne remunerationem in hoc mundo recipiat, vt æterna vita priuetur, mercedem suam in hoc sæculo recipiendo, pro grauioribus malis perpetratis æternas pœnas in alio subiturus. Qđ ēt Ibycus Ethnicus maxime metuebat, vt est apud *Platonem in Phædro*, dicens, Metuo ne aliquo in Deū admisso delicto honorem ab hominibus per permutationē accipiam.

Porro quò ad murmurationē contra Principem iactatam, quod homines virtute præditos non foueat, nec præmio afficiat, cum hoc etiam tanquam à secundis causis Dei Decreto contingat, quandonam sit mortalis culpa, & quādo venialis, prudens Confessarius ex rerum, & personarum conditionibus, & qualitatibus dijudicabit, neq; enim id certà regula definiri pōt, prout *Sylu. Ang. & Tab. v. murmuratio* tradūt. Cum vero hic tàm Principū, quàm Prælatorum mos lippis, atque tonsoribus notus sit, nec inde ipsorum in hoc referendo abusu famæ iactura sequatur, non est quod pœnitens ad restitutionem vrgeatur. Bene ad illa verba, quæ offensionis, & scandali apud probos viros causam præbent, retractanda cogendus est, Quod scilicet præstet genio indulgere, quàm virtuti operam dare, &c.

Quæ verba nisi subreptio excuset, mortale peccatum esse possent; siquidem venialis culpa rationē scandali lethalis euadit, cū à tali persona, & coram talibus fit aliquid, vt merito existimandū sit, astantes, vel audientes ad mortale peccatum inducēdos, vt si à persona ualde religiosa, & graui uerbum turpe, & male in pijs auribus sonās, publice diceretur. *Sanchez. l.* 1. *de præcept. cap.* 6. *num.* 11.

Decet porro quemlibet Christi fidelē in uineà Domini strenue laborantem, numquam ex suis laboribus humanum præmium, aut temporales honores aucupari, scientem multo præclarius esse, honores mereri, & illis carere, quàm eos obtinere, & indignum esse, & uerum regnum dici nolle regnare cum possis. *Sen. lib.* 3. *de benef. cap.* 26. *Galganettus. de iure pub. l.* 1. *tit.* 4.

Huma-

Humana cuncta sumus, umbra, vanitas.
Et scenæ imago, & verbo vt absoluam, nihil.
Et certum est, Deo propter ipsum inseruiendum, & eum pp semetipsum diligendum esse, uam vt ait. *D. Aug. l. 10. Confess. cap. 29.* Minus te amat, qui tecum aliquid amat, quod propter te non amat. Qui propter sola beneficia, aut res tẽporales, vel etiam æterna bona quæ cõfert, aut præcipue in Dei amorem assurgit, non amaturus nisi illa acciperet, mercenarius est, & ob tãtam peruersitatẽ dignus, qui in Inferno cum damnatis locum sortiatur, à quibus sic præpostere Deus diligebatur; iuxta prophetiam *Psalm.* 48. Confitebitur tibi cum benefeceris ei, introibit vsq; in progenies patrum suorum, & in æternum non videbit lumen. Qui se veram charitatem habere profitetur, cauere debet, ne sit in Dei amore vertumnus & instabilis, sed cõstanter omni tempore diligat, vt nihil vnquam ab eius charitate disiungat, non tribulatio, non angustia, nõ aliqua praua suggestio. Et quoniam diuini amoris extinctio ex iniqua de Deo opinione descendit, sicut ex bona idem amor gignitur, impias de eo cogitationes nõ admittat, sed dicat, Omnia in sapientia fecisti, & iustus dominus in omnibus vijs suis. *Psalm.* 144. Multa disponit, & iubet Deus humanę censuræ obnoxia propter causas quibus nituntur ignoratas: patefaciet suo tempore permissionis, ordinationis, & consilij totius rationem, & iustificabitur in sermonibus suis, & vincet, qui nũc à temerarijs iudicatur. Proponat, magnanimitatẽ christianã esse virtutẽ, qua homo in rebus honore dignis occupatur; & honorẽ per se ipsum nõ quærere, nec ipsum humanum honorem, & fauorem magnifacere, sed eum quem Deus virtuti tribuit, quem SS. Patres æternorum honorem vocant. *D. Gregor. l. 5. mor. c. 34. D. Chrysost. hom. 48 in Act. D. Thom. 22. q. 129. art. 1. & 2.* Item illa S. Gregorij Nazianzeni ad Eudoxiã salutaria verba ei ob oculos ponet, Transeamus hinc, euadamus in viros, proijciamus somnia præteruolemus vmbras, & magnæ huius scenæ ludicra, & inania spectra, cuiusmodi sunt throni, potentatus, diuitiæ, promotiones, prouolutio subditorum in genua, inanis gloriola, &c. Vere Marc. Tull. fortunatos eos homines iudicabat, qui à studijs ambitionis remoti, literarium otium, & vitæ tranquillitatem sequerẽtur. Democritus ille, cui omnia ridicula videbantur, summum hominis bonum animi tranquillitatem, publicæ priuatæque curæ expertem censebat, atque beatæ vitæ effectricem dicebat. Et dicat religiosorum vitam non tm̃ horrendam in specie reddere strictam trium votorum obseruantiam, quantũ ambitio, & cupiditas in ea dominandi, & habendi quibus impeditur, vt ait. *Nau. cons. 35. tit. de voto.* Ac tandem subijciet, religionis statum esse quandam hominum conditionẽ, ad perfectam charitatẽ consequendam, curam omnem, operam, & studium in commune conferentium, quod à tribus impediri solet, rerum scilicet mundanarum immoderata cupiditate, molli sensuum libidine, & nimio proprię volũtatis affectu. Et religiosum quidem nõ teneri tẽdere ad perfectionẽ per oĩa supererogationis opera ad illam acquirendam valẽtia, sed per illa, quæ pręscripta sunt secundum vniuscuiusque religionis regulas, ad ipsam charitatis perfectionem comparandam. *Sanchez. l. 6. de præcept. cap. 5. vt ẽt ostendimus in Comment. de stat. p. 1. c. 23.*

QVAESTIO CXXXIX.

QVOMODO ET QVA RATIONE CVM ys agendum, qui se mutuo irrisione, & iniuria affecerunt.

CVm Valerianus honestæ vitæ, ac multæ religionis sacerdos, in Illustrissimi Cardinalis aula degens, in quodã esset sapientum consessu, Gabriel iuuenis ex nobili ortus familia, risus excitandi causa, in faciẽ obiecit, ipsum absque arbitris secretò fuisse cum puella locutum; ob quæ uerba ingenti rubore suffusus est, & ipsum iuuenem mendacij redarguit, & infamem appellauit; unde inuicem inimici facti sunt, quæritur an ambo mortaliter peccauerint, & quomodo eorum animi conciliari, ad pacemque reduci debeant?

SVPPOSITA.

Resp. Supponendum est, *ex D. Thoma. 22. q. 75. art. 1. & 2.* Irrisionem esse inordinatam significationem mali culpæ, pœnæ, uel defectus naturæ, ad erubescentiam inijciendam. Additum est inordinatam, eo quod si discreta, & moderata sit, ad uirtutem eutrapeliæ pertinet, quæ ad rectè utendum iocis, & ludicris inclinat; quæ aliquando nõ solum inter laicos, sed etiam inter clericos, & Deo dicatas personas licite usurpari potest. Iocosa namque uerba cum debitis circunstantijs uestiuntur, otiosa (de quibus in die iudicij reddenda est ratio) dici non possunt, cum uerbum otiosum illud cẽseatur, quod iustæ necessitatis ratione, & piæ utilitatis intentione, ad debitum finem non relatæ caret. Et sæpe uerba quæ uana uidentur, utilia sunt, dùm ad aliquam spiritus recreationem, & acedię, tristitiæq; spiritus exclusionem ordinantur. *Lexicon theolog. & v. verbũ otiosum. Salon. Arrag. & aly in 22. quæst. 75. art. 2.*

Vt uero eutrapelia cũ uirtute sit coniuncta, Tria requiruntur. Primo ut superfluo usu careat. Secundo ut personæ, loco, & tempori congruat, Tertio ut nemini sit noxia, nec iniuria, conuicium, uel contumelia admisceatur, propter quę homo detrimẽtum in

in existimatione, honore, uel fama pateretur, &c. Cum nemo despicationem facile ab hominibus tolleret, & multo minus, si quis ab eo contemnatur, à quo coli, & honorari debebat; quod intolerabilius accideret, quando is qui despicitur, & cõtemnitur, despicientem, & deridẽtem amore esset prosequutus, nam ut scriptum reliquit Menander,

Nemo sui contemptum æquo animo fert amans. Holchot. super Sap. cap. 15. lect. 173. Lessius. lib. 4. cap. 4. dub. 13.

RESOLVTIO CASVS ET QVAESTIONIS.

His sic præcognitis, dico Confessarium aperire debere, iuuenem illum nobilis uiri officio defuisse, & lethali noxa se cõtaminasse, cum illicite contra charitatis, & iustitiæ leges, Valerianum Sacerdotẽ probitate, religione, ac doctrina insignem, tàm graui molestia ob derisionem affecit, aduertens, aut aduertere debens, magnam animi perturbationem per illa uerba illi inijciendam fore. Valerianum quoque à uirtutis tramite, & sacerdotalis muneris norma defecisse, cum christianę patientiæ oblitus, & philosophici silentij (optimũ sapientis uiri argumentum) immemor, ingenuum adolescẽtem infamis nomine compellauit, & iniuria lacessitus malum pro malo rependit. Nec à graui culpa excusatur, nisi animi indeliberatio & iræ feruor iudicium absorbens, ab ea illum immunem reddat: Aristoteles namque dicere solebat, Iram menti tenebras perinde offundere, ut fumus aspectum turbare consueuit.

Porro Confessarij partes erunt, ambos inter se conciliare. Cum pacificandi munus non solum ad Pastores, & Parochos, animarum Curatores, sed etiam ad Confessarios, Sacerdotes, & tandem ad quemlibet Christi fidelem pertineat; siquidem omnes beati prædicantur pacifici, hoc est ut nonnulli exponunt, pacificatores; & unicuique mandauit Deus de proximo suo; vt propterea debeat quilibet diffidentia membra componere, neque in hac re negligens, & torpens esse, cum ex dissensionibus magna animæ fidelium detrimenta capiant.

Et cum Cõfessarij magnã authoritatẽ ad id habeant, nõ decet se ab hoc officio subtrahere, sed potius studere iræ ignẽ aqua extinguere, & dissensionis radicẽ præscindere, & vt christiana conseruetur pax, ponere, vt loquitur, *Iobus. cap. 9.* manum suam in ambobus, scilicet diffidentibus, illorum contentiones sedando, & corda coniungendo. Christum enim cuius in terris vices gerunt, imitantur, cuius munus fuit, homines cum Deo, & inter ipsos reconciliare. Et voluit primo pacẽ Pastoribus nunciari, vt indicaret, ad animarum Curatores potissimum pacificandi officium spectare. Suscipiant igitur montes pacem, & colles iustitiam. *Psalm. 71.* Et tempore iracundiæ fint reconciliatio. *Eccles. cap. 44.* Caueant autem Sacerdotes debent, ne cum Deum cum hominibus, & homines inter se conciliare conantur, diuinum ipsum numen ipsis sit offensum, vere enim dicebat. *D. Gregor. 1. part. Past. cap. 10.* eos qui non sunt in Dei gratia, debere maxime ab animarum cura abstinere, quoniam apti non sunt, vt pro alijs intercedere valeant.

Facilis vero ei erit reconciliationis ratio, si in pœnitentiali foro cum eis res agatur, cum firma, & seria sit Saluatoris sententia. *Matth. cap. 5.* Si offers munus tuum ad Altare, &c. Sic enim necessaria est reconciliatio, vt vbi odium, vel contumelia intercessit, donec ea facta fuerit, nulla confessio, nullum sacrificium, nulla pietas, nullum bonum opus Deo placeat. Reconciliari autẽ non est quocunque modo satisfacere, aut veniam petere, sed in pristinam gratiam, & amicitiam redigere, vt obseruant. *D.D. super d. cap. 5.*

Quod si extra sacræ confessionis tribunal hmõi negotiũ tractetur, cautus, & prudens erit Cõfessor, vt opportunitatem ad id quod intendit conficiendum nanciscatur, & dum iniuria est recens, non statim eos vrgeat, ne iratos obstinatiores reddat, animis enim dolore permotis largiendum est aliquid, nam alias periculum subesset, ne sua imprudentia plagam quã sanare cupit, magis exulceret. Verum est etiam cauendum, ne dum in discordia diutius perseuerant, proximo scandali occasionem præbeant, &c. Enimvero cum homines verbis, & factis cõtumeliosis excedãt, & difficile verba, & facta inueniant, per quæ ad modum, & medium inæqualitas reducatur, facile reconciliatio fiet, si tota res ad arbitrium prudentis Cõfessarij transferatur, atque hic ijs inter quos dissensio, & simultas viget, ob oculos veritatem, iustitiam, ac publicam vtilitatem ponat, quam potissimum boni, ac christiani ciues spectare debẽt, ijsdemque persuadeat, ex parte vtriusque nullam iniuriam intercessisse; solẽt enim homines cum aliquid incommodi ab alio acceperint, ob animi perturbationem, non recte iudicare, & sibi illatam esse iniuriam putant, vbi nulla facta sit. Dicet ergo Gabrielem ioco, & non malo animo, illa verba dixisse, actionemque mala intentione spoliati, ac proinde iniuriosam censeri non posse, cum iniuria sit nocumentũ ex electione contra leges sciẽter, & inuito illatum. E' contra Valerianum Sacerdotem ob iram, & animi perturbationem, nec plena deliberatione illa verba in Gabrielem conijecisse, & vtrumque de excessu pœnitere, &c.

Imò etiã si daretur, data opera, studiosè, ac malo animo, illatam esse iniuriam, ita vt iniusta cõtumelia, & despicatus dici possit, adhuc tamen excelsi, & inuicti animi esse, illam condonare, cum ex cõmuni

omnium

omnium Sapientum sententia, nulla sit maior, & illustrior victoria, quàm illa, qua quis se ipsum vincit. *Prouerb.c.16.* iuxta illud etiam, quod christianus ille vates cecinit,

Ardua res vicisse alios, victoria maior
Est, animi fluctus composuisse sui.

Nec, vt loquitur. D. Prosper caret regia potestate, qui animo, & corpori suo nouit rationabiliter imperare. Quin & ipse ethnicus Agesilaus Rex Lacedæmonum pluris fecisse dicitur, vnicum animi affectum domare, quàm munitissimam aliquam ciuitatē armata manu expugnare. Et vt hmōi nostrarū cupiditatū victores essemus, ab initio Deus homini liberam suæ voluntatis, atque arbitrij fecit potestatē, vt quò esset in uictis maior ignominia, eò excelsior esset in uincētibus gloria. Sic in vno Cain omnibus mortalib. dixit, Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius. *Gen c.4.* Cui consonat quod ait. Ecclesiasticus. *cap.15.* Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui.

Vnde & Ioannes Gerson in sermone coram Papa Benedicto habito. Hæc est, inquit, victoria christiana, iniurias, & iras non iniurijs, & ira, sed mansuetudine, & misericordia vincere, & imitari eum, qui etiam in cruce positus dixit, Pater ignosce illis, &c Sic Beatus Martinus cum à multis vrgeretur, vt Britium sibi cotumeliosum abijceret, respondit, si Christus Iudam, Martinus cur Britium non tolerabit? Et sane *D. Gregor. lib.27. Mor. capit.27.* Quam habuit de seipso victoriā Dauid, qñ coram arca saltauitā Michol despectus, omnib. alijs splēdidis eius tropheis mire præposuit. *Carbo de Pacificat. cap.35. & c.51. Iustin. in Tob. c.5. vers.13. doc.1.*

QVAESTIO CXXXX.

AN QVI ALTERVM SE TVENDO occidit, teneatur se prodere, vt innocentem imputatum reum defendat. An falsi testes cum vita propria periculo se retractare cogantur. Num habens rem cum alterius sponsa, hanc circunstantiam, exprimere debeat. Nūquid impedimentum criminis locum habeat etiam si promissio ab altera parte non sit acceptata. Vtrum sciens aliquod impedimentum matrimonium impediens & dirimens, illud sub pœna peccati mortalis detegere teneatur, &c.

CVm noctu Andreas ab Antonio occulte ob propriæ vitæ defensionem occisus esset, & Georgius Sebastianum odio prosequeretur, ac erga eum inimicitiam, ac simultatem gereret, duos falsos testes induxit, qui deposuerunt proprijs oculis vidisse Andreā à Sebastiano iniuste fuisse interemptum, quæritur quomodo in hoc casu se gerere debeat Confessarius?

Item cum ipse Antonius cum spōsa Andreæ rem haberet, & post cōsummatum matrimonium, adulterium prosequens, pollicitus etiam fuerit, illa tacente, si vnquam eius maritus decederet, se eam in vxorem ducturū, an cum ipsamet adultera matrimonium contrahere possit, & qui hoc impedimentum nouit, illud sub lethalis culpæ reatu detegere teneatur, quæritur pariter quænam sint in his Confessarij partes?

Resp. Præsens casus quimque difficultates in se continet. Prima est, an Antonius qui impetitus pro necessaria vitæ suæ defensione Andreæ vitam ademit, teneatur se prodere, vt Sebastianum innocentem à mortis periculo liberet. Secunda, an Georgius. & falsi testes ab eo inducti, teneantur etiam cum propriæ vitæ discrimine, & rerum dispendio, dictum suum, seu falsum testimonium retractare, vt insontem ab interitu vindicent. Tertia, an habens rem cum alterius sponsa hanc, circunstantiā necessario in confessione explicare teneatur. Quarta, an impedimētum criminis in matrimonio locum habeat, etiam si promissio futuri coniugij non sit ab altera parte acceptata. Quinta, an sciens aliqđ impedimentum matrimonium dirimens, sub lethalis culpæ reatu illud detegere teneatur?

Quò ad primam difficultatem dico Primo, Antonium, qui pro vita sua tuenda Andreæ aggressori vitam eripuit, cum probare nequeat se ad sui defensionem occidisse, homicidium perpetratum fateri non teneri, quia huiusmodi circūstantiæ fides à Iudice non præstaretur, vt per *Syl. v. Confessio. 1. q.4. num.5. & Corrad. in resp. cas. consc. q.171. & alios.*

Imò etiam si occisio peccaminosa absque sui tutela foret, non tenetur eam detegēdo, mortis periculo se obijcere ad liberandum innocentē, qui tanquam huiusmodi homicidij reus secundū allegata, & probata morte afficiēdus est; quia is nil in ipsum innocentē egit, cuius mors ex actione ipsius quidē sequitur, non tamen per se, quasi in illud natura sua aut ex agentis intentione dirigatur, sed per accidens id contigit, nempe quod acciderit, accusationem, aliorumque testificationem admisceri, quæ ad talem actionem per se referūtur. Licet falso imputato totā occisionis iniuriam, & alia damna secuta, & lucra illi cessantia restituere teneatur, si ea innocēs hæredibus occisi exhibuit, id quod expressit. *Sotus. l.4. de Iustitia, & Iu. quæst.6. artic.3. Nau. cap.15. num.17. Graffius. lib.2. Decis. aur. cap.132. num.29. Salon. 2.2. quæst.62. art.2. Sayrus. l.12. cl. reg. cap.19. num.8. Reginald. lib.21. num.46. Barthol. à S. Fausto. de restit. d.25. quæst.16.*

Secundam difficultatem resoluo dicendo, Georgium, & alios falsos testes si retractatio nihil est, profutura, illam facere non teneri, sed solum pro vita, & damnis restitutionem illis incumbere.

Certum est etiam, si ex loco tuto sententiã suam reuocare possint, ita vt profutura sit, non cogendos esse coram se Iudice prodere: sed si res ita se habeat, vt nisi cum certo uitæ periculo à morte illũ eximere nequeant, ad id iure teneri. Siquidem licet vnusquisque vitæ suæ magis, quàm alienæ consulere teneatur, id tamen cæteris paribus verũ est, sed in hoc casu innocens in mortis periculo versatur ob iniustitiam à Georgio & testibus contra illum illatam, & sibi imputent, quod propria culpa in has angustias se redegerint. *cap. damnum. de reg. Iu. in 6. & D D. supra citati tradunt.*

Ad tertiam quæstionem respõdendo, illud mihi probabilius resoluendũ videtur, sponsum, vel sponsam (qui de futuris nuptijs sibi mutuam fidem dederunt,) si cum alio turpiter peccauit, hanc circunstantiam in confessione exprimere teneri, quandoquidem in vtroque casu sponsalium fœdera violantur, & alteri innocẽti grauis infertur iniuria, ac deformitatem diuersam specie ratione iniustitiæ constituit, vel saltem qualitatem notabiliter peccatum aggrauantem gignit, vt per *Sanchez. l. 1. de matrimonio. d. 2. num. 6. & Bonac. quæst. 1. p. 10. num. 12.* Quorum tamen sententia non placet, dum admittunt hanc circunstantiam tantũ esse exprimẽdam, quando copula cũ sponsa habetur, non vero quãdo sponsus fornicatur, cum enim spõsus, & sponsa correlatiua sint, in vno statutum in alio etiam dispositum censetur, vt tenet, *Coninch. de spons. d. 22. n. 6. Nald. in verbo. sponsalia. num. 12. Guttierez. de matrimonio. cap. 1. num. 21. & alij.*

Ex hoc sequitur filios ex fornicatione cum sponsa alterius de futuro natos, non esse adulterinos (q̃a illud delictum non adulterium est,) sed naturales, quia tempore conceptionis eorum parentes nõ obstantibus sponsalibus, licet peccarent, valide contrahere potetãt. Datur enim discrimen inter sponsam de futuro, & sponsam de præsenti, coniugem, vel vxorem, quod sponsa de futuro est illa, quæ alteri in posterum promissa est, sponsa de præsenti illa dicitur, quæ per verba præsentia contraxit, per quæ sacramentum matrimonij conficitur, sed nondum est copula secuta; vxor vero vel coniux est, quæ iam à viro cognita est. Per quam doctrinam aliàs resoluimus, *ex Sanchez. l. c. d. 1. & Guttierez. cap. 1.* sponsa de præsenti nondum cognita decedente, non habere locum statutum præcipiens, vt vxore absque liberis moriente, uir dotem, uel eius partem lucretur.

Antequam quartæ difficultatis nodum dissoluam, suppono breuiter & ad mentem reduco, inter matrimonij impedimẽta alia dari, quæ impediunt tantum, non autem dirimunt, & frequentiora & magis in vsu uersantia esse quinque, nempe Interdictum ecclesiæ, cum scilicet Ordinarius prohibet ne aliqui contrahant, donec aliqua iusta causa examinetur. Secundũ tempus feriarum, nempe ab Aduentu ad Epiphaniam Domini, & à Septuagesima ad octauam Paschatis. Tertiũ simplex votum castitatis. Quartũ religionis. Quintum sponsalia, vt qui cum aliqua sponsalia de futuro contraxit, cum alia illa inire nequit. Et licet matrimoniũ cum his impedimentis contractum validum sit, contrahentes tamen, nisi iusta causa excusarentur, mortiferæ culpæ rei fierent. Quæ uero impediunt, & dirimunt, his uersibus comprehenduntur,

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si forte coire nequibis.

Quib. ex iure nouissimo additur defectus ętatis, matrimoniũ clandestinũ. i. sine Parocho, & saltẽ duobus testibus contractũ, & ẽt raptus. Quæ quidẽ efficiunt, vt nõ solũ contrahẽdo peccatũ mortale committatur, sed etiam cum essentiam, seu substantiam concernant, matrimonium cõtractum non ualeat, vt tetigimus infra *de art. & qq. circa matrimonium. tract. 13. cap. 10. quæst. 21.*

Quæ impedimentorum materia licet canonica sit, & ad forum exterius spectet, eorũ tamen cognitio Cõfessarijs, & Parochis necessaria est, ut admonet. *Catechismus Romanus. tit. de matrimonio. §. sed qua matrimoniũ* Nec dubium est adesse obligationem hæc impedimenta denuntiandi, modo scientes absque graui suo incommodo, & absque aliorum scandalo hoc facere possint, & præmissa etiam prius correctione, si ex ea fructus subinde speratur. Quod uerum est etiam si impedimẽta ipsa occulta sint, nec probari ualeant, quia in hoc casu non agitur de pœna alteri infligenda, sed de uitando damno ipsorum cõtrahentium, & eorum filiorum, qui alioqui illegitime nascerentur; quando autem agitur de damno alterius uitando, denuntiandum est delictum, etiam si occultum sit, & probari minime queat. Imò hoc procedit etiam si impedimentum sub secreto sit acceptum, aut ab alio auditum, modo ille sit fide dignus, cuius dictum ueram notitiã pariat; secus si exceperit ab eo, qui nil certo scit, uel à quo audierit non meminerit. Addo ipsos contrahentes ab Ordinario, uel Parocho interrogatos teneri illud manifestare, quamuis occultum, & infamatorium sit, quia, vt dixi, hoc non est ad puniendum contrahentes (sic enim se prodere non tenerentur,) sed ad impediendum, ne coniugium inualide ineatur, vt ex communi tradit. *Bonac. de matrimonio. quæst. 2. puncto. 6. num. 20. Molfes. tract. 4. c. 8. n. 39. & seq. Fillinc. tr. 10. c. 3. q. 9.*

Vnde his premissis, ad tertiã, & quartã quæstionem dico; quod adhoc ut ratione criminis adulterij hoc impedimẽtum dirimens oriatur, duo requiruntur. Primo ut promissio sit aliquo externo signo

expressa

expressa Interna enim spōsio vim promissionis non hēt, nec adest coniunctum periculum alterius mortis machinandæ, ad quam præcauendā ius hoc impedimentum induxit. Secundo vt ipsa promissio sit accepta, nam ante acceptationem non promissio proprie, sed pollicitatio dicitur, vnde per taciturnitatem sufficienter acceptari non cēsetur, cum huiusmodi promissio fit de re onerosa, & impedimētum dirimens producēte. Proinde nil obstabit quò minus Antonius cum vxore Andreæ nubere possit: & cum hoc impedimētum matrimonio contrahendo non aduersetur, qui illud scit denuntiare non tenebitur, ita *Sanchez. de mat. l. 7. d. 79. n. 25. Guttierez. pariter de m. tr. cap. 96. num. 28. Bonac. quæst. 3. puncto. 6. num. 9. & alij. contra Rebellum. lib. 3. quæst. 8. num. 10. & Coninch. disp. 31. dub. 5. num. 58.*

QVÆSTIO CXXXXI.

AN QVI IN SECRETO NOVIT DELINquentem eum detegere teneatur; an criminis auctor innocētem cum vita periculo liberare; & quid de restitutione: an vi tormentorum confessus astringendus sit se retractare. Vtrum Iudex sacerdoti de imputati & condemnati innocentia testificanti fidem præstare obligetur?

FAbius cōmunicauit Mutio amico propositum quod gerēbat de occidendo Quintilianum in aula cuiusdam Principis deseruientem, vt de modo tenendo ab eo consilium caperet; quo interfecto, ambo nempe Fabius & Murius ob quædam præcedentia indicia capti fuerunt, & in carcerem detrusi, Mutius in tormentis primo positus, tùm vt rem gratam amico faceret, tùm quia sibi inflicta tormenta sustinere non valebat, confessus est se (quamuis innocens esset) homicidij auctorem fuisse, & Fabium ab eo immunē esse; ob id vltimo supplicio ille condemnatus fuit, hic absolutus.

Hinc tres potissimum quæstiones, & difficultates excitantur. Primo, an Fabius se prodere teneatur vt innocentem à morte liberet, & an quidquam hæredibus Mutij debeat, si ille huiusmodi violenta morte pereat, & quid quò ad pœnam fisco debitam, in cuius bonis (cum valde sit pauper, solutus, ac parentibus orbatus) ipse fiscus nil capere poterit. Secundo, an confessus delictum causa amicitiæ, & tormentorum metu, lethaliter peccauerit, & teneatur saltē in extremo vitæ se retractare. Tertio, an à Iudice, & Magistratu sit adhibēda fides Sacerdoti Confessario de eiusdē Mutij innocentia testificanti, & quænam in hoc casu sint Confessarij partes?

Resp. Primæ quæstioni satisfaciendo, breuiter dico, vt aliàs animaduerti, quod Fabius homicidi Mutio perpetratum à se crimen non imposuit, non cogitur ad se ipsum prodendum, vt innocētem à morte vindicet, licet si hoc faceret, heroicæ virtutis esset. *ex Soto. lib. 4. de Iustitia, & Iu. quæst. 6. art. 3. Reginald. lib. 21. num. 45. Mol. tom. 3. de Iustitia. d. 86. Rebell. l. 3. quæst. 11. & alys communiter.*

Neque ei quidquam, nec fisco restituere debebit, non quidē ei, vel eius hæredibus, quia damnum illud nec in se, nec in sua causa est volitum, præsertim quod sponte, & amicitiæ causa, in tale vitæ discrimen se coniecit, scienti autem, & volenti non fit dolus, neque iniuria. *cap. scienti. de reg. Iu. in 6.* Non fisco vlla facienda est compensatio, quandoquidem proscriptionis seu, vt dicunt, confiscationis pœna ob commissum delictum non nisi post sententiam deberur, ne quis in se ipsum sit agēs, & patiēs, Iudex, & reus, quod iuri naturæ repugnat.

Atq; huc confert, qđ arma de domo rei sumenda non sunt, *l. nimis graue. C. de testibus.* Bis enim (vt est inueteri adagio) interimitur, qui suo gladio perit. *cap. 1. de probat.* Et conqueri is iure posset, ac illud Ouidianum exclamare,

Heu patior telis vulnera facta meis.

Menoch. de arbit. Iud. l. 2. casu. 499. Fabius autem in casu nostro non fuit à Iudice condemnatus, imò absolutus, quamuis ratione homicidij perpetrati condemnādus foret; vnde ad eam pœnam soluendam in conscientia nō obligatur. Facit quod inter omnes pœnales leges nulla est illa seuerior, qua crimen hęresis, & lęsæ maestatis, bonorum publicatione punitur, cum in ea à die commissi criminis reus ipsorum bonorū suorum dominio priuetur; sed hæc lex adeo rigida delinquentem non obligat, vt pœnā exoluat, nec vt bona sua statim fisco tradat, sed illorum possessionem, & vsum retinet, vsque dum à Iudice hæc mulcta per sententiam irrogetur, vt est diffinitum *in cap. cum secundum. de hæret. in 6. vt ex communi tradit. Arrag. & Salon. in 22. quæst. 62. art. 3. Graffius. l. 2. Decis. cap. 11. Beia. p. 1. casu. 58. Regius. casu. 11. Nald. verbo. reus. num. 5. & v. restituere. num. 18. Bonac. de legibus. d. 1. quæst. 1. p. 7. §. 2. num. 21. & alij communiter.* Vbi etiā secus statuunt, si Iudex per iniquitatem reum ad pœnam lege statutam, in quam incurrit, non condemnet; si tabellio in scriptis falsum apponat, aut verum subticeat; si testes veritatem negent, de qua iuridice interrogantur, propter quæ reus ad iustam pœnā non condemnatur; siquidem Iudex ex officio ius dicere, & notarius verum scribere tenetur, & testes vocati ex iustitia cum legitime interrogātur, veritatem aperire obligantur, vt proinde omne illatum damnum compensare eos oporteat.

Ad secundam quęstionem dico, Primo Mutium à lethali culpa non excusari, si etiam ad euitanda grauia tormenta, falsum sibi crimen cum periurio imposuit; nam & si nullus cum tāto cruciatu vitam tueri

tueri non teneatur, sed possit breui morte longam, & acerbam necem redimere, imò multas neces vna simplici commutare, iuxta illud,

Morsque minus pœnæ, quàm mora mortis habet,

Hoc tamen intelligitur, quando sine iuramento id facit, siquidem vt communiter omnes tradunt, per iurium mortalem malitiam inuoluit, & ratio est euidens, quia periurium natura sua contemptum Dei importat, vt ipse in mendacij testem adducatur, & sic mortiferum scelus est, reuerentiæ diuino numini debitæ ex diametro repugnans, & cũ mendacium sit intrinsice malum, & ex nulla causa cohonestari valeat, ideo nec iuramento confirmari potest, quamuis finis sit etiam sanctus, & pijssima causa & grauissima vrgeat, vt si ad saluandas res fidei, ad mortem euitandam, vel aliud damnum, tàm suum quàm alienum auertendum adhibeatur. *Sot.lib.2.de Iustitia,& Iu.quæst.10.artic.2.& de teg.secret.membro.3.quæst.4. Nau.in cap.inter.verba.num.611.quæst.3.Pet.Nau.lib.2.de rest.numer.133. Less.l.2.cap.11.dub.7. Tol.lib.5.cap.66. Molfes.tract.11.cap.11. Sayrus.l.9.clauis reg.cap.3.num.42. Bart.à S.Fausto de restit.d.21.quæst.6.& seqq.Bonacin.de contract.d.2.quæst.4.puncto.10.* Vbi cum et tradunt eum à mortali peccato immunem esse, qui ad vitanda grauia tormenta Iudici verum, sed occultum alterius crimen pandit, quod sub sigillo secreti acceperat, etiam si ex illa manifestatione periculũ vitæ illi immineat, qui illud commisit, colligitur quod ad atroces cruciatus euitandos, & multo magis ad mortem declinandã, secretum mortis illius aulici sibi concreditum, ipsi Iudici reuelare potuisset; quandoquidem secretum nisi sit confessionis, aut in publicum damnum vergat, cum tanto incommodo obligare non censetur.

Secundo dico, ipsum Mutium mortiferam noxam contraxisse, quando cum euidenti propriæ vitæ periculo, sibi Fabij amici crimen imposuit, vt ea ratione illi vitã conseruaret: nam per mendacium, & fraudem publicam potestatem legitime procedentem deludendo, dignæ mortis reum executionem impedit, & quia iste non tantum vitam pro amico discrimini exponit (quod ex multorum sententia liceret) sed etiam positiue ad suam mortem cooperatur, eius causam efficacem per mendacium præbendo, vt amicum à iusta, & merita morte eripiat, quod est omnino illicitum, vt præter allegatos auctores docet etiam. *Molina.tom.3.de Iustit.c.37.* Siquidem vt *Cicero.l.de amicitia* scripsit. Nulla est excusatio peccati, si amici causa peccaueris, hancque primam in amicitia legem sanciuit, vt neque rogemus res turpes, neque faciamus rogati, turpis enim excusatio est, & minime accipienda. tùm in cæteris peccatis, tùm si quis contra rempublicam amici causa se fecisse fateatur.

Secũdum quam sententiam Pericles Atheniensis ab amico exoratus, vt pro sua causa falsum diceret, respondit se ad aram vsque amicum esse. *Val. Max.l.6.rerum mem.cap.4. Abb.in cap.repellantur. 2.notab. tit. de accusat.* vbi & ipse postquam ex co textu notauit, affectionem amicitiæ quandoque hominem inducere ad blasphemandum, & maleloquendum de inimico amici, subdit tamen, nihil pro amico in honestum esse faciendum illamque Ciceronis legem allegat. Salycetus quoq; *in l. nullus.C.de malef.& mathem.* notat, reproborum amicitiam esse repellẽdam, quod dicit esse memorandum adhoc vt inueterata amicitia eum non excuset, qui exulem receptat. Et illi iuri consonat Charondæ Thurij lex, qua improborum statim amicitiæ renuntiari iussit, graues insuper pœnas sanxit, si quis aliquando cum malis ad turpia patranda impellentibus amicitiam inijsset, aut non statim discidisset. Videatur etiam *Tiraq. de temp.pœnis. causa.23.Chauas.de prud.l.1.cap.8.§.4.Gellius.l.1. noct.attic. cap.3.*

Vnde infertur, Mutium etiam si hoc delictum in sacramentali confessione expiauit, si ea retractio redimendæ vitæ profutura crederetur, teneri saltem in extremo vitæ, quando est vltimo supplicio afficiendus, dictum suum reuocare. Ordinarie tamen hoc nil prodesse posse præsumitur, cum iam iacta sit alea, & Iudex suo officio functus sit, vt supra citati DD. tradunt.

Tertiæ propositi casus difficultati satisfaciendo dico, Confessario de innocentia Mutij testificanti non esse fidem adhibendam; nam vt ait. *Glos. in cap. nuper.extra. de testibus.* Nullius testimonio quantumcunque iuratus existat, in alterius præiudicium credi debet; & certum est talem Confessarij assertionem contra communem reipublicæ bonum verti posse, quandoquidem eius interest, ne delicta impunita remaneant, cum facilitas veniæ incentiuum tribuat delinquendi, & impunitas sit insolentiæ mater, impudentiæ radix, & transgressionum nutrix. *cap.vt famæ.extr. de sent.excomm. cap.est iniusta 24. quæst.4. D.Bernard. lib.3.& 4. de consid.*

Nec Iudex cogitur ad recedendum ab his, quæ ordine iudiciario in contrarium inuenta, & probata sunt; præsertim cum sit communis & recepta tàm Theologorum, quàm Iuris peritorum sententia, secundum allegata, & probata iudicãdum esse, nõ aũt priuatis & illegitimis iudicijs adhęrendum, iuxta textum *in l. illicitas. §.veritas. ff. de officio. Præsidis*, & præ cæteris testatur. *D.Thomas.22. quæst. 67. artic. 2. vbi Salon. Arag.& Val.Clarus. in §. final. quæst. 8. versic. sed pone, & quæst. 66. vers. scias autem,& Tusch.verbo Iudex.concl.398.*

Vbi ex communi dicunt, quod licet Iudex pro-

prijs oculis videat aliquem scelus aliquod committere, illum tamen condemnare non poterit, nisi aliter probetur. Et si lex de Iudice, (vt lege in terris animata) multũ confidat, vult tamen vt secundum acta, & probata iustitiam administret, aliàs posset aliquem ad crucem adigere, & dicere quod vidit aliquod maleficium ab eo perpetrari, quod intolerandum esset. Iudex namq; tàm in ciuilibus quàm criminalibus, illam veritatem sequi tenetur, quæ sibi tanquam Iudici & personæ publicæ communitatis vices gerenti nota est, quæ quidem illa esse videtur, quæ in legitimis actis constat, licet contrarium ipse tanquam priuatus esse cognoscat. Quam sententiam veriorem & tutiorem multos allegans tenet. *Ghislerius de Iud. regul. cap. 3. quidquid dicat Bonaciu. de legibus. d. 10. quæst. 2. puncto. 2.*

Et si delinquentes generaliter intelligerent, sacerdoti de alicuius innocentia, & integritate fidem habendam esse, facile vt criminum pœnas effugerent, attentarent mendacium in confessione texere, & Confessarium ad Iudices mittere, qui eos excusaret, & sic iudiciorum religio, ac integritas deluderetur, ac magnum præiudicium reipublicæ inferretur, cuius maxime interest delicta puniri cum vt dixi impunitas in malis audaciam pariat, audacia vero excessum ac sic per plures cõtagia serpant. Et tunc magnum Deo offeratur sacrificium cum mali qui in suam, & aliorũ perniciem debacchantur vigore iustitiæ compelcuntur, vt loquitur Pelagius Papa *in cap. quali. 23. quæst. 5.* vt etiam annotauimus supra *tract. 6. cap. 30. quæst. 131.*

Posset tamen Confessarius tàm spectatæ vitæ & commendatæ virtutis esse, vt moueri posset Iudex (nisi functus sit officio suo) instãtius testes repetendo interrogare, districtiusque horam, locum, & alias circunstantias scrutari, illa nimirum prudentia vtendo, quam Daniel Propheta, vt Susannæ innocentiam patefaceret, adhibuit, vt ait *Graffius. p. 2. cons. 3. de homicidio. diff. 2. & Pegna. in Comment. ad Direct. par. 2. Inquis. Comment. 25.*

Dicto nihilominus Cõfessarij valde religiosi attestãtis de pœnitẽtis cõfessione, & emendatione, propter facti qualitatem, cum in secreto iudicio fiat, credendum esse omnes asserunt. Vnde cui excommunicatio objicitur, per vnum Pœnitentiarium in foro pœnitentiali absolutionẽ probare potest, quia peritis in arte, & officio proprio credendum est, vt præter adductos authores, ex communi testatur. *Mascard. de Probat. v. absolutio. conclus. 12. Calder. cons. 168. Tuschus. in v. Pœnitentiarius. concl. 261. & v. peritis. concl. 286.*

Alibi namque diximus, & nunc repetimus (cum vt cecinit Horatius, Quæ per se pulchra & vtilia sunt, ea vel decies loco & tempore repetita placebunt: sicut & medici salubriter eadem antidota diuersis morbis, prout res exigit, sæpe admouent.) Quamuis pœnitẽti dicenti se ab illo, vel illo casu reseruato absolutum credere debeamus, quia in sacramentali confessione pro se, & contra se fides præstanda est; aliud tamen dicendum est, si casus esset publicus, aut pœnitens aliqua censura esset innodatus: illis enim casibus Pastor pœnitenti credere non tenetur, nisi absolutionem per literas absoluentis, vel per idoneos testes, vel alio legitimo modo probet, vt tenuere. *Domin. Rota Decis. 11. de sent. excom. in antiquis. per text. & ibi Abb. & Felyn. in cap. à nobis. ext. de sent excom. & Chapeuilla de cas. reser. cap. 13. Franc. Marc. in Decis. Delphin. par. 2. quæst. 860.*

CAP. XXXVII.

QVAESTIO CXXXXII.

QVOMODO AGENDVM CVM EMENTE à Macellario carnem maiori pretio, quam sit à lege præscriptũ, & in iudicio falsum iurante: quid item cum ipso lanio, se excusante, quod hoc egerit, vt se indemnem seruet; quid pariter censendum de proxenetis mercedem sibi à statuto taxatam excedentibus, & ne accusentur pecuniam Lictoribus dantibus, &c.

Sebastianus cum à Laurentio lanio carnes vitulinas vltra taxatum à Gubernatore Vrbis, & Magistratibus pretium, à Lictoribus, & Satellitibus captus est, & tanquam & ipse reus, ac præscriptæ legis violator, ante Iudicẽ, & ipsum Gubernatorem ductus fuit. Cui cum datum esset iuramentum vt quanti carnem emisset aperiret, se minoris emisse, ne Laurentio damnum inferret, falso asseruit.

At cum & ipse Sebastianus in iudicium vocatus esset confessus est, se quidem pluris taxato pretio vendidisse, tũm vt se indemnem seruaret, si enim ad vnguem pragmaticã, vt dicit, obseruare vellet, nil prorsus lucraretur, atq; ita nec se, nec familiã suam alere posset, quod ab alijs etiam macellarijs fieri solet; tũm quia emptor carnem vult electam, ac propterea ratione laboris, ac damni, qđ in residuo carnis sustineret, illud pluris sponte solutum accipere; Vnde Laurẽtius impunis dimissus est, Sebastianus autem ob periurij perpetratum delictum in 50. aureis damnatus est, & cuidam ecclesiæ, & fabricæ per sex mẽses deseruire, Vicario Episcopi assentiente, per vrbis Rectorem coactus est.

Item cum in vrbe extet statutũ, ne proxenetæ vltra taxatam sibi mercedem, qđ ẽt sponte oblatum accipiant sub pœna dupli, Iulius proxeneta hanc & ipse legẽ nõ seruat, & ne à satellitibus accusetur, ipsis pecuniam donare solet, ac bis singulis annis vitulum

tulum ipsi Gubernatori dono dare. Quæritur quo in his anfractibus se gerere debeat Confessarius?

Resp. Cum suppositis, & præuijs inspectionibus hic opus non esse videatur, siquidē quę huc pertinere possunt, alibi pro subiecta materia, pręsertim *tr. 9. de contractibus*. attulimus, breuiter propositis dubitationibus sic respondeo.

Et primæ quidem respondendo dico, Laurentio lanio, & alijs obsonij vēditorib. regulariter nō licere pretium legitimum transgredi, etiam si seclusa lege illud quò ad pretium naturale iustum censeretur. Qua lege iusta existente, oēs habitantes in illo loco, etiam si clerici, vel religiosi sint obligantur, quia licet directe ex defectu iurisdictionis Principis secularis ea non ligentur, & consequenter transgressores ecclesiastici in pœnam ipsius legis nō incidant, animam tamen lethaliter sauciant, & restituendi obligationem subeunt omne illud quod infra, vel præter latitudinem iusti pretij, cōtra ipsum Decretum, in re notabili egerunt. Quæ positio communis est, & in praxi recepta, vt per *Salas. de empt. & vendit. dub. 6. Molfes. tr. 12. c. 5. n. 82. Mol. de cont. tr. 2. disp. 364. Bonac. de legib. d. 1. q. 1. p. 6. n. 31. & de cōt. d. 3. q. 2. p. 4.* Et quādo taxatio in cōi vtriusque tàm venditoris, quàm emptoris vtilitatem respicit, ita in indiuisibili consistit, vt nec emptori maioris emere liceat, nec vt aliqui volunt, uenditori minoris uendere, quia Superior hoc in ipsorum facultate non reliquit, sed vtrumque præscriptum pretium obseruare obligauit, vt communiter in rerum comestibilium taxatione contingere solet.

At si ex uerbis legis vel eius mēte colligi potest, Superiorem uenditorum libertatem restringere, ac cōpescere voluisse, tunc absque dubio minoris, non autem maioris vēdere ēis integrum est. Vnde sicut lanij pragmaticam non obseruantes haud audiendi sunt eo prætextu quod non lucrentur, nisi omnes vel maior pars talem artem exercentiū conquerantur, & nisi iniustitia pretij euidēter appareat, qñqui dem reipublicæ moderator in pretio constituendo animaduertere dēt mercium, & animaliū copiam, vel inopiā, labores, & impensas in mercibus factas, earum qualitatem, si meliores, electiores, uel deteriores sint, & alias circunstantias prudenter perpendere, quibus pretium ex iustitię norma uariari pōt; Ita & venditores tunc pluris uendere, ac emptores emendo, excessum dare tuta cōscientia possunt, modo mendacia, uel periuria non admisceant, nam tunc agentes & consentientes, iuxta legalem regulam, pari pœna plectendi sunt. *cap. 1. vbi DD. ext. de officio delegati*.

Proinde mihi resoluēdum uī autē Sebastianum charitatis quidē leges, non aūt iustitię cōmutatiuę, ratione periurij in iudicio perpetrati uiolasse, & in casum in vrbe reseruatū incidisse, à quò cum amici causa peccando, vt inferius dicemus, non excusetur nisi abeo qui super casus reseruatos potestatem habet, absolui poterit. Laurentium uero qui carnem electam ipsi Sebastiano vltra cōstitutum pretium vendidit, & in ius vocatus ueritatem fassus est, nullam culpam & iniustitiam contraxisse, cum actuarium illud accipiendo, nullius ius læserit, tùm quia hoc egit, ut à damno, & iactura se præseruaret, præsertim quod excessus ille in modico consistit, tùm quod ratione gratitudinis, ac liberalitatis solum sponte datum ob meliorem, & electiorem carnem sibi uenditam ab emptore recepit, iuxta tradita per *Nau. cons. 3. tit. de empt. & vendit. Graffium. cons. 1. eodem tit. Megal 22. Instit. Confess. l. 2. cap. 6. n. 113. Molfes. tract. 12. cap. 5. num. 89. & per nos supra tr. 7. cap. 17. q. 80. & infra tract. 9. cap. 3. quæst. 4.*

Nec quidquam ipsi Sebastiano restituere tenetur ob detrimentum, quod ob falsum iuramentum in iudicio præstitū passus est, cum non ipsius damni causa directa fuerit, sed Sebastianus sibi potius illud imputare debeat, cum propria sponte in discrimen se ipsum coniecerit, *arg. c. damnum. de reg. Iu. in 6.*

Quò ad secundam quæstionem pariter dico, Iulium proxenetam qui taxatam à municipali lege mercedem nō seruat, lethalis noxię reum se constituere, cum ut in superiori resolutione dictum est, omnis lex iusta tàm sæcularis, quàm ecclesiastica in re graui cōscientias ad lethiferam culpam liget, vt etiam docet ex communi *Reginald l. 13 num. 174. Suarez l. 3. de legibus. cap. 24. & seq. Molfes. tract. 9. cap. 8. & tract. 12. cap. 5 num. 82.*

Cum enim mercatores multi merces suas pluris vendant, etiam vltra rigorosum pretium, ut eo pluri proxeneris qui emptores ad eorum officinas conducunt, ultra taxatam mercedem dato, eos sibi magis officiosos reddant, timentes ne secus agendo emptores ad alios mercatores diuertant; propterea aliquarū urbium Magistratibus aptum remedium visum est, vt iniustitijs, & fraudibus obuiam catur, statuere, ne vllus mercator huiusmodi licitoribus ultra præscriptum stipendium quidquam tribuat, ne ve ipsi ultra illud aliquid accipiāt, etiam si gratis, & sponte ei à mercatore offeratur; declarando legislatoris intentionem, & mentem esse, ut illa in vtroque foro obliget, & acceptum restituere teneatur; & duplum pauperibus, & legis executoribus in admissi criminis pœnam reddere cogatur. Atque insuper dans quantum tribuit, tantum pijs locis, & eisdem lictorib. erogare teneatur, & præcipiendo vt singulis annis, semestribus, uel mensibus in eos inquiratur, vt per *Nau. de emp & vend. cōs. 4.*

Quippe vt docet Plato *in Protagora*, & in Aristoteles *in 7. Polit. cap. 13.* Infligūtur pœnæ non ob preteritum facinus, quod infectum fieri amplius

non poteſt, ſed propter futurum, ne is qui alteri nocuit, iuriam, vel damnum intulit, tale quid iterum committere audeat, cæteri quoq; à vitijs deterreantur, Et vt monuit Demosthenes Florentes, ac beatæ fiunt res publicæ, quando ciues omnes pœnarũ metu à maleficijs abſtinent, & beneficiorum præmijs inuitati in officio continẽtur, & bene agere ſtudent.

Vnde reſoluo Iulium proxenetam qui legem de mercede ſibi conſtituta violauit, & Officialibus pecuniam dedit, ne ſtatuti tranſgreſſor deprehenſus apud Iudicem à Gubernatorem accuſaretur, lethaliter deliquiſſe, & ipſos ſatellites, vel lictores ſic dona accipiendo, eiuſdem culpę reos factos eſſe, ac inſuper ſic accepta reſtituere pauperibus teneri, & ratio eſt manifeſta, quia qui aliquid per contractum ipſo iure nullum accipit, illud in foro animæ reſtituere tenetur, quandoquidem per talem contractum dominiũ non transfertur; ſed quando cuſtodi vel publico miniſtro pretium datur, vt delinquentes non denuntiet, quos lege iuſtitiæ accuſare, vel iudicare tenetur, eſt cõtractus ipſo iure nullus. *l. generaliter. ff. de verb. obligat.* ergo pretium acceptum reſtituere debebit.

Imò ſaltem in foro exteriori ad dupli pecuniariam punitionem luendam, & ad pœnam ad quam ipſe Iulius fuiſſet per ſententiam condemnatus ex multorũ placito aſtringendus erit, vt per *Graffium. l. 2. Deciſ. aur. cap. 123. num. 17. Sayrum. in claui regia. l. 10. tract. 11. cap. 15. num. 13. Fauſtum. in tract. de cont. & reſtitut. diſp. 4. quaſt. 121. & ſequenti, vt etiam diximus infra tract. 8. cap. 5. cap. 10.*

Nec à culpa immunis erit Iudex, & Vrbis Rector, ſi cum dona à Iulio accepit, animaduerteret, cõtendere, vt animum delinirent, eoque inclinarent quò non decet, vt v. g. ſi delinquens deprehenſus eſſet, liberum demitteret, conniueret, aut pœnam contra iuſtitiam relaxaret. nam ex *D. Ambroſij ſententia. in Epiſt. ad Corinth. 1.* libertatem arguendi amittit, & peccat, qui ab eo accipit, qui ideo dat, ne corripiatur, Et certum eſt munera oculo Iudicam excæcare. *Eccleſ. cap. 20. & Deut. cap. 16. cap. qui recte. cap. pauper. 11. quaſt. 3. D. Anton 3. par. tit. 9. cap. 1. §. 2.* quod lepido exemplo comprobat, cuius verba hic ſubijcere non grauabor,

Sicut matrona non eſt caſta, quæ cum rogatur munera accipit, ita nec Iudex munera accipiẽs immunis eſt à corruptione iudicii. Propter quod quidam Iudex cum in iudicando muneribus duceretur duobus habentibus cauſam coram eo, vnus obtulit ei vnum vitulũ, vt daret ſententia pro eo, alius vxori pro munere vnam vaccam, ita tamen vt commendaret cauſam ſuam marito Iudici; diſceptantibus ergo partibus coram eo, dixit primus, loquatur vitulus pro me, quia iuſtitiam habeo, reſpõdit Iudex; Non poteſt loqui, quia vacca cum non ſinit, quia ſcilicet maioris valoris erat munus datum ab altero, videlicet vacca & ideo pro eo dedit ſententiam, hac ille. Videantur quæ ſcripta reliquimus *in Comment. de hum. vita ſtatibus. p. 2. cap. 3. & quæ tradit. Cened. in collect. 1. in can. collect. 134. Menoch. de arbit. Iud. cent. 6. caſu. 517.*

QVAESTIO CXXXXIII.

QVID AGENDVM CVM HOMINE in varijs caſibus mendace, & ſimulatore, &c.

FVluius homo mentiri, & ſimulare aſſuetus, fingens ſe valde egenum, & extrema pene neceſſitate oppreſſum, ex pia multorum manu notabilem pecuniæ quantitatẽ cõgeſſit. Nunc librorum mercator factus numquam fere veritatẽ loquitur, nam dum libros vendit, aſſerit eos maiori pretio ſibi conſtitiſſe; cum alicui conuento pretio librum vendidit, ſi alter auctius ſtipendium offert, illi violata fide vendit, priori emptori fingens, folium aliquod dicto libro deeſſe, vel eſſe diminutum, & cum ſcit librum aliquem decreto Inquiſitoris S. Officij breui fore condemnandum, tanti illum vendit, quanti ſecundum vſum fori æſtimatur. Tãdem vt alia etiam omittam, falſam, & adulterinam pecuniam, quam nõ aduertens ab alio accepit, pro vera & legitima ſcienter alijs venditoribus, & creditoribus obtrudit. Nunc vt opulentam viduam ſibi in vxorem coniũgat, ſimulat ſe maiores diuitias poſſidere, quàm reuera poſſideat, ſe parentibus orbatum, & omni prole carere, cum tamẽ filium ſpurium habeat. Cum autem matrimonium ſit iam contractum Aurelia vxor conqueritur, ac de facta ſibi iniuria, & perniciosò mendacio expoſtulat, & ipſum coniugium diſſolui petit, tùm quia ſi hoc anre ſciuiſſet, cum eo non contraxiſſet, tùm quia parentum, & ſuorum fratrum reuerentiali metu, dum matrimoniũ in eccleſia celebrabatur, exterius tantum nõ interius in illud conſenſiſſe affirmat. Quęritur quo in hoc caſu ſe gerere debeat Confeſſarius?

Reſp. Hic homo in eorum album referendus videtur, de quibus admonebat Pythagoras, Ne guſtaueris ex his, quibus nigra eſt cauda, ideſt ne commercium habeas cum improbis, & ijs, qui ſunt nigris, ac infamibus moribus, imbuti, nempe.

Ad melanurũ, vel ad ſepiam piſcem alludẽs, qui attramẽto, quod in cauda geſtat, vt decipiat, ſemet occulit. O quã difficile eſt cauere à melanuris, cum corporis habitu, ac vultu fallant, cum verborum inuolucris, ſimulationumque adumbrationibus, Lutulentos mores obuoluant; & ſub ouium pelle lupi deliteſcant. Archidamus dicere ſolebat, ouẽ vnam tantum, eãdemque vocem edere, hoc eſt balatum; hominem vero multas, ac varias voces efficere, donec ad id etiam aliquando, quod iniuſte cupit, perueniat.

ueniat. Homo interdum instar Prothei est, qui vt inquit Poeta,

Omnia transformat se se in miracula rerum.

Vere ait *D. Ambros.lib.* 3. *off. cap.* 4. *&* 5. vir iustus à cuius officio mendax abest, etiam si Gigis annulum haberet, vt etiam peccās à nullo videretur, non tamen peccaret, quia à malo non cauet, eo quod homines eum videant, sed quia Deus, & propria conscientia eum cernit. Fallitur, ait quidam Sapiens, qui credit eum syncere cum hominibus agere, quem nouit cum Deo malafide versari. Errat quisquis putat aliud habens in corde, aliud in ore, se posse diū fucum facere: nullum enim violentum perpetuum, sicut & perdifficile est læsis præcordijs occultare prauum corporis habitum, se rādem per singultum, tussim, &c. prodentem, vt interius etiam dicemus.

SVPPOSITA ET INSPECTIONES.

SVppono ergo mutuum inter homines cōmercium, & consuetudinem, vt aliàs animaduerti, quò perfecta, plenaq; sit, tribus illis comitibus munitam esse debere, nempe veritate, iudicio, ac iustitia, veritate scilicet ne homo aliud dicat, quàm sentiat, promissaque implere studeat. Iudicio, vt recte id ipsum discernat, ac cogitet, illudque proferat, ut oportet. Iustitia denique, ut quæ ad aliorum profectum, & ad nullius damnum tendunt, & quæ æqua, ac iusta sunt, loquatur. Quarum uirtutum effectus, & sphæra late patet, & omnia officia, artes, status, ministeria, omnesque humanas actiones complectitur, siue sint publicæ, siue priuatæ, siue ecclesiasticæ, siue sæculares, siue politicæ, & ciuiles, siue œconomicæ, &c.

Secundo ueritatem esse adæquationem rei ad intellectum, & dici à uerū, quod est solidum, syncerum, non falsum; uenit enim à uer ueris, quoniam verno tempore sole arietem ingresso, omnia uere nascuntur, partusque ad maturitatem perueniunt, cum alijs temporibus nata sæpe deficiant. *Bald. conf.* 352. *Tusch. v. veritas. concl.* 163.

Hæc porro duplex est, altera cum uerba rebus ita respondēt, vt neutrum ab altero dissentiat, cuius contrarium dicitur falsitas, quę ab ignoratia proficisci solet. Altera cum ipsa verba ab interiori cogitatione non diffident; & huius oppositum mendacium nuncupatur, quod à malitia procedit; ac proinde non idem est mentiri, ac falsum dicere, Mentiri namque est secus dicere, quàm in animo tuo sentias, quamuis idem in ipso facto verum sit. At falsum dicere non semper peccatum includit, cum ex ignorantia putas ea quæ dicis vera esse, quod fieri etiam potest sine vllo alterum decipiendi animo; siquidem mendacij finis proprius est decipere, & in fraudem pertrahere, ac propterea nunquam non malum, iuxta illud *Eccles. cap.* 7.

Noli uelle mentiri omne mendacium, idest *vt Psalm.* 5. D. Augustin. exponit, noli loqui mendacium sacrilegum aduersus Deum, nec perniciosum in proximum, neque iocosum, quod recreandi animi causa proferri solet, neque officiosum ad aliquid tibi, uel proximo commodum accersendum, nunquam enim mentiri licet. *cap. super eo. extr. de vsur. Et D. Gregor. lib.* 18 *Mor. cap.* 2. *exponens illud Iob.* Non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium. Ideo Pythagoras dicebar, hæc duo diuinitus hominibus longe pulcherrima data esse, Veritatem amplecti, & beneficijs operam dare; & addebat vtrumque cum Deorum immortalium operibus comparari posse. Quorum sane studiosus fuit Isdor Abbas, ita ut de eo Heraclides tria mira commemoret, quod numquam sit mentitus, nunquam alicui maledixerit, uel malefecerit, nunquam contra necessitatem locutus sit.

Idcirco olim ueritatis Symbolum persicum folio adhærescens apud Ægyptios erat, quippe quod ea speciès linguam cordi coniunctam ostendit, simulque innuit, nunquam committendum, vt vir bonus aliud loquatur quàm sentiat, nec vnum sedens, aliud stans proferat. *Pier. l.* 54. *vt dixi tract.* 1. *cap.* 4. *quæst.* 17. Aristoteles. *in* 3. *Eth.* docet proprium esse magnanimi ueritatem colere, & palam omni simulatione posposita amare, & mendacium detestari: vilissimum est enim aliud in corde, aliud in ore habere, Propterea teste Patritio *de republ. lib* 6. *titulo.* 5. cum Parmenio Alexandrum Magnum hortaretur, ut dolo, & astutia hostem vincere studeret, Alexander respondit, Si Parmenio ego essem, hoc utique agerem, sed quia Alexander sum, hoc execror, ac detestor. Vnde etiam in *Cant. cap.* 1. Dominus sponsæ suæ pulchretudinem non ab oculis glaucis, ut Homerus & poetæ faciunt, sed potius ab oculis columbinis celebratam voluit, dicens, Oculi tui sicut columbarum, naturam & ingenium columbæ, potius quàm proprium eius oculorum colorem respiciens, nam columba, vt aliæ eius proprietates omittantur, animal syncerum est, purum, felle carens, ac proinde ueritatis symbolum. Hinc *D. Hieronymus in Epistol. ad Paulinum de Instit. Monach.* Habeto inquit simplicitatem columbæ, ne cuiquam machineris dolos, & serpentis astutiam, ne aliorum supplanteris insidijs. Qui enim dolose & cum fraude ambulant non columbinum, sed polypi ingenium sapiunt, ac referunt. Cuius ad fallendum machinationes describit. *D. Ambros. libr.* 5. *Hexam. cap.* 8. *& Instin in Tob. capit.* 7. *versic.* 19. *in Docum.* Veritatem etiam & æquitatem semper attendi debere, quia adhoc inuēta sunt iura, vt uerum à falso,

æquum

æquum ab iniquo discernatur, passim inculcant Iureconsulti *in l. 1. ff. de Iustitia, & Iure. But. conf. 27.* Et maxime inter mercatores & in mercãtilibus negotiationibus hoc procedere debet, quia simplicem ueritatem sequi eos conuenit. *Aretin. conf. 9. Imol. conf. 141. Tusch. verbo mercatorum causæ, conclus. 207. & verbo veritas. conclus. 166.*

His sic præiactis dico præsentem casum quatuor potissimum difficultates inuoluere. Primo an Fuluius peccauerit, & restituere teneatur, quod pauperem se fingendo corrasit. Secundo an pariter contra charitatem, & iustitiam deliquerit, quod in uendendis libris mendacia, & fraudes admiscuerit. Tertio an lethalem culpam admiserit, quod in coniugio contrahendo, quò ad facultates, & prolem uxorem deceperit, & an matrimonium subsistat. Quarto an saltem inualidum sit, quod in eius celebratione interior eiusdem Aureliæ coniugis ut ipsa dixit, consensus defuerit.

RESOLVTIO CASVS, ET QVAESTIONVM.

His inquam suppositis, quò ad 1. quæstionem resolutiue illam certam positionem constituo, Fuluium à mortali culpa non excusari, si tali fictione magnam summam conflare iteratis uicibus intendebat, ut est solida. *D. Thoma doctrina, quem omnes interpretes sequũtur. 22. q. 66. ar. 6.*

Tenetur etiam illud restituere, quando paupertas dandi ei eleemosynam finalis extitit causa; licet sit etiam probabilis eorum sententia, qui tenent, eum ad restituendum non astringi, quia donatores non censentur id onus uelle imponere, idque uel ob liberalitatem, uel ob beneuolentiam, uel ob rerum paruitatem, uel quia res est consumpta, & donatario difficilis esset restitutio. *Pet. Nau. lib. 3. de restitutione. capit. 1. numer. 304. Carbo. quæst. 44. Bonacin. de contr. disput. 3. quæst. 1. par. 2. §. 2. numer. 13. Angles. in flor. Theolog. tit. de cler. restit. obnox. diffic. 8. Lessius. lib. 2. cap. 18. disput. 17.* Vide supra *tract. 6. cap. 3. quæst. 13.*

Secundo dico eum mortaliter peccasse, & ad restitutionem teneri, si mendacijs, & periurijs, ut librum tanti sibi cõstitisse, uel tanto pretio alijs uendidisse affirmauerit, & emptorem ad tradendum vltra iustum pretium pertraxerit, nisi rei paruitas excuset, &c.

Idem eadem ratione dicendum, si fallens fidem post conuentum pretium ante traditionem alteri subinde librum vẽdiderit. Vnde etiam primi emptoris liber erit; nisi secundo emptori tradita fuerit possessio, quia hic tunc præferendus esset, quamuis uenditor primo emptori teneatur ad interesse, ut Doctores loquuntur, & à Iudice crimine stellionatus uel falsi puniri possit. Est autem stellionatus, quando quis alterum callida quadam impostura deludit; ut si quis rem alteri obligatam dissimulata obligatione fraudulenter alteri uendiderit, aut merces corruperit; dictus stellionatus à stellionis natura, quo nullum animal homini fraudulentius inuidet, ut his uerbis testatur *Alciatus lib. 1. Parergon. capit. 46. & Scholiastes ad eius Emblemata. Embl. 49.* crimen stellionatus nomen sumpsit à stellione lacerta stellata, quod animal apud veteres male audiuit; siue quia inuidum, nam cum natura intelligat pellem suam hominibus valde commodam in comitialem morbum, eam detractam prorsus præripit & uorat; siue quod ex eo malum medicamẽtum fiat; quo mulieres decipiuntur, nam cum mortuus est in uino, faciem eorum, qui biberint, lentigine obducit, ob hoc in vnguento etiam cum necant, si quæ mulieres pellicum formæ insidiantur, hæc illi. Atque supra firmatam resolutionem astruunt. *Rebellus. lib. 9. quæst. 7. num. 8. Lessius. libr. 2. cap. 21. dubit. 4. Mol. de contr. disput. 347. Bonacin. disput. 3. quæst. 2. par. 4. Bonifacius. de furtis. §. possessionis. num. 93. Menoch. l. 2. de arbit. Iud. casu 381. Gomezius. l. 3. resol. cap. 7. Farinacius Praxi crim. l. 1. tit. 3. cap. 9. nu. 33. Molfes. tract. 12. cap. 1. num. 170.*

Nec à graui tùm charitatis, tùm iustitiæ violatione excusatur, cum vendit librum, quem ab hæreticæ prauitatis Censore breui scit prohibendum fore; quia in hoc casu vitium est in libro, ob quod minus æstimatur, imò contractus infringitur. *Salas. de empt. dub. 32. Faustus. de cont. tit. de empt. d. 6. q. 86. Iustin. in Tob. c. 7. vers. 14. in Docum.*

Sicut etiam lethalis noxæ & iniustitiæ fit reus, cum adulterinos nummos pro ueris ac bonis expendit, & obtrudit: nec excusari potest, quod tales ab alio ignoranter, uel per errorem acceperit, quia eius error alteri nocere non debet, nisi donec ignorantia duret, qua excusa damnum passo, & non cui dedit, si ille pro vera pecuniam impenderit; si autem damnum passus ignoretur, pauperibus restitutio facienda est. *Syluest. in verbo falsarius. quæst. 6. Nau. cap. 17. num. 167. Graffius. l. 2. Decis. aur. cap. 135. num. 27. & alij communiter.*

Tertio dico non esse immunem à peccato mortali, cum maiores facultates se possidere, uel prole carere pernicioso mendacio tàm constater asseruit. Iste tamen dolus dans causam contractui matrimonij, quod alioqui celebratum non fuisset, ipsum inualidum non reddit, cum error circa qualitatem, non circa substantiam versetur. *Sanchez. lib. 7. disp. 18. Mol. tract. 2. disput. 352. Guttierez. cap. 89. & alij communiter.*

Quarto metum reuerentialem, si ei minæ non adijciantur, matrimonium iam contractum non infringere, nec minus ad illud infringendum, vel inualidum reddendum, quò ad forum exterius asser-

assertionem mulieris ualere, quod interius non consenserit, &c. Cum enim tunc non reclamauerit, consensum præstitisse præsumitur, & in ipso coniugali statu permanere cogitur, quandoquidem in foro externo non statur cõfessioni coniugis super impedimento ad dissoluendum matrimonium iam contractum, &c. *Nau. cap. 22. nu. 76. Reginal. lib. 31. num. 13. & 62.* Idem *Sanchez. lib. 2. disp. 33. num. 3. & disput. 45. Marcus. Decis. 754. Riccius. in Praxi mat. Decis. 263. Molf. tract. 4. cap. 7. num. 44. Gutierez. de matr. cap. 52.*

Confessarius Fuluio, sic viam ueritatis deserenti, Dei iudicia oblito, & iniquitatem sicut aquam bibenti, periculosum, & perniciosum statum in quo uersatur, aperiet, ad Inferos enim clausis oculis miser hic & infelix se properare non uidet. Item simulationem & mendacium, non modo perfectioni Euangelicæ, sed & humanæ conditioni quàm maxime aduersari, nam ut ait Sapiens. *Eccles. cap. 20.* Opprobrium nequam in homine mendacium, & in ore indisciplinatorum assidue erit, potior fur quàm assiduitas uiri mendacis, &c. Et quidem iure, quoniam fur facultates, mendax uero ueritatem surripit, ac deprædatur; sæpe etiam honorem, ac communem reipublicæ pacem destruit, & quocunq; peruexerit, eum ignominia & cõfusio sequitur. Hinc Pius V. Pontifex Maximus adeo semper ueritatem coluit, & mendacium odio habuit, ut quemcunque mendacem semel deprehendisset, is nunquam amplius in eius gratiam redire posset, idq; re ipsa declarauit in propinquum suum, quem ob id à se ita repulit, ut ille pristino apud eum loco nunquam esse potuerit, ut refert. *P. N. Gabutius in eius vita. lib. 6. cap. 8.*

Quin & in mundo inter honorabiles uiros maxime probrosum est, cuiquam obijcere quod mentiatur, & fidem fallat; nec uirum dolus, ac fraus sapere dicitur, ut merito Homericus Achilles inclamet,

Odi etenim ceu claustra Erebi, quicunq; loquũtur,
Ore aliud, tacitoque aliud sub pectore voluunt.

Et Solon inter suas leges & illam adiecerit, Mentiri noli. Atque Persæ crimen capitali animaduersione dignum mentiri arbitrarentur, teste *Gregor. Tholos. p. 3. syntag. Iu. l. 39. cap. 15. & Iustin. in Tob. cap. 7. vers. 14. in Docum.*

Vnde & huiusmodi homines ut infames & indigni ab humano conuictu repelluntur, ut proinde quætcui comparentur; hæc enim arbor detractis folijs, præ cæteris deformissima & abiectissima apparet. *Aluarez. de vita sper. tom. 2. l. 3. cap. 7. §. 8.*

Et quilibet mendax tàm masculus quàm fœmina, sacrosanctis legibus exosus dicitur. *Ioannes de Imola. cons. 78.* Hinc infertur Primo, quod possessor conuentus rei vendicatione, si negat se possidere, & de mendacio conuincatur, possessione priuatur, & in actorem transfertur; nisi ipse negans iustam ignorandi causam habuisset, siquidem mendacium dolum arguit, qui in ignorante dari non potest. *Roman consil. 70. Guido sing. 609. Roland. à Valle. volum. 4. cons. 88.* Secundo mendacium in reo circa substantialia operatur, ut circunstantijs perpensis, torqueri possit. *Clarus. in Praxi crimin. quæst. 21. versic. mendacium.* Tertio Minor qui se maiorem dicit, ob mendacium & in pœnã, beneficio restitutionis in integrum priuatur.

Item filiusfamilias qui se patremfamilias nuncupat, ut dolose pecunias mutuo extorqueat, obligatur, nec Macedoniano ob mendacium iuuatur, vt per *Tuschum. verbo. mendacium. conclus. 188. & verbo. veritas. conclus. 164.* Quarto mendax precator impetratis carere debet; nam omnis expressio falsi mouentis Principem ad concedendam gratiam eã uitiat; non tamen omnis taciturnitas veri, sed solum ea, qua tacetur uerum, quod iura exprimi iubent. *cap. super literis. extr. de rescriptis, & c. si gratiose. eodem. titulo lib. 6 cap. dicentis. 25. quæst. 2. Sanchez. lib. 8. de matrimonio. d. 21. & sequenti. Reginald. lib. 31. numer. 198. & seq. Menoch. libr. 5. de Præsump. Præsumpt. 3. nu. 54. Molfes. tr. 4. c. 12.*

In mentem redigat Confessarius, Neminẽ posse diù sub aq̃s latere, & fucata oĩa patescere. Hinc ille,

Nil adeo subtile dies quin detegat vltro,
Nil igitur facias cur pudeuisse queas.

Hoc innuere voluerunt Romani sacerdotes, qui cum falsis Dijs sacrificia offerebant, semper tecto capite hoc faciebant; verum cum Saturno, cui veritatem ascribebant, sacrum agerent, nudum caput habere tenebantur. Hinc etiam Thales Mylesius asseruit, tempus esse sapientissimum, quãdoquidem per ipsum omnia patefiunt. *Finus. de reg. Iu. hom. 3. Tusch. in veritas. conclus. 164. Chauas. de Prud. lib 4. cap. 5.*

Et hæc sufficiant quò ad casus, & quæstiones, quæ super Decalogi præcepta institui possunt: nam quæ ad nonum, & decimum præceptum pertinent, in articulis circa auaritiam, & luxuriam, ac in sexto, & septimo mandato comprehendimus. Ex quibus Examinatores quò ad examina instituẽda, eas quęstiones elicere poterunt, quę magis idoneæ pro personarum conditione, & subiecta materia videbuntur. Et Confessarij in suo obeundo munere eas pariter interrogationes formabunt, quas magis necessarias & opportunas prudenter iudicabunt.

Finis Primæ Partis.

AD LECTOREM.

HI Commentarij sicut genuino & cõnaturali quodã nexu inter se coniuncti sunt, & in quindecim tractatus ex ordine distributi; ita etiam vno, & eodem partu, in lucem prodire debebant: sic enim vniuerso operi iam pridem postremam manum author apposuerat. At pauperes Typographi, quorum sumptibus imprimũtur, tum vt multorum postulationibus qui totius partus lucem auide expetebant, fatigati satisfacerent; tum etiam vt proprijs commodis, & emolumentis consulerẽt (horum namque venditione ad aliorum impressionem magnas impensas exigentem, sibi viam parant) in duas partes diuiserunt. Primam iam tenes, in qua vtilitatem cum iucunditate coniunctam habes: alteram, quæ non minus tibi proderit, quàm te oblectabit, breui publici iuris futuram, cum sub prælo desudet, expecta, & pro authore Deum roga.

INDEX RERVM NOTABILIVM, quæ in ijs Commentarijs continentur, alphabetico ordine digeſtus.

A

B

Blasphe-

malus

D

E

F

G

I

M

No-

Quid

Casti-

S

Ve-

Finis Indicis rerum notabilium.

QVI SCRIBVNT,
Illud Ouidianum verum eſſe experiuntur.

DVm relego, ſcripſiſſe pudet, quia plurima cerno
Me quoque, qui feci, iudice, digna lini.
Nec tamen emendo, maior hic, quàm ſcribere labor.

Memento inter tria impoſſibilia Typographiæ numerari errores; nec Argi oculos ad eos auertendos ſufficere poſſe.

Inſigniores tamen, quos per tranſennam percurrendo aſpicere, & deprehendere licuit, hi erunt:

Pagina 28. linea 18. pui, corrige qui.
pag. 56.lin.pen. reliquos. reliquas.
pag. 61.lin.32. ſedulo. ſecluſa.
pag. 70.lin. 5. aliæ. aleæ.
pag. 83.lin.12. adeſt. danda eſt.
pag.101.lin.12. initiatis. initiati.
pag.102.lin.36. Magiſter. Miniſter.
pag.135.lin. 3. poſt R. adde. Characterem quidem recipere, ſed
ibidem. lin.35. materia. materiam.
pag.147.lin. 1. malogranatos. malogranato.
pag.167.lin.49. tranſeantum. tranſeat.
pag.176.lin.54. interminationem. interminatione.
pag.192.lin 22. excommunicationem. ſuſpenſionem.
pag.196.lin.38. confeſſionis. conceſſionis.
pag.215.lin 2. cenſura. vſura.
pag.217.lin.31. Demoſthanes. Demoſthenes.
pag. 242.lin.20. cauſam. cauſa.
pag.247.lin.39. mendationis. emendationis.
pag 249.lin. 2. Confeſſarius. Confeſſarios.
pag.254.lin. 7. iniungerentur, iniungeretur.
pag.261.lin. 2. Quatuor. Sex.
pag 283.lin.40. debena. debent.
pag.287.lin.38. laudenuis. laudenſis.
ibid. Iuſenal. Iuuenal.
pag 291.lin.48. verba Vnde & iactabundus. vſque ad verbum Hinc tertio, coniungenda ſunt ad illa verba: Vbi illud. pag.292.lin.56.
pag.312.lin.16. ex regionis, vel patriæ. adde. more.
ibidem. poſſit. poſſe.
pag.320.lin.37. pauperies. pauperes.
pag.370.lin. 7. effectus. affectus.
ibid. lin. 9. qualis affectus. qualis eius affectus.
pag.417.lin.pen. procindentes. proſcindentes.
pag.459.lin 17. Tobia. Tobiæ.
pag.479.lin.19. primo. primi.
pag.482 lin. 54. quoties ſi dele ſe.
pag.485.lin.47. idem in his. idem qui in his.
pag.503.lin.11. circſtantiam. circunſtantiam.
ibidem. lin.34. deſtinata. deſtinato.
pag.505.lin.38. peccatoribus. peccatorum.
pag.520.lin.47. par bonum. par bonum.
pag.523.lin 38. ligari. ligare.
ibidem. lin.43. talem. tale.
pag 534.lin.21. has culpas. has ſupradictas culpas.
pag 539.lin.20. Iob. Tob.
pag.543.lin.22. obnoxit. obnoxij.
pag.551.lin. 4. nam ex. nam vt ex.
pag.558.lin.20. Cardinali. Cardinalis.
pag.565.lin.54. videtur autem. dele autem.
pag.566.lin.33. animaduertet. animaduertit.
lin.40. oculo iudicam. oculus iudicum.
lin.41. excecare. excæcare.
pag.567.lin.20. contra. citra.